



Dom^s Pr. . Rom. Soc. Iesu * B. Cõm.

MATTHAEI RADERI E SOCIETATE IESV, AD Q. CVRTII RVFI, DE ALEXANDRO MAGNO HISTORIAM.

Prolusiones,
Librorum Synopses,
Capitum Argumenta,



COMMENTARII.

Cum indice duplici, Capitum & Argumentorum, itemque Rerum memorabilium copiosissimo.







COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM KINCKIVM, ad inter signe Monocerotis.

Anno M. DC. XXVIII.

Permissu Superiorum, & priuil. S. Cæs. Maiest.



MAXIMILIANO PRINCIPI

SERENISSIMO,

SANCTI ROMANI IMPERII DAPIFERO VIIVIRO ELECTORI,

COMITI PALATINO RHENI, VTRIVSQVE BAVARIAE DVCI.



Salutem, felicitatem, victoriam, & multos annos

MATTHAEVS RADERVS è Societate IESV vovet & precatur.



NOn è primis ſum, Sereniſsime Elector, qui nobiliſsimum hunc planeque regium ſcriptorem, Q. inquam Curtium, res ab Alexandro Magno geſtas libris decem, vel, vt nonnulli partiuntur, duodecim complexum, inclitis Boiorum Ducibus cognoſcendum obtuli. Deſiderius Roterodamus Curtium Argentinæ Anno P. C. N. CIↃ. IↃ. XVII. vulgatum, hoc eſt, ante annos admodum centum & octo, Sereniſsimo Erneſto, Alberti IV. qui propter admirandam animi ſolertiam Sapientis cognomen tulit, & primus poſt primum Ludouicum vvittelſpachium vtriuſque Boiariæ potens fuit, filio, inſcripſit, illi nempe Erneſto, qui primum apud Pataua Boiorum, Eccleſiam pro Epiſcopo adminiſtrauit, deinde maior, Salisburgi Pontifex creatus, ſacrā tamen tiaram ſibi permoleſtam ſponte poſuit, & Glacenſi dynaſtia contentus, propemodum inter

(?) 2 priua-

priuatos quietus vixit. Secutus est Desiderium Osvvaldus Eckius vir nobilis, doctus, & clarus, qui non quidem Curtium, sed Gualteri Hierarchæ, æuo quondam suo principis poetarum heroum carmen, quo Curtium quasi Maroniana tuba canere docuit, & ex oratore & historico poetam fecit (pleraque enim omnia ex Curtio hausit) Gualterus; huius, inquam, Alexandreida Eckius Serenissimo Alberto Ser.^tis V.^æ auo summæ per omne imperium auctoritatis, summæque sapientiæ, fortitudinis & constantiæ Principi dedicauit & consecrauit. Imitatus hunc, inde mox post triennium doctissimus vir Christophorus Bruno Iuris ciuilis prolyta & candidatus, & ante Societ. Nostræ in hanc Principum regiam aduentum, poetici gymnasij præses & professor eundē Curtium duorum librorum supplemento auctum, eidem incomparabili heroi nuncupauit. Horum ego vestigia ingressus, Curtium iterum, nec illum, vt alij, nudum, sed in capita distinctum, synopsibus & argumentis explicatum, & pleno demum commentario explanatum & illustratum ad sacras & eruditas S. V.^æ manus adfero. In toto opere rediuiuus est Alexander Macedo, cognomento Magnus: magnus inquam philosophus, magnus miles, magnus belli dux, magnus princeps, magnus rex, & maximus imperator ab Hebræis, Græcis, Latinis, barbaris, sacris, profanis rerum scriptoribus, prophetis, vatibus, poetis, oratoribus, geographis, historicis, mathematicis & philosophis laudatus & celebratus: reprehensus etiam & conuitijs laceratus, quando à legibus naturæ, philosophiæ & rationis iudicio, rectisque & emendatis moribus deflexit, & in vitia, superbiam, crudelitatem, temulentiam & ebrietatem degenerauit, vt maximi quiq; principes

in

in eodem rege habeant quod sequantur, & refugiant ac detestentur.

Cæterùm eius famæ, nominis & gloriæ fuit Alexander, vti regum & imperatorum laudatores ac panegyristę non alium ex omni antiquitatis memoria reperirent, quem cum suis Cæsaribus, Augustis, imperatoribus & heroibus componerent, quàm Alexandrum; id quod e Sallustio, M. Tullio, Liuio, Appiano, Tacito, Plutarcho, Agellio, Iustino, Luciano, Lampridio, Xiphilino, Mamertino, Eumenio, Pacato, alijs, quemadmodum in Prolusionibus docui, planissimè constat.

Sed obseruanda quoque in Curtio admiranda supremi numinis prouidentia, æquitas, iustitia, quæ miris modis adeoque in toto eius opere elucet, vti mihi religiosissimus & doctissimus vir, diuque in sacris magistratibus versatus sanctissimè affirmarit, non se minùs in Curtio, quàm in diuinis scripturarum oraculis, supremi dictatoris mundi prouidentiam, iustitiam, & omniū regnorum ac regum curā, cognouisse & didicisse, quando pro cuiusq; gentis & præsidum regnorum factis, æquis, iniquis, has quidem prouincias deleuit, illas erexit, hæc regna extinxit, illa excitauit, hæc imperia euertit, illa restituit, cùm infinita eiusdem sapientia regibus ipsis & regnis ad hæc ministeria est vsa. Sic Astræa cælestis, seu iustitia Asiæ totius luxum per Assyrios castigauit; Assyrios per Chaldæos spoliauit, Chaldæorum fastum & turpissimos Babyloniorum quæstus per Medos & Persas sustulit & oppresit; Medos rursus & Persas latissimè imperitantes, & ad summum potentiæ fastigium prouectos, maioraque maximo imperio vitia etiam ostentantes, per abiectissimam ea tempestate Macedonum gentem sub iugum Gre-

corum misit; Græcos postremò inter se collisos Romanis debellandos, exhauriendos & obterendos propinauit. Cumque Romanorum quoque denuò scelera omnem peccandi modum excederent, nec vllam illi tantis malis medicinam non modò non adhiberent, sed nec admitterent quidem, primum domesticis seditionibus attriti, deinde barbaris gentibus in prædam concessi ludibrio Cimbris, Herulis, Gothis, VVandalis, Longobardis, alijs fuêre. Hodie tota pœnè Asia, meliorque Africæ portio, & omnis Græcia contemtæ religionis pœnas sub acerbo & barbaro Thraciæ tyranno persoluit. οὕτως ἄγει τὸ θεῖον τοὺς κακοὺς πρὸς τὴν δίκην. *Sic*, inquam, *Ducit numen malos ad pœnas.*

θεοῦ γὰρ ἔκδικον ὄμμα.

Aspiciunt oculis superi mortalia iustis.

Sic Balthasari Babyloniorum regi epulanti & græcanti scriptum est.

MANE, THECEL, PHARES.

Sic complures Hebræorum reges ob impios mores elisi. Sic Herodes ob impias populi voces acclamantis *Dei vox, non hominis*, cùm non referret gratiam Deo acceptam, subitò percussus interijt. Sic noster hic Alexander, quamdiu se intra limites philosophiæ & modestiæ continuit, felicissimus fuit; vbi mores, fastum & superbiam barbarorum quos vicit, secutus est, victus est, nō ab hostibus, sed suis quibuscum, vitæ illius insidiantibus, perpetuò colluctatus est, donec per stygiam aquam ab Iola & Cassandro propinatam ad stygem descendit. Senserunt etiam Christiani principes tutelam numinis: sicut & Hebræi quamdiu maiestatem Dei debita veneratione & cul-

& cultu profecuti sunt. Vbi contempta Pontificum religione in hæreses vel schismata, vel dissensiones incidêre, regnorum & imperiorum (vtinam non & salutis) iacturam fecerunt, quod de Orientis Imperatoribus & Græcis omnes scriptorum memoriæ prodiderunt.

Sensit & Ser^tas. V^a. apertum cœlitum fauorem & auxilium, cùm ante septennium iret ad bellum Bohemicum, & hinc abituriens ad D. Virginis è currú descenderet, ædemque sacram prima luce ingrederetur, dum sacer Canonicorum ordo matutinas Deo laudes decantaret, excepit vocem psallentium, dum pedem in limine templi poneret, *Exurgat Deus & dissipentur inimici.*

Oraculum fuit, oraculum accepit: dessipata enim, fugata & cæsa est acies impiorum; cumque partâ victoriâ è prælio domum reuerteretur, secumque laudem, immortalem famam & gloriam reportaret, priusquam in domesticum palatium ascenderet, ex ipso itinere, rectà ad idem B. Virginis templum contendit, vbi iterum animaduertit sub vesperis illum Dauidis versum à clero pronunciari, *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?*

Verum enim est, quod vulgò iactatur,

Δίκαια δράσας συμμάχου τεύξῃ θεοῦ.

Numen adest iustis, & fortia facta secundat.

Sed ad Curtium reuertor, quem labore non exiguo elucubratum & explicatum Ser.^ti V. pro debito officio & memoria acceptorum beneficiorum, quibus meos studiorum conatus Latinos, Græcos, sacros, politicos, multis iam annis liberalissime fouit

fouit & aluit, cognoſcendum repræſento, quaſi graviſſimorum,quibus Ser. V^a. dies noctesque Reip. belli & imperij cauſa diſtinetur, diuerticulum. Eſt enim, vti nemo negat, & amœniſsimus & vtiliſſimus, & planè, vt dixi, regius ſcriptor, qui principum aures tenere, & oculos morari verè poteſt. Certè rex inclitus Aragoniç Alphonſus, cum olim graui morbo oppreſſus, & à medentium ſenatu ferè conclamatus eſſet, à Curtij lectione medicinam petiuit, accepit, & ſibi reſtitutus, gratiam optimo auctori ſæpius poſtea meminit, quam rem etſi propè incredibilem, optimi tamen ſcriptores literis publicis conſignarunt, & ad poſteros tranſmiſerunt. Puteanum Lipſij ſucceſſorem pro coronide epiſtolæ audiamus, *Ipſe*, inquit, *Curtius, etſi imminutus, perfectus eſt. & iam non puerum nobis Alexandrum, ſed adultum; non priuatum, ſed regem narrat, vt regius omninò ſcriptor eſſet ac duraret: de quo quid ſentire debeamus, rex quoque pronunciet, non ille quidem qui deſcriptus eſt, ſed qui ſic deſcribi quoque potuit, ille animo & ingenio magnus, qui & Alexandri famam, & Curtij eloquentiam meruit, Alfonſus Aragonius. Hic Capuæ aduerſa valetudine correptus, ne otioſum haberet morbum, tunc quoque regem ſe oſtendit, & ſerio nunc ſermone, nunc exemplo mitigare dolorem ſtuduit. Cùm ægritudo creſceret, & medicorum induſtria ſine fructu ſudaret, nouum ipſe remedium & inuenit, & adhibuit. Neglecto corpore, ad ingenij curam venit, & è ſcrinio non pharmacum, non vnguentum, ſed libellum petijt. & quem putatis? Auditores. hunc à Curtio, hunc de Alexandro ſcriptum, dignum prorſus tali cuſtodia, & vel cum Homeri operibus habendum. Hunc igitur legere cœpit, & experiri, an hiſtoria in morbum valeret. nec fruſtra: delectatus elegantia, prudentia, facilitate amœniſſimi ingenioſiſſimiq; ſcriptoris, negligere primùm cruciatum potuit: mox vigore quodam imbuere corpus, & vt breuiter dicam, pro animo habere. Sic omnem morbi improbitatem corrigens, & recuperatæ iam ſalutis auctorem laudans, Faceſſant, inquit,*

p.37. v.I. vel orat. 19. p.378.

Aui-

Auicenna, Galenus, Hippocrates, & tota illa Aesculapij schola, Curtium ego feliciori pharmaco & succo medicum sensi, illius ope, illius suada restitutus sum. Res mira! sed fide scriptorum fulta, aegritudine oppressus & regni tamen cogitationibus onustus, vacare lectioni magnus princeps voluit, & quod dare medici non poterant, ab historico accepit. Fatetur ipse: & quid nisi regibus omnibus, aut qui ad magna adspirant, tam insigne exemplum commendat? Haec Puteanus hodieque superstes. Ego quoque caelites omnes precor vti S.tem V. Reipub. diu sospitem & superstitem velint, seruent, tueantur. Monachij Cal. Ian. Anno *P.C.N. ∞.DC.XXVII.*



AVCTO-



AVCTORITAS
R. P. PROVINCIALIS



Ommentarios ad Q. Curtij de Alexandro M. historiam à MATTHAEO RADERO SOCIETATIS *nostræ presbytero conscriptos, & à destinatis eiusdem Soc. nostræ Patribus lectos, censos & approbatos, ego* GVALTERVS MVNDBROT *Soc.* IESV *per superiorem Germaniam Præpositus Prouincialis, facta mihi potestate ab admodum* R. P. N. *Generali* MVTIO VITELLESCO *in lucem edi permitto, cui rei manu mea subscribo, & more Societatis consigno. Monachij Nonis Iulij Anno* P. C. N. M.DC.XXVI.

Gualterus Mundbrot.

INDEX

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.



Vm Sacræ Cæsareæ Maiestatis decreto omnibus ac singulis Typographis, & Bibliopolis, & alijs quamcunque librariam negotiationem exercentibus seriò firmiterq; inhibeatur, ne quisquam vllos libros à nostris Patribus hactenus editos, vel in posterum edendos, intra S. Rom. Imperij, Regnorum & Dominiorum suæ Cæsareæ Maiestatis hæreditariorum fines, simili, vel alio characteris genere, aut forma, siue in toto, siue in parte recudere, vel alio recudendos mittere, aut alibi etiam impressos adducere, vendere, & distrahere, clàm, seu palàm, citra iudicium ac testimoniū supradictorum Patrum audeat, vel præsumat: Concedo ego Hermannus Bauinck Societatis IESV per Rheni prouinciam Præpositus Prouincialis (potestate mihi ad id facta ab Admodum R. P. N. Generali Mutio Vitellescio) Ioanni Kinckio Ciui & Bibliopolæ Coloniensi, facultatem excudendi hos in Q. Curtij de Alexando Magno historiam, Commentarios, à R. P. Matthæo Radero Societatis nostræ Theologo conscriptos, atque à deputatis ad id Theologis lectos & approbatos. In quorum fidem hoc ei testimonium manu nostrâ subscriptum, & sigillo munitum dare voluimus.

Hermannus Bauinck.

INDEX CAPITVM PROLVSIONVM.



INDEX
CAPITVM ET ARGVMENTORVM AD QVINTI CVRTII HISTORIAM. DE ALEXANDRO MAGNO,
COMMENTARII.

INDEX CAPITVM ET ARGVmentorum Libri Tertij.

casi

INDEX CAPITVM LIBRI Quarti.

Cap.

INDEX CAPITVM LIB. V.

INDEX CAPITVM LIBRI sexti.

INDEX CAPITVM ET ARGVMENTorum Libri septimi.

INDEX CAPITVM ET ARGVMENTorum Libri Octaui.

Cap.

INDEX CAPITVM LIBRI Noni.

Caput i.

INDEX CAPITVM LIBRI Decimi.

FINIS.




ALEXANDRI MAGNI MACEDONIS EXPEDITIO
Scythæ Asiatici. A° M DC XXVIII
Scythæ Europæi.
EUROPÆ PARS
Getæ
Triballi
PONTVS EVXINVS
Cercetæ
COLCHIS
Chorasmeni
Mossini
Leucosyri
Amazonum Campi
ASIA MINOR
GRÆCUM
MARIS MEDITERRANEI
LIBYÆ
AFRICÆ PARS
ÆGYPTVS
PALESTINA
ARABIA
ARMENIA
MESOPOTAMIA
MEDIA
HYRCANIA
PARTHIA
PERSIS
CARMANIA
SOGDIA
GABAZA
Memaceni
Dai
Sacæ
DRANGIANA
GADROSIA
ARACHOSIA
PAROPAMISVS
Thyrei
Xatri
INDIAE INTRA GANGEM PARS
Sabracæ
Musicani et Dachinabades
ARABIAE FELICIS PARS
Abij Scythæ
ERYTRAEVM siue RVBRVM
Curtius
Arrianum
Plinius
Philostratus



R. P.

MATTHAEI RADERI
E SOCIETATE IESV
AD
Q. CVRTII RVFI
HISTORIAM
DE
ALEXANDRO MAGNO,
Prolusiones.

CAPVT I.

Quis fuerit Q. Curtius, quo tempore vixerit & scripserit?



VA fati forte fiat nescio, vti sæpè nobis maximorum authorum vita, mores, ætas subducantur; vilium contrà longis admodum voluminibus tradantur. Certatur hodie inter rerum scriptores quis fuerit hic Curtius, qui res Alexandri Magni composuit, quo tempore vixerit & scripserit, auctor sanè in paucis elegans, argutus, sententiosus & verissimus historicus.

Curtios ego varios apud veteres auctores, Cæsarum primorum æuo potissimùm laudatos (nam de his agitur, & quæritur) lego. Princeps est apud Ciceronem ad Q. Fratrem lib. 3. epist. 2. *De ambitu*, inquit, *postulati sunt omnes qui Consulatum petunt; à Memmio Domitius, à Q. Curtio bono & erudito adolescente Memmius.* 1.

Alius apud Iuuenalem Orator, seu caussidicus celebratur. Saty. xi. 2.

——te consule, dic tibi quis sis
Orator vehemens, an Curtius, an Matho——

Alius Curtius est apud Tranquillum in album clarorum rhetorum relatus. Nam Achilles Statius testatur catalogum Suetonij MS. reperiri, in quo Portio Latroni Q. Curtius Rufus subiungatur. 3.

Rursus videtur alius apud *a* Plinium, & *b* Tacitum, quem gladiatore genitum affirmant: *De origine Curtij Rufi*, inquit Tacitus, *quem gladiatore genitum quidam prodidêre, neque falsa promiserim, & vera exequi pudet; postquam adoleuit sectator quæstoris, cui Africa obtigerat, dum in oppido Adrumeto vacuus per medium diei porticibus secretus agitat, oblata ei species muliebris vltra modum humanum & audita est vox*, Tu es Rufe, qui in hanc prouinciam pro consule venies. *Tali omine in spem sublatus, digressusq; in vrbem & largitione amicorum simul acri ingenio quæsturam, & mox nobiles inter candidatos præturam, Principis suffragio, assequitur, cum hisce verbis Tiberius dedecus natalium eius velauisset*; Curtius Rufus videtur ex se natus. An allusit

a l. 7. ep. 17.
b annali xi

a Iphi-

Iphicratis dictum, qui ab Harmodio Harmodij tyrannoctoni abnepote ob generis ignobilitatem notatus, respondit: τὸ μὲν ἐμὸν γένος ἀπ' ἐμοῦ ἄρχεται, τὸ δὲ σὸν ἐν σοὶ παύεται, *Meum genus à me incipit, tuum in te desinit.* Pergit Tacitus, *Longâ post hac senecta, & aduersus superiores tristi adulatione, arrogans minoribus, inter pares difficilis, consulare imperium, triumphi insignia, ac postremo Africam obtinuit, atque ibi defunctus, fatale præsagium impleuit.*

Plinius verò propè eadē cum Tacito, *Et mihi discendi, & tibi docendi facultatem otium præbet. Igitur perquam velim scire, esse phantasmata, habere propriam figuram, numenq; aliquod putes, an inania & vana ex metu nostro imaginem accipere? Ego vt esse credam, imprimis eo ducor, quod audio accidisse Curtio Rufo. Tenuis adhuc & obscurus obtinenti Africā comes hæserat, inclinato die spatiabatur in porticu. offertur ei muliebris figura, humanâ grandior pulchriorq; perterrito Africam se futurorum prænunciam dixit, iterum enim Romam, honoresq; gesturum, atque etiam cum summo imperio in eandem prouinciam reuersurum, ibiq; moriturum. Facta sunt omnia. Præterea accedenti Carthaginem egredientiq; nauem eadem figura in littore occurrisse narratur. Ipse certè implicitus morbo, futura præteritis, aduersa secundis auguratus, spem salutis, nullo suorum desperante, proiecit.*

Videndum nunc, quis ex his omnibus auctor sit historiæ de rebus Alexandri Magni. Nam omnino nemo vnus mentionem hac de re quisquam habuit eorum, qui de quatuor illis Curtijs aliquid prodidere; nemo vnquam à Curtio compositus Alexandri res vnquam testatus est. Ac primum quidem, Curtium Iuuenalis hinc prorsus amandamus; is enim non est Q. Curtius Rufus, vti passim in antiquis chartis editis, ineditis, appellatur, sed Curtius Montanus, de quo idem Sat. 4.

Montani quoque venter adest, abdomine tardus.

Plura de hoc Tacitus lib. IV. histor. itaque hunc taciti præterimus. Curtium Tullianum, quem primo loco posuimus, extitisse historiæ de Alexandro M. scriptorem, illustris & eruditus vir Io. Georgius Heruuartus, cuius opus chronologicum legitur; sed refutatur à Lipsio, cum omnibus alijs, qui illos Virgilij versus è 1. Georgic. transcriptos de illa Curtij nocte in X. notata interpretantur:

Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam,
Cum caput obscura nitidum ferrugine texit,
Impiaq; æternam timuerunt secula noctem.

Nec illam tantum noctem accipit Heruuartus, quæ mortem Iulij secuta est, sed omnino totum illud tempus, quo inter Augustum, & Iulium interregnum fuit. Aeternam hanc noctem, defectionem quoque solito longiorem interpretatur, cum toto ferè anno maligna solis lux fulsit, nec splendorem suum vnquā ferè serena fronte explicauit. Plutarchus in Iulij vita: ὅλον γὰρ ἐκεῖνον τὸν ἐνιαυτὸν ὠχρὸς μὲν ὁ κύκλος, καὶ μαρμαρυγὰς οὐκ ἔχων ἀνέτελλεν. ἀδρανὲς δὲ καὶ λεπτὸν ἀπ' αὐτοῦ κατῄει τὸ θερμόν. *Toto namque anni illius spacio pallens globus, & sine splendore oriens, imbecillem ac tenuem ex se calorem emittebat.*

De eodem Plinius lib. 2. c. 20. *Fiunt prodigiosi & longiores solis defectus, qualis occiso dictatore Cæsare, & Antoniano bello totius pæne anni continuo pallore.* Hunc tamē non fuisse auctorem de Alexandri M. rebus ostendit Iustus Lipsius, vti dixi, qui negat Virgilij versus huc pertinere. *Est*, Inquit, *qui hunc censeat esse illum, qui memoriam scripsit rerum Alexandri purè me hercules & Latinè. Modius certe noster, cuius censura Curtius non leuiter debet, testatum reliquit, cognomen ei Rufi tribùs à libris:*
p. 148.
pugnare tamen ætas videatur, siquidem ad Augustum illa referenda sunt è libro eius X.

Curt. l. 10. Proinde iure meritoque populus Rom. salutem se principi suo debere profite-
» tur, cui noctis, quam pœnè supremam habuimus, nouum sidus illuxit. Huius
» hercule, non solis ortus lucem caliganti reddidit mundo, cum sine suo capite
» discordia membra trepidarent. Quot ille tum extinxit faces? quot condidit gla-
» dios? quantā tempestatem subitâ serenitate discussit? non ergo reuirescit solum,
» sed etiam floret imperium. absit modò inuidia, excipiet huius seculi tempora
» eiusdē domus vtinam perpetua, certè diuturna posteritas. *Sed non sunt: nec quidquam*

quam hic de sidere Iulio, vt nugantur. Refutant sequentia: quoniã Augustus cum ad imperium venit, non extinxit bellorum faces, non gladios condidit, sed accendit, eduxit. Refutat & ille locus è lib. 3. de vrbe Tiro. Multis ergo casibus defuncta, & post excidium ,,
renata, nunc tamen longa pace cuncta refouente sub tutela Romanæ mansue- ,,
tudinis acquiescit. *Nam ait & agnoscit longam pacem iure Romana. An ea sub initia Augustæ imo viginti annorum bella. Itaque priora illa refero ad Caij Caligulæ cædem, & confusionem quæ secuta, senatu imperium abrogante, milite & plebe stabiliente. Hæc sunt illa sine capite discordia membra; & Claudius ipse nouum sidus. Tamen incerta hæc mihi fateor: & facilè manum dedero, si quis adferet verisimiliora.*

Iam tertio loco è Suetonio, & quarto è Tacito, & Plinio petitum, omnes propè hodierni scriptores, præter Heruuartum eundẽ existimant, rhetorem inquã & causidicum, declamatorem & oratorem, simulque scriptorem rerum Alexandri & quęstorem, prętorem, consulem, & demum proconsulem Africæ. Ioannes Maria Catanæus Plinij minoris interpres, P. Pithæus, Brissonius, Lipsius, Puteanus, alij, quamuis nullum ex omni antiquitate auctorem proferre aut testem excitare possint, coniectura tantum è loco lib. IV. & X. ducta nixi. Rogas meam sententiam? ἐπέχω (quamuis in plurium opinationem omnino inclinem) fieri enim potest, nullum ex his omnibus quatuor, esse historiæ de Alexãdro M. auctorẽ, sed alium aliquẽ nobis ignotũ, quod veteres omnes de illo tacuerint, nullusq; veterum, auctoritatem illius vnquam de Alexandro prætulerit aut laudarit; sed nunc iam de tempore, quo vixisse & scripsisse credi possit, videamus.

Io. Georgius Heruuartus, quem paulò antè laudaui, existimat, eum Cicerone 1. opinio.
adhuc superstite, ante bellum ciuile Cęsaris & Pompeij iam causas egisse, & verba Curtij è X. refert ad mortem Iulij Cæsaris. ex quo sequitur, illius opinione, Curtium Augusto imperante historiam suam composuisse, nec enim vltra Augustum vixisse potuit; nisi æuum illius vltra centesimum propagare velis. Minimùm enim octauum decimum, aut etiam vigesimum egit, cum in forum est progressus; dudum ante Octouianum quoque natum oportuit. Sed cùm locus Curtij è X. de Iulio Cæsare accipi non possit, vti rectè affirmat Lipsius, eosq; nugari doceat, qui id tradidêre, missum hunc adolescentem Ciceronis faciamus.

Catanæus ergo, & Pithæus sub Augusto, & Tiberio vixisse, & scripsisse Curtiũ 2. opinio.
arbitrantur, sed non ostendunt, nisi quod Catanæus narret se legisse in fide di- Ad lib. 7.
gno exemplari historiam de gestis Alexandri compositam à Q. Curtio Rufo, epist. 27.
qui inibi fatetur se fuisse sub Augusto & Tiberio. Iam Brissonius, Lipsius, Putea- Plinij. 3. opinio.
nus, alij, Claudio imperante putant historiam à Curtio conscriptam; & noctẽ illam quam extremã imperio imminere existimabãt, referendã ad noctem quæ Caligulæ cædem est insecuta. & ita in priore etiã Curtij editione sentiebamus.

Nuper Ianus Rutgersius vir egregiè doctus, nouam pronunciauit sententiã, 4. opinio.
videri Curtium Vespasiano Imp. floruisse & scripsisse. Apponam ipsius caput è varijs lectionibus l. 1. c. 19 cuius hæc est epigraphe:

Quæsitum de æuo, quo floruit Q. Curtius. Ostensum id fuisse Vespasiano Principe. Et rei argumenta. Aliorum sententia confutata.

Scripseram alicubi quendam Curtij locum videri è Lucano expressum esse, cuius eum studiosum fuisse multis argumentis doceri posset. Venit ad me non multo pòst homo eruditissimus, qui hoc vt immanem ἀνισοχρονίαν enotarat. Quomodo enim, inquiebat, Curtius Lucanum imitari potuit, cum is Lucano etiamnum puero iam obierit? Curtium certè sub Augusto floruisse, saltem ipse te docere debuerat. ita enim lib. hist. 10. Sed iã fatis admo- ,,
uebantur Macedonũ genti bella ciuilia: nam & insociabile est regnum, & à plu- ,,
ribus expetebatur. Primum ergò collegêre vires, deinde disperserũt. & cum plu- ,,
ribus corpus, quã capiebat, onerassent, cætera membra deficere cœperũt: quod- ,,
que imperium sub vno stare potuisset, dum à pluribus sustinetur, ruit. Proinde ,,
iure meritoq; populus Romanus salutem se principi suo debere profitetur, cui ,,
noctis, quam penè supremam habuimus, nouum sidus illuxit. Huius, hercle, ,,
non solis ortus lucem caliganti reddidit mundo, cum sine suo capite discordia ,,
membra trepidarent. Quot ille tum extinxit faces? quot condidit gladios? quan- ,,
tam tempestatem subita serenitate discussit? non ergo reuiuiscit solum, sed et- ,,

„ iam floret imperium. Absit modò inuidia, excipiet huius seculi tempora eiusdē „ domus (vtinam perpetua! certè diuturna posteritas) *In quibus nouum illud sidus quod aliud sit, quā Iulium, de quo Horatius, hoc est Augustus? tum ego, quod Curtium sub Augusto floruisse dicis, quàm id verū sit, mox viderimus, certè nō credidit, cuius tu auctoritati multum tribuis, Iustus Lipsius enim ad xi. annal. Taciti id cōfutat.* Et post pauca:

Mihi longè secus videtur: neq; enim post Cæs cædem imperiū ante à pluribus expetitū, aut ciuilibus bellis, vt Macedonicū illud, cuius occasione hæc de Rom. Repub. inserit, laceratum fuit: quod tamē necesse sit, si hic locus eò trahendus foret. Sed ipse Lipsius hæc incerta sibi esse nō negat, & vltro se daturū manus profitetur, siquis verosimiliora afferre possit. quod an nobis successurū sit, quid experiri vetat? Ego Vespasiano principe Curtiū floruisse dico, & hæc ipsa verba in eius gratiā pē decorè inserta esse. Sed id ostendendū est. Primum igitur, quod ait, sine suo capite discordia membra trepidasse, de Galba, Othone, & Vitellio dici manifestum est: sub illis enim, dum eorū quisq; de principatu contendit, resp sine certo capite fuit. Vnde Suetonius in Vespasiano eos motus nō bella, velut sub legitimo principe, sed rebellionem vocat. Iam nox illa, quam Romani penè supremam habuerint, quaque nouum sidus hoc illuxerit, obsecro te, quæ alia est, quam ea, qua Vespasianus Vitellium profligauit? id enim prælium noctu commissum esse vel è tertio historiarum Taciti cōstat. Illæ autem faces quas eum extinxisse dicit, nihil aliud sunt, quam bella ciuilia, quæ omnia vt Plinij verbis vtar, salutaris exortus Vespasiani principis aboleuit. Iam quod & hic non solum reuirescere imperium, sed etiam florere dicit, & libro quarto, in excidio Tyri longam pacem sub Romana mansuetudine agnoscit, de quo melius, quàm de Vespasiano dici possit? per quam Rom. resp. tot Nerones passa, vt cum Vopisco dicam, caput extulit. Is enim est, qui post tot, ac tam immanes bellorum furias pacem & tranquillitatem orbi terrarū reddidit: cuius beneficij monumentum & augustum illud pacis templum esse voluit, quod eum cōdidisse scribit Suetonius, & omnis generis numi, quorum aliquot etiam penes me sunt, quibus hodieq; PACI. ORBI. TER. *inscriptum legitur. Postremò quod de perpetua, certè diuturna posteritate ominatur, ad quot nisi ad Vespasianos fratres referendum est? quibus superstitibus non poterat non diuturnū esse eiusdem domus imperium. De mansuetudine eius pleni sunt historicorū libri. Hæc ego cum dixissem non grauatè assensus est.*

5. opinio. Ego tamen alia omnia sentio, censeoque Augusto imperante natum, Tiberio Cap. 12. regnante florere cœpisse & scribere, illaque Curtij è IV. de Tyro, & X. de nocte, & Cap. 15. nouo sidere accipienda de morte Augusti, & noua Tiberij successione, & deinceps imperio per annos tres & viginti administrato. Nec interim inficias eo, potuisse æuum ad Claudium vsque propagasse. Primam sententiæ nostræ rationem ex elegantissimo, & qui aureum latinitatis sæculum omnino sapiat, stilo Curtij duco, vt non dubitem illum summis rerum Romanarum scriptoribus Sallustio, Liuio, Cæsari, Ciceroni admouere: Tacito certè & Suetonio, Floro, & hoc genus iam sequioris seculi auctoribus sine vlla dubitatione proponendū, omnes, qui paullò emunctioris nasi & delicatioris palati tersarumque aurium erunt, & gustum nobilissimæ ætatis verum habent, iuxta mecum censebunt. Vnicū nostri seculi testem hoc loco, infra mox altero capite, plures adducturi In præfat. ad Q. Curtij historiam. producamus, Puteanum, inquam, regium Louanij doctorem, & Lipsij successorem & nostrum amicum, qui ita de Curtio verissimè iudicauit: *Etenim vt alia desint, sola elocutio lectorem non omnino rudem trahat, eruditum magis etiam inflammet. Quemadmodū cibi aliqui sunt, omnibus omnino mortalibus illice sapore grati; aliqui his nauseam, illis suauitatem adferunt: ita in scriptoribus ratio stili distinguitur. quæ omnibus placeret, Latina quidem, in vno potissimum Curtio inuenta est. Liuij olim laudem patauinitas quadam imminuit: alius velut suptuum alibi, aut frigidum, imo &* ταυτολογίαν *accusat. In Sallustio Iulius Scaliger reperit, quod & reprehenderet, & damnaret: prolixū fuisse, vel etiam nimium superuacuumq;. Cæsar ipse cui satis nō fuit res fortiter gerere, nisi narraret, tam stilo promtus quàm telo, auctor & simul scriptor, reprehensionem tamen non effugit. aiunt in dictione esse quæ culpari possint; prudentiam è verbis nō hauriri: Commentarios tantùm esse, & nihil polliceri præter nudam simplicemq; narrationem. Tacitum Tullianæ aures nequaquam ferunt, scriptorem scilicet durum, asperum, concisum: in latinitate maculas esse næuosq;; alibi sensum breuitate impediri & frangi; plura inuolui, quàm exprimi: & quod in emaciato corpore videmus, ossa tantùm eminere, ve-*

nustatem

ll atem nullam esse. Iustinus, Florus, Nepos, alijq́ frustra nominantur; in omnibus curiosa u censura reperit quod carperet. Vnus Curtius, noster ille Curtius, tam feliciter, pruden- , venuste historiæ vestem contexuit, stilum vbique rebus aptans, vt notam omnem euita- . elegans est, grauis est, virilis est, & natura sua nunc exsurgens & docens, nunc submit- us dictionem & oblectans. vt in summa grauitate veneres non exuit, ita in remissione ad statē nō desoādit: quandoq́, obiurganti similis, cùm vitia persequitur, quandoq́, mulcenti, in virtutibus applaudit. verba nitorē habent, cōpositio suauitatē, res pretiū. tanquā nihil verfit, breuitatem laudes: tanquam nihil desideres, copiā. ipsa breuitate plenus est, copia molestus. Variū dixeris, nec tamen diuersum. Vultū eundē, non colorem seruat, & tamen ramosus. pari ingenio nunc vela sermonis pandit, nunc contrahit: sed eadem felicitate in- bitur & incedit alibi celerior, alibi accuratior, vbique placens. Cùm nihil coactum sit, vi- ari tamen sententias dixeris, non educi. acumina velut tela sunt, lectoremq́ suaui vulne- feriunt: flammulæ sunt & accendunt. Nemo sine voluptate legat Curtium. maiorem et- m fructum capiat sic perfusus. Quantum oblectaris, proficis; & cum omnia laudes, mire- : tam ingeniosè exprimi; cùm omnia stupeas, tam facile intelligi. Nam cæteros historiæ riptores, vt puritate & lepore prouocat, ita acumine & perspicuitate vincit. Nemo subti- r fuit, & tamen gratior. nemo æque lectorem instruit, & minus lassat. putes hunc vnum ad storiam à natura factum, & velut fato destinatum, qui Latinè nobis Alexandrum exhi- ret. ergo & vitia eius & virtutes aperit: vitia, vt lectorem absterreat: virtutes, vt in- mmet. Aperit vitia, & nihil odio, aut calumniæ tribuit: virtutes, & ab adulatione alie- s est, hoc toto volumine agit. &, vt tandem in compendium diffusam vitæ seriem collige- t, velut in tabella geminum Alexandrum proponit, qua laudari & simul reprehendi po- st. Ipsum igitur Curtium audite, id est videte, & sic quem descripsit, an depinxit: lib. x.

stè æstimantibus regem liquet, bona naturæ eius fuisse; vitia, vel fortunæ, vel, ,, :atis. Vis incredibilis animi, laboris patientia propemodum nimia, fortitudo, ,, on Inter reges modo excellens, sed inter illos quoque, quorum hæc sola virtus, ,, iit. Liberalitas sæpè maiora tribuentis, quàm à Dijs petuntur. clementia in deui- ,, os: tot regna aut reddita, quibus ea dempserat bello, aut dono data. mortis cuius ,, ietus cæteros exanimat, perpetua contemptio. gloriæ laudisque vt iusto maior ,, ipido, ita vt iuueni & in tantis admittenda rebus. Iam pietas erga parentes, quo- ,, im Olympiada immortalitati consecrare decreuerat, Philippum vltus erat. iam ,, i omnes ferè amicos benignitas, erga milites beneuolentia. Consilium par ma- ,, nitudini animi, & quantum vix ætas eius poterat capere solertia. modus immo- ,, iearum voluptatum. veneris intra naturale desiderium vsus. nec vlla nisi ex per- ,, iisso voluptas. Ingentes profectò dotes erant. Illa fortunæ: Dijs æquare se, & cæ- ,, :stes honores accersere, & talia suadentibus oraculis credere, & dedignantibus ,, enerari ipsum, vehementius quàm par esset, irasci. In externū habitum mutare ,, orporis cultum, imitari deuictarū gentium mores, quas ante victoriā spreuerat. ,, Iam iracundiam & cupidinem vini sicuti iuuenta irritauerat, ita senectus miti- ,, are potuisset. Fatendum est tamen, cùm plurimum virtuti debuerit, plus debu- ,, se fortunæ, quam solus omnium mortalium in potestate habuit. *Hæc ita breuiter: ,, :d in historia vniuersa disquirit singula: caussas rerum, consilia, euentus expendit, iudex mnium. Quod fieri posse neges, facit, & ipsam quoque fortunam ad examen deducit. Ergo tcunque legis, digna stilo sunt, & variæ prudentiæ specimen referunt: digna lectione, & d formandum iudicium cuiusq́, valent. Tota narratio exacta est, lenitate quadam proflu- nt, non exundans, tanquam ripis clausa, garrulitatis autem imbre non corrupta, trahit o- ulos & gemmeo eloquij lattee recreat. Locorum etiam vrbiumq́, tam accurata vbique de- :riptio, vt picturam censeas. Nulli colores sermonem æquent: nec legere, sed intueri coram ideaeris, quicquid hic expressum est. Sed quid ego totum laudare Curtium non possum, nisi otum explicem. vbiq́, summus est; & quem in partibus admiramur, toto historiæ corpore luminum pronuncies. Legere nunquam non volet, quisquis libauerit, & doctrinæ, facundiæ, rudentiæ suauissimos carpet flores, quoties in manus admittet. continuata fertilitas est, uantum demis nascitur, & eum omnia collegisse te putes, plura relinquis.*

His adde, quæ secundo capite de elogijs, è quibus doctissimorum virorum iu- licia de Curtij stilo ab hoc nostro non multum diuersa cognosces. Vespasiani au- em æuo ita ab illis Tulliano & Iuliano calamo desitum est, vt Plinius Secundus

 fere-

se reprehensum etiam ab æui sui scripturientibus aiat, quòd Ciceronem volueret & imitaretur, adeò vitioso iam illo æuo vitijs erat, vitio carere. hoc est Ciceronē sequi & stilo exprimere. Alteram causam subijcio ex Curtij verbis è 4. & 10. peritis ad Augusti mortē & Tiberij inaugurationem esse accōmodanda, quod vt faciliùs tibi ipsi persuadeas, adduco simillimum è Velleio locum, qui mirificè nostrum
pag. 341. illustrat & affirmat. *Ventum, inquit, ad tempus, in quo plurimum fuit motûs* (de morbo & morte Augusti agit) *quid tunc homines timuerint, quæ senatus trepidatio, quæ populi confusio, quis orbis metus, in quàm arcto salutis exitij q́; fuerimus confinio, neque mihi tam festinanti exprimere vacat, neq; cui vacat, potest. Id solum voce publica dixisse habeo: Cuius vrbis ruinam timueramus, eam nec commotam quidem sensimus, tanta q́; vnius viri maiestas fuit, vt nec bonis, neque contra malos opus armis foret. Vna tamē veluti luctatio ciuitatis fuit, pugnantis cum Cæsare senatus populiq́; Romani, vt stationi paternæ succederet: illius, vt potius æqualem ciuem, quàm eminentem liceret agere principem. Tandem magis ratione, quàm honore victus est, cùm quicquid tuendum non suscepisset, periturum videret: solíq́; huic contigit, penè diutius recusare principatum, quàm vt occuparent eum, alij*
pag. 345. *armis pugnauerant*: Et infrà: *Tulit protinus & voti, & consilij sui precium respubl. neque diu latuit, aut quid, non impetrando, passuri fuissemus; aut quid, impetrando, profecissemus. quippe exercitus, qui in Germania militabat, præsentisq́; Germanici imperio regebatur, simulq́; legiones, quæ in Illyrico erant, rabie quadam & profunda confundendi omnia, cupiditate nouum ducem, nouum statum, nouam quærebant rempub. quin etiam ausi sunt minari, daturos senatui, daturos principi leges; modum stipendij, finem militiæ sibi ipsi constituere conati sunt. processum etiam in arma ferrumq́; strictum est; & penè in vltimum gladiatorum erupit impunitas, defuitq́; qui contra rempub duceret, non qui se sequerentur. Sed hæc omnia veteris imperatoris maturitas, multa inhibentis, aliqua cum grauitate pollicen-*
Ibidem. *tis, inter seueram præcipuè nostrorum vltionem, mitis aliorum castigatio, breui sopyt, ac sustulit*. Subijcit dein iterum: *Reuocata in forum fides, submota è foro seditio, ambitio campo, discordia curiâ, sepultæq́; ac situ obsita iustitia, æquitas, industria, ciuitati reddita; accessit magistratibus auctoritas, senatui maiestas, iudicijs grauitas; compressa theatralis seditio; rectè faciendi omnibus, aut incussa voluntas, aut imposita necessitas honorantur recta, parua puniuntur, suspicit potentem humilis, non timet: antecedit, non contemnit humilio-*
* an legendum latiori quia sequitur diffusa. *rem potens. quando annona moderatior? quando pax* * *lætiorī diffusa in Orientis, Occidentisq́; tractus, & quidquid Meridiano, aut Septentrione finitur pax augusta per omnes terrarum orbis angulos à latrociniorum metu seruat immunes.* Et in fine libri II. *Iupiter Capitoli-*
p. 354. *ne, & auctor, & Stator Romani nominis, Gradiue Mars, perpetuorum custos Vestæ ignium, & quidquid numinum hanc Romani imperij molem in amplissimum terrarum orbis fastigium extulit, vos publica voce obtestor atque precor, custodite, seruate, protegite hunc statum, hanc pacem, eq́; functo longissima statione mortali, destinate successores quàm serissimos, sed eos, quorum ceruices tam fortiter sustinendo terrarum orbis imperio sufficiant, quàm huius suffecisse sensimus.*

Professa, inquis, Paterculi est adulatio: non eo negatum, sed eodem sensu Curtius & Valerius Maximus de Tiberio nō sine palpo prolocuti. *Et inprimus* (inquit in Sciani cæde aliquanto pòst) *auctor ac tutela nostræ incolumitatis, ne excellentissima merita sua totius orbis ruina collaberentur, diuino consilio prouidit. Itaque stat pax, valent leges, sincerus priuati ac publici officij tenor seruatur. Qui autem hæc violatis amicitiæ fœderibus tentauit subuertere, omni cum stirpe sua, populi Romani pedibus obtritus, etiam apud inferos, si tamen illuc receptus est, qua meretur, supplicia pendit.* Hæc tamen omnia ita à me de Curtio disputata sunt, vt nolim lectori pro oraculis, aut certa ἀποδείξεις obtrusa. coniectura nostra & aliorum sententia non iustis fortasse columnis nititur, aut infirmo etiam tibicine fulcitur, certis enim & indubitatis antiquitatis testibus destituta est. Quamuis Erycius Puteanus non dubitet hunc ipsum Q. Curtium Rufum, de quo Tacitus & Plinius scripsere, esse auctorē historię de Alexandro M. *nam de his agi non est*, inquit, *quod amplius dubitemus*. Si Tacitus, aut Plinius aliquā historiæ huius mentionem fecisset, certi essemus. Nunc hæremus, & optamus magis esse, quàm scimus. Illud etiam non tacendum, quod Philippus Cluuerius lib. 3. de Germania, ex Taciti Germania obseruauit, Curtium priusquam in Africam iret, in Germania cum consulari potestate versatum, & in Mattiaco a-

gro

o quærendis argenti venis specus reclusisse: *Nec multo pòst Curtius Rufus eundem* lib. 3. c. 7. p. 21.
norem adipiscitur: qui in agro Mattiaco recluserat specus quærendis venis argenti: vn-
de nuis fructus, nec in longum fuit. at legionibus cum damno labor, effodere riuos, quæque
aperto grauia, humum infra moliri, queis subactus miles, & quia plures per prouincias
milia tolerabuntur, componit occultas literas nomine exercituum precantium Imperato-
m, vt quibus permissurus esset exercitus, triumphalia ante tribueret.

Ex his igitur satis clarè perspicitur Curtium Rufum iam antea consulare imperium &
umphi insignia consecutum, quàm Africam obtinuerit, sectator quippe primùm Quæsto-
, dein Quæstor ipse, mox Prætor cùm fuisset, prouinciam pro Consule obtinuit, in qua ar-
nti venas reclusit, triumphiq; reportauit inde insignia. hinc verò Africam postremò pro
nsule adeptus, in qua prouincia defunctus, vt disertissimis verbis distinguit Tacitus.
uapropter minus rectè ista doctissimus Lipsius de Mattiaco siue Maziaco, vt ipse vocat,
frica agro intellexit. de Germaniæ aliquo agro auctorem hic loqui patet ex eo, quod Cur-
insignia triumphi, Corbulonis insignibus continuo subijcit; nec tamen singillatim monet,
a in prouincia ager iste fuerit. scilicet quia eandem Germaniarum prouinciam intellige-
t, quam paullò antè Corbulo obtinuerat; cuius pars Mattiaci socij, vt dictum populi Roma-
literas Curtium occultas cõposuisse, narrat auctor, nomine exercituũ. quinam igitur illi
ercitus, vno plures in vna prouincia Africa? quam duabus tantùm legionibus custoditam,
è ex IV. annal ostendit Lipsius in notis ad II. historiar. At Rhenum Germaniasq; VIII.
ionib. in duos æquales exercitus dispertitis, quibus vnus præfuit consularis præfectus, fu-
possessas, iam dudum satis superq; ostensum est. horum igitur nomine literas ad Claudi-
Cæsarem composuerat Rufus. proinde de nullo alio, quàm Mattiacorum agro venæ il-
argenti, quas Rufus reclusit, sunt intelligendæ. Taciti autem memoria à vitij macula
in re vindicari hoc modo potest Librum de Germania secundo Traiani consulatu, id est
mo principatus eius anno, composuit, vt ipse disertè testatur eodem libro de Cimbris lo-
ens, libros autem historiarum prouecto iam Traiani imperio eum scripsisse liquet ex pri-
libri exordio, vbi sic ait: *Quod si vita suppeditet, principatum D. Neruæ & imperium*
aiani vberiorem securioremq; materiem senectuti seposui, rara temporum felicitate, v-
sentire quæ velis. & quæ sentias dicere licet. Post historiarum tandem libros, com-
suisse eum annales claret ex XI. annal. *vtriusq; principis rationes prætermitto, satis*
rratas libris, quibus res gestas Domitiani composui. Venas igitur argenti, quas in li-
o de Germania, primo principatus Traiani anno, negat, quemquam in Germa-
a quæsiuisse, postea meliori cura longiorique inquisitione inuenit, quondam à
artio Rufo Germaniarum præfecto quæsitas, repertasque esse, eamque rem an-
libus suis inseri dignam iudicauit.

CAPVT II.

Iudicia variorum & elogia de Q. Curtio.

VIrantur quid sit, quod Curtius non venerit in Quintiliani censuram,
quando volumine X. suarum Institut. omnes scriptores ad suum tri-
bunal accersit, ac de singulis quid sentiendum pronunciat. Sed vel, vt
nouum tum scriptorem & minus cognitum, neglexit, vel quia ille nõ-
m in manus hominum venerat, vel argumentum è Græco duntaxat Latinè
nscripserat. alioquin dubitari non potest, quin à Liuio & Cæsare & Sallustio
oximas obtineat, etsi hodiè sint, qui Sallustium Curtio posthabeant. Habet ta-
en & Q Curtius voces alijs non vsurpatas, Ciceroni etiam reprehensas, vt *pyssi-*
us, quam in Antonij oratione carpsit. *sagittare*, quis præter Curtium & Iustinum
41. vsurpet nescio, nisi recentiores velis in testes adducere.

Volaterrani anthrop. 64.

Curtius historicus scripsit de gestis Alexandri M. cuius liber haud integer ad nos per-
venit.

Angeli Decembrij de politia literaria lib. 1. p. 36. l. 2 p. 119. l. 6. p 487.

De Q. Curtio eadem prope querela est, cuius laceratum opus legitur: quanquam Græco-

rum & Arriani constat historia, ex quorum fontibus hic scriptor vel interpres mira dulcedinis regiaq́; profectò magnificentia par, ab Alexandro non degenerans opus suum excudit, cuius summa sunt dignitatis & historica suauitates orationes. Quod Decembrius affirmat Curtium hausisse ex Arriani quoque fontibus, mendosum est. Arrianus multis annis post Curtium scripsit.

Eiusdem.

Cuius orationis speciem Curtius inter historicos sanè elegantissimus de Dario explicare non dubitat, vt, Ille remotis arbitris diu aliud atque aliud consilium animo volutabat.

Ex eodem.

*Videtis primum mirabile quiddam, quod soli omnium Curtio contigit, tanquam capite truncato principio caruisse: ad hoc multis in locis operis sui velut interruptum fluuium exiccatum deficientemq́; destitisse, cùm tanta sis amœnitatis cùm perfectus legitur, vt mereticam putes historiam, quippe si Sallustij volumina, Liuij, vel Plinij maioris, siue Ciceronis, cuncta non haberentur, ex eis tamen, qua comperiuntur, legi integre ferè possunt. Quorundam verò authorum scripta sic omnino sunt perdita, ac si eorum exemplaria nunquam in rerum natura constitissent. At quod maius infortunium apud maiores nostros pulcherrimorum operum studiosos fuit, & accipere nos decuit, vt tam excellentis historia, suauissimaq́; orationis, qua velut Amphionis Musa omnes mulcent auditores, vnum omnino extaret exemplar, quod vix à nostris cōpertum per incuriam laceratum, seu vetustate & carie labefactatum excideret. Cæterùm, hanc ex Græcis historiam, præcipueq́; animo considerantibus *primus* (nota lector) *tantùm liber deficere videtur: nam à secundo de Marsya fontis ortu, eoq́; montis acumine pariter incipitur. Quo constat Q. Curtium interpretem fuisse, ipso etiam attestante, se plura transcribere, quàm credere. Est autem is historicus fluidus, ac scatentium fluminum elegantissimus imitator.*

* Imò nec primus totus quorundam iudicio & indicio. Non sequitur, vnum aliquē Græcum scriptorem à Curtio translatū, sed ex omnibus vnā compositam esse historiam.

Guil. Budæi de asse lib. 3.

In ea igitur vrbe, quantas spes Alexander ceperit, verbis ipsius Curtij auctoris tersi & elegantis referemus.

Iusti Lipsij in notis ad lib. 1. Polit.

Sequuntur Scriptores duo velut proprij principum, & assiduè ijs in manu sinuq́; habendi, Q. Curtius, qui me iudice probus est legitimusq́; historicus, si quisquam fuit, mira in sermone eius facilitas, in narrationibus lepor; astrictus idem & profluens; subtilis & clarus; sine cura vlla accuratus: verus in iudicijs, argutus in sententijs, in orationibus mirificè facundus. Quod si varium magis argumentum habuisset; sine dubio varia prudentia eximium magis specimē præbuisset. Sed Alexander quid nisi bella? Hoc de bellis tantum iudicium Lipsij verè Erycius Puteanus refutauit.

Barnabæ Brissonij de reg. Persarum lib. 1.

Ac ne quis me à parum idoneo auctore interpretationem sumptam suspicetur, Curtius hic, ex cuius scriptis toties à me auctoritas in his libris ad faciendam fidem petitur, ijs temporibus vixit, quibus bonas artes & studia literarum floruisse nemo inficiari possit.

Petri Bizari lib. 2. rer. Pers.

A Q. Curtio inter Latinos arguto, eleganti & neruoso scriptore harum cognitio petenda est.

Ioan. Bernartij.

Cæsari comitem do Q. Curtium, quem adeò inter selectos recensere non dubito, vt inter optimos locum illi fidenter tribuam.

Adriani Turnebi l. 13. c. 15.

Nec me ista falsò criminari quis putet, ostendam ego, vt spero elegantissimum & nitidissimum scriptorem Curtium grauiter deliquisse nominis cōmunione & societate deceptum.

Valentis Acidalij Animad. ad lib. 4. Curtij.

De Curtio miror sæpè nonnunquam & indignor, doleo quidem semper, non tam quod ad manus

tius nostras peruenit corruptus sic & vitiosus; haec enim sanè cũ omnibus: nec quod tam ultis locis mutilus, ac lacer, hac eum plerisq; nec quod integru libris & ipsis adeò primis capite truncatus; hac quoq, cum multis cõmunis ipsi fortuna: quã quod nec ortum eius is certò, nec ætatẽ quã vixerit, ac scripserit, scimus vllo modo quã illi tamẽ ipsa fors nõ am omnino sic peculiaris, vt parem socium q, habeat neminẽ: illa aũt vix omnino quem-am calamitas extra Curtium afflixit, vt reliquorũ scriptorum nemo mentionem eius quam, vel vno verbo, certã dico mentionem, & indubitatã faciat. ad vnũ omnibus ta-itibus, quasi de compacto, vt conspirasse videantur ad supprimendũ hominis nomen, ad nam prorsus opprimendã. In hoc quis non indoleat? quis nõ miretur, & indignetur? vi-us ille me hercule scriptor, qui ab omnibus prædicaretur, quẽ penitius & totum noscere-s. Ac laborarũt in eo viri docti sanè multũ, vt quando indicijs & argumentis certis in-uiri nihil potest, coniecturis aliquid sagaciter indagaretur: quorũ nos industriam dili-ntẽ amamus & laudamus, sed hãc ipsam vanã cum omnibus deploramus. Nec diuersas diuersorũ opiniones affero, quia nullã ipse stabilire possum, quod contra possim, si libeat, nes refutare. Hæc Acidalius, qui Rutgersiũ nõdum legerat, nec iste scripserat.

Iacobi Gordoni Chronologi cap. XX. n. 31.

Inter insigniores, qui Latinè scripserunt historiam, merito numerandus Q. Curtius. lectorinter Latinos ordine primus esse potest. De quo tamen vix dum sciri potest, quo uerit tempore, scriptor subtilis & clarus, res gestas Alexandri Magni complexus est. ret initio historia, quod suppleuit Quintianus Stoa Imò Christophorus Bruno.

Ex Ericij Puteani in Q. Curtium præfatione.

Illum tamen historiam, *quia Sallustium, Taeitumq, nuper explicui, in Curtio nunc oq, experiar, digno me hercule auribus omnium & oculis scriptore; qui an facili senten-rum acumine erudiat suauius, an mellitis eloquij illecebris delectet vtilius, iure dubi-. Suo & illius ingenio bonus est quem descripsit, & magnum iterũ fecit quem celebrat. orsus Alexandri famam Curtius sustinet: quidquid narrat, quia post alios, stabiliuit, eateris crederetur, Callisthenis, Aristobulo, Ptolomao, vnus ille fecit; & fidem Graci uenerunt, quia idem stilo argumentum Latinus absoluit. vt liberius aliquid dicam, tam gans prudensq, scriptor mendax esse non potuit, & iam credimus quidquid Arrianus adidit; Curtium secutus est, imo credimus Alexandro nihil difficile fuisse: fieri posse rtius censuit, & ad posteros transmisit. Tria sanè numina in pulcerrimo historia opere detur coluisse: Suadam, Prudentiam, Veritatem; & Suada quidem lenocinio quem non ulceat abripiat q etiam alieno affectu impedimentũ? historia hac Siren est, à qua vinci abduci etiam Homeri sapiens voluisset, iam prudentia dotes quid ni venerer? putes in* Vlysses. *phia domicilio pracepta omnis vita Socratem prafigere. Denique veritatis etiam inte-itas hic relucet, etenim qui tam à libidine fingendi, quam à necessitate abfuit. fallere luit, & iam tum aui sui iudicia vereri poterat, si maiora veris tradidisset; quippe pronis manorum in adulationem, siue Caligula, siue Claudij, siue insequentium animis. Sed in hoc ago, auditores, vt in solo Curtio putetis esse omnia, quia discere omnia in solo Ale-ndro potuit, nec mentiri: laudo vnum, vt ametis omnes. & hunc potissimũ nunc expli-re aggredior, quo libentius omnes perlegatis. Quidquid est historiarũ commendo, cum nc vnã explico, & vt in totã curiosi antiquitatem fitis, Alexandrum repræsento. Nam fectò parum esset Curtium scire, si quis reliquos ignoraret: quemadmodũ angustis ego titibus munus meum circumscriberem, si in aliqua duntaxat historia parte desudarem. otinde si cui fortassis scriptor iste adhuc ignotus est, qui mille sexcentos propemodũ tam nos loquitur, illum ego historia vniuersa & nomine, & officio exetio, vt eommuni vti-tate vnius præstantiam metiatur.* Ergo sub Augusto vixit hæ-ret auctor infrà, & sub Claudio affirmat.

Ex eadem Puteani præfatione.

Ille verò mihi historicus est; ille docendo prudens, narrando elegans, & vt omnia dicã, lexandro dignus. auctorem scriptor æquat. alius vincere orbem terrarum nõ potuit, nec ius ingenij præstantia tanta gloria suffecit. Omnia in Alexandro magna sunt, & nomen quuntur; omnia in Curtio mira sunt, & placẽt omnia. Ille virtute & fortuna cinctus glo-am sequitur, hic Suadã & prudentia stipatus eandem ducit. Iterum vincit orbem A-xandri; scribitur. sed à Curtio scribitur, qui vt optimo atq, eruditissimo æuo vixit, aut ric illi proximo, sic præstare potuit, quod postea nemo assecutus est. Volunt enim nõnulli

Augu-

Augusti temporibus eum floruisse, alij Claudij, quod verisimile, imò verum puto. Praturā quoq; scribente Tacito lib. XI. annal. Principis suffragio assecutus est, cum hisce verbis Tiberius dedecus natalium eius velauisset, Curtius videtur ex se natus. *& quod dedecus? Tacitus obijcit gladiatore genitum quidam prodidère. quid igitur? genitum ad magna. Sed*
,, *ne longior sim, vnius nunc Lipsij è notis ad politica ettabò verba, vt examinem :* Q. Cur-
,, tius probus est legitimusque historicus, si quisquā fuit. Mira in sermone eius fa-
,,' cilitas, in narrationibus lepos; astrictus idem & profluens; subtilis & clarus; sine
,, cura vlla accuratus. verus in indicijs, argutus in sententijs, in orationibus supra
,, quàm dixeris facundus. *quod examinem, nunc additur* : quod si variū argumentum
,, magis habuisset, fallor, aut variæ prudentiæ eximium magis specimen præbu-
,, isset. Sed Alexander, quid nisi bella? *Plenam censuram dicas, nisi amplius ille exigat, qui laudet. Hic verò condit elogium propemodum, vt destruat, quasi ingeniosum iudicium sit, si quid post iudicium reprehendas: Tuis te verbis Lipsi, in sententiam meliorem traham, vt nihil deesse regio scriptori fatearis.* probus est, *ais*, legitimusque historicus, si quisquam fuit. *quasi huic tribuas, quantum vlli datur. omnino. namaut Curtius historia leges impleuit, aut nemo. si impleuit, quid prudentia eximiū magis specimen desideras? pro argumento perfectus est, & illud varium esse quidni dicam? Alexander fecit. imò esse, narratio ostendet. Bella geruntur. fateor, sed in quibus amplius quàm bella. cum vniuerso pæne terrarum orbe negotium est. ducem siue milites respicias, rerum varietas est. ille quantum deuicit, rexit quoq; nec minus iure quam armis vsus est. viribus parari prouincias, iure retineri egregiè ostendit. Quidquid respub. habet in exercitu hoc inuenies. militem velut ciuem, nunc promptum, nunc querulum, aut seditiosum, semper fortem Sic vt alios subiugaret, suos interdum vincere rex debuit. suos prudentia, cōsilio, astu, ac magnitudine animi, in ordinem redegit atq; cōpescuit; hostes robore, industria, celeritate, audacia, & vincendi quodam fato superauit. quicquid cohortes & phalanges in barbaros potuerunt, solus in suos interdum Alexander executus est, & quos duceret, sibi vindicauit. Quid dicam? pugnauit & ius dixit, ducem & regem egit, nunc telo & ense, nunc sceptro pacisq; habitu insignis. Mitto fraudes, delationes, conspirationes, quas vt detegeret, eluderet, puniret, prudentissimus esse debuit. Nam circa principem vnum tot belli duces, & præfecti occultis odijs dissidentes & inuicem suspecti, quam nō inuidia simulationem, insidiarum scenam instruunt? vt in ipso honore & munere infælices sint, oderunt quem benignior fortuna euexit altius & propiorem regi fecit. metuunt alij, quem ne parem habeāt, malis artibus coguntur reprimere. Hæc aulæ prælia sunt, & quia in conspectu regis, silentio vigent, & ingeniosa improbitate teguntur. Interim malitia scintilla interdum prosiliunt, quæ vt noceant, nec imputentur, falli rex ipse debet, & noua calliditate aduersarij deludi. Illud obtinet; doli non doli sunt, nisi astu colas. texuntur fraudes fraudibus & im ostura, simulatione tecta, honestum scelus facit, cum abscondi potest. Qui vultu blandi animo hostes sunt, ad iniuriam inferendam solertes & ingeniosi, ad depellendam cauti callidiq;, sic priuata odia cum nimis prosperè succedunt, in ipsum sæpe principē prorumpunt. Et ille insidijs circumseptus, vbi tutū se existimat, perit facilius & fortuna trahente præcipitatur. Sanè qui in multos iniquus fuit, audebit & regem petere, cùm audaciā familiaritas fecit, & sæpè vt timor conscientiam, pœna scelera subducat, imperium affectabit. Exemplum in Dario habemus, quem vt Alexander debellaret, Bessus & Nabarzanes pessima mancipia aureis cōpedibus vinciunt, ac tandem vt parricidio reges essent, multis funeribus confodiunt. Quid Alexander? potuit in tanto hoste fortunæ inconstantiam insidiasq; amicorum discere, sed quia Iouis haberi filius voluit, homines contempsit, & cum victo orbi fata ordinaret, veneno extinctus est. Nam in conuiuio apud Thessalum medicū Herculis scypho epoto repente velut telo confixus ingemuit. Amici causam morbi, intemperiem ebrietatis diuulgarunt, reuera autem insidiæ fuerunt, quarum infamiam successorum potentia oppressit Antipater fuit, qui venenum præparauit, & vt tota progenie nefarius esset, ad tantum scelus filiorum opera vsus est. Hæc cum ita sint, quis varium adhuc argumentum requirat? varium quia Alexandrum descripsit Curtius habuit. & sic variæ prudentiæ specimen quoque præbuit, atque elegantissimè vestiuit.*

Ex eadem.

Sed vt concedam tamen, esse in Curtio, quod reprehendi possit, minorem faciam, vt magis etiam laudem. Mutilus & ἀκέφαλος *est, ac frustra infeliciterq; conatus Alexandrū*

nobis

bis æternum facere, qui ipse parte sui deficit. Truncũ corporis nemo, aut perfectum, aut rmosum dixerit: hac autem infelicitate laborat Curtius; ingeniosus ne placeret tamen; gans, vt vulnera præferret. etenim quantum scripsit devenare ad nos vsq; non potuit: tanquam maius viribus opus aggressus tempori succubuit. Quid dicam? commune hoc iptorum penè omnium factum est, & frustra in vno aliquo, iniquè etiam in Curtio accusamus. Quot historici (ac de Latinis iam loquor) quorum solum nomen, aut vt felices huc sint, fragmenta aliquot supersunt? ipse Crispus

Primus Romana Crispus in historia perijt, vbi primus fuit in Catilina & Iugurtha agnitudinis suæ vmbram duntaxat ostentans. Liuius; cùm enim CXL. *scripsisset libros, x trientem sibi operis vindicat. Et Tacitus, tanta olim cura ac gloria bibliothecis omnius inferius, integer tamen seruari non potuit. Frustra cæteros recenseo Curtius vt omnes vinceret perfectissimus perennauit; & vt antiquitatis fide commendaretur, omnem itare iniuriam temporis non debuit. In octo adhuc libris superstes est, qui decem conferat: eùm totum destruere ætas non posset, parte & exigua imminuit, impetum in prios duos fecit libros, vt seruaret reliquos, amplius destruere verita est, & quia vlterius eere non potuit, præstantissimo operi pepercit.* Quæ sequuntur, in Puteani præfatione iam sunt recitata, secundum quæ subiungit: *Sed ego nunc iuuentutem alloquor, æ nisi regium hunc assumat animum & historiam æstimet, ad nullam vnquam præclavitæ maturitatem excrescet: nisi peculiari studio Curtium euoluat, frustra in reliquis riosum discendi desiderium conabitur explere. cibus alibi. hic verò deliciæ sunt: doctri alibi, hic voluptas iungitur, vt discere & audire vnusquisque velit, amænitate proeatur.*

Ex eadem.

Ad historiam ite: Curtium admittite, ve omnia habeatis. Hic ille, auditores, ingenium iusq; acuet; subtilissimus scriptor est: iudicium roborabit; prudentissimus est: linguam polies; facundissimus est. Etenim qua verborum sententiarumq; solertia inuentioni ffecit, ea maturitate momenta rerum ponderat & eloquentia proponit. Quia igitur gutum esse, prudentem esse, disertum esse, omnis doctrinæ summa est, quid adijcere innio, iudicio, linguæ oporteat, Curtius imprimis docet.

Ex Bartholomæi Merulæ epistola Curtio præfixa.

Tum de imperatoria virtute vltro citroque multa verba fecimus. Alexandrumq; illm Macedonem qui rerum gestarum gloria Magni cognomen sibi vendicauit, iudicio annibalis ducibus cunctis præferendum arbitrati sumus. siquidem in eo fuisse collegius quatuor illa, quæ in cõsummatissimo Imperatore nõ desiderari scripsere eloquentissi viri; scientiam scilicet rei militaris, virtutem, auctoritatem, ac felicitatem, cumq; us res gestas à Q. Curtio elegantissimè conscriptas tibi breuiter exposuissem, exarsisti credibili quadam cupidine legendi luculentissimi scriptoris historiã. Cæterum quoniã eo loca multa deprauata offenderas, iniunxisti eu mihi, vt opus totum recognoscerem, diligenter emendarem. Quod eo libentius feci, quod tibi ille est non modò voluptatem, d etiam doctrinam allaturus non mediocrem. Est enim Q. Curtius in scribendo acutus, ehemens, candidus, ac perquam eloquens: in concionibus enim, quas crebro reperies, uantum ille ingenio & eloquentia valuerit, facilè cognosces.

Ex Famiano Strada lib. 2. prolus. 3.

At Q. Curtio, quanquam ijs virtutibus exornato, quibus constet aut heroicis eum mporibus vixisse, aut dignum fuisse qui viueret, non defuere, qui obijcerent quæsita inrdum medicamenta candoris, & numerorum vsum paulò intemperatiorem.

Nicolai Caussini de Curtio iudicium. De adminiculis eloquentiæ l. 3. XIV.

Q. Curtius medium quoddam iter sequutus, magnam styli salubritatem consecutus est lam ita dilucidè narrat, vt amnem sine salebris fluere credas, & tantis præterea veneris orationem perfundit, vt nõ mediocriter lectores, & amatores suos oblectet Concionem autem habet tam argutas, & suaues, vt Herodoto, & Xenophonti nihilo videatur inferior.

Testi-



Testimonium ex antiquioribus nullum legi, nullum, quod equidem non possum, non mirari & demirari.

CAPVT III.

Quot libris historiam absoluerit Q. Curtius. De variis eiusdem exemplaribus editis, ineditis, cum notis, animaduersionibus, phrasiologiis, supplementis, synopsibus, argumentis.



Lerique omnes hodie scriptores decem libris historiam Curtij circumscribunt, è quibus priores duos aiunt desiderari, octo nec tamen ipsos integros extare, finem deesse quinto, & principium sexto, multas etiam in decimo passim lacunas apparere. Itaque quæ hodie in Curtio leguntur, octo duntaxat libris continentur, ita, vt a tertio ad decimum progrediantur. Henricus Glareanus non inceleber æuo priore auctor, nec hodie contemnendus, quamuis ab nonnullis sæpè explosus, non minùs ipsis subinde explodendis. nam ita fieri amat, & iusta quidem trutina libræ, vt qui ex aliena infamia famam sibi colligere student, ipsi vicissim patiantur, quod irrogant aliis. Errauit Glareanus, mirum hoc? homo fuit. mirùs si nunquam errasset. tun' ergo Deus? errantem doceres, sed sine sannis, ne te postica sequatur. Hic inquam Glareanus duodecim libros Curtij recenset, primos duos aliorum supplementis resarcit, reliquos in decem digerit, lacunas sub finem recurrêtes aliunde supplet: quartum diuidit, & quintum ab illis verbis Curtij inchoat: *Aegyptij olim Persarum opibus infensi*, & quæ sequuntur, vbi in nostra editione caput XX. libri quarti incipit. Sequentia inde capita, quæ sunt octodecim, libro quinto assignat, quem in octauodecimo nobiscum finit. Sexti inde ducit initium, vnde plerique omnes quintum auspicantur: *Quæ interim ductu*, &c. quem cum Iustini fragmento ex XI. claudit. Alij his vltimis Curtij verbis *abacta esse semiuiui*, nihil addunt quinto, cuius finis desideratur. Sexti principium in vulgaribus deest, quod Glareanus in septimo quinque versibus explet: sed orationem cum verbis Curtij malè connectit. Deinceps eisdem finibus circumscribit septimum, octauum, nonum, decimum, quibus alij sextum, septimum, octauum, nonum definiunt. Decimum verò in vndecimum, & duodecimum partitur, multaque passim assumenta interserit, hoc tamen bona fide, quod aliena signis parentheseos claudat. hac in re nullum sequitur ducem Glareanus, nullum exemplar scriptum Curtij, nullas membranas, suo duntaxat iudicio vsus, nisi quod Diodorus Siculus res ab Alexandro gestas in duodecim annos habita temporum ratione digesserit, & Laurentius Valla ex X. Curtij locum addacat, qui in vulgaribus libro IX. legitur. Iuuabit audire ipsum Glareanum: *Q. Curtium suauissimum, ac facundissimum authorem multis mendis purgatum, ac in iustum librorum ordinem redactum tuo nomine publicamus. In quo mirum est, tantum fortunam potuisse. libri aliquot perditi, bini nonnunquam in vnum congesti fragmenta etiam malè coadunata. Ea omnia quantum fieri potuit, ac decuit, magno labore restituimus; quod optimus quisq. lector, simul atq. hac nostra cum alys editionibus, antea in publicum emissis contulerit, facilè iudicabit.* Et in fine epistolæ: *Non dubito, candidi lectores, multos mihi renisuros, obloquuturosq., quod vulgatum librorum ordinem in Curtio, mutare ausus fuerim. quasi periculum sit, quod scioli & ignaui corruptum est, si id bona fide restituamus. Et quasi non idem in alys authoribus tam pridem hoc eruditissimi viri facere non erubuerint: sed non absque causa: vt in Columelli libris vbi tertius vulgo creditus, loco motus totum mutauit ordinem: in Gelly item*

Præfatione annotationũ p. 9.

Epistola ad Lectores.

m libris idem factum, quanquam non magna illuc vrgente causa. Quod si quis Desi. E-'mum mihi obijciat ac Huttenum, qui eundem librorum numerũ, vt erat permiserint; ilis est responsio: quis enim melius hoc quàm ego noui? qui cum ijs tum Basileæ vixi, àm leui brachio id tum vterq; egerint. certè Laurentius Valla cum vulgatum ordinem uatur, capite tamen vltimo libri sexti elegantiarum, semel decimum citat librum, emadmodum nos hic constituimus; vt saltem hac parte habeam adstipulatorem. Hæc areanus, qui locum hunc vnicum Vallę pro se laudat, tabulas alias, aut mem. inas an vllas viderit ignoro. ego manu exarata Curtij exemplaria tria nactus m; è Constantiensi patrum Canonicorum bibliotheca vnum in charta per-iptum, sed ab rudi manu sine epigraphe cœptum: in fine tamen tertij, qui m vulgaribus consentit, hæc annexa sunt verba:

Q. CVRTII RVFI HISTORIARVM LIBER III. EXPLICIT, INCIPIT LIBER IV.

Darius tanti. & quæ etiam in vulgatis ordine sequuntur. Sed in codice hoc onstantiensi totus decimus deest cum fine noni. Vltima verba sunt: *Barbaris, id temeritas erat, fiduciã esse.....* Inter Serenissimi Boiorum Principis, Imperij Se-:m viri Maximiliani libros duo fuere manuscripti * in eleganti membrana, ganti charactere maiori forma descripti, quorum minor multis locis indi nctus libros plures confundit, & vbi nouus inchoat, nulla vsquam epigra-e aut inscriptio. Hoc tamen, mirum dictu, quodque Glareano suffragatur in e totins codicis hæc verba cognoscuntur: *Q. Curtij Rufi historiarum Alexan- duodecimus & vltimus liber explicit, millesimo quadringentesimo quinquagesimo to, die decimo mensis Iulij.*

* Iam Romam translati.

[n eodem codice, qui in editis est tertius, collocatur secundus, & incipit, *Da-s tanti modò exercitus rex.* Sed numerus ad oram duntaxat est adscriptus, in ntextu nulla est paragraphus. Qui deinceps in procusis est quintus, est illi artus, nec inde vlla distinctio vsque ad librum, qui vulgo est septimus. in S. nullus numerus signatur, vti nec in sequenti, qui in editis est octauus. nec nus habet, nisi initium per paragraphum nouam. Sequitur in MS. vltimus e epigraphe, quæ in vulgaris est libri decimi. & nihilominus in fine decimi, i plenus est lacunis, sequitur quod dixi: *Duodecimus & vltimus liber explicit.* Iam aliter Bauaricus in charta pergamena exaratus nobilior & elegantior ero, totus decem libris absoluitur, & aliter quàm omnes alij distinctus est, : plus, nec minus quàm ediri complectitur. Primus hanc habet inscriptio-m:

Q. CVRTII RVFI HISTORIARVM ALEXANDRI MAGNI MACEDONIS FRAGMENTVM PRIMI LIBRI INCIPIT.

Inter hæc, &c. Vt alij vulgares. Angelus Decembrius supra laudatus existima- primum tantum librum desiderari. hic codex nec primum quidem totum. tium est idem quod præferunt vulgati. secundus inde inchoat, vnde editi arto dant initium. epigraphe:

Ab Ianonezio Manetto acceptus

Q. CVRTII RVFI HISTORIARVM ALEXANDRI MAGNI MACEDONIS LIBER PRIMVS EXPLICIT, INCIPIT SECVNDVS.

Darius tanti modò exercitus. Deinde tertius cum inscriptione sequitur: cuius tium est: *Quæ interim ductu imperioq; Alexandri,* quod vulgo initium est quin- Quartus & quintus deinceps nullus, nisi quod in ora ad finem tertij hæc le-itur: *Hic deficit finis quinti libri, & principium sexti.* cùm tamen quintum non uerit, sed tertium, quartum, & quintum inter se confuderit. Septimus in o-ibus editis & vulgatis consentit, eandemque habet inscriptionem. Octauus, nus, decimus, interuallis quidem & paragraphis inter se distinguuntur, sed e epigraphe.

De varia porrò membranarum & chartarum scriptura suo loco; vbi vel nsentiunt cum vulgatis, vel dissentiunt, in commentarijs lectorem admo-nimus, quamuis non potuerim totos recognoscere manibus antea subdu-s.

Hunc Glareani ordinem & partitionem in duodecim libros, nemo quod sciam postea secutus est, nec quisquam ante Glareanum obseruauit, nisi fortasse Vallæ auctoritas incerta quempiam moueat, quod è decimo locum adduxerit, qui in vulgatis est in nono. Sed fieri potuit, vt duos postremos Valla iungeret, quod postremus integer non extaret. Nec vnius MS. passim malè distincti, & lacunosi videtur habenda ratio. Nos certè decem libris Curtij historiam conscriptam iudicamus, ne frustra contra torrentem auctorum & omnium temporum niti videamur. ex his octo hodie magno iuuentutis commodo legi, duos desiderari videmus.

Iam Hadrianus Iunius suum Curtium ad exemplar MS. Schænhouianum castigauit, & Franciscus Modius ad Sigebergense, ad quæ subinde nos quoque ex illorum fide accurremus, & cum nostris componemus. Atque hoc iam de numero librorum. Editiones porrò multis modis inter se discrepant: primæ quæque & antiquissimæ sine supplementis, argumentis, capitibus, indistinctæ & confusæ prodierunt, nisi quod vt dixi, vel in octo, vel decem, vel duodecim libros sint dispertitæ. Primus ante annos amplius centum Erasmus octo suis Curtianis voluminibus ad quædam verba illustranda annotationes adiecit: quibus Huldaricus Huttenus selectos elegantiarum flores succenturiauit. Secutus est Christophorus Bruno, qui duorum primorum librorum supplementa ex Arriano, Diodoro & Iustino confecit, aliasque lacunas identidem occurrentes de suo, vel Iustino expleuit: quorum tamen aliqui Quintianum Stoam falsò credidêre & scripsêre auctorem. Glareanus præterea paullò pleniores annotationes in duodecim libros, quos ipse partitus est, elucubrauit, singulos libros argumentis illustrauit. In eadem Glareani editione præter Brunonis supplementa totus ex Arriano primus est adiunctus, & duo primi Alexandri regnantis anni ex Diodoro. Vita denique Alexandri compendio scripta ab Ioanne Zonata: Nec non Alexandri epistola vel potius fabula ad Aristotelem. Tandem Franciscus Modius reiectis omnibus supplementis, argumentis, phrasiologijs purum putum Curtium octo libris distinctum orbi reddidit, & notis varijsque lectionibus pro suo modo instruxit, quem Valens Acidalius vir sanè emunctæ naris (qui tamen subinde plus æquo naribus vncis indulget) plurimis locis castigauit. Postremò nos eundem Modium & Acidalium ad examen cum Glareano vocauimus, & suum cuique ius tribuimus, potissimum tamen Acidalij iudicium crisin & censuram in varia scriptura secuti. Docendi etiam caussa Curtium in sua capita distinximus argumentis explanata, & pro supplementis synopses breuissimas omnibus libris præmisimus, etiam primis duobus. atque hæc omnia in antecessum. Venit postea ad manus meas editio Coloniensis apud Allobrogas cum breuiariis librorum, & sententiis gnomicis & politicis ad oras minimè ingratis lectori futuris; quanquam subinde peccatum sit in breuiariis, cui
Lib. 10. p. 451. rei testis locus ille: *Cleander & alij duces veniam impetrant.* non hoc dixit Curtius, venia donatum Cleandrum & Sitalcem, fuerunt enim interfecti postea, vt ex aliis ostendi potest. Et in ora ad illa verba: Rex cognita causa, *Dat veniam scelerum auctoribus humana censura, sed vexat & opprimit scelerum ministros*, falsum & hoc. mens & sensus Curtii est, scelerum ministros statim interfectos, duces in vincula ductos postea dignas sceleribus pœnas dedisse. Iustinus testatur: *Huc accedebant ante paucos dies supplicia in præfectos deuictarum nationum crudeliter habita.*
Arrian. pag. 142. Arrianus vtrumq; nominatim interfectū docet his verbis: Κλέανδρός τε καὶ Σιτάλκης, καὶ Ἡράκων, τὴν πολλὴν τῆς στρατιᾶς καὶ οὗτοί γε ἄγοντες. τοὺς μὲν δὴ ἀμφὶ Κλέανδρόν τε καὶ Σιτάλκην, πολλὰ ἐπικληθέντων αὐτοῖς τῶν τε ἐγχωρίων καὶ τῆς στρατιᾶς αὐτῆς ὡς ἱερά τε πρὸς αὐτῶν σεσυλημένα, καὶ θήκας παλαιὰς κεκινημένας, καὶ ἄλλα ἄδικα ἔργα ἐς τοὺς ὑπηκόους τετολμημένα καὶ ἀτάσθαλα· ταῦτα ὡς ἐξηγγέλθη, τοὺς μὲν ἀπέκτεινεν, ὡς καὶ τοῖς ἄλλοις δέος εἶναι, ὅσοι σατράπαι ἢ ὕπαρχοι ἢ νομάρχαι ἀπολείποιντο τὰ ἴσα ἐκείνοις πλημμελοῦντας πείσεσθαι. *Cleander, Sitalces, & Heracon, magnam & ipsi exercitus partem ducentes; è quibus Cleandrum & Sitalcem accusatos ab indigenis pariter atque exercitu ipso, quod templa spoliassent, veteraq́. monimenta mouissent, multaq́. alia in subditos improbè atque auarè perpetrassent: quæ, vt nunciata sunt, necari eos iussit, vt & reli-*

liqui satrapæ, aut præsides, aut principes, qui ijs in locis constituerentur, metuerent, si fictum non fecissent, sese eodem supplicio affectum iri.

CAPVT IV.

Qui alij res ab Alexandro Magno gestas composuerint.



ANDARVNT literis illius expeditiones & bella, reges, principes, philosophi, rhetores, poëtæ Græci, Latini. Ptolomæus Lago natus Aegypti rex & comes Alexandri, Aristobulus & ille inter nobiles Alexandri commilitones, Callisthenes Aristotelis auditor & condiscipulus Alexandri, vocatus ab eodem ad castra, vt res eius memoriæ proderet, occisus postea ab eodem, & ipse antè præsens omniumque conscius, & spectator & testis, qui (vt est lib. 4. apud Arrianum) Alexanum, eiusque facta omnia suis scriptis inferiora censuit, & parum modestè ipsit. Legerunt hunc nonnulli hodie MS. & quædam ex illo pro testimonio duxerunt. Ex quo infra lib. 4. certum locum Polybij proferemus. Aiunt in iticana Romæ, in regia Galliæ Parisijs, Florentiæ in Medicæa, hunc Callisthem seruari: sed ego quod sentio publicè testor; verum & germanum Callienem, comitem Alexandri Magni, hodie nusquam extare: illum certè Lutenum non esse, nisi personatum, & asinum sub leonis pelle latentem, spuim, & falsum affirmauit Ducæus, quem per literas fatigaram, vt exemplar hi transcribi curaret, *Addimus etiam*, inquit, *initium Callisthenis illius τοῦ νομιζοου, vt ex vngue leonem cognoscas, vel potius asinum sub leonis pelle latentem, aut faln Callisthenem veri Callisthenis titulo insignitum. Caue enim putes vel Dominum Ritium vllo modo infensum tibi fuisse, vel alia de causa remoram nobis obiectam, quàm id sciremus, ab aliquot viris doctis tentatum fuisse hoc opus, vt latinitate nimirum aretur hæc historia, sed ab ea penitus abstinuisse illos, cùm nihil aliud esse deprehenent, quam fictam narrationem, similem illis quas Romanas vulgo vocant, Amadisij sct Galli, vel Rolandi furiosi commenta, neque iudicassens vnguentum in lente ponenn. Ac si quidem extaret verus Callisthenes à Plutarcho citatus, vsui tibi esse posset nmentarios in Curtium molienti, sed hic si pro vero historico admittatur, Curtium ulosum esse narratorem necesse est.* Initium porrò pseudo-Callisthenis, hoc

ΚΑΛΛΙΣΘΕΝΗΣ ΙΣΤΟΡΙΟΓΡΑΦΟΣ 'Ο ΤΑ ΠΕΡΙ ΤΩΝ 'ΕΛΛΗΝΩΝ
συγγραψάμενος οὗτος ἱστορεῖ Ἀλεξάνδρου τὰς πράξεις.

ΑΡΙΣΤΟΣ δοκεῖ γεγονέναι καὶ γενναιότατος Ἀλέξανδρος ὁ Μακεδὼν ἰδίως πάντα ποιησάμενος· τοῦτον ἐν ἑκάστῳ τῶν ἐθνῶν πολεμῶν καὶ μαχόμενος περιῆγε χρόνον ὅσον οὐκ ἀρκεῖ τοῖς βουλομένοις τὰς πόλεις ἱστορῆσαι.

καὶ μετ' ὀλίγον.

Ἀπατῶνται γὰρ οἱ πολλοὶ λέγοντες αὐτὸν εἶναι τοῦ βασιλέως Φιλίππου υἱόν, οὐκ ἀληθὲς δὲ τοῦτο, οὐ γὰρ ἐκείνου ἦν παῖς, ἀλλὰ τοῦ Νεκτανεβῶ λέγουσι τοῦτον εἶναι οἱ σοφώτατοι τῶν Αἰγυπτίων, ὅτι τῆς βασιλικῆς τιμῆς ἐξέπεσεν οὗτος ὁ Νεκτανεβὼ τῇ μαγικῇ τέχνῃ ἔμπειρος ἦν καὶ τῇ δυνάμει ταύτῃ χρώμενος, ρων τῶν ἐθνῶν τῇ μαγείᾳ περιγενόμενος εἰρηνικῶς διῆγεν.

CALLISTHENES HISTORIOGRAPHVS DE

Græcis scripsit. Hic res Alexandri narrat.

Optimè natus, & generosissimam indolem fortitus videtur Alexander Macedo singulari quodam modo nihil non executus. Tam breui tempore singulas gentes adijt & expugnauit, vt id vix sufficere videatur tantum ciuitates enumerare conaturis.

Et post pauca.

Multi falluntur, qui illum tradunt Philippo rege natum, quod falsum est; neque enim illius erat filius, sed Nectanebonis (vt sapientissimi Aegyptiorum affirmant) postquam is regno pulsus est. Hic Nectanebus artis magicæ peritus erat, cuius vi omniumgentium victor quietus vixit. Hæc pseudo Callisthenes, sed quomodo omnium gentium victor in otio vixit, si regno excidit? meræ fabulæ.

Fuit & alius Callisthenes historicus antiquior, de quo in Olympiadum anagrapha, Olymp. 98. anno 2. & 105. anno 4. Iam Arrianus solam hanc suo ingenio & fortuna dignam putauit historiam. Alter Arrianus epopœus apud Suidam, qui libros quatuor & viginti carmine de Alexandri rebus composuit. Chares historicus à Plutarcho, Athenæo, Hecatæus etiam & Onesicritus & Duris; Eratosthenes Polycritus item & Antigenes, Hister, Anticlides, Philon Thebanus, Philippus, Isangelus, Appion apud Gellium lib. 6. c. 8. nominatur, & Aesopus Græcus auctor vitæ Alexandri, & illius interpres nescio quis Iulius Valerius, à Francisco Iureto in notis ad Symmachum laudatus, plenus fabulis & monstris fabularum, cuius si non verba, certè fabulas ad manum habemus, & miramur à tam multis in historias insertum, de quo infra iudicium Acidalij leges. Amyntianus scripsit volumen de laudibus Alexandri Magni, Marco Antonino dedicatum. plura de hoc Photius. n. 130. p. 118. lat. 166. Græca. Archelaus, vt author est Laërtius, omnem terram ab Alexandro peragratam descripsit. Beton seu Bæton & Diognetus à Plinio celebrantur mensores itinerum Alexandri. Strabo integrum Commentarium scripsit de rebus Alexandri. Anaximenes Biographus Alexandri, teste Pausania Eliacis, quem Harpocratio laudat. τῶ̃ ἱστορῶ̃ περὶ Ἀλέξανδρον. Ephippus de morte, vt Athenæus tradit, Eumenes & Diodorus scripsere ephemerides Alexandri. Chærilus præterea carmine malo pessimè tractauit res Alexandri Magni, de quo multa Horatius, Lilius Gyraldus, & nos in Commentarijs fanè quàm lepida & iucunda de pactis Alexandri, & Chærili, de iudicio Horatij, & alijs haud paucis, deque pluribus Chærilis. Scripsit & Hages seu Agis non melior ferè Chærilo, vt Curtius indicat, vates, qui Alexandrum pessimis moribus corrupit. Cecinit & Helymon vtroque deterior res Alexandri, quem idem rex in cauea mori coëgit, ausum tentare tanti regis opera vires eius superantia. Aggressus & alius poëta facta Alexandri, qui ipsius poëma sparsit in flumen, ipsum poëtam mersurus, si ad manum fuisset. Adde Clitarchũ, & Timagenem, quos lib. 9. adducit etiam Curtius: de vtroq; vide iudicium Quintiliani lib. 10. Phylarchum, Agatharchidẽ, Hegesandrum, Clearchum. Scripsere Strabo Aristoxenus apud Plutarchum, Aristus & Asclepiades apud Arrianum, qui tradiderunt, missos etiam à Romanis legatos ad Alexandrum. Trogus Pompeius quem Augusti & Tiberij æuo tradunt vixisse, xi. & xii. libros Alexandri rebus dedicauit, vti & Iustinus Trogi syntomista. Varro historicus epitomen rerum Alexandri composuit. Q. Curtius nemini Græcorum concedit, neque eloquentiæ laude, neq; ingenij vi, neque sententiarum neruis & robore orationis. Secutus est Plutarchus & nobilis Stoicus & eruditionis gloria laudatissimus, & Traiani magisterio nõ minus clarus. Eodem æuo de virtutib. Alexandri scripsit λόγους ἢ octo orationes Dio Chrysostomus Brusæus Traiano percharus. Iam alios atque alios, qui in perpetua temporum serie Alexandrum celebrant, omitto, Paulum inquam Orosium, Eusebium, Zonaram, Cedrenum, Glycam, Constant. Manassen.

Athen. p. 46.

Arrian. p. 158.

Q. Curtium affirmant nonnulli à VVolfg. Lazio integrum repertum, non aliunde

li unde resartum; quod si verum, doleo non fuisse cum reliquo orbe & posteritate communicatum: sed nulla de Lazio Viennensi fides. In Cæsarea certè bibliotheca Viennæ nihil horum reperiri affirmant librorum custodes, & inter hos primus & nobilissimus doctissimusque vir D. Teinagl. Abrahamus Aben Phareg Msuli Arabica lingua historiam Alexandri M. contexuit, extat MS. *ἀντὶς* tamen, in bibliotheca Bauarica. Galterus Belga Insulis natus Alexandreida carmine cecinit heroo, poëta suis temporibus conueniens vixit anno Christi 1160. De hoc ita Trithemius: *Galtherus dictus de Castellione, oriundus autem ex Insulis oppido Flandriæ vir in diuinis Scripturis studiosus & eruditus atque in secularibus literis egregiè doctus, philosophus, poeta & Theologus clarissimus, ingenio subtilis, sermone scholasticus, metro valde promptus & peritus. Scripsit eleganti carmine gesta Alexandri M. opus profectò non abyciendum, quod tantæ auctoritatis in scholis grammaticorum antiquitus fuit, vt pro ipso veterum poetarum lectio neglecta videretur. Sed & alia multa composuit, quæ ad me non venerunt.* Catal. Illustr. viro. p. 141. Laudatur & Eusebius quidam auctor vitæ Alexandri M. quem patria lingua translatum vidi, & legi plenum fabulis & nugis: interpres est Hartliebus Boius, qui Serenifs. Boiorum principibus suam interpretationem dedicauit. Hunc eundem Aesopo illi non Phrygi, sed magis etiam fabuloso deprehendi: vulgo, historia Alexandri M. inscribitur. Iulius Valerius interpres Æsopi huius, de quo iudicium Acidalij accipe. *Prius Aesopi nescio an fabellæ attendamus. Exponit hæc ita Iulius ille nescio qui Valerius, Videt (Alexander) sibi assistentes, habitu barbaros viros, percontatusque cognoscit esse Dary Satrapas, causamque duentus esse, quod ex more regio petitum pecunias à Philippo venissent, pretium scilicet quæ & terræ, his enim nominibus subiectos obsequi sibi Persæ iubebant. Miratus igitur Alexander & petendi morem & titulū, Haeccine, inquit, elementa Persæ mortalibus venditant? quæ cunctis Deus in commune largitus est. Egregiè: eequis auctore tanto vicisse non assentiatur? Ille tamen haud contentus etiam corollarium addit, aut nostri consuetudinem in Feudis, quæ simulis inde adeò ad nos durarit. Suaue illud: in quo risum tamen ego meo, pertinere ad id, de quo egimus ferio, ac seuere nego. Ἀπροσδιόνυσον est: quod si neque it, probat tamen omnino nihil. Atqui de Aesopi iam testimonio quid dicam? Nihil nisi auctoritatem eius apud me tantundem, ac Valerij valere. Valeant vterque, & vnde venerunt eant, quærant etiā quibus persuadeant: apud me fidem non inuenerunt. Nec puto quisquam cordatus erit, alicuius qui ponderis habeat, quod incerta, ignota quidem fidei, incertique ipsi ignotique dicunt.*

Ex hac hausere fabulas & monstra sua fabularum Vincentius Bellouacensis in speculo exemplorum, Vrspergensis, ex quo tamen sunt à posteris deletæ, & alij. Ex omni temporum iniquitate eluctati Callisthenes ineditus, si tamen alibi germanus & sincerus. Ego nusquam extare credo, nec Romæ, nec Florentiæ, nec Lutetiæ, vtinam fallar, Diodorus Siculus, Plutarchus, Arrianus, Suidas, Lycas, Zonaras, Cedrenus, Elatinis Curtius, nec fine clade, capite diminutus & *ἀκέφαλος*, Iustinus, Gualterus, Volaterranus. Scripsere annotationes, animaduersiones, varias lectiones, Henricus Glareanus, Franciscus Modius, Valens Acidalius, qui leguntur hodie, & hodie propè prodierunt, quos nostri commentarij sequentur. Non immeritò ergo sudauit Cupressinus apud Libethra Orpheus, si præsensit tam varios & multos in rebus Alexandri enarrandis desudaturos.

Syllabus eorundem Scriptorum rerum ab Alexandro M. gestarum ordine elementorum compositus.

* Abrahamus Aben Phareg Msuli lingua Arabica extat MS. in Bauarica Bibliotheca.
* Æsopus non Phryx, sed Phryge fabulosior, cuius interpres Iulius Valerius.

Agatharchides.	Antigenes.
Agis seu Hages p.	Antisthenes.
Amyntianus.	Appion Polyhistor.
Anaximenes.	Archelaus.
Anticlides.	Aristobulus.

Ariſtoxenus.
Ariſtus apud Arrianum in VII.p.158.
* Arrianus hiſtoricus.
Arrianus epopeius qui 24. libros carmine ſcripſit de Alexandro M. Alexandreida.
Aſclepiades in VII. apud Arrianum.
Bæton, ſeu Beton.
* Calliſthenes MS. ſi tamen verus & non perſonatus.
* Cedrenus.
Chares.
Chærilus poëta.
Clemens poëta iudicio Apuleij I. Florid. eruditiſſimus & ſuauiſſimus.
Clitarchus.
* Conſtantinus Manaſſes breuiſſimè.
* Dexippus ἐν ἐπιτομῇ apud Scaligerum extat in theſauro Euſebiano.
* Dio Chryſoſtomus.
* Diodorus Siculus.
Diodotus Erythræus.
Diognetus.
Duris.
Ephippus Olynthius.
Epiſtolæ Alexandri.
Eratoſthenes.
Eumenes Cardianus.
* Euſebius fabuloſus idem Aeſopo non Phrygi.
* Gualterus Belga poëta.
* Glycas.
Hages, ſeu Agis p.
Harpocratio.
Hecatæus Eretrienſis.
Hegeſander.
Hegeſias Magnes, & fragmētum apud Halicarnaſſeum rhetorem.
Helymon p.
Hermippus apud Plutarchum.
Hiſter.
* Hiſtoria Alexandri, Anonymi fabuloſa, vt dixi in Æſopo & Euſebio.
Itinerarium Alexandri M. apud Strabonem & alios laudatum ὁδοιπορικόν.
Iulius Valerius fabuloſus Æſopus.
* Iuſtinus.
Menechmus Sicyonius.
Nymphis Heracleotes.
* Olympiadum deſcriptio in qua quid ſingulis annis geſſerit Alexander deſcribitur.
Oneſicritus.
* Paulus Oroſius.
Petrus Teixeira nobilis Luſitanus de regibus Perſarum in ſuo Itinerario.
Philippus Chalcidenſis.
Philippus Iſangelus.
Philo Thebanus.
Phylarchus.
Pindarus, vt eſt apud Halicarnaſſ. rhet. p.179. ſed eſt Pindarus poſterior ἀντίθεος, (προτέρου.
* Plutarchus.
Polycletus Lariſſæus apud Athenæum.
Polycritus.
Potamon Mitylenæus.
Ptolemæus Lagi F.
* Q. Curtius.
Sopater apud Photium p.130.
Sotericus Aſites.
Strabo.
* Snidas.
Tarik Mircond in hiſtoria Perſica.
Timagenes.
Trogus Pompeius.
Volateranus.
* Zonaras.
Stellati extant, vel ſcripti, vel impreſſi.

Multa præterea de Alexandro paſſim Polybius, Strabo, Plinius, Val. Maximus, Pauſanias, Ælianus, Polyænus, Athenæus, alij. Leguntur & epiſtolæ quædam Alexandri ad Ariſtotelem de ſitu Indiæ ad Darium, ad Pyrrhum regem, ad Didymum Bragmanorum regem & alios, indignæ quæ legantur & inſerantur. Veras præterea paucas: omnes deſideramus.

CAPVT V.

De Nomine Alexandri M.



NEc operam luſurus, nec retiam perditurus videor, ſi paulò curioſiùs in Alexandri M. nomen & nominis originem, notationem, ſignificationem inquiſiero, quando plerumque ingentes heroës nomina, vel à caſu & euentu, vel oraculis diuinis, vel rebus geſtis ſortiti ſunt, quod & literæ Sacræ & profanæ, Diuinæ & humanæ doce-

ocere possunt, vt ex nominibus conditorum generis humani Adami, & Euæ, brahami, Isaaci, Ismaelis, Iosephi, Moysis, Samuelis, Ioannis Baptistæ, adeo ueipsius Christi Iesu planissimè constat, quemadmodum & è prophanis, Semiramidis, Cyri, Penelopes, Achillis, Homeri, Platonis, Thesei, Rhadamanthi, heophrasti, & sexcentorum aliorum appellationibus cognoscitur. Et de nominibus hic sermo, non cognominibus. Alexandri nomen quod sciam, prius omnium tulit Paris Priami filius, de quo ita vetus & anonymus Homeri holiastes ad illum Homeri versum:

Τῶν δ' ἑτέρων πάρις ἦρχε
Alys Paris imperitabat.

άρις) ὁ Ἀλέξανδρος. κατὰ γαστρὸς ἔχουσα ἡ ἑκάβη, ὄναρ ἐθεάσατο, δαλὸν ἐκτεκεῖν, ἀφ' οὗ κατεφλέχθη πᾶσα ἡ λις. τὸ οὖν τεχθὲν οὐ γνώμῃ τῶν μάντεων ἐξετέθη, ἀλλὰ γνώμῃ θεῶν, ὃ ὑπὸ τοῦ εὑρόντος ἐτράφη βουκόλου, στον γὰρ αὐτῷ γάλα ἐπιχέουσαν θεασάμενος ἀνέθρεψεν. ἐκλήθη οὖν Πάρις οὐχ ὅτι, ὥς τινές φασι, ἐν πήρᾳ ἐτράφη, ἀλλ' ὅτι τὸν μόρον παρῆλθεν. ὕστερον δὲ Ἀλέξανδρος, ὅτι τῇ πατρίδι ἤλεξησεν, ὅ ἐστιν ἐβοήθησε, πολέμου ἐλθόντος. Quæ ita intelligo. *Paris) id est Alexander. Hecuba cùm uterum ferret, per somnium vidit se titionem gestare, quo tota ciuitas conflagrauit. ergo partus non vanam, sed deorum sententia expositus est, quem pastor bubsequa repertum enutriuit. Dictus ergo Paris non quod in pera sit educatus, vt quidam cēsent, sed quod fatum transisset. Vnde Alexander appellatus est, quod ingruente bello patriæ succurrisset*; hoc enim verbum ἠλέξησε, valet. Proinde verè Varinus, ἐτυμολογεῖται δὲ Ἀλέξανδρος παρὰ τὸ ἐπαλέξειν τῇ πατρίδι τοῖς πολεμίοις, ἢ παρὰ τὸ ἀλεξεῖν ἀνδρῶν, ἤγουν βοηθεῖν. ἀλέξω γὰρ τὸ ἀμύνω, ἀλέξαι, βοηθῆσαι. *ducitur autem vox* Ἀλέξανδρος, *Alexander, ab arcendo hostes à patria. aut quòd viris auxilio sit,* ἀλέξω *enim idem est, quod* ἀμύνω, *hoc est, auxilior, suppetias eo, succurro, &* ἀλέξαι *iuuare.* Præmitit his multa Varinus, quæ ad historiam Paridis pertinent, nec negenda, quòd tantùm de Etymologia vocis ἀλέξανδρος agamus. Est ergo verbū compositū ex ἀλέξαι & ἀνὴρ, quod viris auxilio sit, vt ἀλεξήτωρ. Itaq; & magus pseudomantis apud Lucianum se Alexandrū dixit, quasi diuinitus id nomen accepisset, quod primis quatuor literis ἀ. λ. έ. ξ. quater vicena quatuor complecteretur.

1
30
5
60

96

Repertum enim ille præstigiator de se tanquam Sibyllæ oraculum, quod ipse imposuerat & eruerat, affirmauit, idque erat huiusmodi:

Εὐξείνου πόντοιο παρ' ἠιόσ' ἄγχι Σινώπης,
ἔσσεταί τις κατὰ τύρσιν ὑπ' Αὐσονίοισι προφήτης.
ἐκ πρώτης δείκνυς μονάδος τριοσῶν δεκάδων τε,
πένθ' ἑτέρας μονάδας καὶ εἰκοσάδα τρισάριθμον,
ἀνδρὸς ἀλεξητῆρος ὁμωνυμίην τετράκυκλον.

Ad maris Euxini littus iuxtaq; Sinopen,
Tyrside erit quidam Ausōnia de gente sacerdos,
Qui prima ex monade, tribus ac decadis referabit
Quinque alias monadas vicenaque ter repetita,
Quadrorbem numerum referentem nomina Diui,
Qui veniet laturus opem mortalibus agris.

Varinus tamen Alexandrum Paridē primū dictū scripsit, quòd latrones ab ouibus arcuerit. ἀλεξήσας, inquit, τοῖς ποιμνίοις ἀπὸ τῶν λῃστῶν Ἀλέξανδρος ἐκλήθη. vt ἀλέξω idē sit, quod εἴργω, ἀποσοβῶ, βοηθῶ, arceo, repello, iuuo. Sed non possum hic silentio transmittere rudem quorundam Mineruam & barbaram inscitiam, qui Alexandri nomen è Latino & Græco indoctè concinnant, & nil nisi monstrum inde confingunt nam ab A, voce steritica, & lex, & ἀνὴρ detorquent vocem Alexandri, quasi sit sine lege: certe illi sine mente, dum sibi de ingenio in hac ipsa nominis recta originatione blandiuntur, cui multas non absimiles excogitarunt, indignas, quæ eruditis oculis & auribus ingerantur. Ab hoc Alexandro Priami filio alii postea Alexandri nomen retulēre, de quibus Suidas, qui huc nō pertinēt. Fuerunt ante Alexandrum M. in Macedonia duo cognomines, Amyntarum quorum prior octauus fuit in censu regum Macedoniæ, alter quintus decimus. Audiuit & auunculus Alexandri M. Olympiadis matris Germanus Alexander, is qui in Italia perijt. Nihil ergo noui Alexandro M. vsuuenit, quod Alexander sit appellatus; sed hoc ad eius gloriam & nomen magnopere pertinet, quod

Lamprid. p.171. Alexander Seuerus in edit. Curtiana mea p.529. Herod. p. 276. Caracalla Xiphil. in Carac. Scanderpegius. In eius vita p.288. Petrus Teixeira Lusitan. in suo itinerario.

Romani Imperatores aliquod nomen ab eo traxerint. Alexander enim Seuerus Mammeæ dictus est, quod Arcenæ in templo Alexandri M. (qui pro Deo etiam post mortem ab nonnullis gentibus cultus est) eo die sit natus, quo Alexander M. est denatus. Quanquam Herodianus tradat hunc Imperatorem Mammeæ filium prius dictum Alexianum. Μετονομάζεται, inquit, ὁ Ἀλεξιανὸς καὶ Ἀλέξανδρος καλεῖται. Antoninus Caracalla se Orientalem Alexandrum appellitabat. Æmilianus quoque Imperator (non Scipio ille Æmilianus) dictus est Alexander, vel potius Alexandrinus, vt est apud Trebellium Pollionem. Castrotius Epirota ingens heros & terror Turcarum, ob virtutem propè Alexandro parem, vocatus est Scanderpegius, hoc est, dux Alexander. Obserua ex Polyæno, quod ipse Alexander omnes mortales ἄνδρας, seu viros, non βροτοὺς, id est, mortales, non μέροπας, siue ἀνθρώπους, seu homines, sed Ἀλεξάνδρους voluerit appellari; ad hoc inquam natos, vt omnibus succurrerent, alterque alterum omni ope subleuaret. Turcis Persis & barbaris Scander, Ascander, Sakander, Zuikarnhen dictus est.

CAPVT VI.

De Cognomine Alexandri M.



Ingulare decus est Alexandri & incomparabilis laus, quam omnis illi posteritas propter rerum gestarũ magnitudinem impertita est, quando nõ solum cognomento Magnum dixit, sed quotiescunq; scriptores nobiliores & panegyristæ inclytos duces, reges, imperatores, qua poterant orationis maiestate extollere conabantur, illos cum Alexandri virtute contenderunt, quòd neque excellentiorem ducem, neque maiorem regem, neq; clariorem Imperatorẽ in omnium temporum memorijs reperirent. Et quamuis Assyriorum & Persarum reges propter regnorum magnitudinem & prouinciarum numerum, quibus imperitabant, μεγάλοι βασιλεῖς, *magni reges* communi nomine vocitarentur, vicit tamen omnes rerum gestarum gloria Alexander, cui consensu posteritas omnis Magni nomen assignauit, à quo posteris sæculis multi duces Magni cognomen acceperunt. Nam vt ab Romanis ducibus & imperatoribus incipiam, Magnus appellatus Scipio Africanus, qui Hannibalem acie vicit, Carthaginem cepit, de quo Polyænus: Φάβιος ἐπεκλήθη μέγιστος, Σκιπίων μέγας, καὶ τὰ ἑξῆς. Fabius cognomen maximi, Scipio Magni accepit. Scipio quadam æmulatione erga Fabij gloriam afficiebatur, itaque rogabat eum: Qui fit, vt tu conseruandis duntaxat exercitibus Maximi nomen adeptus sis, ego cum hostibus confligendo Magni, cum Annibalem comminus facto prælio deuicerim? respondit Fabius: at nisi ego tibi milites conseruassem, tu nõ habuisses quibuscum posses vincere. Magnus quoque Pompeius, auctore Sylla, de quo Plutarchus in Sertorio. Cognomen Magni non vni veterum Imperatorum regumque contigit, sed externorum nulli verius Iustiusq; quàm Alexandro Philippi F. vt Quiritium vni Cn. Pompeio præclarè est datum ab ipso Sylla alienæ virtutis in adolescente etiamnum censore iustissimo. Ad Imperatores Romanos & Germanos venio. Delatũ est Magni nomẽ, honoris caussa, Alexandro Seuero Mammeæ F. vt est apud Lampridium in Seuero, sed is repudiato tãto cognomine, *quid enim*, inquit, *magni fecimus?* tanto certè maior, quanto in tanto honoris & imperij fastigio modestior. Secutus est Constantinus Magnus, dignus nomine, & magno, & maiore: quemadmodũ & Theodosius M. & Carolus cum Hildegarde magna coniuge sua Magnus, Otho Magnus, ingentes Christianæ iam nationis heroës & columina, dignus eodem fuisset quod gessit Henricus 4. nisi viribus & imperio, & potentia abusus esset, & arma in Ecclesiam, hoc est, in sua viscera vertisset. Carolus V. Austrius etiã Maximo (vt & Fabius Romanus) non minor fuit. Ad reges eamus, quorum antiquissimi fuêre magnorum nominibus insigniti, Nabuchodonosor, & Assuerus, Babyloniorum alter, alter Persarum rex, his proximus Alexander fuit, à quo

Brisson. de regno Persar. l.1. p.2.

poste-

osterioris æui Magni nomen traxerunt Antiochus, Ptolemæus 4. Mithridates Iustinus.
arthorum, Alphonsus M. rex Hispaniarum, Ferdinandus Castiliæ & Legionis,
ugo M. rex Galliarum, Henricus 4. rex Galliarum, Ludouici, qui hodie regnat, * Baron.
arens, ab hodiernis historicis Galliæ, Sueno M. rex Danorum. * Ferdinandus 1050.
I. Aragonum rex, Ioannes 2. M. Lusitaniæ rex, Casimirus M. Poloniæ rex. Myneus 1479.
lec principes Magni nomine indigni habiti. Theodo M. Theodonis 1. Boiariæ 11 o.
ucis F. Otho M. Boiorum dux, à quo hodierni principes descendunt, qui ab Cromerus 220.
henobarbo principum ordinem recepit, VVitikindus Saxonum dux, qui cum Paulus
arolo M. bellum gessit, Albuquercius M. Regis Emmanuelis Lusitaniæ, Indi- Iouius 72.
æ domitor, Matthæus M. pro Imperatore in Italia.

Ad summa Ecclesiæ Catholicæ tribunalia sacrosque apices Pontificum ve-
amus. Leo I. Papa & Gregorius I. Magni cognomento à posteritate affecti
nt, quantumuis ipsi de se modestè sentirent, & se *seruorum Dei seruos* appellita-
nt. Basilius inde ob vitæ & eruditionis laudem idem cognomentum meruit,
i & decus Germaniæ Albertus M.

Peruasit etiam hæc gloria appellationis, quantumuis illam refugeret, solitu-
nem & eremum. Notissimus est S. Antonius M. & Hilario M. meritò etiam
corauit fortissimos Christi athletas & martyres D. Georgium, quem græci
μεγαλομάρτυρα, & S. Mennam cognominant. Nec omitterem cælites, nisi illos na-
ra supra omnem humanam humilitatem longissimè extulisset, quis enim
ichaelem ἀρχιστράτηγον δυνάμεων ἐπουρανίων, nescit ab Daniele magnum principem
pellari. Sed inter humanæ sortis modum nos contineamus, & ad nostrum A-
xandrum redeamus, cui vnus maximè scriptorum Seneca infestus est, falsum- Epist. 91.
e Magni cognomē gessisse falsò certè affirmat, quanquam & M. Tullius Phi- In offic. p.541.
ppum patrem filio anteponat, quem semper magnum filium, sæpè turpissimū
sse testatur. Sed Alexander obtinuit obtinetq; hodie, cui longè nobilissimos
rissimosq; honorum titulos cōdidit Suidas, cum quo hoc caput velut nobili
phonemate concludemus: Ἀλέξανδρος ὁ Φιλίππου καὶ Ὀλυμπιάδος, βασιλεύσας μακεδόνων
ἐνιαυτοὺς ιβ' τελευτήσας δὲ ἐτῶν λγ'. οὗτος ἦν τότε σῶμα κάλλιστος, καὶ φιλοπονώτατος καὶ ὀξύτατος
γνώμην καὶ ἀνδρειότατος, καὶ φιλοτιμότατος, καὶ φιλοκινδυνότατος, καὶ τοῦ θείου ἐπιμελέστατος· ἡδονῶν τε
μὲν τῶν σώματος ἐγκρατέστατος. τῶν δὲ τῆς γνώμης ἐπαίνων ἀπληστότατος. ξυνιδεῖν δὲ τὸ δέον ἔτι ἐν τῷ
ἀφανεῖ δεινότατος καὶ ἐκ τῶν φαινομένων τὸ εἰκὸς ξυμβαλεῖν ἐπιτυχέστατος· καὶ τάξαι στρατιὰν δαημονέστατος·
πρὸς πᾶν καλὸν ἐπιτηδειότατος· πρὸς τούτοις ἦν ἐπιεικὴς καὶ θεοσεβής· ὀργισθεὶς γάρ ποτε θηβαίοις ἐπὶ τοσοῦ-
τον, ὥστε τοὺς μὲν ἐλευθέρους ἐξανδραποδίσασθαι, τὴν δὲ πόλιν εἰς ἔδαφος κατασκάψαι. τῆς γε πρὸς τοὺς θεοὺς
τιμῆς οὐκ ὠλιγώρησε περὶ τὴν κατάληψιν τῆς πόλεως· ἀλλὰ πλείστην ἐποιήσατο πρόνοιαν ὑπὲρ τοῦ μὴ δὲ ἀκόν-
τα ἁμάρτημα γενέσθαι περὶ τὰ ἱερὰ καὶ καθόλου τὰ τεμένη. ὅλως τὸ μεγαλήγορον τοῦ ἀλεξάνδρου, οὐχ ὑπερόγκου
ἀλλ' ἀξίως, ἦ εὐθαρσὲς ἐν τοῖς κινδύνοις ἐφαίνετο. *Alexander Philippi & Olympiadis F. regnum
Macedoniæ suscepit anno ætatis octauo decimo; obijt tertio & trigesimo. Hic & pulcher-
rimus fuit, & laboriosissimus, & ingenio acutissimo, fortissimusq́; & honoris auidissimus,
non bellicosissimus & cultor numinis maximus, atque in corporis quidem voluptatibus
tinentissimus: laudatarum verò animi voluptatum prorsus insatiabilis, acutissimus
ex, quid in rebus adhuc incertis facto esset opus, sagacissimus coniector è præsentibus
rorum, & exercitus ordinandi peritissimus, & ad omnia pulchra, & honesta aptissi-
s. Præterea fuit humanus & religiosus. nam cum aliquando Thebanis tantopere ira-
esset, vt & ciues sub hasta venderet, & vrbem solo æquaret, pietatem erga Deos in
ptatione vrbis non neglexit: sed summa diligentia cauit, ne vel ab inuitis vllum tem-
m, aut lucus violaretur. Alexandri magniloquentia in periculis, non tam superbiæ,
m fiduciæ tribuenda videbatur.*

Concludamus caput hoc ex Plutarchi calamo, quod ipsum ad maiorem A-
andri laudem facit, multos alios reges sibi ipsis magnos honorum titulos
ididisse, Alexandrum re ipsa magnum, hoc posteritati commisisse: οἱ δὲ εὐεργέ-
τας, οἱ δὲ Καλλινίκους, οἱ δὲ Σωτῆρας, ἢ δὲ μεγάλους ἀνηγόρευσαν ἑαυτούς. *Sunt qui se Euergetas, hoc est,* 1. de Fort. Alexand.
*ficos vocitarint, sunt qui Callinicos, id est, egregiè victores, nonnulli Soteras, siue ser-
res: quidam megalos, hoc est magnos.* Subijcit deinde Plutarchus quam turpes hi
rint, & quam huiusmodi nominibus indigni, quibus tamen omnibus di-
ssimus videri potuit Alexander.

CA-

CAPVT VII.

Synopsis rerum ab Alexandro gestarum per Olympiadas & annos digesta.

Natalis Alexandri & pueritiæ anni.



Volateranus 8. Idus Aprilis natum tradit ex Plutarcho, sed aliud interpres.

LEXANDER Pellæ Macedoniæ vrbe, ex Philippo & Olympiade, Anno Mundi 3698. vti Salianus numerat, ante Christum 355. Olympiadis CVI. anno primo; post vrbem conditam 397. (alij 396. alij 395. alij 400. alij alios signant) natus est, (sexto Hecatombeonis, qui dies apud nos vltimo Iunij respondet, prætore Athenis Elpino, seu Elpinico: M. Fabio Ambusto II. & M. Popilio Lænate II. Coss. quo tempore duæ aquilæ toto die præpetes supra culmen patris eius sederunt, omen duplicis imperij Asiæ Europæque præferentes. Eadem die Dianæ Ephesiæ templum ab Herostrato incensum, Asiæ exitium portendit. Eodem tempore & die Philippus pater duarum victoriarum nuncium accepit, alterius belli Illyrici, alterius, certaminis Olympici, in quo quadrigarum currus (equo celete siue singulari vicisse alij tradunt) miserat, *quod omen*, inquit Iustinus, *vniuersarum terrarum victoriam infanti portendebat*. De Olympiadis dracone alio loco referetur.

Pædagogus.

Pueri mores formauit Leonides.

Præceptor Rhetorices.

Ab Anaximene Rhetore acerrimis literarum studiis vsque ad annum ætatis 15. est eruditus.

XV. annus ætatis.

Exacta pueritia, per quinquennium sub Aristotele doctore in clito omnium philosophorum creuit. Halicarnasseus & Laertius octo annos tribuunt Aristoteli docenti Alexandrum. Plura de his annis noster Schottus in vitis comparatis Aristotelis & Demosthenis Olympiad. CIX. an. 2. vbi Plutarchum, Dionem, Brusæum, D. Hieronymum ad Lætam, & Zonaram laudat.

1. de Fort. Alex.

Olympiad. CX anno 3. Alexand 18.

Pugna ad *Chæroneam* aduersus Athenienses commissa, in qua Alexander alterum cornu defendit, & victoriæ maximum momentum attulit, vti Siculus in 14. testatur: & Alexander apud Curtium lib. 8. victoriam illam sui operis fuisse gloriatus est.

Anno Mundi 3712. A.C.N. 335 Archonte Pythodemo. Vrb. Cond 414 Luc. Papyrio Crasso, & Cæsone Duellio Coss.

XX. an. æt. Regni I.

Olympiade CXI. anno 1. Philippus Alexandri pater à Pausania nobili quondam ephebo occisus, regnum Alexandro filio reliquit.

XXI. an. æt. Regni II.

Olympiade CXI. an. 2. Alexander iustis patri persolutis, Illyricum, Triballos, Thraces armis domat, Græciam in fidem recipit, Thebas euertit.

XXII.

xxii.an.æt. Regni 3.

Olympiade cxi. anno iii. in Asiam cum triginta millibus peditum, quatuor equitum & quingentis contendit (qui maximè augent, quadraginta millia memorant) hæc tam parua manu, inquit * Orosius (qui 32000. ped. 4500. equit. nares 800 ponit) vniuersum terrarum orbem vtrum admirabilius sit quod vicerit, an quod aggredi ausus fuerit, incertum est. Ad Granicum amnem sexcenta millia Persarum cum ducibus profligauit. * Imò Orosius ex Iustino.

Olympiade cxi.an.4.

xxiii æt,an. Regni 4.

Occupata minori Asia, Phrygia, Lycia, Caria, Pamphilla, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Darium ad Issum vicit, vbi Persarum centum viginti millia peditum, decem equitum cæsi, Darius fuga elapsus, Damascus Syriæ caput cum thesauris Alexandro tradita.

Olympiade cxii.an.i.

Al. xxiv.an. æt. Regni 5.

Tyrum ingenti mole in peninsulam red ƈta n, post septimum demum ab obsidione mensem, vi & virtute expugnat. Gaz i inde post bimestre potitur. Iudæam adit, Iaddum Pontificem Maximum adorat: Hierosolymis Deo litat.

Olympiade cxii.an.2.

xxv. an. æt. Regni 6.

Aegyptum inuadit, templum Ammonis petit. filius Iouis à vate per impiam adulationem salutatur. Alexandriæ ad Nilum fundamenta iecit Plancio Proculo, P. Cornelio Scapula Coss. non, Pætilio, Luc. Papirio, vt alij ex Liuio, Solino, & Cassiodoro docere conantur, cùm illis Coss. absoluta sit, non cœpta. Eodem anno congressus cum Dario ad Gaugamela haud procul Arbelis, strauit hostium quadraginta millia, Darium rursus in fugam coniecit: Halicarnasseus numerat hunc annum octauum.

Olympiade cxii. an. 3.

xxvi.an.æt.Imp.i.Regni 7.

Babylonem cùm thesauris occupat. Susianum aurum rapit, Persepolim flammis abolet. Darius reparatis copijs, perfidia suorum, opera Bessi & Nabarzanis proditorum capitur, vincitur, occiditur, ab Alexandro reperitur & regiè sepelitur.

Olympiade cxii.an.iv.

xxvii.an.æt.Imp.2.Regni 8.

Dum Bessus Darij proditor & percussor in Bactris regiam induit fasciam, & copias in Alexandrum parat, Macedò Mardos & Hircanos adit. Dein Philotam cum Parmenione patre, Eurilochum & Attalum coniuratos damnatosque interficit. Præterea Arimaspes, Cedrosios, Arachosios aliasque gentes sub imperium redigit. Hoc demum anno Alexandria C. Petilio & L. Papirio Coss. biennio pòst, quàm cœpta erat, est absoluta, & initiata.

Olymp.

Olymp. cxiii. an. i.

xxviii. an. æt. Imp. iii. Regni 9.

Curtius Lib. 9. c. 12. Victor vtriusque regionis (Europæ & Asiæ) post nonum regni mei, post vicesimum atque octauum ætatis annũ.

Alexander populo Paropamisadum subacto, adductum sibi Bessum fratri Darij Oxathri excruciandum & in crucem agendum tradit. Inde in Sogdianos, Scythas, Bactrianos copias ducit. In solenni epulo Clitum quòd Philippum patrem celebraret, & filij laudes deteceret, sua manu temulentus hasta traijcit. Hermolaum ephebum & Callisthenem philosophum diu excruciatum interficit. quod futurum præuiderat Aristoteles cum ex Homero abeuntem monuit:

ὠκύμορος δὴ μοι τέκος ἔσσεαι οἷ' ἀγορεύεις.

Mors te nate manet cita, sic cum rege loquentem.

Olymp. cxiii. anno 2.

xxix. an. æt. Imp. iv. Regni 10.

Macedo Aornin inexpugnabilem prope petram expugnat, ad Indos proficiscitur. Taxilus rex in Alexandri fidem concedit. Harpalus custos regij thesauri à Babylone in Græciam Athenas profugit, à quibus eiectus in Cretam traijcit, ibique à Thibrone amico è medio tollitur.

Hæc à quibusdam ad superiorẽ annũ sunt relata, annoque ætatis Alexandri xxix. Imperij ix. accidisse referuntur. auctores dissentiunt. Nos Salianum sequimur.

Olymp. cxiii. an. iii.

xxx. an. æt. Imp. v. Regni xi.

Porum regem in India magno prælio vincit; ipse quoque equo deiectus, vitaque periclitatus, & ab armigeris cædi ereptus est. Porus multis vulneribus acceptis, captus, & regno ampliori etiam donatus, suoque restitutus. Macedo Bucephalon vrbem condit, & equi sui nomini consecrat. Oxydracos & Mallos ipse propè oppressus expugnat.

Olymp. cxiii. an. iv.

xxxi. an. æt. Imp. vi. Regni xii.

Alexander Cossæis inuicta antè gente victis, omnique India armis peragrata, ad Oceanum vsque vltra Gangem progressus, atis, expeditionis monumento terminoque positis, Susa Ecbatanaque reuersus, Statiram Darij natu maiorem filiam, minore Hephæstioni in matrimonium collocata, duxit. Hephæstioni extincto ambitiosissimè, velut Achilles suo Patroclo, parentauit.

Olymp. cxiv. an. i.

xxxii. an. æt. Imp. vii. Regni xiii.

Babylonem redit, vbi omnium propè gentium legatos præstolantes offendit. Ipse vel crapula & vino, vel morbo, vel stygiæ aquæ veneno extinguitur. Imperium in satrapas diuiditur, corpus Alexandriam in aureo solio defertur. Halicarnasseus anno xiii. mortuum tradit in Rhet.

Apud Curtium anni regni non respondent annis ætatis, quòd ille primum Alexandri annum, quo regnum suscepit, nomeret eundem, quo pater interijt, alij sequentem (lib. 9. p. 265. edit. Antuerp.) cum Curtio facit emendator temporum, sed aliorum vsum sequitur. Ita xiii. Imperij esset mortuus. Cæterum Alexander omnium Imperatorum maximus, vt qui nec ante se maiorem agnouerit, nec post se parem habuerit, plura intra duodecim annos, quam alij quadraginta vel quinquaginta, adeoque tota vita gessit, vrbes amplius septuaginta, quod nullus aliorum fecit, condidit, & inter has duodecim, imò octodecim, vt infrà ostendetur, Alexandrias. Miles illius, illo præsente, nullius hostis arma, quamuis inermis timuit. Ipse cum nullo hoste est congressus, quem non vicerit: nullam vrbem obsedit, quam non expugnârit: nullam gentem adijt, quam non calcarit. vt multo verius de Alexandro, quàm Pompeio dictum Ciceronis accipi

ıccipi possit: *Qui sæpius cum hoste conflixit, quàm quisquã cum inimico certauit. plu-*
·a bella gessit, quam alij legerunt. plures prouincias confecit, quã alij concupierunt. Quos
amen omnes etiam cupiditate longè superauit: vt verissimè Satyricus de illo:

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis.

CAPVT VIII.

Quæ mira Alexandro M. euenerint.



On est, erudite lector, quod à me fabulas & prodigiosa portentorũ mendacia expectes, quæ passim in fabulosis Anonymi, vel nescio cuius noui Æsopi, vel pseudo-Callisthenis de Alexandro M. scriptis circumferuntur, editaque sunt Latina & patria voce è Græco versa, cum Alexander in cælum vsque & lunam, velut Icarus & Phaëthon effertur, rursumque ad ima ponti vada demergitur, vt in imo pelago monstra phocarum & balænarum perlustret, nec arboribus humanas tribuo voces, vt cum Alexandro sermocinentur. Nec cum Turcis, Alexandrum Regis Solomonis præfectum militiæ constituo, quo nihil absurdius excogitari potest, cùm inter Solomonem & Alexandrum amplius septingenti anni intercesserint, nec S. Georgium quem Chederle appellant amicum Alexandri M. sociumque expeditionis vt Busbequius,* dum Turcarum fabulas irridet, ostendit, negligo, inquam, hæc barbarorum & vulgi portenta & deliramenta, nec interim inficias eo, multa passim vera falsis aspersa, sed æra ab lupinis secernenda sunt. * Ep. 1. p. 107.

Illud primum de fulmine expono, quod per somnium Olympiadi obiectum, filij claritatem portendebat. Olympias enim nocte, qua se viro adiunxit, existimauit facto tonitru in vterum sibi fulmen illabi, ex cuius ictu magno excitato incendio in flammas inde latè diffusas abire visum: Et inde factum ego censeo, vti pictores Alexandri imagini fulmen affingant; quod alij supra galeam ponunt, alij eodem manum Alexandri armant. I. Pierius p. 325. §. 2.

Alterum est, quod Philippo patri Alexandri per quietem oblatum fuit, cùm sibi videretur aluo coniugis insignem impressisse bullam, quæ leonis imaginem referret. Responderunt cõiectores, vxorem grauidam esse (nihil enim vacuum signari) & generosum filium parituram, vnde Alexander in matris honorem, leonis spolio maximè gauisus, & eadem de causa, cùm somnio monitus Alexandriam in Ægypto condidisset, eam Leontopolim appellauit, sed posteritas illi nomen ab ipso Alexandro dedit. II. Pierius p. 3. § 1. c. Plutarch.

De dracone verò, ex quo velut Ioue Ammone Olympias Alexandrum concepisse à pluribus traditur, nos copiosissimè ad librum 4. Curtij cap. 20. disputauimus: Addo hic eo nomine ab Sidonio draconigenam appellatum. III.

Quæq; draconigenæ portas non clauserit hosti.

Brodæum adi ad epigr. c. 41. l. 1. Legendum etiam emblema Alciati de gentilitio Mediolanensiũ insigni, cùm anguis è faucibus infantem euomit, quod ab Alexandri natali acceptum: Ita enim Alciatus:



Exiliens infans sinuosi è faucibus anguis,
Est gentilitijs nobile stemma tuis.
Talia Pellæum gessisse nomismata regem
Vidimus, hisq; suum concelebrasse genus:
Dum se Ammone satum, matrem anguis imagine lusam,
Diuini & sobolem seminis esse docet:
Ore exit, tradunt sic quosdam enitier angues,
An quia sic Pallas de capite orta Iouis?

c Quod

Quod exponit ipse Alciatus c.43. de singulari certamine: *Celebre est*, inquit, *in annalibus Othonis vicecomitis cum quodam Saraceno in Asia certamen, quem ille manu captum, confossumq́ galea ornamento priuauit, idq́ gentilitijs suis insignibus addidit, hoc est, vipera vix natum, & adhuc manantem sanguine infantem ore euomens: nimirum ab Alexandro M. acceptum emblema, siquidem in eius antiquis nomismatis idem sigillum reperire est, quo Ioue se natum rex ille per ambages ostendebat. Etenim serpentis forma pluribus Græciæ in locis Iupiter colebatur. Suntq́ in Asia genera serpentum, quos ore parere hominum opinione receptum est. & Paulus Iouius de vicecomitibus, qui affirmat Othonem (sacro in bello contra Turcos & Saracenos, Bulionio Godefredo duce) insigni pietate & magnitudine animi virum, nihil territum Volucis Saraceni ferocitate, qui medio in campo ad singulare certamen fortissimum quemq; ex acie Christiana prouocabat, cum eo fuisse congressum, tandemq́ eum non minore fortitudine, quàm felicitate deuicisse, deq́ confossi hostis galea opimum plenumq́ immortali gloria spolium retulisse, auritam scilicet viperam inexplicatis spiris minaciter à cono cassidis erectam, & puerum passis manibus deuorantem. quod vnum auspicata virtutis argumentum, non modo gentilitiæ laudis gestamen fuit, sed & posteris id insigne audacter vsurpantibus, & imperia & opes, & latè gloriam portendit, fuere, qui existiment Volucem ex stirpe Alexandri M. progenitum, tulisse pro insigni viperam, ex Olympiadis fabula, puerum parturiẽtem, quod ea à Dracone se compressam fuisse, Iouis imagine prædicaret.*

Quin & Carthagena nobilis, clarus & eruditus ecclesiastes, ausus est (haud scio an piè satis & prudenter) Christum à Virgine conceptum cum Alexandro M ab Olympiade concepto componere. *Quanto*, inquit, *Christi conceptionem Antichristi generationi dissimiliorem intueor, tanto Alexandri M. conceptionem, quoad nonnullas eius circumstantias Christi conceptioni similem magis reperio. Plutarchus loquens de Olympiade Magni Alexandri matre, ait: Visus est, Ioue tonante, venter suus de cælo tangi, itaque ex ictu largus succendi ignis, mox erumpens in flammas passim dispersas dissipari: deinde scribit Philippum Alexandri patrem vidisse in somnis vxoris vterum sigillo consignatum, cuius sculptura imaginem leonis referebat, nec non etiam iuxta Olympiadis lectum draconem expectantem, ac tandem Alexandrum Iouis filium vocatum & habitum tradit Q. Curtius de rebus gestis. Hæc omnia ad Christi Domini conceptionem haud difficile erit conuertere. nam si Olympiadis Alexandri matris visus est venter de cælo tangi, certè virtus altissimi vterum virginis tangẽs mirificè illam fæcundauit, vt verba sponsæ non obscurè indicant:* Cant. 5. *& ad tactum eius intremuit venter meus. Quòd si ex tactu illo prodijt copiosissimus ignis in flammas erumpens, non secus ex Virgineo thalamo egressus est Deus noster, qui ignis consumens est, & qui dixit, Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur? Deinde si Olympiadis venter sigillo visus est consignatus, Mariæ ventrem excellentiori illo integerrimæ virginitatis sigillo obsignauit Spiritus S. Rursus si visa est in ventre Olympiadis, imago leonis, adfuit quidem in vtero Mariæ non figura leonis, sed qui vicit leo de tribu Iuda, Christus Saluator noster: & si sibi Philippus vidit iuxta lectum Olympiadis horribilem draconem assistentem, & quasi partui illius inuidentem, ad eundem modum Ioannes libro suarum reuelationum sibi ostensam commemorat B. Virginem, cuius partui deterrimus draco insidiari cupiebat:* Apoc. 5. Apoc. 12. *postquam vidit draco, quod proiectus esset in terram, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum: ac tandem si Alexander Iouis filius (qui iuuans pater interpretatur) falsò nuncupatur, Christus Dominus Filius Dei Patris naturalis omni modo veraciter nominatur, iuxta verba angeli, & Filius altissimi vocabitur.*

IV. Atque hæc de Alexandro concepto. Iam videamus de Alexandro Pellæ sineptidie, siue ipsis Calendis Quintilibus nato: nam duæ præpetes aquilæ supra culmen toto die consederunt, duplicisque imperij Asiæ & Europæ regnum portenderunt, vti suprà docui, quemadmodum & quod sequitur de Dianæ Ephesiæ

V. Plutarchus in vita. Iustinus. fano per totum orbem celebrato, ab Herostrato eodem die incenso, quod Asiæ exitium denunciauit.

VI. Et quod eodem die Philippus pater geminarum victoriarum nunclum acceperit, alterius, belli Illyrici; alterius, certaminis Olympici, in quod quadrigarum currus miserat; quanquam alij equo celete vicisse tradunt: *quod omen*, au-

ctore

ctore Iustino, *vniuersarum terrarum victoriam infantem portendebat.*

Neque hoc non inter mira numerari potest & debet, quod Alexandro maximo orbis Imperatori summus sapientiæ magister, qui eodem tempore floruit Aristoteles datus sit doctor & institutor, qui hodieque in spacijs philosophorum regnat, & in omnibus sapientiæ domicilijs, adeoque toto orbis theatro de natura & sapientia triumphat. vti non immeritò Philippus pater Alexandri ad Aristotelem scripserit, Magnam se habere dijs immortalibus gratiam, non tam de nato filio, quàm quòd ipsius ætate natus sit, quod speret ab ipso ita enutritũ & institutum iri, vti dignum se & genere suo regio, & regni successione præbeat. VII. Scriptores ferè omnes Alexandri M. Plutarch*. Agellius l.9.c. Aud. Schotus.p.89.

Memorandum & hoc ex Plutarcho, & alijs, mirificum fuisse Alexandrum etiamnum propè puerum equorum, vel ferocissimorum domitorem. Philonicus Thessalus Philippo patri equum generosissimum dono miserat, sedecim, vt Plinius, tredecim, vt Agellius est auctor, talentis emptum, hoc est, trecentis duodecim millibus HS. quæ apud nos ex Plinij sententia efficiunt nouem millia sexcentos aureos. vt vnus aureus viginti victoriatis, seu quadraginta numis sestertijs æstimeretur: ex Agellij septem millia octingentos; eum Bucephalum, vel Bucephalam (vtroque modo Græcis scribitur βουκέφαλος & βουκεφάλας) dictum vult Plinius ab ingenti vultus toruitate, quod velut taurum referret, vel ab insigni bouis, armo equi impresso. Strabo l.15. etiam à bouis similitudine nomen accepisse tradit: Ἐκαλεῖτο δὲ βουκεφάλας ἀπὸ τοῦ πλάτους τοῦ μετώπου. *Dictus est autem à latitudine frontis.** Solinus: *Alexandri M. equus, Bucephalus dictus, siue de aspectus toruitate, seu ab insigni; quòd taurinum caput armo inustum ferebat, vel quod è fronte eius quadam extantium corniculorum mina protuberabant, cùm ab equario suo altàs etiam molliter sederetur, accepto regio stratu, neminem vnquam alium præter dominum vehere dignatus est. Documenta eius in prælijs plurima sunt, quibus Alexandrum è durissimis certaminibus sospitem opera sua extulit: quo merito effectum est, vt defuncto in India exequias rex duceret, & supremis sepulchrum daret: vrbem etiam conderet, quam in nominis memoriam Bucephalam nominauit.* Agellius tamen, & capite, & nomine Bucephalum fuisse prodidit. Vetus & Græcus Aristophanis scholiastes negat à forma bouis appellatum, sed à charactere bouis inusto: οὐ γὰρ, inquit, βουκεφάλους ἵππους καλοῦμεν διὰ τὸ μορφὴν τοιαύτην αὐτοὺς ἔχειν, ἀλλὰ διὰ τὸ οὕτως ἐγκεχαράχθαι, ὡς καὶ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος ὁ ἵππος ἦν. Negat & Ioannes Zetzes, vt infrà leges. De hoc ergo in hæc verba * Plutarchus. *Cùm Bucephalan Philonicus Thessalus ad Philippum duxisset tredecim talentis venalem, descenderunt ad equum probandum in campũ. Videbatur autem morosus & perquam tractatu difficilis, neque quemquam admittebat in sedem, nec vocem ferebat vllius Philippi comitum, verum in omnes insurgebat. Igitur vbi pertæsus Philippus abduci iussit quasi omnino ferum & indomitum, assistens Alexander ait, quem equũ perdunt isti, qui propter imperitiã & mollitiem tractare eum nequeunt. Id primùm tacitus Philippus tulit; at crebrius cùm obloqueretur & angeretur; culpas tu, inquit, maiores natu, quasi peritior sis, aut tractare equũ noueris rectius? Hunc certè melius, inquit, alijs tractẽ. si non tractes, inquit Philippus, quam pœnam pendes temeritatis? ego hercle, insit, preciũ equi dependam, Alexander. Hic risus consecutus est, inde sponsio inter eos, de pecunia. mox accurrit ad equum Alexander, correptisq́ habenis conuertit eum aduersus solem. aduerterat nimirum, quod incurrentem & agitatam ante oculos vmbram cernens percelleretur. Tum molliter eum ad procursum incitauit ac permulsit. quem vbi ferocientem vidit & exultantem, abiecta leniter chlamyde insilijt in eum. & nullo negotio conscendit. frenum autem placidè habenis capiens sine verberibus vel calcaribus impetum eius repressit. vt ferociá lenita equum currere gestientem vidit, admisit iam eum, vocemq́ ferociorem, ac pedum pulsum adhibuit. Hic Philippi comitatum solicitudo primùm ac silentium incessit: vt flexit, & ritè conuertit equum glorians ouansq́, cæteri omnes applausere: patri verò manasse etiam aliquantulum gaudio lachrymas ferunt. at postquam desilijt ex equo, caput eius osculatus, quære, inquit, fili, par tibi regnum, siquidem non capit te Macedonia.* Porrò ingenium bucephali propius ad humanum videtur accessisse & sensisse (velut Martialis leones & eiusdem elephas, vt & Pori) cui domino seruiret. *Bucephalus*, inquit,

VIII. In vita Alexand. Gellio. Plinio, Curtio, alijs.

* cap.47.

In nubib. p.123. Idem Italus auctor de re equestri p.12. & seq. & M. Fuggerus de cura equorum p.17.

* Tom.1. p.667.

Mart. epig. 17. Amphi. L.1. epig. 105.

quit Plutarchus, *nudus conscendendum se equisoni suo præbebat: ornatus autem regijs phaleris & bullis neminem, excepto Alexandro, admittebat: cæterorum si quis accederet tentandi gratia, aduersus occurrens magno cum hinnitu insiliebat, ac conculcabat, nisi*
Lib. 5. c. 2. *quis fuga saluti consuluisset.* Idem Agellius scripsit, *Super hoc equo,* inquit, *dignum memoria visum; quod vbi ornatus erat armatusq́; ad prælium, haud vnquam inscendi sese ab alio, nisi à rege passus sit. id etiam de isto equo memoratum est; quòd cum in eo insidens Alexander bello Indico & facinora faciens fortia, in hostium cuneum non satis sibi prouidens immisisset, coniectis vndique in Alexandrum telis, vulneribus altè in ceruice atque in latere equus perfossus est: moribundus tamen ac propè iam exanguis è medijs hostibus regem viuacissimo cursu retulit: atque vbi eum extra tela extulerat, ilico concidit, & deinde tam superstitis securus, quasi cum sensus humani solatio, expirauit. Tum rex Alexander, parta eius belli victoria, oppidum in ijsdem locis condidit, atque ob equi honores bucephalon appellauit.* Et Curtius addit, spontè submisisse genua regi ascenden-
Lib. 9. p. 161. ti, *Bucephalan,* inquit, *vocabant, quem Alexander non eodem, quo cæteras pecudes, animo æstimabat, nunquam ille, nec dorso insidere suo patiebatur alium, & regem cùm vellet ascendere, spontè genua submittens excipiebat, credebaturq́; sentire quem veheret.* Sed permirum est, quod Ioannes Tzetzes de Bucephalo narrat, illum homines depasci solitum; Ita enim Tzetzes:

Τοῦ Βουκεφάλου σύμπασαν ἔχεις ἱστορίαν,
ὡς ἵππος ἦν ἀτίθαλος, ἀνθρώπους κατεσθίων,
μόνῳ τῷ μακεδόνι δὲ ὑπείκων Ἀλεξάνδρῳ,
τὴν Βουκεφάλα κλῆσιν δὲ τοιοῦτο τρόπως ἔσχε
βοὸς ὡς ἔχων κεφαλὴν ἐν τῷ μηρῷ σφαγίδα,
οὐ μὴν βοὸς ἐκέκτητο ἢ κεφαλήν, ἢ κέρας.

Bucephali vniuersam habes historiam,
Quòd equus esset indomitus, homines comedens,
Soli autem Macedoni cedens Alexandro,
Bucephali autem nomen hoc modo habuit,
Bouis tanquam habens caput in fæmore signaculum,
Haud verò bouis habuit, vel caput, vel cornu.

Cuius formam ex Romanis monumentis hic subijcio.

IX. Optimo iure inter admiranda Alexandri, & hoc ponitur, quod corpus eius
In eius vita p. 666. B.C. semper dum viueret gratissimum spirarit odorem: *Odorem,* inquit Plutarchus, *ex cute eius gratissimum afflasse, os eius totumq́; corpus reddidisse fragrantiam, quam interiores tunicæ retinebant, in commentarijs Aristoxeni legimus.* In causa fuit fortassis feruidum & igneum corporis eius temperamentum. Gignitur enim odoris suauitas (vti Theophrasti est opinio) concoctis à calore humoribus. vnde aridi & feruidi tractus plurimas & optimas species edunt: exhaurit enim sol humorem in summis corporibus existentem, & putredinis materiam. Et idem sympos. quæst. 6. l. 2. De natura odoriferorum plura noster P. Gaspar VVenkius dispur. de miris mutationibus n. 19. p. 18. Nec minus admiratione dignum est, quod Curtius testatur, de corpore Alexandri, quod etiam à morte septem
Curt. l. 10. c. 4. Ælianus triginta diebus insepultum iacuisse refert. Var. 12. c. 64. totos dies in summo cœli & æstus ardore incorruptum perdurarit. *Vt tandem,* inquit, *curare corpus exanimum amicis vacauit, nulla tabe, ne minimo quidem liuore corruptum vidêre, qui intrauerant. Vigor quoque, qui constat ex spiritu, non destituerat vultum. Itaque Aegyptij Chaldæiq́; iussi corpus suo modo curare, primo non sunt ausi admouere velut spiranti manus: deinde precati, vt ius fasq́; esset mortalibus attrectare eum, purgauere corpus, repletumq́; est odoribus.*

X. Plutarchus in vita eius. *Cùm se bello accingeret, Orphei signum apud Libeithra, quod Cupreßinũ erat, sub ea tempestate copioso manauit sudore. Eo portento omnibus exterritis, bono animo iußit illum Aristander esse, res eum gesturum nunquam obliterandas, ac celebres, quæ multum sudoris & laboris decantantibus poetis & musicis essent præbitura.*

Vnde-



PHIDIAS NOBILIS SCVLPTOR
AD ARTIFICIS PRAESTANTIAM
DECLARANDAM
ALEXANDRI BVCEPHALVM
DOMANTIS EFFIGIEM
E MARMORE EXPRESSIT.

SIXTVS V PONT MAX
ALEXANDRI MAGNI EIVSQ. BVCE
PHALI STATVAS IN EXQVILYS TE
PORIS INIVRIA LACERAS ET QV
SI COLLABENTES RESTITVIT E
COMMODIORE LOCO COLLOCAVI
SIXTO V PONT MAX
ANTIQVITATVM RESERVATORI



IXTVS·V·PONT·MAX·
NA ALEXANDRI MAGNI
.EBRISQ. EIVS BVCEPHALI
ANTIQVITATIS TESTIMONIO
DIAE ET PRAXITELIS.
VLATIONE HOC MARMORE
VIVAM EFFIGIEM EXPRESSA
CONSTATINO MAX· E GRÆCIA
CTA SVISQ. IN THERIS IN HOC
NALI MONTE COLLOCATA
ORISVI DEFORMATA LACERAQ.
VSDEM IMP. MEMORIA VRBISQ.
REM IN PRISTINAM FORMAM
TVTA HIC REPONI IVSSIT
O. MDLXXXIX. PONT. IIII.

PRAXITELES SCVLPTOR
AD PHIDIÆ AEMVLATIONEM
SVI MONVMENTA INGENY
POSTERIS RELINQVERE
CVPIENS
EIVSDEM ALEXANDRI
BVCEPHALIQ. SIGNA
FELICI CONTENIONE
PERFECIT.

Vndecimum meritò censetur, quòd eum in Liberi Patris luco sacris operaretur, flamma supra templi fastigium elata ad cælum vsque ferretur. Suetonius XI.
prodigij huius auctor in Octauio Augusto: *Octauia postea cum per secreta Thraciæ exercitum duceret, in Liberi Patris luco barbara cæremonia de filio consulenti, idem af* Cap.94.
firmatum est à sacerdotibus; quod infuso super altaria mero tantum flamma emicuisset, vt supergressa fastigium templi ad cælum vsque ferretur: vniq; olim omnino Magno Alexandro apud easdem aras sacrificanti simile prouenisset ostentum.

Priusquam in Asiam moueret Alexander, quam tamen iam animo complexus, de ratione duntaxat traijciendi exercitus belliqúe gerendi modo, apparatu, XII.
numero & copijs, solicitè cogitabat, cùm illi se Deus haud dubiè per cælitem in cultu Pontificis Hebræi per quietem ostendit, & cunctantem hortatus est, vt in Asiam traijceret, se ductorem fore, & Persarum imperium illi traditurum. Iosephi verba leges infrà ad lib.3. Curtij c.19. vbi explicantur etiam, quæ Alexandro Hierosolymis egerit, cùm illi Iaddus sum. Ponticum tota vrbe candidata occurrit, quem rex omnibus admirantibus adorarit. Illud quoq; ex Danielis cap.7. de quatuor bestijs non omittendum, ex quo loco D. Hieronymus ostendit, Alexandro nostro à Deo tantum imperium cõmissum. Comparatur ibi rex pardo animali velocissimo & violento. Et quia in Iudæorũ mentionẽ incidi, coniungam, quod eidem Alexandro, cùm Iudæos Caspijs montibus includeret, vsu venisse traditur, veréne an falsò, haud sanè satis dispicio: rem ego semper puræ putæ fabulæ similem iudicaui, iudicoque hodie, sed quia narratio multos cùm priscos, tùm recentes habet auctores, subducere lectori eiusdẽ cognitionem nolui. Non est ignotum, quod literæ sacræ tradunt, & Iosephus narrat, decem israëlitarum tribus ab Salmanassare Assyriorum rege è Samaria translatas in Mediam, nun- 4. Reg.c.
quam in patriam reuersutas. Has Alexander in Media repertas Caspijs portis in- 17.
clusisse fertur, vt nunquam inde pedem referre possent; montes enim ad ipsius Ioseph.l.9. ant.c.14.
preces coisse, vt viæ prorsus inuiæ redderentur. Cùm alioquin iuga montium illic angustias tantas efficerent, vt vix singula plaustra cõmearent: Ita enim Plinius, *Caussa portarum*, Caspiarum nempe, *nominis eadem quæ suprà interruptis angusto transitu iugis, ita vt vix singula meent plaustra, longitudine* VIII. *m. pass. toto opere* Lib.6.c.14.
manu facto. dextera læuaq; ambustis similes impendẽt scopuli, sitiẽte tractu per XXXVIII. *mill. pass. angustias impedit corriuatus salis è cautibus liquor, atque eadem emissus. præterea serpentium multitudo, nisi hyeme, transitum non sinit.* Et Curtius, *Namque per-tua vallis iacet vsque ad mare Caspium patens duo terræ eius velut brachia excurrunt,* Lib.6. c.7.
media flexu modicò sinum faciunt, lunæ maximè similem, cùm eminent cornua nondum p.256.
totum orbem sidere implente. His ergo faucibus inclusos aiunt Israëlitas ab Alex- Solinus.
andro hunc in modum, vt refert Methodius scriptor antiquus, non tamen ille nobilis & S. Martyr & Tyri Pontifex, quem laudat Photius, qui Sancti illius opera recenset, sed huius scripti nullam facit mentionem: Inscriptio tamen etiam *Sancti* nomen & Episcopi Patarorum præfert his verbis: τοῦ ἁγίου μεθοδίου πατάρων ἐπισκόπου. Hic ergo hæc de Alexandro, καὶ ἀνῆλθεν ἕως τῆς θαλάσσης,* &c. *Descendit vsq;*
ad mare, quod vocatur regio solis, vbi conspexit gentes immundas & aspectu horribiles. * Intelligẽ Caspium mare.
Sunt autem ex filijs Iapheth nepotes, quorum immunditiem videns exhorruit: comedebant enim hi omnem bestiæ speciem, omne coinquinabile, id est, canes, mures, serpentes, Vetus interpres
morticiniorum carnes, abortiua, & ea quæ in aluo nondum per lineamenta coagulata vertit barbare.
sunt; vel ex aliqua parte membrorum producta. compago formam figmenti possit perficere, formam vel figuram exprimere iumentorum; nec non etiam & omnem speciem ferarum immundarum, mortuos autem nequaquam sepeliunt; sed sæpe comedunt illos. Hæc verò vniuersa contemplatus Alexander M. ab eis immunditer & sceleriter fieri, timens ne quando exilientes in terram sanctam, & illam contaminent à pollutionibus & iniquissimis affectionibus, deprecatus est Dominum Deum, vt coniungeret montes, & præcipitees congregauit eos, omnesq; mulieres eorum & filios, & omnia scilicet castra eorum & duxit eos de terra Orientali & conclusit, minans eos donec introissent in finibus Aquilonis, & non est introitus, nec exitus ab Oriente vsque in Occidentem, per

quem aliquis posset ad eos transire, vel ipsi exire. Continuo ergo supplicatus est Dominum Deum Alexander, & exaudiuit eius obsecrationem, & præcepit Dominus Deus duobus montibus, quibus est vocabula Vbera Aquilonis. & adiuncti proximauerunt ad inuicem vsque ad duodecim cubitos, & construxit portas æreas inter illos. & superinduxit eas Assurim, vt si voluerint eas patefacere cum ferro, vt non possint, aut dissoluere per ignem, nec valeant vtrumque, sed statim ignis omnis extinguitur: talis est enim natura assurim, quia neque ignis suscipit resolutionem. Vniuersas adinuentiones dæmonum & calliditates mortiferas & superuacuas operantur hæ obscœnissima difformes & sordida gentes, vnctas, magica arte malorum vtuntur, immunditer etiam viuunt in his in quibus sordida & inhumana pollutio est (magis enim & competenter dicitur) Deo odibilis. Destructa sunt malefica eorum ita, vt non possint neque cum ferro, neque per ignem, vel cum qualibet alia astutia easdem resecare, vel aperire portas & fugere. In nouissimis verò temporibus secundum Ezechielis prophetiam, quæ dicit. In nouissimo die consummationis mundi exiet Gog & Magog in terram Israel, qui sunt gentes & reges quos reclusit Alexander Magnus in finibus Aquilonis, & in finibus Septentrionis, Gog & Magog. Mosach, & Thubal, & Anog, & Ageg, & Athenal, & Ephar, & Pothim Hei, & Lybij, & Cunei, & Charitei, & Ceblei, & Lamarchiani, & Cachanij & Amaharta, & Agrimardi, & Alan, & Anufagi, qui dicuntur Cynocephali, & Carthæi, & Thasbei, & Phisolonici, & Arcenei, & Saltarei. Hi viginti quatuor reges consistunt reclusi intrinsecus portarum. In reditu verò de istis gentibus Alexander à pueris suis extinctus est veneno.

Laudatur etiam Iosephus Iudæus eiusdem historiæ (seu fabulæ) enarrator. Sed ego nec in Græco codice scriptorum Flauij Iosephi, nec Latino Græci interprete quicquam horum deprehendi. Iosephus enim Matathiæ filius Græcè non Hebraicè scripsit, etsi quidam Rabini contra nitantur. Est alius Iosephus Gorionis filius, qui quædam apocrypha Hebraicè conscripsit, Basileæ ex men-
Bellarm. de scripto- doso & corrupto codice editus, qui hæc verba continet de Alexandro. *Post-*
rib. Eccles. *quam autem Alexander diuisit terram, clausit cognationes Aquilonares vectibus fer-*
p. 38. l. 3. c. 1. *reis & ædificijs fortissimis porrectis vsque ad mare, ne vnquam egressi perderent terram & dominum eius. Hebræa voce ita:*

ואחר אשר חלק אלכסנדר את הארץ סגר
את משפחות צפונה בבריחי ברזל ובבנין
חזק מאד עד ים לבלתי יצאו וישחיתו
את הארץ ואת ממשלתו

Petrus Comestor, qui anno CIↃCL. vixit, & scholasticam historiam scripsit, eandem fabulam, vt ego quidem censeo, ex Gorione reor, quanquam nostrum exemplar, quod mutilum est, illam non nisi duobus versibus attingat. Sed
p. 368. in hist. Hester c. 5. Comestorem audiamus, vel narrantem, vel fabulantem: *Itaque cùm venisset Alexander ad montes Caspios, miserunt ad eum filij captiuitatis decem tribuum, Ex edicto autem tenebantur egredi non licere, postulantes ab eo egrediendi licentiam; cùmque quæsisset causam captiuitatis, accepit eos recessisse apertè à Deo Israel vitulis aureis immolando, & per prophetas Dei prædictum eos à captiuitate non redituros. Tunc respondit quòd arctiùs eos includeret, cumque angusta viarum obstrueret molibus bituminatis, videns laborem humanum non sufficere, orauit Deum Israel, vt opus illud compleret, & accesserunt ad se inuicem prærupta montium, & factus est locus immeabilis; ex quo liquidò apparet, non esse Dei voluntatem, vt exeant; egredientur tamen circa finem mundi, magnam hominum stragem facturi, & vt ait Iosephus, Deus quid facturus est pro fidelibus suis, si tantum fecit pro infidelis?*

Co-

Comestorem secutus est Vincentius Bellouacensis post annos centum, eandem fabulam iterum verbis Comestoris refert, paucula que addit è Solino de porris Caspijs. Nec opus pluribus; nullus huius apologi idoneus est auctor, Methodius suppofititius est, vti verè sentit Bellarminus, & res ipsa falsaque miracula docent. Iosephus non est ille Flauius, sed Gerionis filius, qui apocrypha multa suis aspersit chartis. Comestor sæpè incerta narrat; Bellouacensis est plenus fabulis. Itaque hoc mirum extra mira est, refutationis potiùs causa, quàm narrationis propositum. 1250.

Iucundius est quod sequitur, auctore Maximo Valerio, de Agasone Lampsaceno; cum traiecto Hellesponto non procul Lampsaco abesset Alexander, oraculo iussus est primum ex vrbe occurrentem, vt victimam mactare: occurrit asinarius; sed audiamus ipsum Valerium optimè rem exponentem: *Cùm Alexander, inquit, Macedonum rex forte monitus, vt eum, qui sibi porta egresso primus occurrisset, interfici iuberet; asinarium forte ante omnes obuium factum ad mortem arripi imperauit: eoq́ quærente, quidnam se immerentem capitali supplicio innocentem q́ addiceret; cùm ad excusandum factum suum oraculi præceptum retulisset; asinarius, si ita est, inquit, rex, alium sors huic morti destinauit: nam asellus, quem ego ante me agebam, prior tibi occurrit. Delectatus Alexander & illius tam callido dicto, & quòd ab errore ipse reuocatus erat, occasionem in aliquanto viliore animali expiandæ religionis rapuit. Summa in hoc cum calliditate mansuetudo; summa quoque in alterius regis equisone calliditas.* XIII. Val. Max. c.3.l.7.

Hoc verò quod sequitur, propè diuinum est, imò planè diuinum, vt Callisthenes, Arrianus, & Flauius Iosephus tradunt. Cum Alexander ad mare Pamphylium venisset, cesserunt vndæ Macedonibus transituris non secus atque Israëlitis mare Erythræum, quod Iosephus his verbis testatur. καὶ ὑπεχώρησεν (Macedonibus) τὸ παμφύλιον πέλαγος, καὶ ὁδὸν ἄλλην οὐκ ἔχουσι παρέσχεν τὴν δι' αὐτοῦ καταλῦσαι τὴν περσῶν ἡγεμονίαν τοῦ θεοῦ θελήσαντος. καὶ τοῦτο πάντες ὁμολογοῦσιν οἱ τὰς Ἀλεξάνδρου πράξεις συγγραψάμενοι. XIV. Lib. 2 ant. c. vlt. pag. 247.

Hæc ex Iosepho Brodæus, qui id à Plutarcho & Arriano præteritum affirmat, secus habet, Plutarchus enim hoc tantùm dicit, id inflatius ab alijs scriptum, Arrianus non sine numine traiectum docet. nos plura ad cap. 1. lib. 3. Q. Curtij.

Cùm Alexander in Lyciam venisset, per id tempus prope Xanthum opidum fons inibi exundabat, æreamque tabellam egesserat, in qua perantiquis characteribus scriptum erat, imperium Persarum à Græcis dissolutum & occupatum iri. XV.

Nec tacendus nodus Gordius, quem omnes Alexandri Biographi celebrant, de quo oraculum ferebatur, illum tota Asia potiturum, qui implicitum & intricatum illum nexum expediret. Alexander ergo cùm in eo soluendo aliquandiu laborasset, tandem ferro abrupit, atque ita vel expleuit oraculum, vel elusit. de quo infrà lib. 3. c. 2. copiosè disseruimus. XVI.

Tyrum accedamus, ad quam multa & admiranda cùm Tyrijs, tùm Alexandro prodigia ostensa, quæ expugnationem regi, Tyrijs exitium, quamquam non intelligentibus, & omnia in hostem auertentibus portenderunt. Illis dum fornacibus ferrum & relà cuderent, è caminis sanguinis riui profluxere. Apollo ex vrbe cedere velle auditus, & aureis vinculis & clauis ne fugeret affixus, bellua ingens è mari emersa ad Alexandri aggerem se applicuit. panis in Alexandri castris à militibus fractus ex medulla guttas sanguinis emisit. Hercules in mœnibus Tyri visus, Alexandrum in vrbem inuitabat. Quæ omnia Curtius describit, & fusiùs à nobis illo loco explicantur. Sed Plutarchus oraculum ingeniosum appingit de Satyro, quem ait Alexandro ad fontem per nocturnam XVII. Lib. 4. c. 6. 7. 9. 11. 13. & alij scriptores.

 speciem

speciem oblatum, cuius interpretationem ipse addit: ἑτέραν δὲ ὄψιν Ἀλέξανδρος εἶδεν κατὰ τοὺς ὕπνους· σάτυρος αὐτῷ φανεὶς ἐδόκει προσπαίζειν πόρρωθεν εἶτα βουλομένου λαβεῖν, ὑπεξέφυγεν. τέλος δὲ, πολλὰ λιπαρήσαντος καὶ περιδραμόντος, ἦλθεν εἰς χεῖρας. Οἱ δὲ μάντεις τοὔνομα διαιροῦντες, οὐκ ἀπιθάνως ἔφασαν αὐτῷ σὴ γενήσεται Τύρος. καὶ κρήνην δέ τινα δεικνύουσι πρὸς ἣν κατὰ τοὺς ὕπνους ἰδεῖν ἔδοξε τὸν σάτυρον. *Alia species est noctu Alexandro obuersata: Satyrus ei oblatus est, visus est hic procul ei alludere; quem cùm corripere conaretur, subducere se; tandem post preces multas suas, & circumcursitationes, venire in manus suas. Ei vates dissecto nomine non absurdè responderunt, Tua erit Tyrus. quòd σὰ Græcè* tua *significet. Ostendunt fontem apud quem videre secundum quietem visus est Satyrum.*

XVIII. Iam ad Ammonem properanti multa mirissima in itu, ipsoque oraculo euenere suo nobis loco pro copia enarrata. hic tantum coruos viæ duces, aut dracones, vt nonnullis placet, laudamus, & imbrem repentè iam siti deficientibus largissimè contra loci, temporis, & soli naturam effusum. Error quoque sacerdotis Iouis iucundus regi & diuinitùs credebatur obiectus, cùm vellet vi grandis natu Pontifex Alexandrum iuuenem Græcè παιδίον *filiolum* appellare, παῖ Διὸς dixisse fertur *nate Iouis.* Quæ an ex composito, an casu facta sint, in medio relinquo; ego conficta potiùs arbitror, vt apud hoc genus hominum nihil fictum.

XIX. Alexandriam molienti multa mira ostendêre felicitatem & opes futuræ vrbis, polenta, inquam, ab auibus depasta, quæ aduenarum portendebant copiam, qui ad mercatum Alexandriam ex varijs partibus orbis properaturi sint. Situs quoque ad insulam Phari ostensus est Alexandro quiescenti ab Homero pronunciatis duobus versibus, quos infrà posui.

XX. *Ælian. l. 15. cap. 21.* Draco ingens cubitos septuaginta longus, oculis ad modum magni & rotundi clypei Macedonici ingentibus, qui caput ex immani antro protulit, & horrifico squamarum strepitu & terrifico tantùm non exanimauit exercitum transeuntem.

XXI. Eratosthenes quoque auctor est apud Plutarchum, calones & lixas, quæque castra sequuntur seruitia Alexandro omen futuræ ad Gaugamela pugnæ extremæ præbuisse, cùm prius omnes in duas diuisi partes glebis & ludibus congressi, vix possent amplius dirimi, alteramque Alexandri, alteram Darij personam egisse, iussosque demum ab Alexandro solos duces congredi, quorum alterum armauit Alexander, alterum qui Darij partes sustinebat, Philotas, atque acerrimè inter se depræliatos, Darium demum ab Alexandro victum, atque præmij loco Alexandrum septem vicis donatum & iure stolæ Persicæ gestandæ.

XXII. Accessit alterum omen, quod militem Alexandri vehementer terruit, luna, cùm pleno ore subexortum noctis læta risisset, repentè hebescere, nitorem condere, & suffusa sanguine lumen omne fœdare cœpit. Sed Alexander vocatis Ægyptijs, qui siderum naturam, solisque & lunæ labores optimè cognorant, docet principes exercitus, lunæ defectionem semper Persis exitialem, solis noctem Græcis exitium portendere, idque vates exemplis ab omni antiquitate petitis demonstrauere.

XXIII. Tertium fuit, cùm iam in prælium ruentis aquila supra Alexandri verticem sublimis volaret, & cursum rectà in hostem dirigeret, quod spectaculum mirificè militum studium, fiduciam & ardorem præliandi accendit.

XXIV. *Polyæn. l. 4. nu. 25. Plutarch. in Alex. copiosiùs.* Nec hoc inter admiranda censeri non potest, quod Polyænus tradit, Alexander per aridam & expertam aquæ viam iter faciens, maximè siti laborabat, itemque Macedones speculatores regionis cùm in cauo saxo pauxillum aquæ reperissent, eam in galeam impositam Alexandro attulerunt. ille ostendens exercitui, vt apparente aqua bonum animum gererent, neque aquam ipse bibit, sed in omnium oculis & conspectu galeam effudit. Macedones clamore sublato iussêrunt, vt ipse viam præcederet, fortiter siti resistentes ob regis continentiam at-

que

quæ tolerantiam. Cuius generis exempla habemus in Dauide rege, Theodosio iuniore, Catone Vticensi.

Cùm Susidas fauces oppugnaret, & aliquandiu ob loci situm frustrà fuisset, duce Lyco peregrino, quem illi oraculum submisit. In superiora per occulta via-rum euasit, & portas occupauit. XXV. Idem Polyænus num 17. & Plutarch.

Multa apud Indos cum Gymnosophistis contulit, propositis decem problematis, ad quæ qui ineptissimè respondisset, inscitiam morte lueret: sed hæc prolixiora sunt, quàm vt hic describantur, quæ in commentario suo loco ex Plutarcho recognosces. Omitto etiam quæ Nearchus ex lustrato Oceano retulit, & quæ ad Babylonem redeunti Alexandro prodigia ominosa & mortis nuncia sunt oblata, ad finem commentariorum ponenda. Nec ignoro multa alia in fabulosa Alexandri historia portenta legi, iureque à nobis negligi, nihil in literas, quod auctore iusto fideque careat, mittere consuetis. XXVI.

Nec omittendum quod Siculus & Curtius meminerunt, vt infrà suo loco copiosiùs ostendemus. Ptolemæus Lagi Alexandro in paucis charus, qui postea in Ægypto regnauit, telo ab hostibus veneno illito ictus, vita periclitabatur, cui Alexander ostensa per somnum diuinitùs salutari herba medicinam fecit, & iamiam ad plures properantem inter viuos seruauit. De hac tamen re aliter Strabo in 15. p. 497. Cicero idem narrat lib. 2. de diuin. XXVII.

Multo minus quod sequitur, tacendum. Cum rex ad Oxum flumen accessisset, & Proxenus metator castrorum pro regio tabernaculo terram foderet, fontem pinguis olei detexit, cumque primum liquorem exhausisset, tum verò liquidissima purissimi olei vena secuta est; quæ res omnes admiratione, regem ingenti etiam gaudio affecit; sed prodigio ad vates relato, responsum est, gloriosum quidem, & illustre, sed periculosum & laboriosum bellum imminere: ad labores enim mitigandos à Deo mortalibus oleum indultum. Alexander autem in literis ad Antipatrum hoc singulare Dei munus prædicat, quod ille locus alioqui nullas oleas alat, vti Plutarchus testatur. Curtius lib. 7. c. 25. de fonte aquæ, non olei, meminit. *Quarto die*, inquit, *ad flumen Oxum peruentum est, hic quia limum vehit, turbidus semper & insalubris est potui. Itaque puteos miles cœperat fodere: nec tamen humo altè egesta existebat humor. Cùm in ipso tabernaculo regis conspectus est fons, quem quia tarde notauerant, subitò extitisse finxerunt, rexq; ipse credi voluit donum id fuisse* (Deûm.) XXVIII.

Non tamen hoc, quod inter mira propè maximè mirum videri potest, quodque de nullo alio principe, rege, aut imperatore factum lectumque memini, silentio transmittendum: Septuaginta vrbes ab Alexandro conditas, atque inter has octodecim Alexandrias ab Stepha no enumeratas; quarũ prima est in Ægypto omnium maxima & celebratissima, oraculo condita, dicta etiam Racotis, & Pharus, & Leontopolis, quod Olympiadis vterus leonis imagine signatus esset Philippo patri visus, cum vxor concepisset. Appellata est & per excellentiam πόλις, vt ἄστυ Athenæ, & vrbs, Roma. altera Troiæ, patria Hegemonis poëtæ epopœi, qui bellum Lacedæmoniorum, & Thebanorum Leuctricum descripsit. tertia Thraciæ, haud procul Sparta, quam condidit eum septimum decimum ætatis annum ageret. quarta apud Neartas Ichtyophagos, dum Indiam nauigio obiret. quinta in Opiana apud Indos. sexta rursus in India. septima apud Arios Indicam gentem in Parthyænis. octaua in Cilicia, nona in Cypro. decima in Latmo Cariæ, in qua Adonion erat, vbi Praxitelis Venus seruabatur. vndecima apud Bactra, duodecima, apud Arachotas. XIII. in Maracene, quam alluit amnis Maxates. XIV. apud Sorianos Indicam gentem. XV. apud Arachotas rursus Indiæ finitima. XVI. ad sinum nigrum. XVII. apud Sogdianos ad Paropamisadas. XVIII. ad Tanaim. Est & in Ida locus ad Troiam Alexandria dictus à Paride, vbi iudicium dearum celebratum est. XXIX.

Alexander cùm ad Indos venisset, ab regina Candace in priuati habitu deprehensus & captus est, ad quem regina, Alexander rex, tu orbem terrarum cepisti, nunc à fœmina detentus es, cum qua Alexander & fœdus pacemque sanxit, Suidas.

xit,

xit, prouinciamque eius intactam seruauit. Hanc tamen narrationem non immerito suspectam & fabulosam nonnulli iudicant.

cap. 94. Quale ostentum Alexandro M. in Liberi templo apud Thracas sacrificanti prouenerit, docet * Suetonius in Augusto. Plura lib. 10. de portentis mortem illi proximam denunciantibus.

CAPVT IX.

Qui honores Alexandro viuo mortuoque habiti sint.



X omnibus, quæ Alexandro M. honorificè contigerunt, nihil ego illustrius & magnificentius reor visu venisse, quàm quod apud omnem posteritatem id nomen sit consecutus, vt ab omnibus propè scriptoribus in exemplum velut vnicus, & maximus orbis imperator traheretur, ita vt neminem aliquem reperirent, qui cum suos duces, reges, imperatores, quos vel panegyricis laudationibus celebrare, vel funebribus epicedijs colere, vel publico rerũ publicarum & vrbium nomine salutare volebant, dignius quàm cum Alexandro M. componerent: quod equidem veris rationibus rem æstimantibus multo amplius & honorificentius est, quam vel colossos, vel statuas posuisse, vel excelsos obeliscorum apices erexisse, vel ingentium pyramidum metas cælo admouisse, vel arcus triumphales exædificasse, vel templorum moles in cœlum eduxisse, in quæ monumenta, vel tempestas fulminum deſæuit, vel temporum longinquitas, quæ dissoluit omnia, ius suum exercet, vel bellorum clades terrarumque concussiones & tremores euertunt. Nec satis fuit Alexandro, hos ab rerum scriptoribus consensu honores consecuto; ipsi summi Impp. vnum sibi proponere Alexandrum, vnum æmulari, vnum æquare studuerunt, vt superarent, simul omnes omnibus sæculis desperarunt. Maximus ille habebatur, qui proximè hunc rerum gestarum magnitudine assequi videbatur, quem vnum Cæsarem scimus, cæteri omnes longis parasangarum interuallis eundem secuti

In Frag. l. 3. sunt. De Pompeio Sallustius testatur, *qui prima, inquit, adolescentia sermone fautorum similem se fore credens Alexandro regi, facta consultaq; eius quondam æmulus erat.*

Lampridius Seuer. Alexander Seuerus legit vitam Alexandri, quem præcipuè imitatus est, quem inter Diuos & optimos in Larario maiore consecrauit.

Homil. 26. in post. ad Cor. D. Chrysostomus Alexandrum ab senatu Romano inter Diuos relatum affirmat, & tertium decimum dictum inter Consentes Romanorum præcipuos Deos.

Casaubonus ad Lampridiũ p. 189. Xiphilinus. Antoninus Caracalla Imperator seipsum cum Alexandro composuit, & Orientalem Alexandrum appellitauit. *Cæterùm erga Alexandrum ita erat affectus, vt armis poculisq; similibus ijs, quibus ille vsus fuerat, vteretur: eiq; complures statuas in castris, atque adeò in vrbe collocauit, comparauitq; phalangem ex solis Macedonibus, in qua erant hominum sedecim millia, eamq; phalangem Alexandri cognominauit. Hi vtebantur eodem armorum genere, quo viuo Alexandro armati fuerant. Hæc erant galea facta ex crudo bouis corio, thorax ex lino triplex, scutum ex ære, lancea longa, hasta breuis, crepida, gladius. Quibus rebus minimè contentus sese Alexandrum Orientalem Augustum appellauit: scripsitq; aliquando ad senatum, animum Alexandri in corpus Augusti introisse, vt quoniam illi fuerat vita breuis, in hoc viueret diutius. Philosophos, qui sunt Aristotelici nominati, tam magno est odio prosecutus, vt voluerit libros Aristotelis comburere, atque Aristotelicis sodalitates & cætera commoda, quæ habebant in Alexandria sustulerit, criminatus eos, quod Aristoteles caussa mortis Alexandri visus esset. Quumque hæc faceret, ducebat secum plures elephantos, vt in hac re Alexandrum, vel potius Dionysium imitari videretur. Igitur tanto amore prosequebatur Alexandrum & Macedones,*

cedones, vt cum aliquando tribunum militum Macedonem collaudasset, quòd insiluisset in equum celeriter interrogassetq́ primò cuias esset, cumq́ intellexisset Macedonem esse, rogarit nomen, post vbi audiuit Antigonum esse, quæsierit ex eo, quod nomen fuisset patri, vtq́ ipsum inuenit Philippo patre natum, cuncta, inquit, quæ cupiebam habeo: eumq́ statim clarum reddidit apud reliquas legiones, nec ita multò pòst in senatorium & prætoriũ ordinem cooptauit. Alterum quoque cui nihil rei erat cum Macedonia, quiq́ magna scelera commiserat, ob eaq́ reus factus erat: postquam intellexit Alexandrum vocari, crebroq́ accusatorem ita dicere: Homicida Alexander, Dijs infestus Alexander; perinde iratus est, atque si ipse malè audiret; Nisi (inquit) tibi satis erit de Alexandro dictum, perijsti.

Idem Spartianus de Caracalla memorat. Et de animę Alexandri transmigratione ex Pythagoreorum disciplina, etiam impius Iulianus credi voluit, Alexãdrum in se transmigrasse, & philosophi Maximi persuasione non minorem se de Persis victoriam, quàm Alexander, reportaturum. vt ex antiquis Scriptoribus Baronius ostendit anno CCCLXIII. Adeò superbissimus quisque Imperatorum volebat Alexander M. videri.

Paulus diaconus hist. miscell. lib. 12.

Alexander rursum Seuerus, *Alexandri M. habitu numos plurimos figurauit, & quidem electreos, sed plurimos tamen aureos.* Facit hoc quoque mirificè ad laudem Alexandri M. quod de nobilissima Macrianorum familia refert his verbis Pollio in Quieto Imperatore, Macriani Imperatoris F. *Videtur*, inquit, *mihi non prætermittendum de Macrianorum familia, quæ hodieq́ floret, id dicere, quod speciale semper habuerunt. Alexandrum M. Macedonem viri in auro & argento, mulieres in reticulis & dextrocherijs, & in anulis, & in omni ornamentorum genere exculptum semper habuerunt; eousque, vt tunicæ & limbi, & penulæ matronales in familia eius hodieq́ sint, quæ Alexandri effigiem delicijs variantibus, monstrent. Vidimus proximè Cornelium Macrum in eadem familia virum, quum cœnam in templo Herculis daret, pateram electrinam, quæ in medio vultum Alexandri haberet, & in circuitu omnem historiã contineret signis breuibus & minutulis, Pontifici propinare: quam quidem circumferri ad omnes tanti illius viri cupidissimos iussit. Quod idcirco posui, quia dicuntur iuuari in omni actu suo, qui Alexandrum expressum, vel auro gestitant, vel argento.* Ad quem locũ Casaubonus, Alexandrum, inquit, multi Græcorum non secus, ac Deum sunt venerati. Erat autem moris simulacrum alicuius numinis, à quo iuuari se putarent, circumferre. Sic narrat Ammianus lib. 22. Asclepiadem philosophum, qui temporibus illis viuebat, Deæ cœlestis argenteum breue figmentum, quocunque ibat, secum solitum afferre. Tale aliquid fuisse illud videtur, quod Apuleius habuit sudario linteo inuolutum: de quo multa ipse in Apologia.

Lampridius in Seuero.
Trebellius Pollio.
In notis p. 477.

Augustus Imperator, Alexandriæ cum corpus Alexandri è conditorio prolatum inspexisset, corona aurea imposita, & floribus aspersis veneratus est. Consultus num & Ptolomæum inspicere vellet, *regem ait se voluisse videre, non mortuos.* ac si Alexander viueret, aut regio nomine dignus censeretur.

Suetonius cap 18. in Aug.

Quid de Cæsare dicemus, quem inspecta duntaxat apud vltimas Gades, in templo Herculis, Alexandri imago ad res maximas incitauit. * Suetoniũ audi: *Quæstori vlterior Hispania obuenit: vbi cùm mandatis prætoris iure dicundo conuentus circumiret, Gadesq́ venisset, animaduersa apud Herculis templum Magni Alexandri imagine, ingemuit: & quasi pertæsus ignauiam suam, quod nihil dum à se memorabile actum esset in ætate, qua iam Alexander orbem terrarum subegisset, missionem continuo efflagitauit, ad captandas quamprimùm maiorum rerum occasiones in Vrbe.*

* cap. 7. A.V.C. DCLXXXVII.

Augustus Imperator in diplomatibus, libellis & epistolis signandis vsus est imagine Alexandri M. Idem cum Alexandrini post vrbem vi captam extrema se passuros existimarent, Augustus suggestum conscendit, adiuncto sibi Ario Alexandrino, dixit se ciuitati parcere. Primum propter ipsius magnitudinem & pulcritudinem; Dein propter Alexandrum Magnum eius vrbis conditorem.

Suet. c. 50.

Nec vanè Mithridates ille ingens Ponti rex, & Romanorum cladibus illustris, apud Iustinum * gloriatur se maternum genus ab Alexandro M. ducere.

* lib. 38.

Iam verò rerum scriptores & panegyristæ omnes certatim vnum Alexandrum veluti Imperatorum omnium, regum, & principum exemplum proponunt.

Pri-

Liuius Dec. 4. lib. 5. Primùm Liuio principe auctore teste Hannibal ipse rerum militiarum scientissimus & maximus Imperator Alexandrum omnibus omnino belli ducibus, qui vnquam fuerunt & belligerarunt, prætulit.

Idem non habuit quibuscum præstantissimos belli duces Reipub. Romanæ componeret, nisi Alexandrum, quem multitudine & temporum mora succubiturum putauit Romanis. Itaque agminatim producit Coruinos, Rutilios, Sulpitios, Torquatos, Philones, Cursores, Fabios Maximos, quibus tamen Magnus fuit maior; Decios, Volumnios, Curios, Quintios, Cornelios, Camillos; nec inuenit in omni ætate fortiorem & maiorem, quem suis ducibus opponeret.

Iam Tacitus eundem contendit cum Germanico, Agellius cum Scipione, Lampridius cum Seuero, Plutarchus * cum maximis nominibus Romanorum Pompeio & Cæsare, idemque cum Hercule, Agamemnone, Achille, Vlysse, Diomede, Cyro, Agesilao, Themistocle, Philippo patre, Brasida, Pericle, Solone, Miltiade.

* In Cæs. & Pyrrho & lib. 2. de fortuna Alexandri.

D. Chrysostomus queritur apud Antiochenos repertos, qui aurea Alexandri M. numismata, tanquam morborum amuleta capiti & pedibus circumligarent. Tanta regis fuit etiam apud Christianos, quamuis hac in re superstitiosos, existimatio.

Lib. 2. de bellis ciuilib. Nec Appianus inuenit in Cæsare maiorem Alexandro: & Lucianus eundem Hannibali prætulit & Scipioni.

Senec. l. 1. de benef. Nec Corinthij inuenerunt inter mortales quibuscum Alexandrum contenderent: itaque vni parem, vel maiorem Herculi censuerunt.

Secuti sunt hos, seculi posterioris scriptores. Claudius Mamertinus *a* panegyrista, Maximianum suum contulit cum Alexandro. Themistius Eumenius, *b* & alij Constantinum M. cum eodem. Latinus Pacatus Theodosium M. Recentissimi quidam Alexandrum cum Carolo M. è recentioribus Vilalpandus cum antiquissimo & regum sapientissimo Salomone; alij etiam cum alijs. Sed est modus in rebus. Hæc nobis sufficiant.

a pag. 4. *b* pag. 84.

Qua demum pompa transuectus sit Alexandriam, extremo libro decimo, recognoscas.

Nec mirum sanè à paganis illum pro Deo colentibus tot eidem olim colossos, statuas, aras, templa condita, cùm etiam pro numine passim coleretur.

CAPVT X.

Apophthegmata Alexandri M.

1\. *a* Plutarcho & alijs



IN Philippi dictis nihil erat, quod præter vrbanitatem, non etiam ad bonos mores conduceret: nec video, quem Philippo iungamus congruentius, quàm filium Alexandrum. Is puer etiamnum cùm Philippus pater multa præclarè feliciterque gereret, nequaquam eo gaudebat, sed ad pueros æquales accollactaneos dicebat, Pater mihi nihil relicturus est. Illis contra dicentibus, Imò hæc omnia tibi parat. Quid profuerit, inquit Alexander, si multa possidens, agam nihil? Iam tum cognoscas scintillam indolis ambitiosæ & irrequietæ.

2\. Idem cum leuitate corporis ac pedum celeritate polleret, patri hortanti, vt in Olympijs stadium decurreret: Facerem, inquit, si reges habiturus essem concertatores. Et hic agnoscas excelsum, nec cuiquam facilè cessurum in certamine laudis & Imperij. Nondum erat rex, & tamen non dignabatur, nisi cum regibus committi.

3\. Alexandro puero dijs largius facienti suffitum, ac subinde ad tus accurrenti, Leonides illius pædagogus, qui tum aderat: Heus puer, inquit, tum largè facies suffitum,

suffitum, cum regionē deuiceris, quæ thus gignit. Pòst cùm eam regionem obtinuisset, memor eius dicti, hac sententia scripsit illi literas. Mitto tibi thuris & casiæ talenta aliquot, ne posthac parcus sis erga Deos, cùm non ignores nos potitos regione odores gignente.

4. Apud Granicum, Martem experturus hortabatur Macedones, vt affatim prandérent, veluti postridie ex hostium commeatu cœnaturi. Præsens animus ac de belli euentu fidens ac securus.

5. Perillus vnus ex amicorum Alexandri numero, filiabus suis ab Alexandro dotem petijt. Iussit rex illum capere talenta quinquaginta: cumque is respondisset, decem satis esse, Tibi quidem, inquit, satis est tantum accipere, mihi verò non satis est tantum dare. Præclarè dictum, nisi virtutis indolem ambitio vitiasset.

6. Anaxarcho Philosopho iusserat quæstorem dare, quantumcunque ille postularet, cumque quæstor audita postulatione turbatus Alexandro indicasset, philosophum petere centum talenta: Rectè, inquit, facit, sciens se amicum habere, qui tantum dare & possit & velit. Hic dubites vtrum potiùs admirari oporteat, regiámne liberalitatem in donando, an philosophi improbitatem in postulando: nisi malumus hanc vocare fiduciam.

7. Mileti cùm vidisset multas statuas eorum, qui in Olympijs, ac Pythijs vicerant, easque prægrandes: & vbi, inquit, erant tam magna corpora, cum barbari vestram vrbem obsiderent? Salsè taxauit illorum stultam ambitionem, qui gloriarentur his, qui corporum magnitudine, viribusque præstantes in ludicris certaminibus victoriam reportassent, cùm in tantis periculis nulli fuissent, qui aduersus barbaros se tales præberent.

8. Cùm regina Carum Adas illud haberet studio, vt assiduò mitteret Alexandro opsonia, bellariaque per talium rerum architectos eoquosque magna arte parata, Alexander ait, seipsum habere meliores opsoniorum artifices, ad prandium quidem nocturnum iter, ad cœnam verò tenue prandium.

9. Quodam tempore cum omnibus ad prælium apparatis interrogaretur, nunquid aliud præter hæc fieri vellet: Nihil, inquit, nisi vt Macedonum barbæ radantur. Hoc dictum quid sibi vellet admirante Parmenione: An nescis, inquit, in prælio nullam ansam meliorem esse, quàm barbæ? Significabat cominus esse pugnandum, in quo genere certaminis barbæ officiunt, quod his milites facillimè possunt apprehendi.

10 Darius obtulit has conditiones Alexandro, vt ab ipso acciperet talentorum decem millia, & insuper Asiam secum ex æquo partiretur. Id cum recusaret Alexander, Ego, inquit Parmenio, accepissem, si Alexander essem. Et ego, inquit Alexander, si Parmenio essem. Dario verò hunc in modum respondit. Neque terram duos soles, neque Asiam duos reges ferre posse. Et hic animi celsitudinem probare possis, nisi dictum impotentiam quandam dominandi saperet.

11. Cùm in Arbelis de rerum summa periclitaturus esset, conflicturus cum mille hominum millibus ad pugnandum instructis, adierunt illum milites aliquot ipsi beneuolentes, deferebantque cæteros, quod in castris inter se miscerent sermones conspirarentque, ne quid prædæ in regium tentorium deportarent, sed ipsi totum in suum verterent lucrum. His auditis subrisit Alexander: Fausta, inquit, nunciatis. Siquidem audio sermones virorum ad vindicandum, non ad fugiendum animatorum. Nec illum fefellit diuinatio: Plurimi namque milites regem adiere dicentes, Bono animo esto rex, neque metuas hostium multitudinem, ne pædorem quidem nostrum ferre poterunt.

12. Idem instructa iam ad prælium acie, cùm cerneret militem quendam id temporis amentum telo adaptantem, vt inutilem submouit ab exercitu, qui demum appararet arma, cùm his vtendi tempus adesset. Hoc inter stratagemata magis commemorandum erat, quàm inter apophthegmata, quemadmodum & hoc quod subijciam.

13. Legebat Alexander epistolam à matre missam, quæ arcana quædam & ca-

lumnias aduersus Antipatrum continebat, simulque, vt solet, cum rege legebat Hephæstion, nec eum rex vetuit legere, sed perlecta epistola anulum signatorium è digito detractum ori illius appressit: hoc gestu admonens, vt arcana contineret. Exemplum insignis cùm de amico fiduciæ, tum etiam humanitatis egregiæ, qui calumnias latiùs spargi noluerit, licet inuisum haberet Antipatrum.

14. In Ammonis templo, cum à vate dictus esset Iouis filius: Nihil inquit, mirum. Nam Iupiter omnium quidem pater est, sed ex his optimos quosq; peculiariter suos facit. Modestissimè interpretatus est oraculum: nam vates per adulationem dixit illum filium Iouis, quasi sic è Ioue prognatus esset, quemadmodum Hercules creditus est esse Iouis filius. Alexander fassus est Iouem natura autorem ac parentem esse omnium, sed eos demum peculariter pro suis filijs agnoscere, qui virtute ac præclarè gestis proximè ad diuinam naturam accederent. Ea est omnibus bene facere.

15. Cum in bello crus esset illi sagitta vulneratum, multique accurrerent qui ipsum frequenter Deum appellare consueuerant, exporrecta hilarique fronte ad Homeri carmen alludens dixit: Hic sanguis est quem videtis, liquorque qualis diuis solet emanare beatis. Nimirum irridens adulatorum vanitatem, cum ipsa res declararet ipsum nihil aliud esse quàm hominem. Allusit autem ad locum Homeri Iliadæ, vbi narratur Venus à Diomede vulnerata.

16. Nonnullis Antipatri frugalitatem laudantibus, quod alienam ab omnibus delicijs austeramque vitam ageret, Foris, inquit, Antipater albo vtitur pallio, intus verò totus est purpureus. Notans fictam illius parsimoniam, cum esset alioqui ambitiosissimus.

17. Cum hyeme frigidoque cælo apud amicum quendam conuiuio acciperetur, videretque foculum exiguum & ignis pusillum: Aut ligna, inquit, inferte, aut thus. Subnotans conuiuatorem lignis suis parcere, perinde quasi thus essent, cùm in rigore tanto, nec thuri parcendum esset: simul satis esse ignis ad faciendum suffitum dijs, at parum, ad depellendum frigus.

18. Cùm Græci qui apud hostes stipendium faciebant, venissent in potestatem Alexandri, Athenienses quidem iussit in compedibus seruari, quòd cùm ex publico stipendium haberent, tamen apud hostes meruissent: similiter & Thessalos, quòd regionem optimam nacti non eam colerēt. Thebanos verò dimisit dicens, His per nos nihil est reliquum, neque ciuitas, neque agri. Ita moderatus est pœnam, vt mortem commeritis non indiceret, nisi vincula, & culpam eorum qui necessitatem excusare poterant, in se transtulit.

19. Ex Indis quendam sagittandi arte cum primis celebrem, adeò vt etiam per anulum sagittam mittere diceretur, cum in bello cepisset, iussit artis suæ specimen edere: recusantem iratus rex necari iussit. Cùm duceretur homo, dixit his, à quibus ducebatur, se multis diebus non exercuisse artem, eoque timuisse ne aberraret. Id ibi renunciatum est Alexandro, quod non contumacia, sed ignominiæ metu recusasset, admiratus ingenium gloriæ studiosum, dimisit illum donatum, eo quòd mortem oppetere maluisset, quam fama sua videri indignus. Hic apparet non omnino vanum esse, quod prouerbio iactatum est, Simile simili esse amicum. Alexander gloriæ supra modum appetens similem affectum in alijs amabat.

20. Taxiles vnus è numero regum Indiæ occurrens Alexandro, sic illum affatus est: Prouoco te, inquit, non ad pugnam, neque ad bellum, sed ad aliud certaminis genus. Si inferior es, à nobis accipe beneficium: sin superior, nobis benefacito. Cui Alexander: Atqui, inquit, ob hoc ipsum inter nos certandum est, vter benefaciendo superet alterum. Et humanissimè complexus illum, non solum, non spoliauit ditione, sed auxit etiam.

21 Cùm audisset de rupe quadam apud Indos, quæ ob sublimitatem velut auibus inaccessa ἄορνος dicitur, quòd ipse quidem locus expugnatu difficilis esset, sed qui eum teneret formidolosus. Nunc inquit, locus captu facilis est: significans

cans nihil prodesse munimenta, nisi vir fortis ea tuetur. Arx enim non tam fossis, ac muris tuta est, quàm viris.

22. Cùm alius quidam rupem teneret inexpugnabilem, vt putabatur, semet Alexandro dedidit: at Alexander non solum eius ditionis principem esse iussit, verum etiam addidit, dicens, Hic homo mihi videtur sapere, qui se maluit bono viro, quàm loco munito concredere.

23. Rupe capta cùm amici dicerent illum egregijs gestis Herculem superasse: At ego, inquit, meas res gestas in imperio, ne verbo quidē cum his, quæ gessit Hercules, arbitror conferendas. Adulabantur illi, sed huius animo nulla satis faciebat adulatio.

24. Quosdam ex amicis mulctauit, quòd in ludo aleæ sensisset eos nō ludere. Siquidem multi sunt, qui in hoc ludo velut in re maximè seria versantur. Non enim ludunt, qui fortunas suas oēs, interdū & liberos, aleæ permittunt arbitrio.

25. Inter amicos quos habebat præcipuos ac potentissimos omnium maximè videbatur honorare Craterum, sed omnium maximè diligere Hephæstionem. Craterus enim, inquit, amat regem, Hephæstion amat Alexandrum. Id Græcè iucundiùs dicitur, φιλοβασιλεὺς & φιλαλέξανδρος. Sentiens Craterum in his quæ ad regiam dignitatem attinebant, præstare fidum amicum, Hephæstionem priuato quodam affectu diligere Alexandrum. Pariter itaque licet dissimiliter amantibus, diuersa ratione persoluit præmium: Craterum ornauit dignitate, Hephæstionem ad intimam admisit familiaritatem.

26. Xenocrati philosopho quinquaginta talenta dono misit: ea cum ille recusasset accipere, dicens sibi non esse opus, interrogauit, anne amicum quidem vllum haberet, cui esset opus: Nam mihi, inquit, vix Darij opes in amicos sufficerunt. Hic vtrius animum magis admirari conueniat, nondum statui, regisne tam ad liberalitatem propensum, an philosophi qui tantum munus à tanto rege vltrò delatum remiserit.

27. Porus rex ab Alexandro deuictus, cùm ab eo post pugnam rogaretur dicente, Quomodo te tractabo? Regaliter ait. Rursus subijcienti Alexandro, Num quid etiam aliud? Omnia, inquit Porus, complectitur hoc verbum, regaliter. Alexander & prudentiam & fortitudinem viri admiratus, latiorem ditionem illi addidit eâ quàm prius obtinuerat. Supplici & ad pedes abiecto minus concessisset, Adeò diligebat animosus iuuenis impauidos animos. Qu. Curtius* aliquanto secus narat. *Interrogatus* Porus *quid ipse victorem statuere debere censeret: Quod hic, inquit, dies tibi suadet, quo expertus es, quàm esset caduca felicitas*. Submouit regem, vt modestè sua fortuna vteretur, memor, ipsi posse accidere, quod acciderat Poro. *li. 8. c. 14.

28. Cùm accepisset esse quendam qui conuitijs ipsum impeteret: Regium est, inquit, cùm facias benè, audire malè. Nihil hoc dicto generosius: quanquam idem & alijs ascribitur.

29. Morti proximus ad amicos respiciens dixit, Magnum epitaphium video futurum: præsentiens res ab ipso gestas multorum eloquentia celebrandas. Nec eum sua fefellit diuinatio.

30. Edicto vetuit, ne à quoquam pingeretur, præterquam ab Apelle; aut à quoquam ære sculperetur, præterquam à Lysippo, artificibus illius ætatis præstantissimis. Nam hoc quoque iudicabat ad principis dignitatem pertinere. Cum Cherylo poëta pactus erat, vt pro vnoquoque bono versu Philippicum acciperet aureum, pro malo colaphum.

31. Idem interrogatus vbi suos reconderet thesauros: Apud amicos, inquit, significans facultates nusquam reponi tutius. Cùm enim res postulat, redeunt ad te cum fœnore.

32. Cùm nuncius quidam gaudio gestiens, porrectaque manu accurreret, rem prosperè gestā narraturus: Quid mihi bone vir magni nūtiabis, nisi nunties Homerum reuixisse? significans omnium præclarè gestorum gloriam abolendam: nisi contingeret talis præco, qualis fuit Homerus.

33. Ciuitas quædam vt ab armis Alexandri quietem haberet, obtulit illi partem agrorum, & præterea rerum omnium dimidium. Cui sic respondit, Hoc animo veni in Asiam, non vt acciperem quod dedissetis, sed vt vos haberetis, quod reliquissem.

34. Alexander habebat Eudæmonicum philosophum, sed quouis parasito adulantiorem. Hic cum aliquando tonaret vehementer, adeò vt omnes expauescerent, dixit Alexandro. Quin tu tale quippiam facis Alexander fili Iouis? At ille non ferens tam abiecti philosophi vocem ridens ait: Nolo enim formidabilis esse, quemadmodum tu me doces, qui satraparum ac regum capita me iubes super cœnam apponere. Sic Athenæus. Plutarchus in vita secus aliquanto. Quid mihi succenses, quod pisces apponam in conuiuio, ac potius, satraparum capita.

35. Alexander cùm hyeme duceret exercitum, assidens igni recognoscere prætereuntes copias cœpit: cumque videret senem quendam horrentem frigore, & ad ignem stantem, considere loco suo iussit, dicens: si in Perside natus esses, in regia sella sedere tibi capitale foret: in Macedonia nato conceditur

36. Idem Aristotelem, cui puer formandus fuerat traditus, summa veneratione prosequebatur, dicens, se illi non minus quàm patri debere: quod à patre viuendi, à præceptore benè viuendi initium accepisset.

37. Cum pirata captus ad ipsum deductus esset, rogatus qua re fretus auderet infestare maria, compendiò respondit: Ego, inquit, quoniam id vnico nauigiolo facio, pirata nominor: tu cum idem facias magna classe, rex appellaris. Alexander admiratus intrepidum animum, donauit illi vitam.

38. Idem Delphos profectus, cùm sacerdos negaret se consulturum Deum, quòd dies essent nefasti, quibus ne oraculis quidem loqui fas esset: vi pertracta secum sacerdote templum ascendit, cumque illa importunitate victa diceret, Inuictus es, ô fili, Satis, inquit, Alexander, oraculi est mulieris vocem responsi loco ducens.

39 Posteaquam in expeditionem profectus, regias opes pœnè omnes in milites ac duces distribuisset, roganti Perdiccæ: Quid tibi nunc, rex, superest? Spes, inquit. Hic Perdicca, Hæc, inquit, nobis commilitonibus tuis futura communis est & prædium quod ipsi designarat Alexander, recusauit. Tanta erat fiducia benè successuram expeditionem.

40. Idem initio cùm in causis capitalibus sederet iudex, accusatori alteram aurem occludebat: rogatus cur id faceret, Alteram, inquit, integram seruo reo.

41 Cùm Philoxenus classis præfectus Alexandro scripsisset, Tarentinum quendam Theodorum esse apud se, pueros habentem insigni forma venales, si vellet emere: indignè tulit, apud æquales subinde clamitans, Quid in me Philoxenus tam obscœnum animaduertit, vt mihi tantum probri conciliaret?

42. In Callisthenem nequaquam sese accommodantem aulæ regiæ moribus, sed & dictis & gestu præ se ferentem nihil ibi placere, dixit hunc versiculum:

Μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός. id est,

Sapientem ego odi, qui sibi sapit nihil

43. Nysam expugnaturus, cùm videret milites deterreri fluminis, quod ciuitatē præterlabitur, profunditate, exiliit. O me omnium deterrimum exclamans, qui natare non didicerim: moxque clypeo pro subere innixus primus tranauit.

44. Ilium profectus, Achillis statuam coronans; O te felicem inquit, Achilles, cui viuo talis amicus, mortuo talis contigerit præco. De Patroclo loquens & Homero, quorum ille fidissimus Achilli fuit amicus, hic defunctum Iliade tota celebrauit.

45. Darij regiam ingressus, cùm vidisset sublime cubiculum, & in eo stratum, mensas, cæteraque omnia mirifico ornatu instructa. Hoccine, inquit, erat imperare? Sentiens non esse regium, huiusmodi delicijs indulgere.

46. Idem lectum ingressus, excussis accuratè pallijs dicere solet: Nunquid hic delicatū aut superfluū mater addidit? Adeò abhorrebat à muliebribus delicijs.

47. Cum

47. Cùm delato ad ipsum scriniolo, quo nihil inter opes Darij pretiosius pulchriusue repertum est, quæreretur, in quem vsum destinandum esset, alijs aliud suadentibus, dixit; Huic optimè seruandus dabitur Homerus. Sentiens nullum esse thesaurum illo preciosiorem. Ita visum est Iuueni, qui se totum ad exemplar Achillis componebat.

48. Idem hortante Parmenione, vt noctu hostem adoriretur, alioqui summum fore discrimen, si palam cum tanta multitudine Martem experiretur: (siquidem ex fragore procul velut è pelago resonante, coniectabant immensum esse numerum) Non furor, inquit, victoriam: recusant tenebrarum presidio vincere.

49. Cùm legisset prolixam epistolam ab Antipatro scriptam, in qua multæ inerant aduersus Olympiadem calumniæ: Ignorare videtur, inquit, Antipater, quod vna matris lacryma multas delebit epistolas.

50 Cùm audisset Anaxagoram disserentem, innumerabiles esse mundos, illacrymasse dicitur, Rogantibus numquid accidisset lacrymis dignum, An videor, inquit, meritò flere, qui cùm mundi sint innumerabiles, nos nondum vnius domini facti sumus?

51. Philippus à Triballis in prælio vulneratus est, femore lancea traiecto: opera chirurgi liberatus periculo mortis, dolebat claudicationis deformitatem contractam manere. Cui Alexander, Ne verearis, inquit, in publicum prodire, sed gradum mouens virtutis tuæ potius memineris. Hoc & alijs ascribitur.

52. Si quando in colloquijs, aut conuiuijs incidisset contentio de carminibus Homeri, alijs alia præferentibus, hoc vnicè probauit Alexander:

Ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, καὶ κρατερός τ' αἰχμητής. Id est:

Dux bonus atque idem validus pugnator in armis.

Addebat Homerum hoc versu virtutem Agamemnonis prædicasse, Alexandri vaticinatum esse.

53. Cum transmisso Hellesponto Troiam inuiseret, veterum heroum res gestas animo reuoluens, quidam, si vellet, pollicitus est, se Paridis lyram daturum. Hic Alexander, Minimè, inquit, illa mihi est opus, cum Achillis lyram habeam. Hac vir strenuus fortium virorum laudes canere consueuit, cum Paris sua lyra molles ac lasciuos modulos incineret.

54. Quodam tempore Darij mulieres inuisit vnà cum Hephæstione. Hunc, cùm esset eodem ornatu quo rex, corpore etiam maior, * Syngambris Darij mater pro rege adorauit. Eadem cum ex nutibus astantium intellexisset errorē suum, perturbata denuò salutauit Alexandrum. Tum Alexander: Nihil est, ô mater, quod turberis. Nam & hic Alexander est; sentiens amicū esse alterū Alexandrū. *Sisygambis.

55. Cum in Hamonis templum venisset, sacerdos grandæuus illum salutauit, Salue fili, & hanc appellationem à Deo habeas. Tum Alexander, Accipio eam, ô pater, & post hac parior tuus dici, si mihi totius orbis dominium concesseris. Sacerdos recepit se intrò, & quasi consulto Deo respondit, Iouem certò promittere, quod peteret. Hic Alexander, Scire cupio num quis superfit inultus eorum, qui patrem meum interfecerunt. Ad hæc Sacerdos, Philippi, inquit interfectores, omnes dedere pœnas, sed patri tuo nemo mortalium potest tendere insidias: significans illum esse Iouis, non Philippi filium.

56. Cùm Darius numerosissimum exercitum instruxisset, Alexander profundissimo somno correptus est, adeò vt nec interdiu potuerit expergisci: tandem imminente periculo, amici ingressi regem excitarunt: qui cùm dicerent, se mirari in eo rerum statu, tantam regis securitatem, Magna, inquit Alexander, animi molestia me Darius liberauit, qui vires suas omnes in vnum contraxit, vt liceat vno die de summa rerum decernere.

57. Alexandro Magno Corinthij per legatos ius suæ ciuitatis detulerunt. Hoc officij genus cùm risisset Alexander, quidam è legatis: Nulli, inquit, ciuitatem vnquam donauimus, præterquam tibi & Herculi. Hoc audito lubens accepit oblatum honorem, quem illi commendabat partim raritas, partim cum Hercule laudatissimo viro societas.

 58. Dum

58. Dum in obsidione cuiusdam vrbis infirmissima mœnium quærit, sagitta ictus est, nec tamen ab instituto destitit: mox, cùm represso sanguine, sicci vulneris dolor cresceret, & crus equo suspensum paulatim obtorpuisset, coactus quod cœperat omittere, ac chirurgum accersere: Omnes, inquit, me prædicant Iouis esse filium, sed vulnus hoc hominem esse me clamat.

59. Zenophantus certis modis Alexandrum ad arma solet concitare. Eam musices vim admirantibus cunctis, quidam ait: Si tantus artifex est, thcinat modulos, quibus illum à bellis reuocet. Sentiens, non esse magnæ artis hominem eo propellere, quo suaptè natura pronus est.

60. Alexander statuerat Lampsacum diruere. Ad id tendenti cum Anaximenes Alexandri præceptor veniret obuiam extra muros, deprecaturus suæ ciuitatis perniciem, Alexander suspicans, quid esset petiturus, Iuro, inquit, me non facturũ quod petet Anaximenes: Tum Anaximenes: Peto, inquit, vt Lampsacum diruas. Captus erat Alexander, & iureiurando compulsus est seruare, quos demoliri statuerat.

61. Cùm inuitaretur vt Darijfilias, quas habebat captiuas, inuiseret, prædicabantur enim puellæ admirabili esse forma, noluit ire; non committendum est, inquit, vt eum viros vicerim, vincar à fœminis.

CAPVT XI.

Apophthegmata & dicta aliorum de Alexandro.

Philippi Patris de effusa eius liberalitate.

Plutarch. in vita Alexand.



Hilippus Alexandrum filium obiurgans, quod largitionibus, Macedonum beneuolentiam consectaretur: Quæ te, malùm, inquit, ratio in istam spem induxit, vt eos tibi putes fore fideles, quos pecunia corruperis? an tu id agis, vt Macedones te non regem suum, sed præbitorem putent?

Olympiadis matris.

Olympias Alexandri mater indignè ferens, quod Alexander pateretur se dici filium Iouis: Non desinet, inquit, Alexander me Iunoni inuisam facere. Solent enim vxores extremo odio persequi pellices.

Eiusdem.

Alexandri mater Olympias cùm audisset filij cadauer insepultum fuisse abiectum, inter lamenta dixit hoc quoque: O fili, tu qui studebas cæli particeps esse, huc toto impetu properans ne ijs quidem potiri valuisti, quæ sunt mortalium omnium communia, terra ac sepultura. Alexander viuus ambiebat diuinos honores: defuncto nec vltimus ille contigit honos, quem quiuis homo persoluit homini quamlibet humili. Narrat enim Q. Curtius & Plutarchus, Alexandri corpus multis diebus insepultum iacuisse ob graues procerum concertationes de successione principatus.

Legatorum Persarum.

Legati Persarum absente Philippo ab Alexandro adhuc puero excepti & multa interrogati, miratique sapientiam Alexandri: Puer hic rex, inquiunt, magnus, noster verò opulentus. Plut. 2. de fort.

Iulij Cæsaris.

Cum Alexandri M. res gestas legeret, non tenuit lachrymas, atque ad amicos: Hoc inquit, ætatis qua nunc sum, Alexander deuicit Darium: mihi verò ad hũc vsque diem nihil præclari facinoris gestum est. Suetonius tradit id accidisse, cùm Prætor iure dicundo conuentus obiens, apud Gades in templo Herculis vidisset

disset Alexandri M. statuam. Vtinam hoc ingenium ad moderati potius, quàm maximi principis æmulationem properasset.

Augusti Cæsaris.

1. Cùm audisset quod Alexander natus annos triginta duos, postea quam plerasque mundi regiones peragrarat, dubitasset, quid in reliquum vitæ tempus esset facturus, demirabatur, si Alexander non iudicasset maius opus, bene gubernare partim imperium, quàm amplam ditionem comparasse. Rectè notauit inexplebilem Alexandri ambitionem, qui nullam aliam functionem rege dignam existimasset, quàm proferre ditionis terminos; cùm multo tum pulchrius, tum difficilius sit, regnum quod contigit, rectis legibus, sanctisque moribus exornare, quàm armis regno regnum addere.

2. Cùm Caium ex filia nepotem in Armeniam mitteret, optabat à dijs, vt illum Pompeij beneuolentia, audacia Alexandri, ipsius autem fortuna comitaretur. Quod in singulis erat præcipuum, id optabat vni contingere. Illud autem singularis erat modestiæ, quòd vir ingenio, doctrina, consilioque præstans sua præclarè gesta fortunæ adscribat.

3. Indignè ferebat aliquid de se componi, nisi serio, & à præstantissimis: admonebatque prætores, ne paterentur nomen suum commissionibus mimorum aut histrionum obsolesieri, hac quidem in parte Alexandrum M. referens. Decet vbique principis autoritatem sartam tectam præstare.

Antonini Pij.

Biduo priusquam moreretur, admissis amicis aperuit sententiam suam de filio, eandem quam Philippus de Alexandro, dicens: se æquo animo mori cum filium relinqueret.

Demosthenis.

1. Cùm Alexander pacem hac lege deferret Atheniensibus, si cives octo sibi dederent, inter quos erat Demosthenes, Demosthenes apologum retulit de lupo, qui hac lege pacem obtulit ouibus, si canes dederent: Lupi nomine significans Alexandrum; canum, eos qui tum populi rem curabant: ouium, plebem Atheniensium. Addidit & illud: vt mercatores, inquit, exiguum frumenti in patopside specimen deferunt, per hoc ingentes aceruos vendere cupientes; ita vos si traditis cives octo, qui deposcuntur, populum vniuersum traditis.

2. Cum Athenienses gestirent Harpalo ferre suppetias, iamque in Alexandrum armarentur, derepentè apparauit Philoxenus, quem Alexander maritimis negotijs præfecerat: hic cum populus metu attonitus consilesceret, Quid facerent, inquit Demosthenes, si solem viderent, qui non possunt obtueri lucernam? Ita populo temerarios motus exprobrauit. En, comparat Alexandrum soli.

Antipatri.

Antipater cum didicisset Parmenionem ab Alexandro interfectum, dixit: Si Parmenio struxit insidias Alexandro, cui fidendum est? si non struxit, quid agendum? Erat Parmenio velut alter Alexander in rebus militaribus. si tantus amicus fefellit, non est tutum cuiquam amico fidere. Si Alexander nihil commeritum sustulit, præstat à regum negotijs abstinere.

Memnonis ducis Darij.

Memnon quo tempore bellum gerebat aduersus Alexandrum pro Dario rege, militem quendam mercenarium multa conuitia petulanter iacientem in Alexandrum, hasta percussit, Ego inquiens, te alo vt pugnes cum Alexandro, non vt illi maledicas.

Phocionis Atheniensis.

1. Alexander Macedonum rex centum talenta dono miserat Phocioni, is verò percontatus est, eos qui pecuniam adferebant, quid ita cum essent Athenienses permulti, sibi vni illa mitteret Alexander, illis respondentibus, Quoniam vnum te iudicat virum, & honestum, & bonum. Ergo sinat, inquit, me talem & ha-

beri & esse. Vr scitè arreptum ab illis argumentum torsit ad occasionem recusandi muneris! Iam quis hic non admiretur incorrupti pectoris sinceritatem? pauper erat Phocion, nec doni magnitudine quicquam mouebatur. Simul autem indicat illos, qui cum remp. administrent, tamen à capiundis muneribus non temperant, nec bonos esse viros, nec tales haberi debere.

2. Cùm Alexander ab Atheniensibus posceret sibi triremes exhiberi, ac populus nominatim flagitaret adesse Phocionem, vt quid consuleret, proferret; surgens, inquit: Consulo igitur, vt aut armis superetis eos, aut superantium amici sitis. Compendiò suasit nihil Alexandro negandum, nisi confiderent se iratum posse armis opprimere. Quibus si ille videretur superior, non esse prouocandum animosum iuuenem, & repulsæ impatientissimum.

3. Rumor incerto autore obortus erat de morte Alexandri, moxque rhetores prosilierunt hortantes, ne cunctarentur, sed ilicò bellum susciperent. Phocion expectare iussit, donec certius aliquid cognosceretur. Nam si, inquit, hodie mortuus est, & cras & perendie mortuus erit. Grauiter oratorum præcipitem temeritatem coërcuit.

Hannibalis.

Inter Scipionem Africanum & Annibalem ortus est sermo de præstantia Ducum. Cumque Scipio rogasset quem primum esse censeret, respondit Alexandrum M. quem secundum, Pyrrhum Epirotarum regem, quem tertium, seipsum nominauit. At quid, inquit Scipio, si me vicisses? Tum, inquit, me neque secundum, neque tertium, sed omnium primum censuissem. sed de hoc plenius infrà cap. XIV.

Demadis.

1. Cùm Athenienses vellent Alexandro diuinos honores decernere: Videte, inquit, ne dum cœlum custoditis, terram amittatis. Alexander enim ambiebat monarchiam. absurdum autem erat eos sic alium donare cœlo, vt ipsi terra sua pellerentur.

2. Demades orator, vita defuncto Alexandro, dixit se videre exercitum Macedonum principe orbatum, Cyclopi similem. Sentiens turbam militum, nisi adsit dux cordatus ac vigilans, nulli esse vsui. Quemadmodum Polyphemus ad-empto oculo frustrà vastum corpus, ac vires habebat immanes.

Nicesiæ.

1. Nicesias Alexandro abigenti muscas, quod ab illis diceret se morderi, Magis, inquit, ab alijs, quæ plus tui habent, gustato sanguine. Adulatores notauit, vt omnibus muscis pius sugentes.

2. Cinesias (an Nicesias) videns Alexandrum M. à pharmaco, quod sumpserat, vehementer turbatum, Quid, inquit, nobis faciendum est, cùm vos dij talia patiamini? Cùm Alexander ægrè sustulisset oculos. Quales, inquit, dij sumus, metuo ne dijs inuisi.

Cratetis.

Alexandro percontanti num cuperet restitui patriam suam? Quid opus est, inquit, fortassis eam alius Alexander restitutam diruet.

Agidis.

Agis Argiuus adulator, videns Alexandrum ingentia munera dedisse cuidam ridiculo, exclamauit: O rem vehementer absurdam. Cùm Alexander hac voce citatus dixisset, Quid tu, ais? Fateor, inquit Agis, me pati non posse, cùm videam vos è Ioue prognatos omnes pariter assentatoribus delectari. Siquidem & Iupiter Vulcanum habet pro morione; & Hercules Cercopibus, & Bacchus Silenis delectari consueuit. Tales videmus & apud te magni fieri. Pestilentissimum adulationis genus sub libertatis imagine blandiri.

CAPVT XII.

Epigrammata in Alexandrum Magnum Græco-latina.

Ἀρχίου εἰς Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα.

Ἕκτορι μὲν ζωῇ συγκάτθανεν, οὐδέ οἱ χεῖρας Ex antho-
Ἀντῆρεν Δαναῶν παισὶν ἐπερχομένοις. logia l.3.
Πέλλα δ᾽ Ἀλεξάνδρῳ συναπώλετο. πάτρίδες ἄρα. εἰς ἡρώ-
Ἀνδράσιν, οὐ πάτρας ἄνδρες ἀγαλλόμεθα. ντας, ιδ.

Archiæ in Alexandrum Macedonem.

Hectore cum caso cecidit quoque Troia, nec vltra
In Danaos potuit tollere victa manus.
Cùm duce Pella suo perijt: non patria ciues,
Sed ciues patriam nobilitare solent.

Ostendit hoc epigramma, inquit Opsopæus, cùm claris & eximijs viris vnà quoque interire gloriam & virtutem patriæ. Sicut Hectore mortuo Troia cecidit, sublato Alexandro, & virtus inuicta Macedonum fracta est. Cum decessisset Epaminondas Thebanorum quoque vires hebetatæ sunt. Atheniensium quoque respub. fortissimis viris & imperatoribus amissis prorsus eneruata est. Rectè itaque concludit, patrias à viris claris claras esse & illustres, non contrà, viros claritatem sumere à patria. p.347.

Παρμενίωνος εἰς τὸν αὐτόν.

Φθίσθαι Ἀλέξανδρον ψευδὴς φάτις, εἴπερ ἀληθὴς
Φοῖβος.* ἀνικήτων ἅπτεται οὐδ᾽ ἀΐδης.

Pellæum iuuenem mentitur fama perisse; *ἀνικήτων.
Non perijt (ceu fama refert) si verus Apollo,
Rex Macedo, inuictos vincere Pluto nequit.

Plutarchus in Alexandro. αὐτὸς ἀναβὰς εἰς τὸν ναὸν (Apollinis Delphici) εἷλκεν τὴν πρόμαντιν· ἡ δὲ ὥσπερ ἐξηττημένη τῆς σπουδῆς εἶπεν, ἀνίκητος εἶ ὦ παῖ. τοῦτο ἀκούσας, οὐκ ἔτι ἔφη χρῄζειν ἑτέρου μαντεύματος.

Ποσειδίππου εἰς στήλην Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος. Lib.4.c.8.

Λύσιππε πλάστα Σικυώνιε θαρσαλέη χείρ,
Δάϊε τεχνῖτα, πῦρ τοι ὁ χαλκὸς ὁρῇ
Ὃν κατ᾽ Ἀλεξάνδρου μορφᾶς χέες. οὐκ ἔτι μεμπτοὶ
Πέρσαι. συγγνώμη βουσὶ λέοντα φυγεῖν.

Dextera Lysippi felix spirare coegit
Aes ignem, quando nobile fudit opus, p.453.
Os Ducis Aemathij; versis veniam date Persis;
Conspecto fugiunt nonne leone boues?

Πλούταρχος περὶ Ἀλεξάνδρου, λόγῳ β.

Μόνον Ἀλέξανδρον ἐκέλευσε Λύσιππον εἰκόνα αὐτοῦ δημιουργεῖν. μόνος γὰρ οὗτος, ὡς ἔοικε, κατεμήνυε τῷ χαλκῷ τὸ ἦθος αὐτοῦ, καὶ συνεξέφερε τῇ μορφῇ τὴν ἀρετήν. οἱ δὲ ἄλλοι τὴν ἀποστροφὴν τοῦ τραχήλου καὶ τῶν ὀμμάτων τὴν διάχυσιν καὶ ὑγρότητα μιμεῖσθαι θέλοντες, οὐ διεφύλαττον αὐτοῦ τὸ ἀρρενωπὸν καὶ λεοντῶδες.

Crinitus lib.16.c.7. Alexandrum scribit tantùm permisisse, vt effigiem suam ære duceret, Polycletus, Apelles coloribus delinearet, Pyrgoteles etiam in e exsculperet: Horatium itaque libro epistolarum 2. Lysippum pro Polycleto adiecisse. Desipit procul dubio nō tàm Crinitus Flaccum carpens, quàm Apuleius Floridorum primo, qui hunc errorem vulgauit. Plinius certè lib.7.c.37. *Idem hic Imperator (*Alexander*) edixit, ne quis ipsum alius quàm Apelles pingeret, quàm Pyrgoteles sculperet, quàm Lysippus ex ære duceret.* Plutarchus in Alexandro. Τὴν μὲν οὖν ἰδέαν τοῦ σώματος οἱ Λυσίππειοι μάλιστα τῶν ἀνδριάντων ἐμφαίνουσιν. ὑφ᾽ οὗ μόνου καὶ αὐτὸς

ἠξίου

ἀξιῶν πλάττεσθαι. Idem in commentario de virtute, aut fortuna Alexandri. διὸ καὶ μόνον Ἀλέξανδρος ἐκέλευε Λύσιππον εἰκόνας αὐτοῦ δημιουργεῖν. M. Tullius lib. ep. famil. 5. neque enim Alexander ille gratiæ causa ab Apelle potissimum pingi, & à Lysippo fingi volebat. ead. Acad. quæst. 4. Stat etiam à nobis in equo Domitiani Pipinius, Paterculus, & Valerius Maximus lib. 8. nec Polycletus, si vera est Planiana temporum supputatio, Alexandrum regem, cùm ille centum propè annis ante fuerit, vnquam videri potuit.

Ἀρχελάου.

Τόλμαν Ἀλεξάνδρου καὶ ὅλαν ἀπεμάξατο μορφὰν
Λύσιππος· τίν' ὅδε χαλκὸς ἔχει δύναμιν;
Αὐδάσοντι δ' ἔοικεν ὁ χάλκεος, ἐς Δία λεύσσων,
Γᾶν ὑπ' ἐμοὶ τίθεμαι, Ζεῦ, σὺ δ' Ὄλυμπον ἔχε.

Virtutem expreßit regis Lysippus & ora
Regis Alexandri; vis quoque in ære viget?
En cælum spectat, similisque est forma loquenti:
Iupiter astra tene, terra subacta mihi est.

Incerti.

Αὐτὸν Ἀλέξανδρον τεκμαίρεο· ὧδε τὰ κείνου
Ὄμματα καὶ ζωὸν θάρσος ὁ χαλκὸς ἔχει
Ὃς μόνος ἣν ἐφορῷτο ἀπ' αἰθέρος αἱ Διὸς αὐγαὶ,
Πᾶσαν Πελλαίῳ γῆν ὑπέταξε θρόνῳ.

Cernis Alexandrum? sic os oculosque ferebat:
Pectus adhuc audax viuit in ære Ducis.
De cælo totum dum spectat Iupiter orbem,
Pellæo totum subdidit imperio.

Incerti.

Τοῦτον Ἀλέξανδρον μεγαλήτορος υἷα Φιλίππου
Δέρκεο, ἀρτιλόχευτον, Ὀλυμπιὰς ὅν ποτε μήτηρ
Καρτερόθυμον ἔτικτεν· ἀπ' ὠδίνων δέ μιν Ἄρης
Ἔργα μόθων ἐδίδασκε, τύχη δ' ἐκέλευσεν ἀνάσσειν.

Hac est magnanimi diuina propago Philippi,
Atque recens matris partus Olympiadis.
Quem Mars ab cunis docuit studia aspera belli,
Et Fors sublimem iußit adire thronum.

Ἀντιπάτρου.

Ἰσσοῦ ἐπὶ προβολῇσιν, ἁλὸς παρὰ κῦμα Κιλίσσης
Ἄχθον, αἱ Περσῶν κείμεθα μυριάδες,
Ἔργον Ἀλεξάνδροιο Μακηδόνος· οἵ ποτ' ἄνακτι
Δαρείῳ πυμάτην οἶμον ἐφεσσάμεθα.

Lib. 1. c. 5. p. 191.

Ißi in proiectu propter Cilicis maris vndas
Sauas Persarum millia multa iacent,
Strauit Alexander Macedum Rex castra secutos
Persica Darij Regis Achamenij.

De hoc plura ad 3. Curtij.

Parmenionis.

Τύμβον Ἀλεξάνδροιο Μακηδόνος ἤν τις ἀείδῃ,
Ἠπείρους κείνου σῆμα λέγ' ἀμφοτέρας.

Quisquis aues tumulum Pellæo ponere Regi,
Europam atque Asiam ponito pro tumulo.

Hyperbolicῶς dictum hoc, multas enim in Europa nationes nunquam adijt, sensus est, non posse tumulum Alexandro poni, nisi totus orbis ponatur, quem vicit. In Asiam enim & Europam, omissa Africa, quam Asiæ tribuebant, totum olim orbem veteres partiebantur, vt auctores sunt Eratosthenes, Isocrates panegyr. Varro de lingua latina, Strabo lib. primo, Pindari Scholiastes, Christodorus, Alphæus. plura Brodæus.

Enimuero ipse maiores mundo toto spiritus gerebat, vti pro paruo duceret, mundo imperatore, quemadmodum Iuuenalis canit:

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis.

Et Lucanus extremo Pharsaliæ omnium regum maximum testatus est:

Summus Alexander regum quem Memphis adorat.

Et idem in eodem:

Ludibrio seruatus erat non vtile mundo
Editus exemplum, terras tot posse sub vno
Esse viro ———
Occurrit suprema dies, naturaq́ solum
Hunc potuit finem vesano imponere regi.

Εἰς Ἀρριανόν.

Πελλαῖος Μακεδὼν δὲ κήρυκος οὔποθ' ὁμήρου
Ἔλλαχεν ὃν προγόνοις ἔργματ' ἀειδομένου,
Ἄχνυτο θυμὸν ἑόν, μάκαρόν τ' Ἀχιλῆα δοκεύσας,
Τὸν αὐτοῦ ἀτελῆ ὥστ' εὐτυχίην·
Ἀρριανοῦ δὲ τυχὼν τόσσῳ πλέον ἔλλαβεν εὖχος
Ὅσσῳ μυθολόγων κρείσσονες ἱστορικοί.
Εὐτυχίου Ἡφαιστίωνος Βρυγίδος.

Idem Latinè.

Magnus Alexander præconem haud nactus Homerum,
Qui caneret laudem in postera secla suam;
Felicem præ se meritò censebat Achillem,
Fortunaq́ sua laudis inesse minus:
At præcone isto tanto est plus laudis adeptus,
Quàm præstant vanis vatibus historici.

Bonauet. Vulcanij Brugensis.

Henrici Stephani.

Ἀρριανὸς μεγάλου μεγάλας μεγάλως τι ἄνακτος
Πρήξιας ἱστορέων φῆμη μέγαν ὂν καλέεσκε,
Πᾶσιν ἔδειξε μέγιστον, ἔδειξε δὶς ὄντα μέγιστον.

Eiusdem.

Ὅσσον Ἀλέξανδρος μέγας ἔπλετο ἐν βασιλεῦσι,
Τόσσον ὅδ' ἐν πάντεσσιν (ἑκὰς φθόνος) ἱστορικοῖσι.

Gualterus in Prologò.

——— *Qui si senio non fractus inermi*
Pollice fatorum, nostros vixisset in annos,
Cæsareos nunquam loqueretur fama triumphos,
Totaq́ Romuleæ squaleret gloria gentis.

Mens Gualteri est Alexandrum M. si pluribus annis vixisset, adeoque æuum in senium porrexisset, totum mundum victurum fuisse, Romamque subacturum, nullamque Cæsarum gloriam, aut triumphos Romam vnquam conspecturam.

Nos hoc illum epitaphio auximus, aut diminuimus.

Hic erat, immensus cui non suffecerat orbis:
Hic est, cui toto nullus in orbe locus.
Quærite regna Duces per tela, per arma, per ignes:
Vna dies sepelit prælia, regna, duces.

C A.

CAPVT XIII.

De forma habituque corporis Alexandri.



I Lyſippi manu ſictæ Alexandri ſtatuæ, Apellis penicillo pictæ imagines, Pyrgotelis gemmarij annuli ſupereſſent, certiſſimum Alexandri vultum, os, ſtaturam, ac totius corporis habitum lectori, & ſpectatori proponeremus. Nunc fidem duntaxat numiſmatum teſtor, ſanè non paucorum auro, argento, ære, cùm Monachij in inclito Principis, & admirando technotamio doctorum, tùm Auguſtæ Vindelicorum in nobilis & docti viri Conradi Peutingeri Reipub. Septemuiri bibliotheca, & apud Melchiorem Mairium virum nobilem, qui multorum mores hominum, vt alter Vlyſſes ſpectauit, & vrbes. Bartpolomæum denique Keinerum, Conſiliarium Cæſareum, qui nobis aliquot tranſmiſit. E quibus aliquot deſcriptos hîc tibi repræſentabo. Vidi etiam in Antiquario Sereniſſimi Principis Electoris Boiorum Ducis, pectorale ſignum è pario candido, cui in baſi ſubſcriptum eſt: *Alexander M.* de quo an germana ſit effigies Alexandri, vehementer dubito, quod vetear ne ſit alicuius gladiatoris Romani, quod galea nullis inſignibus ſit illuſtris. Varias etiam icones coloribus illuſtratas contemplatus ſum, ſed *pictoribus atque poetis*———

Numi cum veterum protopographię potiſſimum conſentiunt: ſed calamus optimorum ſcriptorum meliùs Alexandrum expreſſit, quàm vlla artificum commenta & figmenta, quorum ingenia iam pridem vetuſtate ſunt deleta, nec Staſicratis opinor Thracius Athos æternaſſet, quàm multos enim montes terrarum tremores, aut in planiciem æquarunt, aut in valles depreſſerunt; aut plana in montes erexerunt? Ad authores ergò vertamur, & Plutarchum ſingularē Alexandri cultorem principe loco ponamus, qui Alexandrum ex Lyſippo ita effigiat:

Corporis eius figuram Lyſippi ſtatuæ maximè demonſtrant, à quo voluit ſolo fingi. Etenim quam præcipuè ſucceſſores eius complures, pòſt & amici æmulati ſunt, protectam ceruicem, & in ſiniſtrum humerum modicè propenſam, oculorumq́ lenitatem ad vnguem expreſſit ille artifex. Alexandrum pingens fulmen tenentem, nec repræſentauit Apelles colorem eius: magis fuſcum & ſordidiorem fecit, quum fuerit (ut aiunt) candidus, qui color in pectore & facie potiſſimùm purpuraſcebat.

Quæ apud Plutarchum de fragrantia corporis gratiſſima ſequuntur, iam ſuprà in admirandis & mitis Alexandri collocauimus. Illuſtrior eſt apud eundem locus in 2. de fortuna Alexand. *Vixère*, inquit, *tunc etiam Apelles pictor, & Lyſippus fictor. horum Apelles fulminigerum Alexandrum pinxit ita perſpicuè & attemperatè, vt diceretur duos eſſe Alexandros, vnum Philippi F. inſuperabilem, alterum Apellis inimitabilem. Lyſippus autem cùm finxiſſet primùm Alexandrum facie ſurſum conuerſa in cælum intuentem, ſicut ſolebat ſuſpicere Alexander, leniter inflexo collo, ſubſcripſit quidam non abſurdè:*

Aereus inſpiciens Diuosq́, hominesq́, regentem,
Velle mihi eſt viſus talia verba loqui:
Magne, tene, Iupiter, neque enim prohibemus, Olympum,
Dum toto tellus pareat orbe mihi.

Itaque etiam ſolum Lyſippum Alexander fabricari ſuas iuſſit imagines, quod nimirum is ſolus are ingentum ipſius exprimeret, ſimulq́, cum forma etiam virtutem proponeret. Reliqui inclinationem ceruicis, oculorumq́ renidentem volubilitatem imitari volentes, maſculum eius leoninumq́, vultum non ſeruabant. Inter alios artifices fuit tunc etiam Staſicrates architectus, nullum opus moliens, quod varium iucundumq́ aſpectu eſſet, ſed & manu magnifica & diſpoſitione operum vtens, quæ ſumptus à rege ſuppeditari opus haberet. Is cum aſcendiſſet ad Alexandrum, pictas eius & ſculptas atque fictas ima-

Plutarchus in vita p. 500. & de fort. Alex. 2. p. 6 4. Curtius lib. 3. p. 93. Arrianus li. 7. p. 359. Curt. p. 2 6 2 de Thaleſtri. Ælianus Var. hiſt. lib. 12. c. 14. Alexandri pictura Protegenis opus. Plin. 4° o. Ab Apelle pingi tantùm voluit. 38. A Pyrgotele, gemmis ſculptus 154. 882. Suidas voce Alexan. τόνε σῶμα κάλλιςΘ-. Zonaras in Alexan. Sol. c. 15. Arrianus l 7. τόνε σῶμα κάλλιςΘ- p. 167.

imagines culpauit, vt timidorum & humilium opera artificum. Ego aiebat, statui corporis, ô Rex, tui similitudinem in viuam & interitus expertem aeternis q́; firmatam radicibus materiam, & immota pradutam grauitate introducere. Thracia enim mons Athos, vbi maximus & planè conspicuus assurgit, latitudines habens proportione toti congruentes, tum membra & artus, atque interstitia qua conformari queant, potest artificio ita tractari, vt imago Alexandri & sit & dicatur. Fundamentis suis mare attingens, manuum autem altera gestans vrbem CCIↃↃ *ciuium capacem, dextra perennem fluuium è patera in mare libans proinde aurum, as, ebur, ligna, tincturas, simulacra exigua, venalia & furtis exposita abyciamus. Hoc vt audiuit Alexander, audaciam sanè artificis & fiduciam admiratus laudauit. Tu tamen, dixit, Atho montem intactum relinque; satis est eum esse monimentum petulantia, quam vnus in eum rex exercuerit. Me Caucasus monstrabit, & Emodi montes, & Tanais & Caspium mare. Ha sunt meorum factorum imagines.* Hæc Plutarchus.

Iam Arrianus * paucissimis, *statura*, inquit, *corporis decora fuit*. * lib. 7. in fin.

Ælianus eximiè celebrat, vt etiam ad capillamentum Alexandri ascenderit: Ἐρασμιώτατον ϗ ὡραιότατον φασὶν ἑλλήνων μὲν γενέσθαι Ἀλκιβιάδην, ῥωμαίων δὲ Σκιπίωνα. ϗ Δημήτριον τὸν πολιορκητὴν λέγουσιν ὥρας ἀμφισβητῆσαι. Ἀλέξανδρον δὲ τὸν φιλίππου ἀπραγμόνως ὡραῖον λέγουσι γενέσθαι. τὴν μὲν γὰρ κόμην ἀνατετύφθαι αὐτῷ ξανθὴν δὲ εἶναι· ὑπανα φύεσθαι δὲ τι ἐκ τοῦ εἴδους φοβερὸν τῷ Ἀλεξάνδρῳ λέγουσι. *Amabilitate simul & forma maximè floruisse dicuntur, apud Gracos Alcibiades; ex Romanis verò Scipio Demetrium quoque Poliorcetam ferunt certasse de venustate. Alexandrum etiam Philippi filium sine curatione forma speciosum extitisse perhibent. Capillos enim, qui erant flaui, retortos ei fuisse. ferunt tamen formidabile quiddam in facie Alexandri insitum fuisse.*

Ab Suida τὸ σῶμα κάλλιστος *vocatur, corpore pulcherrimus.*

Zonaras, ἦν δὲ τὴν χρόαν λευκὸς ὁ Ἀλέξανδρος· ἡ λευκότης δὲ ἐφοινίσσετο περὶ τὸ στῆθος μάλιστα, ϗ τὸ πρόσωπον. *fuit colore candido, vt is circa faciem & pectus maximè purpurasceret.*

Ioannes Tzetzes Alexandrum varioculum & variæ cerulcis facit. * Chiliad. 11. p. 443.

Ὁ βασιλεὺς ὁ μέγιστος Ἀλέξανδρος φιλίππου
γλαυκὸν τὸν ἕνα ὀφθαλμὸν ἔχειν θρυλλεῖται πᾶσι,
μέλανα δὲ τὸν ἕτερον τοῖς ὀφθαλμοῖς τοιοῦτος.
ἦν δὲ ϗ σιμοτράχηλος ϗ παρατραχήλων δὲ,
ὥστε δοκεῖν πρὸς οὐρανὸν ἐνατενίζειν τοῦτον
τοιοῦτον ϗ ὁ Λύσιππος ἐκεῖνον ἐχαλκούργει.
Καὶ τούτου δὲ Ἀλέξανδρος ἐπέχαιρεν εἰκόσιν,
ἢ Στασικράτους πλάσμασι ψευδέσι, τυφουμένοις.
ὅτι δὲ ἦν ὁ Ἀλέξανδρος τοιοῦτος τὴν ἰδέαν
Δηλοῖ ϗ τὸ ἐπίγραμμα, ὅπερ τυγχάνει τόδε
Αὐδάσοντι δὲ ἔοικεν ὁ χάλκεος, ἐς Δία λεύσσων,
Γᾶν ὑπ' ἐμοὶ τίθεμαι, Ζεῦ σὺ δὲ ὄλυμπον ἔχε.

Rex maximus Alexander Philippi,
Casium vnum oculum habuisse narratur ab omnibus,
Nigrum autem alterum: oculis talis.
Erat autem & pressi colli & obtorto collo,
Vt videretur calum versus intendere hoc,
Tandem & Lysippus illum areum fecit.
Atque huius Alexander magis gaudebat imaginibus,
Quàm Stasicratis figmentis falsis, elatis.
Quod autem erat Alexandri talis forma,
Declarat & epigramma, quod est huiusmodi:
Locuto autem similis visus est faber ararius ad Iouem prospiciens,
Terram sub me pono, Iupiter verò tu Olympum habe.

Cæterùm, quæ Plutarchus de Lysippi statuis affirmauit confirmat etiã Tzetzes.

Et iste fingens ara Lysippus fuit
Erat autem ex Sicyone, proxima Corintho,
Philippi contemporaneus filio, Alexandro.
Admodum similia simulachra faciens prototypis.

Gaudebat autem Alexander ab hoc fictis operibus,
Etenim & resupino vertice fecit illum,
Qui videretur intueri cælum,atque totum exactè,
Qualis erat Alexander Macedo ille,
Vt existimarent qui aspicerent, Alexandrum,non columnam.
Cui columnæ quispiam inscripsit epigrammatophorus:
(Loquenti similis videtur ærarius,ad Iouem respiciens)
Terram sub me pono, Iupiter,tu autem Olympum habe.

Atque huius Lysippi statuas omnes præsertim Alexandri celebrarunt,sicut & *Ad famil. pictas imagines Apellis,Cicero,*Valerius Max.Horatius,Plinius,alij.

Tandem Latini non ita in descriptione oris Alexandri cum Græcis, & inter se consentiunt. Solinus vehementer laudat Alexandri elegantiam & corporis Cap.15. habitum, Curtius nonnihil deprimit. *Forma*, inquit Solinus, *supra hominem au-* * Hæc non *gustiore,ceruice celsa,lætis oculis & illustribus,malis ad gratiam rubescentibus * reliquis* sunt in *partibus corporis non sine maiestate decoris.* M.S.

Lib.3.& 6. Curtius Hæphestionem Alexandro illustriorem docet forma corporis,& cùm de Thalestri Amazone loquitur, negat magnitudini formæ corporis maiestatem respondisse.

Lib.2. Annal. Corn.Tacitus comparat cum Germanico Cæsare,*Vtrumque*,inquit, *corpore decoro,genere insignis,haud multum triginta annos egressum, suorum insidijs externas inter gentes occidisse.*

Lypsius in Monitis cap.8.exempl.2. *Alexander M. ceruice leuiter curuâ & pandâ fuit, quod certatim proceres & aulici imitati, quasi ipsum sic effingentes: Adeò & minuta obseruant atq; æmulantur: vtinam sic interiora & virtutes!* vtinam,ô bone Lipsi,non vitia.

Comparatus est Alexander hirco etiam,ob oculorum transuersum obtutum. Nam hirci vel hirqui Suetonio, Isidoro, Gesnero testantibus, vocantur oculorum anguli. Virgili. *transuersa tuentibus hircis.* Hunc Alexandri situm prisca eius statua in monte Quirinali refert.

EX MARMORIBVS, NVMIS, NOMISMATIS.

Romæ in monte Quirinali est statua Alexandri M.   Cornel. de Lapide in Danielem.

Optimæ notæ





Argenteus.

Nobilis Dominus Bartholomæus Kelnerus à Zinnendorf submisit Augustæ.



ÆREVS.



ALEXANDER.

AVREVS.





ΑΛΕΞΑΝΔΡ.
ΒΑΣΙΛΕΥΣ
Alexander Rex.



AVR.



Philippus pater, an Alexander M. Filius?

EX FVLVII VRSINI ICONIBVS.

Alexander Magnus.



Apud Fuluium Vrsinum in nomismate argenteo.

Alexander, & Olympias.



Apud Fuluium Vrsinum in Gemma.

Alexander Epirota Rex,
Alex. M. auunculus, qui in Italia perijt.



Apud Fuluium Vrsinum in nomismate argenteo.

ALEXANDER A VARIIS SCRIptoribus cum Dijs, Imperatoribus, Regibus, Ducibus compositus.

CAPVT XIV.

A Liuio lib. 9. decad. 1. cum Romanis.



Ihil minus quæsitum à principio huius operis videri potest, quam vt plus iusto ab rerum ordine declinarem, varietatibusq́; distinguendo opera, & legentibus velut diuerticula amœna, & requiem animo meo quærerem; tamen tanti regis ac ducis mentio, quibus sæpè tacitis cogitationibus volutauit animum, eas euocat in medium, vt quærere libeat, quinam euentus Romanis rebus, si cum Alexandro foret bellatum, futurus fuerit? Plurimum in bello pollere videntur militum copia & virtus, ingenia imperatorum, fortuna per omnia humana maximè in res bellicas potens. Ea & singula intuenti, & vniuersa, sicut ab alijs regibus gentibusq́;, ita ab hoc quoq; facilè præstant inuictum Romanum imperium. Iam primum vt ordiar ab ducibus comparandis, haud equidem abnuo egregium ducem fuisse Alexandrum: sed clariorem tamen eum facit, quod vnus fuit, quod adolescens in incremento rerum nondum alteram fortunam expertus, decessit. Vt alios reges claros ducesq́; omittam, magna exempla casuum humanorum: Cyrum quem maximè Græci laudibus celebrant, quid nisi longa vita, sic Magnum modo Pompeium vertenti præbuit fortuna? Recenseam duces Romanos, nec omnes omnium ætatum, sed ipsos eos, cum quibus consulibus, aut dictatoribus Alexandro fuit bellandum: M. Valerium Coruinum, C. Martium Rutilium, C. Sulpitium, T. Manlium Torquatum, Q. Publicum Philonem, L. Papyrium Cursorem, Q. Fabium Maximum, duos Decios, L. Volumnium, M. Curium, deinceps ingentes sequuntur viri, si Punicum Romano prauertisset bellum, seniorq́; in Italiam traiecisset. Horũ in quolibet tum indoles eadem, quæ in Alexandro erat, animi ingenijq́;, tum disciplina militaris iam inde ab initijs vrbis tradita per manus, in artis perpetuis præceptis ordinata modum venerat. Ita reges gesserant bella: ita deinde exactores regum, Iunij, Valerijq́;: ita deinceps Fabij, Quintij, Cornelij: ita Furius Camillus, quem iuuenes duo, quibus cum Alexandro dimicandum erat, senem viderant. Militaria opera pugnando obeunti Alexndro (nam ea quoque haud minus clarum eum faciunt) cessisset videlicet in acie oblatus par Manlius Torquatus: aut Valerius Coruinus, insignes ante milites, quàm duces? Cessissent Decij deuotis corporibus in hostem ruentes? Cessisset Papirius Cursor illo corporis robore, illo animi? Victus esset consilijs iuuenis vnius, ne singulos nominem, senatus ille? quem qui ex regib. constare dixit, vnus veram speciem Romani Senatus cepit. Id verò erat periculum, ne solertius, quàm quiuis vnus ex ijs quos nominaui, castris locum caperet, commeatus expediret, ab insidijs præcaueret, tempus pugnæ eligeret, aciem instrueret, subsidiis firmaret. Non iam cum Dario rem esse dixisset: quem mulierum ac spadonum agmen trahentem, inter purpuram atque aurum eneruatum fortunæ suæ apparatibus, prædam verius quàm hostem, nihil aliud quàm bene ausus vana contemnere, incruentus deuicit. Longè alius Italia quã India, per quã temulento agmine comessabundus incessit, visus illi habitus esset, saltus Apuliæ, ac montes Lucanos cernenti, & vestigia recentia domesticæ cladis: vbi auunculus eius nuper Epiri rex Alexander absumtus erat. Et loquimur de Alexandro nondum merso secundis rebus, quarum nemo intolerantior fuit. Qui si ex habitu nouæ fortunæ, nouiq́; (vt ita dicam) ingenii, quod sibi victor induerat, spectatur: Dario magis similis quam Alexandro in Italiam venisset, & exercitum Macedoniæ oblitum degenerantẽq́; iam in Persarũ mores adduxisset. Referre in tanto rege piget superbam mutationem vestis, & desideratas humi iacentiũ adulationes, etiã victis Macedonibus graues, nedũ victoribus: & fœda supplicia: & inter vinũ & epulas cædes amicorũ: & vanitatem ementiendæ stirpis? Quid si vini amor in dies fieret acrior? quid si trux ac præferuida ira? (nec quicquam dubiũ inter scriptores refero) nullane hæc damna imperatoriis virtutibus ducimus? Id verò periculũ erat, quod leuissimi ex Græcis qui Parthorũ quoq; cõtra nomẽ Romanũ gloriæ fauent, dictitare solent, ne maiestatẽ nominis Alexandri, quẽ nec fama quidem

illis

illis notum arbitror fuisse, sustinere non potuerit pop. Rom. & aduersus quem Athenis in ciuitate fracta Macedonum armis, cernente tum maximè propè fumantes Thebarum ruinas, concionari liberè ausi sint homines (id quod ex monumentis orationum patet) aduersus eum nemo ex tot proceribus Romanis vocem liberam missurus fuerit. Quantalibet magnitudo hominis concipiatur animo, vnius tamen ea magnitudo hominis erit, collecta paullò plus decem annorum felicitate, quam qui eò extollunt. quod pop. Rom. etsi nullo bello, multis tamen prælijs victus sit, Alexandro nullius pugnæ non secunda fortuna fuerit: non intelligunt se vnius hominis res gestas, & eius iuuenis, cum populi iam octingentesimum bellantis annum rebus conferre. Miremur, si cum ex hac parte secula plura numerentur, quàm ex illa anni: plus in tam longo spacio, quam in ætate 13. annorum fortuna variauerit. Quin tu hominis cum homine, & ducis cum duce, fortunam cum fortuna confers? Quod Romanos duces nominem, quibus nunquam aduersa fortuna pugnæ fuit? Paginas in annalibus magistratuum fastisq́; percurrere licet, consulum dictatorumq́; quorum nec virtutis, nec fortunæ illo die pop. Rom. pœnituit. Et quo sint mirabiliores, quam Alexander, aut quisquam alius rex: denos vicenosq́; dies quidam dictaturam, nemo plus quàm annum consulatum gessit. ab Tribunis plebis delectus impediti sunt: post tempus ad bella ierunt: ante tempus, comitiorum caussa reuocati sunt: in ipso conatu rerum circumegit se annus: collegæ nunc temeritas: nunc prauitas impedimento, aut damno fuit: malè gestis rebus alterius successum: tyronem, aut mala disciplina institutum exercitum acceperunt. At hercule reges, non liberi solum impedimentis omnibus, sed domini rerum temporumq́; trahunt consilijs cuncta, non sequuntur. Inuictus ergo Alexander cùm inuictis ducibus bella gessisset: & eadem fortunæ pignora in discrimen detulisset: imò etiam eo plus periculi subisset, quod Macedones vnum Alexandrum habuissent, multis casibus non solum obnoxium, sed etiam offerentem se: Romani multi fuissent Alexandro vel gloria, vel rerum magnitudine pares quorum suo quisque fato sine publico discrimine viueret, moreretúrq́;. Restat vt copiæ copijs comparentur vel numero, vel militum genere, vel multitudine auxiliorũ. Censebantur eius ætatis lustris ducena quinquagena millia capitum. Itaque in omni defectione sociorum Latini nominis vrbano propè delectu decem scribebantur legiones, quaterni quiniq́; exercitus, sæpe per eos annos in Hetruria, in Vmbria, Gallis hostibus adiunctis in Samnio, in Lucanis gerebant bellum. Latium deinde omne cum Sabinis, & Volscis, & Aequis & omni Campania, & parte Vmbriæ Hetruriæq́; & Picentibus, & Marsis, Pelignisq́; ac Vestinis atque Apulis, adiunctaq́; omni ora Græcorum inferi maris à Thurijs Neapolim & Cumas, & inde Antio atque Hostia tenus Samnites, aut socios validos Romanis, aut fractos bello inuenisset hostes. ipse traiecisses mare cum veteranis Macedonibus non plus triginta millibus hominum, & quatuor millibus equitum, maximè Thessalorum. hoc enim roboris erat, Persas, Indos, aliasq́; si adiunxisset gentes, impedimentum maius quàm auxilium traheret. Adde, quod Romanis ad manum domi supplementum esset: Alexandro (quod postea Annibali accidit) alieno in agro bellanti, exercitus consenuisset. Arma clypeus. sarissaq́; illis, Romano scutum, maius corpori tegumentum, & pilum haud paulò quàm hasta vehementius ictu missuq́; telum. Statarius vterque miles, ordines seruans: sed illa phalanx immobilis & vnius generis: Romana acies distinctior, ex pluribus constans: facilis partienti quacunque opus esset, facilis iungenti. Iam in opere quis par Romano miles, quis ad tolerandum laborem melior? Vno prælio victus Alexander, bello victus esset. Romanum, quem Caudium, quem Cannæ non fregerunt, quæ fregisses acies? Næ ille sæpe etiamsi prima prosperè euenissent, Persas, & Indos, & imbellem Asiam quæsisset, & cum fœminis sibi bellum fuisse dixisset: quod Epiri regem Alexandrum mortifero vulnere ictum dixisse ferunt, sortem bellorum in Asia gestorum ab hoc ipso iuuene cum sua conferentem. Equidem cum per annos quatuor & viginti primo Punico bello classibus certatum cum Pœnis recordor, vix ætatem Alexandri suffecturam fuisse reor ad vnum bellum. Et forsitan cum fœderibus vetustis iuncta Punica res Romana esset, & timor par aduersus communem hostem duas potentissimas armis virisq́; vrbes armares, simul Punico Romanoq́; obrutus bello esset. Non quidem Alexandro duce, nec integris Macedonum rebus, sed experti tamen sunt Romani Macedonem hostem aduersus Antiochum, Philippum & Persen, non modò cum clade vlla, sed ne cum periculo quidem suo. Absit inuidia verbo, & ciuilia bella sileant, nunquam ab

equite hoste, nunquam à pedite, nunquam aperta acie, nunquam aquis vtique, nunquam iniquis locis laborauimus. Equidem sagittas, saltus impeditos, auia commeatibus loca, grauis armis miles timere potest, mille acies grauiores, quàm Macedonum atque Alexandri, auertit: auertetq; modo sit perpetuus huius qua viuimus pacis amor, & ciuilis cura concordia.

Ab eodem lib. V. Dec. IV. cum Pyrrho, Hannibale, Scipione.

Claudius secutus Græcos Acilianos libros, P. Africanum in ea fuisse legatione tradit, eumq; Ephesi collocutum cum Annibale, & sermonem etiam vnum refert, quo quærenti Africano, quem fuisse maximum imperatorem Annibal crederet, respondisse, Alexandrum Macedonum regem; quod parua manu innumerabiles exercitus fudisset, quodq; vltimas oras, quas visere supra spem humanam esset, peragrasset. quærenti deinde, quem secundum poneret, Pyrrhum dixisse. castra metari primum docuisse: ad hoc neminem elegantius loca cepisse, præsidia disposuisse: artem etiam conciliandi sibi homines eam habuisse, vt Italicæ gentes regis externi, quàm populi Rom. tam diu principis in ea terra, imperium esse mallent. exequenti quem tertium duceret, haud dubiè semetipsum dixisse, tum risum obortum Scipioni, & subiecisse, Quidnam tu diceres, si me vicisses? tum me verò, inquit, & ante Alexandrum, & ante Pyrrhum, & ante omnes alios imperatores esse, & perplexum Punico astu responsum, & assentationis genus Scipionem mouisse, quod è grege imperatorum velut inæstimabilem secreuisset.

Ab eodem l. 6. Dec. 3. Natalis Scipionis collatus cum Alexandri natali.

Hic mos, qui per omnem vitam seruabatur, seu consulto, seu temerè vulgatæ opinioni fidem apud quosdam fecit stirpis eum diuinæ virum esse, retulitq; famam in Alexandro Magno prius vulgatam & vanitate, & fabula parem: anguis immanis concubitu conceptum, & in cubiculo matris eius persæpe visam prodigij eius speciem, interuentuq; hominum euolutam repente atque ex oculis elapsam. His miraculis nunquam ab ipso elusa fides est: quin potius aucta arte quadam, nec abnuendi tale quicquam, nec palam affirmandi.

Pauſ. Meſſen. Procles Carthaginienſis cum Pyrrho.

Hunc (Pyrrhum) fortuna & rerum gestarum splendore Alexandro Philippi F. inferiorem fuisse testatur. In disponendis verò in acie peditum equitúmque copijs, & item capiendi consilij, quò hostis caperetur, arte illo multò meliorem.

A Cicerone 1. de offic. n. 127. cum Philippo patre.

Philippum quidem Macedonum regem, rebus gestis, & gloria superatum à filio, facilitate verò, & humanitate video superiorem fuisse.

Ab Iuſtino lib. 9. cum eodem.

Huic Alexander filius successit, & virtute, & vitijs patre maior. Itaque vincendi ratio vtriq; diuersa: hic apertè ille artibus bella tractabat. Deceptis ille gaudere hostibus, hic palam fusis. Prudentior ille consilio, hic animo magnificentior. Iram pater dissimulare, plerumq; etiam vincere, hic vbi exarsisset, nec dilatio vltionis, nec modus erat. Vini nimis vterque auidus, sed ebrietatis diuersa vitia: patri mos erat etiam de conuiuio in hostem procurrere, periculis se temerè offerre. Alexander non in hostem, sed in suos sæuiebat. Quamobrem Philippum sæpè vulneratum prælia remisere: hic amicorum interfector conuiuio frequenter excessit. Regnare ille cum amicis nolebat: hic in amicos regna exercebat.

bat. Amari pater malle, hic metui. Literarum cultus vtrique similis. Solertia pater maioris, hic fidei. Verbis atque oratione Philippus, hic rebus moderatior. Parcendi victis filio animus & promptior, & honestior. Frugalitati pater, luxuriæ filius magis deditus erat. Quibus artibus orbis imperij fundamenta pater iecit, operis totius gloriam filius consummauit.

Apud Sallustium in lib.3. histor. fragmentis. cum Pompeio.

Sed Pompeius prima adolescentia, sermone fautorum, similem fore se credens Alexandro regi, facta consultaq́ eius quondam æmulus erat.

A Tacito lib. 2. Annal. cum Germanico Cæsare.

Funus sine imaginibus & pompa, per laudes & memoriam virtutem eius celebre fuit. Et erant qui formam, ætatem, genus mortis, ob propinquitatem etiam locorum, in quibus interijt, Magni Alexandri fatis adæquarent. Nam vtrumque corpore decoro, genere insigni, haud multum triginta annos egressum, suorum insidijs externas inter gentes occidisse. sed hunc mitem erga amicos, modicum voluptatum, vno matrimonio, certis liberis egisse: neque minus præliatorem, etiamsi temeritas abfuerit, præpeditusq́ sit perculsas tot victorijs Germanias seruitio premere. quòd si solus arbiter rerum, si iure & nomine regio fuisset, tantò promptius adsecuturum gloriam militiæ quantum clementia, temperantia, cæteris bonis artibus præstitisset.

Ab Agellio lib. 7. c. 1. Natalis Scipionis cum Alexandri natali.

Quod de Olympiade Philippi regis vxore, Alexandri matre in historia Græca scriptum est, idem de P. Scipionis quoque matre, qui prior Africanus appellatus est, memoriæ datum est. Nam & Caius Oppius, & Iulius Higinus, alijq́ qui de vita, & rebus Africani scripserunt: matrem eius diu sterilem existimatam tradunt. P. quoque Scipionem eum quo nupta erat, liberos desperauisse. Postea in cubiculo, atque in lecto mulieris, cum absente marito cubans sola obdormisset: visum repente iuxta eam cubare ingentem anguem. Eumq́ ijs, qui viderant, territis & clamantibus elapsum inueniri non quisse. Id ipsum P. Scipionem ad aruspices retulisse. Eos sacrificio facto respondisse, fore vt liberi gignerentur. Neque multis diebus postea quàm ille anguis in lecto visus est, mulierem concepisse, concepti fœtus signa, atque sensum pati. Exinde mense decimo peperisse. Natumq́ esse hunc P. Scipionem Africanum, qui Annibalem & Carthaginenses in Africa bello Punico secundo vicit.

Ab Ælio Lampridio in Alex. Seuero. cum Alexandro Seuero Imperatore.

Alexandri nomen accepit, quod in templo dicato apud Arcenam vrbem Alexandro Magno, natus esset, quum casu illuc die festo Alexandri pater cum vxore patriæ solennitatis implendæ causa venisset: cui rei argumentum est, quòd eadem die natalem habet hic Mammeæ Alexander, qua ille Magnus excessit è vita.

Et ibidem.

Legit & vitam Alexandri, quem præcipuè imitatus est: etsi in eo condemnabat ebrietatem & crudelitatem in amicos, quamuis vtrumque defendatur à bonis scriptoribus, quibus sæpius ille credebat.

Et cum Dijs collocatus.

Alexandrum verò Magnum inter Diuos & optimos in larario maiore consecrauit. Οχρυσοῤῥήμων ab aureo dicendi flumine dictus D. Chrysostomus homil. 26. in posteriorem ad Corinthios, etiam ab senatu Romano inter Diuos relatum

 tum

tum affirmat, & tertium decimum dictum inter consentes Romanorum præcipuos Deos. Sed de Senatus decreto haud scio an res non sapiat fabulam.

A Plutarcho lib. 2. de fortuna Alexandri. cum Hercule, Agamemnone, Achille, Vlysse, Diomede, Cyro, Agesilao, Themistocle, Philippo patre, Brasida, Pericle, Solone, Miltiade.

Etenim Alexandri ingenium siquidem, ex multis ab ipso creante Deo aptum & conferium virtutibus est, nonne Cyri spiritus, Agesilai temperantiam, Themistoclis solertiam, Philippi experientiam, Brasidæ fiduciã, Periclis dicendi vim, administrandæq; reipublicæ scientiam habere, non dixerimus? Quanquam si vetustiores repetamus, Agamemnone temperantior erat: quippe ille captiuam iustæ vxori prætulit; hic à captis abstinere, sibi imperare sustinuit, antequam iustè nupta fuerunt. Animi verò magnitudine vel magnum Achillem præstitit: quippe ille parua pecunia Hectoris defunctum corpus vendidit, hic verò grandi ære Darium funerauit. Rursus ille munera ab amicis, iræq; ponendæ pretium accepit, hic hostes armis victos, etiamnum opibus cumulauit. Nam Diomedem quidem pietate antecelluit. etenim ille cum Dijs pugnare confidentissime sustinuit. hic autem omnia Deorum cœpta per decus euadere semper arbitratus est. Postremò charior necessarijs Vlysse quoque fuit, siquidem illius mater mortem mœrore obijt, huius verò hostis mater præ desiderio eius commori obstinauit.

Et:

Agedum Alexandrum consideremus vniuersorum contentione. Iam primum igitur Solon Athenis tabulas nouas instituit, quam Sisachthiam nuncupauit, quasi dicas oneris excussum: Alexander pro ijs qui versuram fecerant, fœneratoribus dissoluit. Pericles Græcis tributorum collatione exhaustis, extructis passim fanis arcem Athenarum adornauit. Alexander barbarorum opes raptas in Græciam importandas curauit, templaq; Dijs extruenda locari decem talentorum millibus iussit. Brasidam in Græcia famigeratum fecit auditum ad Methonem eum ferociter percursasse, disiecto circa maritimam oram hostium exercitu: Alexandri verò atrocem illum saltum, & auditu incredibilem, & visu horrendum, præcipitis saltu sese è muro librantis in hostes, hastis, spiculis, ensibus, protinus illum excepturos, cui æquius quàm fulmineo igni assimilare possumus erumpenti è nube, vel à turbine rapto? cuiusmodi quondam visa ignitis armis offulgentia deorsum ferri videntur. Cæterùm illi stupore primùm perculsi, qua cuiq; proximum fuit, trepidi refugerunt; deinde cum hominem vnum animaduertissent multos ferociter impetentem, restitere. Ibi vero fortuna magna egregiaq; beneuolentiæ exempla in Alexandrum edidit.

Idem Alexandrum Pompeio in Pyrrho: in comparatis vitis, Cæsari opposuit.

Ab Appiano lib. 2. pag 522. &c. de bellis ciuilibus. cum Iulio Cæsare.

Vir per omnia fortunatus, & magnificus, meritoq; cum Alexandro conferendus. ambo enim fuere ambitiosissimi bellicosissimiq;, in consilijs exequendis celerrimi, in periculis aggrediendis audacissimi, minimè parcẽtes suo corpori, nec magis imperatorijs artibus freti, quàm fortuna & audacia. Quorum alter per loca squalentia, longum iter ad Hammonis oraculum fecit tempore feruentissimo, & intimum Pamphylium sinum vadis vento nudatis transcurrit feliciter, fortuna interim marinas vndas cohibente, sicut prius iter facienti pluuiam temperauerat. Apud Indos etiam ignotum mare pertentauit nauibus, primusque scalis ascendit mœnia, & inde solus in hostes desilijt, accepitq; tredecim vulnera: & semper inuictus bellum vno alterove absoluebat prælio: in Europa multorum barbarorum domitor, & Græcorum gentis subiugator, amantissimæ libertatis, qua nemini ante paruerat, præterquam Philippo, idque breui, & sub decoro imperatoris titulo. Asiam verò fermè vniuersam mira celeritate peruagatus, & vt compendio dicam, eius fortu-

nam

nam atq; potentiam quicquid terrarum vidit, subegit: de reliquo inuadendo cogitantem mors intercepit. Cæsari verò & Adriaticum mare nauiganti media bruma tranquillum cessit, & Britānicus Oceanus traijciendi, nunquā tentatus antea: quo tempore gubernatores ad Britannica saxa appulsos coegit naues frangere: sicut alia tēpestate solus in nauicula contra fluctus tendens gubernatorem vela ventis dare iussit, & Cæsaris fortunā pluris quàm mare facere. Nec semel in hostem prosilijt solus cæteris trepidantibus: & vnus omnium imperatorum decertauit cum Gallis triginta prælijs, donec quadringentos eorum subegit populos: eatenus Romanis tā formidabiles, vt in lege qua immunitas militiæ cōceditur sacerdotibus & natu grandibus, excepta sint bella Gallica: horū enim tempore nec senibus, nec sacratis viris vacatio permittitur. Cæterum in Alexandrino bello solus in ponte interclusus premente hoste abiecit purpuram, & in mare desilijt: insectantibusq́; regijs diu sub aquis natauit, per interualla tantum respirans, prolato capite, donec ad vnicam nauem adnatans, porrectis manibus agnitus est & seruatus. Ad hæc verò ciuilia bella, siue metu, vt ipse aiebat, siue ambitione delatus, cum ducibus sui seculi præstantissimis congressus est, cumq; multis ac magnis exercitibus, non iam barbaris, sed Romanis, tum viribus, tum rebus gestis florentissimis: omnes tamen deuicit, vno atq; altero prælio singulos. Sed non ita, vt Alexander perpetuò fuit inuictus. nā & à Gallis insignis clades accepta est, ductu Titurei Cottaq́; legatorū: & in Hispania Cæsariani à Petreio Afranioq́; sic cincti sunt vndiq;, vt ab obsessis differrēt minimū: ad Dyrrachium verò & in Africa versi in fugam. & in Hispania contra Pompeiū trepidatū est in acie. Verùm Cæsar ipse semper interritus, bello certè nullo victus est, & imperium Romanum ab Euphrate Occidentalem vsq; Oceanum iam tum parens, partim vi, partim beneficentia pertraxit in suam potestatē, firmius multò quàm Sylla & temperantius: nam inuitis omnibus rex factus est, quamquā nomine abstinuit: dumq́; ipse quoq; alia bella parat, è medio sublatus est. Quin & exercitus vtriusq; fuit similis, alacris in pugna & ferocissimus, interdum tamen contumax & seditiosus continui laboris tædio: vtrumq; certè suus defunctum luxit & desiderauit pariter & diuinis dignatus est honoribus. Ambo etiam pulchri fuere, & eximijs corporis dotibus à natura præditi: Vtriusq; genus à Ioue, illius per Aiaci Herculisq; stemmata, huius per Anchisen & Venerē. Et cùm contentiosi essent erga aduersarios, tamen erga victos erant faciles ad veniam & gratiam, & insuper benefici sola contenti victoria. Atque hactenus quadrat collatio, nisi quod non à paribus initijs exorsi sunt: sed ille à regno iam exercitatus Philippi auspicijs: hic à priuata conditione, licet nobili ac illustri, pecuniarum tamen admodū indiga. Prodigiorū ad se pertinentiū vterq; contemptor fuit: neuter molestus vatibus mortem prædicentibus: & ipsa prodigia propemodū eadem vtriq; sunt oblata, euentu quoq; simili. Nam vtriq; bis exta visa sunt sine capite primò periculum anceps portendentia, in Oxydracis, Alexandro, dum ante alios conscensis mœnibus & scalis post se fractis pondere, in muro à suis destitutus, & in hostem desilire ausus, in pectus grauiter sauciatus, inflicta in ceruicē quoq; claua, moribundus, ægrè à Macedonibus, refracta ob ignominiæ metum porta, seruatus est; Cæsari verò in Hispania, dum suis trepidè contra iuniorem Pompeiū in aciem progressis inter vtrosq; procurrens, tela ducenta excepit clypeo, donec exercitus, metu pudori cedente, accurrēs eum protexit. Atq; ita priora exta sine capite extremum periculum eis significarunt, secunda verò præsens exitium. Nam Pithagoras vates Apollodoro, & Alexandrū & Hephæstionem metuenti, extis inspectis auctor fuit bene sperandi, quando vterq; breui tollendus esset è medio: moxq́; Hephæstione defuncto, Apollodorus timens nequa cōtra regem aleretur conspiratio, præsagium id ei prodidit. Ille ridens, ex ipso Pithagora quæsiuit quidnā indicarent exta: qui vbi respondit, extremū diem significari, rursum arridens, & Apollodori studiū laudauit, & vatis vocem liberā. Cæsari verò extremum in Senatū eunti, vt paulò ante dixi, idem prodigiū oblatum est: quod ille irridens, ait, tale sibi visum etiā in Hispania: cumq́; aruspex respondisset, tum quoq; magnū eum adijsse discrimen capitis, nunc verò maius etiam exta minari, cedens nonnihil tam confidenter monenti, denuo sacrificauit, donec moram sacrorum pertæsus, curiā ingressus perijt. Idem & Alexandro accidit. repetentem enim Babylonē cum exercitu post victorias Indicas, iam propinquantem vrbi Chaldæi monebant, differret introitum: respondit ille vulgato prouerbio, Qui bene conijciet vatem hunc perhibeto optimum. Tum Chaldæi denuò rogabant, saltem nō Occidentem spectans induceret exercitū, sed ita circumductis copijs, vt à fronte vrbem & Orientem solem habeat: fertur hactenus eum paruisse, vt cœperit circumducere, sed offensum via cœnosa palustriq́, posteriora quoq; contempsisse vatum monita, atq; ita introgressum obuersa in solem occiduū facie. Nec multo post secundo Euphrate nauigauit ad Pallacortem fluuium; qui Euphratem excipiens in paludes & stagna deuehit, inundaturū alioquin totam Assyriam, cum fluuium cum mu-

nire

nire cogitaret, nauigãs illuc fertur cauillatus in Chaldæos, quod saluus & intrasset Babylonem, & tunc exiret nauigio: sed mox rediturum manebat extrema dies. Similiter & Cæsar cauillatus est; nam præmonitus à vate fatales sibi esse Idus Martias, vbi ea dies venit, exprobrauit illi adesse Idus: & tamen vltra eas non vixit. Ita hic quoq; omnia conueniunt prodigia, vatum monita æquo animo audita, cauillatio, prædictionis euentus ineuitabilis. Scientiarum etiam fuere amatores, tam patriarum quàm Græcarum externarumq́; Alexander Brachmanis collocutus, qui habentur Indorũ subtilissimi & sapientissimi, sicut Persarũ Magi: Cæsar cum Aegyptijs, quando præsens Cleopatram reduxit in regnum, quapropter etiam in pace multa apud Romanos correxit: & annum ad id ætatis inæqualem propter intercalares menses (nam ratione lunari vtebantur) iuxta solis cursum ordinauit, authoribus Aegyptijs. Quin & illud ei contigit, vt nemo ex cõiuratis euaserit; sed pœnas meritas eius filio dederint, sicut Alexandro interfectores Philippi. Quomodo autem dederint, dicetur in sequentibus voluminibus.

Ab Luciano tom. 1. pag. 281.

Dial. de inferis in Alex. cum Hannibale & Scipione.

O Lybiee, me decet præponi, melior equidem sum. Hannibal. *Imò verò me.* Alex. *Iudicet ergo Minos.* Min. *Quinã estis vos?* Alex. *Hic est Hannibal Carthaginiensis, ego autem Alexander Philippi regis filius.* Min. *Per Iouem, viri q; gloriosi. Sed qua de re vobis altercatio est?* Alex. *De præstantia, dicit enim is se meliorem, quàm me ducem exercitus fuisse; ego verò quemadmodum omnes sciunt, nõ hoc solùm, sed omnibus fermè, qui ante meam ætatem fuere, in re militari præstantiorem me esse affirmo.* Minos. *Dicat ergo vterq; vicissim, tu verò, ô Lybice, prius loquaris.* Hannib. *Vnum hoc me iuuat, quod & sic sermonẽ Græcum didicerim, vt neq; etiam hac in re Alexander me superet. Porrò illos maximè laude dignos puto cum paruis à principio fuere, propria virtute ad magnam gloriã euasere, potentesq́; per se ipsi facti, & principatu digni habiti. Ego igitur cum paucis quibusdam Hispaniam primum inuadens, cùm sub fratre præfectum agerem, maximis rebus idoneus atq; optimus iudicatus sum. Ibi tum Celtiberos cepi, atque Gallos ipsos deuici. Et cum magnos montes transmigrassem, omnem Eridanũ transcurri, multasq; ciuitates euerti, & planam Italiam subiugaui. & vsq; ad suburbia Romæ grassatus sum, tot q; vno die Romanos cecidi, vt annulos eorũ modijs mensurari oportuerit, & ex cadaueribus pontes fluminibus fecerim. Atq; hæc omnia peregi, nec Ammonis dictus filius, neq; Deũ me fingens, aut matris insomnia narrans, sed me hominem fatebar, pugnabamq́; contra duces magna prudentia, contra milites magna audacia atq; fortitudine præditos. Non aduersus Medos, aut Armenios, qui antequã quispiam sequatur, fugiunt, & facile cuiuis audenti victoriam tradunt. Alexander verò regni patris successor, & id fortuna quodam impetu amplianit. Qui cum deuicto misero illo Dario, apud Issum & Arbelas victoriã cepit, antiquã ex patre consuetudinẽ omittens, adorari sese voluit, seseq; ad Medorũ delicias ac viuendi modũ contulit, atq; in conuiuijs amicos interemit, interficientibusq; auxiliũ tulit. Ego autem patriæ dominatus sum, quæ cum me reuocaret hostiũ magna classe aduersus Lybiam nauigante, parui, continuoq; me hominem priuatum dedi, & damnatus æquo animo rem tuli. Atq; hæc ego barbarus cùm essem, omnisq́; Græcorum disciplinæ expers, & neq; Homerum, vt hic edidici, neq; Aristotele sophista magistro eruditus fui: sed solũ mea natura optima sum vsus. Hæc sunt, quibus me meliorem Alexandro esse puto. Si verò ea caussa mihi hic præferendus est, quod caput diademate ornauerit, id decorum forsan apud Macedones est; non tamen ob id præstantior hic videri debet generoso duce, & viro, qui mentis sententia magis quàm fortuna est vsus.* Minos. *Hic certè orationem neq; ignauam, neq; vt Lybicum decebat, dixit: tu verò Alexander, quid ad hæc inquis?* Alex. *Oportet quidem, ô Minos, homini adeò temerario nihil respondere. Sola enim te fama satis edocere potest, qualis ego rex, qualis hic latro habitus fuerit. Aduerte tamen, an parum ipsum superauerim, qui cum adolescens adhuc essem, rem aggressus, regnum obtinui, & de patris mei interemptoribus supplicium sumpsi. Ac cum Thebas subuertissem, toti Græciæ terrori fui, ab ea dux electus. Neq; dignum putaui, Macedonum regno me contentum esse, quod pater reliquerat, sed totum terrarũ orbem sitius parum existimaui, nisi rerum omnium dominus essem: paucos quosdam mecum agens in Asiam exercitum traduxi, & apud Granicum magna pugna vici, Lydiam, Ioniam & Phrygiam cepi. Et tandem quæcunq; transieram subiugans, veni ad Issum, vbi Darius me expectabat, infinitos exercitus secum agens. Posthac, ô Minos, vos ipsi scitis, quot ad vos vno die mortuos miserim. Dicit enim Charon, tũc sibi scapham non sufficisse, sed ratibus compositis illorum plerosque se transportasse, atque hæc confeci me ipsum periculis opponens, & in pugna vulnerari non timens. Et vt quæ apud Tyrum*

rum & Arbelas gesta sunt omittam, usque ad Indos veni, atque Oceanum mei regni terminum feci, & illorum hominum elephantes cepi, ac Porum captiuum abduxi. Scythas verò homines certè nō spernendos, Tanaim transiens magna equitum pugna vici, ac amicos meos remuneraui, inimicos autē vltus sum. Si verò Deus hominibus videbar: parcendū illis erat. Nam rerum magnitudine, vt tale aliquid de me crederent inducti sunt. Tandem mors me regem occupauit, hic autem Hannibal apud Prusiam Bythyniæ exulauit, vt crudelissimo & pessimo homini conueniens erat. Nam quo pacto Italos vicit, omitto dicere, quia non virtute, sed malitia atque perfidia & dolis id peregit, nunquam alicuius claritudinis aut iusti memor. Sed quoniā quod deliciosè vixerim, vituperauit, oblitus mihi videtur eorum, quæ apud Capuam admiserit. Ibi enim voluptatibus vir iste mirabilis, belli gerendi occasiones perdidit. Ego verò, nisi, ea quæ sub Occidente sunt, parua quidem putans, versus Orientem me impulissem, quidnam adeo magni profecissem, si Italiam absque sanguine cepissem ac Lybiam, omnemq́ eam oram vsque ad Gades sub potestatem redegissem? Sed hæc ego tanta contentione digna non putaui, præsertim tam antea illis perculsis, ac dominum agnoscentibus. Dixi. Tu verò, Minos, iudica? Nam & hæc è multis protulisse satis est. Scip. *Non, nisi me prius audias, ô Minos.* Minos. *Quis tu vir optime, es? aut vnde? quod hisce claris ducibus te conferre audes?* Scip. *Scipio Romanus, qui Carthaginem deleui, & Afros multis magnisq́ prælijs deuici.* Mi. *Quid igitur & tu dicis?* Scip. *Alexandro quidem minorē esse me, Annibale autem præstantiorem, vt qui ipsum victum persecutus fuerim, & ad turpem fugam compulerim. Quomodo ergo non impudens iste videatur, qui cum Alexandro sese comparet, cui ne ipse quidem Scipio, qui istum deuici comparare me ausim?* Min. *Per Iouem æqua dicis, Scipio: quapropter primus quidem iudicetur Alexander, deinde post illum tu: atque tum, si placet, tertius hic Hannibal, quippe qui nec ipse contemnendus existat.*

Apud Xiphilinum.

Antonius Caracalla imperator seipsum cū Alexandro composuit, & Orientalē Alexandrū appellauit.

Redi ad caput 9.

Idem Spartianus de Caracalla memorat. Vide suprà ibidem.

Ab Corinthijs. cum Hercule comparatus apud Senecam lib. 1. de Benef. c. 13.

Alexandro Macedoni, cum victor Orientis, animos supra humana tolleret, Corinthij per legatos gratulati sunt, & ciuitate illum sua donauerunt. Cùm risisset Alexander hoc officij genus, vnus ex legatis, Nulli inquit, ciuitatem vnquam dedimus alij quam tibi & Herculi. Libens accepit delatum honorem, & legatos inuitatione aliaq́ humanitate prosecutus, cogitauit, non qui sibi ciuitatem darent, sed cui dedissent. Et homo gloriæ deditus, cuius nec naturā, nec modum nouerat. Herculis Liberiq́ vestigia sequens, ac ne ibi quidem resistens vbi illi defecerant, ad socium honoris sui respexit à dantibus: tanquam cælum, quod mente vanissima complectebatur teneret: quia Herculi æquabatur. Quid enim simile habebat vesanus adolescens, cui pro virtute erat felix temeritas? Hercules nihil sibi vicit: orbem terrarum transiuit non concupiscendo, sed vindicando. Quid vinceret malorum hostis bonorum vindex, terrarum marisq́ pacator? At hic à pueritia latro gentiumq́ vastator, tam hostium pernicies, quàm amicorum, qui summum bonum duceret, terrori esse cunctis mortalibus, oblitus, non ferocissima tantum, sed ignauissima quoque animalia timeri, ob virus malum.

Apud Curtium lib. 9. cap. 9.

Ipse se cum Hercule & Libero.

Iam perflare ad ipsos auram maris; ne inuiderent sibi laudem quam peteret, Herculis & Liberi *patris terminos transituro, illos regi suo, paruo impendio, immortalitatem famæ daturos.*

Et mox.

Clamor ab exercitu est redditus, iubentium, duceret Dijs secundis, æquaretq́ gloria, quos æmularetur.

A Da-

A Daniele propheta cap.8. cum hirco.

Et leuaui oculos meos,& vidi:& ecce aries vnus ſtabat ante paludem habens cornua excelſa,& vnum excelſius altero, atque ſuccreſcens. poſtea vidi arietem cornibus ventilantem contra occidentem & contra Aquilonem,& contra Meridiem,& omnes beſtiæ non poterant reſiſtere ei,neque liberari de manu eius: fecitque ſecundum voluntatem ſuam, & magnificatus eſt. Et ego intelligebam: ecce autem hircus caprarum veniebat ab Occidente ſuper faciem totius terræ & non tangebat terram:porrò hircus habebat cornu inſigne inter oculos ſuos. Et venit vſque ad arietem illum cornutum,quem videram ſtantem ante portam,& cucurrit ad eum in impetu fortitudinis ſuæ. Cumque appropinquaſſet prope arietem:& comminuit duo cornua eius,& non poterat aries reſiſtere ei: cumque eum miſiſſet in terram,conculcauit,& nemo quibat liberare arietem de manu eius.Hircus autem caprarum magnus factus eſt nimis: Cumque creuiſſet fractum eſt cornu magnum,& ortæ ſunt quatuor cornua ſubter illud per quatuor ventos cœli.

Ex eodem.

Aries quem vidiſti habere cornua,rex Medorum eſt atque Perſarum. Porrò hircus caprarum,rex Græcorum eſt,& cornu grande quod erat inter oculos eius ipſe eſt rex primus.Quod autem fracto,illo ſurrexerunt quatuor pro eo;quatuor reges de gente eius conſurgent,ſed non in fortitudine eius.

Ab eodem cum Pardo.

Cornelius de Lapide in Danielem.

ET REGNVM TERTIVM ALIVD AEREVM QVOD IMPERABIT VNIVERSAE TERRAE. *Hoc eſt regnum Alexandri & Græcorum. Alexander enim penè vniuerſæ terræ noſtrati dominatus eſt, ita vt ſub eo ipſa ſe curuans ſiluerit quaſi tacitè agnoſcens eum dominum. dico noſtrati; non enim Alexander adijt & deuicit Chinenſes, Peruanos, Mexicanos &c. Ita S.Hier. & paßim alij. Perperam ergo Oroſius ex eo Proſper lib. de præd. & promiſſ. part.2. c.33. per ventrem & femora ærea, acceperunt Carthaginenſe imperium.*

Cur Græcorum æril?

Quæres, cur vocatur æreum. Reſp. S. Hieron. quia æs non tantùm forte eſt & durum, ſed & vocaliſſimum eſt & ſonatiſſimum. Talis fuit Alexandri & Græcorum fama, & gloria, non tantùm ob potentiam & bella fortiter geſta, ſed etiam ob ſapientiam, & eloquentiam, quæ apud Græcos floruit. Aes ergo primò ſignificat æreas tubas, galeas, loricas, & arma Alexandri puta clangorem tubarum, & armorum æneorum ſtrepitum & fragorem, inter quæ aßiduè ipſe verſabatur ijſq́; quaſi muſica ſuauiſſima delectabatur: fuit enim ipſe pugnaciſſimus, non niſi arma, & martem ſpirans: nam veteres armis æreis pro ferreis vtebantur; æris enim vſus antiquior eſt, quam ferri. Vnde Heſiodus,

Aere laborabant nondum noſcentia ferrum
Secula————

Sic & Homerus Achillis & Græcorum tela, & arma docet fuiſſe ærea: quæ Combe puella in Eubæa primum inuenit, indeq́; cognominata eſt Chalcis. χαλκὸς enim Græcè ſignificat æs. ita ex Euſtathio & alijs docet Cælius Rhodiginus lib.10. antiq.50. vbi & addidit, Comben fuiſſe Aeſopi filiam. Hinc & Gabriel archangelus Dan.10.6. brachia femora & tibias habuit inſtar æris candentis, quia hac ſpecie repræſentabat Machabæorum fortitudinem, & armorum ſplendorem. Sic & Deus in curru Cherubico pugnaturus contra Iudæos, induit corpus ex electro, id eſt aurichalis, quod eſt æs optimum & fulgidiſſimum, vt dixi Ezech.1.27. Secundo, æs reſonans ſignificat facundiam & eloquentiam Græcorum. Tertio, æs ſonorum ſignificat famam & gloriam geſtorum Alexandri, quæ ſubito toto orbe inſonuit adeóque omnes perculit, vt certatim cuncti ei ſubderent ſe, aut cum eo fœdus inirent. Fuit ergo ipſe æs ſonans, & cimbalum toto orbe tinniens. Vnde & Lyſippus eum ex ære ſculpſit, vt mox dicam. De fama Curtius: Tantus, *ait*, nominis eius *Alexandri* terror vniuerſum orbem inuaſerat, vt cunctæ gentes velut iam deſtinato ſibi regi adulaten-

larentur. *Hinc & 1. Machab. 13. dicitur in conspectu eius siluisse vniuersam terram, ac si audisset fragorem ruentis mundi. Quocirca verè dixit de eo Tertull. l. de pallio*, sola ipsum fama sua fuisse minorem. *De sapientia & eloquentia sola Athenæ, quæ ab omnibus epithetum doctæ sortitæ sunt, locupletes sunt testes. Cicero orat. pro Flacco*: Adsunt, *ait*, Athenienses, vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ atque in omnes terras distributæ putantur. *Plato in Prothagorâ, Athenas* sapientiæ prytaneum *appellat. Mirum verò est, quod scribit Tertull. libro de animâ c. 20.* Thebis; *ait*, hebetes & brutos nasci relatum est; Athenis sapiendi dicendique acutissimos, vbi penes Colytum pueri mense citius eloquuntur præcoce lingua. Siquidem & Plato in Timæo Mineruam affirmat, cùm vrbem illam moliretur, nihil aliud, quam regionis naturam perspexisse, talia ingenia pollicitam. *Hodiernus Platonis interpres sic vertit*; Dea vobis habitationem designauit delecto loco, in quo genitis est temporum anni temperiem in eo conspicata, quod sapientissimos viros producturus esset.

Æris verò huius tinnitum; id est, Alexandri famam & gloriam, sigillatim audi: Duodecim ferè in Alexandro eluxerunt dotes eximiæ, & elogia rara, quæ eius nomen apud omnes gentes celebrarunt. Collegit eas Cornelius de Lapide ex Plutarcho in eius vita, Q. Curtio l. 10. & Iustino. Has nos suprà posuimus hic verbo repetitas.

1. Olympiadis venter in conceptu Alexandri de cælo tangi visus, & flamma inde erumpens. 2. Signatus deinde vterus Olympiadis. 3. Draco visus ad dormientis latus. 4. Ephesij templi conflagratio. 5. Tres nuncij Philippo allati: Victoriæ de Illyrijs, victoriæ rursus in Olympiæ certamine, & de nato Alexandro. De his Plutarchus. 6. De duabus aquilis. 7. De aquila volante supra caput eius cùm pergeret in Darium. 8. Visus Apollo ad Tyrum. 9. Satyrus ad Tyrum. 10. Fragrantia corporis. 11. In Aphtharsia corporis post mortem ad multos dies in summo calore. 12. Summa celeritas, vnde & fulmini comparatus.

Solus Apuleius incomparabilem iudicauit, cuius encomium è primo Floridorum hic subscribo: *Alexandro illi longè olim excellentissimo regi, cui ex rebus actis & auctis cognomentum Magno inditum est, placuit, ne nisi vnicam gloriam adeptus sine laude vnquam nominaretur. Nam solus à condito æuo, quantum hominum memoria extat, inexuperabili imperio orbis auctus, fortunâ sua maior fuit: successusq; eius amplissimos & prouocauit vt strenuus; & æquiparauit vt meritus, & superauit vt melior, solusq; sine æmulo clarus; adeò vt nemo eius audeat, vel sperare virtutem; vel optare fortunam. Eius igitur Alexandri multa sublimia facinora, & præclara edita fatigaberis admirando, vel belli ausa, vel domi prouisa. quæ omnia aggressus est meus Clemens eruditissimus & suauissimus poetarum, pulcerrimo carmine illustrare: Sed eumprimis Alexandri illud præclarum: quod imaginem suam quo certior posteris proderetur, noluit à multis artificibus vulgo contaminari, sed edixit vniuerso orbi suo, ne quis effigiem regis temerè assimilaret ære, colore, cælamine: quin sæpe solus eam Polycletus ære duceret, solus Apelles coloribus delinearet, solus Pyrgoteles cælamine excuderet. Præter hos tres multò nobilissimos in suis artificijs, si quis vspiam reperiretur alius sanctissimi imagini regis manum admolitus, haud secus in eum, quàm in sacrilegum vindicaturus: Eo igitur omnium metu factum, solus Alexander vt vbique imaginum summus esset, vtque omnibus statuis & tabulis & toreumatis idem vigor acerrimi bellatoris, idem ingenium maximi honoris; eadem forma viridis iuuentæ, eadem gratia relicinæ frontis cerneretur.*

Agathias Scholasticus etiam Duces Alexandri post mortem eius ob nominis claritudinem, famam & admirationem, diu in Asia & India regnasse testatur, diutiusque regnaturos fuisse, nisi inter se dissentientes armis concurrissent, & se ipsi euertissent: *Alexander enim Philippi filius, interfecto Dario rege Arsami filio, totaq; Perside subactâ, ad Macedonicam gubernationem res transtulit. Ita enim erat rerum gestarum magnitudine eximiè clarus, belloq; insuperabilis, vt etiam postea quam eum è viuis excedere contigit, successores tamen ipsius, Macedones cùm essent, alienam exteramq; regionem quàm diutissimè in potestate retinuerint, & ad summam potentiam euaserint. Et sanè arbitror eos etiam in hunc vsque diem regnaturos, imperiumq; obtenturos fuisse;* Lib. 1. hist. pag. 61. pag. 56.

f *Alexan-*

Alexandri gloria suffultos, nisi inter se dissidentes, frequentibusq; prælijs tum aduersus se mutuo, tum aduersus Romanos habitis plura habendi studio suas ipsorum vires potentiamq; fregissent, effecissentq; vt non amplius finitimis insuperabiles viderentur, cum alioquin imperassent non minore temporis spacio quàm Medi, septem videlicet annis minus; nam etiam in hac re credendum est Polyhistori. Cum itaque tanto tempore imperassent, à Parthis gente alijs subdita, minimeq; antea celebri, imperio fuerunt exuti.

S. Chrysostomus cum S. Paulo Apostolo.

Apud Sim. Metaph. & Theodorũ Daphnopatum, Sur. tom. .Iunio. p.897. *Quid in mundi gloria est Alexandro gloriosius, aut quid sublimius? non viuus multa magna gessit & præclara? non & gentes & vrbes subegit, & bella multa vicit, & prælia, & erexit trophæa? nõ existimatus est esse Deus tertius decimus à Senatu Romanorum? sed quòd viuus quidem bella rectè gereret & victorias obtineret, cum & rex esset & exercitus haberet, nihil mirum: post mortem autem & sepulturam vbique, & in terra, & in mari quotidie tam multa facere, hoc est quod maximam affert admirationem. vbi enim est, dic mihi, corpus Alexandri? ostende mihi, & dic diem in quo decessit. Sed non poteris. Pauli autem & præclarum corpus videris, qui ad maximè regiam venerit ciuitatem, & illustrem eius mortis diem vniuersus orbis terræ celebrat. Et res quidem illius, etiam sui ignorantur: res autem huius sciunt etiam barbari; & Christi serui sepulchrum, est regijs atrijs splendidius.*

CAPVT XV.

Alexandromastiges.



Ed, ne quid per dissimulationem silentio transmittamus, quod vel maximè ad rem pertinet, & virtutes duntaxat, ac laudes Alexandri iactemus, vitia verò & flagitia premamus, perinde quasi sanctus vbique, iustusque & inculpatus nihil vnquam peccarit: habuit, habuit, inquam, Alexander sicut Hephæstiones & φιλαλεξάνδρους multos, ita non paucos etiam Alexandromastigas, qui labes vitæ, & quicquid contra rationem, leges diuinas, & humanas designauit, quicquid crudeliter, flagitiosè, turpiterque dixit, fecit, gessit, illi & in os præsenti ingererent, & absenti mortuoq; exprobrarent, atque in literas mitterent, adeòque apud omnem posteritatem reum peragerent. Tria sunt, in quibus maximè offendit; primum cædes trium maximorum & innocentium virorum, Clyti fortissimi, Callisthenis sapientissimi, Orsinis satrapæ nobilissimi: deinde ebrietas cum ingenti sæpè luxu coniuncta: & ambitio atque superbia, qua humanæ fortis oblitus, ad diuinos grassari honores diuinitatem affectare, cœpitque velle pro Deo haberi, Deus credi, dici, coli, adorari, quod omnium propè popularium animos ab ipso auertit, & demùm in exitium vltimum præcipitem egit.

Primum elogium est ab Scythis, qui hæc Alexandro, vt pirata ille, coram in os: *Tu, qui gloriaris te ad latrones persequendos venire, omnium gentium, quas adisti, latro es.*

Hermolaus in Curtio.

Lib. 8. *Nos verò, quoniam quasi nefas quæris, occidendi te consilium inimus, quia non vt ingenuis imperare cœpisti, sed quasi in mancipia dominaris.* Primus ex omnibus, pater ipsius, Sopolis, parricidam etiam parentis sui clamitans esse, consurgit, & ad os manu obiecta, scelere & malis insanientem vltrà negat audiendum. & quæ sequuntur cap. 15. toto.

Cicero. patrem filio præfert, & Philippum semper magnum, Alexandrum sæpè turpissimum fuisse dicit.

Liuius l. 9.

Referre in tanto rege piget superbam mutationem vestis, & desideratas humi iacentium

tium adulationes, etiam vitiis Macedonibus graues, nedum victoribus; & fœda supplicia: & inter vinum & epulas cædes amicorum; & vanitatem ementiendæ stirpis. Quid si vini amor in dies fieret acrior? quid si trux ac præferuida ira? (nec quicquam dubium inter scriptores refero) nullane hæc damna imperatoriis virtutibus ducimus?

Valerius Max. lib. 9. cap. 3.

Alexandrum iracundia sua propemodum cælo deripuit. nam quid obstitit, quo minus illuc assurgeret, nisi Lysimachus leoni obiectus, & Clitus hasta traiectus, & Callisthenes mori iussus? quia tres victorias totidem amicorum iniustis cædibus victor perdidit.

Idem l. 9. c. 5.

Alexandri regis virtus & felicitas tribus insolentiæ gradibus exultauit euidentissimis. Fastidio enim Philippi, Iouem Hammonem patrem adsciuit: tædio morum & cultus Macedonici, vestem & instituta Persica assumpsit: spreto mortali habitu diuinum æmulatus est; nec fuit ei pudori filium, ciuem, hominem dissimulare.

Idem de eiusdem cupiditate nimia laudis, & siti auaritiæ, cui totus non suffecit orbis, *Angusta homini possessio gloria fuit, quæ Deorum omnium domicilio sufficit.*

Curtius.

Crudelem Orsinis cædem luculenta oratione Curtius ipse describit, ego verbo rem hic tango. Bagoam spadonem, Orsines nobilissimus Pasargadarum princeps è Cyro natus, velut Mardochæus Ammanem sine cultu honoris transierat ad Alexandrum, & monitus ab aliis de Bagoa, quàm charus esset Alexandro, respondit: *amicos regis, non scorta se colere.* Hanc generosam vocem morte redimere coactus est Orsines; nec enim Bagoas destitit, quoad per criminationes illum in crucem tolleret. quod suo loco copiosius ostendemus. Magnam Orsinis supplicium inuidiam apud omnes posteros Alexandro, nec immeritò, conciliauit. nec Sisenis Persæ mors laudi fuit Alexandro. Sed de Orsine, Clito, Callisthene, & Sisene pleniùs in Comment. Lib. 10. c. 3.

Seneca.

Sed ex omnibus rerum scriptoribus capitaliorem hostem & acerbiorem insectatorem nullum habuit Alexander; quam Latinum philosophum Senecam, vbique sibi infestum, vbique obtrectantem, vbique obstrepentem, & omnia magna facinora eleuantem & prementem, vbique grauiter insultantem. Nec Curtius suo Imperatori pareit. Græcos ferè omnes multo sibi magis propitios sensit, qui etiam ingentia regis flagitia, vel excusant, vel molliunt, vt ex Plutarcho, Arriano, & aliis cognosci potest. Atque de eade Cliti copiosissimè Curtius & Iustinus: Seneca paucissima cum ingenti aculeo. *Refert*, inquit, *Alexandri Macedonis exemplum, qui Clitum carissimum sibi ac fidelissimum inter epulas transfodit, & intellecto facinore mori voluit, certè debuit.* Epist. 83. pag. 441.

Atque de eodem.

Dabo tibi ex Aristotelis sinu regem Alexandrum, qui Clitum carissimum sibi & vnà educatum inter epulas transfodit, & manu quidem sua parum adulantem & pigrè ex Macedone, ac libero in Persicam seruitutem transeuntem. Li. 3. de ira cap. 17.

Et cap. 22.

Huius nepos (Antigoni, inquit Seneca, sed fallitur, Amyntas fuit) *Alexander, qui lanceam in conuiuas suos torquebat, qui ex duobus amicis, quos paullò antè retuli, alterum* Lysimachum *feræ obiecit, alterum* Clitum *sibi.*

Natural. quæst. l. 6. c. 23. Iam de Callisthene philosopho ab Alexandro crudeliter interfecto, quid idem Seneca, vbi ex sententia Callisthenis de terræ motibus agit, ita disputat: *Rara terra natura est, multumq́ habens vacui per has raritates spiritus fertur, qui vbi maior influxit, nec emittitur, concutit terram. Hæc placet & alijs vt paullò antè retuli, causa; si quid apud te profectura testium turba est, hanc etiam Callisthenes probat non contemptus vir, fuit enim illi nobile ingenium & furibundi regis impatiens. hoc est, Alexandri crimen æternum, quod nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimet: nam quoties quis dixerit; Occidit Persarum multa millia; opponetur, & Callisthenem: quoties dictum erit; occidit Darium, penes quem tunc magnum regnum erat; opponetur, & Callisthenem: quoties dictum erit, omnia Oceano tenus vicit, ipsum quoque tentauit nouis classibus & imperium ex angulo Thraciæ vsque ad Orientis terminos protulit: dicetur, sed Callisthenem occidit. Omnia licet antiqua ducum regumq́ exempla transierit, ex his quæ fecit, nihil tam magnum erit, quam scelus Callisthenis.* His laudibus celebrat Alexandrum Magnum Seneca, cui magni quoque cognomen penitus abdicauit; nam cum sæpius illius mentionem inijciat, nusquam tamen magnum appellat, sed regem duntaxat, vel Alexandrum, vel Macedonem: imò latronem à pueritia, gentiumque vastatorem. Callisthenis crudelem mortem leges lib. 8. c. 16. ad quod ex varijs scriptoribus multa prolata.

Ad ebrietatem & luxum veniamus, & Senecam laudantem audiamus. nam vbi de causa Clyti inter epulas obtruncati agit, hæc subijcit: *Omne vitium ebrietas & incendit & detegit: obstantem malis conatibus verecundiam remouet. Plures enim pudore peccandi, quàm bona voluntate prohibitis abstinent. vbi possedit animum nimia vis vini, quicquid malè latebat emergit. non facit ebrietas vitia, sed prodit. tunc libidinosus ne cubiculum quidem expectat, sed cupiditatibus suis quantum petierint sine dilatione permittit: tunc impudicus morbum profitetur ac publicat; tunc petulans non linguam, non manum continet. Crescit insolenti superbia, crudelitas sæuo, malignitas liuido: omne vitium detegitur & prodidit. adijce illam ignorationem sui, dubia & parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipsa mobilia, velut aliquo turbine circumagente totam domum: stomachi tormenta, cùm efferuescit merum ac viscera ipsa distendit. Tunc tamen vtrumque tolerabile est, dum illi vis sua est. Quid cùm somno vitiatur & quæ ebrietas fuit, cruditas facta est? cogita quas clades ediderit publica ebrietas. Hæc acerrimas gentes bellicosasq́ hostibus tradidit: hæc multorum annorum pertinaci bello defensa mœnia patefecit: hæc contumacissimos & iugum recusantes in alienum egit arbitrium: hæc inuictos acie mero domuit. Alexandrum, cuius modo feci mentionem, tot itinera, tot prælia, tot hyemes, per quas victa temporum locorúmque difficultate, transierat; tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum demiserunt: intemperantia bibendi, & ille Herculaneus ac fatalis scyphus condidit. quæ gloria est, capere multum? cum penes te palma fuerit, & propinationes tuas strati somno ac vomitantes recusauerint, cùm superstes toti conuiuio fueris, cum omnes viceris virtute magnifica, & nemo tam vini capax fuerit, vinceris à dolio.*

Ex quo loco simul discis Senecæ mentem de nece Alexandri non medicato poculo stygiæ pestis, sed Bacchi Herculaneo succubuisse. Senecæ subscribit A-
Lib. 10. p. 434. thenæus: πολυπότης δὲ καὶ Πρωτέας ὁ Μακεδὼν πάνυ, ὥς φησιν Ἔφιππος, &c. Tu Latine translatum audi.

Bibacissimus fuit Proteas Macedo, vt ait Ephippus, libro de Alexandri & Hephæstionis

stionis sepultura, robustoq́ corpore vitam traduxit, quamuis se plurimum in bibendo exercuisset. Alexander igitur poculum, quod duos congios capiebat, cùm poposcisset, Protea id præbibit: ille verò sumptum multis laudibus regem prosecutus exhausit, cùm applausu omnium. ac paullò pòst poculum idem postulauit, rursumq́ Alexandro propinans id hausit: rex autem generosè quidem ebibit, sed perferre non potuit, in puluinar reclinatus & poculo è manibus dimisso: ac iam inde morbo correptus interyt. Baccho, vt fama est, irato, quòd Thebas patriam suam obsedisset. Bibacissimus Alexander certè fuit, vt qui temulentus sæpiùs duos totos dies noctesq́ totidem cubans crapulam edormiret. Ex eius ephemeridibus hoc innotescit, quas scripserunt Eumenes Cardianus, & Diodotus Erythræus. Menander in Adulatore:

A. In Cappadocia, Condylon, ô Struthia, heminarum decem capacem, aureum ego & plenum quidem, ter ebibi. B. plus sanè tu bibisti quàm Alexander rex. A. Non minus, per Palladem. B. Magnum hoc quidem,

Nicobule, qui hæc scripta tribuit, author est, cœnantem Alexandrum apud Medeum Thessalum, viginti qui accubuerant conuiuis, omnibus præbibisse, illosq́ paria fecisse, at paullò post è conuiuio discedentem somno se Alexandrum tradidisse. & infra. Εἰς τοσοῦτον δὲ Ἀλέξανδρος ἐμέθυεν, ὥς φησι Καρύστιος ὁ περγαμηνὸς ἐν ἱστορικοῖς ὑπομνήμασιν, ὥς καὶ ἐπὶ ὄνων ἅρματος κωμάζειν. *Adeo verò nonnunquam temulentus Alexander fuit, quod Pergamenus Carystius ait in historicis commentarijs, vt ad currum iunctis asinis commessabundus veheretur.*

Aelianus post enumerata nobilissima Alexandri facinora subijcit de ebrietate: ἐκεῖνα δὲ οὐκ ἔτι καλὰ Ἀλεξάνδρου δι οὗ μηνὸς φασὶ πέμπτῃ ἔπιε παρ' Εὐμαίῳ, εἶτα ἕκτῃ ἐκάθευδεν ἐκ τοῦ πότου. καὶ τοσοῦτον ἐκείνης τῆς ἡμέρας ἔζησεν, ὅσον ἀναστὰς χρηματίσαι τοῖς ἡγεμόσιν ὑπὲρ τῆς αὔριον πορείας, λέγων ὅτι ἔσται πρωΐ. καὶ ἑβδόμῃ εἱστιᾶτο παρὰ Περδίκκᾳ, καὶ ἔπιε πάλιν, καὶ ὀγδόῃ ἐκάθευδε, πέμπτῃ δὲ ἐπὶ δέκα τοῦ αὐτοῦ μηνός, καὶ ταύτῃ ἔπιε, καὶ τῇ ἑπομένῃ τὰ εἰθισμένα ἔδρα, τὰ ἐκ τοῦ πότου, παρὰ Βαγώᾳ δὲ ἐδείπνησε τετράδι μετὰ εἰκάδα· ἀπεῖχε τῶν βασιλείων ὁ Βαγώα οἶκος δέκα σταδίους· εἶτα τῇ τρίτῃ ἐκάθευδε. δυοῖν οὖν θάτερον, ἢ Ἀλέξανδρος κακῶς τοσαύτας τοῦ μηνὸς ἡμέρας ἑαυτὸν ἐζημίου διὰ τὸν οἶνον, ἢ οἱ ταῦτα γράψαντες ψεύδονται. ἔξεστι δὲ ἐκ τούτων ἐννοεῖν, καὶ τοῦ λοιποῦ χρόνου τὰ ὅμοια αὐτοὺς λέγοντας. ὧν καὶ Εὐμένης ὁ Καρδιανὸς καὶ ἐκεῖνός ἐστι.

Verùm illa non sunt ampliùs laudanda in Alexandro, quòd eum quinta die mensis, vt fama est, perpotasset apud Eumæum, deinde sexta crapulam edormierit, neque plus illo die vixerit, quàm vt surgeret, & ducibus de crastina profectione mandata daret, inquiens eam summo mane futuram. Septima deinde die epulatus est apud Perdiccam, qua se rursus vino ingurgitauit & octaua dormiuit. Et decimo quinto die eiusd. mensis iterum indulsit vino, & sequenti solito more crapulam somno decoxit. Vigesimo quarto cœnauit apud Bagoam; distabat à regia domus Bagoæ stadys decem, post tertio dormiuit. Ex duobus igitur alterum sit oportet: aut quod Alexander magno sibi nocumento fuerit, tot diebus potando consumtis: aut, quod qui hæc tradiderunt, mendacia dixerunt. Ex quib. colligi potest, eos in reliquis itidem à veritate deflectere, in quibus Eumenes Cardianus ille non postremum locum obtinet.

De eadem Plutarchus Sympos. l. 1. c. 6. Λόγος ἦν περὶ Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως, ὡς οὐ πολὺ πίνοντος, ἀλλὰ πολὺν χρόνον ἐν τῷ πίνειν καὶ διαλέγεσθαι τοῖς φίλοις ἕλκοντος. ἀπεδείκνυε δ' αὐτοὺς φλυαροῦντας Φιλῖνος ἐκ τῶν βασιλικῶν ἐφημερίδων, ἐν αἷς συνεχέστατα γέγραπται, καὶ πλειστάκις, ὅτι τήνδε τὴν ἡμέραν ἐκ τοῦ πότου ἐκάθευδεν· ἔστι δ' ὅτε καὶ τὴν ἐφεξῆς. *Sermo inciderat de rege Alexandro quod is non bibisset multum, sed inter pocula differendo cum amicis multum extraxisset temporis. Eum vanitatis conuincit Philinus ex diarijs commentarijs regijs, in quibus creberrimis & continenter scriptum est. Hanc diem rex à compotatione dormiuit: aliquando etiam & posteram.*

Idem in vita. Sed hoc enarrabimus cùm de eius morte agemus. Vide Curtium lib. 6. cap. 2.

Lib.1.p.17. & 18. Lib 12.p. 53.& 5[illegible]. * Aliamus l.2.c.41.

De luxu porrò conuiuiorum Alexandri plurima Athenæus; quæ quia prolixiora sunt, lectorem ad primum, & duodecimum eius volumen remittimus, quæ infrà quoque in historia enarranda attingemus. Deterrimum fuit, quòd etiam certamina * potantibus proposuerit, quibus aliquot, & seipsum in mortem dedit.

Tertium crimen Alexandri, Superbia & diuinitatis affectatio, omnium grauissimum fuit, qua sibi odium, risum, ludibrium, mortem comparauit, cùm eius superbiam populares non ferrent. Curtius* horum grauissimus est insectator. Seneca etiam:

*li.6.c.10. Lib. de benef. c. 13.

Alexandro, inquit, Macedoni, cùm victor Orientis animos supra humana tolleret, Corinthij per legatos gratulati sunt, & ciuitate illum sua donauerunt. Cùm risisset Alexander hoc officij genus, vnus ex legatis, Nulli, inquit, ciuitatem vnquam dedimus alij, quam tibi & Herculi. libens accepit delatum honorem, & legatos inuitatione, aliaq; humanitate prosecutus, cogitauit, non qui sibi ciuitatem darent, sed cui dedissent. Et homo gloriæ deditus, cuius nec naturam, nec modum nouerat, Herculis Liberiq; vestigia sequens, ac ne ibi quidem resistens, vbi illi defecerant, ad socium honoris sui respexit à dantibus, tanquam cælum, quod mente vanissima complectebatur, teneret: quia Herculi æquabatur. quid enim simile habebat vesanus adolescens, cui pro virtute erat felix temeritas? Hercules nihil sibi vicit: orbem terrarum transiuit, non concupiscendo, sed vindicando. quid vinceret malorum hostis, bonorum vindex, terrarum mariśq; pacator? At hic à pueritia latro, gentiumq; vastator, tam hostium pernicies, quàm amicorum qui summum bonum duceret, terrori esse cunctis mortalibus, oblitus, non ferocissima tantum, sed ignauissima quoque animalia timeri ob virus malum.

*lib.4.p. 174.in 8.

Et apud Arrianum * Callisthenes contra Anaxarchum. Enimuero Plutarchus libro vtroque de fortuna Alexandri, omnia ipsius vitia miris modis eleuat, aliorumque criminationes diluit; vt pleraque etiam Arrianus.

Acerrimis quoque scoptes, iron, & irrisor Alexandri M. est Lucianus in dialogis, quorum duos, quia simul amœni & iucundi sunt, iubet apponere. Primus est, quo Diogenes Alexandrum mortuum apud inferos exagitat.

Tom.1.p. 291.

Τί τοῦτο, ὦ Ἀλέξανδρε; καὶ σὺ τέθνηκας ὥσπερ ἡμεῖς ἅπαντες; & quæ sequuntur.

Diogenes. *Quid hoc rei Alexander? itane defunctus es tu quoque, perinde atque nos omnes?* Alex. *Vides nimirum, Diogenes; tametsi mirandum non est, si homo cùm fuerim defunctus sum.* Diog. *Num ergo Iupiter ille Hammon mentiebatur, cum te esse suum filium diceret? an verò tu Philippo patre prognatus eras?* Alex. *Haud dubiè, Philippo, neque enim obijssem, si Hammone parente fuissem progenitus.* Diog. *At qui de Olympiade etiam consimilia quædam ferebantur, puta draconem quendam ei fuisse congressum, visumq; in cubiculo: ex eo grauidam, peperisse te, porrò Philippum errare falliq; qui se tuum patrem esse crederet.* Alex. *Inaudieram quidem & ipse ista, quemadmodum tu: at nunc video neque matrem, neque Hammonis illos vates sani quicquam aut veri dixisse.* Diog. *Attamen istud illorum mendacium, Alexander, ad res gerendas haudquaquam tibi fuit inutile, propterea quod vulgus te verebatur, metuebatq;, cum Deum esse crederet. sed hic mihi, cuinam tam ingens illud imperium moriens reliquisti?* Alexand. *Id equidem ignoro, Diogenes; celerius enim è vita submouebar, quam vt esset otium de illo quicquam statuendi, præter id vnum, quod moriens Perdiccæ anulum tradidi. sed age, quid rides Diogenes?* Diog. *Quid ni rideam? an non meministi quid Græci fecerint, cùm nuper tibi arrepto imperio adulerentur, principemq; ac ducem aduersus barbaros deligerent, nonnulli verò in duodecim Deorum numerum referrent, ac fana constituerent, denique sacra facerent tanquam draconis filio? sed illud mihi dicito, vbi te sepelierunt Macedones?* Alex. *Etiamdum in Babylone iaceo tertium iam diem: porrò Ptolemæus ille satelles meus, si quando detur otium ab his rerum motibus, qui nunc instant, pollicetur in Aegyptum deportaturum me, atque inibi sepulturum, quo videlicet vnus fiam ex dijs Aegyptijs.* Diog. *Non possum non ridere, Alexander, qui quidem te videam etiam apud inferos desipientem sperantemq; fore, vt aliquando vel Anubis fias, vel Osiris. quin sis spes istas omittis, ô diuinissime? neque enim fas est reuerti quenquam, qui semel paludem transmiserit, atque intra specus hiatum ascende-*

ſcenderit, propterea quod neque indiligens eſt Aeacus, neque contemnendus Cerberus. verum illud abs te diſcere peruelim, quo feras animo quoties in mentem redit, quanta felicitate apud ſuperos relicta, huc ſis profectus, puta corporis cuſtodibus, ſatellitibus, ducibus, tum auri tanta vi, ad hoc populis, qui te adorabant: præterea Babylone, Bactris, imm anibus illis belluis, dignitate, gloria: deinde quod eminebas, conſpicuus, dum vectareris, dum amiculo candido caput haberes reuinctum, dum purpura circumamictus eſſes: nunquid hæc te diſcruciant, quoties recurſant animo? quid lachrymaris ſtulte? an non id te ſapiens ille docuit Ariſtoteles, ne res eas quæ à fortuna proficiſcantur, ſtabiles ac firmas æſtimares? Alex. *ſapiens ille? cum ſit aſſentatorum omnium perditiſſimus. ſine me ſolum Ariſtotelis facta ſcire, quàm multa à me petierit, quæ mihi ſcripſerit, deinde quemadmodum abuſus ſit mea illa ambitione, qua cupiebam eruditione cæteris præſtare, cum mihi palparetur interim, ac prædicaret me nunc ob formam, tanquam & ipſa ſummi boni pars quædam eſſet: nunc ob res geſtas atque opes: nam has quoque in bonorum numero collocandas eſſe cenſebat, ne ſibi vitio verteretur, quod eas acciperet. Planè præſtigioſus vir ille quidem erat, ac fraudulentus, ô Diogenes: quanquam illud fructus ſcilicet ex illius ſapientia fero, quod nunc perinde quaſi ſummis de bonis excrucior ob iſta, quæ tu paulò antè commemoraſti.* Diog. *An ſcin' quid facies? oſtendam tibi moleſtiæ iſtius remedium. quandoquidem in his locis veratrum non prouenit, fac vt Lethæi fluminis aquam auidis faucibus attrahens bibas, iterumque ac ſæpius bibas: atque eo pacto deſines de bonis Ariſtotelicis diſcruciari. Verùm enim Clitum etiam illum & Calliſthenem video, eumq́ue his alios complures raptim huc ſeſe ferentes, quò te diſcerpant, pœnasq́ue ſumant ob ea, quæ quondam in illos commiſiſti. quare fac in alteram hanc ripam te conferas, & crebrius, vt dixi, bibas.*

Alter Philippi & Alexandri.

Νῦν μὲν, ὦ Ἀλέξανδρε, οὐκ ἂν ἐξάρνος γένοιο, μὴ οὐχ ἐμὸς υἱὸς εἶναι. & quæ ſequuntur.

Philippus. *Non igitur inficiaberis, Alexander, ex me prognatum te eſſe filium nam ad* Tom. 3. pag. 37.
Iouem Hammonem genus paternum referens, mortem non obiſſes. Alex. *Neque verò neſcius eram pater, Philippi Amyntæ me eſſe filium; ſed quia ad res gerendas ſic mihi viſum, erat conducere, commento hoc vſus ſum vaticinij* Phil. *Quid ais? conducibile id tibi viſum vt vatibus impoſtoribus fallendum te exponeres?* Alex. *Non iſthuc, ſed barbaros in mei admirationem tractos facilius hoc prætextu noſtro ſubdidimus imperio; cum nemo vnus viribus noſtris hactenus reſtiterit, quippe hac ſola opinione ducti, quod aduerſus Deum ſibi eſſet præliandum.* Phil. *Quos tu igitur tanto conatu dignos vſquam viciſti, qui cum timidis illis arculis peltarijs ac gerris vimineis pugnare ſolitus ſemper cõgreſſus es? atqui Græcos armis domare, Bœotios, Phocenſes, Athenienſes, & id genus alios, operis fuerat ſtrenui atque magnifici. Arcadum inſuper ſuſtinere armaturam, equitatum Theſſalum, Eleorum iaculatores, Mantineos peltis inſtructos, aut cum Thracibus, Illyricis, Pæonibúsue manum conſerere operoſum profectò atque arduum id fuiſſet in primis. Cæterum Medos, Perſas, & Chaldæos delicatos, ac plurimo auro conſpicuos, non ſatis compertum habeo quonam modo ante te duce Clearcho mille viri bello adorti expugnarint, fœdè in fugam actos antequã ad manus ventum fuiſſet.* Alex. *At verò Scythæ, pater & Indici elephantes, res ſunt non vſque adeò abiecta & contemptibiles: & tamen neque conciſatis inter ipſos tutiſsimis odijs, neque per proditionem mihi venundari paſſus ſum victoriam. Sed neque peieraui vnquam, aut per nugas à pollicito receſsi, fidemq́ue ſolui victoriæ gratia. Adde quod & Græcos alios ſine ſanguine in deditionem accepi: Thebanos autem fortaſsis ipſe audiſti quomodo aggreſſus fuerim.* Phil. *Noui hæc omnia ex Clito, quem tu inter epulas eò quod nomen meum celebraret, & meas res geſtas cum tuis conferre auderet, traiecto per corpus telo, tum iugularas. Tu verò & Macedonicam chlamydem abijciens, candyn Perſicum amictum recepiſti (vt aiunt) & tiaram rectam, vt ne interim commemorem, quod à Macedonibus viris vtiquè liberis adorari debere te in animum induxeris, & qui quod maximè omnium erat ridiculum, hominum abs te victorum mores imitatus es. Tempero mihi ne memorem alia quæ turpiter admiſeris, viris doctis in leonum clauſtra incluſis, & nuptijs talibus peractis; quodque Hephæſtionem plus quàm eſſet ſatis, amaris. vnum eſt quod ſolum laudo abs te geſtum, in Darij vxore videlicet, forma præſtante, quia ab illius complexu abſtinueris, & genitricis illius atque filiarum, ne vim paterentur, curam ſuſceperis. Regium certè id opus extitit:*

quod

quod tum factitasse te accepimus. Alex. *Quomodo autem tibi non probatur, pater, quod in Oxydracis gente Indica, lubens me in periculum coniecerim, atque acceptis plurimis vulneribus muros primus omnium transilierim?* Phil. *Non probo, Alexander, neq; id quia pulchrum esse negem vulnerari quandoque imperatorem, & in subeundis periculis prætentare viam; sed quia ex re tua isthuc erat minimè. siquidem pro Deo habitus, quos, oro, risus præbebas spectatorib. quando post acceptum vulnus, ab exercitu magno tumultu direptus, mœrens ac eiulans sanguine fluitabas? Adde quod Iupiter Hammon tanquam præstigiator quispiam & vanus propheta, reus mendacij palam tum arguebatur. Non enim video, qualiter risum contineat, qui Iouis filium viderit animum deijcere & in desperatione rerum efflagitare medicorum auxilia. denique cum iam tandem mortem obieris, quem credas obsecro esse, qui confictam illam adoptionem, qua Iouis dictus es filius, non carpat maledictis? potissimum vbi Dei istius cadauer iacere, turgidum sanè & iuxta aliorum corporum morem contactu suo omnia labefactans aspexerit. Cæterùm quod ais, Alexander, tibi fuisse conducibile, quo facilius rerum potireris id profecto multum tibi gloriæ ex benè etiam ac strenuè gestis eripuit. Nam quamquam insigniter multa, tamen dijs longè inferiora agere visus, vacillare ob hoc iudicatus es, & tota ratione deficere.* Alex. *Haudquaquam de me isthuc sentiunt mortales, sed cum Hercule me & Baccho conferunt, veluti æmulum, pariq; cum illis gloria certantem, nam & Aornum à neutro etiam illorum armis subactum ego facile cepi.* Phil. *Etiam dum videris ista vt Hammonis filius dicere, quando nec Baccho quidem cedis; nec Herculi. sed nec erubescere nosti, Alexander, solitamue dediscere arrogantiam, teipsum demum noscere, vel iam tandem sapere, etiamsi serius, vbi fato occubueris.*

Orat. 64: pag. 97.

Dio quoque Chrysostomus Brusæus acriter Alexandrum perstringit his verbis: Πολλὰ γοῦν Ἀλέξανδρος τολμηρὰ ἐπεχείρησεν, &c. *Multa sanè Alexander temeraria designauit facinora. Non ferebat audire Philippi filius; Iouem mendacijs onerabat, Dioscuros contemnebat; Dionysium conuitijs incessebat, tametsi abundè illius donis vteretur. Occidit autem & Clitum sapientem, & Philotam formosum, & vicinum Parmenionem, & præceptorem Callisthenem, & Aristotelem occisurus erat, deq; Antipatri nece deliberauerit. Eum ergo viuentem adegit, vt confiteretur se hominem esse. nam vulneratus ad amicos, At hoc, inquit, quod effluit, non est diuinus humor, sed verus sanguis. Moriens autem planè confessus est fortunam magnam esse deam. Ille igitur cùm effugisset & Thebanorum grauem armaturam, & Thessalorum equestres copias, atque iaculatores Aetolos; Thracesq; macharis accinctos, & bellicosos Persas, inuictumq; Medorum genus, & magnos montes, & flumina, & præcipitia insuperabilia, & Darium, & Porum, atq; alia multa gentium regumq; nomina, in Babylone absque pugna & vulneribus mortuus est.*

Ennodius demum eludit acta Alexandri in panegyrico Theodorico regi dicto. Sed bona pace Ennodij dixerim, mille Theodorici non gessêre, quod vnus Alexander; Audiamus tamen Alexandromastigem:

pag. 415.

Eat nunc, inquit, *& coturnatis relationibus Alexandrum iactet antiquitas, cui fama opulentiam peperit dos loquentum; vt per adiutricem facundiam videatur crescere rebus mendica laudatio. Regis nostri merita solatium non postulant adserentis; minora sunt eius veris actibus, quamuis aucta sint veterum gesta mendacijs: simulastis, poetæ, grandia. sed fateri vos conuenit præsentem dominum gessisse potiora. Pellæus ductor præcontorum suorum summam Chœrili voluit constare beneficio, ne fallendi votum multitudo deprehenderet, & fieret testis impudentiæ, qui adsciscebatur in adstipulatione victoriæ.*





R. P.

MATTHAEI RADERI
E SOCIETATE IESV,
AD
Q. CVRTII RVFI
HISTORIAM
DE
ALEXANDRO MAGNO,
Commentarij.

SYNOPSIS

RERVM AB ALEXANDRO MAGNO gestarum, Anno Regni primo, & secundo, qui in Curtio desiderantur.



Vpplementa Curtij scripsere Quintianus Stoa, & Christophorus Bruno, olim antè Sociorum aduentum Monachij poeticæ doctor & Iuris Ciuilis Candidatus, cuius libelli duo ad Curtium passim vel à fronte vel à calce sunt adiuncti, quibus quod in primo & altero libro desideratur, quoquo modo resarcitur. Stoam vidi in Lugdunensi editione loco Brunonis adscriptum, ex quo cœpi dubitare Stoana an Brunonis sint eadē supplemēta, cùm Brunonis labor Stoa adsignetur, quem tamen in præfatione ad Principem Boiorum Albertum, Bruno sibi vendicat. Mihi visum ad exemplum Flori argumentum etiam & synopsin primi & secundi libri Curtij ex variis & antiquis iisque potissimum Græcis scriptoribus concinnare, quod & reliquis in libris omnibus Curtii priore editione feci.

Anno ergo ab rerū & mundi conditu CIↃ. CIↃ. CIↃ. IↃCXCVIII. *vti Salianus numerat; ante Christum natum* CCCLV. *Olymp.* CVI. *anno primo, Elpino Athenis Archonte post Vrb. Cond.* CCCXCVII. *(vel vt alys placet* CCCXCV. *& alijs* CCCXCIX. *rursumque alijs* CCCC. *adeò variat calamus scriptorum) Coss. Popilio Lanate, Cn. Manlio Imperioso*

2

rioso, vel vt Solinus ex Nepote obseruauit, M. Fabio Ambusto, T. Quinctio Capitolino Coss. Alexander M. Philippo Macedoniæ rege & Olympiade matre Pellæ Macedoniæ natus, paternum genus ab Hercule, maternum ab Æacidis traxit. Morum formatorem Leonidam habuit, eloquentiæ doctorem Anaximenem Lampsacenum, omnis humanæ sapientiæ magistrum & naturæ ocellum Aristotelem, naturalis philosophiæ & geometriæ institutorem Ænaxarchum, ita felix illud seculum summa in vario disciplinarum genere protulit ingenia; armis verò potentissimum & maximum orbis domitorem Alexandrum; qui regnum vicennis adijt, & patri sub finem anni Olymp. CXI. *anno primo à Pausania sublato, statim in Peloponnesum profectus, coactis illic in concilium Græcis, creatus est imperator exercitus aduersus Persas, solis Lacedæmonijs refragantibus, quos postea semper in numero hostium habuit. Primo vere Olymp.* CXI. *anno secundo Thracas autonomos bello aggressus domuit. Ab illis recta in Triballos & Illyrios mouit, quos & mox acie deiecit. Inde traiecto Danubio Getas petijt, prælioq; fudit, vrbem illorum excidit, prædam abegit. Reuersus in castra, legatos Syrmi regis Triballorum & Germanorum, quos Græci Celtas id temporis appellarunt, amicitiam petentes excepit: data vtrinq; fides, Germani excepti conuiuio cùm rogarentur, quid maximè timerent, ne cælum, inquiunt, ruat. quos inde superbos dixit Alexander, ratus fore, vt dicerent, se nihil præter Alexandrũ timere. Hinc traiecto rursus Danubio per Pæonas & Agrianos copias reduxit, quorum rex Langarus cum auxilijs suppetiatum Alexandro occurrit, qui inde Glauciam Taulentiorum regem inuasit, fusoq; exercitu Glauciæ in Græciam redijt, & Thebas, cùm & defecissent, & præsidium Macedonicum eiecissent, præsidiique duces Amyntam & Timolaum interfecissent, exceptis Pindari laribus, funditus euertit, reliquasq; Græcorum Respub. ingenti metu perculsas in officio cõtinuit; cum certatim legatos mitterent, qui vel defectionis pœnam deprecarentur, vel fidem & Societatem redintegrarent. Ab Atheniensibus Alexãder decem oratores ad supplicium petijt, sed pacem eisdem orantibus solo Charidemo in exilium pulso, ignouit. Atq; ita vniuersam Græciam pacauit. Hæc primi & secundi anni synopsis, poterit in primi libri & secundi qui apud Curtium desideratur, pro supplemento succedere.*

SYNO-

SYNOPSIS

Anni tertij, Anno Mundi 3720. Olymp. cxi. Anno III.

Alexander, Romæ T. Viturio Caluino & Sp. Posthumio Albino Coss. ante Christum natum CCCXXXIII. *cum annum ageret alterũ & vicesimum Ctesicle Atheniensium Archonte, cum triginta peditũ, quatuor millibus equitum, & quingentis, centumq; & sexaginta triremibus, plurimisq; onerarijs, primo vere per Hellespontum in Asiam traiecit, primusq; ex naui hastam in littus coniectam quasi Asiæ possessionem occupaturus defixit. Cùm ad Ilium venisset, Palladi litauit, suisque armis Deæ dicatis, ex adytis illius alia deprompsit, induit, armigerisq; alia ferenda tradidit. inde Achillis tumulum coluit, felicemq; ob Homerum prædicauit. Tum ad Arisben, vbi exercitus eius castra posuerat, progressus, tandem ad Granicum amnem penetrauit, vbi illum trans flumen omnis Darii exercitus cum ducibus, aditũ Asiæ praclusurus expectabat Alexander superato cum ingenti periculo & labore, Granico, in Adastrijs campis cum Darij ducibus conflixit, qui ex Diodori sententia, centum millia peditum, decem equitum collegerant. Iustinus indistinctè Persarum sexcenta millia fuisse tradit. Victis prælio Persis & viginti peditum millibus auctore Plutarcho, duobus equitum millibus & quingentis, Siculo verò decem peditum, duobus millibus equitum cæsis, viginti millibus captis, Alexander ex Macedonum auxiliaribus copiis tantum* XXV. *in primo conflictu amisit, quibus fusas à Lysippo statuas equestres in Iouis templo posuit, ex reliquis Græcis equites* LX *pedites* XXX. *duntaxat desiderauit, vt Arrianus est auctor. Iustinus centum viginti equites, nouem pedites desideratos scripsit. Aristobulus apud Plutarchum non amplius, equites* XXV. *pedites nouem cecidisse testatur.*

Alexander inde Sardibus Lydorum regia occupatis, omniqúe Lydia potitus, Ephesum ingressus populum libertate donauit, tributum barbaris ante pensa Dianæ aßignauit. Dum Ephesi versatur, legati ex Magnesia & Trallibus adueniunt, vrbesque & gentem Alexandro dedunt; Tum Miletum profectus non sine labore insulam & vrbẽ recepit. ex Milesiis trecentos in exercitum suum transcripsit, reliquis vitam & libertatem conceßit. Atque ibi classem dissoluit, cũ ex aquila augurio didicisset, terrestri prælio Persas vincendos. Mileto in Cariã

mouit, & Halicarnassum magna vi expugnatam deleuit, Cariamq; Adæ reginæ tradidit, quæ Alexandrum non recusantem in filium adoptauit. Hic Cleandrum in Peloponnesum ad militem conquirēdum, quod iam initio tertij Curtius narrat, ipse in Lyciam contendit, omnesq; oras maritimas occupauit, ac totam inde Lyciam, Phaselidem & Pamphiliam subegit. Interea loci Alexandrum Aeropum Lyncestem Arrabæi fratrem sibi insidiantem cepit, & in custodiam tradidit, ipse per littus Pamphilij maris exercitum non sine diuino numine Pergas vsque saluum deducit. Inde progressus Aspendum versus contendit, vrbemq; in edita asperàq; rupe sitam circumsedit, & ad deuotionem compulit. Hinc in Phrygiam, ex hac in Pisidiam peruenit, vbi expugnata Salagasso, Pisidisq; fusis, alteram Phrygiam petijt, & Quintis castris castra ad Celænas vrbem posuit, à cuius oppugnatione Curtius Tertium librum inchoat, cuius synopsin adiungo.

AD Q. CVRTII RVFI
LIBRVM III.
SYNOPSIS.

ALexander victis ad Granicum ducibus Darij, & Lycia, Pamphiliaq; in prouinciarum formam redactis, Celænas cum arce occupat. Vbi Marsyas amnis describitur. Inde per Phrygiam venit Gordium, nexumq; Gordium gladio abrumpit potiùs quàm soluit. Darius interius recenset copias, petit Ciliciam. Alexander inuadit Paphlagoniam, Cappadociam, Ciliciam, vincit Darium ad Issum, & per Parmenionem cum thesauris recipit Damascum.



Q. CVRTII RVFI

HISTORIARVM ALEXANDRI MAGNI MACEDONIS

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

ARGVMENTVM.

Cleander ad conducendum militem mittitur: Marsyas fabulis celebratus laudatur: Alexander Celænas occupat.



*Nter hæc Alexander ad conducendum ex Peloponneso militem Cleandro cum pecunia misso, Lycia Pamphyliaq; rebus compositis, ad vrbem Celenas exercitum admouit. Media illa tempestate mœnia interfluebat * Marsias amnis, fabulosis Græcorum carminibus inclytus. Fons eius ex summo montis cacumine excurrens in subiectam petram magno strepitu aquarum cadit: inde diffusus, circumiectos rigat campos, liquidus & suas duntaxat vndas trahens. Itaque color eius placido mari similis, locum poetarum mendacio fecit. Quippe traditum est nymphas amore amnis retentas illa rupe considere. Cæterum quamdiu intra muros fluit, nomen suum retinet. At cum extra munimenta se euoluit, maiore vi ac mole agentem vndas, Lycum appellant. Alexander quidem vrbem destitutam à suis intrat: arcem verò, in quam confugerant, oppugnare * adorsus, caduceatorem præmisit, qui denunciaret, * Ni se dederent, ipsos vltima esse passuros. Illi caduceatorem in turrim & situ & opere multum editam perductum, quanta esset altitudo intueri iubent, ac nunciare Alexandro, non eadem ipsum & incolas æstimatione munimenta metiri: se scire inexpugnabiles esse: ad vltimum pro fide morituros. Cæterum vt circumsideri arcem, & omnia sibi in dies arctiora viderunt esse, sexaginta dierum inducias pacti, vt nisi intra eos auxilium Darius ipse misisset, dederent vrbem: postea quam nihil inde præsidij mittebatur, ad præstitutam diem permisere se regi.*

*Marsya.

*Adortus.
*Ni dederent.

INTER HAEC) Interea dum hæc aguntur quæ inter primam Alexandri cum Persis pugnam ad Granicum, & alteram ad Issum imminentem partim gesta sunt, partim parabantur, in hoc medio temporis spacio, (victis inquam ad Granicum Persis, Lydia, Pamphilia, Caria, Lycia, Pisidia occupatis, Cleandro in Peloponnesum ad supplementum & nouum militem scribendum misso, nulloque à tergo hoste relicto) admouit exercitum Celænis, quas & occupauit. *Inter hac.* Ita Cicero & noster sæpius infra amat loqui.

PELOPONNESO) [a]Peninsula quæ arx est totius Græciæ, angustis faucibus adhæret continenti, vbi Isthmus est, folio platani similis, æquè ferè patet in longū atque latum, stadijs c I ɔ. cccc. Ambitu continet extra sinum stadia IV. c I ɔ. [b] alij addunt cccc. cum sinu complectitur stadia amplius V. c I ɔ. I ɔ c. plura Strabo. Dicta à Pelope, qui insulā cum Imperio tenuit, ἀπὸ τοῦ πέλοπος καὶ νῆσος. Pelopis insula. Hæc isthmo seu tenui quasi ceruice terræ diuortium facit inter mare Aegæum & Ionium, adeò vt naues plaustris ex vno ad alterum sint per sulcum, terram seu isthmum transportandæ, quatuor, vt Solinus est auctor, non amplius millibus passuum vtrunque mare dispescentem. [c] Plinius

[a] Strabo l. 8. Peloponēsi descriptio.
[b] Polybius. Artemidorus.
[c] lib. 4. c. 4.

totam

totam Peloponnesum, accuratè describit, & colligere in circuitu 563. millia passuum affirmat. Ptolemæus non præterijt. a Marcianus Heracleotes: ἐπ' ἰσὶ Πελοπόννησος, &c. Et b Scylax Cariandeus. ἐντεῦθεν ἤδη ἄρχεται ἡ πελοπόννησος &c. Dicæarchus in descriptione Græciç. Iconem Pelopõnesi seu chorographiam habes apud Ortelium p. 29 in parergis theatri.

a p. 21. b p. 123.

CLEANDRO) impurissimo capite & scelerato latrone, qui iussu Alexandri, Parmenionis latus hausit, sacra omnia profanauit, fanda infanda fecit. plura l. 7. & 10. cognosces. Meminit de eod. Arrianus idemque Curtius narrat. Demum ab Alexandro occisus.

LYCIAE) Lycia, Pamphilia, Caria, Lydia, Pisidia &c. sunt Prouinciæ minoris Asiæ ab Alexandro post Granicum prælium occupatæ, de quibus Geographi Strabo, Prolo. Plin. Solin. 53. cap. Mela lib 1. quemadmodum autem omnem illam oram maritimam Alexander expugnarit, exponit Arrianus singillatim l. 1.

li. 2. antiq. Iud. c. vlt. Callisthenes idem teste Brodæo.

PAMPHILIAE) Memorabile est quod refert Iosephus, vbi de Israelitis mare rubrum sicco vestigio transeuntibus tractat, atque ad fidem ab exemplo faciendam narrat, eodem modo Alexandro Mag. mare Pamphilum cessisse, cum exercitum cõtra Darium duceret. Verba Iosephi sunt: *Nemo autem mirari debet tanquam incredibilia, si priscis hominibus, & ad malitiam etiam tum rudibus, de salute periclitantibus via per mare patuit, siue Dei voluntate, siue natura sponte, cum & Alexandro Macedoniæ regi, qui non ita pridem fuit, cesserit Pamphilium pelagus, & aliam viam non habenti illac iter aperuerit, cum Deus eius opera ad destruendum Persarum imperium vti decreuisset: id quod omnes consitentur, qui res gestas illius regis scripto prodiderunt.*

Plutarchus tamen supra veri fidem ait à scriptoribus relatum: *Qua celeritate oram Pamphiliæ peragrarit, id multis historicis materiam inflatius scribendi præbuit, qui diuina quadam fortuna id mare Alexandro cessisse autumant, quod alioqui semper ab alto asperum continenti allidatur, raroq; admodum infra præcipitia & abruptos montium processus tenues quasdam & resonantes cautes detegat. Sanè incredibilem eã rem etiam Menander in Comœdia notauit,*

Menander de eod.

Quam germanum Alexandri facinoribus hoc? si quempiam
Quæro, is vltrò adest: quod si videlicet me oporteat
Pertransire aliquem maris locum, patebit transitus.

Ipse Alexander pronunciat sẽtentiam.

At ipse in epistolis suis Alexander nihil prodigiosi memorat: iter se fecisse per Climacem ait, profectum à Phaselide.

a lib. 1.

a Arrianus maximus auctor, non sine diuino numine ipso Alexandro teste illud iter superatum narrat: *Alexander ex Phaselide mouens, aliquam exercitus partem per montana Pergas mittit, qua Thraces iter monstrarunt, arduum quidem sed compendiosum, ipse secus mare per littus suos ducit. Via autem hac aliter confici non potest, nisi ventis à Septentrione flantibus: Austro autem inualescente, agrè per littus iter fit. Tum verò ex vehementibus Austris Boreales venti exorti, non absq; diuino quodam numine (vt ipse Alexander, & qui cum eo erant interpretabantur) facilem ac celerem transitum præbuerunt.* Strabo causam aperit: *Apud Phaselidem sunt ad mare angustia, per quas exercitum traduxit Alexander. Est enim ibi mons Climax, Pamphylio incumbens mari, & propter littus arctum relinquens transitum: qui tranquillo mari nudatur, & à viatoribus perambulari potest: mari exundante, fluctibus admodum obtegitur. Alexander autem hybernam incidit in tempestatem, cumq; fortunæ maximam euentus partem crederet, antequam defluerent vndæ, profectus est. itaq; contigit, vt totum diem milites per aquam iter facerent vsque ad vmbilicum in eam demersi. Vrbs ista Lyciæ est, in confinio Pamphiliæ sita: sed per se constat, neq; cõmunitatis Lyciorum est particeps.* Sed clarius Strabone Tacitus, qui id Etesiarum flatibus assignat, à quibus flatibus littora nudãtur.

In Societatis nostræ Annalibus Peruanæ Prouinciæ huiusmodi quoque maris & aquarum miracula commemorantur, qualia transeuntibus Israelitis Erythræum & Iordanem flumen narrant Sacræ litteræ.

Colleg. Arequipẽsis p. 263. an. 1604.

Nec minus stupenda (inquiunt litteræ) *sæuientis maris tempestas, contremuère vndæ, ingentiq; fragore opposita littora velut indignabunda præterfluentes, vnius leucæ interuallo magna hominum iactura agros complures inundauerunt, nec semel tantum, ter fertur extra præscripta sibi littora defluxisse mare. Mira ferunt ex trino maris fluxu refluxuq; cõtigisse varijs in locis. Id verò quod in portu Pisco cõtigit, nõ est absimile miris illis euentis in mari rubro Iordaneque fluuio editis. Distat hic portus à Lima leucas quinque & triginta, frequentatur à viris nobilissimis. Cum primum igitur contraxit sese mare, vt sunt ad nouitatem propensi mortalium animi, confluxère vndique multi, quid res esset spectaturi, ignari satis futuri euentus. extemplò igitur citissimo vndisonoq; impetu in sese contractum mare oppressas ac velut in globum redactas vndas, pauore perculsis trepidantium animis latè diffudit, ac distendit. Tunc pauore pœnè exangues homines, implorare numen, lamentis cuncta complere, consilij ancipites hærere, nec vllum ab imminentibus vndis effugium inuenire. Res sanè mira, cum mare sinistrum portus, dextrumq; cornu præterfluens, obuia quæq; vnius ferè leucæ spacio inundasset: qua parte obruturum erat cum portu accolas, iam iam aduentantes ac imminentes vndas duarum hastarum altitudine suspensas cohibuit, ac in sese incolumi portu refusum est, tot mirandi euentus testes, quot portus accolæ.*

lib. 38.

CELAENAS) Non habeo meliorem Liuio auctorem, qui Celænas vnus omnium optimè describit. *Celænæ vrbs caput quondam Phrygiæ fuit, migratum inde haud procul veteribus Celænis: nouæq; vrbi Apa-*

bi Apamea nomen inditum ab Apamea sorore Seleuciregis. Et Marsyas amnis haud procul à Mæandri fontibus oriens, in Mæandrum cadit, famaq; ita tenet: Celænis Marsyam cum Apolline tibiarum cantu certasse. a lib 12. Easdem celebrant a Strabo, b Plinius, c Solinus, & ex Græcis eleganti oratione d Dio Chrysostomus, b li. 5. c. 29. Celænis Phrygiæ dicta, qua laudes Celænarum in cælum effert. c c. 3. d orat. 35.

MEDIA ILLA TEMPESTATE) Tempore, inquit, illo, quo Alexander Celænarum arcem exercitu obsedit, mediam vrbem interfluxit amnis Marsyas, seu Marsya. Nam postea desertis Celænis veteribus migratum est Apameam, vt ex Liuio didicisti, à quo non abit Strabo, Plinius & Solinus. Curtij æuo iam Celænæ veteres nullæ erant. Media illa tempestate, tempus illud medium videtur appellasse, quod est ab Vrbe condita vsque ad Alexandrũ, & ab Alexandro vsque ad suam, Quinti inquam Curtii, ætatem, quadringentorum ferè ante, totidemq́ue post annorum interuallo interiecto. Sed meo animo fortasse verius interpretaberis, *media mœnia interfluebat*, vt sit quartus, non sextus casus, & coniungatur cum voce *mœnia*, non cum *tempestate*. liquidus enim & clarus loci illius hic erit intellectus. Marsyas media mœnia Celænarum interfluebat, sic enim infra dixit Curtius de Tarso & Cydno, Mediam Cydnus amnis interfluit. Media mœnia, an media tempestate.

TEMPESTATE) vox poetis & historicis frequentata, rarius oratoribus, primum idem valet quod tempus; deinde etiam diem: tam in singulari quam multitudinis vsu. Plautus: *vix paucas tempestates.* Cicero:

Tertia te Phthia tempestas læta locabit.

MARSYA) Medij codex habet *Marsyas*, antiquissimus, *Marsus* manifesto errore, quamuis Silius canat Marsos à Marsya victo, & in eas partes fugiente, appellatos. Aldinus & emendatiores omnes Marsya, quod retinemus. Ouid. Marsyas & Marsya.

Marsia nomen habet Phrygiæ liquidissimus amnis.

Non mendosè tamen dixêre alij scriptores Græcos imitati, quibus rectus casus est Μαρσύας, vt supra ex Liuio cognouisti, nec aliter Plinius est locutus, vtroque ergo modo licèt vtare. Lib. 5. c. 2.

FABVLOS. GRAEC. CARM. INCLYTVS) laudarunt Marsyan Philippus Nicander, & alij Græcorum, nec Græci tantum poetæ, sed historici & geographi Herodotus, Strabo, Pausanias, Athenæus, Plutarchus, Philostratus, Tzetzes, alij: ex Latinis Ouidius, totam fabulam in 6. Transform. libro eleganter persecutus, & 6. Fastorum. Apuleius, Claudianus, Silius, Liuius, Plinius & Solinus, Martialis lib. 10. ep. 61. Higynus fab. 165. Marsyas Hyagnidis tibicinis filius tibias à Minerua proiectas inuenit, & non procul à Celænis lacus est, ex quo Marsyas & Menander flumina extant, vbi cum Apolline in certamen musicum descendit Marsyas, victusque & exuuijs corporis exutus in fluuium sui nominis est mutatus. Solinus paucis: *Asiam excipit Phrygia, in qua Celæna, quæ antiquato priore nomine in Apameam transiêre, oppidum à rege Seleuco postmodum constitutum. Isthic Marsyas ortus, istic & sepultus, vnde qui proximat fluuius Marsyas dicitur. Nam sacrilegi certaminis factum & audaces in Deum tibias testatur non procul cum fonte vallis, quæ euentum gesta rei signat, & ab Apamea decem millibus passuum separata Aulocrene vsque adhuc dicitur.* Eundem agonem inter Apollinem & Marsyam non ineleganter descripsit Apuleius: *Hiagnis,* inquit, *fuit, vt fando accepimus, Marsyæ tibicinis pater & magister, rudibus adhuc Musicæ seculis, solus ante alios cantus canere. Nondum quidem tam indefessa anima sono, nec tam pluriformi modo, nec tam multiforatili tibia. Quippe adhuc ars ista repertu nouo commodum oriebatur, nec quicquam omnium est quod possit in primordio sui perfici. Sed in omnibus fermè ante est spei rudimentum, quam rei experimentum. Prorsus igitur ante Hiagnim nihil aliud pleriq; callebant, quam Virgilianus opilio, seu busequa,* Marsyæ fabula. lib. 1. Florid.

Stridenti miserum stipula disperdere carmen.

Quòd si quis videbatur paulò largiùs in arte promouisse, ei quoq; tamen mos fuit vna tibia velut vna tuba personare. Primus Hiagnis in canendo manus discapedinauit. Primus duas tibias vno spiritu animauit. Primus læuis & dextris foraminibus acuto tinnitu, & graui bombo concentum musicum miscuit. Eo genitus Marsias cum in artificio patrum foret tibicinis, phryx cætera & barbarus, vultu ferino trux, hispidus, multibarbus, spinis & pilis obsitus, fertur, prò nefas, cum Apolline certauisse. Thersites cum decoro, agrestis cum erudito, belua cum deo, Musæ cum Minerua dissimulamenti gratia iudices adstitêre, ad deridendam videlicet monstri illius barbariem, nec minus ad stoliditatem puniendam. Sed Marsyas quod stultitiæ maximum specimen est, nõ intelligens se deridiculo haberi priùs quam tibias occiperet inflare, priùs de se & Apolline quadam deliramenta barbarè effutiuit, laudans sese, quod erat & coma relicinus, & barba squalidus, & pectore hirsutus, & arte tibicen, & fortuna egenus, contra Apollinem (ridiculum dictu) aduersis virtutibus culpabat, quod Apollo esset, & coma intonsus, & genis gratus, & corpore glabellus, & arte multiscius, & fortuna opulentus. Iam primum, inquit, *crines eius præmulsis antijs, promulsis capronis, antevẽtuli & propenduli corpus totum gratissimum, membra nitida, lingua fatidica, seu tute oratione, seu versibus malis vtrobique facundia æquiparari. Quid quod & vestis textu tenuis, tactu mollis, purpura radians? Quid quod & lyra eius auro fulgurat, ebore candidat, gemmis variegat. Quid quod & doctissimè & gratissimè cantilat. Hæc omnia* inquit *blandimenta nequaquam virtuti decora, sed luxuriæ accommodata, circa corporis sui qualitatem præ se maximam speciem ostentare. Risêre Musæ cum audirent hoc genus crimina sapienti exoptanda, Apollini obiectata, & tibicinem illum certamine superatum, velut vrsum bipedem, corio execto, nudis & laceris visceribus ro-*

bus reliquerunt. Ita Marsyas in pœnam cecinit & cecidit. Enimuero Apollinem tam humilis victoria puditum est.

Pulchrè huic præcinit Ouidius de Marsyæ supplicio.

——quid me mihi detrahis, inquit?
Ah piget, ah non est, clamabat, tibia tanti.
Clamanti cutis est summos direpta per artus,
Nec quicquam nisi vulnus erat, cruor vndiq; manat,
Detectiq; patent nerui, trepidæq; sine vlla
Pelle micant venæ, salientia viscera posses
Et pellucentes numerare in pectore fibras.

Addas his licet quæ iunior Philostratus scripsit de Marsyæ imagine. longè diuersa ab his Diodorus Siculus lib 4. Antiq.

a lib. 10. b li. 1. el. 4. c li. 16. c. 4. VNDAS TRAHENS) a Alibi suas tantum aquas vehentem, vt b Tibullus —— *dum vehet amnis aquas. Et hoc quadam opinione hominum,* inquit c Turnebus, *quasi amnes ipsi animati sint, & aquas per rent suas.*

COLOR EIVS) Tranquillum mare cœlestem colorem induit, vnde *cærula ponti* dixère poetæ.

NYMPHAS AMORE AMNIS RETENTAS) vt qui ex illarum lacrymis creuerit. Ouidius postquā Marsyæ supplicium descripsit, subijcit: *Illum Ruricolæ,* & quæ sequuntur.

Tzetzen consule Chil. 1. de Marsya fab. 15. & Mythologos. LYCVM APPELLANT) Haud procul Apamea est vrbs Laodicea ad Lycum dicta, supra quam Cadmus est mons, ex quo Lycus precipitat, cum quo reor confundi Marsyam, certe Lycus ipse in Meandrum cadit, nemo tamen quod meminerim aliorum, Lyci nomen Marsyæ assignat. De alijs eiusdem nominis fluuijs hic supersedeo dicere, dicturus lib. 4. ad cap. 37.

Strabo l. 12 Apamea. ARCEM) Eadem tradit Arrianus, additque mille Cares defendisse, cum mercenarijs Græcis centum.

Caduceus. lib. 2. de vita P.R. Verbenarius. CADVCEATOREM) legatum conciliandæ paci missum; sicut fæcialis erat qui bellum denunciabat. Caduceus pacis signum. Varro pronunciat de vita pop. Romani: Verbenarius ferebat verbenam, id erat caduceus pacis signum. Nam virgam Mercurij possumus existimare, de qua Martialis:

Cyllenes, cœliq; decus facunde minister
Aurea cui torto virga dracone viret.

Caper Grāmat. lib. Sat. 1. c. 19. Dracones in caduceo Nodus Herculis. Caduceum neutro g. Caruceu. καρύκειον. κηρύκειον. Caper de verbis dubijs, *caduceus,* inquit, *hic,* non *hoc caduceum.* Atqui Macrobius in neutro vsurpauit: *In Mercurio,* inquit, *solem coli etiam ex caduceo claret, quod Ægyptij in specie draconum maris & fœminæ coniunctorum figurauerunt Mercurio consecrandum. Hi dracones parte media voluminis sui inuicem nodo, quem vocant Herculis, obligantur: primaque partes eorum reflexa in circulum pressu osculis ambitum circuli iungunt: & post nodum cauda reuocantur ad capulum caducei, ornanturq; alis ex ead. capuli parte nascentibus.* Hæc in descriptione Caducei Macrobius, qui Græcam reor secutus originationem, dixit *caduceum* neutro genere, vti Scaliger notauit ad Festum voce *caduceator: Caduceum,* inquit, *Græcum est, pro carreceum καρύκειον Syracusanè, & Tarentinè, quod alijs κηρύκειον. R. in D. vt contra sæpè D. in R.*

Caduceus porrò est virga seu sceptrum Mercurij serpentibus circumuolutum, quo vsus est ad lites & iurgia tollenda, ad somnum inducendum, ad euocandas ex inferis animas vel immittendas, de quo Virgilius:

Caducei descriptio 4. AEn. Higynus l. 2. de Lyra. *Tum virgam capit, hac animas ille euocat orco Pallentes &c.*

Et Horatius alijque passim. Origo caducei hæc est. *Mercurius cum proficisceretur in Arcadiam, & vidisset duos dracones inter se coniuncto corpore, alium appetere, vt qui dimicare inter se viderentur, virgulam inter vtrumq; proiecit. itaque discesserunt: quo facto eam virgulam pacis causa dixit esse constitutam. Nonnulli etiam cum faciūt caduceos, duos dracones implicatos virgula faciunt, quod initium Mercurio fuerat pacis. Eius exemplo & athleta in reliquis eiusmodi certaminibus virgula vtuntur.*

lib. 29. c. 3. Plinius: *Hic tamen complexus anguium & efferatorum concordia, caussa videtur esse, quare extera gentes caduceum in pacis argumentis circundata effigie fecerunt: neque cristatos esse in caduceo mos est.* Ex his Plinij verbis disci potest Romanos non esse vsos caduceo in legationibus, sed exteras gentes.

lib. 10. c. 27 A. Gellius tamen missam à Romanis ad Carthaginienses hastam & caduceum signum belli & pacis.

Parœmia. Alciati emblema de caduceo Varro non hastam nec caduceum missa, sed tesseras in quibus simulacra hastæ & caducei erant. legenda parœmia: *altera hastam, altera caduceum præfert.* Elegans est Alciati emblema de caduceo.

Anguibus implicitis geminis caduceus alis
Inter Amalthea cornua rectus adest.

Tu perlege si vacat, quæ sequuntur, mihi indigitasse sat est.

NI DEDERENT) Aldi editio habet, *ni se dederent,* vti & Lugdunensis, Basiliensis & Argentina, antiquæ omnes. Sed antiquissimus Codex è Cœnob. S. Vdalrici, cum Florentino & Modiano, reciprocum, *se,* abiecère, & meo animo verè, nam & MS. Constantiensis *se* reiecit. mens Curtij hæc: Arcem verò in quam confugerant oppugnare adortus, caduceatorem præmisit, qui denunciaret;

NI

Ni dederent (nempe arcem, quæ vox præcesserat, nec erat opus iterare) ipsos (qui erant in arce) vltima & extrema supplicia passuros. Malim etiam *adorsus*, vt habent antiquiores codices, quam *adortus*; ab adorior, non adordior, quod in Latina lingua verbum nullum est. Sic & Ouidius: 2 de Pont. eleg. 2.

Est mea culpa grauis, sed quæ me perdere solum
Ausa sit, & nullum maius adorsa malum.

Rarius tamen est adorsus, quam adortus, sed habet & alia quædam rara Curtius, vt suo loco monebo.

Situ et Opere) Arrianus. ἐν δὲ ταῖς Κελαιναῖς ἄκρα ἦν πάντῃ ἀπότομος: Erat in ea vrbe arx omni ex parte prærupta & præceps.

Se scire inexpugnabiles esse) alterum reciprocum desideratur & auditur. plena oratio esset: se scire se inexpugnabiles esse; sed iteratio eiusdem vocis orationem reddit molestam, quamobrem & in proximo versu omisit pro fide (se) morituros, & amat ita loqui Curtius, vt notabis.

Ad vltimum) ἐντὸς βελῶν. Denique si oppugnare tentaret & perseueraret, malle se vitam quā fidem prodere. *AEacidinæ minæ.* mox vbi periculum & obsidium sensere, clypeum & hastam proiecere pro vita, non vitam pro fide. Alexander vrbem & arcem in fidem acceptam, & mille quingentorum armatorum præsidio firmatam, Antigono præfecto tuendam commisit, ipse post decimum inde diem Gordium versus mouit. Parœmia.

CAPVT II.

ARGVMENTVM.

Legatis Atheniensium respondet, copias aduersus Darium contrahit, Phrygiam ingreditur, Gordium vrbem capit, Gordium nodum explicat.



Vperueniunt deinde legati Atheniensium petentes, vt capti apud Granicum amnem redderentur sibi. Ille non hos modo, sed etiam cæteros Græcos restitui suis iussurū respondit, finito Persico bello. Cæterùm* Dario imminens, quem nondum Euphratem superasse cognouerat, vndiq; omnes copias contrahit, totis viribus tanti belli discrimen aditurus. Phrygia erat, per quam ducebatur Exercitus, pluribus vicis quam vrbibus frequens. Tunc habebat nobilem quondam Midæ * regiam, Gordium nomen est vrbi, quam Sangarius amnis * interfluit, pari interuallo Pōtico & Cilico mari distantem. Inter hæc maria angustissimum Asiæ spacium esse comperimus, vtroq; in arctas fauces compellente terram, quæ quia continenti adhæret, sed magna ex parte cingitur fluctibus, speciem insulæ præbet: ac nisi tenue discrimen obiiceret, maria, quæ nunc diuidit, committeret. Alexander, vrbe in suam ditionem redacta, Iouis templum intrat: vehiculum quo Gordium Midæ patrem vectum esse constabat, aspexit, cultu haud sanè à vilioribus vulgatisq; vsu abhorrens. Notabile erat vinculum astrictum compluribus nodis in semetipsos implicatis, & celantibus nexus. Incolis deinde affirmantibus, editam esse oraculo sortem, Asiæ potiturum qui inexplicabile vinculum soluisset, cupido incessit animo eius sortis implendæ. Circa regem erat & Phrygum turba, & Macedonum, illa explicatione suspensa, hæc solicita ex temeraria regis fiducia. Quippe * seriem vinculorum ita adstrictam, vt vnde nexus inciperet, quoue se conderet, nec ratione, nec visu percipi *posset. Soluere *aggressus iniecerat curā, ne in omen verteretur irritum inceptum. Ille nequicquam diu luctatus cum latentibus nodis. Nihil, inquit, interest, quomodo soluantur, gladioque ruptis omnibus loris oraculi sortem vel elusit vel impleuit.*

* iustum. *al. Alexādro imminens de Dario cura erat. *ciuitatē. *præterfluit. * series v. ita erat adstricta. *posse, Modius mendosè. *aggressus al. euoluere aggressus.

Svperveniunt Leg. Athen.) Arrianus Alexandrum à legatis non Celænis sed Gordijs conuentum narrat.

Capti ad Granicvm) in acie pro Dario contra Alexandrum pugnantes arma tulerant, vt docet Arrianus. de pugna supra dictum. Cecidit & turma equitum Macedonum in primo statim conflictu, quibus Alexander equestres statuas Lysippo artifice posuit, quas Q. Metellus prætor postea victis Macedonibus cum Pseudo-philippo transtulit Romam, vti testatur Velleius Paterculus: *Hic est Metellus Macedonicus, qui porticus, &c.* Lib. 1. p. 9.

SED CAETEROS) bis mille in Macedoniam missos, vt ibi custodirentur. Fecit hoc Alexander vt Græcos in metu & officio contineret, quoad Persicum bellum conficeret, hisce velut obsidibus retentis.

DARIO IMMINENS) Omnes quos vidi Codices, præter Modianum, hunc locum augent. *Cæterum Alexandro imminens de Dario cura erat, quem* &c. Antiquissimus vitiosissimè: *Cæterum Dario imminens de Alexandro cura erat.* Modius ex MS. emendat, & illas voces *De cura erat*, proscribit, seruatis *Cæterum imminens Dario, quem nondum Eufratem superasse cognouerat, vndique omnes copias contrahit.* Et veram esse Modij scripturam docent ipsa verba, quæ alioqui malè cohærent, vt appareat illa spuria esse: *Alexandro de Dario cura erat.* atque ex glossemate aliquo irrepsisse, quomodo enim ista coniunguntur? *Cæterum Alexandro imminens de Dario cura erat, quem nondum Eufratem superasse cognouerat. Vndique copias contrahit.*

VNDIQVE COPIAS CONTRAHIT) Alexander ex Macedonia in Asiam per Hellespontum

Lib. 9.

deportauit peditum triginta millia, equitum quinque. Liuius XXX. M. ped. IV. M. equit. Idem Aristobulus. idem Diodorus. Iustinus ex Trogo ped. XXXII. Mil. Equit. IV. M. D. naues LXXXII. Frontinus XL. millia vniuersè censet. Ptolemæus XXX. M. ped. V. M. Equit. Anaximenes XLIII. M. ped. V. M. equitum & D. Viaticum non amplius LXX. talenta tantum, vt Aristobulus est auctor, hoc est quadraginta duo millia Philippæorum. Duris tantum triginta dierum commeatum. Plut. lib. 1. de fort. Alex. Vt Arrianus narrat, amisit in acie ad Granicum quindecim supra centum, equites LXXXV. pedites XXX. quamquam varient de numero cæsorum. reliquit in præsidio Celænarũ mille quingentos. superfuere triginta quatuor millia, octingenti octoginta quinque. ad hos accessere cum Gordij esset, equites quingenti, pedites mille.

EVFRATEM) Eufrates in Assyria Babylonem interfluit, & Darius copias ad Babylonem collegit: vt occurreret Alexandro ad Issum, traijciendus erat Eufrates, vltra quem Darius cum exercitu versabatur.

Ouid. Met. Philost. l. 1. imaginũ. Herodo. in vita Hom. Tzetzes chil. 1. fab. 2. Μίδας ὁ τοῦ Γορδίου Φρυγῶν ἦν βασιλεύων Ὃς δὲ &c.

PHRYGIA ERAT) ex Pisidis in Phrygiam transijt Alexander, cuius olim caput Celænæ, postea Apamea.

PLVRIBVS VICIS) Ita Tacitus de Palæstina: *Iudææ magna pars vicis dispergitur.*

MIDAE) Hic ille Midas est omnium poëtarum fabulis decantatus, cui omnia tacta in aurum versa, cui aures vt Asino Cumano appingunt, quæ ego figmenta poëtis non inuideo. Epitaphium ipsius verum ex Homero & Herodoto non est omittendum. Profectus ergo Cumam (Homerus) è Nouo Muro per Larissam iter fecit, vtpotè compendiosissimum, vbi, vt Cumani narrant, flagitante socero, epigramma hoc scripsit Midæ Phrygum regi Gordij filio, id quod etiam nunc in Gordij cippo inscriptum visitur.

Χαλκῆ παρθένος εἰμὶ, Μίδου δ' ἐπὶ σήματι κεῖμαι
Ἔστ' ἂν ὕδωρ τε ῥέῃ, καὶ δένδρεα μακρὰ τεθήλῃ
Ἠέλιός τ' ἀνιὼν λάμπῃ, λαμπρά τε σελήνη,
Καὶ ποταμοὶ ῥείωσιν, ἀνακλύζῃ δὲ θάλασσα
Αὐτοῦ τῇδε μένουσα πολυκλαύτῳ ἐπὶ τύμβῳ
Ἀγγελέω παριοῦσι Μίδης ὅτι τῇδε τέθαπται.

AEnea virgo Mida stans hic incumbo sepulcro
Dum fluit vnda leuis sublimis nascitur arbor
Dum sol exoriens & splendida luna relucet,
Dum fluuij labuntur, inundant littora fluctus,
Hic constanter ago, lacrymasq́; in margine tincto
Fixa Mida moneo tumulatum hic chare viator.

* Midæ regiã, al. ciuitatẽ regiã.

MIDAE * CIVITATEM GORDIVM) Primum docet Curtius quis situs Gordij ciuitatis, deinde explicat nexum Gordium. Gordium paucis describit Arrianus: *Est porrò*, inquit, *Gordium in Phrygia Hellesponto proxima ad Sangarium amnem sita.* De Sangario Liuius: *Cum ad Sangarium* Consul Volso) *peruenisset pontem, quia vado nusquam transitus erat, facere instituit. Sangarius ex Adoreo mõte per Phrygiam fluens miscetur ad Bithyniam Tymbreti fluuio. inde maior iam geminatis aquis per Bithyniam fertur, & in Propontidem se effundit.*

INTERFLVIT) Ita legẽdum docent emendatiores codices, quam scripturam iuuat Strabo, qui scribit: ἐπὶ τούτῳ τὸ Γόρδιον. super hoc flumine (Sangario) posita est vrbs Gordium.

PARI INTERVALLO) Liuius, cuius testimonia alias pro oraculis laudo, hic videtur lapsus.

Lib. 38.

Postero die ad Gordium perueniunt, id haud magnum quidem oppidum est, sed plus, quam mediterraneum celebre & frequens emporium. Tria maria pari ferme distantia interuallo habet: Hellespontum, (ita interpungo) *ad Sinopen, & alterius oræ littora, qua Cilices maritimi colunt, multarum magnarumq́; præterea gentium fines contingit, quarum commercium in eum maximè locum mutui vsus contraxere.* Quod Liuius tria maria nominet, & Curtius duo, intelligo nullo errore Curtij factum, quod duo duntaxat latera Gordij, tergum, vnde profectus Alexander, Curtius non respexerit, hoc est Hellespontum. Etsi Põticum mare, alij Hircanum seu Caspium interpretentur. Sed hoc loco nulla ratione Ponticum pro

Caspio

Caspio accipi potest. Disputat super iisdem angustijs Strabo contra Apollodorum Ephorum. Plinius, *à Sinope CXXX. M. eiusdemque nominis sinus tanti recessus, vt Asiam penè insulam faciat C C M. pass. haud amplius per continentem ad Issicum Ciliciæ sinum.*

PARI INTERVALLO) In medio spacio terræ quæ inter duo maria sita est, vides Liuianam imitationem: sed nec Liuius, nec Curtius hic χάθαμμα λύσσι, cum Gordium ad Sangarium ponunt, & tamen pari interuallo à tribus maribus distare affirmant. Io. Georg. Herwartus vir illustris & maximarum disciplinarum meditatione exercitatus, ex Ptolemæi tabulis obseruauit fieri non posse quod hic à Curtio & lib. XXXVIII. à Liuio narratur. Itaque posuit ille Gordium seu Iulio Gordum ad noctem Sipylum haud procul Sardibus & Magnesia. Sed enim rectius arbitror collocabimus Gordium supra Mæandrum seu Marsyan, & intelligemus esse Gordiucomen seu Gordij castrum, quod Liuius Gordiutichos appellat, & à Cleone munitū est, & Iuliopolis appellata in Phrygia minore, & Asia propriè dicta. Nam occupatis Celænis Alexander rectà contendit Gordium, non regressus ad Sipylum vel Sangarium. Porrò Γορδίυ κώμη iustè medio interuallo abest à tribus maribus, Hellespontico, Euxino & Cilicio.

IN SVAM DITIONEM) potestatem, suo imperio subiecit, sibi parere coēgit. obserua hanc vocem à multis barbarè vsurpari, cum pro finibus & agro accipitur, quo modo nunquam Latini sunt locuti, vt si dicas, *Ditionem illius vastauit, Ditionem ipsius inuasit*, hoc est, agros. Scio & à me olim ita peccatum esse.

Ditio, pro iure imperij Latinè; pro terra, barbarè vsurpatur.

VEHICVLVM QVO GORDIVM MIDAE PATREM VECTVM ESSE CONSTABAT, ASPEXIT) Hanc Alexandri cum Gordio nodo luctam præter omnes ferè scriptores qui de Alexandro tradunt, etiam parœmiographi laudauerunt. Itaque prætéritis nominibus de re ipsa agam. Non conuenit Arriano & Iustino in partibus historiæ huius, generatim idem dicunt.

Gordius domo Phryx, fortuna tenuis, iugis boum duobus tenuem agellum colebat, quorum altero arabat, altero onera vectabat. Iustinus conductis vsum affirmat. Arantisa, quila iugum currus insedit, nec ante quam ad vesperam abiungeret, loco cessit. Gordius spectaculo perculsus, adijt Telmissenses augurandi scientia pollentes. inter hæc vicum quendam ingredienti occurrit virgo, & ipsa vates, & ex vatum progenie orta, forma rara, quam percontatus de auguribus intellexit ab ipsa rem totam, sibi portendi regnum, quæ sociam se & regni & tori futuram pollicita ex ea susceptum Gordio Midam, qui secundus à Gordio regnauit. Phryges discordijs intestinis laborantes oraculum consuluerunt, à quo didicēre discordijs finiendis rege opus esse; quærentibus quem iuberent regnare quem, inquit oraculum, reuersi primum in templum Iouis plaustro euntem cernetis. Gordius cum filio & cōiuge cursū vehens à Telmissensibus ostensus, à Phrygibus rex est acclamatus & salutatus (Arrianus Midam filium dictum ait primitus regem) ita ciuili contentione sedata pax redijt Phrygiæ. Gordius plaustrum, quo vehenti regnum erat delatum, in Iouis templo regiæ maiestati cōsecrauit. Erat iugum currus ex libro corni varijs astrigmentis ita innexum temoni, vt nemo facilè capita vinculi inter varios nodorum nexus latentia deprehenderet, cum sors esset oraculi, fore vt istotius potiretur Asiæ, qui nodos reperisset & nexus explicasset. Ergo Alexander, qui spe sibi Asiam iam desponderat, & verò deuorarat, aggressus Labyrintheos vinculi errores, cum aliquandiu nec quicquam explicandis loramentorum initijs laborasset, veritus, ne, si nodo insoluto recederet, circumstantium Macedonum & Phrygum sententia tacitâ Asia sibi adiudicaretur, ferro abrupit, atque ita oraculo satisfactū dixit. Aristobulus, Arriano teste, auctor est Alexandrum exempto paxillo temonis (erat is clauus ligneus per medium temonem traiectus, cui vinculum astrictum erat) iugum temoni detraxisse. Addit Arrianus se nescire quomodo fuerit nexus ille expeditus, ipsum Alexandrum cum suis discessisse perinde ac si oraculi sortem implesset, idque tonitrua & fulgura ea nocte excitata satis declarasse, eaque de causa postero Dijs factum ab Alexandro, tum ob prodigia edita, tum ob rationem soluendi nodi ostensam. Idem ferè Plutarchus paucis ostendit: *Gordium oppidum (quod veteris Midæ fertur domicilium fuisse) in fidem accipiens nobilitatum illud spectauit vehiculum cortice reuinctum corni: ac pro vero à barbaris accepit credi, in fatis esse, qui vinculum id soluisset, is vt imperio orbis terræ potiretur. Commemorant multi vinculum quod tortuosis orbibus nodi in semetipsis identidem implicati celarent loramentorum capita, Alexandrum soluere desperantem, gladio nexum dissecuisse, atq; multa eo resoluto capita inuenisse. Aristobulus verò, sanè quam expedite nodum ait soluisse, cum exemisset ex temone clauum, quem vocant, qui temoni alligat iugum, atque ita inde iugum subtraxisset.* Adagiographus Herculanum vinculum cum Gordio inuoluit, de quo Turnebus ex Macrobio, quem videbis.

Gordius quis, & historia de illo.
Gordius ex aratore Rex.
Plaustrum Gordij.
Plaustrū L. Albenij seu Aluanij Celebratur apud Val. Max. lib. 1. c. 1
Nodus Gordius.
Oraculū.
Nodus Gordius an gladio vel ingenio solutus.
Adagiographi error.
Li. 18. c. 4.

CONTINENTI) audi vocem terræ, continens pro terra, vt saliens pro fonte, frigida, calida pro aqua, oriens pro sole, & hoc genus innumera.

Continēs.

INSVLAE) Insula est terra vndique mari cincta; quæ vna ex parte adhæret, peninsula. Insulæ dicuntur etiam in oppidis ædes liberæ, quibus aliæ non adhærent, vt plerumque sunt hodie templa.

Insula. peninsula.

GORDIVM MIDAE PATREM) Patrem in omnibus codicibus editis lego, sed Midæ quibusdā desideratur, malim vel vtrumque tollere, vel patrem retinere, omisso Mida.

CVLTV HAVD SANE A VILIORIBVS VVLGATISQVE VSV ABHORRENS) Adagiographus rescribit, *vulgatisque visu*. Modius retinet *vsu*. Glareanus pro *vsu* reponit *vehiculis*. Antiquissimus

Variāt libri & auctores.

quissimus codex præfert *vulgatisque visibus*. Aldus, *vulgatiuq́, curribus*, recentiores legunt *visu*. Glareani emendatio à ductu literarum procul abit, & iteratio eiusdem vocis non ex vsu Curtianæ elegantiæ & breuitatis est. Nec debuit offendi gemino casu auferendi, cum alter siue posterior à voce vulgatis regatur, vt sit periphrasis currus quotidiani, agrestis & vsitati, hoc intellectu: Vehiculum Gordij ornatu seu forma & cultu non multum abhorrebat à vilioribus & vsu vulgatis seu quotidianis. Itaque optima est scriptura hæc *visu*, non *visu*, nec *curribus*, nec *vehiculu*, nec *visibus*.

Iugi varia notio. IVGVM) Variam habet notionem hoc verbum, vocamus iugum montis, iugum libræ & modum agri. Varro: *Iugum vocant, quod iuncti boues vno die exarare possint.* Aliud est iugerum. Est iugum genus vinculorum, est sub quo victi transire cogebantur, quod furcæ, seu gabali, seu patibuli formam referebat. sunt & iuga vinearum, vnde vineæ iugatæ. Est & iugum boum, & iugum currus, quibus hic locus.

Sed ambigas, an iugum plaustri vel boum intelligas. Iustinus iugum plaustri appellat; Gordius autem plaustrum cum iugo boum Ioui consecrauit. Intelligo iugum quod boues iuncti ceruicibus

Auctoris sententia. gestabant, quà temoni fixum clauo fuit. Loro autem seu libro corni iugum bobus erat astrictum, & clauus vinculis libri illigatus. Curtius enim quandocunque de iugo infra propriè loquitur, semper

Iugum nō est in curru vel plaustro, sed in iumentorū ceruicibus. iugum intelligit seu equorum seu iumentorum, quod illorum collis indebatur, sed de iugis & curribus infra suo loco plenius & planius.

ILLA EXPLICAT. SVSPENSA) Illa Phrygum turba intenta Alexandro in nexu exsoluendo occupato; hæc, Macedonum cohors anxia, ne res Regi infeliciter cederet.

GLADIO RVPTIS OMN. LORIS) Ausonius ad Paulinum: *Na tu Alexandri Macedonis peruicaciam supergressus es, qui fatalis iugi lora, cum soluere non posset, abscidit.* Et in carmine:

Ocyus illa iugi fatalis soluere lora
Pellæum potuisse ducem reor, abdita opertū
Principijs, & vtroque caput celantia nodo.

ELVSIT) si Aristobulo credendum, non elusit, sed soluit & impleuit. Maior auctorum numerus resectum gladio vinculum & elusum oraculum affirmauit. Arrianus in medio relinquit, satisfactum tamen oraculo dicit. Zenobius cent. 4. adag. 46. κάθαμμα λύεις, nodum dissoluis: παροιμία, inquit, ἐπὶ τῶν οὐσλυτὸν ἐλύειν ἐπιχειρόντων λόγον γὰρ τοῖς φρυξὶν ἐκπεπτώκει περὶ τῆς κομισάσης τὸν Μίδαν ἁμάξης, εἴτις ἐπιλύσει τὸν δεσμὸν, τοῦτον τῆς Ἀσίας ἄρξειν Ἀλέξανδρος δὲ ἔλυσεν. Idem Diogenianus: οὐχ ἅμμα λύεις, non soluis nodum.

QVIPPE SERIES VINCVLORVM) Mutat editorum scriptorum omnium quos vidi fidem Modius, & reponit: *Quippe seriem vinculorum ita adstrictam, vt vnde nexus inciperet, quove se conderet, nec ratione nec visu percipi posse.* Dein subiungit: *sed peream, nisi hac verè esset Glauci & Diomedis permutatio.* Ego verò omnia alia: Nam si Modij emendationem propugnes, nec Glauci, nec Diomedis

Acidalij ἀβλεψία. arma retinebis, sed vtrisque exueris, quod miror ab Acidalio in longa sua breuitate non obseruatum. Quæ enim ista loquendi ratio? *vt percipi posse*? certè vt illa admittam, seriem vinculorum ita

Mendosa Modij emendatio. adstrictam, tamen nisi legas, *vt percipi posset*, non est iusta oratio. alioquin expedita sententia, vt totam periodum ita dispungas: *quippe seriem vinculorum ita adstrictam, vt vnde nexus inciperet, quove se conderet, nec ratione, nec visu percipi posset, soluere aggressus iniecerat curam, ne, &c.*

CAPVT III.

ARGVMENTVM.

Alexander ducibus Hellespontum committit, Antipatro Græciam, ipse Ancyram petit, copias lustrat, Paphlagoniam occupat, cui Calas præfectus, ipse Cappadociam inuadit.



*Vm deinde Darium regem, vbicunq́ esset, occupare statuisset, vt à tergo tuta relinqueret, Amphoterum classi ad orã Hellespõti, copijs autem præfecit Egelochum Lesbum, & Chium, *Conq́ præsidijs hostium liberaturos. His talẽta ad belli vsum quingenta attributa. Ad Antipatrum, & eos, qui Græcas vrbes tuebantur, sexcenta missa. Ex fœdere naues socijs imperat, quæ Hellesponto præsiderent. Nondum enim Memnonem vita excessisse cognouerat, in quem omnes intenderat curas, satis gnarus cuncta in expedito fore, si nihil ab eo moueretur. Iamq́ ad vrbem Ancyram ventum erat, vbi numero copiarum inito Paphlagoniam*

* Coumq;

intra:

intrat: huic iuncti erant Eneti, vnde quidam Venetos trahere originem credunt: omnisq; hæc regio paruit regi: datisq; obsidibus, tributum (quod ne Persis quidem tulissent) pendere ne cogerentur, impetrauerunt. Calas huic regioni præpositus est, ipse assumptis qui ex Macedonia nuper aduenerant, Cappadociam petit.

OCCVPARE STATVISSET) inopinantem opprimere, hoc enim est hoc loco *occupare*. etsi variam quoque significandi vim habeat hoc verbi. valet enim quod antecapere, anteuertere seu præoccupare. quod non est barbarum, cum [a] Liuius & ipse [b] Cicero vocem vsurparint. Dicuntur & occupare pecunias qui fœnori exponunt. prætermitto communem verbi vsum, cum possidere, tenere, vi capere significat. Occupare quid. [a] Lib. 12. [b] 10. Philip.

A TERGO TVTA RELINQ.) A tergo reliquit Hellespontum & Græcum mare cum minori Asia, à fronte habebat Armeniam, & Euphratem, & Darium, à latere sinistro Paphlagoniam & Cappadociam, à dextro Ciliciam & Babylonem. Ne igitur à tergo & fronte ab hostibus circumueniretur, prouidendum erat, vt tergum muniret. Status autem insularum in Græco mari hic erat.

Alexander post victoriam ad Granicum partam statim omnem oram maritimam occupauit, insulasq; Lesbum, Chium, Coum in potestate habuit. Memnon Rhodius à Dario Imperator declaratus bellum decreuit Macedoniæ & Græciæ inferre, adeoque ex Asia in Europam transferre. in sulas Lesbon, Chion & Con occupauit, & latè per mare Ægeum, terrorem magna classe circumtulit. Sic enim Diodorus: *Insequenti anno, quo Athenis Nicocrates imperauit, Romæ, Valerius Caso & L. Papyrius Consules fuerunt, Darius rex ingentem pecuniam Memnoni misit, eumq; totius belli ducem appellauit. Qui conducta magna militum manu trecentisq; nauibus instructu susceptam belli administrationem curabat. Chium in partes suas traxit, In Lesbum cum classe traiecit, primoque impetu Antissam, Methymnam, Pyrrham & Eressum occupauit. Mytilenem, quæ magna & omni apparatu belli firmoque præsidio munitissima erat, dies complures, non sine magno suorum militum detrimento cum oppugnasset, tandem per summas difficultates cepit,* & quæ ibid. sequuntur. In hoc conatu versatus vita deuoluitur, & cum illo Darij regnum cœpit ruere, quod illi ducem belli parem non haberet. Hoc ergo erat, quod timebat Alexander, ne Memno, in quem omnis intenderat, aliquid à tergo moueret, ad quem coercendum Amphoterum classi ad oram Hellesponti præfecit, & copijs Hegelochum qui tres Insulas Lesbum, Chium & Con in Græco mari iam ab hostibus occupatas reciperent, hostes eijcerent, & Alexandro tutam in Asiam expeditionem præstarent. De Macedonia non erat admodum sollicitus, quod in Antipatro, cui regnum defendendum commiserat, satis præsidij haberet, quem cum XII. millibus peditum, duobus millibus equitum in Europa reliquerat. Status insularũ in Ægeo Mari quis post Granicanã victoriam.

AMPHOTERVM) Hic est in quem dictum Philippi extat apud Plutarchum: E duobus, inquit, fratribus Amphotero & Cratero (Græcè melius ἀμφοτέρου ϗ ἑκατέρου) cum Craterum seu Hecaterũ prudentem & strenuum, Amphoterum autem hebetem & ignarum videret; Craterum quidem Amphoterum, hoc est vtrumque esse dixit, Amphoterum verò neutrum. ἑκατέρος ἀμφότερος, ἀμφοτερός οὐδέτερος ἔστι.

COPIIS) terrestribus, vt hoc loco à classiarijs distinguantur.

HEGELOCHVM) Hic ille est dux & classis primum cum Amphotero præfectus, de quo lib. 4. c. 17. idem qui cum Parmenione & Philota in Alex. coniurauit, immò auctor alijs coniurationis fuit, vt lib. 6. c. 20. docet Curtius, cecidit in prælio ad Gaugamela.

LESBVM) Lesbus, Chios, Cos nobilissimæ insularum, Lesbus in Troade nouem oppidis, quinque fluminibus inclyta, Chios inter Samum & Lesbum è regione Erytrarum sita, Cos in Caria, sic enim lego, de quibus Geographi veteres & noui, apud quos descriptas & tabulis depictas cognosces & spectabis.

HIS) Amphotero & Hegelocho.

TALENTA QVINGENTA) Talentũ commune accipio, quod sexcentis est Philippæis. quingenta respondent trecentis millibus Philippæorum, vti sexcenta, trecentis sexaginta millibus. Philippæum accipio pro XX. victoriatis seu quinarijs, seu, vt hodie loquuntur, bazijs, fortassè ab vrso Bernensi, quem *bezen* vocant, & monetæ inscribitur.

NAVES SOCIIS IMPERATAE) Ita Cicero in Verrinis locutus. Socij sunt Græci Athenienses, Argiui, Ætoli, Phocenses, Bœoti, Elæi, Thessali, Plateæoles, Thespienses, Orchomeoij.

HELLESPONTO) Pontus Helles. Helle Phryxi germana soror, ex Athamante & Nephele per angustias ponti nauc quæ in prora pictum habebat arietem, cum fratre vecta, dum despiceret et incautius, excussa, loco nomen, vt Icarus fecit. Ouid. Epist. Leandri.

Fluctibus immodicis Athamantidos æquora canent
Vixque manet portu tuta carina suo.
Hoc mare cum primum de virgine nomina mersa
Quæ tenet, est nactum tale fuisse puto.
Est satu amissa locus hic infamis ab Helle
Vtq; mihi parcat, nomine crimen habet.

Poetæ nauem in arietem suo more transformant. Diuidit Hellespontus Europam ab Asia, VII stadia qua angustissimus est, complectitur. Per hunc traiecit Xerxes copias in Græciam, & mare naualibus strauit. Plinius & Geographi plura cum Petro Gyllio de Bosphoro.

MEMNONEM VITA EXCESSISSE) Ad Mytilenam morbo extinctum, Valerio & Papyrio Censore Coss. plura de hoc supra.

Modius recta corrigit & curua facit. OMNES INTENDERAT CVRAS) Modius sine cura curas in eruecem ablegat, corrigitque *Omnis intenderat*, sed omnes codices veteres & recentes, etiam MS. retinent *omnes intenderat curas*, nec scio cur explodatur, cum non minus latinè ac alterum dicatur. Liuius: *Omissa in præsentia pacis mentione, totam curam in belli apparatum intendit*. Cura de Memnone liberatus, quem acceperat occupatis insulis Chio, Lesbo, Mytilene, cum trecentarum nauium classe & ingenti peditum numero in Macedoniam velle transire.

AB EO MOVERETVR) mouere certè decreuerat, & bellum in Græciam & Europam ex Asia transferre.

Lib. 38. M. Vulso rus rerum Bois. ANCYRAM) Postridie Gordio profectus Alexander Ancyram venit, nobilem vt Liuius ait vrbem, in illis locis apud Tectosages in Galatia, vbi postea Manlio Volsone Consule Chiomana Tolisto-Boia matronarum nobilissima & castissima centurionem impurum interfecit. Ancyram Galaciæ Plinius tribuit Tectosagis seu Tectosagibus. Ancyram venerunt Paphlagonum proceres & legilli, qui gentem suam Alexandro dediderunt, quam ille Calæ seu Chalæ Phrygum Satrapæ iussit parere.

COPIARVM NVMERO INITO) Callisthenes apud Polybium recenset peditum quadraginta duo millia, equitum quatuor millia tantum. nemo alius tantum ponit numerum peditum. nam pedites mille, equites quingentos ad primum ex Europa exercitum transportatum non amplius accessisse tradunt. Ita vt detractis quos in præsidijs reliquit, censi fuerint triginta sex millia trecenti octoginta quinque. Panegyrista ἀδηλ@ paneg. 2. in Constantinum M. vbi componit Alexandri militem cum copijs Constantini, affirmatque Alexandri exercitum nunquam excessisse quadragiota millium numerum, cum disertè tradat Curtius lib. 8. c. 11. ducta esse CXX. millia in Indiam. Sic enim Curtius: *Centum viginti millia erant armatorum, quæ regem ad id bellum sequebantur*.

PAPHLAGONIAM INTRAT) Galatiam sequitur Paphlagonia, secundum pontum Euxinū, clauditque à tergo, vt Plinius & alij docent, Galatia Papglagoniam.

HVIC IVNCTI ERANT HENETI) Qui Venetorum origines tradunt, variant sententijs, quas ego hic prætereo: Mihi vnus præ cunctis laudandus est Liuius, & secundum hunc Strabo ac Plinius, qui omnes stant à Q. Curtio, Henetorum gentem ex Paphlagonia duce Antenore in Italiam profectam, ibi sedes posuisse, & mutata prima litera pro Henetis Venetos appellatos. Liuij verba

Lib. 1. sunt. *Iam primum*, inquit, *satis constat Troia capta in cæteros sæuitum esse Troianos, duobus Æneæ Antenoreq́; & vetusti iure hospitij, & quia pacis reddendæq́; Helenæ auctores fuerant, omne ius belli Achiuos abstinuisse, Casibus deinde varijs Antenorem cum multitudine Henetum qui seditione ex Paphlagonia pulsi, & sedes, & ducem, rege Pylemene ad Troiam amisso, quærebant, venisse in intimum maris Adriatici sinum, Euganeisq́; qui inter mare alpesq́; incolebant, pulsis, Henetos, Troianosque eas tenuisse terras, & in quem primū egressi sunt locum Troia vocatur, pagoq́; inde Troia nomen est, gens vniuersa Veneti appellati*. Hæc Liuius. Homerus & Mæandrius Henetos à Leucosyris profectos Troianis suppetiatum iuisse tradunt, indeque cum Thracibus auectos sedes posuisse in intimo sinu Adriæ, reliquos qui cum Pylemene erāt profecti, resedisse in Cappadocia.

Modius & Palmerius reiecti. Ead. affirmat de Enetis & Venetis cum Liuio Plinius & Solinus, ex Cornelio Nepote. Quare omnino in eam sententiam descendo, illa verba quæ in Curtio sequuntur, non esse ex glossemate adiecta, sed legitima & genuina Curtij, cui subscribunt omnes quos codices vidi, cum MS. quamuis Modius & Palmerius omnia alia arbitrentur.

Heneti ergo Alexandro, vt & Paphlagones subiecti, cum antea Dario paruissent, hos immunes à tributis reliquit. Calæ tantum eos præcepit imperium sequi.

QVI NVPER EX MACEDONIA ADVENERANT) supplementum exercitus pedites mille, equites sexcenti quinquaginta, vt Arrianus numerat, vt Callisthenes, peditum millia V. equites octingenti.

CAPPADOCIAM PETIIT) Magnam Cappadociæ portionem occupauit Alexander, totam cis Halim: partem etiam trans flumen, quibus præfecit Sabictam Satrapam vt Arrianus narrat. Regionem Ptolemæus, Strabo, Plinius & alij his recentiores describunt, Strabo duas in Cappadocia à Persis factas ait Satrapias, postea in duo regna versas.

CAP VT

CAPVT IV.

ARGVMENTVM.

Mors Memnonis nunciatur. Darius ipse educit copias, castra ad Babylonem ponit, copiarum numerum init, peditum quadringenta viginti duo millia, equitum vnum supra sexaginta millia. Summa CCCIↃↃↃ.CCCIↃↃↃ. CCCIↃↃↃ.CCCIↃↃↃ.IↃↃↃ.CCIↃↃ. CCIↃↃ.CCIↃↃ. CIↃ.CIↃ.CIↃ.hoc est, 483000.



AT Darius nunciata Memnonis morte, haud secus quam par erat motus, omissa omni alia spe, statuit ipse decernere, quippe quæ per duces suos acta erant, cuncta damnabat, ratus pluribus curam, omnibus abfuisse fortunam. Igitur castris ad Babyloniam positis, quo maiore animo capesseret bellum, vniuersas vires in cõspectum dedit, & circundato vallo, quod decem milliũ armatorum multitudinem caperet, Xerxis exemplo numerum copiarum iniJt. Orto sole, ad noctem agmina sicut descripta erant, intrauêre vallum, inde occupauerunt emissa Mesopotamiæ campos: Equitum peditumq́ propemodum innumerabilis turba, maiorem quam pro numero speciem gerens. Persarum erant centum millia, in queis eques triginta millia implebat. Medi decem equitum, quinquaginta millia peditum habebant. Barcanorum equitum fuêre duo millia armati bipennibus, leuibusque scutis, cetræ maximè speciem reddentibus, peditum decem millia pari armatura sequebantur. Armenij quadraginta millia miserant peditum, additis septem millibus equitum. Hyrcani egregij, vt inter illas gentes sex millia expleuerant equis militatura.* Derbices quadraginta millia peditum armati erant, plurium hærebat ferrum præfixum hastis; quidam igne lignum durauerant. hos quoque duo millia equitum ex eadem gente comitata sunt. A Caspio mari octo millium pedester exercitus venerant: ducenti equites cum his erant. Ignobiles aliæ gentes, duo millia peditum, equitum duplicem parauerant numerum. His copijs triginta millia Græcorum mercede conducta, egregiæ iuuentutis, adiecta sunt. Nam Bactrianos & Sogdianos & Indos, cæterosq́, rubri maris accolas, ignota etiam ipsi gentium nomina festinatio prohibebat acciri.*

*quod decies centenũ milliũ legit vitiosè Modius.

*Vicies mẽdosè vulgo, rectè Modius Derbices.

DARIVS NVNCIATA MEMNONIS MORTE) Idem [a] Siculus narrat. [b] Arrianus Darij spe cum deposito Memnone decollasse, per quem volebat arma Europę inferre. [a] Lib. 17. [b] 2.

DECERNERE) certare, bellum gerere, dimicare, vt Cicero, *quam ne seruiam, animis armisque decernere.* Virgil: Decernere.

Ipsum armis, ipsumq́, iubet decernere ferro. Æn. 11.

Et: *Cornibus inter se subigit decernere armatos.* Georg. 3.

Idem valet simplex: Accius:

Primores procerum reuocarent nomina ni esset
Quis, qui armis secum vellet cernere.

Eodem sensu apud Ennium, & Pacuuium, & alios leges. Aliæ notiones verbi decernere & cernere sunt in promptu. Cernere.

OMISSA SPE) bene habet, nec est reponendum *amissa spe*, sic enim vsurpant hoc verbi principes latini, fori omittere tristitiam, spem, iracundiam, quamuis disertè Iustinus dicat, *tum spe pacis amissa*, sed ibi verè legitur amissa, quod spem illi pacis Alexander negarat. Spem omittere. Lib. 11.

DVCES SVOS) Quorum princeps erat Memnon, satis ille quidem felix, & cui minimè cura defuerat, sed vita priusquàm fides extorta fuerat. Cæteri Arsames, Reomitres, Petanes, Niphates, Mithridates Darij gener, Lydiæ & Ioniæ Satrapa, & Arsites Phrygiæ, Spitridates, Mithrobazanes, Cappadocum prætor; Arbupales Darij Artaxerxis filius; Phamaces, Omares, Mithrenes, Hegesistratus, Orontobates, Glaucippus, Neoptolimus, Autophradates, Pharnabazus cui Memnon præfecturam suam moriens commendauit: Thymondas, Datames; & horum magna pars ad

 Granicum

Granium cecidit, quos Arrianus singulatim recenset. Pharnabazus, Memnonis successor ex omnibus vnus erat Dario fidissimus, vt infra cognoscetur.

CVRAM) amat enim victoria curas.

FORTVNAM) quæ nec ipsi Dario adfuit : ἐχρῆν γὰρ ἤδη καὶ Πέρσας πρὸς Μακεδόνων ἀφαιρεθῆναι τῆς Ἀσίας τὴν ἀρχήν, καθάπερ ὧν Μῆδοι μὲν πρὸς Περσῶν ἀφῃρέθησαν, πρὸς Μήδων δὲ ἔτι πρόσθεν Ἀσσύριοι : *Oportebat enim*, inquit Arrianus, *Asiæ Imperium Persis à Macedonibus adimi, quemadmodum Persæ Medis, ac prius Medis Assyrijs ademerant.*

DAMNABAT) Variam vim huius verbi Nonius exprimit. Hic idem quod reprehendere
Tusc. 5. valet, elegantissimo loquendi modo, vti Cicero : *Rerum naturam, quam errorem nostrum damnare malumus.*

Lib. 5. AD BABYLONEM) infra celebrat Curtius, hic intelligit campos Babylonios.

MAIORE ANIMO) cum plus decies Alexandri exercitum, numero superiores fore intelligerent, poterant sibi non immerito victoriam polliceri, si viri esse voluissent. Sed Darius papauerum semina collegerat; Alexander piperatum exercitum ducebat.

DECEM MILLIVM ARMATORVM) Primum de scriptura huius loci constituendum, deinde res explananda. Codices omnes quos equidem ante Modij emendationem vidi, ita vt scripsi habent: *decem millium armatorum*. Modius primus corrupit emendatam scripturam, & repoluit *decies centenum millium*, audi ipsum affirmantem.

Galteri Alexandreis. Galterus quo sæculo scripserit.

Fateor, inquit, *nullo adiutus codicibus ita scripsi de coniectura euidentissimis rationibus expressa. primum enim Galterus, qui, cum Curtij non solum in historia, verum etiam ipsis verbis summus imitator fuerit, vel hoc ipsum ad nos durare debuit, vt esset, vnde is auctor (* cuius ille exemplaribus ante annos CCCC. & vndeviginti, quo tempore floruit, haud dubiè minus contaminatis est vsus) aliquam multis locis malè affectis sanari posset: hic, inquam Galterus, copias omnes vallo Darium circumdedisse refert, indeque emissas occupasse Mesopotamiæ campos. Deinde mouit me etiam quod addidit ipse Curtius, Xerxis exemplo (cuius exercitum, decies centenum millium multitudinem aut æquasse aut superasse, qui ex Græcis minimè mendaces perhibentur, asserunt) numerum copiarum inijsse Darium. facio tamen lector, rem iudicij tui, dum memineris, decem millium, quod libros occupauit, ferri nullo modo posse.*

Modij error grauis, grauior audacia. Quantum militũ habuerit Darius in Issica pugna. Exemplum Xerxis explicatur cõtra Modiũ. Xerxis vallũ ad Doriscũ decẽ millia capiebat.

Quid? ferri nullo modo potest? proba, sancta, & vnicè vera lectio? pro qua nobis spuriam obtrudis, & legitimam cruribus illidis? Poteras ex ipsis Curtij verbis deprehendere errorem tuum, qui meritò Criticorum audaciam reprimere potest. Primum Darius ex Curtij syllabo non numerauit sub signis nisi trecenta vndecim millia ducentos. ex Arriani censu summum sexcenta, ex Iustini quingenta tantum, totidem ex Diodori Siculi calculo cognosces. Nemo vltra sexcenta millia assignauit. Quid est ergo quod Curtius narrat, exemplo Xerxis? Hoc est. Darius exemplo Xerxis recensuit suas copias circundato vallo, quod decem millia caperet armatorum. Xerxes enim cum vniuersum exercitum per Hellespontum continenti iunctum traiecisset, in Dorisco trans Hellespontum septum fecit, quod myriadem capiebat, atque ex castris singulas myriadas seorsim in illud septum immisit, ac coram cum scriba spectauit, qui & vnde essent, quæ arma ferrent, relatosque in chartas in campum emisit, ac aliam myriadem ex castris in vallum deduxit, quam, vti priorem lustrauit, ac deinceps hac emissa aliam atque aliam, donec omnes copiæ per vallum transirent. Hunc modum Xerxes instituerat copiarum recensendarum, quem imitatus est Darius circundato vallo, quod decem millium (non decies centenum millium) multitudinem caperet. Sed audiamus Herodotum rationem exercitus numerandi à Xerxe initam ad Doriscum : ὁ δὲ Δορίσκος ἐστὶ τῆς &c. *Est autem Doriscus Thraciæ littus pariter & campus ingens, quem grande flumen Hebrus*

Herodotus sequester & interpres Curtij cum Curtio collatus.

interfluit: vbi extructus est is murus qui Doriscus appellabatur, in quo Persarum erat præsidium iam inde à Dario impositum, cum Scythis inferebat bellum. Cum igitur locus digerendis recensendisque copijs idoneus videretur, Xerxes ita sibi faciendum putauit: Eius iussu nauarchi cum eò appulissent, omnes naues ad littus Dorisco contiguum receperunt, vbi Sala vrbs, Samothracia & Zona sita sunt: cuius vltima Serrium nominatur, celebre promontorium, qui locus quondam fuerat Ciconum. In hoc littus appulsa classe & subducta, qui in ea subducenda laborauerant respirauère. Xerxes autem per hoc tempus apud Doriscon lustrabat exercitum. Equidem quantum singuli præbuerint copiarum, pro certo affirmare non possum: quoniam à nullis prorsus hominibus id refertur: constat autem terrestrium copiarum numerum fuisse centum septuaginta myriades, id est, decies septies centena millia. Quorum numerum hoc modo inierunt: Contraxerunt vnum in locum myriadem hominum, quæ sunt decem millia, quæ coarctata quàm maximè poterant, circulum extrinsecus descripserunt loco circumscripto: emissaq; illinc myriade sepem circumdederunt, eatenus excitantes vt vmbilico tenus pertingeret. Eam vbi fecère, aliam subinde atque aliam myriadẽ introduxerunt. donec omnes connumerauerunt: connumeratos autẽ nationatim digesserunt.

Obserua quod sit Xerxis exẽplum. Brissonij error. Philip. Rubenius refutatus l. 1. c. 26. Elect.

An sol clarius meridie lucet atq; hic modò Curtij locus? Hinc & Brissoniũ licèt castiges, qui cæterorũ more Modiũ est secutus; & Philippũ Rubenium, qui nuper in Electis, pro *decies* ponit *sexies centenum millium*, cum hoc non spectarit ibi Curtius, nec voluerit numerum copiarum Darij exprimere,

mere, ſed modum duntaxat explicare, quo ad exemplum Xerxis copias numerauit. Et miror tantum Modij errorem ab Acidalio, homine peracuto, non deprehenſum.

Porrò quod ad Xerxis copias attinet, variant priſcorum numeri, qui pauciſsimos armatorum cenſent, numerant vt Plinius ſeptingenta octoginta octo millia, vt Cteſias octingenta millia extra currus. Aemilius Probus decies centena millia, totidem Iuſtinus, contra omnium priſcorum cenſum, qui decies centena millia nauium Xerxi tribuit, cum nemo omnium veterum ſupra mille ducentas triremes ſeu raſtratas illi aſſignet, quibus addunt exonerarijs & hippagogis ter mille octingentas quinquaginta. Arbitror, inquit Bonarſius, & verè meo animo legendum mille ducentos, literis quibuſdam immutatis & vocibus vniuerſis conuenit numerus cum Herodoto, Diodoro, Probo, Iſocrate, Oroſio &c.

Copiæ Xerxis quantę.

Iuſtinus mēdoſus à Bonarſio curatur.

Sed redeamus ad copias Xerxis: Herodotus primum ponit centum & ſeptuaginta myriades. Myrias continet decem millia, colligit ergo decies ſepties centena millia, ſed cum lixis & calonibus, cum curulibus, nauticiſque turbis affirmat Xerxem habuiſſe πεντηκοσίας τε μυριάδας ϗ εἴκοσι καὶ ὀκτώ. καὶ χιλιάδας τρεῖς, ϗ ἑκατοντάδας δύο, καὶ δεκάδας δύο ἀνδρῶν. quinquagies inquam centena ducenta octoginta tria millia, ducentos viginti. Halicarnaſſeus trecētas myriadas, hoc eſt, tricies centena millia ſcribit. Iſocrates & Plutarchus rotundant numerum, & quinquagies centena millia, non amplius collocant. An ergo incredibile perfodiſſe montes, ſtrauiſſe maria, exhauſiſſe flumina tantas copias Xerxis? Xerxis copias vicit Ninus qui ἑπτακοσιάς μυριάδας eduxit ſeptagies centena millia, ſeptem milliones. De claſſe AEſchylus in Perſis:

5283220. hic numerꝰ copiarū Xerxis, quinque milliones ſupra decēta octoginta tria millia ducētos viginti.

Iſocrates & Plutarchus cum Herodoto faciūt

Claſſis Xerxis.

Ξέρξῃ δὲ (ϗ γὰρ οἶδα) χιλιὰς μὲν ἦν
Νεῶν τὸ πλῆθος. αἱ δὲ ὑπέρκομποι τάχει
Ἑκατὸν δὶς ἦσαν, ἑπτά θ'.
Xerxi (quod haud neſcio) fuere nauium
Mille, ex quibus ducenta erant celerrima
Et ſeptem.

AEſchylo ſubſcribit Cteſias & Cicero. Addunt ducentas AEmilius Probus, Diodorus Siculus. In hanc claſſem Manilius:

Cteſias, Cicero.

—— nec Perſica bella profundo
Indicta, & magna pontum ſub claſſe latentem
Immiſſumq; fretum terris iter æquoris vndis.

Adi Briſſonium, vbi multa ex ſcriptoribus de his Xerxis copijs lectu iucunda adſert. Addo hic coronidis loco, nihil effici teſtimonio Galteri, quem pro ſua emendatione laudat Modius, nam Galterus numerum nullum exprimit, & nihil diſtinctè docet, quod vt intelligas, verſus tibi illius adnumerabo, ex quibus ſimul diſces, nec Galterū ſciuiſſe quid eſſet ad exemplū Xerxis copias recenſere.

Concluſus procerum ſerie peditumque catervis
Tendit ad Eufratem, vbi tot radiantibus auro
Gentibus explicitis, diffuſis æquore vaſto
Tot populis, vires dedit in commune videndas
Elatusq; animo vallum circumdedit, vnde
Primo ſole locum feriente recenſuit omnes.
Xerxis ad exemplum, donec naſcentibus aſtris
Montibus atq; Phœbes prævideret heſperus ortum.
Egreditur vallo virides effuſa per agros
Infinita phalanx, numerumq; recenſita vincit,
Spargitur, & ſpeciem maioris copia præbet.

Hæc Galterus, vt legis, confusè, atque omnia ex Curtio, quem ipſum tamen non eſt aſſecutus, cū videtur dicere ſimul omnes copias in vallum fuiſſe immiſſas, quod nec verum, nec ad exemplum Xerxis.

ORTO SOLE) Hoc Perſico more. Perſæ enim nunquam ante ortum ſolem exercitum mouêre. Curtius infra: *Patrio more Perſarum traditum eſt orto ſole demum procedere die iam illuſtri.* Idem docuit antè Curtium Herodotus de Xerxe Helleſpontum traiecturo locutus: τῇδε ὑστεραίῃ ἀνέμενον τὸν ἥλιον ἐθέλοντες ἰδέσθαι ἀνίσχοντα: & quæ ſequuntur. Poſtero autem die tantiſper morati ſunt, dum ſolem exorientem cernerent, omnifarios odores in pontibus congerentes, ac myrto iter conſternentes. Vbi ſol exortus eſt ex aurea phiala Xerxes libans in mare apud ſolem vota concepit, ne quid ſibi aduerſi contingeret, & quæ ſequuntur.

VALLVM) Caſtrorum munimenta, vnde rurſum emiſſa agmina totos Meſopotamiæ campos inundauere.

MESOPOTAMIAE CAMPOS) Regio eſt in Aſia duobus intercepta fluminibus Tigri & Euphrate, quæ ex monte Tauro diuerſis tamen fontibus orta, in diuerſa abeunt, &c. ingentia Meſopotamiā (quæ inde nomen habet, quod inter duos fluuios ſita ſit, μέσος enim Græcis eſt medius: ποταμὸς fluuius, media ergo inter fluuios) propè Babylonem rurſum coeunt, ac in mare Perſicum euoluuntur.

MAIOREM QVAM PRO NVMERO) maius spatium terrarum occupans, quàm quantum numerus exigebat, vt plures viderentur quam erant. Obserua (quod miror à Torselino præteritum) particulam *quam* cum comparatiuo & præpositione *pro.* vt si dicas doctior quàm pro ætate videri possit.

Copiarum Darij ad Issum numerus trecẽta vndecim millia ducenti. Equites vnum & sexaginta millia ducẽti. pedites ducenta quinquaginta millia.

PERSARVM ERANT CENTVM MILLIA) sequitur syllabus nationum variarum quæ in exercitu Darij militarunt. Et obseruant hoc historici & poetæ bella descripturi, vt numerum & gentes & populos describant. Herodotus vnus omnium id diligentissimè persecutus est, vt Homerus, Virgilius, Statius, Lucanus, alij. Summam ex partibus collectam accipe; Peditum ducenta quinquaginta millia, equitum mille centum supra sexaginta millia. Arrianus tamen sexcenta millia vniuersè tribuit Dario, Iustinus quadringenta millia peditum & centum millia equitum, Diodorus quingenta millia generatim affirmat. nemo decies centena millia.

Copia Curtiana.

MEDI) Non prætereunda obseruatio descriptionis, ordinis ac seriei, quæ difficultatem parat narranti, nisi modum variandæ orationis teneat. Curtius id solenne habet, vt in descriptionibus non in eadem incidat. En hoc loco (quod vbique memineris) *Persarum,* inquit, *erant: Medi habebant. Barcanorum equitum duo millia fuere. peditum decem millia sequebantur. Armenij XL. millia miserant: Hircani sex millia expleuerant. Derbices XL. millia armauerant. Hos duo millia equitum comitata sunt. A Caspio mari pedester exercitus venerat. Ignobiles aliæ gentes duplicem numerum parauerunt.* Vides copiam scriptoribus imitandam, vt inopiam orationis declinent.

MEDI) antea Domini Persarum, à Cyro subiecti Persis seruierunt seruis suis. à Medea dictam Mediam docet Strabo, nomen vestis à Medea excogitatæ, & regionis. Medus Medeæ filius, Iasoni & Medeæ successit in Media. Medi notissima gens, sacris & profanis literis celebrati.

Parœmia. Inscitia cõfidentiam parat.

BARCANORVM) verissimum est vetus verbum ἀμαθία μὲν θάρσος λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει *Inscitia confidentiam, prudentia cunctationem parit,* vel vt D. Hieronymus loquitur, *Imperitia confidentiam, eruditio timorem creat,* vel vt Plinius Secundus, *Recta ingenia debilitat verecundia, peruersa confirmat audacia.* Reapse enim qui minus sapiunt, minus pudoris habent. Criticorum plerumque hoc est ingenium, vt cum lecta non intelligunt, vel ab auctoribus vt spuria proscribant, vel pro suo cerebro non tam corrigant quàm corrumpant. Modius inter hos, quamuis cætera doctus, cum ad hunc locum, & nomen Barcanorum venit, vide quàm confidenter, ne dicam impudenter: *Non Barcanorum,* inquit, *qui populi in rerum natura non sunt: aut si sunt, non magis huc faciunt quam Mori Vtopicani.* Hic esse legendum, *sed Paricanorum,* qui sunt Mediæ populus. Itane populus hic Vtopicus & extra solis vias? consuluisses Stephanum περὶ πόλεων. Βαρκάνιοι, inquit, ἔθνος τοῖς Ὑρκανοῖς ὅμορον. Barcanij gens est Hircanis vicina. quibus regem dixit apud Ctesiam Cyrus Megabernem. Ex his doceas licet Modium, immò & Glareanum & Aldum, qui Bactrianos pro Barcanis reponunt, & gentes migrant, pro Bactrianis infra Arachosios accersunt. Paricanorum Plinius meminit. Possis conijcere Baricanos eosdem esse Barcanis, nisi ab Hircano mari admodum remoueantur à Plinio, quamquam & Derbices cum his ferè coniungat, certè Herodotus Paticanos in Xerxis exercitu collocat cum gentes enumerat.

Modij audacia.

*Glareanus & Aldus correcti aut reiecti.

ARMATI BIPENNIBVS) bipennis Nonius id dici ait quod ex vtraque parte sit acutum. Nam nonnulli gubernaculorum partes tenuiores ad hanc similitudinem pinnas vocant eleganter. Varro Marcipore: * *Delime bipennis, vt leuis passerculus,* plura apponit exempla ibid. Est forma eadẽ cum Romana seu Amazonia securi, nisi quod hodie hastilia imitentur longitudine manubrij, & mucrone vltra securim procurrente. Horatius nostris eam Vindelicis velut ab Amazonibus originem ducentibus assignat.

*Delimat.

Lib. 4. Carm. od. 4.

Videre Rhæti bella sub alpibus
Drusum gerentem Vindelici: quibus
Mos vnde deductus per omne
Tempus Amazonia securi
Dextras obarmet, quærere distuli.

LEVIBVSQVE SCVTIS) Scutum cum cetra componit, sed cetras ait esse breues; vt discrimen à longitudine capiat, alioqui cetra etiam non rotunda, vt aliqui depingunt, etsi Varro, vt mox dicam, aliter sentiat.

Curtius emendatus.

MAXIME) ἐπιῤῥηματικῶς lege. vt habent codices emendatiores, & res ipsa docet.

CETRIS) Cetra cetræ, genus scuti rotundi. Varro περὶ φιλονεικίας. *Qui rotundam facere cetram nesciat?* Seruius ad Virgil. AEn.

AEn. 7. Cet... qu d a Dec. 4. l. 1. b l... bello Gal. Lib. 1. Elemẽtorum. Pelta.

Lauas cetra tegit —— *Cetra,* inquit, *scutum loreum, quo Africi & Hispani vtuntur.* Vtuntur & Galli, & Persæ, & Britanni. vnde cetrati, & cetratæ cohortes. a Liuius, b Cæsar, Virgilius, Silius, alij. cetras ῥομβοειδεῖς putant, qualia fuere gerra, gerrum enim cetram exponunt apud Strabonem, ῥομβοειδὲς autem est, vt Euclides docet, τετράπλευρον ὃ οὔτε ἰσόπλευρον, οὔτε ὀρθογώνιον, ἔχει δὲ τὰς ἀπεναντίον πλευράς τε καὶ γωνίας ἴσας ῥομβοειδές, est quadrilaterum, quod neque æquilaterum, & nec rectangulum: habet autem opposita latera, & angulos inter se æquales, qualia sunt gerra seu gerræ Persarum, è cratibus contexta. Latini peltas & cetras pro eodẽ fere genere clypei vsurpant. Liuius:

Nocte

Nocte cetratos, quos peltastas vocant, in insidijs abdiderat. Ita vicissim Plutarchus cetratos latinis di- Lib. 11.
ctos, vertit Græcè πελταστὰς. Pelta rursum latinis parma. Fuit citra seu cetra ἀσπὶς λιγρική. scutum latronum.

ARMENII) Armenia per orbem nota & magna Asiæ regio Tauro monte à Mesopotamia diuisa. Magnum numerum miserunt Armeni, quòd latè pateat Armenia & populosa sit.

HIRCANI EGREGII) ad mare Hircanum, quod ab illis nomen habet, & ostia Oxi fluminis colunt, valent equitatu, & in tigrium catulis rapiendis se exercent, proinde equitem misére tantum. Egregii autem (si cum alijs gentibus barbaris illic degentibus componas) quia expediti cursu & plurimum celeritate valent. Non adferam plura quæ apud Geographos reperies. Quis enim antiquorum non laudat & Hircanum mare, & populum Hircanum, & vrbem Hircanam.

DERBICES) Hic locus aliter ab alijs atque alijs legitur. Exemplaria pleraque, præter Modianum, omnia habent: *Iidem vicies quadraginta millia peditum armauerant.* Modius loco *ijdem vicies,* collocat *Derbices quadraginta millia armauerant,* & hoc ex MS. aliquibus, cui subscribere ipsa me docet ratio. Nam verba *Iidem vicies* habent quandam similitudinem cum voce *Derbices*, & populi sunt in Asia ad Oxum flumen, qua in mare Hircanum exoneratur, de quibus Ctesias Cnidius cum de Cyro tractat: quem videbis. Derbices qui.

DERBICES QVADRAGINTA MILLIA) vulgo vicies quadraginta millia, sed quis ita loquitur, nisi Abderita. Si Curtij esset narratio, dixisset octingenta millia, tot enim conficiunt vicies quadraginta millia. Vniuersus Darij exercitus fuisset decies centenum septuaginta vnius millium, quod orationi Curtianæ minimè conuenit, cum dicit: copias Darij maiorem quam pro numero speciem præbuisse, quasi numerus non fuerit magnus, & fuit reuera paruus ex censu Curtij & aliorũ omnium, qui numerum expresserunt, vt supra docuimus. Curtius correctus.

Exertè vero ostendunt quæ sequuntur, locum fuisse affectum & Machaone indigere, cum subijcit Curtius. Hos quoque duo millia equitum ex eadẽ gente comitata sunt. cum supra equitum Hircanorum numerasset sex millia. *Derbices* ergo legendum, pro *Iidem vicies,* & omnia salua sunt. De Derbicum immanissimorum moribus, crudelitate in sontes, Strabo lib. 11. Alex. Neapol. lib 3. c. 5.

A CASPIO MARI) Caspium mare idem quod & Hircanum, nec idem tamen quod Ponticum, contra tabulam Ortelij, qui idem facit cum Pontico ex Curtio, cum Curtius disertè Ponticum opponat Cilicio, cum Gordium vrbem ait medio interuallo distare à Pontico & Cilicio mari. Caspium singulare est & remotum à Pontico siue Sinopeo. A Caspio mari incipit secunda Asiæ pars. In medio spacio maris Caspij, & sinus Persici, sitæ sunt Media, Parthia, Persis, & secundum Mediam & Parthiam propè ipsum mare Caspium Hircani, Derbices, Medi atque aliæ gentes, quas Strabo, Plinius & alij nominatim describunt. Persis ad sinum Persicum spectat. Herodotus mare Caspium non ex alio natum affirmat, sed ex se existere, & velut insulam vndique terra ambiri, *alij ex Scythico Oceano erumpere tradunt. Cum Herodoto facit *Ptolomæus, qui septima Asiæ tabula oculis Caspium mare planissimè spectandum subijcit. De hoc nos suo loco plura. Ortelii tabula de expeditione Alexãdri M. parũ iusta, vt infra etiam disces. *Mela, Plinius, Strabo, Dionys. Afer Macrobius, Martianus.

DVCENTI EQVITES) rectè interpungit meo animo hunc locum Modius: A Caspio mari octo millium pedester exercitus venerat: ducenti equites cum his erant. Ignobiles &c.

IGNOBILES ASIAE GENTES) Quamuis pleraque edita volumina hanc scripturam præferant, vteres tamen codices (si Modio creditur, nam mei omnes *Asia* legunt, non *alia*) *alia* pro *Asia* habent, & verè meo iudicio, cum omnes quas hactenus indigitauit Curtius fuerint Asiæ gentes, & facilis est vnius in alterum literæ migratio. *7. Tabula Asiæ.

XXX. M. MERCEDE CONDVCTA) quos Græci ξένους καὶ μισθοφόρους appellant. Ergo Persæ & reliquæ Asiæ gentes regibus Persarum subiectæ nulla mercede aut stipendio militabant? Ita sanè Herodoti æuo. οὐ γὰρ δὴ μισθοφόρους χρῶνται στρατιώταις οἱ βάρβαροι ὥσπερ Ρωμαῖοι &c. Neque enim milite stipendiario seu mercede conducto vtuntur barbari, quemadmodum Romani. Ergo primis temporibus carebant omninò peregrino & conducto Persæ. Vnde ergo viuebant? ex præda: sic enim apud Herodotum sequitur. οὐδὲ στρατόπεδα ἔχουσι ἀνεστῶτα καὶ μένοντα πολέμου τέχναις ἐγγεγυμνασμένα, ἀλλὰ πᾶν τὸ πλῆθος τὸ ἀνδρῶν ἐσθ' ὅτε καὶ τῶν γυναικῶν κελεύσῃ ἐὰν βασιλεὺς ἀθροίζεται. Διαλυθέντος δὲ τοῦ πολέμου ἕκαστος εἰς τὰ ἑαυτοῦ ἐπανέρχεται τοσοῦτον ἀποκερδήσας ὅσα ἂν ἐξ ἁρπαγῆς αὐτῷ περιγίνεται. Neque castrorum statiua habent & manentia artibus militaribus exercitati, sed omnes copiæ tum virorum tum fœminarum, etiamsi quando rex præceperit, coguntur bello porro confecto, singuli vnde venerant reuertuntur, tantum rei secum conferentes, quantum ex spolijs hostium adipisci potuerunt.

Marcellinus idem docet, etsi non pari modo. *Pedites,* inquit, *in speciem Mirmillonum contecti, iussa faciunt, vt calones. Sequiturq́, semper hac turba, tanquam perenni addicta seruitio, nec stipendijs aliquando fulta, nec donis.* Vnde ergo, inquies, vixerunt? Rex aluit exercitum, sed absque stipendijs, victum præbuit & amictum. Lib. 23.

BACTRIANOS) Bactriana regio mille vrbibus inclyta, de qua infra. Lib. 4. c. 18.

SOGDIANOS) Iam supra Bactrios sitos tabulæ Ptolomæi & aliorum ostendunt. l. 5. c. 7.

INDOS) ad mare rubrum seu Indicum colentes, Drangiani, Gadrosij, Arabes & alij, de quibus infra, cum ad eas cum Alexãdro penetrabimus. Marcianus Heracleotes geographus, rubri maris incolas

colas numerat Troglodytas, Aulitas, Mossalos. Accolas alij, Elymæos & Arabes qui ad sinum Persicum colunt.

Ignota etiam ipsi) Dario, tam potens erat, vt regionum & populorum suorum etiam nomina ignoraret, & hinc multò magis, vt Seneca ait, opes suas & censum.

CAPVT V.

ARGVMENTVM.

Charidemus Atheniensis rogatus à Dario, quomodo placeret exercitus Persarum; respondit, compositis vtriusq; regis copijs, plures esse Persarum, firmiores Macedonum: pares paribus opponendas, quam ob dicendi libertatem interficitur, cuius cædis mox pœnitet Darium.



Ec quicquam illi minus quam multitudo militum defuit: cuius tum vniuersa aspectu admodum lætus, purpuratis solita vanitate spem eius inflantibus, conuersus ad Charidemum Atheniensem belli peritum, & ob exilium infestum Alexandro (quippe Athenis iubente eo fuerat expulsus) percontari cœpit, satisne ei videretur instructus ad obterendum hostem. At ille & suæ sortis, & regiæ superbiæ oblitus, Verum, inquit, *& tu forsitan audire nolis, & ego, nisi nunc dixero, alias nequicquam confitebor. Hic tanti apparatus exercitus, hæc tot gentium & totius orientis excita sedibus suis moles, finitimis potest esse terribilis: nitet purpura auroq; fulget armis & opulentia, quantam qui oculis non subiecêre, animis concipere non possunt. Sed Macedonum acies torua sanè & inculta, clypeis, hastisque immobiles cuneos, & conferta robora virorum teget. ipsi phalangem vocant peditum stabile agmen. vir viro, armis arma conserta sunt: ad nutum monentis intenti, sequi signa, ordines seruare didicere: quod imperatur, omnes exaudiunt: obsistere, circuire, discurrere in cornu, mutare pugnam, non duces magis quam milites callent. ac ne auri argentiq; studio teneri putes, adhuc illa disciplina paupertate magistra stetit. Fatigatis humus cubile est: cibus, quem occupant, satiat. tempora somni arctiora quam noctis sunt. Iam Thessali equites, & Acarnanes, Aetolij, inuicta bello manus, fundis, credo, & hastis igne duratis repellentur: pari robore opus est: in illa terra, quæ hos genuit, auxilia quærenda sunt, argentum istud, atque aurum ad conducendum militem mitte. Erat Dario mite ac tractabile ingenium, nisi etiam naturam plerumq; fortuna corrumperet. Itaque veritatis impatiens, hospitem, ac supplicem, tunc cum maximè vtilia suadentem, abstrahi iussit ad capitale supplicium. Ille ne tum quidem libertatis oblitus, Habeo,* inquit, *paratum mortis meæ vltorem. expetet pœnas mei consilij spreti is ipse, contra quẽ tibi suasi. Tu quidem licentia regni subitò mutatus documentum eris posteris, homines cum se permisêre fortunæ, etiam naturam dediscêre. Hæc vociferantem quibus imperatum erat, iugulant. Sera deinde pœnitentia subijt regem, ac vera dixisse confessus sepeliri eum iussit.*

AEmilius Probus. Nec qvicqvam illi minvs) acutè: sola multitudine & numero superior, sed defuit tantæ multitudini dux, defuit regi prudentia, defuit fortuna & scientia rei militaris, defuere denique omnia præter inconditas gentes, quibus solis triumphabat, ac sibi Satraparum suffragio inuictus & beatus videbatur.

Ad charidemvm) Idem fecit Xerxes, & Antiochus, vt infra docebo.

Charidemvm) De hoc Charidemo Atheniensium Oratore & præstantissimo duce, quem timuisse videri poterat Alexander, cognosces plura apud Arrianum, qui hunc ipsum iussu Alexandri pulsum ait in exilium, quamuis ordines apud Philippum duxisset, & manu atque consilio linguaque promptissimus esset. Verba Arriani sunt ὁ δὲ (Ἀλέξανδρος) τὰ μὲν ἄλλα &c. quæ sic Vulcanius reddit

dit: *Alexander quoad cætera humaniter ad eorum (Atheniensium) legationem respondens, epistolam ad populum Atheniensem scripsit, qua Demosthenem, Lycurgum, Hyperidem, Polyeuctum, Charetem, Charidemum, Ephialtem, Diotimum, & Maroclem sibi dari postulabat. Hos enim auctores cladis Chæronensis esse statuebat, omniumque facinorum quæ deinceps aduersus se pariter & Philippum tentata fuissent.* Addit his Arrianus etiam Thebanos ab Atheniensibus ad defectionem fuisse solicitatos. Athenienses missa rursus legatione petierunt vt ignosceret ijs, quos sibi ad supplicium dedi postularat. Ignouit Alexander, solum Charidemum voluit eximium esse, quem iussit exulare, qui mox ad Darium se contulit. Oratores Atheniensium præstantissimi.

PVRPVRATIS) Satrapis, sic enim qui Romanis prouinciarum præsides, prætores, proconsules, legati, Sarmatis Palatini, Turcis Bassæ, nobis Prouinciales, regni & Imperij proceres, Duces, principes appellantur.

SOLITA VANITATE SPEM INFLANTIBVS) aulico more ture litantibus Dario. Hic morbus plerosque regum cum regnis perdidit, eum sibi lethale mulsum ab adulatoribus propinatum auidi hauriunt. Cogitarent potius Euripideum illud —— ὀλίγον ἀλκιμον δόρυ

Κρεῖσσον στρατηγοῦ μυρίας στρατεύματος

telum paruum & firmum sternit ducem innumerabilis exercitus.

CHARIDEMVM BELLI PERITVM) Diodorus Siculus hoc elogio Charidemum nobilitauit, Charidemus Atheniensis, virtute & artibus Imperatorijs præstantissimus, qui sub Philippo rege meruerat, & omnibus in rebus obeundis princeps & consilio optimus erat.

SATISNE VIDERETVR EI INSTRVCTVS) Eod. ferè modo Demaratũ Lacedæmoniũ, imò exregem Lacedæmoniorũ (de quo Iustinus) Xerxes lustrato ad Doriseũ exercitu appellauit. Sic enim Herodotus: *Vbi aũt & classem lustrauit, egressus naui accersit Damaratũ Aristone natũ comitẽ huius aduersus Græciã expeditionis, eiq; accersito Demarate, inquit, iuuat nunc me, quæ cupio, abs te interrogare, qui & Græcus es, & non ex minima ciuitate, vt audio tũ ex te quã ex alijs Græcis, qui me alloquendi gratia adeunt. Nunc mihi igitur hoc expone. Nunquid Græci sustinebunt manus contra me leuare, nam vt ego opinor, ne omnes quidem Græci ac cæteri mortales, qui ad Hesperum incolunt, si coirent, pares essent nostris armis, nec me inuadentem expectarent.* Demaratus

Audin' vt hic barbarus cęlum territet armis, ϰ̓ τὸν οὐρανὸν ἐξαράσσειν ἐπιχειρῇ, sine incolumis redeat hic Persicus apparatus.

Huic affinis est inanis Antiochi regis Syriæ fastus, qui exercitũ in Romanos paratũ atq; auro argentoque fulgentem Hannibali ostẽdit, percontatus an satis instructus videretur, cui Hannibal Punicè pro ingenio: *Satis, inquit, ô Rex, quamuis hostes auarissimi sint.* Plutar. in Scip. & Hannib. comp.

AT ILLE SORTIS, ET REGVM SVPERBIAE OBLITVS) Oblitus extorrem se exulare & seruum esse eius, cuius gratia viuit, libertate priuatum vt qui ne loqui possit, vel videat quæ velit; reges autem omnium reprehensionum insolentes & impatientes sunt, sed audiamus super hac re Tragicum in Phœnissis. positione. Et Agelli l.5.c.5. elegãter. vide si placet.

Ioc. Τί τὸ στέρεσθαι πατρίδος, ἦ κακὸν μέγα;

Quid' proscribi à patrio solo, est ne magnum infortunium?

Polyn. Μέγιστον. ἔργῳ δ' ἐστὶ μεῖζον ἢ λόγῳ.

Maximum. & maius quàm possit verbis explicarier.

Ioc. Τίς ὁ τρόπος αὐτοῦ; τί φυγάσι τὸ δυσχερές;

Quamobrem? quid est quod exuli sit molestum?

Polyn. Ἓν μὲν μέγιστον, οὐκ ἔχει παῤῥησίαν

Vnum Hercle maximum, quod mutire libere non audeat.

Ioc. Δούλου τόδ' εἶπας, μὴ λέγειν ἅ τις φρονεῖ.

Hoc serui dixti, cui fas non sit dicere quæ sentiat.

Polyn. Τὰς τῶν κρατούντων ἀμαθίας φέρειν χρεών

Dominorum stultitias ferre cogitur

Ioc. Καὶ τοῦτο λυπρόν, συνασοφεῖν τοῖς μὴ σοφοῖς.

Et hoc subleste est, vt insanorum insanias insaniam.

Hæc & his plura Euripides. quibus accinit Sophoclis à Pompeio ad Ptolemæum fugiente

Ὅστις δὲ πρὸς τύραννον ἐμπορεύεται

Κείνου ἐστὶ δοῦλος, κἂν ἐλεύθερος μόλῃ.

Etenim tyranni quisquis intrat in domum,

Fit seruus eius etsi liber venerit.

Enimuero *Omne solum forti patria est vt piscibus æquor.* Ouid.

Charidemus non immemor fortunæ suæ, sed memor se in libera Thesei vrbe natum, maluit vitam quàm libertatem perdere. Salustij orationes parũ oratoriæ.

VERVM, INQVIT, ET TV FORSITAN AVDIRE NOLIS) Hæc prima oratio est Q. Curtij, de qua, vt alijs omnibus, quæ sequuntur, ita sentio, vt existimem nullum esse Curtio parem, aut certè neminem illo superiorem. Salustij orationes leguntur in honorẽ historiæ, vt Quintilian. censet, quasi Liuianæ nobiles.

per

Curtianæ neruolæ. per se indignæ sint quæ cognoscantur. Liuius vnus est qui orationis maiestate Curtium post se relinquit; acumine ingenij & sententiarum neruis Curtius illi vel par est, vel etiam superior.

Demarati oratio. VERVM AVDIRE NOLIS) Cautior fuit Demaratus apud Herodotum, qui iussus dicere sententiam de copijs Xerxis præfari cœpit: *Vtra*, inquit, *apud te rex vtar, veráne an iucunda oratione?* tum rege vera dicere iubente, & nihilominus priore loco apud se futurum affirmante securius dixit quæ sensit, etsi eadem ferè ille de Lacedæmonijs, quæ Charidemus de Macedonibus & Græcis prædicaret. Itaque diuersus vtrumque exitus est secutus, Charidemo veritas odium & mortem attulit, Demarato non obfuit. Vtrumque tamen constantiæ laus & odium adulationis posteritati reddidit immortalem.

Lib. 5. Agathonis nobilis sẽtentia. VERVM AVDIRE) Eleganter apud Athenæum Agatho.

Εἰ μὲν φράσω τ' ἀληθές, οὐχί σ' εὐφρανῶ.
Εἰ δ' εὐφρανῶ τι, οὐχὶ τἀληθὲς φράσω.
Si vera dicam, tibi voluptati haud ero,
Si sim voluptati, haud tibi vera dixero.

NISI NVNC DIXERO) sero monebo, *sera* enim *post bellum auxilia*, tu verò nisi monentem audieris, opes & copias cum Asia & vita amittes.

ALIAS) postea, alio tempore, rebus perditis, frustra consilium ponam, serò mortuis medebor, premenda est occasio, quæ pone calua est. Aliàs, *alio tempore* valet Terentio & D. Augustino in psal. barbarè si pro *alioqui* vsurpes, etsi incertum mihi. infra de hoc plura.

HIC TANTI APPARATVS EXERCITVS) componit phalangem Macedonicam cum Asiaticis copijs, & illam his multis partibus anteponit.

HIC TANTI) Hæc innumerabilis & incondita barbararum gentium multitudo, ab vltimis Orientis oris euocata & coacta, rudis & indigesta inexercitaq; ad bellũ turba terrere possit imperitos rei militaris, finitimosque & barbaros Asianos percellere, Græcos & Macedonas nec quicquam mouebit.

NITET PVRPVRA) Luxum barbaricum infra Curtius ipse oculis subijciet. Hic interpungo, vt me docet sanè peruetus codex è cœnobio S. Vdalrici: *Nitet purpura auroq; fulget armis & opulentia.* quemadmodum & Modio lectum. Iam supra hęc posita.

TOTIVS ORIENTIS) ὑπερβολικῶς, nam suprà dixerat Bactrianos, Sogdianos & Indos, rubrique maris accolas non fuisse ad militiam citatos.

ANIMIS CONCIPERE NON POSSVNT) Splendorem exercitus Persici tantum, tantumque apparatum fuisse, nemo nisi oculatus testis & qui oculis obierit suis sibi poterit persuadere. Ergo Darij copiæ laudantur, aut vituperantur potiùs, tantum à numero, qui visus est esse innumerus; & cultu corporis & equorum. Macedonum verò phalanx à corporum robore & horrido cultu, ab armis, vsu, & scientia rei militaris, cum dicit tot esse duces quot milites, propter rerum bellicarum peritiam. Laudat eandem à contemptu opum, vita dura & aspera, & sigillatim effert Thessalos, Acarnones & AEtolos vti rei equestris experientissimos. Irridet contra fundibularios Darij & sudibus instructos barbaros. Docet ad vltimum quid sentiat agendum, auro nempe & argento in ornamenta & equorum & curruum & procerum impenso, conducendum peregrinum militem ex Gręcia, qui Macedonum Phalangi obiectus pari robore possit obsistere.

CLYPEIS) Clypeus, scutum, cetra, parma, peltæ, si propriè & distinctè loquare, diuersa inter se sunt, poetis tamen & scriptoribus nonnunquam confusa. Clypeus rotundus, scuta oblonga. Liuius:
Lib. 8. *scuta pro clypeis fecêre.* Virgil. *clypeiq; sub orbe teguntur.*
Argolici clypei, aut phœbeæ lampadis instar.
Lib. 12. Am. Marcell. *Iugum tereti ambitur Argolici clypei specie.* Homerus εὐκύκλους ἀσπίδας vocat rotundos clypeos. Scuta Græci θυρεοὺς nominant. Clypei erant magni, vti & scuta, tegebantque ferè totũ cor-
Lib. 24. pus. Ouid. de Vlysse suo Aiacis clypeo latente

13. Metam. ——— *adsum videoq; trementem*
Pallentemq; metu, & trepidantem morte futura
Opposui molem clypei, texiq; iacentem.
Et mox:
Post clypeum latè & mecum contende sub illo.

Cetræ, parmæ, peltæ minores, ea gratia Curtius clypeos Macedonicos contendit cum breuibus cetris Persarum. Cetræ quadrilateres ferè seu ῥομβοειδεῖς, clypei rotundi, vt & parmæ & peltæ.

Cap. 12. Clypeus Macedonicus. HASTISQVE) His armis instruit phalangem AElianus, ἡ δὲ ὅπλισίς ἐστι τῆς φάλαγγος ἀσπίσι καὶ δόρασι &c. *Armatura phalangis constat clypeis & hastis. Clypeus optimus censetur Macedonicus ex ære, non admodum cauus, diametrum habens octo palmarum, hasta non breuior octo cubitis &c.* Hic Sarissas pro hastis accipe, quibus phalangitæ vsi; hastis equites Macedonici; sarissis stataria phalanx. hasta contus est cum ferro, contus sine ferro, vnde contati, hastati.

IMMOBILES CVNEOS ET CONFERTA ROBORA VIRORVM TEGIT. IPSI PHALANGEM VOCANT PED. STABILE AGMEN.) Collige sententiam: Macedonum acies, quam

quam phalangem nominat, torua & formidabilis, teget clypeis & hastis robustissimos viros in phalange confertim firmiterque constantes, quia loco & gradu moueri non possunt. Hæc mens Curtio certissima, quam explano & phalangem explico.

AElianus, Polybius & Liuius nobis phalangem Macedonicam oculis subijcient, Vegetius attingit, nec metam contingit, dum phalanga octo millibus circumscribit.

Vegetiana phalanx dimidia.

Liuius de phalange Macedonica: *Arma clypeus sarissaq; illis. Statarius vterq; miles illa phalanx immobilis & vnius generis.* Idem: *Decem & sex millia peditum more Macedonum armati fuere, qui phalangitæ appellabantur. hæc media acies fuit in fronte in decem partes diuisa. partes eas interpositis binis elephantis distinguebat: à fronte introrsus in duos & triginta ordines armatorum acies patebat.* infra ex Appiano eundem ordinem cognosces. nisi quod Appianus omittat trecentos octoginta, etsi locus ibi videatur esse corruptus.

Lib. 9.
Phalangis Macedonicæ numer. & descriptio.
Lib. 37.

Polybius l. 17. eandē prolixè per partes explicat, ex quo Aelianus nō pauca delibauit, & distinctè enarrauit. Cuius verba trāslata tamen è Græco, ne lector quotidianus horreat peregrinam linguam, principium duntaxat Græcè indigitabo, vt possit locus à studioso Græcarum literarum statim cognosci. Οἱ δ' οὖν οἱ πλεῖστοι τῶν τακτικὰ συγγραψάντων, μυριάδι καὶ ἑξακισχιλίων, τριακοσίων ὀγδοήκοντα τεσσάρων τὴν τῶν ὁπλιτῶν φάλαγγα ἐποίησαν &c. *Quare maior pars eorum qui de ratione instituendi aciem scripsere, è numero XVI. M. CCCLXXXIV. grauis armaturæ militum phalangem composuerunt, quibus accedit dimidia pars velitum, ac dimidia rursum equitum (qui tamen in censum sedecim millium trecentorum octoginta quatuor non veniunt.)* Partitur deinde AElianus phalangem in suos ordines & iuga. *Minima phalangis pars est series seu ordo, qui ex XVI. millibus constat, ex Græcis* [a] λόχος *dicitur. Duos ordines XXVII. aut* [b] διλοχίαν *nominant, & præfectum* διλοχίτην. *Quatuor ordines efficiunt* [c] τετραρχίαν, *quorum dux est τετράρχης, ex geminis tetrarchijs constatur* [d] τάξις, *cuius ductor est Taxiarchus.*

Xiphilinus in Caracolla qui se Augustum Orientalē appellabat, Macedonicā phalangem his armis ornat περὶ δὲ τ Ἀλέξανδρον &c.

Duæ taxes componunt [e] *syntagma siue Xenagiam, cuius tribunus appellatur Xenagus & Syntagmarcha. Syntagma efficit aciem quadratam tetragonon perfectum. Duo syntagmata continent milites quingentos duodecim. quorum imperator audit* [f] *Pentacosiarcha. ex quibus prodeunt ordines XXXII. Duplicatus horum numerus constituit chiliarchiam, cui præest* [g] *Chiliarcha, & continet mille viginti quatuor, Chiliarchiæ duæ explent vnam* [h] *merarchiam, quam regit Merarcha, qui idem est Telarcha, vt &* [i] *Telarchia. Ex duabus Telarchijs existit* [k] *phalangarchia, quæ duplum numerum implet, quæ paret Phalangarchæ siue Stratego, vti & ipsa dicitur* [l] *strategia. Ex duabus phalangarchijs nascitur* [m] *diphalangia, quæ rursum tanto amplius continet, horum Princeps dicitur Diphalangarcha. Idem agmen nunc pars, nunc cornu appellatur. Duæ Diphalangiæ tandem complent phalangem Macedonicam,* [n] *quæ constat decies sexies millibus trecentis octoginta quatuor. Extra ordinem numerantur signifer, tergiductor, tubicen, minister, præco. Ex quibus colligis in iusta phalange Macedonica esse cornua duo, Phalangarchias quatuor, Merarchias octo, Chiliarchias sedecim, Pentecosiarchias XXXII. Xenagias LXIV. Taxiarchias CXXVIII. Tetrarchias ducentas LVI. Dilochias D.XII. Ordines seu series* [n] *mille viginti-quatuor. Cornu dextrum est fortissimum & principem habet honorem, proximum est sinistrum, deinde media acies tertia & quarta.*

Series ordo.
a XVI. λόχος.
b XXXII. διλοχία.
c LXIV. τετραρχία.
d CXXVIII. τάξις.
e CCLVI. σύνταγμα. ξεναγία.
f DXII. Pentacosiarchia.
g MXXIV. chiliarchia.
h MMXLIIX Merarchia.
i Telarchia.
k Phalāgarchia IV. M. XCVI.
l Strategia.
m Diphalāgia. VIII. M. C. XCII.
n CCIↃↃ. IↃↃ. CIↃ. CCCLXXXIV.

[o] *Viritim ita consistunt in acie, vt miles occupet cubitos quatuor, siue sex pedes. densatus cubitos duos, seu tres pedes. hærere clypeis militum, vnum, siue sesquipedem.* Hæc omnia mirificam Curtio adferunt lucem. Adde ordinum (quos series siue λόχους dicunt) ductores in fronte pro more phalangis collocatos, occupare quater mille nonaginta sex cubita hoc est, stadia decem, & nonaginta sex cubita. quadringenta cubita stadium vnum efficiunt. Octo stadia quartam partem milliaris Germanici, nam XXXII. stadia implent nostras milliarium. Si densentur, dimidiam longitudinem explebunt hoc est, quinque stadia, cubita quadraginta octo. Si clypeatim hæreant, sesqui tertium stadium, cubita viginti quatuor.

Phalanx Macedonicæ.
o Quantum singuli in phalange spacij occupent.

Hæc ergo est phalanx Macedonica; redeamus nunc ad Curtium, & quæramus cur [p] phalangem appellet immobiles cuneos, vti & Liuius immobilem phalangem & stabile agmen, cum paulò post subiungat omnes esse ad nutum monentis intentos, & sequi signa, circuire, discurrere in cornu, mutare pugnam: Hic enim pugnare in se videtur Curtius. Immotos ergo Cuneos, siue immobilem phalangem appellat cum densantur, ita vt non possis vir in acie se conuertere, nisi tota acies & phalāx simul moueatur, cum singuli non nisi duos aut etiam vnicum cubitum soli, præsertim si clypeis iungantur, occupent, & hos vocat immotos cuneos, seu stabile agmen, densatum nēpe, quod ipse mox explicat cum addit: *& conferta robora virorum, vir viro, arma armis conserta sunt.* Hæc est illa inuicta & torua acies, quam & Polybius, & ante Polybium Homerus omnium primus descripsit.

p Immobilis phalanx cur dicta.
Iliad. 13.

Ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ.
Ψαῦον δ' ἱππόκομοι κόρυθες λαμπροῖσι φάλοισι
Νευόντων· ὡς πυκνοὶ ἐφέστασαν ἀλλήλοισι.
Scutum scuto hasit, galea galea, atque viro vir:
Et Crista è conis tangebant se inuicem equinea
Nutantum: serie vt densa pressere virum vir.

Poly-

Phalãgis in uictu robur

Polybius verò magnificè de ead. phalange conserta ὅτι μὲν ἔχθρης &c. *Enimuerò*, inquit, *perspicuum est multis rationibus retinente phalange suam integritatem & vires nihil quicquam posse reperiri, quod à fronte ei possit resistere, aut eius incumbentis impetum sustinere valeat. Quoties densatio fit acies ad certamen, consistit vir vna cum armis in trium pedum spatio. Sarissæ verò longitudo, vt quidem vetus institutum erat, cubitorum est sedecim (nempe viginti quatuor pedum) sed vt postea ad veram pugnam fuit aptata, quatuordecim. Huius porrò mensuræ quatuor absumit cubitos spacium inter manus ambas, vna cum libramento posticæ partis, vltra illud quod prætẽditur. Quæ cum ita sint, liquet sarissam cuiusq; armati, quãdo ambabus manibus in hostes illam porrigit, cubitos decem vltra eius corpus necessariò protendi. Vnde fit, vt secundi & tertij ac quarti ordinis siue iugi, sarissæ plures cubitos, quinti verò duas tantum protendantur ante præcedentium ordines, si modò phalanx suo numero & integritate constet, & conuenienter sibi densata sit, ratione cuiusque armati siue pone, siue ad latus stantis.* Hæc Polybius; qui deinde ostendit ante singulas quinque sarissas à fronte fuisse protensas, quod verissimum esse iam ex priore sarissarum descriptione, & densatione primi iugi atque sequentium constat. Docet prætereà quid posteriores *ordines & versus, seu iuga, profuerint phalangi, cum hostẽ non attingerent, quomodo protensione sarissarum tela ab hostibus immissa defenderint, quomodo connixu corporis aciem iuuerint, & ne primi vlla ratione fugere possent, effecerint. Concludit demum nullam aciem tam firmam esse posse, quæ impressionem phalangis à fronte sustinere queat. Quomodo ergo, inquis, à Romanis victi fuere Macedones, cum regnum Macedonum victo Perseo in prouinciam redegerunt? Quia tempora, & loca belli, & præliorum sunt incerta. phalangis autem ratio, & tẽpus, & locus, & modus vnus est, quo suam exercere vim possit. Nam si phalanx, vt de tempore taceam, loco & spacio & campo careat, inutilis est. Romani autem se periculo non committebant, vt cum phalange iustè instructa & opportunè collocata manus consererent, sed pro suo, non hostium commodo & loco & tempore decertarunt. Prætereà legiones Romanorum ita erant compositæ, vt quouis loco, tempore, occasione in pugnam possent descendere, hostem circumuenire, viritim pugnare, aliaque commoda sibi plurima parabant, quibus hostem superarent. Disputat & Liuius hac de re copiosè, cum Macedonica arma cum Romanis, & Alexandrum ipsum cum ducibus componit, de quibus aliò loco dicemus. Constat ergo phalangem Macedonicam, locum & spacium idoneum nactam, planè formidabilem fuisse, ita vt L. AEmilius Paulus Consul & victor Persei attonitus primum spectauerit agmen Macedonicum, quemadmodum ex Polybij fragmentis disco, quod huc appono & interpretor. Λεύκιος δὲ ὁ ὕπατος οὐχ ἑωρακὼς φάλαγγα τὸ παράπαν, ἀλλὰ τότε πρῶτον ἐπὶ τοῦ Περσέως ἀνθωμολογεῖτο πρός τινας τῶν ἐν τῇ Ῥώμῃ μηδὲν ἑωρακέναι φοβερώτερον μακεδόνων, φάλαγγος καίτοιγε πολλοὺς οὐ μόνον τεθεαμένος, ἀλλὰ καὶ κεχειρικὼς ἀγῶνας, εἰ καί τις ἄλλος: *Lucius Consul nunquam ante visa nisi sub Perseo demum, demum Macedonica phalange, sæpenumerò Romæ apud suos fatebatur, nihil se vnquam quicquam formidabilius spectasse Macedonum phalange, quamuis & multas acies viderit, & multis ipse prælijs decertauit.* Vtebantur phalange Macedones, Græci, Dardani, Galli, Germani, qui & hodie phalangitas in aciem producunt.

Sarissa lõga pedes 24 re[illegible] postea 21.

*XXVII.

Romani quomodo vicerint phalangem Macedonicam.

Lucij consulis dictũ de Macedonica phalãge.

Signa militaria φωνικὰ ἢ ὁρατά.

Ad nvtvm monentis intenti) signa quibus miles in acie iubetur se mouere, sunt vel φωνικά, vel ὁρατά, hoc est, sonantia quæ audiri possunt, vel muta quæ possunt videri. Adeo exercitatos fuisse Curtius docet Macedones, vt nutum etiam suorum ducum intelligerent, & ad illum pro vsu rei se conuerterent. Vt autem vocalia præcepta ductorum caperent, indicebant silentium, quod ab Homero quoque expressum est Iliad. 2. 3. 4. quem tute consules. Ἡγεμόνες δὲ μάλιστα. Et Τῶν δ' ὥς τ' ὀρνίθων. Et Αὐτὰρ ἐπεί, &c.

Præcepta ducum in acie.

Præcepta erant breuia, præsertim in conflictu, qualia expressit AElianus: *Concurre ad arma, Ne deponas arma. Lixæ & Calones secedant vnà cum impedimentis. Animum aduertat quisque ad ea, quæ imperantur. Suscipe, Recipe, Recede, Erige sursum hastam, Ordinem serua series, In iugo persiste, Respice ducem. suam seriem quisque seriei ductor regat, Interualla omnes seruanto, Hastam versus declina, Accede, sic tete habe, In rectum te restitue, In Clypeum declina, Accede, consiste, Hastam versum muta teipsum. Latitudinem duplica, Restituere, Redi in primum statum, Laconicam euolue, Restituere, Choricam euolue, Restituere. Hastam versus te conuerte, Restituere: Ad hastam reflecte, Restituere.*

φωνικά.

Vocalia sunt etiam classica, tubæ, cornua; muta sunt vexilla, alites, vestes à contis suspensæ, ducũ nutus, qui manibus fiunt, & hoc genus alia.

Ciuis vite, peregrinus fuste mactabatur. Liuius 2. Diod. 12 Epitom. Liuij c. 8. Vegetius l. 2. c. 26. Polyb. & Lipsius de mil. Rom.

Ordines servare) grauissima enim pœna ordinum desertores manebat, si quis stationem in præsidio, vel locum in acie deseruisset, aut profugisset. Ea denique ratio apud Romanos seruabatur & hodie seruatur.

Omnes exavdivnt) adeo taciti expectant Imperatoris sui præcepta. Interim Charidemus vult Darium docere in tanta multitudine id nullo modo fieri posse. Macedones autem statim arripere imperata & exequi, siue iubeat obsistere, siue circuire, siue in cornu discurrere, siue pugnã mutare.

Obsistere) omni ope obniti, & densata clypeis phalange simul in hostem velut vna mole incumbere.

Cir-

CIRCVIRE) posis intelligere ἐπιστροφὰς apud Græcos triplices, vel potius sextuplas, trigeminas enim cernis apud AElianum ἐξ ἀρχῆς ἐπ' ἀσπίδα, à primo statu ordinis ad clypeum, hoc est κλίσις, seu declinatio conuersioue à primo habitu ad sinistram circuitio, Et totidem circuitionibus obuertebant se ἐξ ἀρχῆς εἰς δόρυ, hoc est, ad hastam seu dextram partem. Possis tamen illud *circuire* accipere pro circumuenire tota phalange hostem, vt infra à Curtio vsurpatur. Cæterum conuersiones sunt duplices seu ad dextram, seu sinistram, cum vel viritim tantum vertuntur, vel toti simul ordines & agmina. Conuersiones in acie variæ. Circuitiones.

DISCVRRERE IN CORNVA) Cornua erant duo, dextrum, quod & princeps; sinistrum alterum; constabat vtrumque è lectissimo milite, eratque robur totius phalangis adeoque exercitus vniuersi. Firmabantur autem cornua cum ex subiectis & inferioribus ordinibus series aliquot iubebantur ad cornua transire, vt essent ordines bis mille quadraginta octo, cùm primum tantum fuissent mille viginti quatuor, & hoc duplici fiebat nomine, velut hostes circumuenirentur. qua de re copiosè AElianus, qui & rationem mutandi exercitus eruditè docet.

DISCVRRERE) Codices veteres quos vidi, omnes hunc locum ita interpungunt: *Obsistere, circuire, discurrere, in cornu mutare pugnam, non duces*, &c. Vnica Modij editio aliter distinguit, & illud *discurrere* coniungit cum illis *in cornua*, & separat illa *mutare pugnam*, quæ mihi non displicet, si fulciatur auctoritate, quam forte ex codicibus MS. accepit. Quod si illud *discurrere* separes à *cornu*, accipies verbum de conuersionibus duabus in dextrum latus & sinistrum, seriatim non viritim. Ego coniungo & lego *discurrere in cornu*, vti Modius habet.

MVTARE PVGNAM) Mutatio Græcis μεταβολὴ dicitur, cùm vel singuli viritim à tergo in faciem vertuntur, vel tota acies simul vt nauis circumagitur, vt primi ad vltimos circumagantur, & vltimi primorum occupent locum. Sed ita vt habitus exercitus sit idem qui ante ordinibus totis circumactis. Omnis μεταβολὴ duplicem habet conuersionem seu κλίσιν, prima est cum series ad latus seu dextrum seu sinistrum vertitur: secunda cum à latere in tergum circumagitur. Vtraque rursum duplex vel ab hoste, vel ad hostem. Cum viritim mutantur, appellantur μεταβολὴ seu mutatio; cum tota acies flectitur, περισπασμὸς appellatur. Plura AElianus c. 25. Mutatur autem necessario pugna cum hostis vel à latere, vel à tergo, vel ex obliquo occurrit, tum enim phalanx vel πλαγία, hoc est transuersa, vel ὀρθία recta, vel λοξὴ obliqua instituitur. Exempla tabulis expressit Robertellus. Mutatio pugnæ.

NON DVCES MAGIS QVAM MILITES CALLENT) Non abit à Curtio Iustinus, qui militi Alexandri hoc elogium condidit. *In exercitu eius* (cum traiecit Hellespontum) *fuere XXXII. millia, equitum quatuor millia quingenti, naues centum octoginta dua. Hac tam parua manu vniuersum terrarum orbem, vtrum sit admirabilius, vicerit, an aggredi ausus fuerit, incertum est: cum ad tam periculosum bellum exercitum legeret, non iuuenes robustos, nec primum florem ætatis, sed veteranos plerosq; etiam emerita militia, qui cum patre, patruisque militauerant, elegit: VT NON TAM MILITES quam magistros militiæ electos putares. Ordines quoque nemo nisi sexagenarius duxit, vt si principia castrorum cerneres, senatum te alicuius priscæ Reipub. videre diceres. Itaque nemo in prælio fugam sed victoriam cogitauit, nec in pedibus vnquam spes, sed in lacertis fuit.* Elogium exercitus Alexandri. Miles Alexandri senatui Reip. similis.

QVEM OCCVPANT SATIAT) Alij: *quem occupati parant*, vtraque scriptura iustum habet intellectum, nam occupati vel studijs vel litterarijs, vel militaribus, vel vrgentibus Reipub. negotijs, parum de lautitijs & peregrina dape cogitant. Itaque proximum arripiunt, quod inueniunt opsonium. Nec ipse Alexander tum lautus. *Fuit*, inquit Plutarchus, *gulæ temperantissimus. quod cum alijs signis ostendit, tum fuit ad Adam verbis, quam matrem adoptauerat, & Cariæ designauerat reginam. Nam cum comiter illa multa, quotidie fercula & bellaria mitteret, coquos denique & pistores, quos putabat intelligentissimos, nihil ait bis sibi opus esse, meliores se habere coquos à pædagogo donatos Leonida ad prandium iter antelucanum, ad cœnam exiguum prandium.* Alexandri lautitiæ exercitationes & sobrium prandium.

Itaque si legas *quem occupant*, explicabis, quem primum inueniunt, in quem incidunt, & Plutarchus de ipso Alexandro quam primum herbam offendit, fame vrgente comedit.

Hæc altera pars est orationis, qua vt dixi domesticam & quotidianam Macedonum viuendi disciplinam celebrat, pauperatem, inquam, auitam, vitæ elegantioris & mollioris neglectum. nempè cibum parabilem obuium & terrestrem, lectum non alium, quàm quem natura humi strauit, somni desiderium ante finitam noctem expletum. Affirmat seueram viuendi Macedonum disciplinam etiam Polyænus l. 4. in stratag. Philippi. Philippus inquit, in exercitu magnæ existimationis quendam Tarentinum quod calidis balneis vsus esset imperatoris munere ac dignitate priuauit, inquiens: Nescire mihi videris Macedonum consuetudinem ac mores, apud quos nec mulierem quidem puerperam aqua calida lauari videas. Eadem ratione commendat suos Lacedæmonios exul Demaratus à paupertate: Τῇ Ἑλλάδι πενίη μὲν αἰεί κοτε σύντροφός ἐστι, ἀρετὴ δὲ ἔπακτός ἐστι ἀπό τε σοφίης κατεργασμένη καὶ νόμου ἰσχυροῦ, & quæ ibid. apud Herodotum sequuntur. *Græcia semper*, inquit, *alumna quidem fuit paupertatis, & hospita virtutis, quàm à sapientia acciuit, & à seuera disciplina, quam vsurpans Græcia & paupertatem tuetur & dominatum.* descendit deinde speciatim ad Lacedæmonios. Nihil ita firmat exercitum, ac disciplina sobriæ vitæ, nihil adeò exhaurit robur militis atque luxus & volu- Macedonū seuera viuendi disciplina. Herodotus

3. Decade li. 3 siue 23. voluptates. Et Hannibalis exercitus ante pugnam Cannensem bonis inexpertus & insuetus, tum demum cœpit vinci, cum in Hibernis Capuanis captus delitijs & fractus epulis, somno, scortis à seipso victus exiit in campum: vt Liuius narrat.

IAM THESSALI EQVITES) Sequitur elegans ironia, qua irridet Charidemus funditores & contatos barbarorum, extollitque equitatum Thessalonicum, Acarnanum & AEtolorum, atque illos his, impares esse armis & viribus. Ergo si cogitet Darius vincere, paria arma comparet quæ Alexandro opponat. Iam, inquit, Charidemus, tu Dari Thessalorum & Acarnanum & AEtolorum equestrem aciem fundis & contis fundes: nempe cum locusta bouem pariet, nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, nisi paria paribus retundas.

Equitatus Thessalorũ laudatissimus. Cæterum equitatus Thessalorum omnibus sæculis fuit laudatus. Primum Herodotus Thessaliæ equos celebrat, vbi à Xerxe curule certamen institutum tradit, Thessaliam verò ipsam paulò ante totam copiosè descripserat. Herodoto accinit Statius 6.

Quin & Thessalicis felix Admetus ab oris
Vix steriles compescit equas, centauria dicunt
Semina (credo) adeo sexum indignantur & omnis
In vires adducta Venus, noctemq; diemque
Assimilant, maculis internigrantibus albis.

Li. 1 Theb. *Lutatius. Pausanias verò equestrem Thessalorum martem prædicat in Phocicis: Placidus *Lactantius ad Statij versum è Theb.

——iam inde iugo luctatur Arion.

Hic, inquit, *Arion natus est Neptuni munere, & Terra equus nimia velocitatis, quem nunc Adrastus currus iunctum ducebat ad bellum.* Alij dicũt filium ipsius Neptuni Pelopi donasse, à Pelope ad Adrastum venisse. Cum igitur adhuc ignotus esset equorum vsus mortalibus, & horum animalium natura egeret terra, Neptunus remediaturus humanos successus, virtutibus ac potentia in Thessalia terram tridente percussit, subitoque, mirum dictu, solo prosiluerunt duo equi, scilicet Scyphos, & Arion. Inde optimæ naturæ equi Thessalici per orbem feruntur. Fabula originem inde traxit, quod Neptunus auctor artis equitandi haberetur. Vnde porrò habuerit Alexander Thessalicum equitatũ, facilè ex Trogo seu Iustino discis, quando pater Alexandri Philippus Thessaliam inuasit, propter equitatum suis copijs coniungendum: *Hinc Thessaliam, non prædæ cupiditate, sed quod exercitui suo robur Thessalorum equitum adiungere gestiebat, nihil minus quam bellum metuentem improuisus expugnat: vnumque corpus equitum pedestriumq; copiarum inuicti exercitus fecit.*

Fabula de primis equis.

Adagium. Nata est parœmia. ἐπιγενεῖται ἵππος θεσσαλική. *Decernetur equa Thessalica.* parœmiographos consule.

Curtius noster infra virtutem Thessalorum collaudat, præsertim in prælio ad Issum commisso, vti & Plutarchus: *Ingenti præda ibi Thessali equites potiti sunt (hos enim illuc, Gazam, quod eorum opera fortissima vsus in prælio fuisset, ex composito, quo ditescerent, misit.)*

ACARNANES) Acarnania extra Isthmum Corinthium vicina AEtolis, Epiri regio fortes viros aluit. Actium Colonia Augusta in ipso ore est Acarnaniæ, vbi Antonium vicit Augustus. Quã porrò fuerint bellicosi Acarnanes, ex vno illorum facto, posterius quidem facto, sed vnde tamen gentis exiguæ ingentes animos, ex Liuio lib. 26. discas. Auctor est in promptu. Ego initium pro indice ostendam: *Scopas vbi profectum &c.*

AETOLIQVE INVICTA BELLO MANVS) Aetolia magna gens Græciæ, & potens pollensque armis, ausa cum Romanis etiam bello decernere. quod Liuius, quem leges, copiosè tractat.

FVNDIS) Eleuat quidem Curtius funditorum glandes & lapides, sed longè alia alijs mens est & Fundarum vis. calamus. *Sæpè enim* (inquit Vegetius) *aduersum bellatores cassidibus, cataphractis, loricisq; munitos, teretes lapides de funda vel fustibalo destinati sagittis sunt omnibus grauiores: cum membris integris lethale tamen vulnus importent, & sine inuidia sanguinis hostis lapidis ictu intereat.* Et Virgilius, quem primum laudatum oportuit:

Et media aduersi liquefacto tempora plumbo
Diffidit, ac multa porrectum extendit arena.

Habes & in sacris monumentis Goliathi gigantis molem funda à Dauide prostratam. Diodorus Si-
Funditores ἀνυποστά-τοι qui. culus etiam subscribit: τοὺς τεθυρεοὺς καὶ τὰ κράνη καὶ πᾶν σκεπαστήριον ὅπλον συντρίβουσι. *Et scuta & galeas, & omne armorum tegumentum perfringunt.* Celebrantur sacris literis Gabaitæ quod destinatum pilum tetigerint, tanta vis erat volantis per aera plumbi, vt non secus ac Martiobarbuli ignescerent.

Lucretius: *——plumbea vero*
Glans etiam longo cursu volitando liquescit,
Lib. 6. *Non secus exarsit, quàm cum Balearica tumbam*
Funda iacit: volat illud, & incandescit eundo.

Lucanus: *Inde faces & saxa volant, spatioq; solutæ*
Aeris, & calido liquefacta pondere glandes.

Seneca. *Aëra motus extenuat, & extenuatio accendit. Sic liquescit excussa glans funda, & attritu aëris velut igne distillat.*

Stri-

——stridentia fundâ Statius 5.

Saxa pluunt. volucres imitantur fulgura glandes.

Quin & longiſsimè telum porrigit, ſexcentos pedes fundæ iactum extendit Vegetius, adeò vt Strabone teſte funda ſagittam ſuperet, quam ait τὴν σφενδόνην μακροβολωτέραν τοῦ τόξου, longius iacere fundam quam arcum. Idem Dio, idem Xenophon teſtatur.

Fiebant ex lino vel ſetis (vel aluta etiam) hoc modo: faſcia in medio latior paulatim gracileſcebat in funiculum ex vtraque parte, cuius extrema capita funditor manu capiebat, & alterum aptatum induebat digitis; alterum liberum, vt mitti poſſet, ſaxum aut glandem plumbeam in medio fundæ ponebat, dein circumacta ſemel aut iterum funda vibrabant quo deſtinarant lapidem. Baleares, vt quibuſdam repertores huiuſteli, ita à puero ſe exercebant. Sic enim Vegetius: *Fundarum vſum primum Balearium inſularum habitatores & inueniſſe, & ita peritè exercuiſſe dicuntur, vt matres paruos filios nullum cibum contingere ſinerent, niſi quem ex funda deſtinato lapide percuſsiſſent.* Hæc paulò fuſiùs de funda, quod alioqui infrà ſæpè funditores recurſuri lectorē imperitum ſint tacturi. Habitum & figuram funditoris Balearis cum ſeruo dabit Lipſius ſpectandam in Analectis ad Militiam Rom. & *Stevvechium ad Vegetium, vbi funditor tres gerit fundas, vnam manu, alteram pro faſcia pileari, tertiam ab humeris torquis modo pendentem. [Fundæ deſcriptio.] [pa. 235.]

Pari robore) paribus armis, viris, animis, arte militari.

In illa terra) In Græcia, Theſſalia, Acarnania, AEtolia, Sparta.

Argentum istud) quod in pompam, cultum corporum, armorum ſplendorem, veſtem pretioſam, currus & iuga equorum impendere ſoles, in mercenarium militem è Græcia euocandum confer. Atque hæc ſuaſit Charidemus apud Curtium, Diodorus Siculus addit ſuaſum à Charidemo, vt ducem aliquem præſtantem eligeret, cui non plus centum millia aſſignaret, eaque in re ſuam operam pollicebatur, ac bellum perpetraturum profitebatur. Atque hoc conſilium Dario quidem placuiſſe, ſed purpuratis eius omnia alia viſa, quod Charidemus adminiſtrationem belli eo animo videretur petere, vt exercitum Alexandro proderet; adeoque regem à Satrapis inductum, vt morti Charidemum obijceret.

Erat Dario mite ac tractabile ingenium nisi s. n. p. f. corrump.) Vero verius eſt, reges ægrè verum audire. Mouerant tamen Darium Charidemi verba, vt Diodorus eſt auctor, ſed ab amicis deterioris cōſilij auctoribus à ſacra linea depulſus ſe permiſit fortunæ, quam in poteſtate non habuit.

Mite) Infrà l. 5. preces deinde ſuppliciter *admota* (à proditoribus Nabazane & Beſſo) *Darium natura ſimplicem & mitem non credere modo qua affirmabant, ſed etiam flere coēgerunt.* Et mitem fuiſſe cognitum erat, cum Bagoam chiliarcham ſibi venenum parantem eodem poculo necaſſe, quod ſibi propinare ſceleratus cogitaſſet, contentus, nullis cruciatibus corporis alijs parricidam torſit.

Nisi suam naturam plerumque fortuna corrumperet) Omnia quæ vidi exemplaria hanc ſcripturam laudant. Modius tamen pro *ſuam* emendat *etiam*, & ineptiſsimam editorum pronunciat lectionem. Acidalius contra, nec ineptam, docet, & omninò retinendam propugnat. Pro Modio videtur primum expeditus ſtare intellectus ſententiæ, deinde Curtius ipſe, qui mox infrà eandem ſententiam reponit paululum immutatam, cum dicit: *documentum eris poſteris, homines cum ſe permiſere fortunæ, etiam naturam dediſcere.* Non damno Acidalium, *ſuam* enim interpretatur, quamcunque fortuna nacta ſit, nunquam enim fortuna ſine ſua aliqua natura eſt, corrumpit ergo ſuam naturam, in quam incidit. Qualecunque etiam ſanum ſanctumque ac mite ingenium fortuna deprehenderit, violat ac vitiat, ſiue ſecunda ſiue aduerſa, non ſemper, ſed plerunque. Vitam enim regit fortuna, rarò ſapientia, vt proinde queratur ſapiens poëta [Modij lectio.] [Acidalij.] [Liuius l. 22 *ſua quiſq; fortuna domi auctorē expectet.* Et Curtius, in communi calamitate ſuā quiſq; habet fortunā, ita vterq; ſe tueri poteſt exemplis.]

——ὡς ἀδικοῦνται μὲν φύσις
Ἀποδῶ λ σεμνὸν, τοῦτο δ' ἡ τύχη κακόν

Quam indignum eſt egregia naturæ munera à fortuna corrumpi
Quem nimium fouet ſtultum facit. & immoderata eſt in bono aquè atque in malo.

Multa ſæpè de fortuna infra Curtius.

Nisi etiam) Curtio hæc virtus eſt ſingularis, vt nobiles vibret ſententias, & loco; vt natæ non elaboratæ videantur.

Fortuna corrumperet) Suppetunt multa regum & Imperatorum documenta, qui ex bonis naturæ ſeminibus in praua declinarunt. Potētia enim impotentiā gignit. Optimus primis annis fuit Tiberius, deterrimus poſtremis. Clementiſsimus initio Nero, dementiſsimus & immaniſsimus in progreſſu & fine. Herodes, Philippus proximus ab vltimo Macedonum, Dionyſius Siciliæ minor, alijque exordia regnorum mitiſsimè ingreſſi, egreſſi cuncti ſæui, immites.

Veritatis impatiens) Planè olim vt Tertullianus docet, olim veritas odio eſt. Et verum, inquis, amo; verum mihi dicite, de me. Qui pote? vis dicam? Veritatis impatiens es), non feres teneras auriculas mordaci vero radi. Moleſta veritas eſt, ſiquidem ex ea naſcitur odium. ſed multo moleſtius eſt obſequium, quod peccatis indulgens præcipitem amicum ferri ſinit. Maxima culpa

in eo est, qui veritatem aspernatur, & in fraudem obsequio pellitur. Charidemo mens fuit, qualis illi apud Euripidem in Telepho,

--- οὐδ' εἰ πέλεκυν ἐν χεροῖν ἔχων
Μέλλοι τις εἰς τράχηλον ἐμβαλεῖν ἐμὸν
Σιγήσομαι, δίκαιά γ' ἀντειπεῖν ἔχων.
---haud enim securim si manibus tenens
Aliquis, ceruici esset incussurus mea,
Conticerem, iure si contradicere possem.

HOSPITEM AC SVPPLICEM) Sancti enim sunt hospites, & nulla occasione violandi.

ξένον ἀδικήσῃς μηδέποτε κερδὸν λαβὼν
ξένοις ἐπαρκῶν, τῶν ἴσων τεύξῃ ποτέ.
Vt hospitem tractaueris, tractabere.

SVPPLICEM) Exulem Atheniensem Alexandri iussu proscriptum, ad Darij fidem confugientem.

TVNC CVM MAXIME VTILIA SVADENTEM.) Editi codices illud *cum* prætereunt omnes, Modius ex MS. reor apposuit. Valet hic, *quàm*, ac si diceret Curtius, tum quàm maximè vtilia suadentem, iugulari iussit. cùm maximè ergo, pro nimis valdè. Cic. pro Cluentio; *quã multos annos hunc, nunc cum maximè interfectum cupit.* Sic coniungitur cum, *vt*, vt cum maximè, de quibus phrasiologi. Ego cum Curtio progredior.

ABSTRAHI IVSSIT AD SVPPLICIVM.) Interfici iussit. Diodorus de nece Charidemi: *Mouerant regem eiusmodi Charidemi verba: sed regis amicis diuersa, qua plus dignitatis habere videbantur, censentibus, atque eam de Charidemo suspicionem Dario iniicientibus, quod belli administrationem sibi demandari cupiebat, vti res Persarum Alexandro proderet: concitus ira Charidemus, Persis ignauiam & timiditatem apertè cœpit exprobrare. Per qua factum est, vt rex offensus zona comprehensum, quod est mos Persarum, apparitoribus interficiendum traderet.*

Miror hunc notabilem morem zona prendendi reos præteritum à Brissonio de regio Persarum principatu.

Nescio quid sit, cum Arrianus accuratissimus scriptor nihil de Charidemi cõsilio, & nece tradiderit. An vt rem minoris momenti neglexit? Atqui Charidemus nec postremus fuit inter Persarũ proceres, & primus ferè olim inter Athenienses. Nempe nemo vnus meminit omnia.

ILLE NE TVM QVID. LIB. OBLITVS) quia Atheniensis, quia contemptor mortis, vt ille Demochares inter legatos ad Philippum ab Atheniensibus missus, vt quædam à Philippo impetrarent, & ille postulatis omnibus annuisset, adiecissetque se etiam aliqua in re illis gratificaturum, si quid peterent. Ita verò, inquit Demochares, gratificaberis nobis si te suspenderis. Vides dignum cruce & rogo responsum à libertate Atheniensium profecta. Nec tamen Philippus, qua erat modestia, tam atrocem iniuriam vltum iuit.

SVBITO MVTATVS) vt Dionysius, quem Isocrates vltima epistola conatur reuocare ad modestiam. Iam supra principum certorum mores cum fortuna mutatos docui.

NATVRAM DEDISCERE) illustris gnome, quam supra, vt dixi, alijs verbis expressit. Sed hic locus aliter in aliis codicibus reperitur, qui pro naturam dediscere rescribunt, *à natura desciscere.* Vtraque lectio commoda & elegans, vt eleganter obseruauit Acidalius, tum enim à se quisque desciscit, cum se totum alteri permittit. Exit è sua, qui transit in alterius potestatem. Naturam suam exuit, cum induit alienam, quæ omnia cadunt etiam in priorem lectionem.

DOCVMENTO ERIS) Exemplo eris. documentum pro præcepto nondum legi, vt si dicas, documenta quædam vtilia, ad vitam cum virtute agendam, non, inquam, latioè hic, etsi olim putauimus & scripsimus. Cæterùm quàm multos possemus proferre ex memoria antiquitatis & sequẽtis æui, qui bona ingenia in principatu deprauarunt, & acerbis fatis oppressi posteritatem docuerunt, non correxerunt.

SERA POENITENTIA) quia mortuis mederi serum est, & aquam cineri infundere. παρὰ τὰ δεινὰ φρονιμώτερος erat Darius, post factum sapuit. Regibus conscientiæ tormentum omni supplicio grauius pro pœna est. potes adire Gruteri commentarios prolixiores ad loca Taciti illustria. *Facinorum recordatione nunquam timore vacuus.*

pag. 78. 79. 80 & seqq. vsque ad pag. 87.

Sed quamobrem Diodorus ait Charidemum propter intempestiuam loquendi audaciam pœnas dedisse, cum hæc audacia vel maximè tempestiua fuerit, mòx sera & intempestiua, si tacuisset, futura, vt verè Curtius narrauit, & ipse Darius vera dixisse Charidemum fassus seipsum, positis irarum fluctibus, grauiter facinoris impotenter commissi, teste etiam Diodoro, incusarit. Intempestiua ergo fuit Diodori reprehensio, non Charidemi oratio.

CAPVT

CAPVT VI.

ARGVMENTVM.

Darius Thymondam conducto Græcorum militi præficit, Pharnabazum Memnoni sufficit. Explicantur somnia & omina Darij.



Hymodes erat Mentoris filius, impiger iuuenis, cui præceptum est à Rege, vt omnes peregrinos milites, in quos plurimũ habebat spei, à Pharnabazo acciperet, opera eorũ vsurus in bello. ipsi Pharnabazo tradit imperiũ, quod ante Memnoni dederat. Anxium dein instantibus curis, agitabant etiam per somnum species imminentium rerũ, siue illas ægritudo, siue diuinatio animi præsagientis accersit. Castra Alexandri magno ignis fulgore collucere ei visa sunt: & paullo post Alexander adduci ad ipsum in eo vestis habitu, quo ipse fuisset: equo deinde per Babylonem vectus, subito cum ipso equo oculis esse subductus. Ad hæc vates varia interpretatione curam distrinxerant: alij lætum id Regi somnium esse dicebant, quod castra hostium arsissent, quod Alexandrum deposita regia veste in Persico & vulgari habitu perductum esse vidisset. Quidam non ita augurabantur: quippe illustria Macedonum castra visa, fulgorem Alexandro portendere, quem regnum Asiæ occupaturum esse, haud ambigere: quoniam in eodem habitu Darius fuisset, cum appellatus est rex. Vetera quoque omnia, vt fit, sollicitudo reuocauerat. Darium enim in principio Imperij vaginam acinacis Persicam iussisse mutari in eam formam, qua Græci vterentur: protinusq; Chaldæos interpretatos, imperium Persarum ad eos transiturum, quorum arma esset imitatus. Ceterùm ipse & Vatum responso, quod edebatur in vulgus, & specie quæ per somnum oblata erat, admodum lætus, castra ad Euphratem mouere iubet.

THYMODES) Apud Arrianum & Curtium inconstanter nunc Thymondos, nunc Thymodes appellatur, fuit perfuga. Arrianus Amyntas Antiochi, & Thymodes Mentoris filius & Aristomedes Pheræus, & Bianor Acannan omnes transfugæ ξύμπαντες αὐτόμολοι. De Thymode & Amynta infra copiosè, vbi illorum interitus in AEgypto narratur.

OMNES PEREGRINOS) Græcos mercede conductos robur exercitus Darij: sic & infra Curtius: *Iamq; Græci milites quos Thymodas à Pharnabazo acceperat, præcipua spes & propemodum vnica ad Darium peruenerat.*

ANXIVM DEIN INSTANTIBVS CVRIS, AGITABANT ETIAM PER SOMNVM SPECIES IMM. RERVM) Idem somnium narrat Plutarchus in Alexandro. Locus hic variè scribitur. Anxium de instantibus agebant, seruo Modij lectionem.

SIVE ILLAS AEGRIT. SIVE DIVIN. PRAES. ANIMI ACCERSIT) Omnes passim veteres ac recentes scriptores coniurant somnia alia diuina, alia naturalia esse, quod & vera religio profitetur. Diuina alia vera, alia falsa; vera à Deo vel bonis mentibus suggeruntur; falsa & mala à malis genijs excitantur. possunt & spiritibus impuris subinde vera. multa habemus in sacris literis, quæ & rara sunt, & vera, naturalia quotidiana, & pleraque omnia vana. Curtius eodem modo species in somno obiectas vel ad naturam, vel ad diuinitatem refert, cum dicit siue illas ægritudo animi, hoc est, curæ naturales & solicitudo rerum gerendarum & gestarum, siue diuinatio plangentis animi, hoc est, Deus vel spiritus faciunt & immittunt. Homerus de Diuinis

---- καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ διός ἐστιν.
Etenim somnium à Ioue est.

De diuinis etiam Iamblichus, Philostratus, Cicero, Macrobius, Antipho, Chrysippus, Philoclus, Artemon, Serapion Ascalamites, alij tractant.

De naturalibus Lucretius, qui illis cum suo Epicuro omnem diuinitatem ademit, omniaque ad caussas naturales refert.

Et quoi quisque ferè studio deuinctus adhæret, Lib. 14.
Aut quibus in rebus multum sumus ante morati,
Atque in qua ratione fuit contenta magis mens,
In somnis eadem plerumq; videmur obire.

Caufidici cauſſas agere & componere leges
Indu peratores pugnare ac prælia obire.

Ita Ariſtoteles ſomnia ait naſci ex reliquijs earum rerum quas vigilãtes ſenſu percipimus, quod & verſibus Lucretius expreſsit: ——*plerumque videmus*
Quom iam deſtiterint ea ſenſibus vſurpare,
Relliquias tamen eſſe vias in mente patentes
Qua poſsint eadem verum ſimulacra venire.

Idem Ennius, Claudianus, alij canunt. Legendus Tertullianus lib. de anima, & diligenter noſter Pererius in Danielem diſput. de varietate & veritate ſomniorum quæſtionibus ſeptem, vbi omnia quæ ad ſomnia pertinent, accuratè excutiuntur.

Curtius ergo in medio relinquit diuinum, ne naturale ſomnium fuerit Darij.

CASTRA ALEXANDRI) Sequitur narratio & varia in vtramque partem interpretatio ſomnij Somnium hoc erat. Darius Alexandri phalangem in caſtris clariſſimo fulgore collucere per ſomnium vidit, ipſumque Alexandrum paulò poſt in eo cultu corporis, quo ipſe Darius erat antequam rex eſſet appellatus, ad ſe adduci. Dein equo per Babylonẽ vectum ſubitò vanuiſſe. Ita Curtius ſomnium tradit. Plutarchus non multò aliter quem videbis.

In Alexandro.

Hic duo ſtatim ex me quæret lector, primum quis apud Curtium fuerit is veſtis habitus, quò Darius erat indutus, priuſquam rex ſalutaretur: Dein quis apud Plutarchum ſit Aſtandes vel Aſgandes. Veſtis fuit non regia, ſed ſerui regij, curſoris nempe publici, ſeu veredarij, qualis erat Darius Arſis & Ochi regum. Is autem veredarius dicebatur Perſis Angarus & Aſtandes. Suidas Ἀςάνδαι οἱ ἐκ διαδοχῆς γραμματοφόρος οἱ δ' αὐτοὶ καὶ Ἄγγαροι. τὰ δὲ ὀνόματα Περσικά. *Aſtandæ ſunt tabellarij ſibi iure ſuccedentes, qui & Angari dicuntur. ſunt autem nomina Perſica.* Heſychius: Ἀςάνδης ἡμεροδρόμος. *Aſtaudes eſt curſor diurnus, ſeruus in pedibus.* Iterum Suidas. τοὺς τῶν βασιλέων ἀγγέλους *nuncios regios* appellat. Euſtathius ad Homerum. κυρίως δὲ κατ' Αἴλιον Διονύσιον Ἄγγαροι οἱ ἐκ διαδοχῆς γραμματοφόροι οἱ δ' αὐτοὶ (φησὶ) καὶ Ἀςάνδαι Περσικῶς. Heſychius: βασιλικοὺς γραμματοφόρους ἐκ διαδοχῆς nominat. Curſum autem publicum Cyrus inſtituit vt auctores ſunt Herodotus & Xenophon.

Fuerunt ergo ſerui regij, vt Plutarchus de Alexandri fortuna dicet. Δαρεῖος ἦν σὸν ἔργον, ὃν ἐκ δούλου καὶ Ἀςάνδου βασιλέως κύριον Περσῶν ἐποίησας: *Darius erat tuum* (ô fortuna) *opus* (ſeu ludus) *quem ex Aſtanda ſeruo regio feciſti Dominum Perſarum.* Et idem Καὶ στολὴν ἐκδυσάμενος Ἀςάνδου περιέθετο τὴν βασιλικήν. *Exuta veſte Aſtandæ induit regiam.* Addo hic loco admonitus ab Angaris deduci angarias, quæ ſunt impoſitæ onerum vehendorum neceſsitates. Suidas appellat ἀγγαρείαν ἀνάγκην ἀκούσιον, καὶ ἐκ βίας γενομένην ὑπηρεσίαν, *neceſsitatem coactam & miniſterium vi exortum.* Vnde & verbum angariare, vi cogere ad onus ſubeundum, vt Simon Cyrenæus fuit angariatus, ſuſcipere in humeros crucem Chriſti. De angarijs manſionibus multa Stevvechius ad Vegetium, ſed ibi negant legendum angarias, ſed agrarias, & adhuc ſub iudice lis eſt, mihi Turnebi ſententia arridet, qui pro agrarijs propugnat.

QVO IPSE FVISSET.) ſeruus adhuc & Aſtandes, proinde Curtius cum Iuſtino, & Strabone videtur ſentire, quando Darium Aſtandem facit, cum Diodorus Siculus illum ex ſtirpe regia & Ochi regis fratre natum velit, & ex duello victorem, poſt Ochum, creatum regem. Dictus eſt ante Codomannus: Mihi potior Strabo, Iuſtinus, Curtius, quam Siculus, pro Codomanno alij legunt Codnanus. Clemens vocat Ochum, Tertullianus Darium Melam. Fuit ergo ſeruus regum Arſis & Ochi ſiue aſtandes, ſiue Ochi fratris filius, omnes enim etiam propinqui ſeruiebant regi.

EQVO DEINDE PER BABYLONEM VECTVS) Ita viſus eſt Dario per ſomnium Alexander equo vehens.

ADHAEC VATES VARIA INTERPRETATIONE CVRAM DISTRINXERANT) ſic lego, non diſtraxerant. Contrarijs & diuerſis interpretationibus regis animum in diuerſa traxerant, vt ex eo curæ Dario augerentur.

ALII LAETVM ID REGI SOMNIVM ESSE DICEBANT) vel adulatores, vel etiam quibus probabilis ratio occurrebat. Somnia enim quiſque pro ingenio ſuo explicat. Poterat enim videri felix ſomnium, quod caſtra hoſtium ardere viſa, ac proinde hoſtes perituros, & bello tanquam incendio depaſtos exhauſtum iri. accedebat veſtis vulgaris & ſeruilis ex regio habitu, quod poterat docere Alexandrum victum, & in regis Perſarum ditionem reductum iri. Sunt enim oracula & ſomnia ante euentum obſcura & abdita, poſt rem factam cuiuis Dauo clara. Homerus verè ἀκριτομύθους vocat ὀνείρους ſomnia iudicatu & explicatu difficilia.

QVIDAM NON ITA AVGVRABANTVR) Fortè cum alijs emendatius legas, *Quidam contra augurabantur,* melius certè ad Curtij mentem, qui vult contraria alios alijs ſenſiſſe. fulgorem Alexandro claritudinem portendere, illum potiturum Aſiæ; confirmari rem cultu quo viſus fuerit Alexander Dario: nam eodẽ habitu Darium in regnum Aſiæ ingreſſum. Sed mihi ridiculus hoc loco Plutarchus videtur, qui poſt euentum rei ſomnium regis de Alexandro, quaſi alij malè diuinaſſent ante factum enarrat: His, inquir, mea ſententia portendit Deus magnificas & claras res Macedonum

rum gesturos, & potiturum Asia Alexandrum, sicut ea potitus erãt Darius, ex Astande factus rex: verum breui vitam cum gloria positurum. Nihil est facilius ac post euentum dicere, quid euenturum fuerit, vt ille medicus pronũciauit de ægro post mortem, se sciuisse moriturum fuisse, quis hoc non posit, vt poetæ solent, qui de præteritis vaticinantur.

HAVD AMBIGERE) laudo hanc, præ Acidalij, scripturã: nihil mutandum, vbi non cogit necessitas.

VETERA QVOQVE OMNIA) *Omina*, non *Omnia* lege. Quid fuit omen? mutatam vaginam acinacis Persicam in Græcam iussu Darij.

ACINACIS) Acinaces in recto dicendum: apud Græcos enim est ἀκινάκης, ἀκινάκου, transire tamen apud Latinos ad tertium ordinem acinaces, acinacis, vt Euripides, Aristides, Herodes, Timarchides, & hoc genus plura. Emendatius ergo apud Horatium leges

Vino & lucernis Medus acinaces
Inmane quantum discrepat —

Esse porrò tertij ordinis docent plures:

Valerius Flaccus: *Insignis manicis, insignis acinace dextra.*

Arnobius: *Ridetis temporibus priscis Persas fluuios coluisse, informem Arabes lapidem, acinacem Scythia nationes.* En, vt hoc leuiter moneam, quãto cultu acinaces Scythis fuerit affectus, vt etiam adoraretur, quod & Lucianus docuit: σκύθαι μὲν ἀκινάκῃ θύοντες, καὶ θρᾷκες ζαμόλξιδι: *Scytha acinaci faciunt, & Thraces Zamolxidi.* Clemens Alexandr. Σκυθῶν δὲ οἱ Σαυρομάται, ὥς φησιν ἱκέτιος ἐν τῷ περὶ μυστηρίων ἀκινάκην σέβουσι. *Sarmata apud Scythas auctore Hicesio de mysterijs, adorant acinacem.* Ammianus Marcellinus: *Nec templum apud eos visitur, aut delubrum, nec tugurium quidem culmo tectum cerni vsquam potest: sed gladius barbarico ritu humi figitur nudus, eumq; vt Martem, regionum, quas circumeunt, præsulem, verecundius colunt.* Iustinus hastam quoq; adorari solitam à gentibus tradit his verbis. *Per ea adhuc tempora reges hastas pro diademate habebant, quas Græci sceptra dixere. Nam & ab origine rerum, pro Dijs immortalibus veteres hastas coluere: ob cuius regionis memoriam adhuc Deorum simulacris hasta adduntur.*

Lucian. in Toxari etiã iurare solitos ait per acinacẽ Scythas. Sed quæras ex me, quod genus gladii, quæ forma sit acinacis? Acinacem Græci deducũt παρὰ τὴν ἀκὴν, quod acutissimã aciẽ, siue ὀξύτητα habeat, vnde Herodoto dictum putant acinacem ὠκινάκην, quod ὠκεῖαν ἔχῃ ἀκὴν, quod aciem habeat celeriter ferientem & penetrantem. De forma, quamuis coniiciam magis quàm pronunciem, licet existimare acinacẽ Turcico gladio persimilem fuisse à fine modicè reflexum, non falcis instar, versus aciem, sed in tergum recuruum, proinde malè quibusdam pro falcato ense accipitur, quem Græcè κοπίδα nominant. Leunclauius interpretatur. Hesychius hastam & gladium interpretatur. Pollux: Ἀκινάκης περσικὸν ξιφίδιόν ἐκ τῷ μηρῷ προσηρτημένον: *Acinacis est gladius Persicus femori aptatus.* Herodotus. περσικὸν ξίφος, τὸ ἀκινάκην καλέουσι: *Persicum gladium acinacem vocant.* alijs μηδικὸς ἀκινάκης, vt & Horatius. Non longum fuisse ostendit Iosephus, cum latronum sicas cum acinace Persarum componit: χρώμενοι, inquit, ξιφιδίοις, παραπλησίοις μὲν τὸ μέγεθος τοῖς τῶν Περσῶν ἀκινάκοις, ἐπικαμπέσι δὲ, καὶ παραπλησίοις ταῖς ὑπὸ Ῥωμαίων σίκαις καλουμέναις ἀφ' ὧν καὶ τὴν προσηγορίαν οἱ λῃστεύοντες ἔλαβον πολλοὺς ἀναιροῦντες, *quales sicas Romani nominant, vnde latronibus ipsis cognomen, multorum cade infamibus gladiolis vtuntur, magnitudine Persicos acinaces referentibus, sed incuruis.* Moschopulus: Ἀκινάκης τοῦ ἀκινάκου ἐστὶ, δὲ ἐγχειρίδιον βαρβαρικὸν ὃ φασὶν οἱ ἕλληνες παραμαχαιρίδιον. *Acinaces apud Græcos in secundo casu ἀκινάκου, est gladius barbaricus, qui ob breuitatem facilè manibus tractari potest.* hoc enim est ἐγχειρίδιον. Suidas etiam μικρὸν δορὺ, paruam hastam interpretatur acinacem. Turcæ acinacem sua lingua *Kilitsch*, Arabes *Seife* vocant, vnde nobis fortasse dictus *Sebel*. Rursum vrgebis me, quomodo vagina acinacis à Dario fuerit mutata in eam formam, qua græci vtebantur, an si vaginam mutauit, & gladium mutatum oportuit? cum sequatur vaginam. sed si gladium mutasset Darius, non dixisset Curtius vaginam, sed gladium mutatum, cum potior sit gladius thecâ & vaginâ. Videtur tamen modum vaginę cum gladio Persicæ in Græcam mutasse. Nam de gladio postea sequitur apud Diodorum, mutatum gladium & hastam, quamuis post pugnam ad Issum & fugam Darij: τὰ ξίφη καὶ τὰ δόρατα πολὺ μείζω τῶν προγεγενημένων ἐποίησε διὰ τὸ δοκεῖν διὰ τούτων πολλὰ τὸν Ἀλέξανδρον ἐν τῇ περὶ Κιλικίαν μάχῃ πεπλεονεκτηκέναι. *gladios & hastas longe maiora atque fieri antea consueuerant fecit, quod Alexander ob eam causam in pugna Issica videretur vicisse.*

Acinaces Ein Turkischer Sebel.

Antiq. 20. c. 7.

CHALDEOS INTERPRETATVS) Chaldæi sunt antiquissimi & sapientissimi Babyloniorum, apud quos & Abrahamum Hebræorum parentem nata sacrarum literarum monumenta tradunt. Erant siderum contemplatores, & Astrologiæ in primis addicti: vt Q. Cicero in diuinatione cum fratre disputat. Diodorus Siculus hoc totum genus Chaldæorum & Astrologorum egregiè laudat: & speciatim narrat hos Alexandro in Darium pugnanti victoriam prædixisse.

VATVM RESPONSO) Non Chaldæorum, qui omnia alia senserant & responderant: sed Darius credulus maluit ad eos accedere, qui læta quam tristia narrabant, vti, quæ cupimus, quam quæ fugimus credere amamus. Curtius tamen vatum nomine accipit omnes Sophistas, philosophos, magos, ἐπαοιδοὺς incantatores, φαρμακοὺς veneficos, augures & aruspices, qui tamen omnes communi

muni nomine vates & Chaldæi nominari possunt, quod horum disciplina hæc omnia diuinationũ genera complecteretur.

CASTRA AD EVPHRATEM MOVERE IVBET) Euphrates Mesopotamiam & Syriam à Cilicia distinguit, flumen notius quam Delij natatoris indigeat.

CAPVT VII.

ARGVMENTVM.

Describit ordinem agminis, quo processit Darius ad Euphratem. Confertur acies Macedonum cum acie Persarum, contemnitur hæc, laudatur illa.



Atrio more Persarum traditum est, orto sole, demum procedere, die iam illustri, signum è tabernaculo regis buccina dabatur. Super tabernaculum, vnde ab omnibus conspici posset, imago Solis crystallo inclusa fulgebat. Ordo autem agminis erat talis: ignis, quem ipsi sacrum, & æternum vocabãt, argenteis altaribus præferebatur. magi proximi patrium carmen canebant. Magos trecenti & sexaginta quinque iuuenes sequebantur, puniceis amiculis velati, diebus totius anni pares numero: quippe Persis quoq; in totidem dies descriptus est annus. currum deinde Ioui sacratum albentes vehebant equi. hos eximiæ magnitudinis equus, quem Solis appellabant, sequebatur. aurea virga, & albæ vestes regentes equos adornabant. haud procul erant vehicula decem, multo auro argentoq; cælata. Sequebatur hæc equitatus duodecim gentium varijs armis, & moribus. proximi ibant, quos Persæ immortales vocant, ad decem millia: cultus opulentia barbaræ non alios magis honestabat. Illi aureos torques, illi vestem auro distinctam habebant, manicatasque tunicas, gemmis etiam adornatas. exiguo interuallo, quos cognatos regis appellant, decem & quinque millia hominum. Hæc verò turba muliebriter propemodum culta, luxu magis quam decoris armis perspicua erat: Doryphori vocabantur. Proximum his agmen, soliti vestem excipere regalem. Hi currum regis anteibant, quo ipse eminens vehebatur. Vtrumq; currus latus deorum simulacra ex auro argentoq; expressa decorabant: distinguebant internitentes gemmæ iugum: ex quo eminebant duo aurea simulachra cubitalia, quorum alterum in alterũ belli gerebat effigiem. Inter hæc aquilã aureã, pinnas extendenti similẽ, sacrauerant. Cultus regis inter omnia luxuria notabatur. Purpureæ tunicæ medium album intextum erat; pallam auro distinctam aurei accipitres, velut rostris inter se corruerent, adornabant, & zona aurea muliebriter cinctus acinacem suspenderat, cui ex gemma erat vagina. Cidarim Persæ regium capitis vocabant insigne: hoc cærulea fascia albo distincta circuibat. Currum decem millia hastatorum sequebantur: hastas argento adornatas, spicula auro præfixa gestabant. dextra læuaq; regem, ducenti fermè nobilissimi propinquorum comitabantur. Horum agmen claudebatur triginta millibus peditum, quos equi regis quadringenti sequebantur. Interuallo deinde vnius stadij matrem Darij Sisygambim currus vehebat, & in alio erat coniunx. Turba fœminarum reginas comitantium equis vectabatur. Quindecim dein, quas Armamaxas appellabant, sequebantur, in his erant liberi regis, & quæ educabant eos, spadonumq; grex, haud sanè illis gentibus vilis. tum pellices regiæ trecentæ & sexaginta vehebantur, & ipsæ regali cultu ornatuque, post quas pecuniam regis sexcenti muli, & trecenti cameli vehebant, præsidio sagittariorum prosequente. Propinquorum, amicorumque coniuges, huic agmini proxima, lixarumq; & calonum greges vehebantur. Vltimi erant cum suis quisque ducibus, qui cogerent agmen, leuiter armati. Contra, si quis aciem Macedonum intueretur, dispar acies erat, equis virisque, non auro, non discolori veste, sed ferro: atque ære fulgentibus. agmen & stare paratum & sequi: nec turba, nec sarcinis prægraue: intentum ad ducis non signum modò, sed etiam nutum. & castris locus, & exercitui commeatus suppetebant. Ergo Alexandro in acie miles non defuit. Darius tantæ multitudinis

dinis rex, loci,in quo pugnauit angustijs,redactus est ad paucitatem,quam in hoste contempserat.

Patrio more orto iam sole)Hunc morem supra ostendimus, & infra de cultu Solis à Persis adhibita multa narrabuntur.

Signvm e tabernacvlo regis bvccina datvm)signum profectionis. De signis militaribus dictum supra. buccina non eadem tubæ,etsi nonnunquam permiscentur. Vegetius lib. 3.c.5.his verbis describit:*Tuba qua directa est appellatur*(catachresis ergò apud Lucanum cum specie pro specie posuit

----- Batauique truces,quos ære recuruo
Stridentes acuère tubæ----)

buccina quæ in semet æreo circulo flectitur . Germani quoque diuersis exprimunt verbis , & tubam trummet/ buccinam bosaun vocitant. Græcis tuba σάλπιγξ, buccina βυκάνη. De tubis,buccinis,cornibus plura Stevvechius ad Vegetium,buccina etiam pro classico ponitur. Vegetius: *Classicum appellatur quod buccinatores per cornu dicunt*. Est & lituus genus buccinæ:Festus: *Lituus quod litis sit testis*.est enim genus buccinæ incuruæ. Et litui apud Ammianum *itinerarium* sonant . Inter cornu & buccinam olim nullum discrimen,fuit enim bubulum cornu, vnde & nomen accepit , et instrumentum,vt Lipsius describit,quod bubus canit,aut quod boues canit & vocat. Varro tamen buccinatorem à vocis similitudine & cantu dictum mauult bou,bou canit.aliorum originationes seu diuinationes potius originationum nihil attinet adferre.

E tabernacvlo regis)E prætorio,vt Romani.

Imago solis crystallo inclvsa.)Solem à Persis pro Solis auctore & numine cultum testantur veterum scriptorum tot monumenta, vt copia nominandi possit lectorem fatigare. Antiquissimi sunt Herodotus,Strabo,& ante Strabonem Xenophon;Iustinus postea. Athenæus,Macrobius,Philostratus,Himerius Rhetor,Ouidius in Fastis,Plutarchus in Parallelis, Tertullianus in Apol vt prætereà reliquos propè innumeros Christianos, quos etiam Solem adorare recusantes vltimis suppliciis interficiebant. Addunt hostiam Solis equum propter celeritatem.

Placat equo Persis radijs Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda Deo.

Quæras fortasse quo metallo fuerit imago Solis expressa,aut qua gemmâ lapideue pretioso. Tertullianus in Apolog.suis temporibus in linteo depictum & adoratum ait à Persis. Crediderim ab regibus in crystallo circumlatum,ex puro auro fuisse expressum, celatum, elaboratum & expolitum, crystalloque veluti sacello clausum,vt oriente vero Sole,& in crystallum aurumque incidente accenderetur, & ex repercussu Solis per anaclasim incensus,alter Sol videretur , oculosque intuentium perstringeret. Aurũ enim maximè Solem æmulatur& ignem,vt Pindarus αἰθόμενον πῦρ vocaret. Salutarunt primo mane Solem,vt Procopius docet de Perosa Persarum rege.

Solem autem Mithram seu Mithren appellauère,per quem iusiurandum concipiebant , & sacramento contendebant. In specu colebatur:Iulius Firmicus: *Persæ & magi omnes qui Persicæ religionis incolunt fines,ignes præferunt omnibus elementis,& putant debere praponi: Hunc Mithram dicunt , sacra verò eius in speluncis abditis tradunt,vt semper obscuro tenebrarum squalore demersi , gratiam splendidi ac sereni luminis non videant* . Qui autem Mithræ tanquam sacerdotes & magi primitus initiabantur, LXXX. suppliciorum genera sustinere cogebantur,antequam sacris Mithræ imbuerentur; quæ copiosissimè tractat Brissonius de regno Persarum.

Ordo avtem agminis erat talis)mihi ordo hic ad theatrum & spectaculum videtur procedere,non in campum & arenam aduersus Martem.

Ignis qvem ipsi sacrvm et aeternvm vocabant .) Et originem ignis colendi, apud Persas,& Pyréa,siue templa igni initiata,& foculos, ignemque æternum , ex optimis scriptoribus docuit vbertim Brissonius de regno Persarum,vt operam lusurus sim , si plura velim congerere.

Argenteis altaribvs)foculis.Xenophô de Cyro procedente: καὶ πῦρ ὄπισθεν αὐτοῦ ἐπ' ἐσχάρας μεγάλης ἄνδρες εἵποντο φέροντες. *Et ignem pone illum in foco maiore , qui sequebantur viri gestabant.* Qui plura de cultu ignis eiusque origine quærit,luculentos Brissonij focos excutiat. De altaribus tamen dubites quæ forma fuerit illorum?Reor altaris bases planas fuisse, in medio tamen fortasse cauas,vbi ignis alebatur.è lateribus tribus tabulas argenteas creuisse,supernè velut in thulum rituædiculæ coeuntes,sed ab vna parte apertas.

Magi proximi)Magi vox à barbaris profecta,Græciæ & Latio primum à Chaldæis & Persis in honore cum re fuit. Erant enim magi sacrorum antistites , regum moderatores , & sapientiæ diuinæ & humanæ periti habebantur . Inde sensim cœpit , vt vox tyranni , & hostis in infamiam vergere, potissimisque artibus assignari , ita cuncti venefici , veneναrij , incantatores, Thessali,

Scripsit Theodorus Mophuestiæ de Persarum magia libros 3. apud Photium p.75.

Thessali, Arioli, Augures, aruspices, Chaldæi, Genethliaci, necromantici, epaœtici, præstigiatores, Aegyptij, lamiæ, striges, sagæ, veratrices, Sortiarij, Mascæ, & hoc genus alij aliæque pestes generis humani magis accensi, & execrati.

Magorum triplex genus erat. primi fuêre sapientiæ magistri, doctissimi iuxta ac planè sobrij sicique, vt qui præter farinam & olera nihil ad mensam adhiberent: Alij Antistites & sacerdotes, qui in Perside suam sectam perseuerarunt, quos Persæ magos appellauerunt. Extremi qui malorum geniorum ope & opera varijs præstigijs animos mortalium suspenderunt, luserunt, sæpius etiam euerterunt, quorum magia malas artes continet.

De inuentoribus magiæ prolixè Pererius, Brissonius, Delrius, & quos hic de magia scriptores ferè sexcentos numerat. Auctorem ego Magiæ & omnium præstigiarum architectum, proscriptum cælo dæmonem credo & mecum Pererius. Mihi testis rediturus olim in orbem Enochus, cuius oracula S. Iacobus Apostolus in literis suis laudauit. Sed nos ad Persas quibus Zoroaster doctor magiæ fuisse certatim scribitur. In Persicorum magorum disciplina describenda multus est Marcellinus, & Plinius, Clemens & alii non pauci, quos indigitasse satis esto.

TRECENTI SEXAGINTA QVINQVE.) ad numerũ dierum per annum recurrentium. Nec mirum id eos potuisse, cum essent in siderum disciplina accuratissimè versati. Hodie annus describitur in dies 365. horas sex, quæ quarto quoque anno diem integrant, qui intercalaris est, momenta verò quæ supersunt, certis annorum sæculis etiam horas & dies conficiunt. Vnde tot fastorum & temporum emendationes natæ, nascunturque hodie.

PVNICEIS AMICVLIS) supra Charidemus de exercitu Darij: *nitet purpura auroque*. puniceus, phœniceus, purpureus, spadix.

TRECENTI ET SEXAGINTA QVINQVE IVVENES) Chaldæi, Persæ, Armenij, Syri, Hebræi, Aegyptij annum trecentis sexaginta quinque diebus circumscriptum habebant, nisi quod in illis quinque extremis variarent, quos alij alijs temporibus addebant. Persæ veteres hodieque annum NEVRVZ nuncupant, quod solenne verni tempus significat.

Romani serò admodum ad Persarum & reliquorum in oriente populorum rationem temporum accesserunt, cum ab vsque Romuli & Numæ æuo perturbata annorum, mensium, dierumque via progrederetur. Licinius Macer, & Fenestella statim ab initio duodecim mensium fuisse scribunt annum vertentem Romanum. sed Iunius Gracchanus, Fuluius, Varro, Suetonius, Censorinus, & alij tradunt magis credendum, annum ab initio decem mensium fuisse, ab ipso Romulo institutum, nec plures quam trecentos & quatuor dies complexum esse. Numa Pompilius adiecit vnum & quinquaginta dies, & ita continebat annus Pompilianus dies CCCLV. vnum amplius quam lunaris; vt autem responderet annus lunaris exactè anno solari, Numa Mercedonium voluit intercalari mense Februario. Ex vno autem & quinquaginta diebus confecit duos menses, Ianuarium & Februarium, quos mensibus Romuli præfixit, vt Ianuarius esset primus, Februarius secundus, Martius (qui antea fuerat primus) tertius, & ita deinceps. Hæc copiosè ex multis scriptoribus contra alios auctores ostendit, confirmatq; Iacobus Christmannus ad Altraganum.

Iulius Cæsar in emendatis fastis assignauit anno dies 365. cum quadrante siue horis sex, quem Ecclesia secuta est. Sed quia tropicus annus qui certissimus est, ex mathematicorum effatis non continet in regrum quadrantem vltra 365. dies, sed horas duntaxat, 5. scrupula seu minuta 49. secundas 16. (quæ magnitudo anni media est inter maximam & minimam) factum est, vt tot sæculis à Iuliano anno æquinoctium sedem suam pristinam, quæ erat dies 21. Martij desereret, & ad diem vndecimum perueniret. Sed has minutias satis erit attigisse quam explicasse. Qui plura desiderat, Chronographos, quorum magna est copia, poterit adire. Iam, vt ad Curtium redeamus, cum subijcit Curtius *Quippe Persis quoque in totidem dies descriptus est annus*) videtur docere, Persis perinde ac Romanis annum definitum 365. diebus. Sed est quod animaduertas Romanis ab Aegyptijs & Persis potius suos annos emendatos, quam Persis ab Romanis.

CVRRVM DEINDE IOVIS) Persarum Imperatores nunquam progrediebantur in publicum, siue ad bellum proficiscerentur, siue ad sacrificium irent, quin currus Iouis & Sôlis præmitterent, & hoc ex Cyri institutione, vt Xenophon narrat. cuius locum, si vacat, ipse cognoscas, ego ad Curtium redeo.

CVRRVM DEINDE ALBENTES VEHEBANT EQVI) currum album fuisse Iouis & Solis, etiã Xenophon docuit. albos equos hic Curtius testatur, & cum Curtio Seneca. *Ibi vnus*, inquit, *ex his equis, qui trahere regium currum albi solebant, abreptus vehementer commouit regem.* Herodotus supra Nisæos equos appellauit, à Media ductos. Lucianus λευκὸν ζεῦγος dixit. Eorum autem equorum nobilia ingenia celebrat Dio Chrysostomus & Maximus, Tyrius, Themistius, Philostratus λευκὸν δὲ ἵππον τῶν σφόδρα Νισαίων καταθύειν ἔμελλε. *Album sanè ex Nisæis sacrificaturus erat.* Erant albi equi in delitijs antiquitati, quem singulari honore mactare volebant, albis quadrigis excipiebant, reges maximè hac ambitione capti, Amphiaraus antiquissimis sæculis apud Statium albis vehitur.

Orba-

Oebalios sublimis agit spes maxima palma
Amphiaraus equos, tua furto capta propago
Cyllare, dum Scythici diuersus ad ostia ponti
Castor Amyclæis reuo permutat habenas,
Ipse habitu niueus, niuei dant colla iugales
Concolor est albis, & cassis, & insula, cristis.

Platoni sapientiæ *antistiti*, inquit Plinius, *Dionysius tyrannus, aliàs superbiæ sæuitiaque natus, vittatam nauem misit obuiam: ipse quadrigis albis egredientem in littore excepit*. Addunt alij ipsum Dionysium aurigam Platonis egisse. Apud priscos Romanos non nisi Deorum cultui niuei equi transcripti, quæ causa fuit vt Camilli albis equis triumphantis gloria clarior quam gratior P. Rom. fuerit. Liuius lib. 5. *Aduentus quoque dictatoris omnibus ordinibus obuiam effusis, celebratior quam vllius vnquam antea fuit: triumphusque omnem consuetum honorandi illius diei modum aliquantum excessit. maximè conspectus ipse est curru equis albis iuncto vrbem inuectus: parumque id ciuile modo, sed humanum etiam visum. Iouis Solisque equis æquiparatum dictatorem in religionem etiam trahebant, triumphusque ob eam vnam maximè rem clarior quam gratior fuit*. Ergo non apud Persas tantum, sed Romanos etiam albi equi Ioui & Soli dedicati. Plutarchus de eodẽ Τέθριππον ὑποζευξάμενος λευκόπωλον ἐπέβη, καὶ διεξήλασε τῆς Ῥώμης, οὐδενὸς τοῦτο ποιήσαντος ἡγεμόνος πρότερον οὐδ' ὕστερον. ἱερὸν γὰρ ἡγοῦνται τὸ τοιοῦτον ὄχημα βασιλεῖ καὶ πατρὶ τῶν θεῶν ἐπιπεφημισμένον. *Quadrijugas albas conscẽdit, & Romam ingressus est, quod nemo dux nec ante nec postea fecit, quod huiusmodi currum regi & patri Diuûm consecratum crederent* Errat tamen Plutarchus cum dicit, neminem aut postea albis equis triumphasse, cum Ouidius canat:

Quatuor in niueis aureus ibis equis.

Vbi immerito notat Plutarchum Bulengerus ex Claudiano, cum Plutarchus tribus propè sæculis ante Honorium vixerit. Ouidij auctoritas valet. Parœmiam latinam albis equis aliquem præcurrere, & citis quadrigis leges apud Horatij interpretes ad versus:

Durus homo atque odio qui posset vincere reges,
Confidens tumidusque, adeo sermonis amari
Sisennas, Barros vt equis præcurreret albis.

Accipiuntur pro celeritate. Plautus:

Nam si huic occasioni tempus sese subduxerit,
Nunquam ædepol albis quadrigis indipiscet postea.

Vetus interpres.

Qui candore niues anteierit, auribus annos.

DVODECIM GENTIVM) supra hos censuit cum armis, sed tantum septem exertè posuit, reliquos in turbâ ignobilium gentium coniecit. Persas, Medos, Barcanos, Armenios, Hyrcanos, Derbices, Caspios, Græcos expressit. Bactrianos verò & Sogdianos, Indos, aliosque præterijt. Herodotus in Xerxis copijs gentes cum armis numerat quinquaginta nouem, quas nominatim exprimit apud eundem cognoscendas, quas plerosque in exercitu Darij fuisse credas, nec enim Curtius indigitauit. Plinius tamen duodecim gentes numerat, quas Alexandro deuictas scribit, Asiã, Armeniam, Iberiam, Albaniam, Cappadociam, Syriam, Aegyptum, Taurum, Caucasum, Bactrianos, Medos, Persas. li. 4. c. 10.

PERSAE IMMORTALES AD X. MILLIA) Hos immortales per duces suos mori docuit Theodosius, Theodosij magni nepos, de quibus in *Aula sancta* copiosè tractauimus. Hic verbo rem accipe ex Herodoto: *Hi erant Imperatores omnium pedestrium copiarum, præter illa delecta Persarum decem millia, quibus præerat Hydarnes Hydarnis filius, qui vocabantur immortales ob hoc, quod si quis eorum aut nece, aut morbo numerum imminueret, alius sufficiebatur: nec vnquam plures erant paucioresue decem millibus*. Auctor horum videtur fuisse Cyrus, de quo Xenophon:

Erant hi immortales robur exercitus Persici, selecti ex nobilissimis & fortissimis Persarum. Suidas: Ἀθάνατοι μύριοι Περσῶν ἐπίλεκτοι οὓς Ἀρδαβούριος ἐπὶ θεοδοσίου βασιλέως διέφθειρεν καὶ ἠφάνισεν. *Immortales decem millia Persarum lectissimi quos Ardaburius Theodosio (iuniore) imperante concidit & deleuit*. Quod si Suidas hoc ita scripsit, vt putaret ab Ardaburio deletos esse immortales, & nunquam restitutos, errore duci videtur, cum Procopius Belisarij comes in expeditione contra Persas auspicijs Iustiniani imperatoris facta, immortalium Persarum in acie stantium meminerit. Iustinianus porro haud paucis annis post Theodosium imperauit, vt norunt qui vel à limine Augustæam historiam inspexerunt. Procopij verba sunt ex tralatione. *Persæ igitur qui cornu sinistrum tenebant, Baresmana duce cum immortalibus in Romanos ex aduerso consistentes cursu contendunt. Illi vero (Immortales) impetum minimè sustinentes in fugam vertuntur*. Et infra: *Alij igitur Persæ ac turma immortalium inclinatum videntes vexillum, & in terra procumbens, in Romanos qui ibi aderant cum Baresmana impetum faciunt*. Plura de Immortalibus Diodorus Siculus & Hesyodus.

CVLTVS OPVLENTIAE BARBARAE) Idem Herodotus affirmat. De his potissimum illa Curtij accipienda sunt supra, *vt et purpura auroque, fulget armis & opulentia, quantam qui oculis non subijcere, animis concipere non possunt*.

MANI-

MANICATASQVE TVNICAS) Signatè dixit manicatas, vt mollitiem & delitias luxumque Persarum notaret. militaribus enim viris parum conueniebant manuleatæ tunicæ. quapropter apud Virgilium Numanus Remulus Turni affinis, Ascanio, (Non Ascanius luis, vt perperam cætera doctus & modestus Meursius ad Cassandram Lycophronis scripsit) & Phrygibus probri ergo, obiicit cultum & manicatas tunicas, id quod Macedones poterant Persis dicere.

Vobis picta croco, & fulgent murice vestes
Desidiæ cordi: iuuat indulgere choreis
Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ
O verè Phrygiæ (nec enim Phryges) ite per alta
Dyndima.

Cæterum Romanis quoque vitio datum, si manuleatas tunicas gestarent: Cicero: *quos pexo capillo nitidos, aut imberbes, aut bene barbatos videtis, manicatis & talaribus tunicis, velis amictos non togis.* &c. Seneca de Epicuro: *Apud me verò Epicurus fortis est, licet manuleatus sit.* D. Augustinus. *Talares ac manicatas tunicas habere apud Romanos veteres flagitium erat, nunc autem honesto loco natis; cum tunicati sunt, non eas habere flagitium est.* Agellius eleganter de manicatis & chirodotis tunicis tradit: Est & apud Ennium & Plautum mentio manicatarum seu manuleatarum tunicarum. Apud Plautum contendunt multi scribendum *maniclatam tunicam,* vti & apud Senecam.

Agellium multa eleganter de manicatis & chirodotis tunicis tradentem consule.

Nonius Marcellus eandem describit. Tunica est vestimentum sine manicis. Plautus idcirco manuleatam addidit, ne impropriè vteretur. Ennius probro Carthaginiensium tunicatam iuuentutem voluit dicere. Græcis ἐξωμὶς, eaque duplex sine manicis altera, & altera cum manicis, vel vna vel duabus, quas μασχαλὶυς καὶ ἀμφιμασχάλυς καὶ ἑτερομασχάλυς dicebāt, de quibus videbis Menesium ad Cassandrā Lycosthenis. Hesychus exertè describit Ἀμφιμάσχαλος χιτὼν χειριδωτὸς ἐλευθέρων ὥσπλάτων δύο χειρίδας ἔχων, ἃς μασχάλας ἔτι καὶ νῦν λέγυς. *Amphimaschalus est tunica manicata ingenuorum (vt Plato docet) duas manicas habens, quas hodieque maschalas vocant.* De his est ille locus Xenophontis Cyrip. καὶ ἱππεῖς δὲ πάντες παρῆσαν καταβεβηκότες ἀπὸ τῶν ἵππων καὶ διειρκότες τὰς χεῖρας διὰ τῶν κανδύων ὥσπερ καὶ νῦν ἔτι διείρυσιν ὅταν ὁρᾷ βασιλεύς. *Aderantque omnes equites, qui ex equis descenderant insertis manibus per ipsos Candyas, vti & nunc quoque (manicis) inserunt, quando à rege videntur.* Hic obserua lector perperam hactenus ab interpretibus Xenophontis translatam esse vocem διειρκότες sublatis manibus, vel exertis, cum planè ritus & mos Persarum complurium sensum desideret. Xenophon scripserat διειρκότες à διείρω insero, traijcio, insubulo, non διηρκότες vel διηρκότες tollentes manus, vel sublatis manibus. Lege enim & more Persarum quicunque in oculos regum incurrebant manicis manus inseruisse, vt rex opinor tutus illos transiret, aut in conspectum illorum prodiret. Quod vsque adeo seuerè custodiebatur vt qui id non fecissent, morte punirentur, cuius rei testis est Xenophon qui narrat à Cyro minore regnum affectante non aliam ob caussam Autobæsacem & Mitræum interfectos fuisse, quam quod ei occurrentes manus intra manicas non contraxissent, quæ reuerentia solis regibus debebatur, vt in hæc verba docet Xenophon: Τούτῳ δὲ τῷ ἐνιαυτῷ καὶ Κῦρος ἀπέκτεινεν υἱεῖς ὄντας τῆς Δαρείου ἀδελφῆς τῆς τοῦ Ξέρξου, τοῦ Δαρείου τοῦ πατρὸς ὅτι αὐτῷ ἀπαντῶντες οὐ διέωσαν διὰ τῆς κόρης τὰς χεῖρας, ὃ ποιοῦσι, βασιλεῖ μόνῳ ἡ δὲ κόρη ἐστὶ μακρότερον ἢ χειρὸς ἐν ᾗ τὴν χεῖρα ἔχων οὐδὲν ἂν δύναιτο ποιῆσαι. *Hoc quoque anno Cyrus Autobæsacem interfecit & Mitraum filios Dariæ sororis Xerxis patris Darij, quod sibi occurrentes manus intra (κόρην) manicam non contraxissent seu continuissent; Est autem κόρη seu manica longior quam manus, adeo vt cum qui manum intra illam continet facere omnino nihil possit.* securitatis ergo caussa fiebat. Eodem igitur modo debebant & equites manus intra candyas & vestes continere, quod verbum διείρω ostendit; Traiectas puto fuisse intra manicam manus, vt hodie apud nos fit, quam vocamus manicam Schleifferlein.

COGNATOS REGIS DECEM ET QVINQVE MILLIA HOMINVM) Multos inquies habuit Darius cognatos. totne è regia stirpe cognati fuere Dario? potuerunt fuisse, non fuerunt tamen. potuisse docet nos numerus concubinarum & pellicum, quarum vnus aliquis multas sæpè centurias habuit, ex quibus copiosa spuriorum soboles prosiluit, qui per nuptias contraxere affinitatem & propinquitatem. certè Darius 360. secum etiam in exercitu habuit. Non fuerunt tamen consanguinei Darij nisi fortè aliqui, nec vllo sanguinis iure vel naturali vinculo cognationis regi coniuncti: honoris erant & dignitatis gratiæque nomina & tituli vt συγγενεῖς τοῦ βασιλέως diceretur. Vt perinde Arriani & Diodori Siculi interpretes & veteres & noui à vero aberrarint, cum συγγενεῖς consanguineos regis vertere. Brissonium hoc & instituto docentem, & multis tabulis auctorum sententiam confirmantem, poteris adire.

Quod ergo Brissonius tradit dictos συγγενεῖς, nullo iure sanguinis aut vinculo cognationis cum rege fuisse coniunctos, hoc vniuersè verum est, etsi fieri potuit fuisse aliquos etiam cognatos re ipsa, sed ob hoc officium δορυφορίας & satellitij dicti cognati, potuerunt etiam nulli fuisse sanguine propinqui. Et hos cognatos regis non fuisse ostendunt quæ sequuntur, vbi singillatim de ducentis propinquis Curtius regium currum, dextra læuaque stipantibus narrat.

PROXIMVM HIS AGMEN SOLITI VESTEM REGIAM EXCIPERE) totúne agmen aliquod in regia veste portanda occupatum? certe enim. cum rex ornatu cultus fuerit, qui duodecim millibus

bus talentorum Plutarchi in Artaxerxe asseueratione, æstimaretur, quæ summam implet septingenties bis centenum millium philippicorum, vel vi oculis tangere posis, nostratis pecuniæ noue millones supra sexcenta millia florenorum. Florenum 60. stauropharis seu cruciferis nostro more æstimo. Sed de cultu luxuque vestium regio mox infra speciatim tractabitur.

HI CVRRVM REGIS ANTEIBANT QVO IPSE EMINENS VEHEBATVR.) triumphantis ritu magis quam belligerantis, sic enim lib. 4. Curtius ait, Darium triumphantis magis quam dimicantis more curru sublimem in prælium iuisse. Et hoc veteri more Persarum, sic Xerxes pugnauit vt Xenophon, Herodotus, Siculus, alij testantur, & sæpè infrà de Dario Curtius, semper curru vehente.

VTRVMQVE CVRRVS LATVS) Iulius in descriptione currus militaris, partes facit tres currus, sellam, tabulatum, exteriorem & interiorem rotarum circumferentiam, & plures singulorum partes. Sella δίφρος Græcis habet tria latera, vnum à tergo, alterum à dextra, tertium à sinistra, tabulatum quod insternitur axi. Rotæ complectuntur axes, & quæ ad axes pertinent. Curtius, vtrumque latus dextrum & sinistrum intelligit.

AVRO ARGENTOQVE DECORABANT) Idem Curtius: *Orsinis munus currus laudat, Equorum domiti greges sequebantur, currusq; argento & auro adornati.* Ita Ouidius ornat currum Solis.

Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ
Curuatura rotæ, radiorum argenteus ordo.

Ita triumphantium currus erant argento gemmisque picti, de quibus plura qui de triumphis scripsere.

DISTINGVEBANT INTERNITENTES GEMMAE IVGVM) Ouidius.

Per iuga Chrysolythi, positaq; ex ordine gemmæ
Clara repercusso reddebant lumina Phœbo.

Sidon. *Cui dederant crystalla iugum quam frigore primo*
Strinxit hyperboreus Tanaitica crusta pruinis.

Sed hic dubitari video, quod iugum Curtius describat, currûs, an equorum quadriiugorum? plurima sanè de iugis ex Polluce, Homero, Virgilio, Ouidio, Eustathio, Martiale, Hesychio, Cæsare Sievvechio, Lipsio conscripseram, sed ex plurimis hæc paucissima accipe. In curru iugum nullum agnosco, aioque iuga tantum equorum & iumentorum collis imponi, quæ iuxta extremum temonem iumentis impolita alligantur. Eustathius ad XIII. Iliados octo ferè genera iugorum recenseat, ex quibus nullum est in curru. Est enim iugum equorum, vnde equus iugalis; est iugum boum, & huiusmodi aliorum, à quibus translata significatione coniuges dicuntur, & diuortium, & iurgari siue contendere. Est & iugum libræ, quomodo dicuntur nonnulli libripendes iniuriam facere, seu falsa libra vti. Est & in naui iugum, vnde Zygij remiges dicuntur, quasi iugales. Est & in sandalio, seu calceamento, Pausania teste, iugum ζύγωτρον seu corrigia & vinculum. Est & in arca. Est & ianuæ & cytharæ iugum, quæ copiosiùs apud Eustathium leges. Nos hic iugum equorum intelligimus.

DVO SIMVLACHRA) Persicorum nempe, Iouis inquam & Solis, seu Mithræ, Orimazi, Arimanis, seu Plutonis, hi enim erant Dij Patrij Persarum, vt ex Xenophonte, Plutarcho, Curtio, & sexcentis alijs discimus. Dij Persarū

EX QVO.) Iugo equorum.

CVBITALIA.) Cubitus, seu Cubitum sesquipedem explet, non solida fuisse putem, propter onus.

ALTERVM IN ALTERVM.) Sequor hic Modij & MS. fidem, Aldina editio. *Quorum alterum pacis, alterum belli gerebat.* Augustana, *gerebant*, cætera vt sunt Modiana. Basil. Modium sequitur, vel præcedit potius.

BELLI GEREBAT EFFIGIEM.) duellatores duo, seu equites cataphracti concurrentes, seu pedites Monomachi. zwen Ritter gegen einander, quales multæ apud nos hodie in chartis picturæ.

INTER HAEC AQVILAM AVREAM.) Signorum militarium, & insignium regibus primum, & antiquissimum reor aquilam auium reginam fuisse, Iouem imaginis auctorem ferunt, cum illam adhibuit in bello contra Titanas, inde ad Getes, ab his ad Traianos, à Troianis in Latium demum ab AEnea deportatam. Vlysses Aldrouandus Lipsium sequutus, ipsos Romanos inuentores huius imaginis, & vsus constituit. Noster Delrius Romanos à Persis aquilarum vsum sumpsisse cẽset, quod nec Lipsius inficiatur. Quod mihi vero non procul videtur, cum Persæ multis ante Romanos annis aquila sint vsi, vti Xenophon de vtroque Cyro scribit: ἦν δὲ αὐτῷ τὸ σημεῖον ἀετὸς χρυσοῦς, ἐπὶ δόρατος μακροῦ, ἀνατεταμένος, καὶ νῦν δὲ ἔτι τοῦτο τὸ σημεῖον τῷ Περσῶν βασιλεῖ διαμένει: *Erat et signum aquila aurea, in hasta longa extensa, at nunc quoque ipsum hoc insigne Persarum regi manet.* Idem in Cyro Minore: καὶ τὸ βασίλειον σημεῖον ὁρᾶν ἔφασαν ἀετόν τινα χρυσοῦν ἐπὶ πέλτης, ἐπὶ ξύλου ἀνατεταμένον. *Regiū insigne se videre dicebant, aquilam auream in Pelta super hastam extensam.* Si Senecæ credendum, fuit aquila iam in castris antè bellum Troianum, Sic enim ille— Aquila regiū insigne & imago. Origo.

— tota nudatis stetit

Acies in armis: Area, iam bellum cient,
Aquilaq; pugnam signifer mota vocat.

Seneca explicatus.

Sed cum Statius nullius Aquilæ meminerit in tota sua Thebaide, Seneca hoc non ex Græcorum vsu, sed Romanorum more loquutus videri potest. Magna mihi copia esset narrandi, de his aquilæ insignibus, & religione, altaribusq;, de quibus & Cicero aduersus Carilinam scripsit, & innumeri alii, ego actum non agam, præsertim cum & Gesnerum in promptu habeas, & post Gesnerum diligentissimum Orinthographum Vlyssem Aldrouandum.

Artaxerxis vestis septẽ millionib. æstimata & ducentis millibus Philippeis.

CVLTVS REGIS INTER OMNIA LVXVRIA NOTABANTVR) Iam supra monui ex Plutarcho cultum Artaxerxis fuisse *τῶν μυρίων καὶ δισχιλίων ταλάντων*, hoc est *duodecim millium talentorum*; & credibile est, non fuisse minorem Darij luxum, & fortè an etiam maiorem, cum sequens plerumque sæculum priora tempora vitijs & diuitijs superaret. Præsertim cum Curtius exertè Darij regiã vestem admirabilitatis causâ describat, & velut luxuriæ exemplum proponat. Porrò in descriptione primũ genus ponit, mòx ad partes descendit, postquã generatim dixit cultũ regis luxuria fuisse notabilẽ. Nihil est ergò, quod in stuporẽ dẽtur, qui scripserũt de luxu Romanorũ, siue antiqui, siue nostri AEui autores. Quid enim est quadringẽties HS. ad ducẽties, octagies, octies millies cẽtena millia HS. quæ nõ vnũ, sed ducenta millia Philippęorũ supra septẽ millies centena millia colligunt, quadringenties aũt vnum tantũ efficiunt nostra æstimatione. Meursius pro floreno ponit, quadraginta staurophoros, nos octoginta pro Philippęo. Quid ergo Plinius Lolliæ Paulinæ margaritas vexat cũ scribit: *Ne serio quidẽ ac solẽni cærimoniarũ aliquo apparatu, sed mediocriũ etiã spõsaliũ cœna, smaragdis, margaritisq; opertã, alterno textu fulgentibus toto capite, crinibus, spira, auribus, collo, manibus, digitisq;. quo summã quadringenties HS. colligebãt, ipsa confestim parata nuncupationũ tabulis comprobare. Altius Romanarũ fœminarũ luxus* (nã virorũ moderatior fuit) *nunquã ascendit.* At si eũ Reginis Persarum componas, paupertas fuit, & sobrietas Romanorũ luxuria.

Romanarũ fœminarũ luxus.

Integræ ciuitates, prouinciæ, regiones, vectigales erant mũdo muliebri reginarũ, supra modũ enim, *καὶ δεινῶς φιλόκοσμοι*, vt Aelianus loquitur, erãt Reginæ, & Cicero affirmat. Solere, aiũt, barbaros reges Persarũ, ac Syrorum plures vxores habere: his aũt vxoribus ciuitates attribuere hoc modo: Hęc ciuitas mulieri redimiculum præbeat, hæc in collũ, hæc in crines. Ita populos habent vniuersos nõ solũ conscios libidinis, verũ etiã administros. Ita de regionibus testatur Socrates apud Platonem, regionem quandam zonam, & aliam calyptram reginæ dictam. Et Athenęus de Atyllante Aegypti, quam zonam reginæ vocabat. Sed ad regis cultũ redeamus. Obserua luxuriam non de Venere, sed veste etiam dici.

Mũdo muliebri Persidũ reginarũ totæ regiones vectigales.

PVRPVREAE TVNICAE MEDIVM ALBVM INTEXTVM ERAT) tunicã, pallã seu trabeam, zonam, diadema, acinacem Regis, calami viuis coloribus depingit Curtius, atque totum vestit Regem. Auctor totius ornatus traditur ab Historicis Cyrus, qui conditor imperij Persici princeps induit *χιτῶνα πορφυροῦν*, tunicã, inquã purpureã, quem vbiq; deinceps reges sequuti, & ipse quoq; Alexander, Plutarcho teste, victor in victorum mores abijt. Ephippus apud Athenæum de eod. Alex. *Καθ' ἑκάστην ἡμέραν χλαμύδα τε πορφυρᾶν καὶ χιτῶνα μεσόλευκον καὶ καυσίαν ἔχοντα τὸ διάδημα τὸ βασιλικόν.* *Quotidie (induit) clamydẽ purpureã & tunicã albo intertextam, & causiam cũ diademate regio.* Fuit hæc tunica nõ Persis tantũ, sed passim regibus in Oriente vsitata, vt ex Athenæo, & Diodoro, alijsq; disci potest. Hãc tunicam candyn vocabant, etsi certo discrimine Regis & Procerũ fuerit distinctus Cãdys, vti dictũ. Quod verò Alexander tunicã induerit Persicã, & tamen Candyn respuerit, ostendit diuersum fuisse Candyn & tunicã. Plutarch. enim & Dio: Siculus disertè affirmant tunicã *μεσόλευκον* Alexandro sumptã, Candyn reiectũ. Rursũ pro eodẽ sumptã tunicam & Candyn videtur Lucianus docere, apud quẽ Philippus pater filio obijcit, quod Cãdyn Persicũ, *σὺ δὲ καὶ τὴν μακεδονικὴν χλαμύδα* induerit. Vt Suidas docet; *κάνδυς χιτὼν περσικός*. Candys Persicum amiculum est. Plenius super his amiculis Brissonius, nos ad Curtium redeamus.

PALLAM AVRO DISTINCTAM) hac extima veste totum voluit regem, imò etiã proceres, tegi Cyrus: hoc Xenophon in Cyripædia narrat, quem adibis. Causam idẽ addit, vt vitia corporis, si quæ essent, tegerentur.

Stolã accipe pro trabea, seu Palla ad talos vsq; promissa, sic enim de ea Iustinus scribit, cũ de Alexandro in Persas degenerãte narrat. *Amicos quoq; suos longã vestẽ aureã, purpureamq; sumere iubet, vt luxum quoq; sicut cultũ imitaretur Persarũ:* Huius primã repertricẽ Diodorus Siculus, & Iustinus Semiramidẽ faciũt. Quanquam Strabo Medeæ hanc laudem trãscribat. Hic ille tanti precij cultus fuit. Multa & magnifica super hac palla Brissonius de regno Persarũ, quã aureã, & gemmatã & belluatã fuisse multorũ tabulis ostendit, vt nihil ambitiosius, & augustius videri potuerit. Quadratã format Halicarnasseus, vbi de dono legatorũ Hetruscorũ, ad Tarquiniũ missorum memorat. *Cum hoc respõso dimissi legati, post paucos dies redeũt, non nuda verba tantũ adferentes, sed & principatus insignia, quibus suos reges ornare cõsueuerant, coronã auream, & sellã eburneã, sceptrumq; in summitate habens aquilã, & purpureã tunicã, purpureumq; amiculum variũ, qualia Lydorũ, atq; Persarum reges gestarunt, nisi quod nõ quadrata, vt illa, sed sigma erat semicirculi.* Palla ergo, vt vides, Persarũ quadrata erat, vt pallium Græcorũ, de quo Tertullian. Pallij extrinsecus habitus, & ipse quadrangulus, ab vtroq; laterum regestus, & ceruici circũstructus, in fibulæ morsu humeris acquiescebat. Hanc passim scriptores appellãt:

σολὴν

στολὴν περσικὴν βαρβαρικὴν, μηδικὴν στολὴν. *Vestem Persicã, Barbaricam, Medicam.* Noster Curtius pallam.

PALLAM AVRO DISTINCTAM AVREI ACCIPITRES VELVT ROSTRIS INTER SE CORRVERENT EXORNABANT) Pallam Latini muliebrem ſtolam potius quàm virilem affirmãt. Nonius: *Palla, inquit, eſt honeſta mulieris veſtimentum,* hoc eſt tunicæ pallium. Plautus: *Pallam ad Phrygionem fert confecto prandio.* Lucillius. *Cum tecum eſt quiduis? ſatis eſt: viſar aliem.*

Sint homines, ſpiram, pallas redimicula promit.

Virgil. *Ferre iubet pallam ſignis auroq; rigentem.*

Aurei accipitres belluatam fuiſſe docent veſtem, Virgilius dixit: *Signis auroq; rigentem.* Philoſtratus: καὶ ζῴων τερατώδεις μορφὰς, οἷα ποικίλλουσι βάρβαροι. *Et ferarum horribiles formas, quales barbari variè effingunt.* Voluit autẽ Darius pallam accipitribus ornari, quod Darius prior omen imperij ex accipitribus, vt Herodotus eſt auctor, acceperat.

VELVT ROSTRIS INTER SE CORRVERENT) laudo cũ Modio, & vulgatis etiã quibuſdam editionibus, CORRVERENT, vehementius eſt, & acerrimorũ alitum impetũ exprimit, lãguidius eſt CORRVERENT, *roſtris coruſcarent.* Corruere autem eſt ex aëre ſimul in terram ruere, ſicut turres, & mœnia, & tecta corruunt, niſi quod huc caſuales quaſi conſilio pugnandi gratia roſtris corruant, vel ſimpliciter eſt huius verbi vis cadere: vt, riſu corrui, victima cæſa corruit.

ADORNABANT) adde auro, & ſignis, etiam gemmas, & nobiliſſimos lapides, vt ex profanis & ſacris hiſtorijs conſtat. Ingreſſa igitur (Eſther) cuncta per ordinem oſtia, ſtetit contra regem, vbi ille reſidebat ſuper ſolium regni ſui, indutus veſtibus regijs, auroque fulgens, & precioſis lapidibus.

ZONA AVREA) vt palla muliebre magis, quã virile palliũ eſt, ita zona, vt non gratis a dicerit Curtius, muliebriter cinctus. Induit zonam etiã Alexãder victi Darij, vt Diodor. Siculus eſt auctor. Plutarchus Perſas zonæ adoratores appellat in Alexandro. Herodianus χιτῶνας ἀναζωσαμένους.

ACINACEM SVSPENDERAT) zona gladium ſuſpenderat, pendebat è zona aurea acinaces. De Acinaci ſuprà copioſè dictum.

VAGINA EX GEMMA) non gemmis ornata, ſed tota gemmea, & vna gemma, niſi Curtius τρόπικῶς partem pro toto accepit.

CIDARIM PERSAE REGIVM CAPITIS VOCABANT INSIGNE) Cydaris, diadema, tiara, Cyrbaſia, ἀπεξ, πῖλος, συνοτίμας appellantur. Geſtabant tamen non reges tantum Cidarim, ſiue tiaras, ſed etiam proceres, & milites Perſæ hoc diſcrimine, vt regis apex eſſet acutus inſtar metæ, aut inuerſi turbinis, reliquorum in frontem flexus curuabatur. Quales hic in veſtiarijs illuſtrij Fuggerorũ aſpexi, quos lingua noſtra Judenhut (quam verè neſcio) appellamus, ſupremus enim apex velut indici Galli roſtrum frontem verſus pendet. Rectam autem tiarã ſeu Cidarim ſoli imperatori Perſarũ licebat geſtare. Quod Xenophon ampliſſimus teſtis aſſeuerat: τὴν μὲν γὰρ ἐπὶ τῇ κεφαλῇ ἀκραν βασιλεῖ, μόνῳ ἔξεστιν ὀρθὴν ἔχειν. *Tiaram in capite ſoli regi fas eſt rectam geſtare.* Ariſtophanes in Auibus.

Διὰ ταῦτ' ἄρ' ἔχων, καὶ νῦν ὥσπερ βασιλεὺς ὁ μέγας
Ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τὴν κυρβασίαν τῶν ὀρνίθων μόνος ὀρθήν.
Quapropter & tunc incedit geſtans in capite ſolus
Velut magnus rex, Cyrbaſiam rectam.

Ad quem locum interpres. πᾶσι γὰρ πέρσαις ἐξῆν τὴν τιάραν φορεῖν, ἀλλ' οὐκ ὀρθὴν, ὡς κλείταρχος ἐν τῇ δεκάτῃ, μόνοι δὲ οἱ τῶν περσῶν βασιλεῖς ὀρθαῖς ἐχρῶντο. *Omnibus enim Perſis licet tiaram ferre, ſed non rectã: (vt Clitarchus in decimo tradit) ſoli autẽ Perſarũ reges vtebantur rectis.* Qui plures deſiderat teſtes, apud Briſſonium reperiet tã multos, quam multos nemo negotioſus volet cognoſcere. Mihi omnis cura eſt formæ Tiaræ exprimendæ. Tiara ſeu Cidaris, vt Briſſonius ex Thucydid s Scholiaſta, Dionyſio Halicarnaſſeo & alijs docet, figuram habet crinium in acutum deſinentium. Halicarnaſſei locus eſt inſignis: Salij apices quos vocant, capitibus ferunt, pileos altos ad formam coni factos, quos Greci Cyrbaſias nominant. Tiaram Strabo πῖλημα πύργωτον turritum pileum appellitat. Ariſtophanis interpres, tiaras affirmat habuiſſe pauonum alas & oculos. Forma, vtcũq; reor, deſcripta eſt Perſicæ tiaræ, quæ ritu metæ ſeu coni ſurgebat, & in apicem deſinebat, vt hodie turcarum pilei, nobis *turbant,* vel Turtſchẽhũt/dicti. Sed addendum quoque tiarã probè munitum fuiſſe caput Perſarũ, temporaque cincta. Erant confectæ ex pannis, non lanis & villis coactæ, proinde illas Herodotus ἀπαγίας vocat, vt Romanos pileos Martialis deſcribit.

Tritis pilea ſuta de lacernis.

Erant Perſis debilia capita, eoque benè munita, & quia benè ſemper tecta, fortaſsè debilia. Nondum hoc decus regium cidaris ſeu Tiaræ perfectum eſt, addit enim Curtius diadema.

HOC CAERVLEA FASCIA ALBO DISTINCTA CIRCVIBAT) antequam dere & diademate agamus, ſcriptura Curtiana emendanda eſt.

Omnia quæ vidi exẽplaria, & quæ nõ vidi, ſed ex fide aliorum viſã, etiã MSS. habẽt *hoc cerulea faſcia albo diſtincta circuibat.* Modius vel imprudens errorem ſilentio tranſmiſit vel diſſimulauit. Acidalius ex Lipſio animaduertit, & conatur felix eſſe præ Lipſio Sulla, atque ex cerulea facit crubea & *mihi,* inquit, *quod poſui valdè blanditur,* addit idem modeſtè, *nondum tamen etiam ſatis ſe probauit.* Nempe ſuum cuique pulchrum, alij conijciunt legendum *hocce rubea,* nam quid eſt erubea, an

vox in Latio cognita? cum nec rubeum latina ciuitate sit donatum: acutissimus Lipsius vel *coccinea* pro ceruleo, vel *ceruleum* vt referatur ad cydæris insigne, scribi posse existimat. Sed & ipse damnat ferè suam coniecturam, nec Sullæ cognomen hic sibi ominatur, quod illi omninò Acidalius abiudicat, & sibi transcriptum (quamuis timidè, quasi diuinaret infœlicem coniecturam) vitiosè colligit particulam, e, sic intendere, cum semel apud Virgilium, simplicique vice apud Ouidium, & Ausonium augeat simplex verbum, vt gelido sit frigidior, egelidus Boreas, & egelidum flumen, & edurus pro valdè durus. Faceret probabilem scripturam, si ostenderet vsum nominis *erubeus*. Quid ergo, inquis, tu censes? Sphingem mihi optem. Curtius album & atrum narrat, cum Lib.6. c.11. hic ceruleum, mox purpureum ponit. Itaque purpureum diadema distinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit. Sed omnia exemplaria ita conspirant, vt propemodum σφάλμα ἀμνήμονος Curtiumque ἀμνηςία, seu immemoria lapsum putem, quemadmodum & infra peccauit in Lyrnesso Ciliciæ vrbe, vti suo loco admonebo. Sed Curtium, vt benignius interpretemur, scripsisse reor: *hoc ceruleum fascia purpurea albo distincta circuibat*, vt etiam tiaræ colorem exprimeret, librarij vitio vocem purpuream præteritam. Ita insigne regium tribus coloribus illustre magis eminebat, albo inquam, rubro & ceruleo; sed mittamus incerta, & ad diadematis descriptionem veniamus. Diadema si notationem verbi & originationem specto, à Græco est διάδημα, redimiculum seu fascia, à διαδέω reuincio, cingo, redimio. διάδημα tandem ad regum tantum transijt insignia. Forma diadematis non fuit nisi fascia candida & tenuis, qua regum frontes cingebantur, qualis in priscorum regum iconibus visitur. Lucianus ταινίαν λευκὴν, candidam tæniam seu fasciam dicit. Suetonius, candidam fasciam. Silius, vittam albentem. Ammianus, fasciolam candidam. Valerius, pannum. Stobæus, ῥάκος.

Regium capitis insigne) alibi regni insigne, decus capitis sui, vt & Seneca appellauit, Liuius, regium insigne Tacitus, regium decus Salustius, regiæ frontis notam Seneca, frontem regium in morem redimitam Florus, albatum diadema Egilippus; de fascijs dixi suprà.

Decem millia hastatorum) αἰχμοφόρους appellat Herodotus, quales & Xerxes habuit, quos equites fuisse non decerno, cum de peditatu speciatim subiungat Curtius. Sed Herodotus videtur pedites fecisse αἰχμοφόρους.

Hastas argento adornatas) Monuerat olim Philippum Apollo

ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου καὶ πάντα κρατήσεις
Hastis argento muntu omuia vinces.

Sed aliouorsum dixit hoc oraculum, vt argento corrumperet hostium ministros, & futurum vt vinceret. Charidemus suprà, quamuis capitis iactura, monuerat Darium, vt argentum hoc & aurum ad conducendum militem peregrinum & Græcum mitteretur.

Propinquorum) distinxit Curtius à cognatis propinquos, vt suprà monui.

Triginta millibus peditum) fuere ergo priores equites, turba inquam circum regem occupatam antegressa & secuta, quam custodiæ caussa sequebatur peditatus, vti Rex in medio armatorum tutissimus incederet & ipse velut anima exercitus.

Equi regii quadringenti) ad omnem vsum regis parati in prælio & fuga, *quæ spes est vltima victi*, & sane fuerunt necessarij Dario fugituro.

Interuallo deinde vnius stadii) ne Veneris turba cum horrido Martis satellite misceretur: sic apud Herodotum præmisso exercitu post duorum stadiorum intercapedinem turba promiscua sequebatur. Μετὰ δὲ τὴν ἵππον διέλειπε καὶ δύο σαδίους, καὶ ἔπειτα ὁ λοιπὸς ὅμιλος ἤιε ἀναμίξ. *Post equitatum relicto duorum stadiorum spatio reliqua turba permixtim ibat.*

Sisygambim) Sequitur totum Darij Gynæcæum Mater regis, & vxor cum aulico famulatu, & nec pellices quidem CCCLX. desunt genus ad colum natum, cui possis cum Ioue apud Homerum dicere

——οὔτοι — δέδοται πολεμήϊα ἔργα
Ἀλλὰ σύγ᾽ ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα γάμοιο
Ταῦτα δ᾽ Ἄρηϊ θοῷ καὶ Ἀθήνῃ πάντα μελήσει.
Non tibi datum bellica sequi studia
Tu dulces cura thalamos, hæc celeri Marti & Mineruæ relinque.

Cætera Sisygambis fœminarum prestantissima, vtramque fortunam virili animo tulit, nec aduersis rebus fracta, nec secundis repente elata aut mutata, quod infrà victo Dario captiuate docebit.

Coniunx) Eademque soror, quæ vterum ferebat ex Dario, non Atossa, quæ superioris Darij vxor fuit, causa Dario belli Græcis inferendi, Herod. 7. AEl. hist. Anim. 11. c. 27.

Reginas) Matrem & vxorem opinor tantum reginas appellar. Quamuis enim legibus Persarum Regi, Proceribus etiam fas fuerit, non solum quot vellent pellices legere, sed legitimas vxores ducere (vti Cice o confirmar, & Herodotus Dario quatuor vxores fuisse narrat) Dario tamen huic vltimo, non nisi vnicam fuisse intelligo.

Tvrba

TVRBA FOEMINARVM) aulicum gynecæum, nec est quod mireris equis vectas esse fœminas Persarum, regem enim etiam venaturum sequebantur. Liuius: *Darium Alexander mulierum ac spadonum agmen trahentẽ, inter purpuram atq; aurũ eneruatũ, fortuna sua apparatibus prædam verius quam hostem, nihil aliud quàm benè ausus vana contemnere, incruentus deuicit.* Darius ipse de hinc agmine muliebri infra: Vsu se didicisse preciosam suppellectilem, pellicesque & spadonum agmina nihil aliud fuisse, quam onera & impedimenta.

ARMAMAXAS) vox Persica HARMAMAXA vel armamaxa, genus vehiculi quo fœminæ vectabantur. Arriani interpres esse dum vertit. Ego lecticam potius curulem fuisse conijcio, cum fœminarum vsibus seruiret. Brissonius plura de his curribus & lecticis.

LIBERI) Duæ filiæ quarum alteram Statiram, vt Plutarchus de Fort. Alex. li. 2 appellat, Barsinẽ vt Arrianus l. 7. Plutarcho Artabazi filiam, Curtius infra lib. 4., Saptinam vocat, à Dario oblatam Alexandro, quam postea duxit Alexander, alteram Drypetim minorem natu, quã Alexander Hephæstioni despondit, Arrianus lib. 7. & Ochus puer.

ET QVI EDVCEBANT EOS) Modius ineptè legi contendit: qui & rescribit *quæ*, resertque vt reor, ad nutrices. Sed Aldi scripturam laudo, seruoq; cum antiquis exemplaribus omnibus, *qui educebant*, vel *educabant*. Sed Modius nobis recta corrigit, immemorque quod in Alcibiade Plato docuit, liberos regios, præsertim hæredem & maiorẽ natu, non obscuris mulierculis, sed præstantissimis Eunuchis & optimis viris in disciplinam traditos, qui eos ad omnes regias virtutes educerent informarentq;, & hoc in ipsa infantia simul ac lucem primam hausit. Seruanda ergo prima scriptura *qui educebant eos*, non *quæ educebant*. Quamquam haud nescius sum subinde liberos regios etiam nutricibus commissos, sed magnum fuit discrimen inter liberos regios reginarũ & concubinarũ.

EDVCEBANT) Ita præfert Aldi codex, nec malè, sic Terentius, Tacitus, Claudianus, alij loqui soluére. Ita educta, vti &c. In contubernio eductus, disciplinis eductus. nec tamen altera & vulgaris scriptura improba, *educabant*.

SPADONVMQVE GREX HAVD SANE ILLIS GENTIBVS VILIS) Spadones (vt originem verbi aperiamus) a Spadis castello seu vico Persico dicti, vbi primum mares exsecti & spadones facti. Steph. Σπάδα, οὐδετέρως κώμη Περσικὴ ἐν ᾗ πρώτη εὐνουχισμὸς γεγόνει, ὅθεν σπάδοι λέγονται. *Spada neutro genere vicus est Persicus, in quo primum Eunuchi facti, vnde & spadi seu spadones appellati.* Plura de Spadonibus Brissonius, vbi & de causis & origine eorundem, & apud quas gentes in precio.

Committebatur his custodia gynæcæi & reginarum, pellicumq; regiarum, & puerorum, vt ex Esthere & Platone dici potest. Philostratus narrat spadones sine omni suspicione in Græconitide diu noctuq; versatos. Idem Heliodorus, Lucianus, Dio Chrysostomus, alij affirmãt. Alij regibus & principibus Cæsaribusque à cubiculis erant, alij à thesauris, alij à custodia corporis, vt apud Xenophontẽ Cyro, alij à mensæ ministerio. Alij etiam exercitus duxere. Iure ergo Curtius docet non vilem fuisse Persis Eunuchum, quod confirmat Herodotus: ἀμεινότεροί εἰσι οἱ εὐνοῦχοι πίστιος εἵνεκα τῆς πάσης τῶν ἐνορχίων. *In maiori pretio quam integri sunt Eunuchi propter fidem.* Copiarum ductores fuere alij, alij consules, patriarchæ, alij alijs honoribus primis apud Cæsares, reges & principes persuncti.

PELLICES REGIAE CCC. LX.) More hoc regio non Persarum tantum, sed plurimarum gẽtium factum sacræ & profanæ literæ narrant. Multa super his Brissonius. Athenæus ex Dione & Heraclide Cumano docet Regem Persarum à CCC. mulieribus custoditum, quæ interdiu somnũ capiebant, totã noctem insomnem accensis lucernis canendo psallendoq; traduxisse. Dario Alexander in circũducendis nil concessit, immò plures adiecit, vt Curtius infra refert. Recognosce principum Christianorum castimoniã, cum paganorũ aut Iudæorum etiam licentia comparatam. Singulæ separatim Iustino teste recludebantur. Liceat nobis alia ignorare.

ET IPSAE REGALI CVLTV) Nec honoris fuére expertes, quin antequam ex Ionia, aut aliũde apportarentur, XII. priùs mensibus clam in gynæcæo poliebantur, vngebantur, ornabantur. Regibus etiam adsedisse produnt literæ, nullum igitur ferè discrimen erat inter reginas vxores, & hasce παλλακίδας regias, nisi quod diademate carerẽt. Nã de vxoribus & legitimis reginis diademate cultis præter sacra literarũ testimonia Iosephus, Plutarchus, Heliodor. Sulpitius Seuerus tabulis cõfirmant.

SEXCENTI MVLI) nongenta iumenta portarunt gazam Darij, triginta millia Alexãdri magni pecuniam. Pecunia, vti & omnia impedimenta, nunquam siue inuia, siue in castris sine præsidio militari relinquebantur. Sagittarij dicũtur, qui sagittas ex arcu mittunt, quarum auctorem ferunt seu Scythem Ioue natum, seu Persen Persei filium. Præsidium addebatur non contra hostes tantum, sed etiam feras, quæ camelos, aut equos, aut mulos quandoque inuadebant.

PROPINQVORVM AMICORVMQVE CONIVGES) Vti supra docuimus, reginas & pellices regem in castra & venationes secutas, ita procerum quoque coniuges suos sequebantur maritos, imò & pellices, quorum singulis plures habere licebat. Surena prorex Parthorum ducenta vehicula pellicibus ad bellum profecturus onerabat.

LIXARVMQVE ET CALONVM) Lix cinis est, vel humor cineri mixtus, vnde lixiuiũ. Elixum quicquid aqua coctu est. Lixa veteribus aqua dicebatur, Lixæ militum serui, qui aquam militibus vehunt ad castra, vel ad tentoria. Lixas Festus aliunde deducit. Lixæ, inquit, qui exercitum sequuntur

quæstus gratia, dicti quod extra ordinem sint militum, eisque liceat quod libuerit. Alij eos à Licha appellatos dicunt, quod & ille Herculem sit secutus; quidam à liguriendo quæstum. Eidem Festo alibi metelli nuncupati, alijs mercenarij.

Calones δοῦλοι δημόσιοι publici serui. κᾶλα Græcis ligna, calones serui qui militibus ligna subministrant, vel vti Festus originatur, quia ligneas clauas gerebant, quæ Græci κᾶλα vocant. Plauto caculæ.

VLTIMI LEVITER ARMATI) ψιλοί. totum exercitum claudebant leuiter armati, quia remotissimi ab hoste leuiter armatorum nomine funditores, sagittarios & iaculatores intellige, & omnes qui telis hostem eminus petunt. quorum loco Romanis erant Velites leuis armaturæ, hastis, gladijs & parmis instructi.

CONTRA SI QVIS ACIEM MACEDONVM INTVERETVR) Eodem modo suprà contendit copias Darij cum phalange Alexandri Charidemus, & illas contempsit, hanc prædicauit.

EQVIS VIRISQVE) loricatis, probeque armatis, eoque ferro & ære fulgentibus, non purpura, gemmis, auro & argento.

NEC TVRBA) Lixarum, calonum, fœminarum, spadonum.

SARCINIS) quas etiam diripi passus est in secundo conflictu, easdem mox cum vniuerso regno Asiæ recuperaturus.

INTENTVM AD DVCIS SIGNVM) supra: ad nutum monentis intenti, sequi signa, seruare ordines didicere.

CASTRIS LOCVS) vbique fuit locus, cum esset iusto non maior exercitus, quem quiuis locus non angustissimus caperet.

ERGO ALEXANDRO IN ACIE MILES NON DEFVIT) Sequitur Epiphonema capitis huius & vtriusque exercitus comparationis.

NON DEFVIT) pro loci natura habuit Alexander satis magnum exercitum, Darius nimis magnum, quo propter faucium angustias vti non potuit, eoque ad paucos redactus. Quod primum Darij fuit peccatum, quando etiam ea de re monitus non didicit parere, cum prima sapientia sit, vt Hesiodus & Liuius docent, posse quemque per se quod optimum sit factu perspicere, proxima bene consulentibus obsequi; postrema & deterrima nec per se sapere, nec sapienter suadentibus obsecundare velle aut didicisse. Pauper ergo & sine exercitu ferè fuit Darius, cum copijs maximè abundaret. Dux ergo multitudini, & pauci ab Alexandri parte, propter ducis prudentiam pares, imò superiores pluribus fuére.

CAPVT VIII.

ARGVMENTVM.

Alexander ad castra Cyri venit, Arsames stulto consilio Ciliciam, cui præerat, vastat, portas inde Cilicias per Taurum adeundas describit Curtius, & miratur angustias aditus à Persis desertas. Tum ipsam Ciliciam calamo adumbrat, & antiqua monumenta eruit, Cydnum amnem laudat.



NTEREA Alexander Abistamene Cappadociæ præposito, Ciliciam petens cum omnibus copijs, in regionem qua Castra Cyri appellatur, peruenerat. Statiua illic habuerat Cyrus, cùm aduersus Crœsum in Lydiam exercitum duceret. Aberat ea regio quinquaginta stadia ab aditu, quo Ciliciam intramus: Pylas incolæ dicunt, artissimas fauces, munimenta, quæ manu ponimus, naturali situ imitante. Igitur Arsames, qui Ciliciæ præerat, reputans quid in initio belli Memnon suasisset, quondam salubre consilium serò exequi statuit. Igni ferroq; Ciliciam vastat, vt hosti solitudinem faciat: quidquid vsui esse potest corrumpit, sterile ac nudum solum, quod tueri nequibat, relicturus. Sed longè vtilius fuit, angustias aditus, qui Ciliciam aperit, valido occupare præsidio, iugumq; opportunè itineri imminens

imminent obtinere;vnde inultus subeuntem hostem aut prohibere aut opprimere potuisset. Nunc paucis,qui callibus præsiderent relictis,retrò ipse concessit populator terræ quam à populatoribus vindicare debebat. Ergo qui relicti erant,proditos se rati, ne conspectum quidem hostis sustinere valuerunt,cum vel pauciores locum obtinere potuissent. Namque perpetuo iugo montis asperi ac prærupti Cilicia includitur:quod cum à mari adsurgat,velut sinu quodam flexuque curuatum,rursus altero cornu in diuersum litus excurrit. Per hoc dorsum,quod maximè introrsus mari cedit,asperi tres aditus,& perangusti sunt, quorum vno Cilicia intranda est,campestris eadem,qua vergit ad mare, planitiem eius crebris distinguentibus riuis. Pyramus & Cydnus inclyti amnes fluunt, Cydnus non spacio aquarum, sed liquore memorabilis:quippe leni tractu è fontibus labens,puro solo excipitur. nec torrentes incurrunt,qui placide manantis alueum turbent. itaque incorruptus idemque frigidissimus,quippe multa riparum amœnitate inumbratus,vbique fontibus suis similis in mare euadit. Multa in ea regione monumenta vulgata carminibus vetustas exederat. Monstrabantur vrbium sedes Lyrnessi, & Thebes: Typhonis quoque specus & Corycium nemus, vbi crocum gignitur,cæteraque in quibus nihil propter famam durauerat.

ABISTAMENE CAPPAOOCIAE PRAEPOSITO)Non exponit Curtius, quid in Cappadocia fecerit Alexander,sed cum Abistamenem præfecerit regioni,nullo negotio lector colligit occupatam ab Alexandro prouinciam,quod exertè Arrianus,paucis tamen verbis narrat. αὐτὸς δὲ ἐπὶ τῆς Καππαδοκίας ἐλάσας,ξύμπασαν τὴν ἐντὸς ἅλυος ποταμοῦ προσηγάγετο,καὶ ἔτι ὑπὲρ τὸν ἅλυν πολλήν. *Ipse in Cappadociam mouens, omnem quæ cis Halym fluuium est regionem,& partem aliquam eius quæ trans Halym est,subegit.* Cappadociam apud Ptolemæum,Strabonem,Plinium,Solinum descriptam leges. Ab occasu minorem Armeniam claudit;à Septentrione longo littore in Euxinum expanditur. Et hoc est quod Plinius ait, illam omnium Ponticarum longissimè introrsus recedere. A meridie angusto excursu Ciliciam attingit,vti ab occasu rursus Galatiam & reliquam Paphlagoniam finit;ab oriente magnam habet Armeniam, iuxta Euphratem, dicta Leucosyris Eustathio, Plinio Cappadocia à Cappadoce amne.Plura suggerent Geographi. Inspice primam Asiæ tabulam apud Ptolemæum & Strabonem.

CASTRA CYRI)Noster Curtius hic abit à mente Arriani, qui castra Cyri à Cyro minore dicta ait,Curtius à maiore,qui Crœsum cepit.Modius negat sibi liquere vter rectè sentiat. Ego haud dubius pro Arriano steterim,cui Xenophon fauet. Nam de Cyri maioris contra Crœsum euntis castris hisce,vix vlla mentio,nisi cum in Pteriam venit regionem Cappadociæ,non procul Synope ad pontum Euxinum sita,qui locus erat munitissimus. Eodemque loco sua Cyrus maior castra metatus est.Sed enim cum Pteria recedat ad Pontum Euxinum,& iuxta Sinopen,quæ procul abest ab aditu Ciliciæ,sita sit,hæc Cyri maioris castra huc non pertinebunt,cum hæc à Pylis Ciliciæ non amplius quinquaginta stadiis absint,quæ paulò amplius sesquimilliare efficiunt.Nec lego vsquam hic habuisse Cyrum maiorem statiua.Sed de Cyro minore ex Xenophonte res certa est, vt omninò concedam in Arriani partes. Nam Xenophon easdem fauces & simul Cyri minoris ad easdem aduentū castraque hisce verbis exponit:Ἐντεῦθεν ἐπειρῶντο εἰσβάλλειν εἰς τὴν Κιλικίαν. &c.*Hinc in Ciliciam traiectionem molitur. Additus erat via * curulis admodum ardua,& copijs militaribus. si sit qui arceat, inaccessa atque inexpugnabilis. Dicebatur huic imminentia iuga Syennesis(Ciliciæ rex)obsidere,aditumque custodire. Quapropter(Cyrus)vnum diem in campis subsedit.* Ad hunc planè locum & castra Cyri minoris venit,vt Arrianus docet,Alexander,antequam Pylas seu angustias exploraret & ingrederetur. Aberant castra Cyri à portis Ciliciæ quinquaginta stadia in campo sita, vt monui. Strabo emendandus videtur ab operarum macula,cum ita scribitur: καὶ Κύρου στρατόπεδον διὰ Τυάνων.*Et Cyrini* (Cyri legendum)*castra per Tyana.*

* plaustris inuia si legas ἀναμάξευτος. Curtius tamen quaternos armatos ait cepisse.

ADVERSVS CROESVM IN LYOIAM DVC.EXERCITVM)De Crœso Lydorum rege opulentissimo à Cyro maiore capto,copiosè Herodotus,Xenophon,Ctesias,Iustinus,& multi passim alij tradidere.Sed Herodotus,Xenophon & Ctesias planè diuersa narrant,quos videbis,neque enim hic opus pluribus.

PYLAS INCOLAE DICVNT)πύλαι Græca vox,portas valet Latinis:Cilicia à Cilice Phœnice Agenoris filio nuncupata. Ab occasu habet Pamphyliam,ab ortu Syriam,à meridie Issicum sinum, à Septentrione Cappadociam,qua venit Alexander. Tres habet aditus perangustos, primus qua ex Cappadocia Tarsum versus tenditur,qui tam arctus est,vt similitudinem portarum referas. Et de his faucibus & ingressu in Ciliciam hic sermo est. Alter est quo ex Cilicia per portas Amani montis in Syriam exitur,haud procul Isso:tertius ad portas Syriæ est. Media,post aditum, est campestris, per quam Pyramus & Cydnus fluit. Ternæ pylæ sunt auctoribus nominatæ,pylæ seu portæ Ciliciæ à Septentrione,quibus per angustias venitur in campestrem Ciliciam, alteræ ad Amani montis radices,quibus in Syriam aditur & Cilicia finitur. Tertiæ portæ Syriæ seu Cilicæ sunt extremæ ad si-

num Issicum, quem attingunt iuxta mare. Hic Camertis, qui Solinum Commentarijs illustrauit, errorem emenda, portas Cilicias cum Amanicis confundentem, cum & Curtius, & Xenophon, Strabo, Solinus, & alij auctores diuersas affirment. Nam Ciliciæ portæ, quas Alexander ingressus suam felicitatem & hostium stultitiam admiratus est, sunt quibus ex Cappadocia, vt dixi, aditur campestris Cilicia. Amanicæ, quibus exitur in Syriam, Syriæ seu Ciliciæ sunt tertiæ, quibus finitur Cilicia versus orientem diuersæ ab Amanicis. Sed de his infra copiosè. Obserua à Strabone & Solino veterem Ciliciam aliam dici extra montem Taurum versus sinum Issicum (quæ post eris sola Cilicia) aliam intra Taurum, quæ ad Cappadociam, Pamphyliam & Lycaoniam pertinet.

MVNIMENTA) Propugnacula, claustra viarum; alioqui sunt etiam arma quibus corpus tegimus. Extremæ pylæ quibus Syria petitur & Amonicæ dicuntur, sunt arte factæ, murisque geminis clauduntur, vt infra cognosces.

IGITVR ARSAMES) Satrapa Ciliciæ in bello ad Granicum inter Satrapas primo loco ponitur ab Arriano, pro Dario propugnans vel potius fugiens, de quo mox ex Arriano plura.

MEMNON) supra cap. 3. de hoc, eiusque molitionibus & morte prolixè narratum. Consilium porrò illius maturum ex reliquis ducibus maximè oppugnauit Arsites, Phrygiæ, quam ad Hellespontum est, satrapa, vti Arrianus copiosè describit.

SERO EXEQVI) — sero Phryges, hostium partes cœpit agere Arsames, quod Curtius acerbo dicto carpit: *Populator, inquit, terræ, quam à populationibus vindicare debebat.*

QVONDAM SALVBRE) Occasio præterita frustra reuocatur. Consilium erat vt hosti solitudo fieret, & lignatione, frumentatione, pabulationeque prohiberetur, sine quibus nec eques, nec pedes progredi potest. *Sæpius enim penuria quam pugna consumit exercitum, & ferro fæuior fames est.* Reliquis casibus potest in tempore subueniri: pabulatio & annona in necessitate remedium non habet. Hoc ergo à principio Memnonis erat consilium, vt Arsames corrumperet frumentum & pabulum, & hostis inopia frangeretur. Sed Arsames serò executus est consilium, hoste super caput illorum imminente, vt Arrianus testatur.

LONGE VTILIVS FVIT) Euentum magistrum esse stultorum Arsames sensit, qui sibi plus quā hosti nocuit.

ANGVSTIAS ADITVS) quas si custodisset Arsames, saxis obruere subeuntē Alexandri militē ipso Alexandro teste poterat. Has Cilicię portas, non Amanicas supra ex Xenophonte descripsimus.

IVGVMQVE) montis Tauri. Tauro à Septemtrione; & Cilicio mari à Meridie tota Cilicia claudebatur. è Tauri dorso in prætereuntes poterant saxa deuolui, ipsæ angustiæ & pylæ milite valido claudi, vt ne singuli quidem possent penetrare. Sed has occasiones omnes stolidus hostis neglexit, & viam Alexandro præbuit in Ciliciam. Carolus Magnus ex Hispanijs reuersus in Pyrenæis saltibus cum milite vltimum discrimen subijt, clarissimis suorum amissis, incolis ex alto & tuto in subiectos pugnantibus.

INVLTVS) Nempe à loco superiore, & montis iugo pugnantes.

NVNC PAVCIS) Arrianus valido præsidio insessas affirmat. *Cum ad Cyricastra venisset, qui cum Xenophonte erat, vt pylarum angustias valido præsidio teneri vidit:* & quæ sequuntur.

CALLIBVS) viarum angustijs: Callis Seruio est semita tenuior, pecorum pedibus prædurata.

RETRO) ad Interiorem Ciliciam, Tarsum versus.

POPVLATOR TERRAE) præclara laus præsidis prouinciæ, quid hostis potuit in hostico amplius facere? omniaque tanquam externa aut vrbes hostium vrere, vastare, rapere, vt 2. finali Tacitus testatur, quod peregrinus & conductus mercede miles solet.

PRODITOS SE RATI) Cum omnia retro fumo incendioque misceri cernerent, prædæ se relictos & cædi existimarunt.

PAVCIORES) sed viri, non fugitiui, quibus omnibus in pedibus salus.

NAMQVE PERPETVO IVGO) Descriptio Ciliciç, quam ait Tauro à Septentrione, & mari à meridie totam includi, montem asperum appellat, à quo aspera Cilicia à primo Pamphyliæ ingressu, & extremo ad Amani portas, egressu, & à Pylis etiam Ciliciæ, qua à Septentrione per Cappadociam aditur, per quam Alexander venit. Tabulæ Geographicæ inspiciendæ.

QVOD CVM A MARI ADSVRGIT) Xenophon 1. An. ὄρος δὲ αὐτὸ περιέχει ὀχυρὸν καὶ ὑψηλὸν πάντῃ ἐκ θαλάττης εἰς θάλατταν. *Mons autem campum cingit arduus & altus omnino, à mari ad mare.*

DORSVM) Iugum, tergum, verticem Tauri, introrsus continentem versus recedens à mari.

TRES ADITVS) per Ciliciæ portas, qua castra Cyri fuere à Septentrione, vt dixi, & Amani pylas, quibus exitur in Armeniam, Tertium ad Syriæ portas. Solinus de Tauro: *Vbi dehiscit hiulcis iugis facit portas, quarum prima sunt Armeniæ* (ab Oriente nempe & Syria) *tum Caspiæ, post Ciliciæ.* Plinius de Tauro: *Portarum nomine sibi vnū atem vendicans, quæ alibi Armeniæ, alibi Caspiæ, alibi Ciliciæ vocantur* De Syriæ portis infra ex Xenophonte plura.

QVORVM VNO CIL. INTRANDA EST) Ex Cappadocia à Septentrione, nam à Syria & ortu per pylas Amanicas aditur, qua nempe venit Darius.

CAMPESTRIS EADEM) Ex monte Tauro post pylas descenditur in pulcherrimam planitiem Pyra-

Pyramo, Saro & Cydno irriguam, quæ vsque ad Tarsum excurrit. Xenophon: *Hinc descendit in campum ingentem, amœnum & irriguum, omnique genere arborum & vitium plenum.*

PYRAMVS) Xenophon: *Inde primis castris M pass. XX. ad Pyramum progressus. huius nihilo minor stadio latitudo est.* Strabo: Διὰ δὲ τῆς Καταονίας ὁ Πύραμος πλωτὸς ἐκ μέσης τοῦ πεδίου τὰς πηγὰς ἔχων. &c. *Per Cataoniam Pyramus nauigabile flumen decurrit, medijs in campis scaturiens.* Et subijcit Strabo: *Est autem fossa memorabilis, per quam aqua pura longo spatio infra terram fertur, ac deinde in superficiem erumpit. si quis iaculum in fossam contorqueat, adeo resistit vi aqua, vt agrè mergatur.* Multa dein Strabo memoranda refert & concludit: *Per montes elapsus Pyramus tantum secum arena effert è Cataonia partim, partim è Ciliciensi campo, vt oraculum quoque feratur:*

> Ἔσσεται ἐσσομένοις ὅτε πύραμος εὐρυοδίνης
> Ἠιόνα προχέων ἱερὴν ἐς Κύπρον ἵκηται.
> *Isthac euenient, vastis quo Pyramus vndis*
> *Tempore profuso continget littora Cypri.*

Apud Polybium pro παρὰ τὸν Πύρον, scribendum Πύραμον, quem alii Pinarum vocant.

CYDNVS) Descriptio & encomium Cydni fluminis, quem ait non longis terrarum ferri spacijs, nec misceri alienis vel torrentibus, vel vndis, vel fluminibus, sed purum vehi à fontibus vsque ad Cilicium mare. Xenophon: Διὰ μέσης δὲ τῆς πόλεως ῥεῖ ποταμὸς Κύδνος ὄνομα εὖρος δύο πλέθρων. *Per mediam vrbem fluit Cydnus, cuius latitudo est duorum iugerum.* hoc est, ducentorum & quinquaginta pedū. Strabo, *Tarson*, inquit, *Cydnus medium perfluit iuxta Gymnasium Iuniorum. Eius ortus non procul est, alueus verò per profundam vallem illatus rectà in vrbem ingreditur. Aqua est rapidissima, & frigida, quapropter hominibus ac bestijs auxiliatur, quæ neruos crassiores habent.* Arrianus: Ὁ δὲ Κύδνος ῥεῖ διὰ μέσης τῆς πόλεως. διὰ δὲ ἐκ τοῦ Ταύρου ὄρους τῶν πηγῶν οἱ ἀνισχύτων, καὶ διὰ χώρου καθαροῦ ῥέων, ψυχρός τέ ἐστι καὶ τὸ ὕδωρ καθαρός. *Cydnus autem cum ex Tauro monte oriatur, & puro solo excipiatur, fit vt vnda eius incorruptissima, simulque frigidissima sit.* Tibullus hunc laudat:

> *At te Cydne canam tacitis qui leniter vndis*
> *Ceruleus placidis per vada serpis aquis.*

Dio Chrysostomus in Tarsica prima. Καὶ τόδε τοῦ Κύδνου ὡς δεξιώτατος ἁπάντων ποταμῶν καὶ κάλλιστος, ὅτι ἀπ' αὐτοῦ πίνοντες ἀφνειοὶ καὶ μακάριοι καθ' Ὅμηρον. *Et hoc Cydno qui omnium fluuiorum commodissimus & pulcherrimus est, & qui ex eo bibunt, diuites & beati sunt Homero.*

Vitruuius Cydnum podagræ mederi docet, cruribus eo mersis, expertus est hoc Cassius Parmēsis. Apollonius Tyaneus, Tarsenses risit, velut aues ad Cydnum otiosos sedere solitos, eius amœnitate & pulchritudine ebrias. Solinus: *Hunc Cydnum*, inquit, *alij præcipitari Tauro, alij deriuari ex alueo Choaspis tradiderunt. Qui Choaspes ita dulcis est, vt Persici reges quamdiu intra ripas Persidis fluit, soli sibi ex eo pocula vendicarint, & cum eundum foret peregrè, aquas eius secum vectitent. Ex illo igitur parente Cydnus miram trahit suauitatem. Quicquid candidum est, Cydnum gentili lingua Syri dicunt, vnde amni huic nomen datum. Tumet vere* (sic lege, non *Tumet & vere*) *cum niues soluuntur, reliqua parte anni tenuis est & quietus.* Dionysius Alexandrinus de situ orbis:

> Καὶ τῷ μὲν πλεόνων ποταμῶν ἐπιμίσγεται ὕδωρ
> Τηλόθεν * ἀρχομένων πυράμιός τε καὶ πινάροιο
> Κύδνου δὲ σκολιοῖο μέσην διὰ Ταρσὸν ἰόντος.
> *Atque huic* (mari Issico) *multorum fluminum miscetur vnda*
> *E longinquo * orientium Pyramique & Pinari*
> *Cydnique flexuosi mediam per Tarsum euntis.*

Eustathius Cydnum filium ait fuisse, indeque nomen flumini venisse Solinus correctus. * ἐρχομένων. * venientium.

Ex his emendes licet, qui duorum fluminum nomina per ignorantiam miscent, Pyramum & Pinarum cum diuersa fuerint, vt hic discis. De Cydno Eustathius ad hunc Dionysij locum: *Frigida verò est Cydni aqua, confertque obstructione laborantibus*, immò & podagra fectis, vt Vitruuius docet, & Baptista Mantuanus:

> *Tu quoque tardigradam tactu sanare podagram*
> *Cydne potens, gaude tanto lætatus alumno* (S. Paulo)
> *Curre alacris, Taurique fluens de fontibus æquor,*
> *Cæruleum niueis, saliendo allabere lymphis.*

Stephanus Cydnon Bithyniæ, flumen facit. De hoc Cydno Ciliciæ, non Bithyniæ, toto capite xix. disputauit Bisciola l. 14.

TORRENTES) χειμάῤῥος χαραδραῖος, amnis ex aqua, vel pluuia, vel niue collectus ex mōtibus decurrēs.

FRIGIDISSIMVS) caussā adiungit, quod vmbris riparum arbore frequenti conuestitarum defendatur à solis æstu.

MVLTA IN EA REGIONE MONVMENTA) Quæ sint illa monumenta ipse subijcit, cum vrbes & syluas, & specus indigitat.

LYRNESSI ET THEBES) Iā pridē deletarū vrbiū nuda loca, neq; vestigia vlla prēter nomina extantia. Est qui hoc loco Curtiū erroris grauissimi reū postulet, eūq; nominis cōmunicatione & societate deceptū affirmet. Atq; fortasse deceptus est qui deceptū putat. Nā Curtius secutus est Dionysiū periegetē, qui in Cilicia quoq; Lyrnessū ponit, vti Strabo Lyrnessū & Thebē in Pāphylia extra Taurum iuxta Ciliciam. Dionysij versus sunt:

Πολλαὶ δ' ἑξείης κιλίκων γεγάασι πόληες
Λυρνησσός Μαλλός τε, καὶ Ἀγχιάλεια, Σόλοι τε.
Multa item deinceps Cilicum sunt vrbes
Lyrnessus, Mallusque, atque Anchialia Soliqué.

Ad quem locum Eusthatius. *Cilicum porrò Ciuitas est Lyrnessus alia quam Troica: alio nomine Homala, in alto quidem sita, eo autem nomine à Mallo quodam dicta, qui illam cōdidit, vel ἀπὸ μαλλῶν, hoc est, coronis, quas coruus olim rapuerat, ibique deposuerat, dicta est.* Itaque duplices Lyrnessum & Theben condimus, Homerianas & Dionysianas, quas Dionysij posuit hic Curtius, etsi illis Homericis multò ignobiliores & obscuriores.

TYPHONIS QVOQVE SPECVS) Typho Græcis est procella turbinis, Plinium lege. De hoc Aristoteles disputat in Meteoris, & Agellius. Iam ex hoc poetæ gigantem ædificarunt, quem aiunt è terra natum, ἑκατοντακάρανον centicipitem ab Apolline interfectum, Aetnæ à Ioue subiectum expirare ignes. Alij Typhonem aiunt Aegyptum Osiridis, Isidis, Apollinis & Veneris fratrem, à quo Osiridem traduntinteremptum, de quo Berosus, Diod. Siculus & alij. Alij fabulas rursum ad naturam referunt, & fabularum ænigmata exponunt, quod in plerisque locis ex terræ spiritibus terræ motus gignantur, ignesque erumpunt, quibus montes franguntur, & hos esse Encelados Aetnęos, hos Bryaceos, hos Typhœos, hos Typhonas, quæ ego omnia poetis & Mythologis relinquo. Pindarum, Homerum, Melam etiam, Gyraldum & Natal. comitem inspice.

CORYCIVM NEMVS) specum Corycium duo præ cæteris ex veteribus accuratè suis calamis expressum depinxerunt, Mela & Solinus. Illius hæc sunt: *Non longè hinc Coricos oppidum portu saloque incingitur, angusto tergore continenti adnexum. supra specus est, nomine Corycius. singulari ingenio, ac supra quam, vt describi facilè possit eximius. Grandi namque hiatu patens, montem littori appositum, & decem stadiorum cliuo satis arduum, ex summo statim vertice aperit. Tunc altè demissus, & quantum demittitur amplior, viret lucis pubentibus vndique, & totum se nemoroso laterum orbe complectitur: adeo mirificus ac pulcher, vt mentes accedentium primo aspectu consternat: vbi contemplati durauere, non satiet. Vnus in eum descensus est, angustus, asper, quingentorum & mille passuum, per amœnas vmbras, & opaca syluæ quiddam agreste resonantis, riuis hinc atque illinc fluctuantibus. Vbi ad ima peruentum est, rursus specus alter reperitur ob alia dicendus. Terret ingredientes sonitu cymbalorum, diuinitus & magno fragore crepitantium. Deinde aliquandiu perspicuus, mox & quo magis subitur obscurior, ducit ausos penitus, alteque quasi cuniculo admittit. Ibi ingens amnis ingenti fonte se extollens, tantummodo se ostendit: & vbi magnum impetum breui alueo traxit, iterum demersus absconditur. Intra spacium est, magis quam vt progredi quispiam ausit horribile, & ideo incognitum. Totus autem augustus, & verè sacer, habitarique à dijs & dignus & creditus. Nihil non venerabile, & quasi cum aliquo numine se ostentat.* Solinum tute consule cum Strabone, Plinio, & Martiale.

CAETERAQVE) Arati nempè Portæ monimentum ideo referendum inquit Mela, quia ignotum, quam ob caussam iacta in id saxa dissiliant, atque alia seu Chrysippi Stoici seu Philemonis Comici Solis natorum.

CAPVT IX.

ARGVMENTVM.

Alexander ingressus fauces Ciliciæ miratur stultitiam hostis locum relinquentis. Exploratores armatos præmittit, Tarsum incensum ab hoste seruat, & ingreditur.



Lexander fauces iugi, quæ Pylæ appellantur, intrauit. Contemplatus locorum situm, non aliàs magis dicitur admiratus esse felicitatem suam: obrui potuisse vel saxis confitebatur, si fuissent, qui in subeuntes propellerent. Iter vix quaternos capiebat armatos. dorsū montis imminebat via, nō angustæ modò, sed plerumque præruptæ, crebris oberrantibus riuis, qui ex radicibus montium manant. Thraeas tamen leuiter armatos praecedere iusserat, scrutarique calles, ne occultus hostis in subeuntes erumperet. Sagittariorum quoque manus occupauerat iugum: intentos arcus habebant, moniti non iter ipsos inire, sed præliū. Hoc modo agmen peruenit ad vrbem Tarson, cui tum cu... maximè Persæ subijciebant ignē, ne opulentum oppidum hostis inuaderet. At ille, Parmen... e ad inhibendum incendium cum expedita manu præmisso, postquam Barbaros aduentu suorum fugatos esse cognouit, vrbem à se conseruatam intrat.

Loco-

LOCORVM SITVM) Iam proximo capite situ hunc locorū ex Xenophonte, & alijs descripsimus.

QVATERNOS) *ἀναξετὸς* ergò erat via, & plaustra falcē singula capiebat, cum simul quaterni vnà incedere vno in membro possent. Obserua vocem *quaternos*, & hoc genus alias, quas Grammatici inter numeralia distributiua collocant, non valere idem quod quatuor, sed minimum octo, vel duodecim, vel sedecim, vel deinceps mille, vel decem vel cētum millia semper in quatuor distributos & vna collocatos. exempli gratia sint quatuor millia hominum, si quaterni incedant, erunt mille ordines, seu membra, seu versus. Et hic est germanus huius numeralis vsus. Monent tamen Grammatici, Oratores pro Cardinalibus distributiua subinde adhibere, & hoc ex his Ciceronis locis euincere conantur: de Orat. *Itaque veteres illi terna aut bina aut singula etiam verba dicebant.* & in Verrem: *Doceas oportet aliquo in loco Siciliæ, pratore Verre, ternis denarijs tritici modium fuisse.* Sed bona pace Grammaticorum, Cicero nihil ad eorum confirmandum facit, qui in his & similibus locis semper de pluribus loquitur, vt fit etiam periodorum inter se plurium contentio. Veteres, inquit, Oratores qui nodum periodorum circuitus certo verborum numero claudebant, in periodis aliquando bina, aliquando terna, aliquando singula verba dicebāt, vt illa, bina, terna, singula ad omnes oratores veteres referātur, non ad vnum simplicem hominem, cuiusmodi plerumque sunt Grammatici. Valla cautior est, quem vide bis lib. 3. Eleg. c. 5. toto. Poetæ hanc legem oratoriam, vti nec alias, curant: Virgil. *Gurgite septeno rapidus mare submouet amnis*: Quod ad testimonia Plinij attinet, etiam inter plures est comparatio, vt ibid. etiam Valla plurimum fallatur. Sic de modiis, si de vno modio sermo esset tantum, efficerent hoc quod conantur, sed cum de toto frumento agatur per modios tributo & vendito, locus non videtur ad docendum quod volunt, opportunus. In illo Cæsaris loco è * primo de bello ciuili: *Sed primam aciem quaterna cohortes ex quinta legione tenebant*: possit esse dubium, nisi corruptus esset codex. scribendum enim, *ex quinque legionibus*, non *ex quinta legione*, vt infra ex ipso Cæsare doceri potest: cum subijcit, *sua cuiusque legionis*. Itaque Cæsar hoc dicit: prima acies gestabat quaternis cohorribus ex quinque legionibus collectis, ita vt essent in prima acie 20. cohortes, siue duæ legiones. secunda seu media acies continebat sagittarios & funditores, non legionarios. tertia subsidiaria acies constabat triginta cohortibus in subsidijs positis. triginta autem & 20. efficiunt 50. cohortes, idest, quinque legiones. Sed quia Sagittarij & Funditores non collocantur pro acie, sed sparsim inseruntur, dicemus rectius secundam aciem habuisse quindecim cohortes, nam ter quinque quindecim efficiunt; eademque ratione tertiam totidem cohortibus instructam fuisse, sagittariosautem mixtos secundæ aciei. Lipsius ita intellexit, vbi scripsit de re militari, formamque exercitus in tres acies descripsit.

L. 3. circa finem.

Cic. explicatus.

Plinius illustratus.

Cæsar explanatus.

*circa finē.

IMMINEBAT VIAE) supra: *iugumque opportunè itineri imminens*, &c.

PRAERVPTAE) præcipites, arduæ, & sæpè interlabentibus riuis abrasæ; de riuis etiam supra: *planitiem eius crebris distinguentibus riuis*.

LEVITER ARMATI) qui essent, & quibus armis tecti supra c. 7. explicauimus, & infra coniungit funditores, sagittarios & Thraces leuiter armatos. Illyrij enim & Thraces rapto viuere adsueti ad fugam & cursum debebant esse expediti, ad quē vsum grauis armatura seu panopleā non seruiebat.

Modij vitiosa scriptura.

INTENTOS ARCVS) quasi mox prælium inituri.

MONITI NON ITER IPSOS INIRE SED PRAELIVM) Vbi hic Modij & Acidalij cum suis MSS. Modius in suæ editione scripsit *moniti non inter ipsos inire, sed prælium*: quæ verba cum expenderem, occurrit mentem esse historici, fuisse ab Alexandro monitos, ne sagittarij & Thraces inter se diffidentes in mutua conuerterent viscera ferrum: sed cum insolens hoc & anceps, tortūque videretur, cogitaui scripturam esse mendosam, quam vna extrita litera ex Aldino & Argentino typographio emendaui, vt esset *iter*, non *inter*. Rem factam illico habebam. Ad hoc enim arcus intentos habebant, quasi rectè in hostem ad pugnam tenderent. *moniti* ergo *non iter ipsos, sed prælium inire*, essentque ad pugnam parati.

HOC MODO AGMEN PERVENIT AD VRBEM TARSON) Hoc ordine, explorato & cautè, ne subito ab inferioribus collium occultorum inuaderetur & opprimeretur, quod factum ab hoste oportuit, qui tum maximè fugitabat.

TARSON) Tarsus caput Ciliciæ, omnium ferè literis monumentisque celebrata, sed hoc vno felicissima, quod orbis doctorem nobis S. Paulum in lucem protulerit, vel potius educarit, facta parens tanti alumni, de qua Solinus: *Matrem vrbium habet Tarson, quam Danes proles nobilissima Perseus locauit*. Idem: *Sed alij Sardanapalum conditorem laudant*. legendi Stephanus de vrbibus, Dionysius Alexādrinus cum Eustathio, Alexander Polyhistor, præsertim Strabo, qui multa & præclara de Tarso, & in de natis claris viris. Duæ prætereà orationes Dionis Chrysostomi, dignæ viri eruditi lectione.

PERSAE SVBIICIEBANT IGNEM) Iterum Arsames hostem Darij potius quam propugnatorem agit, quamuis non hostili consilio, quod erat, ne Alexander opibus Tarsensium augeretur. Itaq; maluit omnes suos fieri inopes, quam ditem Alexandrum. Sed Arrianus negat fuisse incensam; Arsamen enim accepto de aduentu Alexandri nuntio, fugisse Tarso, nullo vrbi damno illato.

PARMENIONE) Hic prima est mentio Parmenionis, primis tamen libris celebratum fuisse non sinunt dubitare bella Alexandri cum Græcis, Thracibus, Illyrijs, Tribellis & alijs gesta, vt ab a-

pis

lijs historicis, laudabitur frequenter infra, fuit proximus à rege dux,& maior ipso rege, nam hoc elogium est de illo infra: *Multa sine rege prosperè, rex sine illo nihil magna rei gesserat.* Sed de Parmenionis cæde, laudibus, eiusque filio Philota suo loco dicemus.

A SE CONSERVATAM) vtique iam tum suam, cum hostes illam destituissent.

CAPVT X.

ARGVMENTVM.

Alexander dum sudore perfusum corpus Cydno tingit, vltimum vitæ discrimen adit, luget exercitus, queritur de iniqua fortuna, Philippus Acarnan medicus regem salutari potione quamuis suspectus à Parmenione factus, curat.

MEdiam Cydnus amnis, de quo paullò antè dictum est, interfluit: & tunc æstas erat, cuius calor non aliam magis, quàm Ciliciæ oram vapore Solis accendit, & dies feruidissimum tempus exceperat. Puluere simul ac sudore perfusum regem inuitauit liquor fluminis, vt calidum adhuc corpus ablueret. Itaque veste deposita, in conspectu agminis (decorum quoque futurum ratus, si ostendisset suis leui & parabili cultu corporis se esse contentum) descendit in flumen, vixque ingressi subito horrore artus rigere cœperunt: pallor deinde suffusus est, & totum propemodum corpus vitalis calor liquit. exspiranti similem ministri manu excipiunt, nec satis compotem mentis in tabernaculum deferunt. Ingens solicitudo, & pœnè iam luctus in castris erat. flentes querebantur, in tanto impetu cursuque rerum, omnis ætatis ac memoriæ clarissimum regem, non in acie saltem, non ab hoste deiectum, sed abluentem aqua corpus ereptum esse, & exstinctum: instare Darium, victorem antè, quam vidisset hostem, sibi easdem terras, quas victoriâ peragrassent, repetendas: Omnia aut ipsos, aut hostes populatos per vastas solitudines, etiamsi nemo insequi velit, euntes fame atque inopia debellari posse. quem signum daturum fugientibus? quem ausurum Alexandro succedere? Iā, vt ad Hellespontū fuga penetrarent: classem, qua transeant quem præparaturum? Rursus in ipsum regem misericordia versa: illum florem iuuentæ, illam vim animi: eundem regem & commilitonem diuelli à se, & abrumpi, immemores sui querebantur. Inter hæc liberius meare spiritus cœperat, alleuabat q; rex oculos, & paulatim redeunte animo circumstantes amicos agnouerat: laxataque vis morbi hoc solum videbatur, quia magnitudinem mali sentiebat. Animi autem ægritudo corpus vrgebat, quippe Darium quinto die in Ciliciam fore nuntiabatur. Vinctum ergo se tradi, & tantam victoriam eripi sibi è manibus, obscuraque & ignobili morte in tabernaculo extingui se querebatur. admissisque amicis pariter ac medicis, In quo me, inquit, articulo rerum mearum fortuna deprehenderit, cernitis. strepitum hostilium armorum exaudire mihi videor: & qui vltrò intuli bellum, iam prouocor. Darius ergò cum tam superbas litteras scriberet, fortunam meam in consilio habuit. sed nequicquam si mihi arbitrio meo curari licet. lenta remedia, & segnes medicos non expectant tempora mea. vel mori strenuè, quàm tardè conualescere mihi melius est. Proinde si quid opis, si quid artis in medicis est, sciant, me non tam mortis, quàm belli remedium quærere. Ingentem omnibus incusserat curam tam præceps temeritas. Ergo pro se quisque precari cœpere, ne festinatione periculum augeret: sed esset in potestate medentium. inexperta remedia haud iniuria ipsis esse suspecta, cum ad perniciem eius etiam à latere ipsius pecunia solicitaret hostis: quippe Darius mille talenta interfectori Alexandri daturum se pronuntiari iusserat. Itaque ne ausurum quidem quemquam arbitrabantur experiri remedium, quod propter nouitatem posset esse suspectum. Erat inter nobiles medicos ex Macedonia regem sequutus Philippus, natione Acarnan, fidus admodum regi puero comes, & custos salutis datus: non vt regem modò, sed

sed etiam vt alumnum eximia caritate diligebat. Is non praeceps se, sed strenuum remedium afferre, tantamq; vim morbi potione medicata leuaturum esse promisit. Nulli promissum eius placebat, prater ipsum, cuius periculo pollicebatur. omnia quippè faciliùs quàm moram, perpeti poterat. arma, & acies in oculis erant, & victoriam in eo positam esse arbitrabatur, si tatum antè signa stare potuisset: id ipsum, quod post diem tertium medicamentum sumpturus esset (ita enim medicus prædixerat) ægrè ferens. Inter hæc à Parmenione fidissimo purpuratorũ literas accipit: quibus ei denuntiabat, ne salutē suam Philippo cõmitteret: mille talentis à Dario, & spe nuptiarum sororis eius esse corruptum. Ingentem animo solicitudinē literæ incusserãt, & quidquid in vtramq; partem aut metus, aut spes subiecerat, secreta æstimatione pensabat. Bibere perseuerem? vt si venenũ datũ fuerit, ne immeritò quidē quicquid acciderit, euenisse videatur? dãnem medici fidem? in tabernaculo ergò me opprimi patiar? At satius est, alieno me mori scelere, quã metu nostro. Diu animo in diuersa versato, nulli quid scriptũ esset enuntiat, epistolamq; sigillo annuli sui impresso, puluino, cui incubabat, subiecit. Inter has cogitationes biduo absumpto, illuxit à medico destinatus dies. Et ille eũ poculo in quo medicamentum diluerat, intrauit. Quo viso, Alexander, leuato corpore in cubitum, epistolam à Parmenione missam sinistra manu tenens, accipit poculum, & haurit interritus: tũ epistolã legere Philippum iubet, nec à vultu legentis mouit oculos, ratus aliquas conscientiæ notas in ipso ore posse deprehendere. Ille, epistola perlecta. plus indignationis, quã pauoris ostendit: protectuq; amiculo & literis ante lectum: Rex, inquit, semper quidem spiritus meus ex te pependit, sed nunc verè arbitror, sacro & venerabili ore trahitur. Crimen parricidij, quod mihi obiectũ est, tua salus diluet. seruatus à me, vitã mihi dederis. oro quæsoq; omisso metu patere medicamentum cõcipi venis. laxa paulisper animũ, quem intēpestiua solicitudine amici sanè fideles, sed molestè, seduli turbant. Non securum modò hac vox, sed etiam lætũ regem ac plenum bonæ spei fecit. Itaque si Dij, inquit, Philippe, tibi permisissent, quo maximè modo velles animum experiri meum, alio profectò voluisses, sed certiore, quàm expertus es, ne optasses quidem. Hac epistola accepta, tamen, quod dilueras, bibi: & nunc crede me non minus pro tua fide, quam pro mea salute esse solicitum. Hac elocutus, dextram Philippo offert. Ceterùm tanta vis medicamẽti fuit, vt quæ sequuta sunt, criminationem Parmenionis adiuuerint. interclusus spiritus antè meabat, nec Philippus quicquam inexpertum omisit. Ille fomenta corpori admouit: ille torpentem nunc cibi, nunc vini odore excitauit, atq; vt primum mentis cõpotem esse sensit, modò matris sororumq;, modò appropinquantis tantæ victoriæ admonere nõ destitit. Vt verò medicamentum se diffudit in venas, & sensim toto corpore salubritas percipi potuit: primùm animus vigorem suum, deinde corpus quoq; expectatione maturius recuperauit: quippe post tertium diem quam in hoc statu fuerat, in cõspectum militum venit. nec auidius ipsum regem, quam Philippum intuebatur exercitus. pro se quisque dextram eius amplexi, grates habebant velut præsenti deo. namq; haud facile dictu est præter ingenitam illi genti erga reges suos venerationem, quantum huius vtiq; regis vel admiratione dediti ei fuerint, vel caritate flagrauerint. Iam primum nihil sine diuina ope aggredi videbatur. nã cum præsto esset vbiq; fortuna, temeritas in gloriam cesserat. ætas quoque vix tantis matura rebus, sed abundè sufficiens, omnia eius opera honestabat: & quæ leuiora haberi solent plerũque militari gratiora vulgo sunt. Exercitatio corporis inter ipsos, cultus habitusque paullum à priuato abhorrens, militaris vigor, quis ille vel ingenij dotibus, vel animi artibus, vt pariter carus ac venerandus esset, effecerat.

MEDIAM CYDNVS) Omnes scriptores & geographi testãtur Cydno mediam diuison. Rhemnius Palæmon,

> *Flexilis & Cydnus dirimit qui flamine Tarson.*

Et Dionysius interprete Auieno.

> *Cydnus item media discernit mœnia Tarsi,*
> *Pegasus hoc olim suspendit cespite sese,*
> *Impressaque solo liquit vestigia calcis,*
> *Esset vt insigni reuoluta in sæcula semper,*
> *Nomen humo clari post vltima Bellerophontis.*

Cydnum suprà descripsimus, eiusque egelidos liquores, hoc est frigidissimos esse monuimus. vndam tamen affectis & podagricis salutarem, infestam Alexandro κατὰ συμβεβηκός, vt philosophi loquuntur, quod sudore madens & toto corpore incensus in gelidissimum amnem insiliret, quę cuiuis

inis exitiosa est, quando frigus & calor summis inter se viribus decernunt, & corpus veluti in medio positum ad exitium vrgent. Spasmus enim & neruorum rigor stuporque inde existit, id quod Galenus ex ea caussa euenisse tradit.

An Cydnus regibus fatalis est? Nam & Fridericus Ahenobarbus maximus imperator, eodem mersus, perijsse fertur: quamquã alij in Armenia haustum Serra flumine, alij Salepho, alij Fararo, alij Ferro, alij Cydnum eundem fluuium esse in Cilicia putant, sed alijs atque alijs nominibus affe-
Lib 3. epigra. 51. ctum. Exstat nobile Bidermanni nostri epigramma de Friderici Aenobarbi imperatoris interitu, etiam Cydno hausti.

Cum Suenas traheret Fridericus ad aequora turmas
Cui rubra cognomen nobile barba dabat,
Territa tota sibi diffidere caeperat Eos,
Inq; suis nunquam credere asyla iugis.
In veterem Pharos & Babylonia moenia fastum
Ponere & imbelles tendere Bactra manus.
Christiadum contra sibi visa resurgere plebes
Certa salutiferam vi reparare crucem.
Nec decepta foret, nisi ahenam barbara barbam
Vidisset propera Turba perire nece.
Vnda fuit gelido quae Cydni fluxerat alueo
Iam dudum in magnos vnda maligna duces.
Obfuit illa olim Pelleo, (vt fertur) alumno,
Membra ibi cui subito dirigere gelu.
Nunc idem peperit Friderico funera Cydnus,
Obruit incautu quem violentus aquis.
Parcere debuerat Friderico Cydnus eunti,
Sat citò mersisset, cum rediturus erat.

62500. passuum. stadia quingenta. TVNC AESTAS ERAT) Aperiuntur caussae ob quas inaestuarit Alexander, regionis ingenium, tempus anni, & itineris labor, amplius enim quindecim milliaria nostratia nunquam intermisso cursu confecit, vt Tarsum incensam occuparet & seruaret. De aestu Ciliciae Solinus. *A Cilicia finibus Asiaticum limitem despicit, quantus meridiem videt sole inaestuat.* Properabat Alexander à septentrione versus meridiem. Alit ergò immanes etiam feras & leones. Iam si toto anno illa pars Meridiana calet, quis aestus erit aestate? & quis ipso meridie diei, quae omnia coniungit Curtius cum scribit: *tunc aestas erat, cuius calor non aliam magis quam Ciliciae oram vapore solis accendit, & diei feruidissimum* tempus exceperat.

*tempus nõ placet Modio. Aldus scripsit *feruidissimum tempus*, vti & Florētinus, & reliqui etiam vetustissimi codices omnes.

EXCEPERAT) Ita Modianus liber, reliqui omnes *tempus caeperat*. ex ingenio Curtij est *feruidissimum exceperat.*

PVLVERE SIMVL ET SVDORE PERFVSVM REGEM INVITAVIT LIQVOR FLVMINIS) Eleganter Iustinus: *Itaque timens angustias, magna celeritate Taurum ascendit, in qua festinatione, quingenta stadia cursu fecit: cum Tarsum venisset, captus Cydni fluminis amoenitate per mediam vrbem influentis, proiectis armis, plenus pulueris & sudoris in praefrigidam vndam se proiecit.*

LEVI ET PARABILI CVLTV CORPORIS) non vt Darius gemmis & auro onustus incedebat, Laudantur Hierones, Antigoni, Vespasiani, Seueri, Taciti, Alphonsi, alijque cõplures partim reges, partim imperatores à cultus modestia & frugalitate. Et olim barbarum credebatur gemmis & auro pictum incedere, opesque & splendor huiusmodi barbarus dicebatur: Virgilius

Barbarico postes auro, spolijsque superbi
Procubuere ---

regiam Priami ex spolijs hostium barbarorum partis fuisse ornatam, apud Ciceronem vetus poëta *Astante ope barbarica.* & apud eundem --- *quibus*

Magis palaestra, Eurotas, sol, puluis, labos
Militia in studio est quam fertilitas barbara.

Cessit tamen epitheton hoc postea in laudem.

VESTE DEPOSITA) Caussa Alexandrum excusat ab inuerecundia, quod nec ob lasciuiam, nec aliam immemorabilem rationem corpus coram exercitu suo nudarit, quod in M. Antonio acerrimè reprehendit Cicero. Alexander calens flumen velut balneum ingressus erat, vt puluerem ablueret. Et studium natandi veteribus vsitatum & laudabile, & saepè necessarium, vt docent qui Agonistica scripserunt. Alioqui primum flagitium est inter ciues nudare corpora, quod Curtius infra in Babyloniorum conuiuiorum luxu notauit.

HORRORE ARTVS RIGERE) Hunc locum quodammodo interpretatus est alijs verbis Iustinus, cum scribit: *Tum repentè tantus neruos eius occupat rigor, vt interclusa voce non spes modo remedij, sed nec dilatio inueniretur.* Et Val. Maximus: *Alexander Macedonũ Rex inclyta iam pugna excellẽtissimus*

tißimis opibus Darij contusis astu & itineris feruore in Cilicia percalefactus, Cydno qui aqua liquore conspicuus Tarsum interfluit, corpus suum immersit: Subitò deinde ex nimio haustu rigoris obstupefactu neruis, & torpore hebetatis artubus maxima cum exanimatione totius exercitus in oppidum castris propinquum defertur. Ex hoc loco intelligas castra ad Tarsum propter Cydnum fuisse posita. Alexandrum non Tarsi, sed in castris corpus Cydno tinxisse. Aristobolus apud Arrianum memorat Alexandrum ex ingenti labore in morbum incidisse. Diodorus nullam morbi caussam assignat, μετ᾽ ὀλίγον δὲ ἐν ἀρ-ρωστίαν βαρυτέραν ἐμπεσὼν, καὶ χαλεπῶς πάθει συνεχόμενος συνεκάλεσε τοὺς ἰατρούς. *Paullo pòst cum in grauem morbum incidisset, vocauit medicos.* Plutarchus idem quod Arrianus docet diuersa de caussa morbi tradi: laborem nempè, vel flumen. Vtrumque autem accidisse facilè ex pluribus conijcitur.

PALLOR SVFFVSVS) quod etiam exanimatis metu vel terrore horroreue subitò perfusis & rigentibus vsu venit cum sanguis gelat, aut extimos corporis artus destituit, vt cordi vitæ sedi succurrat. Virgilius:

Diffugimus visu exangues---

Et vetus poëta: *timidus refugit sanguen.*

&: *gelidusq; coit formidine sanguis.*

IN TABERNACVLVM) In castra, non in vrbem, sed posteà eo relatum ait Valerius Max. *Iacebat æger Tarsi.*

INGENS SOLICITVDO) hæc ingentem erga principem fuisse exercitus & Macedonum amorem docet. Coluerunt suos maximè reges AEgyptij, Lydi, Parthi, Medi, Macedones, & inprimis Persæ. Virgilius de apum imperio & cultu erga suum regem:

Præterea non sic AEgyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes
Obseruant: rege incolumi mens omnibus vna est,
Amisso rupere fidem---

De Macedonibus suprà Curtius: *Namque haud facilè dictu est, præter ingenitam illi genti erga reges suos venerationem, quantum huius vtique regis vel admiratione dediti ei fuerint, vel caritate flagrauerint.* Sed omnes ferè gentes superabant Persæ, quibus nomen regis pro numine est: argumentum obseruantiæ & amoris erga regem apud Herodotum est de Xerxe, *qui cum Phœnicia naue vectus in Asiam se reciperet, exortaque ingenti tempestate, & naue supra modum onusta vectoribus, in summum discrimen adduceretur, metu perculsus gubernatorem interrogauit, an omnis præcisa salutis spes esset: Ille vnicam superesse respondit, si multi ex vectoribus sese in mare conijcerent. Quibus auditis Xerxes ita loquutus fertur: Cum in vobis Persæ, vt videre est, regis vestri sit sita salus, quanta vobis ea cura sit, demonstrandi tempus datur. Quæ cum is dixisset, protinus illi eum venerati, in mare desilijsse feruntur. Atque eo iactu leuata naue Xerxes impendente periculo liberatus in Asiam sospes incolumisque peruenit.*

IN TANTO IMPETV CVRSVQVE RERVM) Verè M. Tullius: *O fallacem hominum spem fragilemque fortunam, & inanes nostras contentiones, quæ in medio sæpè spacio franguntur & corruunt, & ante in ipso cursu obruuntur, quam portum conspicere potuerunt.*

OMNIS AETATIS ET MEMORIAE CLARISSIMVM REGEM) verissimè hoc: Omnium enim literis monumentisque celebratus est, neque sæculis antegressis, neque subsecutis, non dico superiorem se, sed nec parem habuit: testantur hoc Dictatoris lacrymæ, quibus se longè inferiorem Alexandro fassus deplorauit Cæsar. Affirmat Liuius qui maximum Alexandri fatetur in orbe fuisse imperium. Quid tamen Seneca de illo senserit, in Prolusionibus cap. vltimo docuimus.

NON IN ACIE) quod poterat esse solatio, si pulchram petiisset per vulnera mortem.

ABLVENTEM AQVA) ignaui & infelici morte quasi iam defunctum per aquas perire veteribus miserrimum visum, vt suo loco monebo. Sed Alexander aquis non perijt, nec si perijsset suffocatus interijsset, spasmo correptus.

INSTARE DARIVM) quem fama iam attulerat infrà quintum diem in Ciliciam fore, vt mòx ipse Curtius narrabit.

VICTOREN ANTE) futurum ægro vel morituro Alexandro.

EASDEM TERRAS) Ciliciam, Cappadociam, Paphlagoniam, Lyciam, Pamphyliam, Lydiam, Phrygiam, totam denique Asiam minorem cum Hellesponto. Simul enim Darius accepit nuntium de Alexandri inualetudine, equis viris properauit in Ciliciam.

FAME ET INOPIA) quam suprà ex Vegetio monui, omni ferro esse sæuiorem.

FVGIENTIBVS) Adeò omnium salus ab vno Alexandri spiritu pendebat, vt illo ægro se omnes victos putarent, vt nihil aliud spectare quam fugam viderentur.

SIGNVM) Quod Imperatoris est munus proponere signum siue manendi, siue proficiendi, siue decernendi. hoc enim ipse exponit esse Alexandro succedere, ipsius loco signum dare.

CLASSEM) Quam victis ad Granicum Persis remisit in Græciam, ficta caussa quod res magnorū esset sumptuum, reuera vt suis omnem ex acie & prælio fugiendi spem adimeret, quod alij tradunt scriptores.

Addit Diodorus hoc Alexandri consilium etiam posteros esse secutos, & singillatim Agathoclem Syracusarum regem, magnam & insperatam victoriam esse consecutum.

IN IPSVM REGEM MISERICORDIA VERSA) Obliti suæ infelicitatis, & futurarum quæ morituro Alexandro augurabantur, ærumnarum, ipsius dolebant & deplorabant vicem regis, & primum ardens florentissimæ ætatis æuum, tertium enim & vicesimum erat ingressus, mòx eundem suum regem, quo gens illa nihil sanctius colebat, præterea pectus generoso coctum honesto, animumque homine maiorem, & diuinam inuictamque indolem, ac fortissimum bellatorem, ve qui in acie tam militis quam Imperatoris munus fungeretur, cum interim neque cultu corporis multum à vulgari abhorrente vteretur.

COMMILITONEM) Sic Cæsar suos appellitabat legionarios. Tranquillus: *Nec milites eos pro concione, sed blandiori verbo commilitones appellabat. In seditione vnico verbo eosdem tranquillauit, cum Quirites vocaret.* Tacitus: *Diuus Iulius seditionem exercitus verbo vno compescuit, Quirites vocando.*

AB SE ABRVMPI) Hæc Scriptura præ cæteris placet: *Abrumpi*, inquam; non *arripi*, vel *abripi*.

INTER HAEC LIBERIVS MEARE SPIRITVS) intercepta anima sensim eluctari, & ægro redire mens & sensus cœpit.

HOC SOLVM) Mei codices: *Ad hoc solum.* Alij: *Ob hoc solum.* Vtroque modo loquuntur scriptores. Omittunt sæpè Plautus, Propertius, Terentius, alij, quod Acidalius exemplis confirmat. intellectus videtur hic esse: Alexander paullum ad se redijsse, non reualuisse videbatur, eò solum, ob hoc solum, & hanc caussam, vt sentiret & videret, in quanto discrimine versaretur. Acutè ve solet Curtius. Sed Priscianus reclamabit. quia in vsum coniunctionis, *vt*, non venit. Atqui coget mens auctoris, si, *hoc solum*, exponas ob hoc solum, vel propter hoc solum, vt Acidalius, propter hoc laxata illi mens vt sentiret; neque enim potest exponi, quia sentiebat magnitudinem mali, ideò laxata est vis morbi, alioqui sensisset adhuc ex morbo infensus. Errat ergo Acidalius cum *hoc solum* interpretatur propter, ob, ad hoc solum. Ego sic locum intelligo. Hoc solum vis morbi laxata videbatur. Ex hoc solùm(velut signo, non caussa, *hoc*, enim est vltimus hic casus, non quartus, *solum* aduerbium) notabatur vis morbi remissa, quod morbum sentiret, & se pessimè habere, & à morte proximè abesse intelligeret.

ANIMI AVTEM AEGRITVDO CORPVS VRGEBAT) Alia omnia quæ vidi exemplaria vetera, inuertunt verba & sententiam hoc modo: *Animum autem ægritudo corporis vrgebat.* quam scripturam reijcit Modius ex membranis, perinde quasi membranæ ex cortina Delphica prodijssent. Non damno quidem Modij codices, sed videndum an rectius fortè vulgaris scriptura *animum ægritudo corporis vrgebat.* Nam hactenus tantum de corpore malè affecto ex Cydno docuit: Iam transit ad curas animi, atque morbum corporis redundasse ad animum, & ex corporis habitu animum quoque afflictum, quod immineret Darius, quod ipse morbo deprehensus, & quasi vinculis constrictus non possit se ad prælium accingere, adeoque videri de victoria & vita actum, quodque magis doleat, degenere fato lectoque affixo simili pereundum. Ita ergo animum vrgebat corporis ægritudo, sed vicissim curæ interiores mentis premebant corpus, morbumque augebant, nec sinebant vires ad illud suas adspirare ingenti solicitudine repressas. Siue ergo legas, *animum ægritudo corporis vrgebat*, siue *animi ægritudo corpus vrgebat*, rectè intelligi locus potest. Magis tamen arridet *animi ægritudo.*

DARIVM QVINTO DIE IN CILICIAM FORE NVNCIABATVR) A sinu Cilicij maris, vsque ad pontem Euphratis sunt quadringenta stadia, hoc est duodecim milliaria Germanica cum semisse, seu dimidio. Darius nondum Euphratem traiecerat, & totos quinque dies in illo traijciendo consumpsit. Vbi nuncium de inualetudine Alexādri accepit, ratus ægrum posse opprimi, maturauit iter.

IN CILICIAM FORE) Eleganter hoc exemplo optimorum auctorum. Cicero: *Cum vestros portus, atque eos portus quibus vitam ac spiritum ducitis, in prædonum fuisse potestatem sciatis.* Ad quem locum ita Agellius: *Idem autem amicus noster in eiusdem M. Tullij Ciceronis oratione, quæ est de imperio Cn. Pompeij, ita scriptum esse à Cicerone dicebat, atque ipse ita lectitabat: Quum nostros portus, atque eos portus, quibus vitam ac spiritum ducitis, in prædonum fuisse potestatem sciatis. Neque solœcismum esse aiebat: In potestatem fuisse, vt vulgus semidoctum putat; sed ratione dictum certa & proba contendebat: qua & Græci ita vterentur, & Plautus verborum Latinorum elegantissimus, in Amphitryone dixit: Non vero mihi in mentem fuit: non (vt dici solitum est) in mente. Sed enim præter Plautum (cuius ille in præsenti exemplo vsus est) multam nos quoque apud veteres scriptores locutionum talium copiam offendimus, atque his vulgò annotamentis inspersimus.* Ita Cato locutus: *In arborem relinquito, in aquam macerare oportet. In patinas in sole ponito.* Plautus Aul. *In arborem collocauit.* In Pœnulo: *Patrue facito in memoriam habeas.* Sic enim & vetus scriptura & genius Plauti habet. Idem Amphitr. *in mentem fuit.* & Bacchid. *Ecquid in mentem est tibi.* Cæsar lib. 1. de bello Ciuili: *Quo facilius omne Hadriaticum mare extremis Italiæ partibus regionibusq; Græciæ, in potestatem haberet.* Græcè εἰς δύναμιν ἔχειν. Arbiter: *Res est in cōtrouersiam*: sic dicitur esse in amicitiā, in ditionē alicuius, de quo genere loquēdi multa Camerarius & alij, qui ad Plautū sunt meditati. Ita Terentius quoq; optimus Latinitatis auctor est locutus, In Eun. Actu 2. Scen. 2.

Ille

Ille vbi miser famelicus videt me esse in tantum honorem,
Et tam facilè victum quærere.

Cæterum vt hic,*in*,præpositio,præter Grammaticorum decreta quartum casum admittit,ita eadem auferendi casui iungitur,cum accusandi postulare videtur. Virgilius: *Gratior & pulchro veniens in corpore virtus.* Manilius: *Cum venit in regione.* Cic. *veni in senatu.* vti Scaliger ostendit plura.

AMICIS) Cratero,Perdicca,Ptolomeo,alijs,absente Parmenione.

MEDICIS) quorum princeps fuit Philippus Acarnan.

IN QVO ME INQVIT ARTICVLO) Amo Curtij orationes, superant meo animo omnes omnium auctorum,siue spectes verum,siue acumen,nec interim linguæ candor & mundities, sine vlla comparatione aut cura,deest. Petit ab amicis & medicis vt quam primum curetur,aut mori permittatur,omnis moræ propter imminens bellum impatiens.

DEPREHENDERIT) Elegans metaphora sumpta ab ijs qui in facto aliquo capti & deprehensi sunt. In articulo,in statu lamentabili versantem.

STREPITVM) quasi pro foribus videor audire Darij copias mihi insultantes. In vita Alex.

IAM PROVOCOR) Sorte in contraria versa. Plutarchus; Ἔτι δὲ μᾶλλον ἐθάῤῥησεν καταγνοὺς δειλίας Ἀλεξάνδρου πολὺν χρόνον ἐν Κιλικίᾳ διατρίψαντος· ἦν δὲ ἡ διατριβὴ διὰ νόσον &c. *Multo verò magis est animatus,quod Alexandrum pro ignauo duceret,qui multum temporis triuisset in Cilicia. Detinuerat autem eum morbus.* ac proinde verebatur ne omninò Alexander fugeret,quod Amyntas Alexandrum nunquã facturũ Dario sanctè pollicitus est,imò contra venturũ vbicunq; is esset. Idem Arrian. narrat.

TAM SVPERBAS LITTERAS SCRIBERET) Perculsum suo aduentu putabat Alexandrum Darius, progredi nolle, vt est apud Arrianum, quod illius purpurati persuaderent Alexandri copias solo Persarum equitatu obteri & elidi posse,hocque metuere Alexandrum. Literas Darij quæro.

FORTVNAM MEAM IN CONSILIO HABVIT) Infrà: *Ita suam quisque fortunam in consilio habet, cum de aliena deliberat.* Ex statu infelici rerum mearum & morbi,Darius consilium sibi cepit, & quæ antea decreuerat,mutauit. Statuerat me operiri in Syriæ campis. Nunc vbi ægrum à corpore & animo cognoscit,insequitur & contemnit. Felices ergo de miseris consultantes superbè & contemptim decernunt,vt ille infrà docet. Nempè suis fortuna cuique fingitur moribus.

SED NEQVICQVAM) Sed nihil aget Darius, nec quicquam erit, quod speret ex meo morbo, vel citò curabor,vel citò moriar (hoc enim est *strenuè* hoc loco) dummodo meis consilijs nemo intercedat,nemo medicos moretur,aut medici cunctentur.

EXPECTANT) melius haud dubiè quam *expetunt*, quomodo plures scripserunt.

NON TAM MORTIS QVAM BELLI REMEDIVM) Ingens semper animus Alexandri & imperterritus,dignusque satu Herculis, vt quem mors timere magis, quam ipse mortem videatur. Belli remedia non accipe, quod pacem optet, aut conditiones pacis, sed vt quamprimum conualescat, quò decernere eum Dario possit. Belli ego statim ineundi & committendi vias quæro per valetudinem;aut si absumpta salus, quamprimum moriendi. Hæc ægri minimè ægra,sed fortis & sana fuit oratio,qui omnia faciliùs quam moram perpeti poterat.

PRAECEPS TEMERITAS) Visa amicis temeritas,& præceps consilium;quod tamen euentus docuit fuisse & necessarium,& felix, ac salutare. nempè etiam in morbis curandis tam ægros quam medentes sæpè audaciores fortuna iuuat,quæ sæpè omnibus consilijs est potentior.

QVISQVE COEPERE) Huiusmodi forma loquendi vsus est Virgilius: *Quisque suos patimur manes.* Liuius: *Pro se quisque scelus regium ac vim queruntur.* Idem. *Missi confestim bonoratissimus quisque ex patribus.* Sic Plautus sæpè, Terentius,& alij principes elegantiæ locuti. 6. Æn. Lib i. li. 2.

IN POTESTATE MEDENTIVM) committeret se medicorum curæ & diligentiæ, nec præscriberet illis tempus, valetudinem indigere iusta mora, festinationem iuxta ac cunctationem exitiosam laborantibus. proinde esset in auctoritate eorum qui mederentur, nec ipsi ore territi nun auderent quam possent tentare medicinam.

INEXPERTA REMEDIA SVSPECTA) Nobilis hæc gnoma,vt aliæ omnes Curtij,quas maxime tempestiuas vbique miscerit. Noui medici & noua pharmaca noua fodiunt sepulchra.

A LATERE IPSIVS) familiares, medicos, stipatores & officia aulica custodes corporis intelligit,qui latus cingunt regis,& à latere eius nunquam discedunt.

PECVNIA) ambigue an vltimus vel primus sit casus, & hostis rectus an obliquus. Sed idem est intellectus,siue hostis Darius pecuniâ sollicitet animum Alexandri,siue,pecunia hostis Darij.

MILLE TALENTA) sexcenta millia Philippæorum seu coronatorum,sic vt vnus sit viginti victoriatis seu bazijs,vt hodiè appellantur. Vnum talentum est sexcentis philippæis siue octingentis florenis. Ergo mille talenta, sexcenta millia sunt philippæorum,seu octingenta millia florenorum: florenus est sexaginta staurophoris,seu cruciferis,Philippæus octoginta.

INTERFECTORI) Hoc crimen obiicit Alexander per epistolam Dario missam: *Sicut,inquit, tu proximè talentis mille tanti exercitus rex percussorem in me emere voluisti.*

PROPTER NOVITATEM) Si quis quid noui remedij adferret, fore suspectum de necando Alexandro.

PHILIPPVS ACARNAN) Verum est Homeri elogium de medico:

Ιητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἀνδρῶν.

Vir medicus præstat multis mortalibus vnus.

Desperatam certè salutem tanto principi restituit Philippus. Celebrant hunc omnes historici, & multi præter historicos. Valerius Maximus, Arrianus, Plutarchus: *Hic cum ex cæteris medicis remedium nemo promitteret, sed periculum existimantes omnis superius opis esse timerent, si res non succesfisset, obtrectationem apud Macedones, Philippus Acarnan spem salutis quidem in præcipiti videbat esse, verum amicitia eius fretus, & indignum ratus, si cum rege in discrimine posito, non sua discrimen subiret, nec vltima remedia tentaret vel cum periculo, aggressus est ei remedium adferre, adhortatusq́, eum vt admitteret id & hauriret, si festinaret valetudinem recipere, vt ad bellum pergeret.* Cum Plutarcho facit & Diodorus Siculus.

NON VT REGEM MODO) Oratio malè cohærens. desideratur vox, quomodocunque distinguas. *Erat*, inquit, *inter nobiles medicos ex Macedonia regem secutus Philippus natione Acarnan, fidus admodum regi puero comes, & custos salutis datus: non vt regem modo &c.* hæc vt vides cum exordio periodi *Erat inter, &c.* non conueniunt. Liber Basiliensis post illa: *salutis datus*, inserit, *quem*: sed malim cum Acidalio, *qui*, positis & *Alexandrum* addere vel audire, vt sit plena oratio: *custos salutis datus, qui Alexandrum non vt regem modo*, &c.

VT ALVMNVM) quem vt nutricius educarat. *Alumnus*, inquit Nonius, *consuetudo quos alat, vel educes, vel eos qui aluntur.* Virg.

— nec Romula quondam

Vllo se tantum tellus iactabat alumno.

Ita Cicero & Varro vsurparunt. Virgilius iterum pro filio:

Nec non & Tytion terra omnipotentis alumnum.

Pacuuius: *Quæ desiderio alumnûm, panitudine*

Squale, scabreq́, & inculta vastitudine.

Virg. AEn. 9. Alumnum dominum --- *caro datus ibat alumno.* Ita vsurpatur hic à Curtio.

NON PRAECEPS) sed meditatum, curaque confectum strenuumque, præsentissimum & efficacissimum ac singulare, quod confestim iuuet, præsentaneum.

POTIONE MEDICATA) In sorbitionem enim & poculum omnes medici coniurant, sed subitum & vehemens nemo ex alijs audebat tentare, aut promittere. Val. Maximus: *Qui cum ad vnam potionem sententiam direxissent*, &c.

POLLICEBATVR) *παθητικῶς.* promittebatur. Varro *ἐνεργητικὸν* vsurpauit: seu vt emendant alij Anthrepopoli --- *Ne dares, ne polliceres quod datum est.* Nonius magnam vim verborũ priscorum collegit, quæ dudum exoleuerunt, cap. de contrarijs generibus verborum, vt aucupani, vagas, refragabunt, & hoc genus plurima. Dicas fortasse hic audiendum nomen Philippi: *pollicebatur Philippus*: sed præcessit promissum, quod nemini placebat præter ipsum cui pollicebatur. Metellus Numidicus in oratione, qua apud populum C. Manlio tribuno plebis respondit: *Nam vt alijs plerumq, obuenienti Magistratu ob metum statuæ polliceantur.* Passiue, inquit Priscianus, *ἐπαγγέλλονται.* Quo loco longum contexit syllabum deponentium quæ priscis *ἀντικοινῶς* vsurpabantur.

ANTE SIGNA STARET) more suo Alexander in prima acie antesignanus *ἐν προμάχοις*, non magis enim ducis, vt mox subijcit Curtius, quam militis munus exequebatur.

NE SALVTEM SVAM PHILIPPO COMMITTERET) Dum hæc Philippus alter AEsculapius parat, Parmenio proximus ab Alexandro fidissimus inter Principes Macedonum, quem Alexander tamen non optima fide iussit interfici, monuit Alexandrum caueret insidias Philippi: Nunquam Alexander ab omni parte tam æstuabat, quam in hoc morbo, quo primum ad mortem affectus erat; mox augebat & morbum & curas nuncius de Darij properantis in Ciliciam aduentu. præterea quod nemo præter vnum auderet polliceri remedium, demum quod erat omnium grauissimum, ille ipse vnus & amicus dicebatur, iam mille talentis corruptus, nuptijs insuper regijs & sororis Darij promissis ad cædem Alexandri solicitatus, & victus, & addictus. Eleganter & generosum Alexandri animum & fidum erga amicum ostendit Valer. Maximus, quem supra laudaui. Discedit tamen à narratione aliorum, & ab Alexandro hausto demum poculo, ait Philippo Parmenionis literas porrectas: *Quas cum (Alexander) legisset, sine vlla cunctatione medicamentum hausit,*
Lib. 2. *at tunc legendas Philippo tradidit.* Arrianus contra legendas ait tradidisse Philippo, & ipsum intereà dum alter legeret, hausisse. Plutarchus cũ Arriano facit, simul & lectam Philippo epistolam, & haustũ ab Alexandro poculum: Curtius cum Valerio videtur docere, sumpto demum pharmaeo datas Philippo literas legendas, quamuis subobscurè, cum dicit: *Alexander epistolam à Parmenione missam sinistra manu tenens accipit poculum, & haurit interritus: tum epistolam Philippum legere iubet,* hausto nempè medicamento. Contra tamen est quod sequitur: *nunc sacro & venerabili ore trahitur.* nisi legas, vt quædam habent exemplaria, *accepit & hausit, tum epistolam.*

SORORIS) Plutarchus filiæ *θυγατρὸς* scripsit. sufficiebat medico & proditori empto soror.

SECRETA AESTIMATIONE PENSARAT)Elegans fluctuantis animi deſcriptio. vt Virgilius.

Atque animum nunc huc celerem,nunc diuidit illuc,
In partesque rapit varias,perque omnia verſat.

PESEVEREM)Nondum cœperat bibere,valet ergo hoc loco,non idem quod pergere in cœpto: vel cœpta abſoluere, ſed in ſententia & decreto permanere,non mutare animum.Perſeuerem bibere?bibamne medicamentum,vt ante literas acceptas decreueram?& ſententiam perſeuerabo?

NE IMMERITO QVIDEM)Hoc maximè vrgebat animum.Quid ſi propinauit venenum, quod ego monitus vt cauerem,ſi bibero inſultabunt viuo mortuoque,meritas me pertinaciæ & temeritatis pœnas dare,qui cautè & fideliter monentibus non obſecutus fuerim.

DAMNEM MEDICI FIDEM)cui fidam ego?& quis mihi?& quomodo curabor?Quid ſi nō curer, ſed occidar,& impunè in lectulo meo?In tabernaculo meo,an ad huc in caſtris?Valerius Max.illum Tarſi ægrum iacuiſſe narrat.

AN SATIVS EST)Decernit in alteram partem,vt Virgilius:

Hac alternanti potior ſententia viſa eſt.

Ita Syracuſanus Dion quibuſdam monentibus vt aduerſus Heraclidem & Calipum quorum fidei plurimum credebat,tanquam inſidias ei nectentes cautior eſſet; reſpondit ſe vita malle excedere, quam metu violentæ mortis amicos inimicoſque iuxta ponere. Ergo & Alexander maluit alieno ſcelere,quam ſuo metu perire.

SIGILLO)Non eſt,vt putant,hæc vox barbara in hoc Curtij intellectu, cum pro ſigno, quo literæ clauduntur,adhibetur.Horatius:

Odiſti claues,& grata ſigilla pudico.

Sigillo,tamen,ſigillas verbum vſurpatum non eſt,niſi quod Varro dixerit ſigillare oculos,quod eſt claudere.Sigilla pro paruis ſtatuis,omnibus bonis vſitatum,nec opus exemplis.

CONSCIENTIAE NOTAS)In vultu deprehendas,ſi malè ſibi conſcius eſſet Philippus. Ouidius:

Heu quam difficile eſt crimen non prodere vultu.

Iuuenalis:----*ruber auditor,cui frigida mens eſt*
. *Criminibus tacitâ ſudant præcordia culpa.*

Et Terentius ----*ſalua res erubuit.*

Pallor in pleriſque ſequitur maiorum ſcelerum conſcijs:

---hic murus aheneus eſto
Nil conſcire ſibi,nulla palleſcere culpa.

PLVS INDIGNATIONIS QVAM PAVORIS)Indignantur inſontes,pauent nocentes.

Plautus --- *qua non deliquit,decet*
Audacem eſſe,& confidenter pro ſe & proteruè loqui.

Val.Flaccus --- *ſtabilem optima facta*
Dant animam,maiorque pijs audacia factis.

Mala conſcientia timidiſſimum facit,vt neſcio quis apud Stobæum loquitur.

ἢν συνορῶν αὐτῷ τι, κἂν ᾖ θρασύτατος,
ἡ σύνεσις αὐτὸν δειλότατον εἶναι ποιεῖ.

Sibi conſcium licet virum audaciſſimum
Timidiſſimum facit ipſa conſcientia.

SEMPER QVIDEM SPIRITVS MEVS EX TE PEPENDIT)Spiritus meus,vita mea (ſine ſpiritu enim euitata vita eſt)ſemper à te pependit,cum ſit penes te poteſtas vitæ meæ & necis,ſed nunc à te certiſſimo hauritur vita & ſalus mea,per hoc medicamentum.Nam te extincto viuere nec poſſum,nec volo.Nolo,propter amorem quo te plus à puero me ipſo dilexi;non poſſum quia iudicabor reus(quamuis innocens)veneni dati. Et quomodocunque pereas,inuidiam ego mortis tuæ non potero ſuſtinere apud exercitum.Sed malo tecum periclitari,quàm te in periculo deſertum ire. Præclarè quem ſupra laudaui Plutarchus,de Philippo,amicitia,inquit,eius fretus & indignum ratus, ſi cum rege in diſcrimine poſito,non ipſe etiam diſcrimen ſubiret.Poſſis etiam de caritate interpretari ſpiritum,ſpiritus meus ſemper à te pependit,ſemper dilexi te vt vitam meam, vt vita mea à tua penderet,quo ſaluo me ſaluum putaui ſemper,amiſſo,mihi vita mors eſſet. Sicut literæ ſacræ de Iacob,cuius anima ex Beniamini anima pendebat.

SED NVNC VERE ARBITROR,SACRO ET VENERABILI ORE TRAHITVR)Antiquiſſimus codex Spirenſis hanc ſcripturam offert.Aldinus,*ſed nunc verò arbitror ſacro* &c. Eodem modo Florentinus,Baſilienſis:*ſed nunc verò, arbitror,ſacro* &c.Notatus,inquit Glareanus,locus ab Huttero, ſed non expoſitus,quem à ſe quoque negat ingenuè intellectum.Modius ex neſcio quo vulgato legit. *vero arbitror ſacro venerabiliore* (coniunctim) *trahitur.*ſed ipſe vt meus Spirenſis impreſsit:*Sed nunc verè arbitror,ſacro & venerabili ore.*Et ſubiungit : *Quid ſibi velit his verbis Curtius iuxta cum Glareano ſcio.*Acidalius tribus modis conatur medicinam facere cum legit: *Sed nunc verè* (vel verò) arbitro

sacro & venerabili ore trahitur. Mihi vt iuratus dicam, nulla ferè harum coniecturarum placet, veluti non ex genio Curtij grato & opportuno natarum. Seruo primam & antiquissimam scripturam, quam & Modius est secutus: *Sed nunc verè arbitror, sacro & venerabiliori ore trahitur.* hoc intellectu. Spiritus meus & vita semper quidem ex tuo spiritu & vita pependit, vt te saluo me quoque saluum putarem, sed nunc verè puto arbitrorque, re ipsa trahitur, vna cum hac petitione, nempe tuo sacro & venerabili, regio inquam & sancto ore, spiritus vita & salus mea. Ex tua enim salute, quam hoc medicamento tibi restituam, pendet mea salus. tecum ego periclitor, & salus mea à tua pendet, in hoc pharmaco, quod ore sacro trahis & bibis. Aliter hoc modo interpretaberis. Ego insimulor à Parmenione per literas suspectæ & corruptæ fidei ergò. Atqui ego ita te dilexi ab incunabilis, vt me saluum negarem, aut etiam nollem nisi te saluo. Huius testimonium & specimen quia vsus & necessitas hactenus non flagitauit, præbere non potui. Nunc puto ipse experiris, cum hauris medicamentum, quomodo erga te sim affectus. Cum omnes alij à tua valetudine curanda per timorem refugerent, ne si res non successisset, acceptæ à Dario pecuniæ redarguerentur. Ego solus malui me vltimo vitæ periculo exponere, quam te deserere. Itaque paraui medicamentum, quod nunc bibis, à quo tua salus & mea pendet. Sanitas tua quæ sequetur, diluet calumniam, & animum meum erga te fidum sanctumque ostendet.

CRIMEN PARRICIDII) Non fuit Philippus vel cognatus, vel propinquus Alexandri, vt potuerit parricidium committere. Parricida enim propriè dicitur is, qui patrem, matrem, auum, auiam occiderit. Lex tamen Pompeij comprehendebat non eos tantum qui patrem, matrem, auum, aut auiam occidisset, sed etiam qui fratrem, sororem, patruelem, matruelem, patruum, auunculum, amitam, consobrinum, vxorem, virum, generum, socrum, vitricum, priuignum, priuignam, patronum, patronam occidisset. Culei tamen supplicio afficiebantur ex lege tantum qui patrem, matrem, auum aut auiam occidissent, qui alios propinquos, legis Corneliæ pœna de siccarijs tenebantur. Tertullianus Infanticidium parricidij loco ponit. Quamobrem verò cædes Imperatorum, regum & principum parricidia vocentur, caussa facilè potest intelligi, cum principes & magistratus sint sacrosancti, & subiectis loco parentum & patronorum. Vnde & Cicero Patriæ quoque ceu parentis parricidiũ dixit. Valerius Maximus Cassium & Brutum percussores Cæsaris appellat parricidas. Suetonius Idus Martias ait parricidium appellatas. Cum ergo Alexander & rex, & patronus, & alumnus fuerit Philippi, intelligebat Philippus se parricidium commissurum fuisse, si Alexandrum occidisset. Et simul hoc ad gratiam Alexandri, quem occidere Philippus pro parricidio duceret.

SERVATVS A ME VITAM MIHI DEDERIS) Mortuus occides me, seruatus seruabis, quia spiritus meus à tuo pendet. Ex quo loco cognoscis, quam aptè cohæreant etiam illa: *à sacro & venerabili ore trahitur*, cum potione nempe spiritus meus, seu vita mea, quam tecum saluam, tecum deletam volo.

VITAM DEDERIS) non petit vt securitatis det, sed ipso facto se seruatum iri dicit, & occisum si moriatur, etiamsi à nullo occidatur.

ORO QVAESOQVE) Sanè plerique codices hic mendosi: *vitam dederis oro quæsoque: amißoque metu*, &c. perinde quasi petat, cum non petat vitam, sed pronuntiet: si saluus eris, me quoque seruabis, te mortuo viuere recusantem. Interpunge ergo: *Vitam dederis. oro, quæsoque, amisso metu patere.* &cæt.

PATERE MEDICAMENTVM VENIS CONCIPI.) Curæ præsertim graues auocant calorem à stomacho in caput, vt suum munus fungi stomachus non possit, nec cibum aut potionem, pharmacumue vllum digerere, & in venas spargere, adeoque ἄχρηστον redditur medicamentum & plus nocet quam prodest.

AMICI SANE FIDELES) Hoc dicit ne odium in se Parmenionis concitet viri principis & ab Alexandro secundi, poterat alioqui retorquere criminationem in ipsum Parmenionem, qui cupiat mori Alexandrum, vt ipse Alexander fiat. quorsum enim illa vox Philotæ dudum ante missa quam fieret reus: *Quid est Philippus nisi Parmenio, quid Alexander nisi Philotas.*

REGEM PLENVM BONAE SPEI FECIT) Ex vultus & oris notis facile Alexander animaduertit sanctam Philippi conscientiam & innocentiam, proinde exhilaratus mirificè iuuit medicamentum, quamuis vehemens ac potens.

ITAQVE SI DII, INQVIT, PHILIPPE TIBI PERMISISSENT) Si tibi superi fecissent copiam explorandi meum erga te animum, qua tu potissimum ratione velles, voluisses meo animo hac tam periculosa & dubia via salutis, ad animi mei sensa penetrare. Sed profectò modus hic quo meum erga te animi sensum deprehendisti, vnus omnium certissimus fuit, vti nec optare quidem potueris certiorem. cum salutem meam tuæ fidei posthabui, maluique me vltimo periculo offerre, quam tibi me vitamque meam non credere. Quod ipsa re expertus vidisti, monitus enim per epistolam, vt cauerem, nihilominus quod mihi propinasti, hausi, vti nunc non minus pro te quã pro meipso solicitus sim, quod videam te, si mihi aliquid humanitus acciderit, quauis fidum & innocentem in magnam suspicionem & periculum vitæ meæ caussa venturum. Accipe

dex-

dextram fidei arbitram,& testem & pignus beneuolentiæ erga te meæ.

NEOPTASSES QVIDEM)Vsitata bonis scriptoribus loquendi forma.Cic.*Itaque tantum victus efficere potuit,quantum incolumus nunquam est ausus optare.*

CRIMINATIONEM PARMEN.ADIVVERINT)Philippus æstimata morbi grauitate & Alexandri viribus habituque corporis natura præstāti,& ꝗuiflore,temperauit medicamentū,quod natura adiutū prosterneret primū quidem sensum,sed mox vigore latentium virium tota vi collectarum,& cōtra pharmacum nitentium erectus rursum vinceret, vt qui natandi studio ex altis pontibus in altas desiliunt aquas,merguntur primum,sed mox ipsis vndis adiuuantibus emicant rursum innatantque; aut tanquam faces ventorum flabris agitatæ subinde extinguuntur,& sponte mox accensæ maiorem clarioremque flammam concipiunt.Exanimato verò Alexandro,omnes amici,qui cum Philippo in Alexandri tabernaculum erant ingressi,& ex Philippo Parmenionis literas legente,quid illis contineretur cognouissent,suspicati sunt vera monuisse Parmenionem,hoc enim est quod dixit Curtius. *criminationem adiuuerint.*

ARTE MEABAT)vt solet animam agentium.

NVNC CIBI,NVNC VINI ODORE) Expirat enim & exhalat id quod in cibo vinoque præstantissimum & subtilissimum est, vnde est quod coquos aiunt odore pasci . Certè Democritus è philosophorum senatu non postremus,recens cocti panis odore,toto triduo fugientem animam retinuit,Ita enim Laertius:ἤδη ὑπέργηρων ὄντα πρὸς τὸ καταστρέφειν εἶναι. Τὴν δὲ ἀδελφὴν λυπεῖσθαι , ὅτι ἐν τῇ τῶν θεσμοφορίων ἑορτῇ μέλλοι τεθνήξεσθαι, καὶ τῇ θεῷ τὸ καθῆκον αὐτὴν οὐ ποιήσειν. τὸν δὲ θαρρεῖν εἰπεῖν καὶ κελεῦσαι αὐτῷ προσφέρειν ἄρτους θερμοὺς ὁσημέραι. τούτους δὲ ταῖς ῥισὶ προσφέρων διεκράτησεν αὐτὸν τὴν ἑορτήν. ἐπεὶ δὲ παρῆλθον αἱ ἡμέραι, τρεῖς δὲ ἦσαν, ἀλυπότατα τὸν βίον προήκατο, (ὥς φησιν ἵππαρχος) ἐννέα πρὸς τοῖς ἑκατὸν ἔτη βιούς. *Cum iam ex senio deficeret,& propinquus videretur morti,mærentem sororem,quod ille in celebritate Cereris moriturus,ipsa Dea vota exsoluere non posset,bono animo esse iussit,panesque calidos sibi quotidiè adferre,eos igitur naribus cum admouissent,viuum se,dum ea celebritas transiret seruauit . Vbi verò dies illi transierunt,tres autem erant,quietissimè ac minimo dolore conclusit vitam,centesimo(vt Hipparchus ait)nono ætatis anno.* Extat & Laertij epigramma super eodem facto Democriti:

Καί τις ἔφυ σοφὸς ὧδε τίς ἔργον ἔρεξε τοιοῦτον,
 Οσσον ὁ παντοδαὴς μήνυσε Δημόκριτος.
Ος θάνατον παρεόντα τρί ἤματα δώμασιν ἴσχε
 Καὶ θερμοῖς ἄρτων ἄσθμασιν ἐξένισε.
Quisnam tam sapiens visus qui tale patrauit
 Vnquam,quale sciens omnia Democritus?
Qui per tres tenuit præsentia fata dies,&
 Illa recens cocti panis odore aluit:

Est elegans apud aurei oris scriptorem Chrysostomum medici artificium ; quo deceptus febriens hausit ingratum sibi sed salutare pharmacum. Imbuerat ille Machaon testam recens coctam & calentem generosissimi vini odore,in eaque medicamentum diluit. Aeger simul ori vas admouit falsas odore vini bibit medicatam potionem,iuratus se vinum bibisse,& reualuit.

FOMENTA CORPORI ADMOVIT)odores,liquoresque pretiosos,quibus deficientium tempora,nares,frontes perfunduntur,perfricantur,inunguntur.

MATRIS SORORVMQVE)Matris Myrtalis,postea Olympiadis dictæ, Cleopatram habuit nouercam,quam interfecit Olympias.Iustinus:*Habuit Myrtalem siue Olympiadem matrem,habuit nouercam Larissam,ex qua Aridæus erat,habuit Cleopatram.* Sororum , quarum vna Cleopatra Alexandro Epiri regis Alexandri auuncu'o nupta erat. lib.9.

APPROPINQVANTI VICTORIAE)Carissima nomina suggessit Philippus Alexandro sensim ad se redeunti,qui maximè sopitum Pharmaco animum excitarent.

IN VENAS DIFFVDIT) è ventriculo tribuitur ac diffunditur in totum corpus per venas,vt præter Hippocratis alumnos eleganter docet omnibus disciplinis eruditus M.Tullius.

GRATES HABEBANT)Frequentius Poetę quam Oratores ita loquuntur:Cicero tamen,vt notauit Valla,ita locutus est: *Aliquanto post suspexit ad cælum,& grates tibi inquit, ago summo Sol vobisq; reliqui cælites.* Quo loco discrimina ponit Valla inter hos loquendi formulas: Ago gratias, habeo,refero,ac reddo gratias.

VELVTI PRAESENTI DEO)Veteres omnino medicinæ repertores excultoresque,Diuorum numero accensuerunt,diuinisque honoribus mactarunt, Apollinem inquam, Mercurium, Arabum, Dioscuros,Cadmum,Chironem,Apim,Aesculapium,Podalirium , Machaonem , qui & Homero ἰσόθεος φὼς laudatur , & alios , quod crederent tam excellentem disciplinam non potuisse humanis ingenijs excogitari,proinde à Luciano appellatur Deorum doctrina.Est elegans epigramma Lucillij de Magno medico,Plutonem tremuisse mortuo Magno,quod vereretur ne etiam mortuos excitaret,vt de Aesculapio ferebatur.

Μάγνον ὅτ᾽ εἰς ἀΐδην κατέβη τρομέων Αϊδωνεὺς
 Εἶπεν,ἀναστήσων ἤλυθε καὶ νέκυας.

Pluto

Plutotremens, Magnus stygias cum viseret vndas
Manibus, hic vitam reddere venit, ait.

Curato intra tertium aut quartum, vt Iustinus est auctor, diem Alexandro, Philippus magnis ab Alexandro honoribus auctus est. Alexander dignus ob constantiam erga amicum qui valetudinem integram reciperet: *Pro quo*, inquit Valerius Maximus, *tam constanti erga amicum animo dignissimam à Dijs immortalibus mercedem recepit: qui incolumitatis eius præsidium falso interpellari indicio noluerunt.*

PRAETER INGENITAM ILLI GENTI E.V.S. VENERATIONEM.) Omnibus etiam gentibus, vt M. Tullius pro lege Manilia ait, regale nomen magnum & sanctum videtur. Hæc veneratio nascitur ex auctoritate regis, auctoritas ex metu & admiratione; Erga Alexandrum accessit etiam caritas militum, firmissimum regni præsidium. Nec Macedones tantum, sed omnes gentes bello etiam subactæ colebant amabantque Alexandrum, nec viuum tantum, sed mortuum etiam, adeoque sorores propter Alexandrum. Plura de hac regum veneratione, & ipsius Alexandri, supra ad cap. 10. Quin ipsius mater Darij Sisigambis, cum post Darium occisum viuere sustinuisset, Alexandro extincto superstes esse erubuit.

IAM NIHIL SINE OPE DIVINA ACCREDI VIDEBATVR) Magnam pariunt opinionem principum religio & prouidentia. Sed miles omnia fortunæ & felicitati potius Alexandri adscribebat, quod ille sentiret tam præsentes Deos, quem ipsum amicum Deorum, vel potius instar Dei, vt Tacitus de principe loquitur, habebat. Fuit tamē singularis cultor Deorum, vt infra sæpe cognosces. Quin extremis annis, vt ait Plutarchus, etiam ad superstitionem vsque deditus sacris.

TEMERITAS) alioqui valde præsertim in Imperatore culpanda, vt infra docebo. Sed Alexandro cum semper feliciter cessisset, non temeritas, sed fœlicitas iudicata & appellata est.

AETAS) Dixi supra tertium & vigesimum fuisse ingressum: florentissimum iuuentæ decus omnia Alexandri facta ornabat, gratior & pulchro veniens in corpore virtus.

ET QVAE VVLGO LEVIORA HABERI SOLENT PLERVMQVE MILITARI GRATIORA VVLGO SVNT.) Ita Modius vel correxit, Acidalius repofuit Modio omissa, & omissis adiecit *in rege*, Codex Basiliensis etiam illud *gratiora* in *grauiora* mutat, vt opponatur illi quod præcesserat *leuiora*. Sed retineo *gratiora*, quod est ad mentem Curtij: totum locum sic lego, interpungo & expono: *honestabat: & quæ leuiora haberi solent, plerumque militari gratiora vulgo sunt: exercitatio corporis inter ipsos* &c. Iam hoc dicit Curtius, vt quasi παρενθετικῶς hunc locum tractemus, comitas quædam Imperatoris seu regis inter milites, cùm se cum illis & inter illos exercet, siue ludis equestribus, siue studio natandi, saltandi, currendi, pilâ ludendi, venandi, sagittandi, luctandi, pugilandi, conuiuandi, & hoc genus alijs ludicris actibus, vel si etiam prope vulgaris, aut non à vulgari distincta, quæ leuiora passim à viris grauioribus iudicari solent, militi tamen, seu militari homini vulgo passim gratiora sunt, quam æterna seueritas & rigor disciplinę, ac supercilium Iouis, ac fastus cum solitudine coniunctus, cultusque gemmis & auro superbus, & luxus ex orbe toto conquisitus. Quod si priori regis facilitati accedat impiger animus in obeunda militia nunc militis, nunc Imperatoris munus obeuntis, si disciplina sapientiæ artiumque mitiorum, si virtutes animi liberalitatis munificentiæque temperanter, cura suorum & salutis publicæ priuatæque accedat ratio, efficitur Imperator omnibus carus & venerandus. Eadem sententia est, si Acidalij emendationem sequaris, hæc omnia *in rege militari*, quamuis per se quidem leuia sint, tamen efficiuntur gratiora. Sed nescio quomodo non placeat Acidalij plerumque infœlix crisis, & à genio Curtij abhorrens. Facilius toleres *in re militari*, quomodo omnes mei codices ita scriptum ostendunt. Commodius tamen Modius edidit ex M.S.

CAPVT XI.

ARGVMENTVM.

Darius properat in Ciliciam, Alexander Solos recipit, ludos celebrat, lætum nuncium de Myndijs, Caunijsque accipit, Mallon, Castabalum, Isson capit, atque Darium expectat.



T Darius nuncio de aduersa valetudine eius accepto, celeritate, quantam capere tam graue agmen poterat, ad Euphratem contendit. Iuncto q; eo pontibus, quinque tamen diebus traiecit exercitum, Ciliciam occupare festinans. Iam Alexander viribus corporis receptis, ad vrbem Solos peruenerat; cuius potitus, ducentis talentis multa nomine exactis, arci præsidium militum imposuit. Vota deinde pro salute suscep-

susceptaper ludum atque otium reddens, ostendit quanta fiducia Barbaros sperneret: quippe Aesculapio & Mineruæ ludos celebrauit. Spectanti nuntius lætus affertur Halicarnasso, Persas acie à suis esse superatos: Myndios quoque & Caunios, & pleraque tractus eius suæ facta ditionis. Igitur edito spectaculo ludicro, castrisque motis, & Pyramo amne ponte iuncto, ad vrbem Mallon peruenit. Inde alteris castris ad oppidum Castabalum. Ibi Parmenio regi occurrit, quem præmiserat ad explorandum iter saltus, per quem ad vrbem, Isson nomine, penetrandum erat. Atque ille angustijs eius occupatis, & præsidio modico relicto, Isson quoque desertam à Barbaris ceperat. Inde progressus, deturbatis qui interiora montium obsidebant, præsidijs cuncta firmauit: occupatoque itinere, sicut paullò antè dictum est, idem & auctor & nuntius venit. Isson deinde rex copias admouit: vbi consilio habito vtrumne vltra progrediendum foret, an ibi opperiendi essent noui milites, quos ex Macedonia aduentare constabat: Parmenio non alium locum prælio aptiorem esse censebat: quippe illic vtriusque regis copias numero futuras pares, cum angustiæ multitudinem non caperent: planitiem ipsis camposque esse vitandos: vbi circuiri, vbi ancipiti acie opprimi possent: timere ne non virtute hostium, sed laßitudine sua vincerentur: Persas recentes subinde successuros, si laxius stare potuissent. Facilè ratio tam salubris consilij accepta est. Itaque inter angustias saltus hostē opperiri statuit.

IVNCTOQVE EO PONTIBVS QVINQVE TAMEN DIEBVS TRAIECIT EXERCITVM) Euphrates ex Tauri montibus ortus, qua Septentrionem spectat, Ciliciam ab Armenia separat, atque inde Babylonem petit, quam mediam interluit. Cyrus Minor eum ex Cilicia Babylonem proficisceretur, vbi ad Euphratem peruenit, reperit latum stadia tria, hoc est, passus trecentos septuaginta, seu mille octingentos pedes. Nam improbabile est à Dario in Ciliciam mouente haud procul abeo loco, pontibus stratum fuisse. Non potuit res properari in tanta mole & numero exercitus.

CILICIAM OCCVPARE FESTINANS) vt Alexandrum aditu Syriæ prohiberet, angustijs Ciliciæ velut cauea inclusum & captum. Existimabat Darius Alexandrum accepto nuncio de Darij apparatu bellico, terrore perculsum non fuisse ausum progredi.

ALEXANDER AD VRBEM SOLOS PERVENERAT) Alexander præmisso ad aditus Ciliciæ extremæ occupandos Parmenione, ipse Tarso profectus primo die Anchialon oppidum à Sardanapalo intra vnum diem vna cum ciuitate Tarso conditum peruenit, inde Solos, ita enim Arrianus. De Solis vrbe pasim scriptores, Dionysius de situ orbis, & ad illum Eustathius, Strabo, Solinus, Mela, Scholiastæ horum, & antiquior omnibus Herodotus. Ego ex Laertio ipsius natalem aperiam. Ἐκεῖθέν τε ἀπαλλαγεὶς ἐγένετο ἐν Κιλικίᾳ, καὶ πόλιν ᾤκισεν ἣν ἀπ' αὐτοῦ Σόλους ἐκάλεσεν. *Inde Solon* (à Cræso) *dimissus venit in Ciliciam & vrbem condidit, à se Solos appellatam.* Addit Laertius paucos ibi Atheniensium collocatos, eosque sensim patriæ linguæ inter barbaros oblitos cœpisse σολοικίζειν. Alij ab alijs barbaris affirmant Atticam linguam ibi deprauatā, indeque natum Solœcismum, qui colonias in omnes propè gentes & posteritatem scholasque deduxit. Solinus & Mela Solæ, non Soli scribunt, & Vadianus ex Hermolao, hic ex Cicerone conatur euincere. vt Discoræ. Sed nusquam legi Solas, sed Solos. Et quo pacto aliter scribas Græcè nomen multitudinis virilis generis? Si muliebre esset, Σόλαι dicendum erat. vnde Solæ, Solanum descendit. Seruo cum Curtio Solos à Soli Solorum. Vti & Arrianus, Strabo ac alij Σόλους in quarto casu scribunt. Fuit & Cypri vrbs huic cognominis & Africæ Promontorium apud Herodotum.

DVCENTIS TALENTIS) centum viginti millbus Philippæorum. Arrianus addit caussam, quod plus Dario Persisque fauisse viderentur. Alexander captis Solis & præsidio firmatis circumtulit bellum in montana Ciliciæ, quæ omnia teste Arriano intra septimum diem occupauit; Solosque redijt.

AESCVLAPIO ET MINERVAE LVDOS CELEBRAVIT) Hoc paulò planius narrat Arrianus, & Curtium admodum interpretatur. *Alexander cum apud Solos Aesculapio sacrificasset, ipseque pariter ac totus exercitus pompam facibus circumgestatis peregisset, ludis etiam gymnicis & musicis editis, Solensibus Democratiam concesit.* Sed cur Aesculapio & Mineruæ? Aesculapio, quia votá, inquit Curtius, susceperat, pro salute recuperanda, cum Tarsi æger iaceret. Aesculapius verò propter singulare curandi artificium ab ipso prope inuentum, aut certè excultum, in censum Deorum venit. Plura de hoc (præter Hippocratem, Iulium Firmicum, Paullum Aeginetam, Celsum) Virgilius, Samonicus, Cicero, Liuius, Macrobius, Mythologi.

VOTA

VOTA PRO SALVTE SVSCEPTA.)à milite, vel Alexandro, vel vtrisque, & hoc pro more, vt in Romana quoque Imperatorum & Græca historia passim apud Herodianum, Plutarchum, Lucianum, Pausaniam, alios cognosces.

LVDOS CELEBRAVIT)Gymnicos & Musicos inquit Arrianus. Gymnici ludi dicuntur, quod à nudis exerceantur, γυμνὸς enim Græcis nudus est. Erant* Pentathli & Pancratiastæ: hi pugilatu, & lucta, illi omni genere Gymnico, cursu, saltu, disco, lucta, pugilatu nobiles. De quibus Mercurialis. Musici continent theatra, ludios, scenas, comœdias & tragœdias, satyras, diuortia seu exodia, & quidquid denique ad theatrum pertinet. de quibus singulare nuper volumen condidit Iulius Cæsar Bulengerus.

*seu quinquertiones.

MINERVAE)Theatrales ludi & gymnici Palladi grati Deę Martiali & Sapientiæ simul pręstiti. Altera causa cur Mineruæ ludos instituerit, quod illa Græcis singulari cultu sacrosancta, semper eisdem fauisse canatur ab Homero contra Troianos, vt & Ouidius:

Aequa venus Teucris, Pallas iniqua fuit.

Proinde assidua Vlyssi comes additur ab Homero. Nec opus in re manifestariâ pluribus.

SPECTANTI NVNCIVS ADFERTVR HALICARNASSO PERSAS ACIE A SVIS SVPERATOS)Halicarnassus caput Cariæ. Mausolæi opere, Herodoto, Dio, Halicarnasseo & alijs inclyta miraculis, præsertim Salmaci fonte. Sed hunc nobis locum velut interpres noster Arrianus planum dabit, qui Orentobatem Persam à Ptolomæo & Asandro Ducibus Alexandri victum narrat: Καὶ ἐνταῦθα, inquit, μανθάνει &c. *Hic Orontobatem Persam (qui Halicarnaßi arcem, & Myndum, & Caunum ac Theram & Calliopolim tenebat)* à Ptolomæo & Asandro victum cognouit. Accesserat *ad victoriam & Cos & Triopium. Hunc* (Orontobatem) *magno prælio victum perscribebant, cæsis peditum circiter septingentis, equitum quinquaginta, viuis non infra mille captis.* Vt otæ statum Hellespontiacæ tibi in memoriam reuoces, opus est vt ad caput tertiũ Curtij regrediaris, vbi Curtius dixerat: *Vt à tergo* (Alexander) *tuta relinqueret, Amphoterum claßi ad oram Hellesponti, copijs autem præfecit Hegelochum, Lesbum & Chium. & Con præsidijs hostium liberaturos.* Sed quomodo ex Halicarnasso nuncium accepit Alexander, cum vrbem multo labore captam à fundamentis exciderit, vt est apud Arrianum? Vrbem euertit, sed non arces in quas profugerant hostes, quas tamen ipsas etiam postmodum recepit. Arrianum, Strabonem, Siculum adi.

MYNDIOS QVOQVE)Μύνδος, inquit Stephanus περὶ πόλεων πόλις Καρίας. *Myndus est vrbs Cariæ.* de qua Hecatæus: ἔστι καὶ πόλις Καρίας ἄλλη παλαιὰ Μύνδος: *Est & alia antiqua Cariæ ciuitas Myndus.* Apollonius & Zeno Mundij fuere. Extat in Myndiorum oppidum parum magnum, sed magni spartis superbum, iocus Diogenis apud Laertium: εἰς Μύνδον ἐλθὼν καὶ θεασάμενος μεγάλας τὰς πύλας μικρὸν δὲ τὴν πόλιν Ἄνδρες μύνδιοι ἔφη κλείσατε τὰς πύλας μὴ ἡ πόλις ὑμῶν ἐξέλθῃ. *Ingressus Myndum cum portas vidisset magnas, & oppidum paruum: Myndij inquit, claudite portas, ne vrbs vestra exeat.*

CAVNIOS)Caunus oppidum Cariæ, ἀπὸ Καύνου, inquit Stephanus, οὗ Βιβλὶς ἦν ἀδελφὴ ἐρασθεῖσα φεύγοντος ἐκείνου ὅθεν ἡ παροιμία ὁ Καύνιος ἔρως. *Dicta à Cauno, à Biblide sorore dilecto, sed auersante illam & fugiente, vnde nata Parœmia, Caunius amor.* de incesto amore; Fabula est apud Ouidium. Vrbis olim Calymna dicta, in vicinia Callis flumen altum. Caunus naualia habet, & portum qui claudi potest, supra eum castellum Imbrus. Regio fertilis, sed valetudine habitantium infamis, caussam addit Geographus, æstiuos ardores & pomi copiam. Lusit in hos Stratonicus Citharœdus, cum pallentes videret illo Homeri versu:

Οἵηπερ φύλλων γενεὴ, τοίηδε καὶ ἀνδρῶν.

Nascuntur foliorum instar, mortalia quippe corpora.

Culpantibus illum Caunijs quod vrbem tanquam pestilentẽ notarit, ἐγὼ, ἔφη, μήποτε θαῤῥήσαιμ' ἂν λέγειν νοσερὰν, ὅπου καὶ νεκροὶ περιπατοῦσιν, *Absit, inquit, vt ausim ego vrbem vestram morbis obnoxiam dicere, vbi mortui etiam obambulant.*

ET PLERAQVE TRACTVS EIVS)Idem narrat Diod. Siculus. Arrianus ipsa loca circumiacentia cum Insulis expressit, vt supra legisti. Theram, Calliopolim, Con, Triopium.

PYRAMO AMNE)Pyramus in Mallo (inquit Stephanus) Ciliciæ fluuius, olim Leucosyrus cognominatus. De origine, cursu, strepitu huius fluminis mira narrat Strabo, quem videbis. Hos supra attigimus. Xenophon Pyrami alueum scribit latum passus centum viginti quinque, tot enim conficit stadium. Atque inde Issum vsque L X. M. passuum abesse. Philotas per campum Aleium equitatum ad Pyramum duxit, vt Strabo, & Arrianus narrant.

MALLON)Pyramus hoc oppidum præterfluit laudatum multis, Lucano:

Mallos & extrema resonant naualibus Aega. Dionysius supra adductus est. Geographus: *Propè*, (inquit interpres) *est Mallus, sita loco edito, condita ab Amphilocho & Mopso Apollinis filio ac Mantus.* Et infra: *Ferunt Mopsum & Amphilochum è Troia profectos Mallum cõdidisse, quorum sepulchra ostenduntur apud Margasa propter Pyramum. Crates Grammaticus inde oriundus fuit.* Quid Malli Alexander gesserit, tacet Curtius, loquitur Arrianus: *Inde Mallum*, inquit, *profectus, Amphilocho vt Heroi parentauit: cumque ciues seditione laborantes offendisset, ea sedata, tributa quæ Dario regi pendere soliti erant, ijs remisit, quod Malli Argiuorum coloni essent, ipseque ab Heraclidis Argiuis oriundum se perhiberet.*

INDE

INDE ALTERIS CASTRIS CASTABALVM) Castabala numero multitudinis scribunt Geographus & Plinius, qui *propter bella*, inquit, *Colophonij, itemque Castabalenses cohortes canum habuere: ea prima dimicabant in acie nunquam detrectantes: Hac erant fidissima auxilia, nec stipendiorum indiga.* Stephanus: Καστάβαλα πόλις Κιλικίας καὶ φοινίκης ἣ καὶ πεγασία ἐκαλεῖτο. *Castabala vrbs est Cilicia & Phœnicis, qua & Pegasia vocabatur.* Hic aiunt gesta, quæ de Oreste & Pylade feruntur.

ALTERIS CASTRIS) Vsitatus historicis loquẽdi modus primis, alteris, tertijs, quartis, quintis, &c. castris, hoc est diebus, etsi non continuis semper intelligendum, cum sæpè in castris vnum, duos, tres pluresve dies morarentur. Græci σταθμοὺς appellant.

IBI PARMENIO REGI OCCVRRIT QVEM PRAEMISERAT.) *Post hac*, inquit Arrianus, *Parmenionem ad occupandas alias angustias mittit, qua Ciliciam ab Assyria diuidunt, vt transitum tueatur.* Pysas hic Ciliciæ extremas versus Syriam intelligit Arrianus, quas infrà ex Xenophonte describemus.

AD VRBEM ISSON NOMINE) Mirum dictu, Xenophon, Diod. Siculus & Melas Isson ingentem vrbem, Strabo πολίχνιον oppidulum cum statione appellat. Iterum Melas æuo suo nullam fuisse Isson affirmat. Stephanus autem Ἰσσός, inquit, πόλις μεταξὺ Συρίας καὶ Κιλικίας, ἐν ᾗ Ἀλέξανδρος Δαρεῖον ἐνίκησεν, ἢ ἐκλήθη διὰ τοῦτο Νικόπολις ἀπ' αὐτοῦ, καὶ ὁ Ἰσσικὸς κόλπος. Ἐκεῖ δὲ καὶ ποταμὸς πίναρος ὀνομαζόμενος. *Issos vrbs inter Syriam & Ciliciam, ad quam Alexander Darium vicit, eoq́; dicta est Nicopolis ab illo.* Ptolemæus tamen Nicopolim diuersam facit ab Isso, vbi reuera est. Issicus sinus ab Isso, Ibidem & Pinarus nobile flumen. Nobilitauit ergo hanc Alexander, sicut Cannas Hannibal; & alia loca aliæ vel victoriæ vel clades, vt Actium, campos Pharsalum, Marathonium, nota cunctis nomina. Occupatam ergo Issum à Parmenione, ingressus Alexander cœpit de summa rerum consilia in medium ponere, vtrumne Syria adeunda & Dario in apertis occurrendum campis, an potius in Cilicia ad Isson & in angustijs hostis expectandus. Vbi in sententiam Parmenionis sapientissimi & exercitatissimi purpuratorum descensum est, hostem in angustijs expectandum. Caussas Parmenion adducebat primam multitudinem hostium, suorum paucitatem. alteram, in arcta Ciliciæ terra & montium angustijs Macedones fore pares Darij copijs, cum nec aciem peditum, & multo minus equitum possent propter locorum & saltuum incommoditatem explicare. tertiam, in campis Syriæ ipso numero hostium posse fatigari Macedones, vt Spartanos olim in Thermopylis, & circumueniri. Hæc Curtius; sed Arrianus affirmat Alexandrum Pylas transiisse, & castra ad Myriandrum posuisse, Darioque per Ammanum montem in Ciliciam transeũte, postliminio ad Pylas reuersum, & illi ad Ægeas & Pinarum amnem occurrisse.

EX MACEDONIA ADVENTARE) Callisthenes apud Polybium scribit, Alexandro Ciliciam intranti aduenisse ex Macedonia supplementi loco peditum quinque millia, equites octingentos. Nõdum ergo castra attigerant.

CAPVT XII.

ARGVMENTVM.

Sisenes perfuga, propter litteras Nabarzanis falsâ suspicione oppressus, iussu regis, occiditur.



Rat in exercitu regis Sisenes Perses, quondam à Pratore AEgypti missus ad Philippum, donisque & omni honore cultus exilium patria sede mutauerat. secutus deinde in Asiam Alexandrum, inter fideles socios habebatur. Huic epistolam Cretensis miles obsignatam annulo, cuius signum haud sanè notum erat, tradidit. Nabarzanes prator Darij miserat eam, hortabaturq́; Sisenem, vt dignum aliquid nobilitate, atq; moribus suis ederet: magno id ei apud regem honori fore. Has litteras Sisenes, vtpotè innoxius, ad Alexandrum sapè deferre tentauit. sed cùm tot curis, apparatuque belli regem videret vrgeri, aptius subindè tempus expectans, suspicionem initi scelesti consilij prabuit. Namque epistola priusquam ei redderetur, in manus Alexandri peruenerat, lectamque eam ignoti anuli sigillo impresso Siseni dari iusserat, ad astimandam fidem Barbari. Qui quia per complures dies non adierat regem, scelesto consilio eam visus est suppressisse, & in agmine à Cretensibus haud dubiè iussu regis occisus est.

A PRAETORE AEGYPTI) infrà Sataces, vel Sabaces, vt Arrianus scribit, AEgypti prætor cæsus ad Issum narratur, potuit hic fuisse quem laudat Curtius.

AD PHILIPPVM) Patrem Alexandri in Macedoniam.

EXILIVM PATRIA SEDE MVTAVERAT) Nonnulli inuertunt casus & ponunt: *Exilio patriam mutauerat.* Mei codices omnes: *Exilium patria sede mutauerat*, quod exponere promptum est, patriam exilio posthabuit, exilium patriæ prætulit. vti dicimus, mortem cum vita commutauit, mortuus est. Sed obseruandum hic, optimos quosque scriptores cum Curtio sine præpositione dixisse, aliquid aliquo mutare,

Horatius.— *Valet ima summis mutare.* & Epod.
Pecusue Calabris ante sidus feruidum
Lucana mutet pascua.
Et lib. 2. Ode 12.
Num tu quæ tenuit diues Achæmenes
Permutare velis crine Lycymniæ?
Et Od. 1. lib. 3.
Cur valle permutem Sabina
Diuitias operosiores.
Ep. Od 3.—*Punico Lugubre mutauit sagum.*
Od. 17. lib. 1. *Velox amœnum sæpè Lucretilem*
Mutat Lycæo Faunus--

Quorum versuum mens eadem quæ Curtio: Faunus sæpè montem Lucretilem mutat Lycæo, siue anteponit Lucretilem Lycæo, migrat ex Lycæo in Lucretilem. Priscianus explicat hoc modo: Lucretilem mutat Lycæo, id est, Lycæum mutat Lucretili, Ita expono Curtium: Exilium patria mutauerat, id est patriam exilio mutarat.

Notandum tamen contrario intellectu eandem vocem *mutare*, sæpè vsurpatam auctoribus. Horatius:

---- *nunc ego mitibus*
Mutare quæro tristia

Non significat tristia lætis anteponere, sed læta & meliora tristibus.

Idem: *Socraticam & domum*
Mutare loricis Iberis
Pollicitus meliora, tendis?

Loricas nempe Iberas & militiam anteponere studes philosophiæ.

Ita Idem: *Nec somnum plebis laudo satur altilium: nec*
Otia diuitijs Arabum liberrima muto.

Sallust. *Nemo nisi victor pace bellum mutauit.*

Nemo nisi victor pacem bello prætulit.

Propertius: *Durus qui potuit lucro mutare puellam.*

Ferreus, inquit, ille fuit, qui potuit lucrum puellæ anteponere.

Valet sæpè idem mutare, quod emere vel vendere. Sic vsus est Catullus

--- *crede Pollioni*
Fratri, qui tua furta vel talento
Mutari velit---

Virgil. ----*vestro si munere tellus*
Chaoniam pingui glandem mutauit arista.

Plura apud Lambinum cognosces ad Horatium.

Hic tamen monitum velim lectorem, alterum loquendi modum minimè barbarum esse, vt barbarus ipse scripsit Acidalius ad Plautum. *Acidalius*, inquit Taubmannus, *negat latinè dici mutare quid cum aliquo, etiamsi Iuonis carcinoma istud tueri vtrumque conetur.* Non eo negatum in illo versu Plauti, vt Gifanio & politissimo etiam Scioppio visum, *τὸ cum* exterendum. In prologo, inquit consultus à me Scioppius, omninò legendum est:

Si quem reperire posset, quo mutet suum.

Aliter legi pedaria fraus fiet (claudicabit enim versus) Extrema scena prima in quibusdam veteribus codicibus inuenio:

Aliquem inuenire, suum qui mutet filium.

Idque verum esse numerorum persuadet ratio. Scena secunda eiusdem fabulæ legimus:

Hoc illum me mutare confido fore.

Neque tamen propterea damno præpositionem additā, vbi numeri patiuntur, sic enim est apud Liuium: *Vt regiæ vrbes nullius libet a ciuitatu fortunā secum mutata vellent*, prosectū dicere poterat cū sua.

Ita

Ita Terentius, cum aliquo verba commutare, cum aliquo vestem mutare. Sed hic rectè Scioppius animaduertit per præpositionem hic hominem significari: Vereor tamen, inquit, cum accuratius considero, ne τὸ *cum* hominem potius significet, dictumque sit concisius pro, cum aliquo vestem mutare, quemadmodum Sallustius: *mancipia cum mercatoribus vino mutare.* Talis præcisio etiam in illo Liuij loco fingi potest, tanquam dicerem. Ego illius opes mea paupertate mecum mutari nollem. Mutare aliquid cum aliquo est, quod Germanicè dicimus mit einem vmb was tauschen. Aliquid aliquo mutare. Eines vmb das ander geben/ oder etwas außtauschen. Hæc Scioppius. Colligo ergo latinè dici: *Exilium patria sede mutare.* Et eodem intellectu, *Exilio patriam mutare,* Et: *Exilium cum patria sede mutare,* &: *patriam cum exilio mutare.* Cicero: *Vt cum patria caritate constantia gloriam commutaret.* Sulpitius ad Ciceronem: *quibus licitum est mortem cum vita commutare.*

NABARZANES PRAETOR DARII) Chiliarcha Darij, & Drangarum Satrapes, Besso parricidij aduersus regem Darium particeps, donatus tamen vita ab Alexandro, propter Bigoam puerũ, quem munus Alexandro attulerat. Diffisus demum Alexandro propter conscientiam malefactorum in Indiam profugit.

A CRETENSI MILITE) Apto sanè ad fallendum & mentiendum, vt tota gens, quid enim est Græcis κρητίζειν quam mentiri & fallere.

> Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.
>
> *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.*

Nota est paroemia πρὸς κρῆτα κρητίζειν, aduersus Cretensem cretizare, mentiri. Erant in exercitu Alexandri multi ex ea gente, vt infrà sequitur. Hic obserua epistolam non ab Nabarzane missam Siseni per Cretensem militem, sed ab Alexandro per Cretensem Siseni redditam. Alexander enim prior epistolam acceperat, & signatam rursus ignoto signo, reddi per Cretensem Siseni curarat.

ATQVE MORIBVS SVIS) Et hic variant Codices Theocrenus scribit *maioribus suis,* & Acidalius suspicione ductus ita scribendum coniecerat. Meo animo vtrumque benè, seu *moribus* seu *maioribus. maioribus* enim aptè iungitur *nobilitate,* vt aliquid dignum sua nobilitate, dignum maioribus suis designet interficiendo Alexandro. *moribus suis* generosis, audacibus, & facinoribus & factis olim haud imparibus perpetratis

SVSPICIONEM PRAEBVIT) Alexandro facili & prono in hoc vitium, præsertim crescente potentia.

IGNOTI ANVLI SIGILLO IMPRESSO) Eod. modo suprà dixit: *sigillo anuli sui impresso.*

A CRETENSIBVS) Videtur inter Cretensium cohortem Sisenes vixisse, cum per Cretensem militem literas acceperit, & in eorum agmine fuerit interfectus. Cretenses sagittarios in exercitu hoc laudat Arrianus, quibus Sitalces præfuit..

CAPVT XIII.

ARGVMENTVM.

Thymondas peregrini militis ductor, suadet Dario, vt retrò abeat in Mesopotamiam, quod consiliũ illi, copijsque Græcis propè exitio fuit, dum à Satrapis proditor iudicatur. Ab Dario seruatur, consilium tamen eius cur ipse non sequatur rationem adfert, impedimenta Damascum mittit, ipse Ciliciam petit.



Amq, Græci milites, quos Thymondas à Pharnabazo acceperat, præcipua spes, & propemodum vnica, ad Darium peruenerant. Hi magnoperè suadebant, vt retrò abiret, spatiososque Mesopotamiæ campos repeteret. Si id consilium damnaret, at ille diuideret saltem copias innumerabiles, neu sub vnum fortunæ ictum totas vires regni cadere pateretur. Minus hoc regi, quàm purpuratis eius displicebat: ancipitem fidem, mercede venalem proditionem, imminui & diuidi non ob aliud copias velle, quàm vt ipsi in diuersa digressi, si

quid commissum esset, traderent Alexandro. nihil tutius fore, quam circundatos eos exercitu toto obrui telis, documentum non multa perfidia futuros. At Darius, ut erat sanctus & mitis, se verò tantum facinus negat esse facturum, ut suam secutos fidem, suos milites iubeat trucidari. Quem deinde amplius nationum exterarum salutem suam crediturum sibi, si tot militum sanguine imbuisset manus? Neminem stolidum consilium capite luere debere. defuturos, qui suaderent, si suasisse, periculum esset. denique, ipsos quotidie ad se vocari in consilium, variasque sententias dicere: nec tamen melioris fidei haberi, qui prudentius suaserit. Itaque Græcis nunciare iubet, ipsum quidem beneuolentiæ illorum gratias agere, ceterùm si retrò ire pergat, haud dubiè regnum hostibus traditurum. fama bella stare: & eum, qui recedat, fugere credi. Trahendi verò belli vix ullam esse rationem. tantæ enim multitudini, utique cum iam hyems instaret, in regione vasta, & inuicem à suis, atque hoste vexata, non suffectura alimenta. ne diuidi quidem copias posse, seruato more maiorum, qui uniuersas vires discriminis bellorum semper obtulerint. Et herclè terribilem antea regem, & absentia sua ad vanam fiduciam elatum, postquàm aduentare se senserit, cautum pro temerario factum, delituisse inter angustias saltus, ritu ignobilium ferarum, quæ, strepitu prætereuntium audito, siluarum latebris se occuluerint. Iam etiam valetudinis simulatione frustrari suos milites: sed non amplius ipsum esse passurum detrectare certamen. in illo specu, in quem pauidi recessissent, oppressurum esse cunctantes. Hæc magnificentius iactata, quàm verius. Ceterùm pecunia omni, rerumque pretiosissimis Damascum Syriæ cum modico præsidio militum missis, reliquas copias in Ciliciam duxit, insequentibus more patrio agmen coniuge ac matre: virgines quoque cum paruo filio comitabantur patrem.

GRAECI MILITES) triginta millia, ut infrà Curtius numerat, robur exercitus Darij.

THYMONDAS A PHARNABAZO ACCEPERAT) Curtius suprà: *Thymondes Mentoris filius, impiger iuuenis, cui præceptum est à rege, ut omnes peregrinos milites, in quibus plurimum habebat spei, à Pharnabazo acciperet.* Idem Arrianus. Thymondas hic Græcus erat, & transfuga ab Alexandro sicut & Amyntas, qui in AEgypto postea perijt, ut Curtius infrà cum Arriano testatur.

PRAECIPVA SPES ET PROPE VNICA) conducendos hosce & his pares antea Charidemus suaserat: *Pars robore*, inquit, *opus est: In illa terra quæ hos genuit, auxilia quærenda sunt.*

VT RETRO ABIRET) Iam Amyntas apud Arrianum monuerat Darium, ut in Mesopotamiæ campis expectaret Alexandrum. Et persuaserat, sed cunctante in Cilicia Alexandro propter morbum abductus à sana mente, ratus Alexandrum timore perculsum non audere progredi. Ead. Plutarchus cum Arriano quos videbis.

DIVIDERET EXERCITVM) Si prius & verius certiusque consiliũ improbaret & reijceret, omninoque intra saltus Ciliciæ & impeditos aditus exitusque hærere deliberatum haberet, saltem admitteret alterum consilium, quod primo visu utilitateque proximum erat, ut diuiso exercitu alteram copiarum partem remitteret in Mesopotamiam, seruaretque in omnem euentum, ne primo congressu vinci posset, sed victus haberet alterum, quem Alexandro exercitum obijceret.

DAMNARET CONSILIVM) Dum ego tracto argumentum Curtij, & explano sensa verborum, nolim à candidatis eloquentiæ negligi Curtianam elegantiam, quam subinde aduertendam moneo. Egregiè dictum est *damnare consilia.* & amat ita loqui Curtius. supra: *quippe quæ per duces suos acta erant, cuncta damnabat.* Et: *damnem medici fidem?* Et alibi: *damnata spe.* Nec minus elegans est quod sequitur: *Neu sub unum fortunæ ictum totas vires regni cadere pateretur.* exponendo nempè totum simul exercitum aleæ dubiæ Martis, & ferali fortunæ nutui, ut loquitur Apuleius.

MINVS HOC REGI) Plerique codices omnes quos vidi, addunt: *hoc consilium.* Modius eliminat, an ex suo, vel alieno, haud dispicio: ex suo reor. & tollẽdum videtur, quod Curtius breuitatis studiosissimus huiusmodi carcinomata oderit. Nam paullò antè dixerat. *Si id consilium damnaret.* Itaque videtur ex glossemate irrepsisse. Cæterum rex intelligebat Græcorum ac Thymondæ orationem probabilem esse.

ANCIPITEM FIDEM, ET MERCEDE VENALEM PRODITIONEM) Hic primum de scriptura constituamus, deinde de Curtij mente.

Codices omnes, quos vidi diuersos, veteres & recẽtes, disertè ponunt *mercede venalẽ proditionem imminere, & diuidi, &c.* Palmerius & Modius *imminere* vertunt in *minus*. Acidalius omninò tollit & *imminere*, & *minus*, legitq; *mercede venalem proditionẽ. diuidi non ob aliud* &c. Ego facilè assequor verbum *imminere* à Palmerio & Modio, nõ ex fide MSS. sed suaptè iudicio à Curtio proscriptũ, aut certè in τὸ *minus* mutatum esse, cum omnes mei codices coniurent in unam scripturã. suspicor tamen

men τὸ *imminere*, glossema lectoris, non Curtij calamum esse. Ex re ego incerta codicem Curtij non interpolandum, & veterem lectionem seruandam. Sententia Curtij iusta est: Purpurati sentiebant dicebantque Græcorum militum fidem ambiguam, & venalem proditionem imminere, & diuidi velle copias, quam eam partem, à qua ipsi collocandi essent, proderent Alexandro. Iam ex genio Curtij meo animi est: *Ancipitem Græcorum fidem, mercede venalem proditionem:* (esse) *& diuidi &c.* vel: *Ancipitem Græcorum fidem, & venalem proditionem diuidi non ob aliud copias velle, quam &c.* Ita non erit opus verbo *imminere*, & sententia erit plena. *Fidem ancipitem* (Græcorum) *mercede venalem proditionem* diuidi velle copias Darij, non aliam ob causam, quam vt ipsi à toto exercitu disiuncti, & cum parte copiarum duntaxat coniuncti, si quid sibi creditum aut commissum esset, illud possint tradere Alexandro Nec Acidalij tamen displicet interpunctio.

NIHIL TVTIVS FORE.) Satrapæ Alexandri cum Græcum militem mercenarium de proditione suspectum vel haberent, vel habere se simularent, pronunciarunt dignos videri, qui omnes occidione occiderentur, & à toto exercitu Persico circumuenti telis opprimerentur, vt reliquis & posteris omnibus essent documento, ne quod facinus huiusmodi tentare auderent.

DOCVMENTVM) hanc vocem multi secius accipiunt quam solent Latini scriptores, & nos olim accepimus pro institutionibus, præceptis & doctrina, cum animaduertam bonis scriptoribus tantum eo significatu poni, quo solet nonnunquam exemplum aut admonitio. Cæsar: *Nam maiore commisso delicto, igni atque omnibus tormentis necat: leuiore de caussa, auribus desectis, aut singulis effossis oculis domum remittit, vt sint reliquis documento, & magnitudine pœna perterreant alios.* Ita passim Cicero & alij vsurparunt; non pro præceptis aut doctrina, vt alibi admonui. Virgil.

Nos documenta damus qua simus origine nati.

AT DARIVS VT ERAT SANCTVS ET MITIS) Darius ingenio miti & tractabili erat, vt suprà docuit. Sanctus hic pro innocenti, integro, æquo, & bono & iusto viro ponitur, vt apud Ciceronem: *Cùm esset ille vir exemplum vt scitis innocentia, cum illo nemo neque integrior neque sanctior in ciuitate.* Idem: *Vir natura sanctus & religiosus.* Et: *Homines sunt tota Asia sanctissimi frugalissimiq.*

Alioqui sancta dicuntur propriè, quæ neque sacra, neque religiosa, neque profana sunt, sed sanctione quadam confirmata. Quod enim sanctione quadam subnixum est, id sanctum est, etsi non sit Deo consecratum l. 9. §. propriè D. de rerum Diuisione. A sanciendo enim sanctū dictum, quasi incorruptum & inuiolatum. Alio significatu sanctum est, quod ab hominum iniuria munitum atque defensum est, dictum à sagminibus, seu verbenis, siue herbis puris, quæ ex loco sācto secabātur à cōsule vel prætore legatis proficiscentibus ad fœdus faciendum, bellumve indicendum. Ex quo legati sancti iure gentium dicuntur, quod eos violari nefas sit. Sancta loca muri & portæ, sancti etiā magistratus dicebantur. Sed hic, vt docui, ἠθικῶς accipitur, pro natura miti, & ingenio mansueto moribusque æquis & bonis, ipsaque clementia.

TOT MILITVM) an *tot millium*? erant enim triginta millia. Certè infrà Curtius: *Vnius hominis iactatione tot millium sanguinem impendi.* Hæc occurrebant, antequā Modium mihi suffragantem inspicerem. Sapienter certe Darius & humanè, perculsurus erat omnium gentium animos tam immani cæde propter suspicionem facienda, nullo delicto commisso, nec vllo signo proditionis edito.

NEMINEM STOLIDVM) sequuntur meræ gnomæ, quod habet solemne in orationibus & deliberationibus Curtius. Est enim hæc oratio in secundo genere caussarum. Vbi liberas oportet esse sententias consultorum, alioqui frustra quæras ac deliberes, præsertim apud principem, cum nihilominus plerumque sententiæ inclinent consiliariorum, quo regem propendere sentiunt. quo de copiosissimè scripsit Gruterus ad primum Taciti Annalem. Qui timet, nunquam quod sentit, edit. *Diu,* inquit infrà Curtius, *nemo quid sentiret ausus est dicere, incerta regis voluntate.*

DEFVTVROS QVI SVADERENT) Quis enim cum capitis periculo, vt ille Charidemus, id faciat? Paucos Heluidios leges, qui ad Vespasianos: Penes te est, ne me senatorem esse patiaris. quamdiu autem me loco nō moueris, est in curiam mihi veniendum. Age, at ingressus taceto, inquit. Ne me roga, & tacebo. At est mihi rogandū: Et dicendum mihi quod rectum esse putaro. Verū si dixeris, occidā te. Quando ego tibi dixi me immortalē esse? tu tuū facies, ego meū. tuū est occidere, meū mori nō trementem; tuū relegare, meum exire non tristē. Hæc ille immortalis heros Heluidius, cui parem ex millibus vnum non reperies, quando plerique ad nutum regis vergunt. Verè ergo M. Tullius præcipit consilia dantibus: *In omnibus consultationibus neque gratiam spectandam, neque odia existimo, sed eam vnumquemque dicere sententiam debere, quam ipse optimam censeat.* Id quod se facturum Mamertinus panegyrista magnificè pollicetur. Adde quæ Seneca de Beneficijs vol. 6. docet, & Plinius Panegyri ad Traianum. Sed planè ad mentem Curtij, & Darij Artabanus apud Herodotum. Ὦ βασιλεῦ μὴ λεχθεισέων μὲν γνωμέων ἀντιέων ἀλλήλῃσι, οὐκ ἔστι τὴν ἀμείνω αἱρεόμενον ἑλέσθαι. ἀλλὰ δεῖ τῇ εἰρημένῃ χρῆσθαι. λεχθεισέων δὲ ἔστι ὥσπερ τὸν χρυσὸν τὸν ἀκήρατον, αὐτὸν μὲν ἑωυτῷ οὐ διαγινώσκο-

μὲν ἐπὰν δὲ παρατρίψωμεν ἄλλῳ χρυσῷ διαγινώσκομεν τὸν ἀμείνω. Rex nisi diuersæ inter se sententiæ dicantur, non potest quis eligere meliorem, sed necesse habet eâ, quæ dicta est, vti: at cum plures dictæ sunt, licèt tanquam aurum purum deligere, quod per se discerni cum nequeat, comparatum cum altero discerni potest.

PERICVLVM ESSET) Ex hoc præcepto Darij scriptores politici docent monentque principem vt sine discrimine audiat, & nec bona quidem consilia præmiis adficiat (arcanum dogma, inquit Lipsius, suggero) ne quis spe adipiscendi à vero deflectat, & παρὰ γνώμην ἢ πρὸς χάριν λέγοι, præter animi mentem & ad gratiam loquatur. Nec mala supplicijs, ne desint qui suadeant, si malè suasisse periculum sit.

MELIORIS FIDEI) Tam fideles haberi solent, qui minus prudenter suadent, quam qui prudentissimè. Prudentius enim, inquit Lipsius, id est, fælicius suadent. Nam profectò sæpè praua magis quam bona consilia prosperè eueniunt, quia pleraque res Fortuna ex libidine sua agitat. Imò vt Plautus ait:

Centûm doctûm hominum consilia sola hæc deuincit Dea.

QVOTIDIE VOCARI) Attende, Princeps, Persarum in consultando assiduitatem, & imitare, nam *cum dispositione initur bellum; & erit salus vbi multa consilia sunt.* Atque vtinam tam felices sint reges, vt ex multis quod optimum est, possint seligere. Non cecidisset fortassè Darius, aut certè non tam citò, si Græcorum sapientiam fuisset secutus. Sed numen alia omnia decrerat.

NVNCIARE IVBET) Elegantius hoc *nunciare*, quàm *nunciari*: sed codices mei omnes præter Modianum *nunciari* dicunt.

SI RETRO IRE PERGAT) Turpe sibi Darius tantus rex putabat futurum, si, vnde venerat, rediret, quod ipse fugam interpretabatur (& habebat speciem fugæ) hostem inde animos sumpturum, suos posituros, se timoris, quod in rege turpissimum est, ipsaque morte dirius, insimulatum iri. Itaque multis aut mutatio castrorum, aut abitus, aut regressus parum feliciter cessit, & in nomen fugæ transijt, vt Liuius lib. 22. 23. & 44. narrat. De Pyrro Iustinus lib. 23. De Amomphareto nolente castra mutare aduersus Mardonium, Plutarchus in Aristide. De Constantino Pogonato Zonaras lib. 3. De Hannibale, etiam Appianus; De Mnasippo Xenophon lib. 3. Hellin. qui plura exempla desiderat, Gruteri commentarium adeat ad illa Taciti verba, lib. de moribus Germanorum: *Et ipsa plerunque famâ bella profligant.*

FAMA BELLA STARE) Famæ seruiendum est studiosissimè, eademque sæpè negligenda & contemnenda, ne vanis rumoribus turberis. priùs affirmant ipse noster Curtius & hic, & alijs locis: *Nam fama*, inquit, *bella stant, & sæpè etiam quod falso creditum est, veri vicem obtinuit.* Liuius testis amplissimus accedat: *Fama bellum conficit, & parua momenta in spem metumque impellunt animos.* Nec Tacitus dissentit: *Fama in nouis cœptis validissima est, nam primis euentibus metus aut fiducia gignitur, prout enim prima cesserint, futura sunt vniuersa.* De hac bellica fama tam multa Gruterus loco paullò ante laudato, vti nec pluria desiderare possis, aut legere velis, quæ nos indigetare tantum voluimus. Contra tamen sæpè animus aduersus rumores firmandus. Liuius: *aduersus famam rumoresque hominum firmus stabis.* Idem ferè Paterculus Nunquam consilia Ducis iudicio exercitus, sed exercitus prouidentia Ducis regendus est.

Seneca: *Male imperatur cum regit vulgus Duces.*
Ad calamitatem quilibet rumor valet.

TRAHENDI BELLI RATIONEM) Quod fieret si referrem pedem, aut diuiderem copias. Trahebatur sæpè bellum, vt hostis ad victus inopiam redactus cogeretur se dedere, quod suprà dictum.

A SVIS ET HOSTE VEXATIS) suprà de Arsame prætore Darij: *Igni ferroque Ciliciam vastat, vt hosti solitudinem faciat.* &: *populator terræ quàm à populationibus vindicare debebat.*

SERVATO MORE MAIORVM.) Sic enim Cyrus, Darius, Xerxes maximis copijs collectis ipsi præsentes neminem abire patiebantur, & vniuersas vires in prælijs adhibuerunt; quod ex Herodoto, Xenophonte & alijs cognosci potest, & miror à Brissonio non animaduersum.

IAM HYEMS INSTARET) Erant Persæ impatientes frigoris, & ob id hiberno tempore bello abstinebant. De qua Socrates in Iuliano, persuaso animam Alexandri in ipsum migrasse.

NON SVFFECTVRA ALIMENTA) Summa cura Reges Persarum in expeditionem parabant commeatum, cui ἐπιδρόντας præficiebant, & pro ratione temporis quod in bello posituri erant, alimenta parabant. de quo Herodotus & Xenophon copiosi testes tradiderunt, veriti Cambysis casum & imprudentiam ab Herodoto reprehensam, & à Seneca exagitatam, qui *in hos*, inquit, *quia non supinis manibus exceperant seruitutem, missisq; legatis responsa dederant, quæ contumeliosa reges vocant, Cambyses fremebat, & non prouisis commeatibus, non exploratis itineribus per in-*

per innia, per arentia trahebat omnem bello vtilem turbam: cui intra primum iter deerant necessaria, nec quicquam submittrabat sterilis & inculta, humanoque vestigio ignota regio, sustinebant famem primo tenerrima frondium, & cacumina arborum, tum coria igne mollita, & quicquid necessitas cibum fecerat. Postquam inter harenas radices quoque & herba defecerant, apparuitque inops etiam animalium solitudo, decimum quemque fortiti alimentum habuerunt famae fauius. Agebat adhuc ira regem praecipitem cum partem exercitus amisisset, partem comedisset, donec timuit, ne & ipse vocaretur ad sortem: tum demum signum receptui dedit.

ET HERCLE TERRIBILEM ANTE REGEM) Hæc sibi somnia fingebat Darius de Alexandro, quasi suo aduentu perculso. cuius sibi mox occurrentis, quem fugere putabat, sensit interritum animi robur.

INTRA ANGVSTIAS SALTVS) Montis Amani & portarum Syriæ ad Issum, de quibus mox copiosius.

RITV IGNOBILIVM FERARVM,) elegans comparatio, sed parum vera, si cum Alexandro & eius exercitu componas. Vt hinuli, cerui, lepores, damæ, & hoc genus imbellæ animantes, parumque feroces, ferè ad viatoris strepitum, auram venti, aut frondium sonum sese latebrant, & in speleæ sua refugiunt. Ita me velut tygride & leone veniente Alexander abdidit se in montes & saltus, ac Ciliciæ angustias. Non absimilis est apud Venusinum vatem in dissimili tamen argumento σύγκρισις. ad Chloen,

Vitas hinulo, & quæ sequuntur.

OCCVLERINT) *Occulerent* Acidalius, Modius *Occulerint*, editi Codices *Occuluerunt*. videtur hic Acidalius sequendus. occulerent, occulere solerent: occulerint, occulere consuerint, non malè, & nescio vtrum non melius.

VALETVDINIS SIMVLATIONE) Melius norant Macedones suum Alexandrum, ac Persæ fugitiuum suum Darium. Nihil simulauit Alexander vt stolidus & copijs suis præfidens, rex Darius sibi illudebat. Valetudo in vtamque partem accipitur, pro morbo & sanitate, atque de hoc nemo tyro dubitat. pro inualetudine sunt in promptu quoque exempla. Curtius infra in querimonia Alexandri: *Vix suos credere non simulari valetudinem* (morbum, inquam.) Et eodem libro: *infirmitatem valetudinis tua video*. Hinc passim apud scriptores aduersa valetudo, incommoda, inhabilis, dura; & sæpè etiam sine epitheto. Cicero: *valetudine affici* Quintilianus: *Valetudinis caussas sæpè attulerunt cibi*. Velleius: *Ingrauescit in dies valetudo*. Et: *Instrumentum hoc mea valetudini succurrit*. Tacitus: *valetudine ager*. idem: *securaque anceps valetudo iram Dei affirmauit*. Nec opus pluribus.

SED NON AMPLIVS IPSVM ESSE PASSVRVM DETRECTARE CERTAMEN) ambiguè dictum explano: Darius dictitabat se non passurum amplius ipsum Alexandrum detrectare certamen. Sæpè tacet Curtius pronomen cum participio iungendum, vti & hic *τὸ se* audiri voluit.

IN ILLO SPECV) Totam Ciliciam clausam vndequaque Tauro monte ex vna parte, ex altero mari, vt specum referre videretur, & erat immanis quoque specus Typhonis Coryciusad quem respexisse potuit. Vel Amani montis impeditos anfractus & saltus intelligit, vel omnia simul.

CVNCTANTES) in Cilicia morantes, & Darium expectantes.

HAEC MAGNIFICENTIVS) Epiphonema superbæ orationis barbari regis, & de se præfidentis, omnesque mortales præ se contemnentis: sed ingentia verba modio dimensus Darius, frustra erat vt territaret Alexandrum.

CAETERVM PECVNIA OMNI RERVMQVE PRETIOSISS. DAMASCVM SYRIAE MISSIS) Hoc idem Diodorus affirmat: Δαρεῖος δὲ βουλόμενος εὔζωνον ποιῆσαι τὴν δύναμιν, τὰ μὲν σκευοφόρα, καὶ τὸν περιττὸν ὄχλον εἰς Δαμασκὸν τῆς Συρίας ἀπέθετο. *Darius, vt bene positum agmen duceret, omnia impedimenta, & inutilem turbam Damascum Syria misit*. Nos infra Damascum suo loco describemus.

Matrem Sisygambim cum geminis filiabus & Ocho sexenni filio, secum duxit in Ciliciam.

CAPVT

CAPVT XIV.

ARGVMENTVM.

Alexander ad Syriæ portas, Darius eadem nocte ad pylas Amanicas peruenit, ille vt exiret, hic vt intraret Ciliciam, qui Isson occupat, deprehensos ibi Macedones crudeliter aut truncat, aut trucidat, tergisque fugientium hæret, Alexandrum quasi fugientem assecuturus, qui simul cognouit Darium adesse, conuerso itinere constitit, paratusq; Dario occurrit.

F Orte eadem nocte & Alexander ad fauces quibus Syria aditur, & Darius ad eum locum, quem Amanicas Pylas vocant, peruenit, nec dubitauere Persæ, quin Isso relicta, quam ceperant, Macedones fugerent. nam etiam saucij quidam & inualidi, qui agmen non poterant persequi, excepti erant. quos omnes instinctu purpuratorum barbara feritate sæuientium, præcisis adustisque manibus circumduci, vt copias suas noscerent: satisque omnibus spectatis nuntiare quæ vidissent, regi suo iussit. Motis ergò castris, superat Pinarum amnem, in tergis, vt credebat, fugientium hæsurus. At illi, quorum amputauerat manus, ad castra Macedonum penetrant, Darium quanto maximo cursu posset sequi, nunciantes. Vix fides habebatur, itaque speculatores in maritimas regiones præmissos explorare iubet, ipsene adesset, an præfectorum aliquis speciem præbuisset vniuersi venientis exercitus. Sed cum speculatores reuerterentur, procul ingens multitudo conspecta est. Ignes deinde totis campis collucere cæperunt, omniaque velut continenti incendio ardere visa, cum incondita multitudo maximè propter iumenta laxius tenderet. Itaque eo ipso loco metari suos castra iusserat, lætus quod omni expetierat voto, in illis potissimum angustijs decernendum fore.

ALEXANDER AD FAVCES QVIB. SYRIA ADITVR, ET DARIVS AD AMANICAS PYLAS) Dixerat supra tres aditus asperos habere Ciliciam per montem Taurum, vbi super eo loco multa diximus. Hic omnia distinctius ex certissimis auctoribus & spectatoribus locorum proponemus. Tres aditus sunt in Ciliciam isti. Primus per pylas Tauri, quas Cyrus, Alexander M. & Cicero per Cappadociam intrarunt. Secundus, versus montem Amanum, ad quem sunt Pylæ Amanicæ. Tertius per pylas Syriç non procul Isso. Primas Tauri pilas supra descripsit Curtius quibus ex Cappadocia penetrauit Alexander Ciliciam, & recta petiuit Tarsum. Pylas Syriæ hoc loco Curtius appellat *fauces, quibus Syria aditur*, has occupauit Alexander, ibique castra posuit contra Darium, quo loco & Cicero contra Amanienses sua postea collocauit. Supra Ciliciam, per Pylas Amanicas, qua Taurus Amano iungitur, venit ex Syria Darius, & inde ad Issum contra Alexandrum contendit. Pylas ad Issum, siue Syriæ ad Issicum mare sitas his verbis describit Xenophon disertè & apertè vt solet: Ἐντεῦθεν ἐξελαύνει σταθμὸν ἕνα, παρασάγγας πέντε ἐπὶ πύλας τῆς Κιλικίας καὶ τῆς Συρίας. ἦσαν δὲ ταῦτα δύο τείχη καὶ τὸ μὲν ἔσωθεν πρὸ τῆς Κιλικίας Σύννεσις εἶχε καὶ Κιλίκων φυλακή. τὸ δὲ ἔξω τὸ πρὸς Συρίας βασιλέως ἐλέγετο φυλακὴ φυλάττειν. Διὰ μέσου δὲ τούτων ῥεῖ ποταμὸς Κέρσος ὄνομα πλέθρον εὖρος. ἅπαν δὲ τὸ μέσον τῶν τειχῶν ἦσαν στάδιοι τρεῖς καὶ παρελθεῖν οὐκ ἦν βίᾳ. ἦν γὰρ ἡ πάροδος στενὴ καὶ τὰ τείχη εἰς τὴν θάλατταν καθήκοντα. ὕπερθεν δὲ ἦσαν πέτραι ἠλίβατοι. ἐπὶ δὲ τοῖς τείχεσιν ἀμφοτέροις ἐφειστήκεσαν πύλαι. ταύτης ἕνεκα τῆς παρόδου Κῦρος τὰς ναῦς μετεπέμψατο ὅπως ὁπλίτας ἀποβιβάσειεν ἔσω καὶ ἔξω τῶν πυλῶν καὶ τὰ λοιπά. *Hinc Cyrus castris primis passuum* XXV. *millibus confectis ad Cilicia ac Syria portas peruenit. Harum citeriores muros, qui Cilicia finis est, Cilicum præsidium à Syenesi constitutum custodiebat: vlteriores regis ipsius præsidium tenere dicebatur. Interfluebat amnis cui Cerso nomen, cuius erat* XX. *passuum latitudo: medium vtrorumque murorum interuallum trium erat stadiorum: vi quidem insuperabilis locus: nam angustissimus erat transitus: muri ipsi ad mare pertinebant, quibus ardua & prærupta imminebant saxa. In vtrisque muris portæ erant*

rant singula. Huius transitus Cyrus accersiuit naues, quo transmissu intra & extra portas armatis, custodes armatos inde vi pelleret. Quid hoc Xenophontis loco illustrius, quo aperitur aditus ad mare vergens in Syriam per portas extremas Ciliciæ, qua Syriam spectat, & quas Alexander occuparat. Cicero eodem postea loco castra posuit contra Amanienses. *Castra*, inquit, *post paucos dies habuimus ea ipsa quæ contra Darium habuerat Alexander ad Issum, imperator haud paullo melior, quam aut tu aut ego.* Veniamus ad Amanicas. Has Cicero describit: *Inde* (Tarso) *ad Amanum contendi, qui Syriam à Cilicia aquarum diuortio diuidit : qui mons erat hostium plenus sempiternorum. Hic ad III. Idus Octobr. magnum numerum hostium cecidimus. &c.* De eodem Amano multa idem ad M. Catonem & ad Cælium Rufum: *Nam Parthico bello nuntiato, locorum quibusdam angustijs & natura montium fretus, ad Amanum exercitum adduxi satis probè ornatum auxilijs & quadam auctoritate apud eos, qui me non norant, nominis nostri, multum est enim in his locis: Hiccine est ille, qui vrbem? qui senatum? nosti cætera. Cum venissem ad Amanum, qui mons mihi cum Bibulo communis est, diuisus aquarum diuortio.* & mox infra : *Interea cum meis copijs omnibus vexaui Amanienses hostes sempiternos. multi occisi, capti, reliqui dissipati. Castella munita, improuiso aduentu capta & incensa. Ita victoria iusta imperator appellatus apud Issum : quo in loco sæpè (vt ex te audiui, Clitarchus tibi narrauit) Darium ab Alexandro esse superatum.* & quæ ibidem sequuntur de Pindenisso oppido capto in monte Amano. Strabo quoque planissimè portas Amani à portis Ciliciæ & Syriæ extremis distinguit: *Post Mallum*, inquit, *Aegæa est oppidulũ cum statione. Deinde Amani porta cum statione, in quas Amanus mons desinit à Tauro porrectus supra Ciliciam, qua versus orientem vergit*, & infra: *Post Aegæas Issus est oppidulum cum statione & flumen Pindus. ibi Alexander cum Dario pugnauit. Hinc sinui Issico nomen, in quo est vrbs Rosus, tum Myriandrus alia vrbs, & Alexandrea ac Nicopolis, & Mopsuestia (quasi lares Mopsi diceres) & quæ Pylæ seu portæ dicuntur, limes Ciliciæ atque Syriæ.* Intelligis hinc à Strabone portas Amani prorsus alias esse à portis Ciliciæ & Syriæ, quæ sunt limes Ciliciæ ad Syriam pertinentis. Notandus ergo Camertis error ad Solinum, qui tres aditus Syriæ & Ciliciæ, Tauri inquam ex Cappadocia, Amani ex Armenia & Syria, Issicas pylas ad mare confundit: *Ciliciæ portæ*, inquit, *eæ videntur esse, quas etiam ab Ammano monte Amanicas vocat Ptolomæus iuxta sinum Issicum.* Ecce tibi iam Tauri portas quæ ex Cappadocia Ciliciam aperiunt, permiscet cum portis Issicis quæ finiunt Ciliciam, & Amanis. Rursus idem Scholiasta Solini ex Curtio, Alexandrum has ingressum, & locorum situm contemplatum, non alias magis admiratum esse fœlicitatem suam, & quæ sequuntur. Quæ verba Curtij refert de Alexandro ex Cappadocia primum per Taurum montem in Ciliciam ingresso dicta, & ad Tarsum inde (vt Cyrus minor olim) progresso; non de extremis versus Syriam Ciliciæ & Syriæ portis. Mela quoque separat, & omnium apertissimè Arrianus, qui *Alexander*, inquit, *cùm secundis castris Pylarum angustias superasset, ad Myriandrum vrbem castra posuit.* Et mox de Dario: *Darius superato monte qui propè pylas Amanicas est Isson versus mouit, Alexandrum imprudens à tergo reliquit.* Quomodo potuit Alexandrum à tergo reliquisse si per Pylas Syriæ & Ciliciæ venit Darius, quas insederat, vt Curtius ait, Alexander, & quomodo imprudens id fecisset Darius, si per easdem portas quas Alexander tenebat, est ingressus: Fuerunt ergo diuersæ portæ Ciliciæ & Amanicæ versus Syriam, quod non minus clarè Callisthenes apud Polybium docuit. ἐν ῇ (Κιλικίᾳ) φησὶ μὲν Ἀλέξανδρος ἤδη διαπορεύεσθαι τὰ στενά, καὶ τὰς λεγομένας ἐν τῇ Κιλικίᾳ Πύλας. Δαρεῖον δὲ χρησάμενον τῇ διὰ τῶν Ἀμανίδων λεγομένων Πυλῶν πορείᾳ κατᾶραι μετὰ τῆς δυνάμεως εἰς Κιλικίαν. *Iam Alexander* (inquit Callisthenes) *fauces superauerat, & quas Ciliciæ Pylas vocant. Darius verò per Amanicas Pylas ducto agmine in Ciliciam cum copijs iam peruenerat.* Accipe ergò quod dicit Curtius Alexandrum eadem nocte ad fauces Ciliciæ & portas Syriæ peruenisse, & simul Darium ad Amanicas Pylas, quod nesciebat Alexander, quia diuersæ erant portæ, & illæ, vt Mela dicit, procul ab istis remotæ, priusque capta Issos est, quam Alexander cognosceret adesse Darium, cum per Macedones à Dario captos & manibus truncatos certior factus est adesse in Ciliciam Darium. Non potuissent à se mutuo aberrare, si per easdem portas noctu fuisset egressus Alexander, & per easdem eadem nocte ingressus Darius, præsertim cum Alexandri miles portas insideret & fauces, vt Curtius narrat. Emendandus ergo & Abrahamus Ortelius in descriptione expeditionis Alexandri, qui Pylas Amanicas ponit, vbi debebat Syriæ & Ciliciæ collocare omnino præteritas.

NEC DVBITAVERE PERSAE, QVIN MACEDONES FVGERENT) Dubia oratio in verbis, *quam ceperant*; ceperunt Macedones, & ceperunt Persæ, illi prius, hi posterius. Sed eximit scrupulum sententia & rerum ordo. τὸ *ceperant* ad Macedonas pertinet. Nam si cepissent Issum (quamuis postea fugatis Macedonibus ceperint) Persæ non dubitassent an essent fugituri Macedones, cum deprehensos occidissent, vti fecerunt.

SAVCII ET INVALIDI) ægri, debiles & vulnerati. Vbi vulnerati? in expeditione Montana contra latrones Amanienses. Nam in subigendis Montanis septem dies impenderat Alexander.

EXCEPTI ERANT) Macedones à Persis.

INSTINCTV PVRPVRATORVM) Satraparum consilio, cum alioqui mitis & sanctus esset Darius, nisi etiam naturam suam plerumque fortuna corrumperet.

PRAECISIS ADVSTISQVE MANIBVS) Arrianus crudeliter interfectos scribit.

CIR-

CIRCVMDVCI VT COPIAS SVAS NOSCERENT IVSSIT) Vt ingentem terrorem Alexandro & Macedonibus ex magnitudine exercitus incuteret. Certè vt Diodorus Siculus est auctor, Cilices ante subacti ab Alexandro, visis Darij copijs & ipso rege præsente, defecerunt omnes qui erant circa Issum & Amanum. *Tum, inquit, regionum illarum homines, magna Persarum multitudine perterriti, Macedonum paucitatem contemnebant, eisque desertis Dario se adiunxerunt, commeatus aliaque necessaria prompto animo ei subministrantes. Ipsorum denique sententia Persis in manu, certissima victoria videbatur.*

SATISQVE SPECTATIS OMNIBVS NVNCIARE QVAE VIDISSENT REGI SVO IVSSIT) Ita Valerius Leuinus Cos. cum intra castra sua exploratorem hostium deprehendisset, magnamque copiarum suarum fiduciam haberet, circumduci eum iussit, terrendique hostis causa exercitus suos visendos speculatoribus eorum quoties vnluissent, patere. Idem olim fecerat Xerxes Græcis exploratoribus in castris deprehensis, vt Herodotus & Polyænus Stratag. lib. 8. refert; & postea Scipio, vt Appianus lib. bell. Punicorum.

MOTIS ERGO CASTRIS SVPERABANT PINARVM AMNEM) Darius capta Isso, Alexandrum ratus Tarsum versus fugere, cœpit omni ope persequi, & Pinarum amnem transmittere. Tu locum ita animo concipe: Secundum Issum ex monte Pinarus cadebat inter Aegeas & Issum, mareque Ciliciam recto cursu petebat: Darius vltra Pinarum constitit, cis Alexander, qui & mare habebat à sinistro latere, vti Darius à dextro. Montem Alexander à dextris, à sinistris Darius. Pinarus medius vtriusque exercitum diuidebat.

VIX FIDES HABEBATVR) nuncijs, quamuis pro fide trunca brachia ostentantibus. *Alexander*, inquit Arrianus, *simulac audiuit Darium à tergo relictum, quoniam illi parum hic nuntius certus videbatur, quosdam ex amicis triremi impositos Issum remittit, exploraturos, an, quæ nunciabantur, vera essent. Qui triremi conscensa, quod mare illud sinuosum sit, facilè cognouerunt Persas ibi castra posuisse, atque Alexandro renunciant Darium in manibus esse.*

CVM SPECVLATORES) antequam malim.

ITAQVE EO IPSO LOCO METARI CASTRA SVOS IVSSERAT) Reuersus Alexander, vt Plutarchus & Arrianus tradunt, ad pylas quas iam in Syriam iturus Alexander transierat (vt Curtius, ex Pylis tantum occupatis ad Pinarum) sub mediam noctem rursus Pylas Syriæ Ciliciam ingressus quieuit ad lucem, inde rectà in hostem contendit. Eo ipso loco quo exploratores adesse Darium nuntiantes audierat, intra & post Pylarum angustias castra posuit ea nocte, sed Curtius aliter, vt infra cognosces.

LAETVS QVOD OMNI EXPETIERAT VOTO IN ILLIS POTISSIMVM ANGVSTIIS DECERNENDVM) Idem Plutarchus & Diodorus Siculus præter alios affirmant. ipse apud Arrianum Alexander suos cohortatus, Deum ait pro ipsis pugnare, qui Darium impulerit, vt exercitum ex spaciosissimo campo in illas angustias adduceret, vt Macedonibus commodus ad explicandam phalangem locus esset: hostibus verò tanta multitudo ad pugnandum inutilis. Plutarchus addit Darium serò intellexisse Amyntam vera monuisse, & mox voluisse errorem corrigere, & exercitum in Mesopotamiæ campos reducere.

LAETVS) Amplius prodest locus sæpè quàm virtus.

CAPVT XV.

ARGVMENTVM.

Aestuat curis Alexander, nocte quæ prælium antecessit, sacrificat, manè instructo milite in hostem pergit, aciemque ad prælium disponit.



Aeterùm, vt solet, cùm vltimi discriminis tempus aduentat, in sollicitudinem versa fiducia est. illam ipsam fortunam, qua aspirante res tam prosperè gesserat, verebatur. nec iniuria. ex his quæ tribuisset sibi, quam mutabilis esset, reputabat. vnam superesse noctem, quæ tanti discriminis moraretur euentum. Rursus occurrebant maiora periculis præmia, & sicut dubium esset an vinceret, ita illud vtique certum esse, honestè & cum magna laude moriturum. Itaque corpora milites curare iussit, ac deinde tertia vigilia instructos & armatos esse. Ipse in iugum editi montis ascendit, multisque collucentibus

bus facibus, patrio more sacrificium dijs præsidibus loci fecit. Iamque tertium, sicut præceptũ erat, signum tuba miles acceperat, itineri simul paratus & prælio: strenueque iussi procedere, oriente luce peruenerunt ad angustias, quas occupare decreuerant. Partium triginta inde stadia abesse præmissi indicabant. Tunc consistere agmen iubet, armisque ipse sumptis aciem ordinat.

CAETERVM VT SOLET) Codices plerique omnes habent, vt solet fieri, sed illud *fieri*, glossemà iuxta cum Modio existimo.

ADVENTAT) *aduenerat* alij; alij *aduenerit*, seruo primam scripturam.

IN SOLICITVD. VERSA FIDVCIA EST) Idem accidit & militibus, & Alexandro in extrema cum Dario pugna ad Arbela: *fluctuare*, inquit, *animo rex, & modò suum, modò Parmenionis consilium sera æstimatione perpendere*: & mox infra: *Alexander non aliàs magis territus, ad vota & preces Aristandrum vocari iubet.* Carolus V. Maximus, felicissimus & fortissimus Imperator, Orbisque Christiani sempiternum decus, cum ad imminentem pugnam corporis munimenta sumeret, intremuisse totis artubus fertur, vbi verò equum ascenderat, interritum leonis animum resumebat.

EAM IPSAM FORTVNAM) Inconstantiam fortunæ, quæ solum constans in leuitate sua est, meritò verebatur, & vim illius reputabat, quod mille casibus, omnia quæ ageremus, essent subiecta; & quod Seneca verè postea sensit & dixit:

-- *Nemo se tuto diu*
Periculis offerre tam crebris potest.

Sæpè enim omnia audacissimè incipientem fortuna fefellit, & quo altius extulit, hoc fœdius abiecit; nam

Semel profectò premere felices Deus
Cum cœpit, vrget, hos habent magna exitus.

Sæpè, vt Ephesius Heraclitus docet, accidit, vt fortissimi ab ignauissimis vincerentur:

Ξυνὸς ἐνυάλιος, καὶ τὸν κτανέοντα κατέκτα.
Mars communis, & interimit quoque iam perimentem.

In prælijs, inquit Vegetius, amplius solet fortuna potestatis habere quàm virtus. Fortunam ergo quam ad id temporis semper fauentem expertus fuerat, timebat ne subito mutaretur. *Multum enim*, inquit, Cæsar l. 6. bell. Gall. *cum in omnibus rebus, tum in re militari potest fortuna.* Cicero pro Marcello: *Et certè in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus militum multum adiuuant, maximam verò partem, quasi suo iure fortuna sibi vendicat, & quicquid est prosperè gestum, id pœnè omne ducit esse suum.*

EX HIS QVAE TRIBVISSET SIBI QVAM MVTABILIS ESSET REPVTABAT) Mens est: perpendebat Alexander quæ sibi fortuna dedisset, & alijs antea felicibus ademisset, atque inde illius vices verebatur, cum modo his opes, terras, regna, gloriam adimit, ademptaque alijs tribuit. Idem sibi posse contingere intelligebat, nec certus erat fortunæ, quæ Thebas euerterat, Dario Hellespontum, Insulas, Phrygiam, Lydiam, Cariam, Lyciam, Pamphyliam, Cappadociam, Ciliciam ademerat, & Alexandro dederat. Solet quos plurimis beneficijs ornauit, ad duriorem casum reseruare; metuebat Alexander ne subito auersa omnia quæ dedisset momento auferret. Atque inter expectationem & euentum tanti discriminis vnicam noctem intercedere. Sequentem mox lucem declaraturam quem regnare velit hera, quidue latura sit sors.

MAIORA PERICVLIS PRAEMIA) seu vinceret, seu vinceretur: victoriam à fortuna sibi extorqueri posse, gloriam & pulchram saltem per vulnera mortem non posse. à victoria totam Asiam pendere, quam si non teneret, magnis tamen ausis magnam gloriam fore, totius orbis possessioni anteponendam.

CORPORA CVRARE) Cibo & somno reficere.

TERTIA VIGILIA) Nox, vt passim ex scriptoribus & literis etiam sacris notum, in quatuor vigilias militiæ diuidebatur, singulæ vigiliæ tribus horis ad clepsydram dimensis definiebantur, Vegetius lib. 3. c. 8. *In quatuor partes ad clepsydram sunt diuisæ vigiliæ, vt non amplius quam tribus horis nocturnis necesse sit vigilare.* De clepsydris etiam ille Cæsaris locus l. 5. accipiendus est in descriptione Britanniæ, certis ex aqua mensuris (clepsydris nempe) breuiores esse noctes, quam in continente videbamus. Singulis vigilijs è singulis centurijs quaterni equites & quaterni pedites excubabant. Nox incipiebat cum sole occidente, vti cum eodem nascente dies, & in horas duodecim, vti dies, tribuebatur, longiores ac breuiores pro ratione anni siue hyemis & æstatis. tuba vocabat vigiles, cornu seu buccina dimittebat. Vegetius: *A tibicine omnes vigiliæ committuntur, & finitis horis à cornicine reuocantur.* Tuba ergo initium dabat, buccina finem. trihorium erat singularum vigiliarum. De his passim Vates;

Luca-

Lucanus --- *iam castra silebant*

Tertia iam vigiles commouerat hora secundos.

Ausonius ---- *noctisque per vmbram*

Tergeminus(an tergeminam?)*vigiles* --

Propertius:

Et iam quarta canit venturam buccina lucem.

Cleplydræ vel ostendebant singulas horas, vel iunctæ tres, vel vnica trihorium continebat, poterat enim modiolusa quæ fieri vt tres horas impleret. De clepsydris nos copiosè ad Martialem in Analectis, verum ibi non de castrensibus, sed forensibus tractatum.

De Castrensibus vide Aeneam in poliorcetico, Iulium Africanum c.40.

TERTIA VIGILIA INSTRVCTOS) media nocte inchoabat tertia, auius initium est apud nos post duodecimam noctis, inchoante prima, quando solet altissimus esse somnus, de qua Silius:

---- *mediam somni cum buccina noctem*
Diuideret, iamque excubias sortitus iniquas,
Tertius abrupta vigil iret ad arma quete.

Qui de vigilijs plura cognoscere studet, Polybium de militia Romana consulat, eiusque interpretem Lipsium, itemque Vegetium cum Stevvechio, huic loco hęc sufficere visa.

IPSE IN IVGVM EDITI MONTIS ASCENDIT, MVLTISQVE COLLVCENTIBVS FACIBVS PATRIO MORE SACRIFICIVM DIIS PRAESIDIBVS LOCI FECIT) Mótes, siluas, lucos, nemora, valles, colles, campos veteribus sacros fuisse sacræ & profanæ literæ narrant. Et certos quoque montes ab ipso numine quod adoramus, consecratos ex Mose discimus, qui se iussus discalciare, antequam accederet; locus enim in quo stas terra sancta est. Sed profanæ gentes his ad idololatriam abusæ sunt, Nos ad Curtium veniamus.

IN IVGVM MONTIS) Iugis quoque præerant Dij, vnde Latinis Iugatinus Deus, vt Bacchus. Oreus montanus dictus, & Oreades nymphæ montanæ. Hinc tot Dryades, Siluani, Fauni, Sileni, Nemestrini, Collinæ & alia geniorum monstra.

MORE PATRIO) Græco more, vt supra Aesculapio, Herculi & Mineruæ circumgestatis facibus fecit.

DIIS PRAESIDIBVS LOCI) Genium loci vocabant ex Pythagoræ disciplina, qui singulis locis genium præesse docuit. Eò factum est, vt qui nouam regionem ingrederentur, præsidem & genium loci adorarent. Virgilius:

Incertus geniumne loci, famulumne parentis
Esse putet. ---

Et: *Sic deinde effatus, frondenti tempora ramo*
Implicat, & Geniumque loci, primamque Deorum
Tellurem, Nymphasque, & adhuc ignota precatur
Numina ---

Ouidius:

Dijque peti toram, dixit, saluete locorum,
Tuque nouos cælo, terra datura Deos.
Fluminaque & fontes, quibus vtitur hospita tellus,
Et nemorum & Nymphæ, Naiadumque chori.
Este bonis auibus visi natoque, mihique,
Ripaque felici tacta sit ista pede.

Et concludit:

Quis tantum fati credat habere locum.

Nicolaus Serarius ad Iosue lib. c.4. q.11. p.395. disputat, num rectè & religiosè, non superstitiosè salutarint Israelitæ terram promissam, quando ex Aegypto profecti illam salutarunt. Vbi & hunc Curtij locum, aliosque ex Virgilio alijsque laudat.

IAMQVE TERTIVM SIGNVM) Tertium signum initium dabat tertiæ vigilię, ad quam omnes instructos & armatos esse præceperat. Ergo ex castris exercitus omnis media nocte processit, & Dario ad Pinarum amnem occurrit.

AD ANGVSTIAS) sinus montium & valles intelligit, ex quibus in planum campum, vbi prælium est commissum, descendebatur. Illæ tamen angustię tam spatiosæ erant & laxæ, vt tricenos binos armatorum vno versu per latum incedentes caperent, mox plures, vt infra audies.

OCCVPARE) Ne hostis anteuerteret, locus enim in bellis maximum sæpe momentum adfert victoriæ. Vide quæ hic Diodorus Siculus & Arrianus tradant.

DARIVM TRIGINTA INDE STADIA ABESSE) Vnicam parasangam duobus stadijs minus nostrate milliari, seu quatuor millibus passuum. Diodori Siculi interpres malè collocauit septem millia passuum, cum in Græco sit τριάκοντα σαδίους, vt noster Curtius habet. Stadium autem contineat passus centum viginti quinque, triginta ergo stadia passus efficient ter mille septingentos quinquaginta,

ta, ita vt centum quinquaginta passus absint à iusto milliari Germanico, nam quater octo stadia, seu triginta duo stadia implent quatuor millia passuum.

CAPVT XVI.

ARGVMENTVM.

Trepidatio in exercitu Darij & tumultuatio orta, audito adesse Alexandrum. Darius conatur circumuenire Alexandrum, multa simul imperat, nemo imperata vel audit, vel exequitur.



Ario aduentum hostium pauidi agrestes nuntiauerunt, vix credenti, occurrere etiam, quos vt fugientes sequebatur. Ergo non mediocris omnium animos formido incesserat: quippe itineri quam prælio aptiores erant, raptimque arma capiebant. Sed ipsa festinatio discurrentium, suosque ad arma vocantium, maiorem metum incussit. alij in iugum montis euaserant, vt hostium agmen inde prospicerent: equos plerique frænabant: discors exercitus, nec ad vnum intentus imperium, vario tumultu cuncta turbauerat. Darius initiò iugum montis cum parte copiarum occupare statuit, & à fronte, & à tergo circuiturus hostem. à mari quoque, quo dexterum eius cornu tegebatur, alios obiecturus, vt vndique pergeret. Præter hæc viginti millia præmissa cum sagittariorum manu, Pinarum amnem, qui duo agmina interfluebat, transire, & obijcere sese Macedonum copijs iusseras. Si id præstare non possens, retrocedere in montes, & occultè circuire vltimos hostium. Ceterùm destinata salubriter omni ratione potentior fortuna discussit: quippe alij præ metu imperium exequi non audebant, alij frustra exequebantur: quia vbi partes labant, summa turbatur.

PAVIDI AGRESTES) In montibus & agris deprehensi, aut materiam cedentes, aut agrum fodientes.

SED IPSA FESTINATIO METVM INCVSSIT) Huius festinationis & trepidationis exemplum habes apud Cæsarem, qui in Neruios profectus ex itinere quoque fuit oppressus. *Cæsari*, inquit Cæsar, *omnia erant vno tempore agenda: vexillum proponendum, signum tuba dandum, ab opere reuocandi milites, qui paullò lõgius processerant accersendi, acies instruenda, milites cohortandi, signum dandum, quarum rerum magnam partem temporis breuitas, & successus, & incursus hostium impediebat.* Hæc & his plura Cæsar, qui nunquam propius abfuit à clade, & extrema sui exercitus internecione. sic enim sequitur: *Cæsar, quarta cohortis omnibus centurionibus occisis, signiferoque interfecto, signo amisso reliquarum cohortium omnibus ferè centurionibus occisis, in his Primipilo P. Sextio Baculo fortissimo viro multis grauibusque vulneribus confecto, vt iam se sustinere non posset, reliquos esse tardiores, & nonnullos à nouissimis desertos prælio excedere, ac tela vibrare, hostes neque à fronte ex inferiore loco subeuntes intermittere, & ab vtroque latere instare, & rem esse in angusto vidit, neque vllum esse subsidium quod submitti posset, scuto ab nouissimis vni militi detracto, in primam aciem processit.*

DARIVS INITIO IVGVM MONTIS CVM PARTE COPIARVM OCCVPARE STATVIT) Vt hic locus & sequens caput intelligatur, delineanda regio, & situs campi montisque & maris est circa Issum & Pinarum amnem, & hoc ex antiquis & probis scriptoribus. Ex Herodiano colligi potest fuisse planitiem ad mare Cilicium instar stadij cursorij porrectam, in qua vtrimque stetit equitatus trans Pinarum Darij; cis versus Syriam Alexandri, locumque totum monte Tauro velut Theatro clausum. Testatur Herodianus suo tempore adhuc stetisse tropæum, seu vrbem Alexandriam in colle sitam, & æneum Alexandri simulacrum. Addit quædam distinctius Callisthenes, spacium illud in quo decertatum est inter Alexandrum & Darium à mari vsque ad montem, patuisse quatuordecim stadia in latitudinem, & inter castra Alexandri & Darij Pinarum amnem interfluxisse, amnem alta crepidine, spinisque septum. Hæc Callisthenes comes Alexandri, & spectator loci, quem de intervallo spatij redarguit Polybius

Polybius, non potuisse aciem explicari eo numero quem ipse posuisset Callisthenes, & hoc geometrica & tacticaratione ostendit, vt infrà referemus. Hic tantùm de loco & campo eiusque spacio tractamus.

Arrianus locum in quo Darius aciem instituebat nonaginta passuum non amplius capacem fuisse scribit. Mons in quo acies viginti millium instructa erat à Dario aliqua ex parte introrsum recedens sinum quendam veluti in mari faciebat: deinde in anfractum porrectus efficiebat, vt qui ad radicem montis constituti erant, dextrum Alexandri cornu auersum cernerent. Ripas Pinari idem quoque praeruptas fuisse testatur, immò etiam aggere munitas, vbi facilior ascensus erat. Mare autem sinistrum Alexandri cornu, dextrum Darij tegebat: ita vt collecta ex dictis summa mons cinxerit vtramque ferè aciem, è cuius regione erat sinus Issicus, & porrectum planumque littus, vbi maximè eques depugnabat. Pinarus amnis medius vtramque aciem à montibus vsque ad mare distinguebat, quem primus cum suis ingressus Alexander Darium est aggressus. Nunc ad Curtium enarrandum veniamus.

Darius et a fronte et a tergo circuiturus hostem a mari quoque alios obiecturus vt vndique vrgeret) Consilium Darij non erat insulsum, si qui parebant, fortiter imperata fuissent executi. statuerat enim & poterat à multitudine circumuenire totum illius exercitum ipse à fronte; per duces à lateribus hinc montis, inde maris, à tergo etiam quod mons instar sinus se flecteret, vt extremi per montem à Dario dispositi tergum phalangis Macedonicae, vt ait Arrianus, viderent. A mari per classem quam habebat in Issico sinu, vt inde latus sinistrum Alexandri incesserent, quod tametsi plerique historici tacent, tamen & Curtius hic docet, & Iustinus signatè post Victoriam ait Parmenionem ad occupandam Persicam classem missum.

Quo dextrum cornu eius tegebatur) Darij cornu dextrum mari tegebatur, mari enim propinquum erat, & per littus porrectum, vti laeuum Alexandri. tegebatur, inquit, mare enim defendebat dextrum cornu Darij, ne circuiri posset aut oppugnari ab Alexandro, vel tegebatur, erat ad mare collocatum, stabat iuxta littus.

Tegebat) Ita infrà: *A parte dextra erat Tigris nobilis fluuius, laeuam tegebat Euphrates*, vt mirer Acidalium hìc in sole quaesisse tenebras.

Viginti millia Pinarum amnem transire) Transisse dicit Arrianus, & quidem plures ante aduentum Alexandri ad Pinarum, vt postea securè aciem ordinare, transmissosque postea reuocauit. Sic enim Arrianus: *Darius postquam ei nunciatum est Alexandrum instructa acie aduentare, triginta millibus equitum, & viginti millibus expeditorum Pinarum flumen transit, vt reliquum exercitum securius instruat*. Ipse tamen non transijt, sed intra Pinarum amnem aciem composuit.

Praestare) spuria & subiecta vox praeter gustum & genium Curtij videtur.

Destinata salubriter omni ratione potentior fortuna discussit) Nobilis & haec gnome, vt Theophrasti in Callisthene apud Ciceronem: *Vitam regit fortuna, non sapientia.*

Τύχη τὰ πάντα τἀνθρώπων ἐπισκοπεῖ.

Fortuna humana fingit & arctat vt lubet.

Prae metu exequi non audebant) Quia, vt mòx subiicit, nec obstare venientibus, nec circuire praetergressos ausi, funditorum maximè aspectu territi profugerunt.

Vbi partes labant summa turbatur) Et hoc effatum Curtii vt oraculum Delphicum notandum. Vbi miles imperata negligit, imperator victus est.

CAPVT XVII.

ARGVMENTVM.

Darius aciem ad pugnam instruit.



Acies autem hoc modo stetit: Nabarzanes equitatu dexterum cornu tuebatur, additis funditorum, sagittariorumque, viginti fermè millibus: in eodem Thymodes erat, Graecus peditibus mercede conductis triginta millibus praepositus. Hoc erat haud dubie robur exercitus, par Macedonicae phalangis acies. In laeuo cornu Aristomedes Thessalus viginti millia Barbarorum peditum habebat. In subsidijs pugnacissimas locauerat gentes.

tes. Ipsum regem in eodem cornu dimicaturum tria millia delectorum equitum asueta corporis custodia, & pedestris acies XL. *millia sequebantur. Hyrcani deinde, Mediq; equites. his proximi caeterarum gentium vltra eos dextra laeuaque dispositi. Hoc agmen sicut dictum est instructum, sex millia iaculatorum funditorumque antecedebant. Quidquid in illis angustijs adiri poterat, impleuerant copiae: cornuaque hinc ab iugo, illinc à mari stabant: vxorem, matremque regis, & alium faeminarum gregem in medium agmen acceperant.*

NABARZANES) De hoc dictum supra cap. II.

DEXTERVM CORNV) peritè & sapienter aciem disposuit Darius, si tam exercitatum habuisset militem (cum numinis fauentia) quam habuit numerosum, vicisset. dextrum cornu ad mare collocatum contra laeuum Alexandri, cui Parmenio praefuit ibidem ad mare.

THYMODES) qui suprà suaserat Dario, vt rediret in latos Mesopotamiae campos. Ita videatur hoc scribendum, non *Thymondes*, cum à Graeco θυμώδης animosus, iracundus, generosus deducatur, vt si aliter supra scriptum legas, emendes. nisi scribas Thymondas, vt variant passim codices.

HOC ERAT HAVD DVBIE ROBVR EXERCITVS) suprà: *Iamque Graeci milites, quos Thymondes* (sic enim ibi scriptum est) *à Pharnabazo acceperat, praecipua spes, & propemodum vnica, ad Darium peruenerant.*

PAR MACEDONICAE PHALANGI) Erant quinquaginta millia in cornu Nabarzanis cum sagittarijs & funditoribus, Alexander nusquam legitur habuisse tot millia in vniuerso exercitu ad Issum. Sed hic tantum comparar Graecum militem mercede conductum, cum phalange Alexandri, non multo pluribus triginta millibus constante. Aut par acies accipi potest de virtute militum Graecorum, praesertim cum dicet fuisse robur totius exercitus.

ARISTOMEDES) In laeuo cornu curabat Alexandro oppositus, in quo & Darius decernebat. Erat hic Pheraeus patria, vt Arrianus est auctor, transfuga ab Alexandro ad Darium, vt Amyntas & Thymodes alijque complures.

IN SVBSIDIIS) De subsidijs optimè Vegetius: *Sed optima,* inquit, *ratio est, & ad victoriam plurimum confert, vt lectissimos de peditibus & equitibus, cum vicarijs, comitibus, tribunisq; vacantibus habeat post aciem in subsidijs praeparatos, alios circa cornua, alios circa medium, vt sicubi hostis vehementius insistit, ne rumpatur acies, prouolent subito, & suppleant loca, additaque virtute, inimicorum audaciam frangunt.* Addit Vegetius Lacedaemonios inuentores, alios populos imitatores, docetque ad omnem vsum praelij necessaria esse subsidia, Romanos vbique seruasse; & ex Liuio, Caesare, alijsque scriptoribus apparet. Caesar profectò, vt est apud Frontinum, beneficio subsidiariarum cohortium in Palaepharsali praelio Pompeium vicit.

IN EODEM CORNV) laeuo, quod dextro Alexandri erat obiectum, ita vt rex contra regem esset dimicaturus.

CONSVETA CORPORIS CVSTODIA) Ex popularibus hi αἰχμοφόροι καὶ σωματοφύλακες erant, non externo milite, proinde Nabarzanes proditor & parricida Darij per literas apud Alexandrum purgans, crimen ait Darium agitasse, custodiam corporis sui contra ius fasque peregrino militi tradere, damnata popularium fide, quam per ducentos annos inuiolatam Regibus suis praestitissent. De hac regum Persarum custodia copiosè Brissonius de regno Persarum.

HYRCANI DEINDE MEDIQVE) Medi decem, Hyrcani sex equitum millia adduxerant, vt Curtius suprà censuit.

CAETERARVM GENTIVM) quas suprà indigitauerat.

IACVLATORVM) Iaculatores non sunt ijdem, sed planè diuersi. AElianus: περὶ στρατηγικῶν τάξεων ἀκοντιστὰς appellat iaculatores; sagittarios τοξότας, eosque pedestres & equestres & iaculatores, equestres ἱππακοντιστὰς, sagittarios equites ἱπποτοξότας nominat.

CORNVAQVE HINC AB IVGO ILLINC A MARI STABANT) duo exercitus Dariani cornua laeuum & dextrum, laeuum vsque ad iugum montis pertinebat, dextrum ad mare porrigebatur.

VXOREM MATREMQVE) Impedimenta paullò antè Damascum miserat, matrem, coniugem, eandemque sororem & virgines regias duas cum sexenni filio, & nutricibus spadonibusque secum retinuit & in medium agmen accepit.

Hic ergò fuit ordo Persici exercitus contra Alexandrum à Dario ordinatus.

Eundem ordinem ferè obseruatum Dario tradit Callisthenes, qui equiratum mari adiungit, mercenarios ad ripam Pinari admouet, reliquos vsque ad montem ait pertinuisse. Arrianum hic inspice.

CAPVT XVII.

ARGVMENTVM.

Alexander ita militem collocauit, vbi nulla ratione posset circuiri, aut concludi.



Lexander phalangem, quo nihil apud Macedonas validius erat, in fronte constituit: dextrum cornu Nicanor Parmenionis filius tuebatur: huic proximi stabant Cœnos, & Perdiccas & Meleager, & Ptolemæus, & Amyntas, sui quisq; agminis duces. In læuo, quod ad mare pertinebat, Craterus, & Parmenio erant: sed Craterus Parmenioni parere iussus. Equites ab vtroque cornu locati, dextrum Macedones Thessalis adiunctis, læuum Peloponenses tuebantur. Ante hanc aciem posuerat funditorum manum sagittarijs admixtis. Thraces quoque & Cretenses ante agmen ibant, & ipsi leuiter armati. At ijs, qui præmissi ab Dario iugum montis insederant, Agrianos opposuit, ex Græcia nuper aductos. Parmenioni autem præceperat, vt quantum posset, agmen ad mare extenderet, quò longius abesset acies montibus, quos occupauerant Barbari. At illi neque obstare venientibus, nec circuire prætergressos ausi, funditorum maximè aspectu territi profugerant. eaque res Alexandro tutum agminis latus, quod ne supernè incesseretur, timuerat, præstitit. Triginta & duo armatorum ordines ibant: neque enim latius extendi aciem patiebantur angustiæ. Paulatim deinde laxare se & sinus montium, & maius spatium aperire cœperant, ita vt non pedes solùm pluribus ordinibus incedere, sed etiam lateribus circumfundi posset equitatus.

ALEXANDER PHALANGEM) Alexander principio in fronte collocault tricenos binos in vno versu, quos totidem insequentibus sunt secuti, ita vt duo & triginta ordines efficerentur, donec progressus pluribus posset ordinibus laxatis vijs incedere. Dextrum Nicanor cornu tuebatur aduersus læuum Darij; læuum Parmenioni supremo & socio Cratero assignauit, ipsemet Alexander in dextro decertauit, medij erant in fronte quinque præstantes duces Cœnos, Perdiccas, Meleager, Ptolomæus & Amyntas, de quibus singulis infrà sæpè. Hoc audi, Amyntam non esse illum transfugam, sed cognominem tantum illi. de hoc fido multa infrà, vbi reus coniurationis factus absoluitur. Equitatum ad latera corneum constituit, Thessalos & Macedones ad dextrum, (subductis tamen clam Thessalis & in læuum missis) Peloponenses ad sinistrum. Funditores & iaculatores phalangem cum Thracibus & Cretensibus leuiter, hoc est, hastis & gladijs, armatis, præcedere aciem iussit. Agrianos ijs qui montem à latere & tergo offenderant, obiecit, ita vt dextrum cornu forpicis aut forficis figuram referret. cum pars frontis Darium à fronte obiectum spectaret, pars montem versus. Totum exercitum quantum potuit à tergo & latere montis remouit Alexander, ne ex superiore parte telis impeteretur. Barbari qui montem à tergo & latere maximè insederant, conspectis Agrianis funditoribus, primi omnium inde refugerunt ad exercitum Darij, vnde nactus Alexander est liberum à montibus latus, quod ipsum magnum ad victoriam momentum attulit. Paullò expressius diuidit frontem Arrianus, quem leges. Legi Polybij disputationem contra Callisthenem, quæ tota est de hac tractica Darij & Alexandri copiarum collocatione & pugna, fragmentum ex Callisthene petitum, quod Polybius ingens auctor, & Scipioni Numentano in expeditione Africana comes refutat, miraque & mera Callisthenis deliria & monstra affirmat. Verus Callisthenes hodie non extat, Pseudo-Callisthenes passim reperitur.

AGRIANOS) Inter Hæmum & Rhodopen collocant hos Græci. Stephanus: *Agriæ, siue Agriani, siue Agrianes gens Pæoniæ inter Hamū & Rhodopen sita.* laudantur Ptolomæo, Straboni, Polybio & alijs.

PRAETER GRESSOS) Extenderat enim Alexander frontis partem in modum forficij vltra montis, quem insederant barbari, anfractum.

TRIGINTA ET DVO ARMATORVM ORDINES IBANT) Duo & triginta scripserat Curtius, vel: triginta duo, de qua re infrà. In quatuor acies totus peditatus erat distributus, singulæ acies in duo agmina, ita vt octo agmina ducerentur, ex octo agminibus quaterni in frontis serie collocati efficiebant triginta duos ordines, ita vt vnum agmen in quatuor ordines tribueretur, hoc modo:

Parm.

	Parm.	Crat.	Meloag.	Ptolem.	Amyntas.	Perdicc.	Cænus	Nicanor	
Ad mare	. . . .	. . . .	. . . .	. . . .	. . . .	. . . .	. . . .	. . . .	
Cilicium.	. . . .	. . . .	. . . .	. . . .	. . . .	. . . .	. . . .	. . . .	Ad mõtes.
	. . . .	. . . .	. . . .	. . . .	. . . .	. . . .	. . . .	. . . .	

Et sic deinceps, donec totus militum numerus exhauriretur.

Ergò cum longitudo continuerit duos & triginta, latitudo minimum mille implebat. βάθος seu latitudo longior fuit longitudine propter angustias locorum, inquit Curtius, donec se laxarent sinus montium, vt frons explicari posset, & pluribus ordinibus incedere, immò & circumfundi ab vtroque latere equitatus.

Ex Appiani libro de bellis Syriacis optimè cognosci potest phalángis Macedonicæ in campo stantis ordo & facies. sic enim ille de Antiochi phalange contra Cn. Domitium: Ἀντιόχῳ δ' ἦν ὁ στρατὸς ἅπας ἑπτακισμύριοι, καὶ τούτων τὸ κράτιστον ἦν ἡ φάλαγξ ἡ μακεδόνων, ἄνδρες ἑξακισχίλιοι καὶ μύριοι, ἐς τὸν Ἀλεξάνδρου καὶ φιλίππου πρότερον ἐπικοσμούμενοι. ἔστη δ' αὐτοὺς ἐν μέσῳ, διελὼν ἀνὰ χιλίους καὶ ἑξακοσίους ἐς δέκα μέρη. καὶ τούτων ἑκάστου μέρος ἦσαν ἐπὶ μὲν τοῦ μετώπου πεντήκοντα ἄνδρες, ἐς δὲ τὸ βάθος δύο καὶ τριάκοντα, ἐς δὲ τὰ πλευρὰ ἑκάστου μέρους, δύο καὶ εἴκοσιν. ἡ δὲ ὄψις ἦν τῆς μὲν φάλαγγος, οἷα τείχους. τῶν δ' ἐλεφάντων, οἷον πύργων. *In Antiochi verò exercitu LXX. M. numerabantur. Robur erat phalanx XVI. M. Macedonũ ornata ex instituto regum priscorum Alexandri Philippiq;. Hæc media acies fuit in decem partes diuisa, earum singulæ in fronte quinquagenos armatos habebant: à fronte introrsus, in duos & triginta ordines patebant acies. (in singularum partium lateribus duo & viginti) phalanx muri speciem præ se ferebat, elephantis inter partes eminentibus, tanquam turribus.* Hæc tantum phalange Appianus, qui addit huic alas. Sed illos viginti duos omisit interpres Gilenius.

C A P V T XIX.

A R G V M E N T V M.

Clamor tollitur ingens ab vtraque parte, Alexander suos hortatur ad prælium.

*IAm in conspectu, sed extra teli iactum vtraque acies erat, cum priores Persæ inconditum & trucem sustulêre clamorem. Redditur & à Macedonibus maior exercitus numero, iugis montium, vastisq; saltibus repercussus: quippè semper circũiecta nemora, petræq; quantamcunq; accepère vocem multiplicato sono referunt. Alexander ante prima signa ibat, identidem manu suos inhibens, ne impensiùs ob nimiam festinationem concitato spiritu capesserẽt prælium. Cumq; agmini obequitaret, varia oratione, vt cuiusq; animis aptum erat, milites alloquebatur. Macedones tot bellorum in Europa victores ad subigendam Asiam, atq; vltima Orientis, non ipsius magis, quam suo ductu profectos, inueteratæ virtutis admonebat. illos terrarum orbis liberatores, emensosq; olim Herculis & Liberi patris terminos, non Persis modò, sed etiam omnibus gentibus impostituros iugum. Macedonum Bactra & Indos fore: minima esse quæ nunc tuerentur, sed omnia victoria aperiri. non in præruptis petris Illyriorum, & Thraciæ saxis sterilem laborem fore: spolia totius Orientis offerri. vix gladio futurum opus, totam aciem suo pauore fluctuantem vmbonibus posse propelli. Victor adhæc Atheniensium Philippus pater inuocabatur. domitaque nuper Bœotia, & vrbis in ea nobilissimæ ad solum dirutæ species repræsentabatur animis: iam Granicum amnem, iam tot vrbes aut expugnatas, aut in fidem acceptas, omniaquè quæ post tergum erant strata, & pedibus ipsorum subiecta, memorabat. Cum adierat Græcos, admonebat ab illis gentibus illata Græciæ bella: Darij prius, deinde Xerxis insolentia aquam, aquam ipsam terramque *populantium, vt neque fontium haustum, nec solitos cibos relinquerẽt. dedita deis templa ruinis & ignibus esse deleta. vrbes eorum expugnatas, fœdera diuini humaniq; iuris violata, referebat. Illyrios verò, & Thracas, rapto viuere assuetos, aciem hostium, auro purpuraq; fulgentem, intueri iubebat, prædam non arma gestantem. irent, & imbellibus feminis aurum viri eriperent. aspera montium suorum iuga, nudasq; calles, & perpetuo rigentes gelu, ditibus Persarum campis, agrisq; mutarent.*

* poscentiũ postulantium, pascentium.

IAM IN CONSPECTV) Vbi se mutuo hostes conspexêre, Alexander equo præcedens ar-

 dorem

rem sequentium inhibuit, ne festinando vires debilitarent. Mox vniuersas copias abiens singulos singulari adhortatione populos ad prælium incendit: Macedones, reliquos Græcos & Thraces atque Illyrios cum Agrianis & Cretensibus. Estque velut epitome rerum ante gestarum; cum admonet exercitum præteritarum in Illyricis, Thracibus, Bœotia, Thebis, Granico victoriarum.

INCONDITVM ET TRVCEM CLAMOREM) Clamor hic ante pugnam omnibus propè gentibus vsurpatus, de quo Lipsius singularem dialogum de re militari condidit, qui vndecimus est in volumine quarto, quem videbis.

REDDITVR ET A MACEDONIBVS EXERCITVS NVMERO IVGIS MONTIVM VASTISQVE SALTIBVS REPERCVSSVS) Echûs, quam Latini Resonam vocant, naturam adumbrat, & causam exponit, cum vox ad scopulos allisa, velut pila resultat. Eleganter hanc ipsam rem descripsit Lucretius:

Pars solidis adlisa locis, reiecta sonorem
Reddit: & interdum frustratur imagine verbi.
Quæ benè cum videas, rationem reddere possis
Tute tibi, atque alijs quo pacto per loca sola
Saxa pares formas verborum ex ordine reddant
Palantes comites, cum montes inter opacos
Quærimus, & magna dispersos voce ciemus.
Sex etiam aut septem loca vidi, reddere voces
Vnam cum iaceres, ita colles collibus ipsis
Verba repulsantes iterabant dicta referre.

Virgil. *---- aut vbi concaua pulsu*
Saxa sonat, vocisq; offensa resultat imago.

Ostendit & Aristoteles quo pacto fiat Echo: ἠχὼ γίνεται ὅταν ἀπὸ τοῦ ἀέρος ἑνὸς γενομένου διὰ τὸ ἀγγεῖον τὸ διορίσαν καὶ κωλῦσαν θρυφθῆναι, πάλιν ὁ ἀὴρ ἀπωσθῇ ὥσπερ σφαῖρα. *Echo fit, cum ab aëre, qui vnus efficiatur, propter vas definiens & prohibens ne frangatur, aer repulsus fit vt globus.* Plura de Echone nos ex Plinio, Ausonio, & alijs ad illum versum Martialis:

Nusquam Gracula quod recantet Echo.

Ingeniosè Ouidius eandem describit lib. Transform. 3. fab. 5. De artificiosis ædificijs, turribus, alijsque locis vocem reddentibus, hic non ago.

NON IPSIVS MAGIS QVAM SVO DVCTV) ambiguam orationem declinauit in vocibus *ipsius* & *suo*, ita vt *ipsius* referatur ad Alexandrum, *suo* ad ipsos milites, hoc intellectu, Macedones tam promptè ad expeditionem Asiaticam & Persicam profectos, vt suamet ipsorum potius voluntate profecti sint, quàm Alexandri impulsu. quo ipso declarat studium Macedonum bellandi, & iam vsitatam notamque virtutem, qua re sibi conciliauit beneuolentiam exercitus, adiungit acta & agenda ab eisdem.

EMENSOSQVE OLIM HERCVLIS ET LIBERI PATRIS TERMINOS.) Docet quousque voluerit progredi eum victore exercitu. Herculem certè & Bacchum vicit, liberatores orbis, rectius prædones, vt ille, vocasset, sed ad Herculis acta allusit, qui orbem à monstris perpurgauit: noti sunt Herculis labores, & Herculis columnæ, quas vicit, & superiori sæculo Carolus V. Maximus. Nec obscura Bacchi in Indos expeditio. De Herculis terminis infrà copiosius ad illa Curtij verba: *Transierant iam Liberi patris terminos, quorum monumenta lapides erant crebris interuallis dispositi, arboresque proceræ, quarum stipites hedera contexerat.* De triumpho autem quem ex Indis egit, Bacchum imitatus itidem infrà ad finem voluminis noni. Solinus: *Cepit Indiam emensus omnia ad quæ Liber & Hercules accesserant.*

BACTRA ET INDOS) De Bactrianis singulatim infrà, vt & de Indis.

PRAERVPTIS PETRIS ILLYRIORVM) Strabo, Illyrici loca quædam, inquit, prorsus aspera sunt ἐκτετραχυμένοι τελέως. cætera laudat Illyriorum terram velut opimam & fertilem, nisi, qua montosa est & Borea tunditur. Stephanus Illyriam ab Illyrio Cadmi filio dictam ait regionem proximam Pangæo: Incolæ dicuntur Illyrij: Regio Illyria, & Illyris, & Illyrias, & Illyrion; Continebat olim quidquid est à Danubio ad Italiam, vsque ad oram Istri, hodiè Sclauoniam dicunt; Erat Illyrici nomen auctore Zonora, prius alijs locis tributum, post in superiorem continentem, & Thracias intra Hæmum & Rhodopen transijt. Deinde situm fuit Illyricum inter dictos montes citra Hæmum atque Istrum vsque pontum Euxinum. AEuo Claudij secundi Pollione teste Illyricum Thracias, Mysos, Dalmatias, Pannonios & Dacos complectebatur. Profectò Illyrici Zosimus Constantinus eius institutor Macedonas attribuit & Thessalos, Cretenses, Græciam & circumiacentes insulas, Epirum vtramque, Illyricos, Dacos, Triballos & Pannonios, Valeriam vsque & Mysiam superiorem, ita vt Illyrici essent 18. Prouinciæ, de quibus copiosè Quidus Panciorolus ad Notitiam Imperij.

A Curtio tantum accipitur ea quæ à Strabone descripta est, suprà Macedoniam & Thracias, infrà Hæmum & Rhodopen.

THRACIAE) Cuius olim caput Bizantium à Bizante, hodiè Constantinopolis, nota regio vel ab Orpheo

Orpheo & montibus Hæmo & Rhodope, ac alijs de quibus omnes Geographi, chronographique.

VMBRONIBVS POSSE REPELLI) Valerius de Scæua Cæsaris: *Ad vltimum destricto gladio audacißimum quemque modò vmbonis impulsu, modò mucronis ictu depellens, hinc Romanis, illinc Britannicis oculis, incredibili nisi cerneres spectaculo fuisti*. Martialis noster eodem vsus est genere loquendi.

In turbam incideris, cunctos vmbone repellet.

Suetonius de Atilio Cæsaris milite: *Transiliuit in nauem vmbone obuios agens*. Vmbo hic pro clypei media rotunditate accipitur; nonnúnquam pro cubiti ansati condylo, vt Martialis vsurpauit. Fabius Quintilianus vitiosam ait sententiam esse, quæ nimia est, vt de viro forti *bella vmbone propellit*: Parum tamen abest, inquit Turnebius, quin eodem genere sit vsus Curtius: sed hoc interest, quod nec de vno dicit, nec bella propelli scribit, sed aciem. Bellum enim vmbone propelli affectatè dictum est, & superlatè, præsertim ab vno. Proinde quod in Fabiano exemplo vituperationem meretur, laudem meretur in Curtio, ita scribente: *totam aciem suo pauore fluctuantem vmbonibus posse propelli.*

VICTOR AD HAEC ATHENIENSIVM) Transit ad præteritas tum patris, tum suas victorias Alexander. Pater Atheniensibus primum omnium Amphipolim ademit, cuius gratia decennale bellum gestum est inter Athenienses & Philippum, hoc semper felicius pugnante, & plura Atheniensibus oppida subducente. Quibus de rebus Demosthenes in Philippicis copiosè. Rursum propter Hemum Thraciæ oppidum, & Methonam certamine superior euasit Philippus, oculo ad Methonâ exutus, vt passim Græci tradunt.

Iterum Olynthum inuictis Atheniensibus occupauit, vnde Demosthenis Olynthiacę & Philippicę, præterea Thermopylas, quando & Atticæ imminebat.

DOMITAQVE NVPER BOEOTIAE) Athenienses & Bœotos simul magno prælio superauit, in quo Alexander noster alterum cornu duxit, cum annum XVIII ageret, Olymp. CX. anno III. Atheniensium cecidere amplius mille, capti duo millia, nec pauciores à Bœotis. Demosthenes ῥίψασπις turpissimè fugit. Huius pugnæ sexcentos testes laudat Andreas Schottus noster, ad annum Demosthenis quartum & quadragesimum, quo hæc accidêre. Et hoc est quod Curtius ait, *domitaq; nuper Bœotia*. Ad Choronæam hæc pugna pugnata est.

VRBIS IN EA NOBILISSIMAE) Thebas intelligit ab Alexandro euersas, quod desciscerent ab eo, & Macedonicum præsidium eijcere statuissent, totamque Græciam (à quo & Philippus antea, & postea Alexander imperator Græciæ contra barbaros erat declaratus) ad defectionem sollicitarent. testes mille, quorum nominibus nolo infarcire (vt quidam amant) chartas, præsertim in re tam nota. Hoc tantum ex Tzetze subijcio, Thebas ab Alexandro in gratiam Clitymachi athletæ fuisse instauratas: Sic enim Tzetzes Chiliad 7 hist. 139. φέρεται λόγ☉ &c. Idem infra narrat, vbi sibi nomen Athletæ excidisse dicit, cum supra ipse Clitomachum nominasset. Alij à Cassandro instauratas affirmant. Pausanias in Bœoticis n. 287.

Thebani ab Alexãdro expressi, cum Athenas se profugi recepissent à Cassandro Antipatri filio restituti sunt. Atque ad Thebas quidem instaurandas egregiam præ cæteris operam nauarunt Athenienses, adiuuantibus etiè Messenijs & Megalopolitanis. Restituisse verò Thebas Cassandrum crediderim, Alexandri maximè odio, eius enim stirpem funditus euertere contendit.

IAM GRANICVM AMNEM) de hoc amne, & ad illum in Adrastijs campis victoria, supra dictum.

TOT VRBES EXPVGNATAS) non vrbes tantum, sed populos cum vrbibus Celænas, Gordium Sardeisque, Halicarnassum, Tarsum, & quas recenset Arrianus cum Phrygia, Lydia, Lycia, Pamphylia, Caria, Cappadocia, Cilicia.

CVM ADIERAT GRAECOS) Pro Græcia enim bellum hoc susceperat Alexander, & erant ex pleraque tota Græcia milites cum Alexandro, præter Lacedæmonios hostes Alexandri.

DARII PRIVS) Darij quatuor fuere: primus Medus, qui Babylonem cepit & regnauit ante Cyrum: alter Darius Persa, Hydaspis filius, qui tertius à Cyro regnauit: tertius Nothus Darij & Parisathidis F. postremus Arsamis filius, qui ab Alexandro magno victus, amisit regnum & vitam. Hic de Dario Hydaspis filio sermo, qui Græcis & potissimum Atheniensibus, quod Ionijs aduersus se auxilia tulissent, iratus, bellum indixit, & sexcentis nauibus sexcenta millia per Bosphorum in Græciam transportauit, atque campo Marathonio victus à Miltiade turpissimè fugit. auctores Herodotus, Iustinus, Aemilius Probus in Miltiade, Plato in Epitaphio, Plutarchus in Parall. Cicero. Hinc Rhetorum campus de Marathone.

DEINDE XERXIS) Darij filij secundo loco nati, de quo supra. Herodotus copiosè de hoc, & Probus in Themistocle, Iustinus. De Xerxis copijs ex Herodoto dictum, quinquagies centena millia fuisse ex Plutarcho.

AQVAM IPSAM TERRAMQVE POPVLANTIVM) codex Florentinus, *postulantium*. Reges enim Persarum Darius & Xerxes petiuerunt aquam & terram à Macedonibus, Atheniensibus & Græcis hoc est symbolum seruitutis, quod ex Herodoto, Diodoro Siculo, & alijs diligenter obseruauit Brissonius, quem adibis, cui ex Herodoto subiungas legatos à Dario ad Athenienses missos, in

barathrum & puteum fuisse coniectos, vt inde regi suo terram & aquam deferrent. Vnde factum est, cum Xerxes copijs suis Græciam inundasset, & terram aquamque ab alijs Græcis postularet, nullas miserit Athenas, quarum gratia bellum susceperat. Nemo scriptor expeditionem Xerxis tam enucleatè & copiosè describit & depingit, atque Herodotus, qui etiam lacus & flumina ab exercitu eius exhausta & siccata speciatim exprimit. *In his*, inquit, *locustatina habuere barbari, quibus potantibus solus ex ijs qui commemorati sunt amnibus, Chidorus è Chrestonaii fluens non suffecit, sed defecit. Idem de Lisso amne narro, cuius, inquit, aqua tunc non suffecit copijs Xerxis, sed defecit.* Et mox: *Post has regiones perrexit mediterraneas versus vrbes, in quarum vna lacus est triginta fermè stadiorum in circuitu piscosus, & admodum salsus, quem sola iumenta cum aquarentur, exsiccauere.* Et hoc est quod Alexander quæritur, *nec fontium haustum, nec cibos à Persis relictos.*

Iuuenalis Sat. 10. v. 176. --- *credimus altos*

Defecisse amnes, epotaque flumina Medo
Prandente, & madidis cantat quæ Sostratus alis.

De c'bis ita Herodotus: *At ij Græci qui exercitum excipiebant, cũ Xerxi cœnam præberent, in omnem miseriam deuenêre, adeo quidem vt suis laribus fierent extorres.* Et infra: *Vbi tempus cœnæ aderat, tunc conuiuatores quidem* (qui cœnam apponebant Xerxi) *laborem sustinebant* (& sudabant) *isti verò* (barbari) *cum expletã noctem illic exegerant, postero die reuulso tentorio, & omni apparatu sumto, ita abscedebant, nihil relinquentes* (nec reliquias ciborum) *sed omnia asportantes. Vnde Magocreontis viri Abderitæ elegans dictum extitit, qui suasit Abderitis, vt vniuersi mares pariter ac fœminæ sua delubra adirent, suppliciterque Dijs assidentes precarentur, vt posthac dimidium futurorum malorum à se propulsaretur. nam de præteritis magnam se habere gratiam illis, quod rex Xerxes non bis quotidiè cibum sumere consuesset. Fore enim vt Abderitæ si iuberentur etiam prandium simile cœnæ instruere, aut non præstolarentur aduentum Xerxis, aut præstolati pessimè inter omnes affligerentur.* Habes ergo cur dixerit Curtius, *vt nec fontium haustum, nec solitos cibos relinquerent.* Enimuerò Acidalius me cogit non solum à Brissonio dissentire, sed à Modio quoque penitus desciscere, qui his verbis *terram & aquam populantium*, ait à regibus Persarum petitum esse tributum, eoque legendum *poscentium*, non *populantium*, quod ex Plutarcho & Aesopo Græco, Iulioque Valerio necquicquam conatur euincere; sed Plutarchus alia omnia in eo loco narrat. Auctoritatem Valerij & Aesopi partim eleuat Acidalius, partim huc non facere, verè docet, vti nec illa, quæ ex Brissonio (vera quidem illa, sed aliena, quæque nos iam in sententiam traxerant) adduximus. Seruo igitur *τò populantium*, & accipio de copijs Xerxis & Darij prioris, quod iam ex historicis ostensum est, cum narrauimus tota flumina fuisse à Xerxis exercitu epota exhaustaque. Non placet tamen legere cum Acidalio *pascentium* (pro *poscentium*) quod nimis tenue, ipse fatetur, & ad aquam non quadrat. Legat otiosus longam Acidalij disputationem contra Modium. Neque laudo *solidos cibos*, seruoque *solitos*, hoc est, consuetos, qui & solidos complectuntur. nimis frequenter argutatur Acidalius, & sicut, cum temperat sibi, *ἐυσόχως* coniectat, ita cum indulget, vltra verum plerumque progreditur.

Dedita oiis templa rvinis et ign. esse deleta) Id factum Cicero narrat à Xerxe impulsu Magorũ: *Nec sequor Magos Persarum quibus auctoribus Xerxes inflammasse templa Græciæ dicitur, quod parietibus includerent Deos, quibus omnia deberent esse patentia.* Iustinus etiam Curtio accinit: *Ante naualis*, inquit, *prælij congressionem miserat Xerxes quatuor millia armatorum Delphos ad templum Apollinis diripiendum: prorsus quasi non cum Græcis tantum, sed cum Dijs immortalibus bellum gereret: quæ manus tota imbribus & fulminibus deleta est, vt intelligeret quam nulla essent homini aduersus Deos vires.* Sed de direptis & incensis ædibus sacris Græcorum, disertè Herodotus; qui addit, quid Barbaris acciderit in Delphici templi aggressione, vbi rem copiosè exponit, vti & Ctesias cum Diodoro Siculo. Geographus omnia templa à Xerxe, præter Ephesium incensa affirmat. Pausanias statuas Deorum à Xerxe in Persidem deportatas ait in Arcadia, cui & Valerius Maximus suffragatur: *Xerxes effigies æneas ea vrbe deuicta in regnum suum transtulit.* Quod ergo Iustinus accusat Xerxem non cum Græcis tantum, sed cum dijs immortalibus bellum gessisse, id eleganter etiam Valerius expressit: *Leonidas grauem illum & mari & terra Xerxem, nec hominibus tantum terribilem, sed Neptuno quoque compedes, & cœlo tenebras minitantem, pertinacia virtutis ad vltimam desperationem redegit.*

Vrbes eorvm expvgnatas) Inter alias omnes Sapientię domicilium Athenas, contra quas potissimum Xerxes totam Asiam exciuit.

Foedera divini hvmaniqve ivris violata) Nam Darius, qui quartus à Cyro imperauit, reuersus à Scythis Macedoniam nulla re læsus inuasit, suæ ditionis fecit. *Darius*, inquit Iustinus, *Rex Persarum, turpi ab Scythia fuga submotus, ne vbique deformis militia damnis haberetur, mittit cum parte copiarum Megabyzum ad subigendam Thraciam, cæteraque eius tractus regna: quibus pro ignobili momento erat accessura Macedonia.* Atheniensibus tamen maximè erant infesti Persæ, quod legatos terram & aquam petentes, abiecerint in puteos, vbi aquam & terram simul inuenirent. Diuini autem iuris fœdera violarunt, cũm templa diripuerunt, sacras ædes incenderunt, vt supra docui.

Illyrios et thracas rapto vivere adsvetos) Idem Geographus affirmat *τὸ μέντοι πλέον διὰ τὴν ἀγριότητα τῶν ἀνθρώπων, καὶ τὸ λῃστρικὸν ἔθνος. potior tamen causa est, quod eam homines*

sani

saui & latrocinijs dediti tenebant.

IMBELLIBVS FOEMINIS) Hoc non est in laudem Alexandri, quę enim virtus fœminas à viris superari? Gladiatores Romæ ægrè ferebant, si cum imparibus componerentur. Quo hostis acrior, hoc clarior victoria. Et hoc est quod Alexander auunculus Epirotarum rex Alexandro moriens obiecit apud Liuium: *Nam ille*, inquit Liuius, *sæpè, etiamsi prima prosperè euenissent, Persas & Indos, & imbellem Asiam quæsisset, & cum fœminis sibi bellum fuisse dixisset, quod Epiri regem Alexandrum mortifero vulnere ictum dixisse ferunt, fortè bellorum in Asia gestorum, ab hoc ipso iuuene cum suâ conferentem.* Idem infra lib. 8. Clitus eid. *Verum est (vt opinor) quod auunculum in Italia dixisse constat, ipsum in viros incidisse, te in fœminas.* Idem Hannibal Alexandro obijcit apud inferos: Οὐ Μήδους, inquit, καὶ Ἀρμενίους καταγωνιζόμενος ὑποφεύγοντας πρὶν διώκειν τινὰ καὶ τῷ τολμήσαντι παραδιδόντας εὐθὺ τὴν νίκην. *Non aduersus Medos aut Armenios, qui antequam quispiam sequatur fugiunt, & facilè cuiuis audenti victoriam tradunt.* Et patet apud eundem Lucianum Alexandro obiectat: Μήδων δὲ καὶ Περσῶν, καὶ Χαλδαίων καὶ χρυσοφόρων ἀνθρώπων καὶ ἁβρῶν, οὐκ οἶσθα ὡς πρὸ σοῦ μύριοι μετὰ Κλεάρχου ἀνελθόντες ἐκράτησαν οὐδ᾽ εἰς χεῖρας ὑπομεινάντων ἐλθεῖν ἐκείνων ἀλλὰ πρὶν ἢ τόξευμα ἐξικνεῖσθαι, φυγόντων: *Medos autem & Persas, & Chaldæos delicatos ac auro fulgentes non meministi quonam modò ante te, duce Clearcho, mille viri bello adorti expugnarint, fœdè in fugam actos, antequam ad teli iactum ventum esset.*

NVDOS CALLES) Codex vetustissimus ita habet, reliqui recentiores ferè omnes præter Modianum, *nudos colles*. Acidalius etiam *calles*, & ferè placet, quod videtur Curtius montes tam steriles dixisse, quàm triti sunt calles, qui nec herbam ferunt. quæ tamen sequuntur ad colles quadrant, perpetuo nempe gelu rigentes. Thraciæ & Illyriæ nuditatem & asperitatem certatim Geographi affirmant, quamuis interim solum fertile Strabo doceat, sed diu incultum ignoratione gentis fuisse neglectum.

DITIBVS PERSARVM CAMPIS) *Mitibus* scriptum se Acidalius reperisse affirmat, quod asperis iugum montibus non malè respondet. Sed nec alterum respuendum: Liuius: *in diti domo*, &, *ditia stipendia.*

Propertius: *Arma Deus Cæsar dites meditatur ad Indos.*

Silius, *dites glebas* dixit. Terent: *Du es demea*: Plautus, *Dites Damnosi mariti*. *Ditibus* ergò pro *diuitibus* etiam vsitatum.

CAPVT XX.

ARGVMENTVM.

Prælium patratur, vtrinque summa ope certatur.



IAm ad teli iactum peruenerant, cum Persarum equites ferociter in læuum cornu hostium inuecti sunt: quippe Darius equestri prælio decernere optabat, phalangem Macedonici exercitus robur esse coniectans, iamque etiam dextrum Alexandri cornu circuibatur. quod vbi Macedo conspexit, duabus alis equitum ad iugum montis iussis subsistere, ceteros in medium belli discrimen strenuè transfert. Subductis deinde ex acie Thessalis equitibus præfectum eorum occultè circuire tergum suorum iubet, Parmenionique coniungi, &, quod is imperasset, impigrè exequi. Iamque ipsi in medium Persarum vndique circumfusi egregiè se tuebantur: sed conferti, & quasi cohærentes tela vibrare non poterant. simul erant emissa, in eodem concurrentia implicabantur, leuique & vano ictu pauca in hostem, plura in humum innoxia cadebant. Ergo comminus pugnam coacti conserere, gladios impigrè stringunt. Tum verò multum sanguinis fusum est: duæ quippe acies ita cohærebant, vt armis arma pulsarent, mucrones in ora dirigerent: non timido, non ignauo cessare tum licuit: collato pede quasi singuli inter se dimicarent in eodem vestigio stabant, donec vincendo locum sibi facerent. Tum demum ergo promouebant gradum, cum hostem prostrauerant. At illos nouus excipiebat aduersarius fatigatos. nec vulnerati, vt aliàs solent, acie poterant excedere, cum hostis instaret à fronte, à tergo sui vrgerent.

AD TELI IACTVM) tam propè vtraq; acies accesserat, & tantillo interuallo ab se mutuo aberat, vt alteram altera sagittis, plumbeis glandibus, & missilibus posset contingere ac impetere. Sed quantum, inquis, hoc intercuallum est? tormenta hodierna, bombardæ inquam, intra trecentos pedes feriunt;

riuntisi protendas, fessa languent, & vi exarmata innoxia cadunt. Sagittarij, & maximè funditores, olim ad sexcentos pedes telum iaciebant, scopumque contingebant. Vegetium audi: *Sagittarij & funditores scopas, hoc est, fruticum vel graminum fasces pro signo ponebant, ita vt sexcentos pedes remouerentur à signo, vt sagittis vel certè lapidibus ex fustibulo destinatu signum tangerent. longius etiam sexcentis pedibus telum ex funda proiecerunt.* de qua re plura Lipsius de militia Romana.

PERSARVM EQVITES FER. IN LAEVVM CORNV HOSTIVM INVECTI SVNT) Arrianus contra in dextrum Alexandri hostes impetum fecisse tradit. Sed possis conciliare Arrianum cum Curtio, quod Persæ primum inuaserint læuum Darij. Darius Alexandro oppositus erat, equitatus Darij ad mare inuasit Parmenionis equitatum, & cornu læuum phalangis.

EQVESTRI PRAELIO) Equitatum primo loco collocandum docet Homerus:

Ἱππῆας μὲν πρῶτα σὺν ἵπποισιν καὶ ὄχεσφιν
Πεζοὺς δ' ἐξόπιθεν στῆσεν.

Quod idem & Alexander fecit. In medio ignauos, vti vel nolentes pugnent. Equitatu Darius præstabat, sicut phalange Macedones. Ammianus Marcell. *Tentorijs fixu prouidit solicitè, ne castra repentino equitatus Persici turbarentur incursu, cuius fortitudo in locis patentibus immane quantum gentibus est formidata.* Equis à pueris adsuescebant, & perpetuò ferè in equis hærebant, quod copiosè ostendit Brissonius volum. 3. de regno Persarum. Certè alam Thessalorum equitum quamuis præstantium, Persæ primo impetu propulsarunt, vt mox subijcit Curtius.

CONIECTANS) *detrectans* rescribit Acidalius. Non detrectauit, imò circuire conabatur Darius Alexandrum, sed maluit ab equestri prælio pugnam inchoare. coniectabat autem, non quod nesciret robur phalangis Macedonicæ, sed quod phalangem in dextro cornu cum Alexandro esse, vt erat, coniectaret. equitatus enim præmissus prospectum impediebat.

DEXTRVM CORNV CIRCVIBATVR) Dextrum Alexandri cornu à latere montem habebat, quem occuparant Persæ, quibus, ne circumueniretur, duas equitum alas obiecit. Ala siue ἴλη apud Græcos continebat centum tredecim equites, apud Latinos trecentos, qui in decem turmas tribuebantur, hæ in tres decurias. turma explebat triginta, decuria decem. Sed Græci, vt dixi, alam centum & tredecim definierunt. Duæ alæ continebant ducentos sex & viginti. Arrianus tamen trecentos equites appositos suis se narrat.

CAETEROS) equites Thessalos, & alios.

STRENVE) frequentat hanc vocem Curtius, vti & illam *impigrè*. strenuè, celeriter, expeditè, fortiter, vt supra docui.

PARMENIONI) qui erat ad mare, sinistroque cornui præerat.

IN MEDIVM PESARVM VNDIQVE CIRCVMSI.) In medio Persarum agmine circumfusi Macedones. *In medium* dixit, pro *in medio* vt supra: *quippe Darium quinto die in Ciliciam fore nunciabatur.* Ad quem locum copiosè ex Cicerone, Plauto, Agellio, & alijs scripsimus.

EGREGIE SE TVEBANTVR) Codices vetustiores reciprocum *se* desiderant.

CONFERTI) Antiquiores libri omnes habent *conserti*, non *conferti*. Vtrumque non est improbum; *conserti*, impliciti inter se: *conferti*, densati.

VIBRARE NON POTERANT) nisi in altum per inania cæli, quod spacium non esset contra aduersarium tendendi. Vibrare non poterant Macedones inquam circumfusi à Persis, & inter se conferti & densati. Cæsar lib. 1. de bello Gallico: *Itaque hostes repentè celeriterque procurrerunt, vt spacium pila in hostes conijciendi non daretur. Reiectis pilis cominus gladijs pugnatum est.*

SIMVLERANT OMISSA) Eleganter & hoc, pro simulac. Cicero: *Simul accepi à Seleuco tuas literas, statim quæsiui* &c. Idem: *simul inflauit tibicen, carmen agnoscitur.* Et: *simul quid erit certi, scribam ad te. Itaque simul experrecti sumus, visa illa contemnimus.* Catullus:

Quæ simul optato finito tempore luces
Aduenère ---

Horatius --- *qui simul*
Strauère ventos æquore feruido
Deprœliantes.

Idem: *Et domus exilis Plutonia, quo simul meâris*
Nec regna vini sortière talis,

Idem: --- *simul obligasti*
Perfidum Votis caput enitescis
Pulchrior multo.
Simul vnctos Tiberinis humeros lauit vndis.

Et multis alijs locis, quæ ipsius Scholiastes Lambinus indigitauit.

IN EOD. CONCVRRENTIA IMPLICABANTVR) libri veteres omnes *in eosdem concurrentia.* In eosdem Macedonas dixeris, cum locum vibrandi telum non haberent. Placet tamen cum Modio scribere *in eodem.* Ergo mens auctoris est. Tela simul atque à densatis & confertis erant emissa,

eodem

eodem in loco concurrebant in aere, ita vt inter se collidere ntur & implicarentur, nec ad hostes peruenirent, nec ictum amissa vi in aere validum haberent, sed innoxia pleraq; in humū deciderent. Hæc mens Curtio à Macedonibus tela primum iacta, quæ vbi parum læserunt, coacti cominus pugnam conserere, gladios strinxerunt: Arrianus & Diodorus Siculus aliter rem narrant, & tela à barbaris primum missa in Macedones affirmant: Arriani verba paullò suprà collocata legisti. Animaduertit hoc ex Siculo etiam Acidalius, vbi Modium in reprehensionem vocat.

TVM VERO) Amat Liuius In re graui & prælijs has particulas ponere, vti passim obseruabis. Noster In hac vnica pagina quatuor has posuit.

ARMIS ARMA PVLSARENT) Curtius supra: *Viro vir, armis arma conserta sunt*. Vbi Homeri versus adduximus hosce:

> Φράξαντες δόρυ δουρὶ σάκος σάκεϊ προθελύμνῳ
> Ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ.

Quibus versibus longè postponit Macrobius Virgilianam imitationem:

> *Haud aliter Troianæ acies, aciesque Latinæ*
> *Concurrunt: hæret pede pes, densusque viro vir.*

Nec Virgilius tantum, sed plerique Latini vel Homerum in hoc, vel Virgilium, vel vtrumque æmulati sunt. A. Furius Antias:

> *Pressatur pede pes, mucro mucrone, viro vir.*

Ennius item:

> *---- pede pes premitur, armis teruntur & arma.*

Ouidius:

> *Inque gradu stetimus, certi non cedere, eratq;*
> *Cum pede pes iunctus, totoque ego pectore pronus*
> *Et digitos digitis, & frontem fronte premebam.*

Et magnificè, vt omnia, Statius:

> *Iam clypeus clypeis, vmbone repellitur vmbo,*
> *Ense minax ensis pede pes, & cuspide cuspis.*
> *Sic obnixa acies, pariter suspiria firmant*
> *Admotaque nitent aliena in casside crista.*

Non par est huic Valerius Flaccus:

> *Illi vbi confertis iunxêre trementia telis*
> *Agmina, virque virum galeis afflauit adactis.*

Segnius vt dixi, illud præsertim, *galeis afflauit adactis.*

Nec Silius æquat, quamuis conatus.

> *--- teritur iunctis vmbonibus vmbo*
> *Pesque pedem premit, & nutantes casside cristæ*
> *Hostilem tremulo pulsant conamine frontem.*
> *---- galea horrida flictu*
> *Aduersæ ardescit galea, clypeusque fatiscit*
> *Impulsu clypei, atque ensis contunditur ense.*
> *Pes pede, virque viro teruntur ----*

Prorsus his geminum est Tyrtæi, quod tute leges, initium est: Ἀλλά τις ἐγγὺς &c.

NON TIMIDO, NON IGNAVO) in medio deprehenso, vbi spes fugiendi erat erepta, cogebantur enim acriter pugnare, popularibus à tergo exitum claudentibus, hostibus à fronte vrgentibus: Immò nec saucijs locus erat excedendi, vt alijs in bellis fiebat. Ita necessitas ignauiam acuebat, & desperatio fugæ, spem adferebat. Desperatione enim ipsa in audaciam miles accingitur, vt ait Tacitus, & Vegetius: *clausis ex desperatione crescit audacia, & cum spei nihil est, sumit arma formido.*

NOVVS ADVERSARIVS) Quod Darius numero vinceret, & singuli Macedones minimum in decem cogerentur pugnare Persis.

VT ALIAS SOLENT) Vt alijs in bellis læsi prælijs excedunt. *Aliàs* hic videtur pro *alioqui* positum. valet idem quod alio tempore. Cic *potest mihi ipsi aliud aliàs videri. plura scribam aliàs*. *Nemo potest aliàs beatus esse, aliàs miser.* idest, nemo potest nunc miser, nunc beatus esse. *Aliàs* non vsurpatur pro *alioqui*, *alioqui* tamen nonnunquam pro *aliàs*. Itaque hic locus velut singularis est obseruandus. si tamen est singularis, nam verè explicabitur, vt alijs in prælijs, siue alijs temporibus fieri solet. Ita nihil erit singulare.

CAPVT

CAPVT XXI.

ARGVMENTVM.

Alexander vrget Darium, illiusque iugulo imminet, quem frater defendit, ingens circa Darij currum fit cædes. Darius primus omnium fugit, quem strenuè sequitur miles. Thessali tamen laborant, quorum alâ vnâ fusa, altera circumacta vincit. Ita victor vbique euadit Alexander.



Lexander non ducis magis, quam militis munia exequebatur, opimum decus cæso rege expetens: quippe Darius curru sublimis eminebat, & suis ad se tuendum, & hostibus ad incessendum, ingens incitamentum. Ergo frater eius Oxathres cùm Alexãdrum instare ei cerneret, equites, quibus præerat, ante ipsum currum regis obiecit, armis & robore corporis multum super cæteros eminens; animo verò & pietate in paucissimis, illo vtique prælio clarus: alios improuidè instantes prostrauit, alios in fugam auertit. At Macedones, vt circa regem erant mutua adhortatione firmati, cum ipso in equitum agmen irrumpunt. Tum verò similis ruinæ strages erat. Circa currum Darij iacebant nobilissimi Duces, ante oculos regis egregia morte defuncti, omnes in ora proni, sicut dimicantes procubuerant, aduerso corpore vulneribus acceptis. Inter hos Atizyes & Rheomithres, & Sataces prætor Aegypti magnorum exercituum præfecti, noscitabantur. circa eos cumulata erat peditum equitumque obscurior turba. Macedonum quoq; non quidem multi, sed promptissimi tamen cæsi sunt. inter quos Alexandri dextrum femur leuiter mucrone perstrictum est. Iamque, qui Darium vehebant, equi confossi hastis & dolore efferati iugum quatere, & regem curru excutere cœperant: cum ille, veritus, ne viuus veniret in hostium potestatem, desilit, & in equum, qui ad hoc ipsum sequebatur, imponitur, insignibus quoque imperij, ne fugam proderent, indecorè abiectis. Tum verò cæteri dissipantur metu, & qua cuique ad fugam patebat via erumpunt, arma iacientes, quæ paullò antè ad tutelam corporum sumpserant. adeò pauor etiam auxilia formidat. Instabat fugientibus eques à Parmenione missus, & fortè in illud cornu omnes fuga abstulerat. At in dextro Persæ Thessalos equites vehementer vrgebant, iamque vna ala ipso impetu proculcata erat, cum Thessali strenuè circumactis equis dilapsi rursus in prælium redeunt, sparsosque & incompositos victoriæ fiducia Barbaros ingenti cæde prosternunt. Equi pariter equitesque Persarum serie laminarum graues, agmen ægrè moliebantur, quod genus celebritate maximè constat, quippè in circumagendis equis suis multos occupauerant.

ALEXANDER NON DVCIS MAGIS QVAM MILITIS MVNIA EXEQVEBATVR) præcipiunt rerum militarium doctores & scriptores, ipsi Imperatori non facilè manus cum hoste conserendas, quod speciatim in Strategico longo capite tractat Onosander. Fecére tamen hoc maximi quique Imperatores, præsertim Iulius Cæsar, qui etiam sine galea pugnauit. Ab hac genuina laude commendauit Homerus suum Agamemnonem:

Ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής.
Idem Rex bonus, & bellator strenuus idem.

OPIMVM DECVS CAESO REGE) Opima spolia, qualia retulit de Acrone Ceninensium rege Romulus, Cornelius Cassus de duce Fidenatium, M. Marcellus de Gallorum rege, T. Manlius Torquatus, Valerius Coruus, Aemilianus Scipio, quamuis sub alienis auspicijs, vt de Hectore Achilles, Aeneas de Mezentio & Turno. & alij de alijs. Sunt autem opima spolia, quæ summus belli dux, duci hostium summo, viuus detrahit sua victoris manu occiso. Sed Alexander non tam spolia, quàm decus & gloriam, cuius supra modum hominis erat auidus, appetebat.

INGENS INCITAMENTVM) Præsentia Principis est anima exercitus. Alexander supra in eo positam victoriam arbitrabatur, si tantum ante signa stare potuisset. Liuius lib. 6. *Nec vi tantum militum mouebat excitata præsentia ducis: sed quod* &c. de Camillo loquitur. Sed quo Darius suo conspectu

ctu suos magis ad pugnam inflammauit, hoc magis hostes visus ipse contra se irritauit.

FRATER EIVS OXATHRES) Diodorus eundem laudat Oxathrem, quem Plutarchus in Alexandro Exathren nominat. Sæpius hic Oxathres infrà recurret, cum inter captiuos ab Alexandro electus, & inter amicos & custodes corporis adhibitus fuit, eique Bessus fratris proditor & percussor eit ad supplicium deditus.

IN PAVCISSIMIS) hic loquendi modus propè singularis est Curtio, in paucis bonus, fortis, doctus, vt qui paucos vel paucissimos habeat pares.

ILLO VTIQVE PRAELIO CLARVS) Animo nempè & pietate, robore bellico, nobilitate, cæterisque virtutibus clarus.

VTIQVE) vtrinque legunt nonnulli, & referunt ad fortitudinem bellicam & pietatem, quod verum quidem, sed *vtique* malim, & de animo ac pietate erga Darium locutum putem cum Acidalio Curtium.

SIMILIS RVINAE STRAGES) Macedones vt fulmina belli sternebant omnia. hoc impetu fundamenta victoriæ iecit Alexander, perculso illicò Dario, & mox fugam meditanti.

OMNES IN ORA PRONI, VVLNERIBVS ADVERSO CORPORE ACCEPTIS) Non gratis dixit Curtius, sed vt ardorem pugnæ, & Persarum quoque constantiã decusque ostenderet. Aduersa porrò vulnera honesta, auersa pudenda. Laudantur ab illis Catilinarij ab Sallustio: *Sed confecto, inquit, prælio, tum verò cerneres quanta audacia, quantaq; animi vis fuisset in exercitu Catilinæ: nam ferè quem quisq; viuus pugnando locum ceperat, eum amissa anima corpore tegebat. pauci autem, quos medios cohors prætoria disiecerat, paullò diuersi, alij alibi stantes, omnes tamen aduersis vulneribus conciderant.* Memorantur à Græcis trecenti Lacedæmonij, primum ab Inacho rege Argiuorum bello interfecti, quos Gæta negat colla aut vestigia vertisse.

Αὐχένας οὐ στρέψαντες· ὅπᾳ ποδὸς ἴχνια πρῶτον
Ἀρμόσαμεν, ταύτᾳ καὶ λίπομεν βιοτάν.

Deinde alij trecenti ad Thermopylas duce Leonida cæsi, quos præter historicos Græcos & Latinos Bassus poeta celebrat, & à Charonte statim ait agnitos, quod omnes vulnerati pectore apparerent:

Σπάρτας ὁ στόλος εἶπεν. ἴδ᾽ ὡς πάλι πρόσθια πάντα
Τραύματα κ᾽ ἐν στέρνοις ἄρης ἔνεσι μόνοις.

Quod nescio quis latinè cecinit totum

Cum tercentenos mauortia signa secutos
Lethæus veheret Cymba Charontis aquis,
Orcus ait, Ratis hæc Spartana est, nam omnia fronte
Et (quod honor) solum vulnera pectus habet.

Et quæ sequuntur. Eiusmodi est etiam Dioscoride de Thrasybulo, quem ait mortuum Pitanam in clypeo relatum septem vulnera aduersa ostentantem.

ἑπτὰ πρὸς Ἀργείων τραύματα δεξάμενος
Δεικνὺς πρόσθια πάντα----

Sed quid Græci iactant septem Thrasybuli vulnera, vnus Romanorum L. Sicinius Dentatus quinque & quadraginta vulnera pectore excepit. audi Valerium ex Varrone narrantem: *Quem centies & vigesies in aciem descendisse tradunt, eo robore animi atq; corporis vtentem, vt maiorem semper victoriæ partem traxisse videretur, sex & triginta spolia ex hoste tulisse, quorum in numero octo fuisse, cũ quibus inspectante vtroq; exercitu ex prouocatione dimicasset, quatuordecim ciues ex media morte raptos seruasse, quinq; & quadraginta vulnera pectore excepisse, tergo cicatricibus vacuo.* Non immeritò ergo quod Catullus de Achille dixit, de Sicinio diceretur: *Hostibus haud tergo sed forti pectore notum.* Ita Æneas Pallantem Euandri vulnera non pudenda accepisse in funebri laudatione testatur:

—— At non Euandre pudendis
Vulneribus pulsum aspicies ---

Ita Homerus Idomeneum & Hectorem prædicat, & Iustinus Atheniens. vol. 9. *Non tamen immemores pristinæ gloriæ cecidere: quippe aduersis vulneribus omnes loca quæ tuenda acceperant, morientes corporibus texere.*

ATIZYES, RHEOMITHRES, ET SATACES PRAETOR AEGYPTI) Aliter paullũ hos indigitat D. Siculus: *Antixyen*, inquit, *Arrheomithren & Tasiacen.* & Arrianus: *Arsacen & Sabacen*, reliquos eosdem Curtio facit, nisi quod & Bubacen addat. Arsacen, Rheomithrem & Atizyem ad Granicum ait equitibus præfuisse.

MACEDONVM QVOQVE NON QVIDEM MVLTI, SED PROMPTISSIMI CECIDERVNT) Non exprimuntur nomina scriptoribus, nisi Ptolomæi Seleuconati, quẽ Arrianus posteritati donauit. Non multos autem dixit cecidisse Curtius, Arrianus disertè viginti.

ALEXANDRI FEMVR MVCRONE PERSTRICTVM EST) infrà: *quippe summa cutis in femine perstricta.* Chares apud Plutarchũ auctor est Alexandrum à Dario vulneratũ esse, vulnere tamẽ non graui. Sed Alexander in Epistola ad Antipatrum læsum & perstrictum telo femur in prælio scribit, auctorem tacet. Accipe ipsa Alexandri verba: Σύνεβη δέ μοι (φησὶ) καὶ αὐτῷ ἐγχειριδίῳ πληγῆναι εἰς τὸν μηρόν.

H

μηρὸν. ἀλλ' οὐδὲν ἀτοπον οὔτε παραχρῆμα, οὔτε ὕστερον ἐκ τῆς πληγῆς ἀπήντησεν. *Contigit, inquit, mihi pugione sanciari in femur adacto, sed vnde nulla pernicies aut illico aut postea secuta est.* Chares ait duos reges manus inter se conseruisse, sed hoc mihi ἄπιστον, quod Darius tam propinquum Alexandrū nō expectarit, à quo nisi perempto non abisset Alexander. Verisimilius ergo ab incerto equite per inguinem impetum perstrictum esse, quod non obscurè docet Diodor. Siculus. Συνέβη, inquit, καὶ αὐτὸν Ἀλέξανδρον τρωθῆναι τ̃ μηρὸν περιχυθέντων αὐτῷ τ̃ πολεμίων. *Accidit & ipsum Alexandrum, cum se magna vis hostium in illum infunderet, in fœmore vulnerari.*

EQVI CONFOSSI IVGVM QVATERE ET REGEM CVRRV EXCVTERE COEPERANT) sequitur miserabilis fuga Darij & Regem secuti exercitus. oculi enim primi in omnib. prælijs vincuntur, & necesse est ad fugam parati sint, qui ducem suum sentiunt desperare. Equi vulnerati iugum excutere ceruicibus, regem curru conabantur. Iam suprà ostendi iugum non in curru, sed in equorum iugalium ceruicibus quærendum.

Petronius —— *ceu vbi solet*
Nudo remissus Thessali quadrupes iugo
Ceruicem & altas quatere ad excussum iubas.

Illud enim conabantur excutere. Erant iuncti vno in versu & membro quaterni equi, τεθρίππῳ enim vehebatur Darius, duo iugales proximi temoni, duo subiugales ab vtroq; latere iugalium collocati extremi, dolore vulnerum in furorem acti, Darium in medios trahebāt hostes: quare coactus ipse præter morem Persarum & dignitatem regiam habenas arripere, & coercere impetum equorū, quoad aliæ quadrigæ adducerentur, quibus periculum euaderet. Vti est apud Diodorum. Vide & Arrianum. Aelianus equa periculum euasisse tradit. *Darius (inquit) cum inclinata iam acie in eo prælio quod ad Issum commiserat, Persarum res premi cœpissent, cumq; victus fuga salutem quærere cogeretur, in equam ascendit: quæ quod relicti memoriam pulli recordaretur, quanto maximo studio potuit & celeritate, Dominum suum ex periculo eripuisse.* Hæc AElianus, qui monuerat suprà Darium consueſſe in aciē secum ad hunc ipsum vsum equas deducere, domique frequentes alere. Curtij narratio cum Aeliani conuenit proximè, cum ait regem ex curru inter ipsam pugnam desiluisse, & in equum ad hoc ipsum sequentem conscendisse, siue impositum fuisse.

INSIGNIBVS IMPERII ABIECTIS) Arrianus exprimit speciatim quæ abiecerit: τὸ μὲν ἅρμα ἀπολείπει αὐτοῦ, καὶ τὴν ἀσπίδα, καὶ τ̃ κάνδυν ἐκδύς. ὁ δὲ καὶ τὸ τόξον ἀπολείπει ἐπὶ τῦ ἅρματ☉. *Ipse currum reliquit, & scutum, candyn* (amiculum erat candys, ἁλιπόρφυρον καὶ μασολευκόν, vt suprà ostendi, non cidaris seu tiara, vt vertit Vulcanius) *quin & arcū in curru reliquit.* Fuere autem σύμβολα τῆς βασιλείας καὶ σημεῖα τ̃ ἡγεμονίας, tiara recta seu cidaris cū diademate & cādys seu tunica purpurea albo intertexta.

ADEO PAVOR ETIAM AVXILIA FORMIDAT) gnome nobilis à contrario. arma feruntur ne corpora feriantur. Sed quæ prosunt in acie pugnantibus, hæc obsunt ex acie fugientibus. Plures occidit timor in fuga, quam gladius in pugna ----*valuit pro vulnere terror,*

Impleuitq; vicem iaculi, vitamq; nocentem,
Integer & sola formidine saucius efflat.
Sic trepidi fugiunt, & verso vulnera tergo
Accipiunt, magnumq; fugam clamoribus implent.

INSTABAT FVGIENTIBVS EQVES A PARMENIONE MISSVS) Sinistrum cornu tuebatur Parmenio ad mare. retrò versus Ciliciam non poterant fugere, cum tota Cilicia iam in ditione Alexandri esset. debebant ergò per latera montium vel littora maris se in fugam penetrare, media enim omnia miles Alexandri impleuerat, præsertim versus Pylas Syriæ.

AT IN DEXTRO PERSAE THESSALOS EQVIT. VEH. VRGEBANT) læuum cornu Darij versus montem collocatum, iam à dextro Alexandri cornu propè fusum erat, cum interim Nabarzanes equitum præfectus in læuum Alexandri cornu, quod propter mare stabat, inuectus Thessalos ex dextro Alexandri subductos, & cum Parmenione coniunctos grauissimè premebat, primam enim alam (ala tredecim suprà centū continebat equites) primo congressu obtriuerat. Quod vbi reliqui velut fugituri equos momento circumegerunt, genusque pugnæ mutarunt, vt incompositos dissipatosque inuaderent, quod illis feliciter cessit, in ea enim equitatus celeri conuersione primum hostium vim elusēre, & mox vltrò inualerunt, pressique ante multo grauius premere cœperūt. Nec tamē ante Persæ cesserunt, quam viderent Darium in fugam coniectum. tum demum qua data via omnes à pedibus salutem quæsierunt. Hoc Arrianus paucis complexus, καὶ οἱ ἱππεῖς δὲ, inquit, οἱ τῶν Περσῶν κατὰ τοὺς Θεσσαλοὺς τεταγμένοι οὐκ ἔμειναν ἐντὸς τῦ ποταμῦ ἐν αὐτῷ τῷ ἔργῳ, ἀλλ' ἐπιδιαβάντες εὐρώστως ἐμβάλλουσιν εἰς τὰς ἴλας τῶν Θεσσαλῶν, καὶ ταύτῃ ξυνέστη ἱππομαχία καρτερά. οὐδὲ πρόσθεν ἐνέκλιναν οἱ Πέρσαι, πρὶν Δαρεῖόν τε πεφευγότα ᾔσθοντο, καὶ πρὶν ἀπορραγῆναι σφῶν τοὺς μισθοφόρους ἡ φυγὴ ἐγένετο. *Porrò equites Persæ qui Thessalis oppositi erant, nequaquam in hoc conflictu se in flumine continebant, sed eo fortiter animoseq; transmisso in Thessalicas turmas inuehuntur. Atrox ibi equestre prælium commissum est, neque prius Persæ terga verterunt, quam Darium fugisse cognoscerent, aut antequam mercenarios suos à phalange dissipatos cæsosq; esse intelligerent. Tum verò manifesta totius exercitus fuga fit.* Affirmat porrò Arrianus non minorem in fuga equitum Persarum, quam peditum stragem editam, cùm impediti seipsos vicissim obte-

obtererent, cùm propter armorum pondus vrgentibus à tergo Thessalis fugam explicare non possent. Idem suprà phalangem quoque Macedonicam qua parte à dextro cornu direpta erat, valdè laborasse ait, antequam altas riparum crepidines superaret, & à Persis in flumen repulsas, donec tandē ingenti cum labore eniterentur, præsertim cum audissent sinistrum Darij cornu ab Alexandro in fugam actum, omni ope contenderunt, ne illius victoriæ pro sua virili deessent.

EQVI PARITER EQVITESQVE) Verborū vel traiectio, vel adiectio, vel detractio mirè locū turbauit. Vetustissimus, quem inspexi, codex, ita nobis periodum addit: *Equi pariter equitesq́, Persarū serie laminarum ob id genus graues: agmen quod celeritate maximè constat agrè moliebantur. Quippè in circumagendis equis suis Thessali multos occupauerant.* Aldus variauit nonnihil: *Equi pariter equitesque Persarum serie laminarum ob id genus graue &c.* Alius liber: *Equi pariter equitesq́, Persarum serie laminarum graues, agmen, quod celeritate maximè constat, agrè moliebantur.* Franciscus Modius vulgatam scripturam contaminatissimam ait, itaq; emendat: *Equi pariter equitesq́, Persarum serie laminarum graues, agmen agrè moliebantur: quippè in circumagendis equis suis Thessali, quod genus celeritate maximè constat, multos occupauerant.* Et, ita me Musæ, inquit, ament, vt hæc aut vera, aut veræ proxima coniectura est. Acidalio non probatur, qui: *Nos*, inquit, (eiectas à Modio voces) *eas restituemus, atq́ ita locum miserè affectum constituemus. Equi pariter equitesq́, Persarum serie laminarum graues agmen agrè moliebantur: ob id in circumagendis quoq́ equis suis Thessali, quippè quod genus celeritate maximè* (vel maximè) *constat, multos occupauerant.* Tam opinor, inquit, licuit mihi traiectionibus vti, vt componerē, quam alijs, vt turbarent. Quid decernam quæris? & Modium & Acidalium τῶ σκοπῶ ἀποτετυχηκότας, à lineis excidisse putem. alter quod voces germanas Curtij contra fidem librorum proscripserit, has enim (*ob id*) sustulit ex suo codice; alter quod spurias & Curtio alienas in versum admiserit. spuria verba & ex glossemate inserta, ista crediderim: *quod genus celeritate maximè constat.* &, *quoque*, quod ab omnibus libris abest. Itaque Curtij verba ita collocarim: *Equi pariter equitesq́, Persarū serie laminarum graues, agmen agrè moliebantur, ob id quippè in circumagendis equis suis Thessali multos occupauerant.* glossema quod ex ora irrepserat, in oram reiecerim, vel certè parenthesi incluserim: *Thessali* (quod genus celeritate maximè constat) *multos* &c. glossema esse politissimi & limatissimi iudicij vir, & in hoc genere κρίσεως hodie facilè princeps I. I. vir noster Marcus Velserus existimauit, qui nec verba ex mente & elegantia Curtij putauit. *quod genus celeritate maximè constat*, Curtius fortassè dixisset; *quod genus plurimum*, vel *maximè, celeritate valet*, aut *potest*. Qui tibicinem reijcit, columnam substituat. Certè lectoris interpretamētum esse vel ex eo conijcias, quod librarij qui ad corpus spectare rati sunt, non suo loco inseruerint.

SERIE LAMINARVM GRAVES) De hac ead. Persarum Panoplia & armatura infrà Curtius: *Equitibus equisque tegumenta erant ex ferreis laminis serie inter se connexis.* Hamabantur laminæ ferreæ, & ordine inter se connectebantur, totumq; & equitem & equum tegebant, sic tamen vt facilè se & equites extendere, brachia mouere, hastas vibrare possent. Eum locum apud nos obtinent cataphracti, & olim loricati. Claudianus magnificè dixit:

----coniuncta per artem
Flexilis inductis hamatur lamina membris,
Horribilis visu Credas simulacra moueri
Ferrea, cognatoq́ viros spirare metallo.

Malim pro *hamatur* cum Lipsio scribere *animatur*, cum sequatur, *credas simulacra moueri.* Erant loricæ squamatæ vt Herodotus passim docet & Strabo, qui χιτῶνα λεπιδωτόν, ille φολιδωτὸν appellat. Multa super his Brissonius de regno Persarum, & Lipsius de Militia Romana, qui omnis generis loricas describit: Ego vnum aut alterum hic apponam explanationis causa. Ammianus: *Praxitelis manu polita crederes simulacra, non viros, quos laminarum circuli tenues apti corporibus, flexibus ambiebāt, per omnia mēbra diducti, vt quocūq́ artus necessitas cōmouisset, vestitus cōgrueret, iunctura coharenter aptata.* Plenissimè scriptor Græcus apud Suidam: Θώραξ δ' ἱππικὸς πάρθου τοιός δε ἐστι. τὸ μὲν γὰρ αὐτοῦ πρόσω, στέρνα τε καὶ μηρούς, καὶ χεῖρας ἄκρας, καὶ κνήμας καλύπτει. τὸ δὲ ὄπισθεν νῶτά τε καὶ τὸν αὐχένα, καὶ τὴν κεφαλὴν ἅπασαν. περόναι δέ εἰσι, πρὸς ταῖς πλευραῖς, πεποιημέναι, αἷς ἑκάτερον τῶν μερῶν συμπορπηθὲν ὅλον σιδηροῦν ποιεῖ φαίνεσθαι τὸν ἱππέα. κωλύει δὲ οὐδὲν ὁ σίδηρος οὔτε τὰς ἐκτάσεις τῶν μελῶν, οὔτε τὰς συστολάς. οὕτως ἀκριβῶς πρὸς τὴν τῶν μελῶν φύσιν πεποίηται. ὁπλίζουσι δὲ καὶ τὸν ἵππον ὁμοίως σιδήρῳ πάντα μέχρι τῶν ὀνύχων διὰ τὸ οὐδὲν αὐτοῖς ὄφελος ἂν εἴη τῶν ἰδίων ὅπλων, εἰ ὁ ἵππος αὐτοῖς προαπόλοιτο: *Lorica Parthi equitis est talis. Prior eius pars pectus & femora & manus extremas & crura tegit. posterior, tergum & ceruicem, & caput totum. Fibulæ verò sunt ad latera, quibus vtramq́ partem iungunt, atque ita totum equitem ferreum dant videri. Prohibet verò nihil aut impedit ferrum membrorū extensiones siue contractiones: adeò curiosè factū sectumq́ est ad naturā membrorū. Armant aūt & equum similiter ferro, totum quidem & vsque ad vngulas. hoc ideò, quia nihil illis arma prosint propria, si equus interficiatur.*

OCCVPAVERANT) Dum se verterent, & Thessalos dilapsos vellent persequi, occupati fuerūt, hoc est præoccupati & præuenti à Thessalis, qui reuersi, in sparsos & turbatos impetum fecerunt, victoresque mox vicerunt.

CAPVT XXII.

ARGVMENTVM.

Alexander persequitur fugientes, Græci soli sensim se subduxêre à Persis, ex quibus alij cæsi, alij Darium secuti, quatuor millia cum Amynta euasêre. Castra inde hostium ab Alexandri milite occupata, capti filius, mater, vxor, filiæ Darij, toto prælio cæsi Persarum centum millia peditum, decem millia equitum, Macedonum duo & triginta pedites, centum quinquaginta equites, non amplius desiderati.



Actam prospera pugna nuntiata, Alexander non ante ausus persequi Barbaros, vtrinq; iam victor instare fugientibus cœpit. Haud amplius regem quàm mille equites sequebantur, cum ingens multitudo hostium caderet. Sed quis aut in victoria, aut in fuga copias numerat? Agebantur ergò à tã paucis pecorum modò, & idem metus qui cogebat fugere, fugientes morabatur. At Græci, qui in Darij partibus steterant Amynta duce, (prætor hic Alexandri fuerat, tunc transfuga) abrupti à cæteris, haud sanè fugientibus similes euaserãt. Barbari longè diuersam fugam intenderunt, alij quà rectum iter in Persidẽ ducebat, quidam circuitu rupes, saltusq; montium occultos petiuêre, pauci castra Darij. Sed iam illa quoque hostis victor intrauerat, omni quidem opulentia ditia. ingens auri argentiq; pondus, non belli, sed luxuriæ apparatum diripuerant milites. cumq; plus raperent, passim strata erant itinera vilioribus sarcinis, quas in comparatione meliorum auaritia contempserat. iamq; ad fœminas peruentum erat: quibus, quò cariora ornamenta sunt, violentius detrahebantur: nec corporibus quidem vis ac libido parcebat. omnia planctu, tumultuq; prout cuique fortuna erat, castra repleuerant: nec vlla facies mali deerat, cum per omnes ætates ordinesque victoris crudelitas, ac licentia vagaretur. Tunc verò impotentis fortunæ species conspici potuit, cum ij, qui cum Dario tabernaculum exornauerant omni luxu & opulentia instructum, eadem illa Alexandro, quasi veteri domino reseruabant. namq; id solùm intactum omiserant milites, ita tradito more, vt victorem victi regis tabernaculo exciperent. Sed omnium oculos, animosque in semet auerterant captiua mater, coniunxq; Darij. illa non maiestate solùm, sed etiam ætate venerabilis: hæc formæ pulchritudine, nec illa quidem sorte corrupta, acceperat in sinum filium, nondum sextum annum ætatis egressum, in spem tantæ fortunæ, quantam pater eius paullò ante amiserat, genitum. At in gremio anus auiæ iacebant adultæ duæ virgines, non suo tantùm, sed etiam illius mœrore confectæ. Ingens circa eam nobilium fœminarum turba constiterat, laceratis crinibus, abscissaq; veste, pristini decoris immemores, reginas, dominasq; veris quondã, tunc alienis nominibus inuocantes. Illæ suæ calamitatis oblitæ, vtro cornu Darius stetisset, quæ fortuna discriminis fuisset, requirebant. negabant se captas, si viueret rex. sed illum equos subinde mutantem longius fuga abstulerat. In acie autem cæsa sunt Persarum peditum centum millia, decem equitum. At ex parte Alexandri ad quatuor & quingenti saucij fuère, triginta omninò & duo ex peditibus desiderati sunt, equitum centum quinquaginta interfecti. Tantulo impendio ingens victoria stetit. Rex diu Darium persequendo fatigatus, postquam & nox appetebat, & consequendi spes non erat, in castra paullò ante à suis capta, peruenit.

VTRIN-

VTRINQVE IAM VICTOR) Ab vtroque cornu, dextro & læuo.

MILLE EQVITES REGEM SEQVEBANTVR) Alexandrū, qui Dario fugienti imminebat.

INGENS MVLTITVDO CADERET) En quid pauor & trepidatio posiit in bello. nongenta millia supererant ex equitatu Darij, & à mille Alexandri equitibus vt iumenta agebantur, sternebantur, cædebantur. trecenta millia minimum ex peditibus & ab equitatu reliquo trium aut quatuor millium ritu pecudum mactabantur. Non est ergò grauior metu hostis, qui quamuis numerosas copias exarmat.

QVIS IN VICTORIA AVT FVGA COPIAS NVMERAT?) Nesciunt victi cùm fugiunt suas copias, nesciunt victores suam inopiam & paucitatem, cùm victos persequuntur. Sunt huius rei in promptu historiæ sacræ & ciuiles, Gedeonis, Samsonis, Iudithæ, Machabæorum, Miltiadis, Themistoclis, Clearchi, & passim Romanorum. Sed maximè illustres victorias superiori sæculo Lusitani sæpè paucissimi de innumerabilibus Indis reportarunt, vt apud Osorium & Maffæum cognosces.

IDEM METVS QVI FVG. COGEBAT, FVG. MORABATVR) Acutè hoc more suo Curtius, Dum in tanta mole exercitus quisque primus conatur euadere, concurrentes simul omnes in angustijs se mutuò præpediunt, elidunt, occidunt, vt ipsa fuga fugam impediat. Ita Pacatus: *Ita ille ipso quo quo agitabatur metu alligatus, in oppidum semet Aquiliense præcipitat.*

AT GRAECI QVI IN DARII PART. STETERANT, DVCE AMYNTA) De hoc Amynta Antiochi F. suprà ex Arriano narratum, & infrà plenius narrabitur. Triginta millia erant mercenariorum, quatuor millia collegit Amyntas, totidem Thymondas, Dianor & Aristomedes, vt essét octo millia, cum quibus in AEgypto quam occupare conabatur, interijt.

HAVD SANE FVGIENTIBVS SIMILES) Circumuenti erant Græci mercenarij à phalange Macedonica, multis cæsis, ij, qui per montem dispositi erant, euaserunt.

HAVD FVGIENTIBVS SIMILES) Quia seruatis ordinibus sensim cesserunt, ac Tripolim u confugerunt.

RECTA PERSIDEM) Per Pylas Amanicas Armeniam versus, non per portas Syriæ, quas Alexander occuparat.

SALTVS MONTIVM OCCVLTOS) Montanam Ciliciam versus Amanum montem, vbi latrones stabulabant, vt ex Ciceronis epistolis disces, qui in illis expugnandis, vti & Alexander, diu laborauit.

CASTRA DARII TRANS PINARVM AMNEM POSITA TARSVM VERSVS HOSTIS VICTOR) Redundare vocem hostis Critici persuadent. Victor exercitus Alexandri Darium adhuc persequentis.

INGENS AVRI ARGENTIQVE PONDVS.) pecunia non valdè grandis in castris reperta, quod omnem ferè Damascum ante prælium dimiserit. tria millia tantum talenta numerata, decies octies nempè centena millia, vt Arrianus est auctor.

LVXVRIAE APPARATVM) Plutarchus hunc exprimit. ὡς δὲ ἶδεν ὄλκια, καὶ κρωσσοὺς καὶ πυέλους, καὶ ἀλαβάστρους, πάντα χρυσοῦ ἠσκημένα περιττῶς &c. *Vt autem holcia vidit & crossos, ampullas, alabastros, ex auro fabrefacta omnia &c.* Inter hæc vasa reor fuit scrinium illud Græcis & Latinis celebratum, in quo Homeri carmina reposuit, vt in hunc modum de eo tradit Strabo: φέρεται γοῦν τις διόρθωσις τῆς Ὁμήρου ποιήσεως, ἡ ἐκ τοῦ νάρθηκος λεγομένη τοῦ Ἀλεξάνδρου μετὰ τῶν περὶ Καλλισθένην καὶ Ἀνάξαρχον, ἐπελθόντος, καὶ σημειωσαμένου τινὰ, ἔπειτα καταθέντος εἰς νάρθηκα, ὃν εὗρεν ἐν τῇ περσικῇ γάζῃ πολυτελῶς κατεσκευασμένον. *Etenim fertur quadam emendatio poeseos Homericæ, quæ è Narthecio Alexandri appellatur, posterior Callisthenis & Anaxarchi correctionibus. cum singula Alexander perlegisset, ac quædam aduotasset, codicemque postea in narthecium deposuisset. quod scrinium in gaza Persica repererat preciosè admodum comparatum.* De eodem Plinius his verbis, *Itaque Alexander Magnus inter spolia Darij Persarum regis vnguentorum scrinio capto, quod erat auro gemmisq; ac margaritis pretiosum, varios eius vsus amicis demonstrantibus (quando tædebat vnguenti bellatorem & militia sordidum) imò Hercule, inquit, librorum Homeri custodia detur, vt pretiosissimum humani animi opus quàm maximè diuiti opere seruaretur.* Addit his Pettus Victorius Alexandrū ab Homeri amore dictū φιλόμηρον, Sed quid miramur Alexandrum Græcum fuisse φιλόμηρον, cum Persæ & Indi in patriam versa linguā Homeri carmina cantarint. Sed redeamus ad Curtium. De Castroru m luxuria multa Brissonius. Cæsar l. 3. belli ciuilis, Pompeiana castra ferè vt hic Curtius Dariana describit.

AD FAEMINAS PERVENTVM ERAT) Castris Darij expugnatis, custodibus cæsis, sarcinisq; obuijs direptis, ac vilioribus identidē præ melioribus quæ offerebantur, abiectis, tādem victis viris ad gynecæa peruentū est, vbi lamentabilem fœminarū conditionē & Curtius, & Diodorus potissimū describunt. Primū armillas, inaures, gēmas, omnemq; cultū meliorē illis detractum, postremò nec à corporibus vis militaris & petulās impudentia abstenta. Aberat Alexander qui prohibere posset, in persequēdo Dario occupatus, tantū regis & reginarū tabernaculis parsū, quoad rediret Alexāder. πάθος δ' ἦν δεινότατον περὶ τὰς αἰχμαλωτιζομένας γυναῖκας. αἱ γὰρ πρότερον διὰ τρυφὴν ἐπ' ἀπήναις πολυτελέσι μόγις καλυπτομιζόμεναι καὶ γυμνὸν μέρος τοῦ σώματος οὐδὲν φαίνουσαι τότε μονοχίτωνες, καὶ τὰς ἐσθῆτας περιῤῥήξασαι μετ'

ὀδυρμῶν ἐκ τῶν σκηνῶν ἐξεπήδων, ἐπιβοώμεναι θεοὺς καὶ προσπίπτουσαι τοῖς τῶν κρατούντων γόνασι. περιαιρούμεναι δὲ ταῖς χερσὶ τρεμούσαις τὸν τοῦ σώματος κόσμον, καὶ τὰς κόμας ἀνειμέναι διὰ τόπων τραχέων ἔθεον, καὶ πρὸς ἀλλήλας συντρέχουσαι βοηθοὺς ἐπεκαλοῦντο τὰς τῶν ἑτέρων ἐπικουρίας δεομένας. ἦγον δὲ αὐτὰς οἱ μὲν ἀπὸ τῆς κόμης ἐπισπώμενοι τὰς ἠτυχηκυίας οἱ δὲ τὰς ἐσθῆτας περιῤῥηγνύντες καὶ γυμνοῖς σώμασιν ἐπιβάλλοντες τὰς χεῖρας, καὶ ταῖς σαύρωσι τῶν δοράτων τύπτοντες καὶ τὰ λοιπά. *Huiusmodi fœminarum captiuarum conditio nulli non vehementissimam miserationem commouisset. Quæ enim prius ob teneritudinem carpentis ornatissimis vix commodè vehebantur, corporis sui nihil non tectum habebant, nunc simplicem induta tunicam, vestesque manibus lacerantes, cumque eiulatu magno è tabernaculis se proripiebant, Deos inclamantes, & ad victorum genua sese prouoluendo. Alia manu vestem subleuantes, capillis passis in auia & inuia procurrebant, sibique inuicem occurrentes, altera alteras opem nequicquā implorabant. Erant quæ infœlices ab hoste crinibus raptarentur, quibusq; laniata veste in corpora violenta manus iniicerentur, imaque hastilium parte funderentur.* Et quæ ibidem sequuntur, ex quibus intelligit Lector, quàm verè dixerit Curtius castra planctu tumultuque resonuisse, nullamque faciem mali defuisse, victorisque & militis licentiam, crudelitatem immanitatemque per omnes ætates ordinesque grassatam esse.

IMPOTENTIS FORTVNAE SPECIES) *Si fortuna volet fies ex Rhetore consul,*
Iuuenalis. *Si volet hac eadem fies ex consule Rhetor.*

Verè Valerius hæc: *Caduca nimirum hæc & fragilia, puerilibusq; crepundijs consentanea sunt, quæ vires & opes humanæ vocantur. Affluunt subitò, repentè dilabuntur, nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt: sed incertissimo flatu fortunæ huc atque illuc acta, quos in sublimè extulerunt, improuisò decursu destitutos profundo cladium miserabiliter immergunt. Itaque neque existimari, neque dici debent bona, quæ vt inflictorum malorum amaritudine desiderium sui duplicent: propensiore fauore primo delinitos, maiore postea malorum cumulo opprimere solent.* Hanc certè Valerij sententiam mille confirmant principum exempla, quæ passim in omnium gentium memorijs cognoscuntur. Darium Alexander regno, Alexandro vitam Antipater, totamque Alexandri sobolem & posteritatem Cassander, Iugurtham Marius regno euertit, Marium Sylla, Cæsar Pompeium, Cæsarem Brutus, Brutum Antonius, Antonium Augustus, vt semper victot haberet, à quo seu arte, seu Marte vinceretur. *Impotens* habent nonnulli codices. placet *impotentis*.

QVI DARIO TABERNACVLVM EXORNAVERANT) vel *tum* legerim cum pluribus libris, vel illud Modij *cum* omninò proscripserim. Nec est opus vt τὸ *tum* locum suum, vt Acidalio placebat, migret, seruet stationem suam. *Qui*, ad ministros Darij referendum. Siculus ab Alexandri famulis præparatum Alexandro narrat. Prætoria Augustalia seu tabernacula militaria Persarum reges & Satrapæ magnificentissimo varioque instrumento instrui solita, partim iam ex Diodoro & Plutarcho docui, partim ex Herodoti VII. & XX. Xenophontis Ἀναβάσεως. IV. Aristidis Smyrnaica Politica oratione doceri potest, qui postremus ὥσπερ, inquit, εἰς πομπὴν ἐνιαύσιον κεκοσμημένη ταῖς τε ἰδίαις καὶ ταῖς δημοσίαις κατασκευαῖς ὡραΐζεται, σκηνῆς μηδικῆς ἁβρότερον. *Tanquam ad pompam anniuersariam instructa, tum priuato, tum publico apparatu Medicâ scenâ magnificentius exornatur.*

ALEXANDRO QVASI VETERI DOMINO) *Venturo domino* & Aldina & Florentina scriptura ponit, sed vetustiores codices retinent *Veteri domino*, quod magis arridebit, si Curtij verba attenderis, nec enim graris addit, *quasi veteri domino*. Ministri Darij perinde seruabant tabernaculum Darij omnibus rebus instructum Alexandro nouo domino, ac si illud veteri custodirent. Nō damnanda tamen altera lectio, quadrat enim & *venturo*, etsi melius *veteri*.

ITA TRADITO MORE VT VICTOREM VICTI REGIS TABER. EXCIP.) In castris prætorio, in vrbe excipitur arce, vel regia, vel palatio.

SED OMNIVM OCVLOS AN. IN SEM. AVERT. CAPT. MATER, CONIVNXQVE DARII) Omnium etiam Macedonum victorum animos Sysigambis mater Darij cum nepotibus mouit, vt ipsi quoque Macedones indignæ illius fortunæ illacrymarent, vt Diodorus Siculus lamētabili narratione rem describit. Matrem Curtius ab ætatis veneratione & maiestatis regiæ dignitate commendat, infrà sæpè à prudentia, constantia, moderatione animi, quibus virtutibus etiam hosti Alexandro se commendauit.

HAEC FORMAE PVLCHRITVDINE) Plutarchus: Καίτοι λέγεταί γε τὴν Δαρείου γυναῖκα πολὺ πασῶν τῶν βασιλίδων εὐπρεπεστάτην γενέσθαι, καθάπερ καὶ αὐτὸς Δαρεῖος ἀνδρῶν κάλλιστος καὶ μέγιστος, τὰς δὲ παῖδας ἐοικέναι τοῖς γονεῦσιν. *Et fertur vxorem Darij omnium reginarum longè venustissimam fuisse, vti & Darium virorum pulcherrimum & procerissimum, similesque parentum filias.* Xerxes, Herodoto auctore, inter quinquagies centena millia, quos in aciem eduxit, omnium maximus & pulcherrimus fuisse traditur. Forma etiam reges miris modis ornat, imò quosuis mortales, vt regno etiam digna in quouis dicatur pulchro. Porrò Darij vxorem Plutarchus iterum laudat; cum ait: Περὶ δὲ τῆς Δαρείου γυναικὸς εὐπρεπεστάτης γενομένης οὐδὲ φωνὴν ἐπαινοῦσαν τὸ κάλλος ἀφῆκεν. *De Darij porrò vxoris forma laudatissima, neque vllam vocem qua illius pulchritudo laudaretur, mitti passus est.* Cæterum proceritas corporum etiam mirè commendat, hominem præsertim principem, vt

Virgi-

Virgilius Didonem ab eadem commendandam putarit (addit enim maiestati decus singulare) quam cum Diana componit:

Regina ad templum forma pulcherrima Dido
Incessit,magna iuuenum stipante caterua.
Qualis in Eurotæ ripis,aut per iuga Cinthi
Exercet Diana choros:quam mille secuta
Hinc atque hinc glomerantur Oreades.Illa pharetram
Fert humero:gradiensque Deas supereminet omnes,
Talis erat Dido. ---

Qui locum Homeri expressit Nausicaen Dianæ comparantis:

Πασάων δ' ὕπερ ἥγε κάρη ἔχη ἠδὲ μέτωπα.
ὡς ἥν ἀμφιπόλοισι μετέπρεπε παρθένος ἀδμής.
Omnes verò ipsa capite supereminet atque fronte,
Sic illa inter ancillas excellebat virgo indomita.

Proinde Homerus cum Tydei breuitatem corporis attigisset , illam bellica gloria compensatam dixit:

Τυδεύς τοι μικρὸς μὲν ἔην δέμας, ἀλλὰ μαχητής.
Corpore paruus erat Tydeus,sed maximus armis.

NEC ILLA QVIDEM SORTE CORRVPTAE) Nec oris venustas lacrymis decoris deprauata est. Corrumpitur autem facillimè,præsertim in paruulis,cum lacrymant & os deprauant.

FILIVM)Ochum sexennem,de quo mox infra,vnicus hic erat Dario superstes. quamdiu vixerit incertum, ad decimum quintum annum peruenisse certum est,cum Alexandro superfuerit , vt infra lib.10.docebitur.

DVAE ADVLTAE VIRGINES)Quarum vnam duxit in vxorem ipse Alexander,Statiram,inquam; Alteram Hephæstion alter quasi Alexander, vt illum ipse Alexander vocitabat.

ANVS AVIAE)Sysigambis,cuius fortunam iuxta ac suam dolebant neptes.

LVCERATIS CRINIBVS ABSCISSAQVE VESTE)more gentis hoc , vt infra Curtius : *Post hanc vocem spado,gemitu non modò tabernaculum,sed etiam castra compleuit. Irrupêre demum alij,laceratisque vestibus,lugubri & barbaro vlulatu regem deplorare cœperunt.* Idem Curtius Vol.4. *Tyriotes in castra regis peruenit,exceptusque à vigilibus in tabernaculum regis perducitur gemens & veste lacerata.* Rursum in morte Alexandri, Vol.10 *Ad Darij quoque matrem celeriter perlata est ; Abscissa ergo veste qua induta erat,lugubrem sumsit,laceratisque crinibus humi corpus abiecit.* Et de Persis in eiusdem Alexandri morte: *Persæ comis suo more detonsis,in lugubri veste cum coniugibus & liberis, non vt victorem & modò hostem,sed vt gentis suæ iustissimum regem vero desiderio lugebant.* Secutus hunc morem Persicum Alexander in Hephæstionis funere οὐδενὶ λογισμῷ , inquit Plutarchus, τὸ πάθος Ἀλέξανδρος ἤνεγκεν, ἀλλ' εὐθὺς μὲν ἵππους τε κεῖραι, πάντας ἐπὶ πένθει, καὶ ἡμιόνους ἐκέλευσεν, καὶ τῶν πέριξ πόλεων ἀφεῖλεν τὰς ἐπάλξεις. *Alexander dolorem nullo modo ferre potuit,sed extemplò equos omnes & mulos iussit tonderi , & vrbium circumiacentium propugnacula deijci euertique .* Ita Herodotus ob Masistij mortem in Platæensi prælio cæsi,scribit à Persis equos & iumenta,cum à se fecissent initium, tonsa. σφέας, inquit, αὐτοὺς κείροντες καὶ τοὺς ἵππους καὶ τὰ ὑποζύγια οἰμωγῇ τε χρεώμενοι ἀπλέτῳ. Et Plutarchus in Aristide de Persis super morte eiusdem Masistij idem Herodoto narrat. Omitto Græcorum, Hebræorum, Romanorum, Christianorum ritus in funeribus solennes,de quibus & nuper,& olim libri prodierunt. Nobis Curtius illustrandus fuit.

REG.DOM.VERIS QVONDAM TVNC ALIENIS NOMINIBVS INVOCANTES)Persidis & Asiæ quondam maximas reginas verè appellabant,dum res Persarum maneret: sed victo Dario , amissoque regno, nec Reginæ amplius,nec Dominæ,sed captiuæ & famulæ erant victoris, si veram conditionem spectes.alienis ergò nominibus in præsens vocabantur, cum reginæ Dominæque vocarentur.

SVAE CALAMITATIS OBLITAE)tantus amor veneratioque reginarum erat aduersus Darium regem suum,vt suæ fortunæ rationem nullam ducerent,tantum de rege solicitæ, quærerent salutus ne esset,vtra in parte exercitus,sinistra an dextra stetisset,quomodo victus cessisset. Cumque nonnulli saluum respondèrent,negabant se captiuas incolumi Dario , vel quod de se nihil laborarent , si ille saluus esset , vel quod sperarent se vel armis vel auro mox in libertatem assertum iri.

SED ILLVM EQVOS SVBINDE MVTANTEM)Idem Diodorus Siculus narrat: *Huiusmodi*, inquit, *sunt exercitus prælij ad Issum Ciliciæ commissi, in quo victus Darius,equis identidem mutatis, in cursu sufficerent.fugam arripuit, Alexandri insequentis manum euitare , & ad superiores præfecturas peruenire maximè contendens.* Aelianus,vt supra monui,equa duntaxat elapsum affirmauit , sed non pugnat alijs, potuit & equos plures adhibuisse,vt facilè ex eodem sexum colligas.

IN ACIE AVTEM CAESA SVNT PERS.PED.CENT.MILLIA,DECEM EQVITVM) Diodorus Siculus numerat peditum centum viginti millia, equitum decem. Arrianus peditum nonaginta

millia, equitum decem vniuersè, centum millia, non amplius: sic enim ille, τὸ δὲ ἀλλο πλῆθος, εἰς δέκα μάλιστα μυριάδας· καὶ ἐν τούτοις ἱππεῖς ὑπὲρ τοὺς μυρίους: *En, & ex his*, inquit, *super decem millia equitum*. Iustinus rursum aliter: *Cæsa sunt*, inquit, *peditum vnum & sexaginta millia, equitum decem millia, capta quadringenta millia*. Orosius iterum ab omnibus alijs abit: *Ibi tunc*, inquit, *peditum octoginta millia, equitum decem millia cæsa sunt, capta autem quadraginta millia sunt*. Plutarchus generatim ὑπὲρ ἕνδεκα μυριάδας ponit cæsas, hoc est super centum & decem millia sine equitum peditumue discrimine; tanta est varietas scriptorum in vnico cæsorum numero. Scripsit Antipater epigramma super hac cæde Persarum ad Issum. Anthologiam adi.

Hancne pugnam Philoxenus Eretrius pictor coloribus redintegrarit, an illam Alex. cũ Dario ad Arbelam seu Gaugamela, Plinius lib. 35. p. 141. non exprimit.

AT EX PARTE ALEXANDRI QVATVOR ET VIGINTI FVERE SAVCII) Ita omnes mei veteres codices, sine vocula præposita *ad*. Vt mirer quid Modio in mentem fuerit, vt suæ editioni inseruerit cum solœco præpositionem. Ad quatuor & quingentos dictum oportuit, admissa προθέσει. Sed proscribenda à Curtio, cum à libris cæteris absit. Vel certè vt Acidalius censuit, *Admodum* legendum pro quasi, quod eleganter & latinè dicitur.

TRIGINTA OMNINO ET DVO) Glareano, Modio & Acidalio visum emendare *trecenti omninò & duo*. Diodorus sanè disertè trecentos exprimit τῶν δὲ Μακεδόνων πεζοὶ μὲν εἰς τριακοσίους, ἱππεῖς δὲ περὶ ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα. *Macedonum cecidêre pedites quidem ad trecentos, equites centum quinquaginta*. Iustinus: *Ex Macedonibus cecidêre pedestres centum triginta, equites centum quinquaginta*. Iustinum sequitur Orosius, quorum neuter cum Diodoro consentit, vt Franciscus Fabricius fœdè lapsus scripsit, cuius tamen verba ipse ponit εἰς τριακοσίους. Glareanus ex Valla negat dici *triginta & duo*, sed *duo & triginta*. Proinde & superiorem Curtij locum restituendum, legendumque, *duo & triginta armatorum ordines ibant*, non triginta & duo: sic enim à Curtio scriptum, deinde compendio notarum factum vt XXXII. scriberetur, vnde errorem illapsum in Curtium. Vallæ verba sunt ex Cicerone: *Plato vno & octogesimo anno scribens mortuus est: Isocrates quarto & octogesimo anno, cum librum qui Panathenaicus inscribitur, scripsisse dicitur, vixitque quinquennium postea. cuius magister Leontinus Gorgias centum & septem compleuit annos*. Ex his Ciceronis locis Valla docetante *centum* præponi numerum minorem, post *centum* verò postponi, quod Quintilianus quoque confirmat cum ait: *Artium scriptores antiquissimi Corax & Thysias Siculi, quos insecutus est vir eiusdem insulæ Gorgias Leontinus, Empedoclis, vt traditur, discipulus. Is beneficio longissimæ ætatis (nam centum & nouem vixit annos) cum multis simul floruit*. Et paulò post de Isocrate: *Eoque iam seniore (octauum & nonagesimum compleuit annum) pomeridianis scholis Aristoteles præcipere artem Oratoriam cœpit*. Sed hoc obseruandum attentè, id tantum videri interiecta copula. Nam ea sublata, vt quisque numerus maximus est, ita primo loco præponitur, duntaxat citra *centum*. Vt: *maior viginti quinque annis*. non autem: *maior quinque viginti annis*. Supra centum naturalem ordinem sequimur, vt centum & septem, & sine copula: Centum viginti natos annos Parmæ tres edidêre, Brixelli vnum centum viginti quinque. Parmæ duos centum triginta, Placentiæ vnum centum triginta vnum, &c. Ex hac Vallæ præceptione Glareanus, Modius & Acidalius euincere conantur in Curtio supra legendum esse: *Duo & triginta armatorum ordines ibant*. non: *Triginta & duo ordines ibant*. Et hic: *trecenti omnino & duo ex peditibus desiderati sunt*. Sed potuit Curtius supra sine copula dixisse: *Triginta duo armatorum ordines ibant*, quod latinè effertur. Et hic: *Triginta duo omnino ex peditibus*. &c. Malim tamen hic cum illis doctis viris rescribere: *Trecenti omnino & duo*. Primum quod verisimilius, plures cecidisse pedites quam equites; deinde quod cæteri scriptores omnes minimum centum & triginta ponant, alij etiam trecentos. Nec priori loco valdè repugnarim. In Curtio tamen non facilè verba migrarim, cum & Seneca, quamuis non princeps latinitatis auctor eo modo sit locutus in Apocolocyntosi, ipso fere principio: *Annus sexagesimus & quartus est, ex quo* &c. Et infra rursum Curtius, vbi monebo.

TANTVLO IMPENDIO INGENS VICTORIA STETIT) Nobile epiphonema subijcit pro suo ingenio Curtius, tam paruo stetit tanta gloria, tam parua iactura suorum Alexander tantam cladem intulit Asiæ, Asiamque sibi subiecit. Illis tamen qui ceciderunt iactura sat magna fuit, qui victoria frui non potuerunt. Vt Fabius Maximus filium consulem dicentem paucorum iactura collem posse occupari, interrogauit, an ipse vellet esse de illis paucis. Sed fortasse ex hoc loco volet Lector contendere seruandam esse scripturam Curtij, cum dixit duos & triginta cecidisse de peditibus. Hunc enim numerum respondere *tantulo impendio*. Sed si conferas cum centum & decem millibus, hos etiam trecentos triginta propè nullos vides præ tot millibus. Habes ergo pugnam ad Issum. quæres quo anno, qua Olympiade, quibus consulibus, quo die sit pugnata hæc pugna. Diem signauit Aelianus octauum Idus Febr. qui sextus est Februarij. Sic noster Schottus in Vitis comparatis Aristotel. & Demosthenis, ad Olymp. CXI. Anni IV. Arist. LII. Dem. XLIX. sed meo iudicio Aelianus non loquitur de pugna ad Issum, sed vltima, qua victus est & omnino debellatus Darius, ad Arbela seu Gaugamela ἡ ἕκτη δὲ τοῦ μηνὸς τοῦ θαργηλιῶνος non est sextus Februarij, sed sextus Aprilis, vt Gyraldus ostendit, quamuis dicant Februarium esse, alij Maium. Accedit ab Arriano exertè proditum mensem non θαργηλιῶνα, sed μαιμακτηριῶνα, quem Suidas Ianuarium interpretatur, & cum illo Vulcanius. Bartholomæus Facius prior interpres, mensem omnino prætermisit, vel ex codice

cor-

corrupto, vel nescio, per quam imprudentiam, nam inscitiæ arguere tantum virum non placet, nec verum est. Dies ergo latet. De mense constituamus, quem Arrianus Μαιμακτηριῶνα appellat, & Suidas Ianuarium interpretatur. Sed pugnam mense Ianuario non commissam ex illo ostendi potest, quod supra dixerat Curtius (cap. XIV.) *Vtique cum iam hyems instaret*. Ianuarius non inchoat hyemem, sed propè finit. Gaza cum Septembri nostro componit. Sed neque Septembrem fuisse conijcio Memacteriona, nam statim post pugnam Damascus fuit occupata à Parmenione, cælo adeò frigido, vt baiuli frigus ferre non possent, quod certè in Septembri temperatissimo mense propè nullum est. Sic enim Curtius mox infra: *Hi* (Gangabæ) *quum frigus tolerare non possent, quippe & procella subitò niuem effuderat, & humus rigebat gelu* &c. Senserim cum Harpocratione, Lysimachide, Vlpiano & alijs, primum hunc mensem ex hybernis fuisse, quintum quidem Atheniensibus à Iunio annum auspicantibus. qui nostro Octobri, non Septembri respondet, quarto à Iunio, non quinto. Et hæc quæ narrat Curtius circa adultum iam Octobrem contigisse, vbi iam annus in hyemem vergit. Μαιμακτηριὼν enim à turbido iam & hiberno Ioue, qui Μαιμάκτης Græcis, hoc est furore correptus & turbidus appellatur, quod hyems, vt ait Lysimachides, hoc mense & aer turbari incipiat. Vlpianus ad Demosthenis Olynthiacas hibernum mensem vocat *μαιμακτηριῶνα*. sic enim ille ad hæc Demosthenis: Μὴν μὲν ἦν μαιμακτηριῶνα.) Χειμέριος, inquit Vlpianus, *οὗτος ὁ μήν· ἐξ οὗ δείκνυσιν ὅτι, καίτοι χειμῶνος ὄντος πλεῖν ἐψηφίσασθε. Mensis erat Mamacterion) hibernus hic mensis est. ex quo ostendit, quamuis hyems esset, nauigandum esse decreuistis*. Hier. VVolfius Septembrem dubius vertit, & negat se hanc inter Grammaticos litem posse componere. Atqui certè September hibernus mensis non est, æstatem proximè secutus, & ex illo calorem adhuc trahens. Intelligamus ergò hic adultum Octobrem iam in hiemem & Nouembrem inclinantem, immo Nouembrem ipsum, vt meliores auctores sentiunt: Atheniensibus enim ita numerabantur menses à Solstitio æstiuo. ἑκατομβαιὼν, μεταγειτνιὼν, βοηδρομιών, πυανεψιὼν, μαιμακτηριὼν, ποσειδεὼν, γαμηλιὼν, ἀνθεστηριὼν, ἐλαφηβολιὼν, μουνιχιὼν, θαργηλιὼν, σκιῤῥοφοριών; qui hoc ordine respondent mensibus Iulianis: Iulius, Augustus, September, October, Nouember, December, Ianuarius, Februarius, Martius, Aprilis, Maius, Iunius: vides Memacteriona respondere Nouembri, qui certè mensis hiemat. Sed de his plura Christmannus ad Alfraganũ. De Anno & Consulibus sequitur. Atque Alexandri quidem regni fuit tertius, & tertius ac vigesimus ætatis, Athænis prætore Nicocrate, Romæ Valerio Cælone, & Lucio Papirio Coss. Diodoro auctore. Arrianus Nicostratum vocat, nisi mendum in codice Coss. à Latinis eduntur L. Papirius Crassus & C. Duilius, vt Capitolini Fasti, Cicero, Liuius, Cassiodorus testantur. Chronicon Alexandrinum Crassum nominat & Dulium, haud dubiè librarij vitio, pro Duilio. AVC. CDXVII. Olympiad. CXI. Anno III. vt Fasti Siculi habent. Ad Capitol. est primus annus assignatus. Andreas noster quartum ponit. Aelianum autem omninò falsum putamus, quando nec prima cum Dario ad Issum pugna, nec postrema ad Gaugamela mense Thargilione pugnata est, vt infra copiosè ex Alfragano & Christmanno demonstrabo.

REX DIV DARIVM PERSEQVENDO FATIGATVS) Diodorus: Ἀλέξανδρος δὲ μετὰ τῆς ἑταιρικῆς ἵππου καὶ τῶν ἄλλων ἀρίστων ἱππέων ἐποιεῖτο τὸν διωγμὸν σπεύδων ἐγκρατὴς γενέσθαι τοῦ Δαρείου, διανύσας δὲ σταδίους διακοσίους ἀνέκαμψεν εἰς τὴν παρεμβολὴν περὶ μέσας νύκτας. *Alexander cum prætoria turma & alijs delectis equitum persequutus Darium, omni ope operaque necquicquam nitebatur Darium ex fuga reprendere. Sed ducenta stadia progressus flexit iter media nocte in castra versus*. Ducenta stadia continent sex milliaria nostratia cum quadrante, ex quo intelligis quantoperè vrserit Darium Alexander, & cur tam sero ad suos redierit, in capto enim Dario belli finem sperabat. At ex Curtio posset doceri, non eousq; progressum esse Alexandrum, cum appetente nocte à persequendo Dario destitisse affirmet, nisi tam procul illum insecutus sit, vt sub confinium noctis correxerit iter, & summa demũ nocte in castra peruenerit.

CAPVT XIII.

ARGVMENTVM.

Alexander desperato capi posse Darium, reuersus in castra Darij conuiuium celebrat, Leonnatus mittitur ad solandas captiuas.

INuitari deinde amicos, quibus maximè assueuerat, iussit: quippe summa duntaxat cutis in femine perstricta, non prohibebat interesse conuiuio: cum repente è proximo tabernaculo lugubris clamor barbaro vlulatu planctuque permixtus, epulantes conterruit. Cohors quoque, quæ excubabat ad tabernaculum regis, veta-

rita, ne maioris motus principium esset, armare se cœperat. Causa subiti pauoris fuit, quod mater vxorque Darij cum captiuis nobilibus regem, quem interfectum esse credebant, ingenti gemitu, eiulatuque deflebant. Vnus namque de captiuis spadonibus, qui forte ante ipsarum tabernaculum steterat, amiculum, quod Darius (sicut paullò ante dictum est) ne cultu proderetur, abiecerat, in manibus eius, qui repertum ferebat, agnouit: ratusque interfecto detractum esse, falsum nuntium mortis eius attulerat. Hoc mulierum errore comperto, Alexander fortunæ Darij, & pietati earum illacrymasse fertur. Ac primo Mithrenem, qui Sardis tradiderat, peritum Persicæ linguæ, ire ad consolandas eas iusserat: veritus deinde ne proditor captiuarum iram doloremque renouaret, Leonnatum ex purpuratis suis misit, iussum indicare, falsò lamentari eas viuum. Ille cum paucis armigeris in tabernaculum, in quo captiuæ erant, peruenit, missumque se à rege nuntiare iubet. At ij, qui in vestibulo erant, vt armatos conspexêre, rati, actum esse de dominis, in tabernaculum currunt, vociferantes adesse supremam horam, missosque qui occiderent captas. Itaque vt quæ nec prohibere possent, nec admittere auderent, nullo responso dato, tacitè opperiebantur victoris arbitrium. Leonnatus, exspectato diu qui se introduceret, postquam nemo procedere audebat, relictis in vestibulo satellitibus, intrat in tabernaculum. ea ipsa res turbauerat fœminas, quod irrupisse, non admissus videbatur. Itaque mater & coniunx prouolutæ ad pedes orare cœperunt, vt prius quam interficerentur, Darij corpus ipsis patrio more sepelire permitteret: functas supremo in regem officio se impigrè morituras. Leonnatus & viuere Darium, & ipsas non incolumes modò sed etiam apparatu pristinæ fortunæ reginas fore. Tum demum Darij mater alleuari se passa est.

INVITARI DEINDE AMICOS) Plutarchus à reditu Alexandrum ait è vestigio arma posuisse, & sudorem balneo abluisse: εὐθὺς οὖν ἀποδυσάμενος τὰ ὅπλα, πρὸς τὸ λουτρὸν ἐβάδιζεν εἰπών, ἴωμεν ἀπολουσόμενοι τὸν ἀπὸ τῆς μάχης ἱδρῶτα τῷ τοῦ Δαρείου λουτρῷ. *Confestim ergo exutis armis ad balneum properans: Eamus, inquit, abluturi sudorem ex pugna manantem lauacro Darij.* Imò, subiecit familiaris, non iam Darij, sed tuo; victi enim omnia victori cedunt. Idem Diodorus, sed paullò plenius: οἱ δὲ τοῦ βασιλέως παῖδες καταλαβόμενοι τὴν τοῦ Δαρείου σκηνήν, ταχέως λουτρὰ καὶ δεῖπνα παρεσκευάζοντο, καὶ λαμπάδων πολλὴν πυρὰν ἅψαντες προσεδέχοντο τὸν Ἀλέξανδρον, ὅπως ἀπὸ τοῦ διωγμοῦ γενόμενος, καὶ καταλαβὼν ἑτοίμην πᾶσαν τὴν παρασκευὴν τοῦ Δαρείου, οἰωνίσηται τὴν ὅλην τῆς Ἀσίας ἡγεμονίας. *Ministri ergo Alexandri tabernaculum Darij & lauacra cœnasque apparabant, crebrisque lampadum ignibus, ingentique pyra excitatis expectabant Alexandrum, vt à persequendo Dario reuersus, veniret in plenam rerum omnium Darij, velut Asiæ regni occupandi augurium, possessionem.* Addit his Plutarchus Alexandrum rerum omnium apparatum contemplantem, & vnguenta, odores, tabernaculi magnificentiam & fastigium, lectorum laxitatem, mensarum & cœnæ nitorem admirantem dixisse: τοῦτο ἦν ὡς ἔοικεν βασιλεύειν. *Hoc nimirum, vt videtur, est regnare.*

AMICOS QVIBVS ASSVEVERAT) Hephæstionem nempe, Perdiceam, Parmenionem, Craterum, & his plures qui tot agmina & cornua duxerant.

SVMMA CVTIS) De hoc vulnere iam supra dictum, non altum fuisse, quamuis nonnulli femur traiectum scripserint.

BARBARO VLVLATV) Macedonibus Græcis & politis inauditus. Persæ autem, vt aliæ omnes gentes, Græcis Barbari, & ipsi Macedones Atheniensibus, de quibus copiosè disputatum à nobis ad primum epigramma Martialis, *Barbara pyramidum*.

CONTERRVIT) ratos, hostes alicubi collectos in castra irrupisse.

COHORS QVAE EXCVBABAT) De his excubationibus regijs infra lib. 8. ipse Curtius copiosè tractat, cum Hermolai insidias aperit.

DE CAPTIVIS SPADONIBVS) Captiuus erat, vt alii Persæ & Eunuchi cum gynæceo capti in occupatis castris.

AMICVLVM) supra cap. 21. insignibus imperij indecorè abiectis, ad quem locum plura dicta.

FALSVM NVNCIVM MORTIS ATTVLERAT) Certum esse Darium non solum interfectum, sed etiam veste & insignibus regiis spoliatum, vidisse se in Macedonis manibus vestem Dario detractam. Ita apud Liuium Horatia Curiatij sponsi, viso in fratris victoris humero paludamento sponsi, quod ipsa confecerat, mortuumque cognouit, soluitque crines, & flebiliter nomine sponsum mortuum appellauit.

ALEXAN-

ALEXANDER FORTVNAE DARII ET PIETATI EARVM ILLACRIMASSE FERTVR) Idem Plutarchus, idem Diodorus, idem Arrianus. Nec Alexandri æmulus Cæsar hoc lacrymarum officium in fortuna Pompeij M. prætermisit. *Vt eum*, inquit Val. Max. *id* (Pompeij caput) *aspexit, oblitus hostis, soceri vultum induit, ac Pompeio tum proprias, tum etiam filiæ suæ lacrymas reddidit: caput autem preciosissimis odoribus cremandum curauit.* Verè M. Tullius: *Hoc iam ferè sic fieri solere accepimus, vt regum afflicta fortunæ facilè multorum opes alliciant ad misericordiam, maximéque eorum, qui aut reges sunt, aut viuunt in regno, quod regale ijs nomen magnum & sanctum esse videatur.*

MITHRENSEM QVI SARDIS TRADIDERAT) Hoc Curtius lib. 2. desiderato nobis exposuerat. Arrianus tibicinem columnæ loco subijciat: αὐτὸς δὲ Σάρδεων προὐχώρει καὶ ἀπέχοντι αὐτῷ ὅσον ἑβδομήκοντα σταδίους Σάρδεων, ἧκον παρ' αὐτὸν Μιθρήνης ὁ φρούραρχος τῆς ἀκροπόλεως τῆς ἐν Σάρδεσι, καὶ Σαρδιανῶν οἱ δυνατώτατοι ἐνδιδόντες οἱ μὲν τὴν πόλιν ὁ δὲ Μιθρήνης τὴν ἄκραν καὶ τὰ χρήματα. *Ipse Sardes versus monit, cumque ab oppido LXX. fermè stadijs abesset, obuium habuit Mithrenem præsidij, quod in arce erat, præfectum, primoribus Sardianorum comitatum: atque hi quidem oppidum, Mithrenes autem arcem & pecuniam deduut.* Idem breuius narrat Diodorus: *Sardes caput Lydiæ, cui Crœsus imperauit, nobili monte Tmolo & flumine* χρυσορόῳ *Pactolo.* Geographus: Αἱ δὲ Σάρδεις πόλις ἐστὶ μεγάλη νεωτέρα μὲν τῶν Τρωικῶν ἀρχαία δ' ὅμως ἄκραν εὐερκῆ ἔχουσα. βασίλειον δ' ὑπῆρξε τῶν Λυδῶν, οὓς ὁ ποιητὴς καλεῖ Μῄονας, οἱ δ' ὕστερον Μαίονας. *Sardes ciuitas ingens, recentior rebus Troianis, perantiqua tamen. arcem habet munitam, fuitque olim regia Lydorum, quos Homerus Meonas appellat, secuti Mæonas.*

PRODITOR) genus hominum, cœlo terrisque inuisum, gratum quidem hostibus, sed nunquam charum, quia nulli fidum; notum Augusti dictum in Rhymitaclem Thracum regem, qui ab Antonio ad illum defecerat: *proditionem*, inquit, *amo, proditorem nunquam laudo.* Imperator Seuerus proditores præmij loco occidit, cum opera eorum abusus esset. Si plura libet de hac peste hominum cognoscere, Phil. Camerarij horas subsecíuas adeas licet.

LEONNATVM) Ex Prætoribus vnum seu purpuratis, & custodibus simul corporis in paucis charum Alexandro, qui Alexandrum ita apud Mallos defendit, vt ipse vulneratus tantum non animam exhalaret, qui post mortem Alexandri Phrygiæ minori præfuit, & dum suppetiatum veniret Antipatro contra Athenienses, occiditur. Arrianus, Diodorus, Iustinus, alij. infra hic sæpius redibit. Landtherrn/ Stathalter/Bassæ/ Landtvögt/ Proreges, Præsides prouinciarum.

ARMIGERIS) armatis, sic enim ea vox latinè etiam vsurpatur. Propriè tamen armiger est is, qui fert in prælio tela domini sui, vt scutum, arcum, lanceam, & hoc genus alia. Dein armiger est miles grauis armaturæ apud Suetonium, Græcis ὁπλίτης. Hoc loco vtrumque intellectum videtur vox admittere, nam armatos exponit ipse Curtius: *At ij qui in vestibulo erant, vt armatos conspexére &c.* pro armigeris etiam seu stipatoribus & satellitibus idem accepit, cum mòx subiecit: *relictis in vestibulo satellitibus.* Et hoc est quod Vulcanius τοὺς ὁπλίτας sæpiùs vertat ex Arriano armigeros, agmen armigerorum, armatorum; vti nonnulli illud Propertianum explanant:

Et solitum armigeri ducite munus equi. Lib. 3. el. 4.

Armigerum appellauit equum phaleris & armis indutum, siue armatum. Etsi τὸ *armigeri* possit & ad strenuos milites referri, immò ad veros armigeros, qui donatos dominis suis equos ducebant, vt sit quintus casus, ô armigeri. Passeratium consule.

QVI IN VESTIBVLO ERANT) Habebant regum reginarúmque prætoria seu tabernacula, etiam militiæ suæ vestibula, in quibus officia aulica ad regum imperia excubabant. Plutarchus, alij.

ACTVM ESSE DE DOMINIS) Ministri reginarum viso Leonnato cum satellitio nuncium adferunt mortis, adesse armatos, extemplò moriendum. Semper mens timida deteriora ominatur. Obserua, *dominis* dici de fœminis, non *dominabus*, vti & Valla ex hoc loco notauit, qui simul monet dici *Deabus, filiabus, natabus, equabus, mulabus, libertabus*, non autem pari modo alia: nec enim dicitur *Diuabus, priuignabus, genitabus, asinabus, iuuencabus, ceruabus, lupabus, libertiuabus, patronabus, concubinabus, pedisequabus, seruabus, famulabus, animabus.* Scæuola tamen Iurisconsultorum antiquissimus reliquis *conseruabus* dixit. Seneca * *animabus* suis. Contra Columella & Plinius scripsere *equis*, non *equabus*. Et poëta Statius *natis*, non *natabus*. Sic & Ennius & Plautus dixere *filijs*, non *filiabus*. Dixerunt & desiti scriptores *dextrabus* pro *dextris*, & *eabus*, pro *eis* vel *ijs*.

c. 1. de nominib. in A. Pand. 33. de fundo instruendo. * decl. a. l. 2. Plin. l. 11. c. 41. col. l. 6. c. 36.

EA IPSA RES) Nihil est quod argutetur hic Acidalius, suauius ne ad aures accidat, *ea ipsa res*, an: *ea res ipsa*. hoc in scholis verum est, illud negligunt sæpè studio qui studiosissimi sunt elegantioris sermonis. Curtius infrà mutauit, quia perinde illi fuit. Omnia exemplaria meliora sic habent: *Ea ipsa res.*

QVOD

QVOD IRRVPISSE NON ADMISSVS VIDEBATVR) Intellectus hic est sublato commate, Leonatus videbatur iratus irrupisse, quod nō esset admissus, eaque res turbauit fęminas. Alter atrocior, cum interpunctione: fœminæ perculsæ paucbant, quod antequam esset admissus, irrupisset, vel quod nulla habita ratione admissionis vltro irrupisset. prior explicatio caussam habet, quod omnino non esset admissus; altera quod antequam esset admissus, irrupisset, vel quod non curasset admitti, sed vltro irrupisset. Acidalius, expuncto commate: *Erant turbatæ fæminæ, quod irrupisse videretur, quia non erat admissus.* Alius longè fit retento commate: *Pauor illis, quia non admissus, sed irrupisse videbatur.* Hic alienus, ille germanus.

CORPVS PATRIO MORE SEPELIRE PERMITTERET) En pietatem matris & Vxoris in Darium, plus de mortuo, vt putabant, quam de se viuis solicitarum. *Quæris quis ille patrius mos Persarum sepeliendi mortuos?* primum non immittebant cadauera cremanda rogo, sed humi condebant, Laert. proœmio. quod ignem inter Deos colerent, & indignum iudicarent humanis corporibus pascere Deum. Sic Diogenes Laertius ait Magos ἀνόσιον ἡγεῖσθαι πυρὶ θάπτειν, *impium existimasse quempiam igne sepelire.* Ctesias apud Photium. Ita inter argumenta Ctesiæ apud Photium περὶ τοῦ θάψαντος τὸν πατέρα διὰ τοῦ πυρὸς παρὰ τὸν νόμον. *de eo qui patrem rogo crematū sepeliuit contra leges.* Apud *Strabonem cognosco illos qui mortuū aliquid in ignem iniecissent, morte punitos. *lib. 15. τοὺς δὲ φυσήσαντας, ἢ νεκρὸν ἐπὶ πῦρ θέντας ἢ βόλβιτον, θανατοῦσι. *sufflantes, aut mortuum in ignem ponentes, aut cœnum morte puniunt.* Idem docet nec aurum mortuis additum, propter fulgorem igni similem. Et infra: θάπτουσι δὲ κηρῷ περιπλάσσοντες τὰ σώματα: *sepeliunt corpora cera oblita* l. 3. Cambyses ergo reprehensus quod Amasidis regis Aegypti corpus combusserit, vt Herodotus tradit. Fuere primum admodum parci in funeribus etiam regijs, vt ex Xenophonte potest ostendi. cum Cyrus præcepit filijs suis vt statim à morte corpus suum terræ mandarent, neque l. 8. Cyri. auro, neque argento includerēt. τὸ δ' ἐμὸν σῶμα ὦ παῖδες ὅταν τελευτήσω μήτε ἐν χρυσῷ θῆτε, μήτε ἐν ἀργύρῳ, μηδὲ ἄλλῳ μηδενί, ἀλλὰ τῇ γῇ ὡς τάχιστα ἀπόδοτε. Ipse tamen Cyrus Abradatæ Pantheæ marito plane l. 7. παιδ. regium & magnificum tumulum erexit, & ad illius tumulum integros greges boum, equorum, aliorumque pecudum immolari iussit. Abradatæ autem & vxoris quæ se super corpus illius iugulauit, triumque eunuchorum columnæ memorantur, quibus nomina eorum inscripta leguntur, quę haud dubiè in posteritatem deducta sunt. Apponerem ipsa verba Xenophontis, nisi totam paginam implerent, proinde lector studiosus ipse pro suo commodo cognoscet. Humata etiam infra mox Curtius docet. vt proinde non immerito miretur Brissonius, quid sit quamobrem apud Iustinum legatur Carthaginienses iussu Darij cremasse corpora. An Iustinus scripserat? *mortuorumque corpora terra obruere potius quam cremare iubebantur.* A nullo enim memini traditum apud Carthaginienses cadauera terra fuisse condita. sic certè aut voluit, aut debuit. Nec de cera dubium, Herodotus præter Strabonem supra laudatum id affirmat: κατακηρώσαντες δὴ τὸν νέκυν Πέρσαι γῇ κρύπτουσι. Cicero 1. Tuscul. lib. 1. *Persæ iam cera circumlitos condiunt: vt quam maximè permaneant diuturna corpora.*

Atque hæc de communi Persarum, simulque nobilium, Principum ac regum sepultura. Longè diuersa ratio fuit Magorum apud Persas sepeliendorum, quam reliquorum: canes, aues, feræ erant 1. Tuscul. Magorum sepulchra ossium tenus, quæ demum nuda & corrosa condebant humi. Cicero: *Magorum* lib. 1. *mos erat non humare corpora, nisi à feris essent ante laniata.* Herodotus: οὐ πρότερον θάπτεται ἀνδρὸς Πέρσεω ὁ νέκυς, πρὶν ἂν ὑπ' ὄρνιθος ἢ κυνὸς ἑλκυσθῇ. μάγους μὲν γὰρ ἀτρεκέως οἶδα ταῦτα ποιεῦντας. ἐμφανέως γὰρ δὴ ποιεῦσι. Dubitat Herodotus an etiam populo hæc sepultura sit, an tantum Magorum: *Viri,* inquit, *Persæ cadauer non prius humatur, quam aut ab aue, aut cane laniatum sit. Magis quidem hæc certò scio, palam enim hoc faciunt.* Strabo etiam de Magis eam sepulturam non inuidet: τοὺς δὲ μάγους οὐ l. 15. θάπτουσιν, ἀλλ' οἰωνοβρώτους ἐῶσι, *Magos non sepeliunt, sed auibus deuorandos obijciunt. digna illo genere ho-* lib. 41. *minum sepultura.* Idem de Parthis generatim tradit Iustinus: *sepultura vulgo aut auium aut canum laniatus est. Nuda demum ossa terra obruunt.* Persæ demum idem omnes postea factitasse videntur, vt ex lib. 1. de bello Persico. Procopio Brissonius planum facit, quem consules.

LEONNATVS ET VIVERE DAR. ET IPSAS NON INCOLVMES MODO) Timor semper vltima minatur, quare & timidi etiam ad tubam trepidant. cædem & supplicia expectabat regium gynæceum, & ecce θεὸς ἀπὸ μηχανῆς ἐπιφανείς, Deus ex improuiso apparens depositis salutem nuntiauit. Deum certè in hoc quidem clementiæ genere imitatus Alexander. Leonnatus exposito statu Darij, & errore fæminarum correcto, cum omnia Alexandri officia in eas prolixè promisisset, adiecit, vt ait Arrianus, Alexandro nullas inimicitias aduersus Darium susceptas, sed omne certamen cum Dario de imperio Asiæ esse, & hoc ferro cernendum esse, non sibi cum fæminis prælium, sed cum viris bellum esse. Illas in pristina fortuna reginas fore.

TVM DEMVM) ὥς ἄρα οἱ εἰπόντι ἐπέπτατο δεξιὸς ὄρνις. *sic fato fœlix à dextris aduolat ales.* affusa frigida Sysigambi, cum ceruam pro virgine vidit. tum spe ostensa leuari è terra se passa, vltima passutam rata.

CAPVT

CAPVT XXIV.

ARGVMENTVM.

Alexander visit ad captiuas, colloquitur cum Sisygambe Darij matre, quæ optimè precatur hosti ob clementiam. qui regiam omnium fortunam conseruat, pudorem singularum singulari cura tuetur, laudatur ab Curtio Alexander ob continentiam, quam omnibus eius operibus meritò anteponit.



Lexander postero die, cùm cura sepultis militibus, quorum corpora inuenerat: Persarum quoque nobilissimis eundem honorem haberi iubet: matrique Darij permitti quos vellet, patrio more sepeliret. Illa paucos arcta propinquitate coniunctos pro habitu præsentis fortunæ humari iussit, apparatum funerum, quo Persæ suprema officia celebrarent, inuidiosum fore existimans, cum victores haud pretiosè cremarentur. Iamq́; iustis defunctorum corporibus solutis, præmittit ad captiuas, qui nuntiaret ipsum venire, inhibitaq́; comitantium turba tabernaculum cum Hephæstione intrat. Is longè omnium amicorum charissimus erat regi, cum ipso pariter educatus, secretorum omnium arbiter: libertatis quoque in admonendo eo non alius ius habebat. quod tamen ita vsurpabat, vt magis à rege permissum, quàm vindicatum ob eo videretur. & sicut ætate par erat regi, ita corporis habitu præstabat. Ergo reginæ illum regem esse ratæ, suo more veneratæ sūt. Inde ex captiuis spadonibus, quis Alexander esset monstrantibus, Sisygambis aduoluta est pedibus eius, ignorationem nunquam antea visi regis excusans, quam manu alleuans rex, Non errasti, inquit, mater: nam & hic Alexander est. Equidem hac continentia animi si ad vltimum vitæ diem perseuerare potuisset, feliciorem fuisse crederem, quàm visus est esse, cum Liberi patris imitaretur triumphum, vsque ab Hellesponto ad Oceanum omnes gentes victoria emensus: si vicisset profectò, superbiam atque iram, mala inuicta: si abstinuisset inter epulas cædibus amicorum egregiosque bello viros, & tot gentium secum domitores indicta causa veritus esset occidere. Sed nondum fortuna se animo eius superfuderat. itaque orientem eam moderatè & prudenter tulit, ad vltimum magnitudinem eius non cepit: tum quidem ita se gessit, vt omnes ante eum reges & continentia & clementia vinceret. Virgines, reginas excellentis formæ tam sanctè habuit, quam si eodem, quo ipse parente genitæ forent. coniugem eiusdem, quam nulla ætatis suæ pulchritudine corporis vicit, adeò ipse non violauit, vt summam adhibuerit curam, ne quis captiuo corpori illuderet. Omnem cultum reddi fœminis iussit, nec quicquam ex pristinæ fortunæ magnificentia captiuis, præter fiduciam defuit. Itaque Sysigambis, Rex, inquit, mereris vt ea precemur tibi, quæ Dario nostro quondam precatæ sumus: & (vt video) dignus es, qui tantum regem non felicitate solum, sed etiam æquitate superaueris. tu quidem matrem me & reginam vocas: sed ego me tuam famulam esse confiteor, & præteritæ fortunæ fastigium capio, & præsentis iugum pati possum. Tua interest, quantum in nos licuerit, si id potiùs clementia quàm sæuitia vis esse testatum. Rex bonum animum eas habere iussit. Darij deinde filium collo suo admouit. atque nihil ille conspectu tum primùm à se visi conterritus, ceruicem eius manibus amplectitur. Motus ergò rex constantia pueri, Hephæstionem intuens, Quàm vellem, inquit, Darius aliquid ex hac indole hausisset.

MATRIQVE DARII) Hoc illud est opus Alexandri πολυθρύλλητον, omnibus aliis factis illius

tanto

tanto longius anteponendum, quanto illustrior est omnibus victorijs victoria suijpsius. Aliàs enim alios vicit inuictus semper Alexander, hic ipse, scipso fortior, seipsum vicit. Iuberem macte virtute esse, si ista virtus pro nomine Christiano stetisset, & vt Gregorius ille Pontifex Opt. Max. (etsi hodiè alij alia de hoc) pro Traiano Opt. Max. Imperatore numen precatus dicitur, vt post tot sæcula pace donaretur, ita ego pro Alexandro vouerem, nisi impietatis crimen hac pietate vererer admittere. Hoc enim ego solum & vnum & opere maximo vnicè demiror & adoro, solumque dignum arbitror, ob quod Graij omnes omnesque gentes ora obuertant sua, & Orpheus cum Apolline Musisque omnibus desudet. Tertium & vigesimum agebat annum, in flore & ardore virentis æui, formidabat neminem, ab omnibus formidatus, aut amatus. licebat illi quidquid libebat, in potestate habebat reginas Asiæ totius, & totius Orientis dominas, tanta oris venustate, omnes vti Nympharum omnium formas extinguerent, & his comparata Helena turpis, turpis ipsa Venus, ipso Paride iudice videri potuerint; ab his oculorum illecebris non modo oculos & vim à corporibus abstinuit, sed nec verbum fieri patiebatur, cum ipse illas oculorum tormenta appellasset. Quid Iobi, Antonij, Hilariones, Macarij, totaque AEgypti deserta silentia & solitudines aliud fecissent? seruauit castas, intactas, sanctas, vsque dum diem fungeretur. Virginem in partem tori adsciuit, legitimam vxorem maritus; alteram alteri Alexandro Hephæstioni despondit. An apud Darium tam religiosè sanctèque fuissent eductæ? Plutarchum in contemplatione huius virtutis & continentiæ Alexandri attonitum lege. Philippus Pater Alexandri apud Lucianum hoc vnum ex omnibus filij factis commendat: *Vnum est quod solum laudo abs te gestum, quod à Darij vxore forma præstante abstinueris, & genitricis illius atque filiarum curam susceperis. Regiè enim planè fecisti.* Et Diodorus cum Alexandri clementiam & pietatem in Sisyngambim (sic enim apud hunc scriptum) matrem, vxorem & liberos exposuisset, & lacrymas prægaudio regenis expressas memorasset, addit hoc epiphonema: *Ego quidem ex omnibus rebus, quas maximas & pulcherrimas gessit Alexander, nullam hac magis æstimandam, & historia monumentis digniorem indico. Expugnatæ enim vrbes, conflictus, & alia quæ illi prospera euenerunt, fortunæ potius quàm virtuti eius imputanda videntur. Quod autem in tam potenti fortuna & licentia misericordiam miseris impartitus sit, solius prudentiæ eius munus fuit. Alexander igitur qui sæculis non paucis ante nos vixit, iustissimam & meritissimam à posteritate commendationem consequatur.* Hæc Diodorus. Quin ergo mirari desinimus mortem Alexandri à Sisygambe familiarius latam, quàm ipsius Darij, cum Alexandro superesse recusauit, mortuo Dario viuere non dubitauit. Lib. 6. ca. 8. A. Gellius: *victi hostis vxorem facie inclyta, vetuit in conspectum deduci, vt eam ne oculis quidem suis contingeret.* quæ ex Appione sunt. Est ibid elegans comparatio Alexandri cum Scipione Africano, quem Valerius Antias negauit (ex Næuio) fuisse castum, & contraria alijs de eod. scripsit. Sed Lector adeat Agellij caput elegans, totum in hac re consumptum.

Alexander cum in bello cæsis inferias soluisset, idemque Sisygambi vt Persis faceret, permisisset, collocutus cum matre Darij, omnia illi clementiæ, liberalitatis & continentiæ officia præstiturum se recepit, præstititque amplius quam promiserat, cum illam matris, vxorem sororis, Ochum & Virgines liberorum loco haberet. Comparat dein præsentem Alexandri virtutem cum extremorum annorum vitijs. Sisygambis precatur Alexandro omnia secunda, illumque Dario præfert. Alexander Ochum sexennem complectitur, eiusque indolem miratur Dario generosiorem.

CVM CVRA SEPVLTIS MILITIBVS) Honor in bello cadentibus habitus acuit etiam viuorum industriam ad fortiter pugnandum, & vel vincendum, vel impigrè moriendum cum vsus venit. Proinde etiam AEneas post venerationem numinis primam curam impendit sepeliendis commilitonibus:

11. Aene. *--- quamquam & socijs dare tempus humandis*
Præcipiant curæ, turbataque funere mens est
Intereà socios, inhumatos corpora terræ
Mandemus: qui solus honos Acheronte sub imo est.
Ite, ait, egregias animas, quæ sanguine nobis
Hanc patriam peperere suo, decorate supremis
Muneribus ----

Alexander vero ad Granicum XXV. equitibus primo conflictu occumbentibus statuas ex ære posuit in templo Iouis à Lysippo factis, reliquos equites LX. pedites triginta cum armis & singulari honore condi præcepit, parentibus eorum ac liberis in sua cuique regione vectigalium immunitatem concessit, omniaque quæ aut corpore præstantur officia, aut ex facultatibus penduntur vectigalia, remisit. Non videtur locus ac tempus concessisse, vt idem omnibus fieret ad Issum, sequitur enim Macedonum funera non pretiosè fuisse cremata. Arrianus tamen μεγαλοπρεπῶς sepulta affirmat. Et Diodorus magnificentissimis hostijs Dijs ait litatum.

PRO HABITV PRAESENTIS FORTVNAE) Vt ille exul suo libro:

Infelix

Infelix habitum temporis huius habe. Ouid. 1. Trist.

ARCTA PROPINQVITATE) an duces qui ceciderant, & cognatos Antixies, Arrheomithes, Thasiaces & alij? humari iussit more Persarum, non cremari more Macedonum. De hoc more paullò antè disputatum. Ergo pro statu & conditione præsentis fortunæ, captiuarum nempè, non magnificè & ambitiosè, nec cera oblitos, nec cippis cultos, nec pecudum gregibus ad tumulum immolatis, sed humi duntaxat condidit, lacrymisque irrorauit.

IPSVM VENIRE) Ita frequenter Curtius pro *se*. lib. 10. *Illi tentari ipsos rati.* tentari se, dixissent alij, more Græcorum αὐτὸν pro ἑ, vel ἑαυτὸν, vel αὐτόν. sæpè inter legendum animaduertes ἰδιοπαθῆ seu reciproca cum alijs pronominibus apud auctores permutari, vt *se* pro *ipsum* vel *ipsos*, *eos*, *illos*, & ipsos ipsumve se collocent. Cic. *Canum fida custodia, quid aliud significat, quam se natos esse ad hominum tutelam.* *se* dixit pro *eos*, vel *ipsos*, vel *illos*. Scripsit περὶ ἰδιοπαθείας seu reciprucatione, eruditum libellum post Priscianum L. Valla, quem in hac reconsules. 2. de nat. Deor.

INHIBITA TVRBA) Iussa in vestibulo, vel etiam ante vestibulum præstolari turba aulica, quæ regi velà custodiæ, vel officijs est.

HEPHAESTIONE) Hic est ille Hephæstio alter Alexander, tam charus nempe illi, ac ipse sibi erat, in regia cum rege puero puer versatus, educatus, ad omnia summa, infima, aperta & arcana consilia adhibitus, amicus certissimus, antiquissimus, censor, laudator, castigator omnium Alexandri dictorum factorumque,

Qui duo corporibus, mentibus vnus erant.

oris dignitate & corporis statura etiam Alexandro maior, εἶδος γὰρ εἶχεν ἀξίωμα τυραννίδος. Vnde decepta Sisygambis illum Alexandrum rata, præ illo adorauit, quem errorem monita per ignorantiam excusauit.

OMNIVM AMICORVM CHARISSIMVS) Testantur hoc plurima minimè paucorum scriptorum monumenta. Lucianus suprà quam decuit amatum ait: καὶ Ἡφαιστίωνα ὑπεραγαπῶν. quem amorem potissimum in morbo declarauit, de quo suo loco infrà. Sed prorsus huc facit quod Valer. Maximus de amicitia scripsit. *Quod ita esse, inquit, rex Alexander sensit. Darij castris, in quibus omnes necessarij, potitus, Hephæstione gratissimo sibi latus suum tegente, ad eos alloquendos venit. Cuius aduentu mater Darij recreata, humi prostratum caput erexit, Hephæstionemque, qui ei statura & forma præstabat, more Persarum adulata, tanquam Alexandrum salutauit. Admonita deindè errorω, per summam trepidationem excusationis verba quærebat. Cui Alexander. Nihil est, inquit, quod hoc nomine confundaris, nam & hic Alexander est. Vtri prius gratulemur? qui hoc dicere voluit, an cui audire contigit? Maximi enim animi rex, etiam totum terrarum orbem aut victoriis, aut spe complexus, tam paucis verbis se cum comite suo partitus est. O donum inclytæ vocis, danti pariter atque accipienti speciosum.* Haud ignorauit Hephæstion hunc erga se animum Alexandri, nam cum Alexander Achillis monumentum coronauit, vicissim coronauit Hephæstion Patrocli, testatus se ita charum esse Alexandro, ac olim fuisset Patroclus Achilli, sic enim Aelianus: ὅτι Ἀλέξανδρος τὸν Ἀχιλλέως τάφον ἐστεφάνωσε, καὶ Ἡφαιστίων τὸν τοῦ Πατρόκλου, αἰνιττόμενος ὅτι καὶ αὐτὸς ἐρώμενος τοῦ Ἀλεξάνδρου, ὥσπερ Ἀχιλλέως ὁ Πάτροκλος. Audebat idem & literas ab Olympiade filio missas cum Alexandro legere, quando detractum sibi Alexander annulum admouit Hephæstionis ori, vt silentio premeret quæ cognouisset. Præterea Diodorum, Cælium, & alios notiores. Huic nupta est Drypetis, altera Darij filia. Dial. infer. Lib. 10. Lib. 4. c. 7. Li. 12. Var. c. 7. Plut. de fort. Alex. l. 1.

MATER) sic illam appellauit semper, & verò locò matris habuit, nec ante assedit, quam ab illa iuberetur, quando ad illam visebat. quæ summa fuit Alexandri modestia, clementia & elegantia.

EQVIDEM HAC CONTINENTIA) Elogium sequitur & Epiphonema, comparatioque primæ fortunæ cum vltima. Equidem, inquit Curtius, (vt hunc παραφραστικῶς exponam) non dubitarem affirmare Alexandrum feliciorem fuisse futurum, si hanc virtutem continentiæ ad vltimam vitæ metam perseuerasset, atque sibi tum visus est, cum Bacchum imitatus de India & omnibus gentibus, ab vsque extremo Oceano in quo expeditionis terminos & metam fixit, ad Hellespontum, à quo velut ex carceribus in Asiam erupit. profectò se vicisset, si vicisset superbiam, quæ cœlitum honores affectauit, & indomitam iram, per quam viros optimos & olim amicissimos interfecit. Sed enim ex Aristotelis modò disciplina egressus, primum annum philosophum egit, sed paullatim efferatus, philosophiam dedidicit, & cruentum Martem induit. Cæterum hunc locum Acidalius emaculare, aliterque interpungere conatur: *Equidem hac continentia animi, si ad vltimum vitæ perseuerare potuisset, feliciorem fuisse crederem, quam visus est esse, cum Liberi patris imitaretur triumphum. Vsque ab Hellesponto ad Oceanum omnes gentes victoria emensus, se vicisset profectò, si superbiam atque iram inuicta mala; si abstinuisset inter epulas &c.* Mihi secus videtur locus interpungendus & castigandus: hc legerim potius: *Equidem hac continentia animi si ad vltimum vitæ perse-*

uerare potuisset, feliciorem (futurum) *fuisse crederem, quam visus est esse, cum Liberi patris imitaretur triumphum, vsque ab Hellesponto ad Oceanum omnes gentes victoria emensus.* (se) *vicisset profectò, si superbiam atque iram mala inuicta* (vicisset;) *si abstinuisset inter epulas &c.* Lector arbiter esto. Verba Curtij edenda existimaui, vt primum lecta sunt. coniecturam in commentarijs licèt aperire.

Liberi patris trivmphvm) De hoc infrà lib. 8. & extremo nono: *Igitur*, inquit, *vt suprà dictum est, æmulatus patris Liberi non gloriam solum,* & quæ ibidem sequuntur, vbi super hoc triumpho plura.

Ab hellesponto ad oceanvm) Hæ sunt metæ expeditionis Alexandri, Hellespontus & Oceanus. Hellespontus initium, Oceanus finis. Oceanum Indicum accipe versus Orientem. Ita Hercules in Oceano Atlantico ad occidentem columnas posuit, & *plus vltra* Carolus V. M. de quibus prolixè infrà.

Caedibvs amicorvm) Clitum nutricis suæ filium pòst conuiuium egredientem ipsemet occidit. Parmenionem & Callisthenem indicta caussa interfici præcepit. Dio Chrysostomus addit illum decresse & Aristobulum de medio tollere, & Antipatrum Macedoniæ proregem. De his suo infrà loco plenius cognosces.

Fortvna svperfvderat) Optimus fuit Alexander nondum secundis rebus mersus, quarum nemo intolerantior fuit, vt Liuius testatur. Orientem tamen fortunam & primò sibi parentem modestè accepit, moderateque aliquamdiu eadem vsus, donec oblitus est se hominem esse.

Omnes ante evm reges) *vincerentur* verius legerim cum Acidalio; quod alioquì dixisset *ante se*, vel *ipsum*, non *ante eum*. Omnes retrò reges dixerunt sequioris sæculi scriptores, quos olim & nos secuti sumus; sed obseruauimus consultos legum latinarum & Eloquentiæ dictatores refugisse hunc loquendi modum, dixisse *multis ante*, non *multis retro annis*, vel *nullis ante sæculis*, non *nullis retro sæculis*. Verè hoc Curtius, imò omnes addere poterant, omnes etiam post eum reges; si paganos intelligas, nam certè Imperatores Christianos habemus tam sanctos, vt non solum captiuis pepercerint, sed à suis etiam coniugibus abstinuerint. Quis nescit ab Henrico & Kunegunde, Marciano & Pulcheria imperatoribus & Augustis virgineum decus nunquam violatum. Laudat (vt hoc superioribus addam) & Plinius Alexandri continentiam, propter Campespem Apelli donatam: Namque, inquit, cum dilectam sibi ex pellecis suis præcipuè nomine Campespem nudam pingi ob admirationem formæ ab Apelle iussisset, eumque tum pari captum amore sensisset, dono eam dedit. Magnus animo, maior imperio sui, nec minor hoc facto quàm victoria aliqua. Quippè se vicit, nec torum tantum suum, sed etiam affectum donauit artifici, ne dilectæ quidem respectu motus, vt quæ modò regis fuisset, modò pictoris esset.

Ne qvis captivo corpori illvderet) Ludere Latinis est etiam in obscænis. Illudere hic, vim inferre valet, quam ab reginis defendit Alexander, qui non solum ipse intactas custodiuit, sed nec ab alijs tangi lædique permisit.

Cvltvm) corporis, mundum muliebrem.

Praeter fidvciam (confidentiam, audaciam, quam habuerant apud Darium, qua audebant monere regem, & errantem corrigere, præsertim mater. sed non est eadem facultas in dominum alienum, quamuis mitem. Et nesciebant quamdiu hæc Alexandri clementia esset duratura, nihil est inconstantius fortuna, quæ solum constans in leuitate sua est.

AEqvitate svperavieris) Darius Macedonas crudeliter vel mactauit vel mutilauit, & hoc ante prælium. Alexander totum ipsius gynæcæum sacrosanctum seruauit. Darius percussorem mille talentis in Alexandrum immittere conabatur, cum æger Tarsi decumberet, hoc nunquam fecit Alexander, qui aperta semper virtute & Marte grassabatur ad gloriam; prætereà vt ex epistola Alexandri ad Darium infrà disces, parens Alexandri Persarum impulsu, vt ipsi gloriabantur, interfectus est, Græci solicitati vt Alexandro bellum inferrent, socios ab Alexandro abalienarent. æquior ergo Alexander Dario. Intulit Dario bellum Alexander, sed maiores etiam suos & vniuersam Græciam à priore Dario & Xerxe populatam vltum iuit. Repelli ergo à se bellum, non inferri dixit.

Qvae Dario precatae svmvs) felicitatem & victoriam cum triumpho.

Praeteritae fort. fastig. capio) Nec secundis antea rebus elata, nec aduersis nunc abiecta, præsertim tam clementem dominum experta.

Tva interest) ad sempiternam gloriæ tuæ amplificationem, laudisque immortali commendationem pertinet, si quantum in nos tibi licuerit, velis non hostiliter per vim ostendere, sed venia, pace & gratia indulgentiaque testatum relinquere.

Bonvm animvm habere ivssit) Alexander; haberent modo bonum animum, & spem optimam conciperent, se facturum quod regem optimè moratum par esset facere.

Darii

DARII FILIVM) Ochum sexennem vt auctores tradunt, solus Galterus septennem facit,

Septennem puerum in natum sibi mitis adoptat. Lib 3.

Diodorus signatè sexennem affirmat: τὸν παῖδα δὲ θρέψειν, ὡς ἴδιον, καὶ βασιλικῆς τιμῆς ἀξιώσειν. προσκαλεσάμενος δ' αὐτὸν καὶ φιλήσας, ὡς εἶδεν ἀδεῶς βλέψαντα, καὶ μηδὲν ὅλως καταπλαγέντα πρὸς τοὺς περὶ τὸν Ἡφαιστίωνα εἶπεν, ὅτι ὁ παῖς ὢν ἓξ ἐτῶν καὶ τὴν ἀρετὴν ὑπὲρ τὴν ἡλικίαν προφαίνων πολλῷ βελτίων ἐστὶ τοῦ πατρός. Hæc Diodori verba mirificè & quasi παραφραστικῶς explanant Curtium: *puerum autem* (promisit) *se vt suum filium regiè educturum, quem vocatum exosculatus, vt vidit intrepidè se intuentem, nihilq. perculsum, ad Hephæstionem, puerum sex annorum virtute ætatem videri superare, multò suo parente generosiorem.*

EX HAC INDOLE HAVSISSET) generosioris aliquid spiritus, qui in Ocho puero elucebat, & fugitiuo deerat Dario.

CAPVT XXV.

ARGVMENTVM.

Alexander aris pugnæ monumento (nam tropæa Macedones non fixère) positis, Syriam petit, Parmenio Damascum proditione cum thesauro regio & gynæceis capit, proditoris cæsi caput ad Darium fertur.



Vnc tabernaculo egressus, tribus aris in ripa Pinari amnis Ioui, atque Herculi, Mineruaq. sacratis, Syriam petit, Damascum, vbi regis gaza erat, Parmenione præmisso. Atque is, cum præcessisse Darij Satrapam comperisset, veritus ne paucitas suorum sperneretur: accersere maiorem manum statuit. sed fortè in exploratores ab eo præmissos incidit natione Mardus, qui ad Parmenionem perductus, literas ad Alexandrum à præfecto Damasci missas tradit ei. nec dubitare eum, quin omnem regiã suppellectilem, cum pecunia traderet. Parmenio asseruari eo iusso, literas aperit, in quis erat scriptum, vt maturè Alexãder aliquem ex ducibus suis mitteret cum manu exigua. Itaq. Mardum datis comitibus ad proditorẽ remittit. Ille è manibus custodientiũ lapsus, Damascum antè lucem intrat. Turbauerat ea res Parmenionis animum insidias timentis, & ignotum iter sine duce non audebat ingredi: felicitati tamen regis sui confisus, agrestes, qui duces itineris essent, excipi iussit. quibus celeriter repertis, quarto die ad vrbem peruenit, iam metuente præfecto, ne sibi fides habita non esset. Igitur quasi parum munimentis oppidi fidens, antè solis ortum pecuniam regiam (gazam Persæ vocant) cum pretiosissimis rerum efferri iubet, fugam simulans, reuera vt prædam hosti offerret. Multa millia virorum, fæminarumq. excedentem oppido sequebantur, omnibus miserabilis turba, præter eum, cuius fidei commissa erat. quippe quò maior proditionis merces foret, obijcere hosti parabat gratiorem omni pecunia prædam, nobiles viros, prætorum Darij coniuges, liberosque, præter hos Græcarum vrbium legatos, quos Darius velut in arce tutissima, in proditoris reliquerat manibus. Gangabas Persæ vocant humeris onera portantes. Ii cum frigus tolerare non possent: (quippè & procella subitò niuem effuderat, & humus rigebat gelu:) tũ astrictas vestes, quas cum pecunia portabant, auro & purpura insignes induunt, nullo prohibere auso, cum fortuna regis etiam humillimis in ipsum licentiam faceret. Præbuere ergo Parmenioni non spernendi agminis speciem: qui intentiore cura suos quasi ad iustum prœliũ paucis adhortatus, equis calcaria iubet subdere, & acri impetu in hostem euehi. At illi qui sub oneribus erant, omissis per metum capessunt fugam. Armati quoque, qui eos prosequebantur, eodem metu arma iactare, ac nota diuerticula petere cœperunt. Præfectus quasi &

ipse conterritus & simulans, cuncta pauore compleuerat. Iacebant totis campis opes regiæ. Illa pecunia stipendio ingenti militum praparata. Ille cultus tot nobilium virorum, tot illustrium fœminarum, aurea vasa, aurei freni, tabernacula regali magnificentia ornata. vehicula quoque à suis destituta gentis opulentia plena, facies etiam pradantibus tristis, si qua res auaritiam moraretur: quippe tot annorum incredibili, & fidem excedente fortuna cumulata, tunc alia stirpibus dilacerata, alia in cœnum demersa eruebantur: non sufficiebant pradantium manus prada. iamque etiam ad eos, qui primi fugerant, ventum erat. fœminæ pleraque paruos trahentes liberos ibant: inter quas fuere tres virgines, Ochi, qui ante Darium regnauerat, filia, olim quidem ex fastigio paterno, rerum mutatione detracta, sed tum sortem earum crudelius aggrauante fortuna. in eodem grege vxor quoque eiusdem Ochi fuit, Oxathrisque (frater hic erat Darij) filia, & coniunx Artabazi principis purpuratorum: & filius, cui Ilioneo fuit nomen. Pharnabazi quoque, cui summum imperium maritima ora rex dederat, vxor cum filio excepta est. Mentoris filia tres, ac nobilissimi ducis Memnonis coniunx, & filius. vixque vlla domus purpurati fuit tanta cladis expers. Lacedamonij quoque & Athenienses, societatis fide violata, Persas secuti, Aristogiton & Dropides, & Iphicrates, inter Athenienses genere famaque longè clarissimi. Lacedamonij Pasippus & Onomastorides cum Omaio, & Callicratide. hi quoque domi nobiles. Summa pecunia signata fuit talentorum duo millia & sexcenta: facti argenti pondus quingenta aquabat. Praterea XXX. millia hominum cum septem millibus iumentorum dorso onera portantium capta sunt. Cæterùm dij tanta fortuna proditorem celeriter cum debita pœna persecuti sunt. namque vnus è consciis eius, credo, regis vicem etiam in illa sorte reueritus, interfecti proditoris caput ad Darium tulit, opportunum solatium prodito. quippe & vltus inimicum erat, & nondum in omnium animis memoriam maiestatis sua exoleuisse cernebat.

Ep. 4. l. 15. Lib. 14. TRIBVS ARIS IOVI, HERCVLI, MINERVAEQVE) Has aras laudat Cicero ad M. Catonem: *Hic rebus gestis castra in radicibus Amani habuimus apud Aras Alexandri.* Strabo etiam Alexandriam ibidem conditam ponit. Ioui autem vt principi Deorum, & Diuûm hominumque patri O.M. vt veteres appellabant, & quod maximè faueret & fauisset Græcis etiam bello Troiano.

Ouid. *Iupiter in Troiam, pro Troia stabat Apollo.*

Eodemque nomine Mineruæ, quàm præcipuè colebant.

Ouid. *Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.*

In Alexandro. Herculi autem, quod Alexander ex Heraclidarum stirpe se prosatum sciret, vti de illo Plutarchus, Arrianus lib. 2. & Curtius infrà lib 4. testantur. De Pinaro amne supra dictum, vbi alii legunt *Pindo*, alii *Pyramo*. sed Pinarus audiit.

Lib. 11. DAMASCVM VBI REGIS GAZA ERAT PARM. PRAEMISSO) Iustinus narrat Parmenionem à pugna mòx ad classem Darij occupandam missum, quod ead. reor opera fiebat. Damascus caput Syriæ siue Cœlesyriæ, nam in vtraque ponitur, & oraculum Orientis, vt Iulianus appellat. nobilissima ciuitas fuit, vt his verbis laudat in Cœlesyria Strabo: ἐστὶ καὶ Δαμασκὸς πόλις ἀξιόλογος σχεδόν τι καὶ ἐπιφανεστάτη τῶν ταύτῃ κατὰ τὰ περσικά. *Est & Damascus vrbs insignis, & ferè nobilissima omnium, quæ in ea regione Persis vicina.* Stephanus autem: Δαμασκὸς πόλις Συρίας μεσόγειος ὑπὲρ τὴν φοινίκης, περὶ τὸν βαρδίνην ποταμόν. ὠνομάσθη δὲ, ὅτι εἷς τῶν γιγάντων Ἀσκὸς ὄνομα ἅμα Λυκούργῳ δήσας τὸν Διόνυσον ἔρριψεν εἰς τὸν ποταμόν. *Damascus Syria vrbs in continente mediterranea, suprà phœnicem ad Bardinem fluuium, dicta quod ex gigantibus vnus Ascus nomine Lycurgo auditore vinctum Bacchum in fluuium sparserit.* Alij à Damasco Mercurij dictam aiunt, qui cum Alimede nympha ex Arcadia in Syriam venit, vrbemque sibi cognominem condidit. liræ & gerræ: res ita habet: Damascus vrbium antiquissima, vel ab Huso Semi nepote, vel quod magis crediderim, à Damasce verna Abrahami condita, vt sentit D. Hieronymus, vbi Geneseos cap. 15. interpretatur, quamuis idem non pugnet Iosepho. cum Hieronymo facit Comestor, Tostatus, Pererius, qui tamen non pronunciat vtra sententia sit firmior, Iosephi an aliorum. Vetustissimam certè affirmant omnes, & montibus vndique cinctam, & munitam, vt neque rhedis, neque vehiculis locus sit, iumentis, camelis, mulis victus importatur, vt non immeritò, quod Curtius affirmat, Parmenio sine ducibus viarum se copiasque itineri committere formidarit. Chrysorous ex Libano non Iordane ortus mediam interfluit. Illic vestigia ostenduntur, vbi Abelem à Caino pessimo exemplo per nefarium parricidium cæsum aiunt; Nec

Ioseph. Antiq. Iud. li. 1.

S. Hier.

procul

procul inde S. Paulus adhuc lupus & Saulus, à Christo tantum non fulminatus, quod Christianos insectaretur, in agnum & Christianum est mutatus. Ibidem ædificatum ex puluere referunt Adamum. Arx hodiè ex Porphyretico lapide eleganti opere visi dicitur. Plura super hac Vrbe Bellonius, chorographiam eiusdem spectabis apud Abrahamum Ortelium, Volum. altero Vrbium Orbis terrarum.

VBI REGIS GAZA ERAT) Vox Gaza quamuis Persica, transiit tamen ad Græcos & Latinos, vt optimi quique scriptores eam non formidarint, inter quos princeps est Virgilius. Habebant reges Persarum in singulis prouincijs suos thesauros, quot Gazas appellabant. 1. AEn. 3. & 5. sic enim Suidas interpretatur Gazam. Seruius census & diuitias. Hesychius βασίλεια, regias & vectigalia. Mela ærarium, Probus & Curtius sæpius pecuniam regiam. A Gaza dicuntur γαζοφύλακες καὶ γαζοφιλακῆντες, pecuniæ regiæ custodes, pecuniæ regiæ præfecti. & gazophylacia, æraria, & quæ potes thesaurorum conditoria custodiasue appellare. Multa super his Brissonius de regno Persarum.

DARII SATRAPAM) proditorem anonymum, præfectum Damasco, qui cum fortuna Darij fidem mutauit. Satrapæ nomen Persicum est, vsurpatur tamen Latinis, Terentio Heautontim. act. 3. Scen. 1. Plinio lib. 5. c. 5. Cicero, Curtius & alij, nunc prætores, nunc præfectos interpretantur. Curtius etiam purpuratos. Literæ Sacræ Duces & principes. Iustinianus Nouell. 31. cap. 2. *Id*, inquit, *magistratus nomen neque Romanum, neque maiorum nostrorum, sed ex altero imperio traductum fuit*. Inde *satrapia*.

NATIONE MARDVS) Mardus gentile est, non proprium. οἱ Μάρδοι, inquit Stephanus ἔθνος ὑρκανικόν ex Apollodorij secundo de terra, prædones & sagittarij sunt. Strabo quoque ex Nearcho Mardos vnam ex quatuor gentibus prædando viuere consuetis esse finitimos Persis. sed hos infra noster Curtius quinto & sexto volumine, & Arrianus tertio copiosè describunt. Gentem hanc ante Alexandrum nemo adortus vicerat. Nonnulli codices habent *nomine Mardus*, non, *natione* sed antiquissimus liber *natione* melius, quam scripturam etiam Modius sequitur.

TRADERET ADIECIT) Veteres libri omnes vocem *adiecit* addunt, quam Modius abiecit, quod mihi quidem etiam blanditur, & ex genio Curtii videtur, in quo nihil redundat, & sæpè verba premuntur quæ audiantur. Itaque illud *adiecit* videtur ex ora & glossemmate in codices irrepsisse.

AD PRODITOREM) præfectum Damasci, qui mox vt solet, proditionis pœnas dedit.

E MANIBVS CVSTODIENTIVM LAPSVS) Mardus fefellit comites, & solus Damascum rediit, vt hoc minus reor, proditio obseruaretur. Nam si comitatus aduenisset, peregrini suspicionem aliis mouissent. Custodes ergo amisso duce itineris, haud dubiè ad Parmenionem regressi rem exposuerunt.

FELICITATI REGIS SVI CONFISVS) Quia nihil sine diuina ope aggredi videbatur, nam cum præsto esset fortuna, temeritas etiam in gloriam cedebat. Est enim felicitas diuinum munus

> θεῶν δὲ δῶρον ἐστιν εὐτυχεῖν
> *Felicitas est munus à summo Deô.*

Verè etiam Plato στρατηγικὴν τέχνην εὐτυχίας πλείστης δεομένην, *militarem plurima fortuna egentem.* Itaque Cicero pro Pompeo perorans inter virtutes Imperatorias ponit felicitatem: *Ego enim*, inquit, *sic existimo in summo Imperatore quatuor has res inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem.* pro lege Manilia. Cui nempe venti tempestatesque obsecundent, seu vt poëta, *Cui coniurati veniant ad classica venti.* Quæ felicitas vt Alexandro adfuit, ita Dario quarta luna nato defuit omnino, vt & pleræque aliæ.

TVRBAVERAT EA RES ANIMVM PARM.) Immo & præfectum Damasci coniecit in timorem culpa timida, & omne scelus metum creat.

AGRESTES) In agris, ab agro dictos, quos vulgò rusticos à rure appellamus.

FIDES HABITA) Ita Latinè, non adhibita, quod aliud valet.

MVNIMENTIS) timido nihil satis firmum, proditori nihil munitum. Montes ipsi circumiecti defendere poterant hostem, & arcem munitissimam fuisse constat infra ex ipso Curtio.

PRAETER EVM CVIVS FIDEI ERAT COMMISSA) Acerbè & aculeatè dictum in proditorem. Præfecto vrbis tota vrbs erat custodienda, ciues, & obsides, & totius Persidis principes fœminæ, legatique variarum gentium defendendi, cum ille primus fuit, qui omnium vitam, fortunas, salutemque hosti prodidit. Omnibus ergo miserabilis turba videbatur fugientium, præter eum cui soli maximè miserabilis debebat videri, vt custodi, vt patri, vt proregi, vt magistratui, qui ciuibus loco parentum est. cum interim ille solus non doluerit, sed omnibus dolorem creârit.

Gratiorem pecunia praedam nob. viros praetorum coniuges) Nam per hos poterat & regem,& satrapas, ad quasuis iniquas conditiones,si vsus fuisset, deducere. Qui, quæque fuerint,mox ipse exprimit Curtius.

Arce tutissima)Nisi custos sit fidus,nullæ turres & munimenta hostes arcebunt.proditiones omnes vrbes præsidiis nudant.Notum est Philippi oraculum de asino auro onusto.

Gangabas persae vocant) Ipse Curtius Curtium exponit,cum Gangabas ab oneribus portandis dictos ait,quos dorsuarios,baiulos & gerulos vocamus.

Frigus) Ergo circa hyemem & extremo Octobri pugna ad Issum est commissa,non mense Septembri, qui placidus & temperatus mensis est.

Tum adstrictas vestes)Hoc *tum* ablegat Acidalius, sed commodè adest, nec incommodè abest.codices retinent omnes.*Adstrictas* collectas accipe in sarcinas,vt humeris ferri possent, quod minimè alienum à re quæ narratur, quomodo enim vestes regias aureasque & purpuras ferre nisi colligatas potuissent? Acidalius contra fidem librorum rescribit. *humus rigebat gelu tum astricta:vestes,quas*, &c. non displicebit,si libros aliquos suffragatores habeat.mihi vtraq; scriptura proba apparet.

Induunt) Nos emendaremus, & vt primis verbis responderet hoc induunt,diceremus, *induerunt*. Audi:Ii, dixerat,cum frigus ferre non possent, tum induunt, possent, induerunt. sed Curtius ad præsens tempus,quo id faciebant retulit,dixitque *induunt*. nescio an imitandus in hoc, an reprehendendus.sanè qui simili formula vteretur: Ciues cum magistratui non parerent, puniuntur(pro puniebantur, vel puniti sunt) postularetur à Prisciano reus solœci. Et miror hoc neminem sagacissimorum Criticorum subodoratum. Cæterum ridiculum erat cum homines mediastini & vltima mancipia auro purpuraque culti fulgerent alienis, vt histriones,plumis ornati. Videbantur etiam fugitiuum Darium velle agere.

Fortuna regis)aduersa victi regis. calamitas regem Darium omnium ludibrio exponebat.

Humillimis) abiectissimis & vilissimis, hoc enim latinis valet humilis, non vt hodie modestus, demissus,submissus,quæ omnia plerumque in laude,illud in vitio.

Nullo auso) Cum præfectus ipse Damasci & magistratus fugeret, & quisq; sibi consuleret,rati sat felices fore,si ferrum & cædem euasissent.

Non spernendi agminis) procul: cum omnes auro & argento radiarent,atque si essent ex satrapis & purpuratis, qui contra venirent: atque erat is numerus, vt si militari ordine resistere voluissent fugassent,Parmenionis manum,non fugissent.

Equis calcaria subdere) Erant equites,vt Diodorus narrat, potissimum Thessali, quorum forti opera vsus erat Alexander in prælio, vt ergo primi ditescerent, & fructum belli caperent, missi ad opimam prædam,cui portandæ nec ipsi quamuis auari sufficiebant.

Omissis) rectè Acidalius auguratur deesse vocem *iis*,vel similem.Mei codices aliquot habent *Omissis illis*,oneribus inquam.

Armati quoque qui eos proseq.) Armati gangabis additi, vt eos cum regia pecunia & cultu fugientes defenderent,immò etiam ipsos custodirent,ne quid auerterent,& hoc in speciem; reuera autẽ vt eos ad Parmenionem deducerent,cui prædam integram vel ignorantes offerrent.hoc enim proditor agebat.*Persequebantur* habent plerique codices, placet Modii scriptura, *prosequebantur*.

Praefectus quasi et ipse conterritus simulans)Diuerticula viarum intellige ad circumiectos montes.Declarationis causa ex ordine verborum aliter positorum plana elucet & sententia,& interpunctio, quamquam in ipso Curtio nihil inuertendum. *Præfectus simulans,quasi & ipse* (esset) *conterritus, cuncta pauore compleuerat*,omnia turbarat,qui fugam sine turbis expedire debebat,imò oe c fugisse, nec prodidisse.

Opes regiae)primum genus ponit, opes enim generale nomen ad omnes fortunas. mox formas subiicit:ex quibus prima est *pecunia stipendio ingenti mil.prap*. Cuius sortem & caput infra exprimit.

Cultus) Dein *cultus*, qui ad vestem gemmis,auro,purpura fulgentem,item ad vasa,frenos, tentoria & papiliones ac tabernacula refertur.

Vehicula)quibus tamen per montes asperos locus aut nullus aut perangustus, vt proinde nõ mireris quod sequitur, alia stirpibus fuisse lacerata,alia in cænum mersa,quamquam & de vestibus possis capere.

Genti opulentiae)Gentis Syræ ditissimæ, codices plerique *ingentis opulentia*, seruant, & vetus scriptura. sed Modii lectio non incommoda.

Si qua res avaritiam moraretur) Auaritiæ nihil nefas, nec vlla commiseratio. Itaque si qua res posset impedire Auaritiam, poterat certè & debebat miserabilis facies populi, fæminarum,illustrissimorum, liberorum ingenuorum,sup pellectilis regiæ per omnes vias sparsæ, lacrymæ,clamores,terrores,fuga,& hoc genus sexcenta mala, quibus & hostes poterant illacrymasse

nisi au

nisi aurum & præda omnem ab illis sensum humanitatis & misericordiæ exclusisset.

FIDEM EXCEDENTE FORTVNA) Pecuniæ summa non est maxima, quàm infra ponit, nec supra fidem, sed cultus & suppellex. Darius vltimus omnium ditissimus fuit.

PRIMI FVGERANT (emendatius hoc quam alterum *fuerant*. Ex primis autem illustres fœminæ.

PARVOS TRAHENTES LIBEROS) paruuli enim parentum passus æquare non poterant, eoque tracti potius quam ducti. Virgilius:

------ dextræ se paruus Iulus 2. Aene.
Implicuit, sequiturque patrem non paßibus æquis
Sacra manu victosq; Deos, paruumq; nepotem
Ipse trahit ----

OCHI FILIAE) natu minimam Parysatim duxit Alexander, auctore Aristobolo & Arriano. Ochus Artaxerxis illius qui Mnemon dictus est, & Iustitiæ laude floruit, ex iusto matrimonio natu minimus patri successit, ipsoque exordio occupati regni, veritus coniurationem cognatorum, quali pater sublatus erat, regiam propinquorum sanguine impleuit. Quod Iustinus tradit. *Hæreditas regni*, inquit, *Ocho tradita, qui timens parem coniurationem, regiam cognatorum cæde & strage principum replet, nulla, non sanguinis, non sexus, non ætatis misericordia permotus, scilicet ne innocentior fratribus parricidijs haberetur.* Hic Ochus etiam Artaxerxes audijt. De quo questus est Alexander in epistola ad Darium quod Thraciam inuaserit. Arrianus. Plura de hoc infra lib. 4. & 10. vbi de ipsius crudelitate ex varijs scriptoribus multis referemus, vbi de Sysigambis morte agemus, vbi afflixit Iudæos, Euagoram interfecit, Ocham sororem viuam capitè defodit, patruum cum centum nepotibus & filijs interfecit. Val. M. l. 9. c. 2. AElianus l. 2. Var. Diod. c. 7. Polyænus 7. Ochus idem est quod magnus. Serarius lib 1. ad Esther c. 1. Fuit hic Ochus, Assuerus, Esteris post repudiatam Vasthi, maritus, de quo copiosè idem Serarius ad Esther c. 1. q. 3. p. 293.

QVI ANTE DARIVM REGNAVERAT) Non proximè, sed interiuncto Arse, seu Arsamè Ochi filio.

FASTIGIO PATERNO) regni, cum pater Ochus regnaret, & illo mortuo regnum ad Codomannum, Darium nempe hunc deuolueretur, illæ regno simul cum patre sunt defunctæ & in ordinem redactæ.

SORTEM CRVDELIVS AGGR.) Iam antea ex regio fastigio detractæ, nunc etiam captiuæ. Adeò fortuna quem semel affligere cæpit, non cessat donec elidat.

OXATHRISQVE FILIA) Amaltrice. suprà laudatus in prælio, cum pro viribus Darium fratrem & regem obiectisante currum equitibus, acerrimè defendit.

VXOR OCHI) Interpunge hæc probè, ne tibi eadem existimetur fuisse vxor Ochi, & Oxathris filia, & coniunx Artabazi. Fuere tres diuersæ fœminæ. *Vxor Ochi*) Dubium an Esther hæc fuerit.

ARTABAZI) Hic Philippi regis Alex. parentis hospes fuit, Dario amicißimus & fidelsimus, post cuius mortem se dedidit Alexandro, cum annum ageret quintum & nonagesimum, infra lib. 5. & 6. Princeps hic purpuratorum appellatur, proximus à rege, purpurati ijdem qui Satrapæ & prætores Darij.

ILIONEO) nomen, vt video, priscis vsitatum. Homerus enim Troianum laudat Ilioneum Iliad. Ξ. & Virgil. I.

PHARNABAZI) de hoc supra cap. 6. *Ipsi Pharnabazo tradit imperium, quod ante Memnoni dederat.* Mentoris quoque supra eod. loco mentio facta.

NOBILISSIMI DVCIS MEMNONIS CONIVNX) De Memnone meministi supra dictum, qui vt sibi fides haberetur à Dario, suos Dario pignoris loco tradiderat. Sed de coniuge accipe, quæ Barsene fuit Artabazo modo laudato ex regia stirpe nato filia. de qua sic Plutarchus : οὔτ' ἄλλην ἔγνω γυναῖκα πρὸ γάμου πλὴν Βαρσίνης. αὕτη δὲ μετὰ τὴν Μέμνονος τελευτὴν χήρα γενομένη περὶ Δαμασκὸν ἐλήφθη πεπαιδευμένη δὲ παιδείαν Ἑλληνικὴν, καὶ τὸν τρόπον ἐπιεικὴς οὖσα, καὶ πατρὸς Ἀρταβάζου γεγονότος ἐκ βασιλέως θυγατρὸς, ἐγνώσθη &c. *Nec mulierem ante nuptias agnouit vllam, excepta Barsene. Hæc post Memnonis mortem vidua Damasci capta est: & cum ea literis Græcis instituta & moribus placida esset, patre Artabazo, ex filiâ regis prognato, ducta est ab Alexandro.* addunt alij: *Tunc primum luxuriosa conuiuia, & magnificentiam epularum sectari, tunc Barsenem captiuum diligere propter formæ pulchritudinem cæpit, à qua postea susceptum puerum Herculem vocauit.* sed Arrianus Barsinem (sic enim illam scribit Βαρσίνην, non Βαρσήνην) Darij filiam affirmat maximam natu, quam Plutarchus Statiram vocauit, vt supra docui. Drypetim autem alteram Darij filiam Hephæstioni nuptum tradidit. Subdo hic quæ Parmenio ipse in epistola ad Alexandrum de captiuis in Damasco narrat : παλλακίδας εὗρον μουσουργοὺς τοῦ βασιλέως τριακοσίας εἴκοσι ἐννέα, ἄνδρας στεφανοπλόκους ἓξ καὶ τεσσαράκοντα, ὀψοποιοὺς διακοσίους ἑβδομήκοντα ἑπτὰ, χυτρεψοὺς εἴκοσι ἐννέα, γαλακτουργοὺς τρεῖς καὶ δέκα, ποτιματοποιοὺς ἑπτακαίδεκα, οἰνοηθητὰς ἑβδομήκοντα, μυροποιοὺς τεσσαράκοντα: Iustinus lib. 11.

Pel-

Pellices regias quæ callebant musicam trecentos viginti nouem, Coronarum textores sexaginta sex, Obsonij præparandi artifices ductos septuaginta septem, mediastinos & abstersores ollarum viginti nouem, lactarios tredecim, qui pocula conficerent septemdecim, apothecis vini præfectos, cellarios septuaginta, vnguentarios quadraginta.

LACEDAEMONII QVOQVE) Lacedæmonii tum hostes Alexandri, cum quibus & Antipater absente Alexandro conflixit & vicit, vt infra exponemus.

ATHENIENSES) qui fidem societ. violarunt, & absente Alexandro rebus nouis studebant.

ARISTOGITON) Arrianus vnum duntaxat nominat Iphicratem Atheniensem, an ille fuit Aristogiton in quem Demosthenis duæ extant orationes? ita videtur.

DROPIDES) Hunc infra addit Arrianus.

IPHICRATES) Hunc Arrianus Iphicratis filium copiarum ducem facit, & præterea addit: *Iphicratem ob amorem Atheniensis vrbis, & paternæ memoriæ gloriam, & viuum magno semper apud se in honore habuit, & mortui ossa Athenas ad propinquos reportari curauit.*

Huius Iphicratis pater est ille clarissimus Atheniensium Dux, quem certatim laudant omnes scriptores. Latini, Probus, qui & vitam huius composuit, quæ hodieq; legitur, Frontinus passim in stratagematis, Seneca Rhetor. Græci, Diodorus Siculus, Arrianus, AElianus, Polyænus, AEschynes, Aristot. 1. Rhet. Plutarchus ἀποφθεγ. στρατηγῶν. Suidas, Xenoph. περὶ ἑλληνικῶν. alii. Quod autem Arrianus Iphicratem hunc Iphicratis filium ait ab Alexandro cultum ob paternæ memoriæ gloriam, id ita se habet, Eurydice mater Philippi patris Alexandri, & vxor Amyntæ patris Philippi à Pausania vexata, in summum discrimen cum liberis amittendi simul regni & vitæ venit, confugitque ad Iphicratem huius patrem, qui Pausaniam ex Macedonia expulit, & Eurydicen cum liberis restituit. quod ita factum prolixè monstrat AEschynes; περὶ παραπρεσβείας, de falsa legatione. Probus eadem paucis. *Bonus verò ciuis fideque magna, quod cum in aliis rebus declarauerit, tum maximè in Amynta Macedonis liberis tuendis. Namque Eurydyce mater Perdiccæ & Philippi cum his duobus pueris Amynta mortuo ad Iphicratem confugit, eiusque opibus defensa est.*

GENERE FAMAQVE NOBILISSIMI) Atque Iphicrates ignobilis fuit, si genus spectes, cerdone natus, vt Plutarchus in Apophteg. tradit. Ἰφικράτης δοκῶν εἶναι υἱὸς σκυτοτόμου. *Iphicrates cum sutoris filius haberetur.* Aristoteles quoque indicat obscurum fuisse: 1. Rhet. ἐξ οἵων εἰς οἷα. *ex qualibus ad qualia*; ex paucis nempe & obscuris, ad summa imperia. Idem Probus: *Iphicrates Atheniensis non tam genere aut magnitudine rerum gestarum, quam disciplina militari nobilitatus est.* Sunt ergo illa de genere ad Aristogitonem Dropidem referenda, fama ad Iphicratem. Diodorus lib. 14. cum eundem celebrat, de genere tacet. Cur autem potissimum Iphicrates, Iphicratis filius sit ad Darium missus, parens quoque causa fuit, cum Reges Persarum adiuuit in AEgyptiaca expeditione.

LACEDAEMONII PERASIPPVS) Arrianus nullum ex his exprimit, sed Euthyclem vnum ponit. Libro tertio tamen, nominat Lacedæmoniorum legatos ad Darium missos Pausippum, non Perasippum, nisi forte hic in Curtio mendum est, sicut & Callicratides apud Arrianum Callistratidas audit, pro O Maio ille scripsit Monimon, & pro Onomostoride Anomatum, etsi hi diuersi potuerunt fuisse ab illis.

DOMINI NOBILES) manifestum ponit Curtius discrimen inter ἁπλῶς nobiles, & nobiles κατά τι. Athenienses Iphicratem, Aristogitonem & Dropidem absolutè genere & fama clarissimos, hoc est, nobilissimos appellauit, Lacedæmonios tantum domi nobiles, κατά τι, nempe inter suos tantum domi, non foris, non absolutè. Et auctores omnes secernunt domi nobiles à veris nobilibus. Minus est enim aliquid domi nobilis, quã nobilis; vt meritò Adagiographus notetur, cum domi nobilẽ interpretatur eum, qui non opibus tantum & potentia clarus, sed ex nobilibus nobilis prognatus est, *domi nobilem interpretatur.* Domi enim nobilis est, qui extra domũ vel patriam suã vulgo nobilis nõ habetur. Nobilis vbique ille est, qui legibus & moribus omniũ gentium nobilis dicitur, vt qui regibus aut aliquo antiquo & claro ac nobili sanguine sunt procreati, cum nulla gens sit quæ hos non nobiles existimet. Absoluta enim nobilitas loco non mouetur, hoc est, vbique clara habetur. qua de re Aristoteles in Politicis verè disertat. Ad hoc discrimen respexére auctores cum alios domi nobiles appellauére, vt M. Tullius in Verrem: Eubulides *est homo cum virtute & nobilitate domi sua, tum etiam pecuniæ princeps.* Et idem in eundem: *Ibi hominem ingenuum, domi nobilem, P. Romani socium atque amicum fumo excruciatum semiuiuum reliquit.* Et in eundem: *Heraclius est Hieronis filius Syracusanus, homo in primis domi sua nobilis.* Ita in eundem *Act.* 2. 3. 4. *&* 5. *&* 6. Et pro Cluentio, pro Flacco, de Arusp. responsis, ad Q. Fratrem. Ita cum Cicerone Sallustius, Liuius, Hircius Autropius bello Alex. Apuleius Apol. 1. Iustinus lib. 5. Iulius Capitol. de Clodio Albino. Vitruuius 8. de Fundano, vt nihil omnino vsus sit pluribus. Hoc discrimen, nobilitatis κατά τι & ἁπλῶς ex Aristotele expressit Hieron. Osorius elegans in paucis & tersus scriptor: *Nobilis, inquit, esse quisquam non potest in ciuitate clara ignotis parentibus ortus, nec in ignota clarus, quamuis genere sit in illa ciuitate præstantissimus: idcirco ij nobiles in suis tantum sedibus, & à suis nuncupantur. Absoluta autem nobilitas nunquam loco mouetur, & vbiuis gentium semper altè defixa radicibus animis hæret, & eandem apud omnes nationes dignitatem habet.*

Erasmus reprehẽsus.

SVM-

SVMMA PECVNIAE SIGNATAE FVIT) Codices alij : *summa pecunia signata fuit*, alij: *summa pecunia signata fuit*. alij quos lequor: *summa pecunia signata fuit*. Sic Budæus, Modius, & alij scriptum in membranis affirmant. Signata pecunia non est hoc loco signo & annulo signata in cista, vt signabatur vini lagena, suppellex & alia, sed est numerata ; non rude argentum, nec factum. pecunia autem signata dicitur ad discrimen aliarum opum . olim enim omnes res possessæ pecuniæ nomine à pecude dictæ continebantur, quod xII. tabulæ & Iurisconf. docent.

TALENTVM DVO MILLIA ET SEXCENTA) sexaginta habet antiquissimus codxe: alii sexcenta verius & melius. summa est, si talento Attico & communi æstimes, decies quinquies centena sexaginta millia philippicorum, seu coronatorum, seu scutatorum, seu aureorum, hoc est, sesquimillia & sexaginta millia . philippicum æstimamus viginti victoriatis, seu vt patria lingua vocamus, bætzis Eodemq; modo aureum, coronatum, scutatum. quamuis hodie nonnihil mutarit pretium. Iam si Babylonica talenta fuêre, vt fuisse verosimile est, cum ex decreto Darii Capeli Babylonii ponderis talenta fuerint ex vectigalibus in ærarium inferenda , talentum autem Babylonium erat septingentis philippicis. caput esset decies octies centena millia & viginti. hoc est millio & octingenta viginti millia philippicorum.

FACTI ARGENTI) Factum argentum apud Iurisconsultos opponitur infecto, & rudi massæ. Est autem factum argentum, vt *Q. Mutius* definiebat, vos argenteum. *Vlpianus verò* rectè ita definiri posse ait, quod neque in massa, neq; in lamina , neque in signato, neque in suppellectili, neque in mundo, neque in ornamentis sit *l. 27. in principio, & §. vlt. D. de aur. arg.* arg. Itaque à signato factum separatur. *Seneca lib. 1. de benefic. cap* 11. Libentius donabo argentum factum, quam signatum. Argentum autem factum *Isidor. lib. 16. cap. 17.* definit, quod est in vasis & lignis. Proinde argento auroque facto & gemmas aureis annulis inclusas, & cymbia argentea crustis aureis illigata , & aurea emblemata, quæ in lapidibus, absidibusque argenteis sint, & replumbari possint, adnumerari, si ea argenti numero testator habuit. *Paul.* scribit *in l. 32. D. de aur. arg. facto* Denique auro vel argento id continetur, ex quo auro vel argento aliquid effectum est, siue id sit, siue alterius vsionis causâ paratum est: *d. l. 27. §. cui legatum.* & quod non in suppellectilis nomen cadat. *l. 19. §. argento*. Facti autem auri complures sunt species, prout & varijs vsibus subseruit. Est argentum escarium, potorium, viatorium, balneare. Escario argento legato, quod & escale appellatur, *in l. 8. D. de Suppell. leg.* id debetur, quod ad epulandum testator in ministerio habuit , id est, ad esum & potum, *d. l. 19. § Si cui escarium.*

QVINGENTA AEQVABAT) Exigua summa pro tanta verborum ambitione, & tanto numero exercitus. *illa pecunia* (dixerat suprà) *stipendio ingenti militum præparata*. Et, *tot annorum incredibili & fidem excedente fortuna cumulata*, summam si colliges, ex signato & argento facto numerabis tantum , (& quidem summa & Babylonici talenti æstimatione) vnum & vicies centena quinquaginta millia, nobis centum quinquaginta millia supra duos milliones . Si autem Attico, seu communi talento sortem putes, erunt decies octies centena sexaginta millia philippæorum . Iam si numerum copiarum ineas, censebis ex Arriano sexcenta millia . Si singulis in totum menfem non nisi philippicum assignes, tribus mensibus tota fors exhaurietur . Proinde Glareanus dubitat an ad *quingenta* facti argenti talenta sit addendum vel audiendum *millia*, vt ita legatur : *Facti argenti pondus quingenta* (subaudi millia talentûm) *æquabat*. Sed quia caput inde argenti malus quàm vero simile illi videbatur, non placet illi *τὸ millia*, addendum vel audiendum, ter centies enim millies millia Philippicorum inde existerent, hoc est, trecenti milliones, quæ summa mihi non incredibilis videtur, pro tanto rege & regno , & à tot regibus, tam longis temporibus coacta & cumulata, vt Curtius ait, nisi alia me mouerent, & in primis Strabonis auctoritas, qui omnem pecuniam ex omni præda coactam post confectum totum bellum Persicum, confert in decem & octo myriades talentorum, quæ efficiunt centum & octoginta millia talentorum, ex qua summa nascuntur centies octies millies mille Philippici, siue nostrate numero, centum & octo milliones, quæ summa à trecentis adhuc procul abest. Itaque pronuncio verba Curtii ad verbum retinenda, nihilque addendum, vel audiendum . Curtium autem in præda amplificanda non spectasse argentum factum & signatum, sed vniuersam suppellectilem, aurea vasa, aureos frenos, tabernacula regali magnificentia ornata. vehicula gentis opulentiâ plena, quæ omnia vnà cum argento fidem poterant excedere. Meam non excedunt, vt qui legerim Sinarum Regem ex annuo duntaxat vectigali colligere millies ducenties centena millia aureorum, quæ efficiunt centum ac viginti milliones, & hoc in vnum tantum annum , quantum nec Vespasianus moriens, qui vnus omnium quærendæ pecuniæ studiosissimus fuit , in ærario reliquisse fertur, nempe quadragies*(sic enim cum Budæo lego, non quadringenties, quæ summa efficeret mille milliones) millies centena millia HS. hoc est, millies centena millia coronatorum , q æ centum efficiunt milliones.

IVMENTORVM DORSO ONERA PORTANTIVM) Iumentum Nonius, Marcellus, & Agellius à iungendo deducunt. Columella contrà a iuuando deriuat ; *Iumenta*, inquit, *nomen à re*

à re traxêre, quòd nostrum laborem, vel onera subuectando, vel arando iuuarent. In AEdilium edicto, Iumentorum appellatione non omne pecus continetur. Nam aliud significant iumenta, aliud significatur pecoris appellatione. Boues vtique iumentorum appellatiune non contineri, sed pecoris, verius est. Boues magis armentorum quàm iumentorum generis appellantur. Ergo iumentorum appellatione equus, equa, mulus, mula, & cætera νωτοφόρα & dorsuaria animalia continentur. Elephanti etiam & Cameli, vt Seneca loquitur, iumentorum operam præstant. Columella tamen videtur boues non excludere, cum ad arationem iuuent. Plura Brissonius de verb. significat. verbo *Iumentum*. Mulos & Camelos suprà Curtius expressit, pecuniam regiam portantes.

PRODITOREM DII POENA DEBITA PERSECVTI SVNT) Proditor se ipsum proscribit, nusquam certus vitæ, nec domi, nec foris, hostis orbis terræ. Pœnas proditorum persecutus est accuratè in operis Subcesiuis Philippus Camerarius.

SOLATIVM PRODITO) Dario, regum infelicitas hoc felicitatis habet, quòd eorum miseriæ plerumque misericordiam moueant, de quo sup. à ex Cicerone. Solatium fuit Dario duplex, primum quòd proditorem proditum & vindicatum cerneret; alterum quòd non omnes suos sequi fortunam cerneret, sed nonnullos fidos in multurum perfidia experiretur.

Comment. ad Lib. III. Q. Curtij, Finis.



Q. CVR-



Q. CVRTII RVFI

HISTORIARVM ALEXANDRI MAGNI MACEDONIS

LIBER QVARTVS.

SYNOPSIS HVIVS LIBRI.

ALexander respondet litteris Darij, Cœle-Syriam & Phœnicıam ınuadıt. Abdalonymum Sidonis, exauctorato Stratone, nouum regem dat. Tyrum septem mensibus obsessam continenti iungit & expugnat, Gazam capit, Ægyptum recipit, ad Hammonis templum penetrat, Deus salutatur, condit Alexandriam, Luna hebescit, Darius iterum ac tertiò frustra conditiones pacis fert Alexandro, latas ab Alexandro respuit; decernitur prælio ad Gaugamela haud procul Arbelis, Darius victus more suo auxılium à pedibus quærit.

CAPVT I.

ARGVMENTVM.

Darij fugam exequitur Curtius. Alexander Parmenione Syriæ præfecto Aradum insulam cum rege Stratone in deditionem accipit, ad Marathon vrbem castra mouet, vbi litteras ab Dario superbè scriptas accipit, parique stilo, & atrociùs etiam respondet.



*Arius tanti modò exercitus rex, qui triumphantis magis, quàm dimicantis more, curru sublimis inierat prælium, per loca, quæ propè immensis agminibus impleuerat, iam inania, & ingenti solitudine vasta fugiebat. Pauci regem sequebantur. Nam nec eodem omnes fugam intenderant. & deficientibus equis cursum eorum, quos rex subinde mutabat, æquare non poterant. * Onchas deindè peruenit: vbi excepere eum Græcorum* *Vnchas Sochas.

quatuor millia, cum quibus ad Euphratem contendit: id demum credens fore ipsius, quod celeritate præcipere potuisset. At Alexander Parmenionem, per quem apud Damascum recepta erat præda, iussum eam ipsam, & captiuos diligenti asseruare custodia, Syriæ, quam Cœlen vocant, præfecit. Nouum imperium Syri nondum belli cladibus satis domiti aspernabantur: sed celeriter subacti obedienter imperata fecerunt. Aradus quoque insula deditur regi. Maritimam tum oram, & pleraque longius etiam à mari recedentia, rex eius insulæ Strato possidebat: quo in fidem accepto, castra mouit ad vrbem Marathon. Ibi illi litteræ à Dario redduntur, quibus, vt superbè scriptis, vehementer offensus est. Præcipuè eum mouit, quod Darius sibi regis titulum, nec eundem Alexandri nomini adscripserat. Postulabat autem magis, quàm petebat; vt accepta pecunia, quantamcunque tota Macedonia caperet, matrem sibi, ac coniugem, liberosque restitueret. De regno, æquo, si vellet, Marte contenderet. Si saniora consilia tandem pati potuisset, contentus patrio, cederet*
*Celer *alieni imperij finibus, socius, amicusque esset: in ea se fidem & dare paratum, & accipere. Contrà Alexander in hunc maximè modum rescripsit. Rex Alexander Dario.* Ille, cuius nomen sumpsisti, Darius, Græcos, qui oram Hellesponti tenent, coloniasque Græcorum Ionias omni clade vastauit. cùm magno deinde exercitu mare traiecit, illato Macedoniæ & Græciæ bello. Rursus Xerxes gentis eiusdem, ad oppugnandos nos cum immanium barbarorum copijs venit: qui nauali prælio victus, Mardonium tamen reliquit in Græcia, vt absens quoque popularetur vrbes, agros vreret. Philippum verò parentem meum, quis ignorat ab his interfectum esse, quos ingentis pecuniæ spe sollicitauerant vestri? Impia enim bella suscipitis, & cùm habeatis arma, licemini hostium capita: sicut tu proximè talentis mille, tanti exercitus rex, percussorem in me emere voluisti. Repello igitur bellum, non infero. Et dijs quoque pro meliore stātibus causa, magnam partem Asiæ in ditionem redegi meam: teipsum acie vici: quem & si nihil à me impetrare oportebat, vtpotè qui ne belli quidem in me iura seruaueris: tamen, si veneris supplex, & matrem, & coniugem, & liberos sine pretio recepturum esse promitto. Et vincere, & consulere victis scio. Quòd si te committere nobis times, dabimus fidem impunè venturum. De cætero, cùm mihi scribes, memento non solùm regi te, sed etiam tuo scribere. Ad hanc perferendam Thersippus missus.*

Lib. 3. c. 7. & 21. DARIVS TANTI MODO EXERCITVS REX.) suprà Curtius. Darius tantæ multitudinis rex, cursu sublimis eminebat.

PER LOCA IAM INANIA.) Per Amanicas pylas egressus. nam Syriæ pylas cum præsidio Alexander tenuerat. Arrianus:
Lib. 2. Δαρεῖος δὲ τὴν μὲν νύκτα ξὺν ὀλίγοις τοῖς ἀμφ' αὐτὸν ἔφυγε. τῇ δὲ ἡμέρᾳ ἀναλαμβάνων ἀεὶ τῶν τε Περσῶν τοὺς διασωθέντας ἐκ τῆς μάχης, καὶ τῶν ξένων τῶν μισθοφόρων ἐς τετρακισχιλίους ἔχων τοὺς πάντας, ὡς ἐπὶ Θάψακόν τε πόλιν, καὶ τὸν Εὐφράτην ποταμὸν σπουδῇ ἤλαυνε, ὡς τάχιστα μέσον αὐτοῦ τε καὶ Ἀλεξάνδρου τὸν Εὐφράτην ποιῆται. *Darius noctu paucis comitatus fugerat. postridie verò recolligens Persas, exterosque, qui ex eo prælio euaserant, quatuor in vniuersum millia habens ad Thapsacum, vrbem, & Euphratem contendit, vt quàm citissimè posset, Euphratem inter se & Alexandrum medium relinqueret.*

PAVCI REGEM SEQVEBANTVR) Curtius vt Darij cladem oculis Lectoris subijciat, contraria cum contrarijs componit. Paulò antè maximas copias habuerat; mòx nullas, aut perpaucas: Loca paulò antè omnia erant milite inundata; mòx sola & deserta: paulò antè sublimis curru cultu regio effulgens gestabatur; mox equa fugiens ignotus, exutus omni regio honore, vix saluus ipse euasit. Hoc ludibrium est fortunæ velut tragœdiam agentis: *Sic fortuna facit miseros ex regibus Iros.*

Sallust. bello Iugurth. PAVCI.) More Numidarum, quibus nullum flagitium, regem in fuga destituisse, quo cuique libet, licèt discedere. Quatuor millia tamen Darium secuta sunt.

Cap. 21. QVOS REX MVTABAT.) Iam suprà lib. 3. diximus ex AElLano Darium consueuisse equas fœtas secum deducere ad pugnam, vt victus, periculo se eriperet; perinde quasi ad bellum proficisceretur, vt fugeret. Equam tamen recens enixam, quam conscendisse dicitur, ad vltimum prælium referunt scriptores, quamuis vtroque prælio factum crediderim, cùm & hîc, & illic beneficio seu equorum, seu equarum euasisse traditur.

Lib. 2. ONCHAS PERVENIT.) Alij libri *Vnchas*, alij *Orchas* nominant. est locus inter pylas Amanicas & Thapsacum, ferè medius bidui itinere abest à pylis Amanicis, *Sochos* Arrianus haud dubiè appellat. Nam cùm Darij expeditionem in Ciliciam describit, ab Euphrate Sochos peruenisse dicit: ὁ δὲ χῶρος οὗτος ἔστι μὲν τῆς Ἀσσυρίας γῆς, ἀπέχει δὲ τῶν πυλῶν τῶν Ἀσσυρίων ἐς δύο μάλιστα σταθμούς.

σαθμὸς. *Est is Assyria locus ab angustijs, seu pylis Assyria bidui itinere dissitus.*

CVM QVIBVS AD EVPHRATEM CONTENDIT.) Vbi Thapsacus vrbs nobilis sita est. Sic enim Arrianus narrauit, quem paulò antè laudaui. Euphrates autem ibi latus est tria stadia, hoc est, trecentos septuaginta quinque passus. Xenoph. Anab. 1.

PRAECIPERE.) Plutarchus προλαμβάνοντα τέτταρας ἢ πέντε σαδίους. Darium non cepit, cùm ille iter quatuor aut quinque stadijs præcepisset. Elegans vsus verbi in hac significatione, cùm pro anteuenire, præoccupare, aut anteuertere vsurpatur. Sic enim Virgilius, Lucretius, Cicero, & optimi quique auctores locuti. Refertur & ad mentem. mente hostis aduentum præcipere. Exempla passim apud scriptores occurrunt. Communem notionem prætereo, cùm idem, quod mandare, valet.

RECEPTA PRAEDA) *recepta* pro *capta.* & hoc vsurpatum historicis primæ elegantiæ. Alioqui recipitur, quòd prius est amissum. Notauit hoc etiam Marcus Velserus. Receptam, non captam dixit (quamquam capi, & recipi de re vna, eademque aliquando dicitur, id est, in Augusti numis ARMENIA CAPTA, ARMENIA RECEPTA. possis tamen hic interpretari *receptam* pro, *acceptam,* quod proditor eam tradidisset, & Parmenio, nomine Alexandri accepisset. Infrà de Byblon: *Oppidum Byblon traditum recepit.* Lib. 2. rerũ Augustanarũ p. 22.

SYRIAE, QVAM COELEN VOCANT.) Hanc Geographus ita describit, vt eam oculis, quamuis absentes, & toto pœne orbe diuisi tangere videamur: Δύο δὲ ἐσὶν ὄρη τὰ ποιοῦντα κοίλην χαλουμένην Συρίαν, ὡς ἂν παράλληλα, ὅτε λίβανος καὶ ὁ Ἀντιλίβανος &c. *Duo montes sunt, qui Syriam concauam (hoc enim est CœleSyria) includunt, Libanus & Antilibanus.* Pergit deindè Strabo exequi cætera, quæ apud illum cognosces. Caua ergo dicta est, quod quasi quædam amplissima vallis inter duos montes sita sit. Libanus & Antilibanus olim muro erant coniuncti, vt CœleSyria esset vndique clausa. Strabo l. 16. Plin. l. 5. c. 20.

PARMENIONEM PRAEFECIT) Arrianus Memnonem seu Memnonem (μέμνονα) CœleSyriæ præfectum ait ab Alexandro, vtrumque pro temporis ratione verum videri potest. Parmenio subegit, subactam Memnoni, immò Andromacho, vt infrà est, tradidit: etsi thesauros Parmenioni custodiendos traditos affirmet Curtius, quod videtur non breuis fuisse temporis.

ARADVS QVOQVE INSVLA.) Redit à Parmenione ad Alexandrum, qui progressus cum exercitu totam sibi Syriam vendicare cœpit.

Aradus insula est Phœniciæ, quam accuratissimè describit Strabo: Πρόκειται δὲ ἡ Ἄραδος &c. *Ante iugum quoddam &c.* vsque ad *post hos.* Lib. 16. p. 573.

Mela paucis: *Arados,* inquit, *etiam in Phœnice, est parua, & quantum patet tota, oppidum frequens tamen, quia etiam subter aliena tecta sedem ponere licet.* Lib. 2.

Plinius prius Pariam ait dictam: *In Phœnicio,* inquit, *mari est ante Ioppen, Paria tota oppidum, in qua obiectam belluæ Andromadum* (a Manlio eleganti carmine descriptam) *ferunt.* Alto mari, vt auctor est Mutianus, e fonte dulcis aqua tubo corijs facto vsque à vado trahitur. Lib. 5. c. 31. Manil. li. 5.

Est huic cognominis etiam in Creta, & tertia in mari rubro, vt Stephanus auctor est. De nostra Arado Dionysius:

Ἀγχι δὲ φοινίκης Ἄραδος μεγάλῳ ἐνὶ πόντῳ.
Iuxta verò Phœnicem Arados vasto in ponto.

REX EIVS INSVLAE STRATO.) Non est hic idem Stratoni Sidoniorum regi, singulis enim tum suus rex erat, Arado, Byblo & Sidoni: sed Aradi regem Arrianus non Stratonem, sed Gerostratum patrem Stratonis tum absentem fecit. Strato ergo regnum pro patre prorex administrabat. Gerostratus cum Autophradate classis regiæ Darianæ præfecto. Habuit tamen ratam Gerostratus filij deditionem, & ipse quoque re cognita, desertis Darij partibus, se cum Alexandro coniunxit.

MARATHON) μάραθος Geographo πόλις ἀρχαία φοινίκων, *vrbs vetusta Phœnicum.* Arrianus illam exaduerso Aradi incontinente ponit, & πόλιν μεγάλην καὶ εὐδαίμονα laudat: *magnam,* inquam, *& opulentam vrbem.* Lib. 19. Lib. 2.

Melas, *vrbs,* inquit, *non obscurè Marathos.* De eadem Plinius: *Marathos centrum Aradum Antarados.* Stephano est etiam vrbs Acarnaniæ. Lib. 1. Lib. 5. c. 20.

LITTERAE A DARIO REDDVNTVR) γραμματοφόροι & legati fuêre ad Alexandrum Meniscus & Arsimas, vt ad Darium Alexandri Thersippus. Epistola duo capita complectebatur: primò petiuit, vti sibi Alexander suos quantouis vellet precio redderet, matrem, vxorem & liberos: Altero, vt de regno vel armis secum decerneret, vel parem, quod vtrique commodius fore putabat, æquis legibus secum agi pateretur. Addit Arrianus à Dario accusatos Macedones, Philippũ & Alexandrum velut auctores belli & pacis violatores Et verisimile est id à Dario perscriptum fuisse; cùm etiam Alexander ad id respondeat apud Curtium.

REGIS TITVLVM.) Postremissimi cerdones non ferrent sibi honesti ciuis nomen detrahi, quid faciat Alexander, & rex, & declaratus imperator contra Darium à tota Græcia, & regis re-

gum iam bis victor; & qui regis titulum tua magnitudine minorem æstimaret; & qui iam diu inos t tu'os & honores spectaret? Et hoc omnium regum & principum ingenium est, vt attentissimè legant titulos sibi vel debitos, vel impertitos. Exauctorari se putant, cùm iustum sibi titulum non adscriptum vident. Nec minus pro titulis, quàm ipsis regnis bella suscipiunt. Legi Tartarorum, Moschorum, Indorum insanos titulos; legi Romanorum principum superbos, & impios, cùm se Deos, dominosque ipsi appellari publicè præceperunt. *Edictum Domini Deique nostri.*

Possevinus, Moscovia. Litteræ in dicat. Suetonius Domitiano. Martial. li. 5. epi. 8.

QVANTAMCVNQVE TOTA MACEDONIA CAPERET.) Superbissimè dictum, præsertim à victo, perinde quasi tota Macedonia minor esset suo gazophylacio Persarum. Ettamen tota Gaza Persarum ab Alexandro vndique collecta in prædis post occisum Darium, & totam Persidem subactam, non fuit nisi centum & nonaginta millium talentorum, vt infrà ostendemus, hoc est, centies decies quater millies millia Philippæorum, siue vt hodie vulgo loquuntur, centum & quatuordecim millionum. Darium autem omnium regum Persarum ditissimum fuisse, docet Daniel, quod de Dario vltimo accipiendum docet Hervvartus.

Nota.

Cap. 11. v. 5.

POSTVLABAT MAGIS, QVAM PETEBAT) Minus enim & modestius est petere, quàm postulare, quod ius quoddam præ se fert. Cicero in Verrem: *Incipiunt postulare, poscere, minari.* Postulatur tamen aliquid honestè, poscitur improbè. plus ergo est poscere, quàm postulare, plus postulare, quàm petere. Sæpè tamen alterum pro altero vsurpatur. *Petere*, inquit Nonius, *significat poscere*, apud quem & alia significata, auctoritatibus firmata, leges.

Frumentaria. Agrœtius de Orthographia.

DE REGNO) Altera pars epistolæ Darij de bello, & pace. Darius quasi nunquam victus, arma iactat, & Alexandrum admodum insanum ait, qui secum velit de imperio armis contendere, cui dictis, factisque ostendit Alexander se plus Dario sapere.

REX ALEXANDER DARIO) Vt Darius titulum regis Alexandro negauit, ita par pari respondens Alexander non adscripsit Dario honorem regis, multò minus vel μεγάλου βασιλεῖ, vel βασιλεῖ τῶν βασιλέων, vti se appellabant Persæ & Parthi. Alexander primo causam belli in Darium Histaspis, & Xerxen, & ipsum Darium reijcit: illos primo Græciam armis aggressos. Darium etiam percussorem in se immisisse: ergo se vim vi repellere, non inferre. Matrem, vxorem, liberos se redditurû gratis pollicetur, si ipse velit supplex ad se accedere. Monet postremo de titulo regio sibi adscribêdo, cùm meliore iure possit ipse, quàm ille rex appellari, cùm illius & victor, & rex sit.

ILLE) Codices antiqui, *Celes*, cuius nomen sumpsisti, Darius: Modius ridet hanc scripturam, & Glareanum, ridendus ipse. & reponit (ille.) Glareanus cur dictus sit Celes quærit: *Quare*, inquit, *Darius Histaspis filius Celes sit dictus, non mentior ipsam me legere, suspicor autem quemadmodum apud Aegyptios Ptolemæi varia habuere nomina, cognomina, nonnunquam etiam contumeliæ plena, vt Philopator, Auletes: ita Darius Celes dictus videtur. Cùm Herodotus in Thalia dicat, Darium hunc à Persis vocatum institorem, Cambysem dominum, Cyrum patrem.* Verè hoc Glareanus, nec malè de Dario Celete sentit. Nam veterem ego lectionem reti endâ iudico, & fortasse illam etiâ vocem, *ille*, apponendâ, vt scribamus: *Celes ille, cuius nomen sumpsisti, Darius &c.* Rotundatur enim periodus, & plana fit oratio, alioqui durior futura. Celes Græcis κέλης, κέλητος est equus ipse, ἄζυξ iniugis, & eques. Suidas κέλης ὁ μόνος ἵππος, καὶ ὁ ἐπὶ τούτου φερόμενος σωμάτιον. *Celes, est solus equus, & equo vehens, quem sellarium vocant.* Hesychius: κέλης ἵππος καὶ ἱππεὺς, *Celes est equus & eques.* Barinus Phauorinus: κέλης δ' ἐστιν ἵππος ὁ μονάμπυξ καὶ δρομικὸς, ὁ νῦν σελλάριος λεγόμενος, *Celes*, καὶ γυμνός. κελητίζω, κελητίζειν ἱππεύειν. Et: κελήτιον μικρὸν πλοιάριον, ἀπὸ μεταφορᾶς τοῦ κέλητος ἵππου ὃ εἷς ἀνὴρ ἐπικάθηται. *Celes est equus vna freni habena rectus, cursor, hodie sellarius dictus, & singularis.* κελητιάω & κελητίζειν, idem est, quod equitare. Celetium partita celox per metaphoram, à celere equo, cui vir vnus insidet. Est huius verbi mentio apud Homerum Iliad. ο:

ein zelter.

ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ ἵπποισι κελητίζειν εὖ εἰδώς.

Vt quando vir equis desultorijs vti bene sciens. Et Odyss. ε:

ἀμφ' ἑνὶ δούρατι βαῖνε κέληθ' ὡς ἵππον ἐλαύνων.

--- *Porrò Vlysses*

In vnum lignum ascendens velut celetem equum impellens.

Vsus est & Pindarus in epigraphe primi hymni, Hieroni Syracusio Celeti inscriptus, Ἱέρωνι Συρακουσίῳ κέλητι, eo quòd celete singulari equo in Olympijs vicerit, & Euripides, atque alij post Homerû hoc nomine, de quo hæc Eustathius: Καὶ ἐπὶ πιθανῶς εἰπεῖν, ὡς ἐκ τοῦ τοιούτου κέλω, ἢ κελέω, γίνεται καὶ ἵππος κέλης ὁ ἄζευκτος, καὶ μᾶλλον, τὸ πλοῖον οἱ κέλητες. Nec dubito dicere à verbo κέλω seu κελέω deduci nomen κέλης, quod equum iniugem, seu non iunctum iugo sonat, & ampliùs etiam naues celoces. Quæras hic παρέργως, an heroes veteres ante Homerum vsi sint equis puris, & ex equis pugnarint, cùm hoc Palæphatus, & alij negarint? Respondet Eustathius Odyss. ε. pusseaqu m explicauit τὸν κέλητα: Κέλητα δὲ, inquit, ἵππον λέγει τὸν ἄζυγα, τὸν κατὰ μόνας ἐλαυνόμενον. ἔνθα ὅρα τὸ καὶ ἀστεῖον καὶ συντομώτατον τῆς παραβολῆς. κέλητι γὰρ ἵππον παρεικάζει τὸν μιᾶ σανίσιν θαλάσσῃ ἐποχούμενον. εἰκὸς δὲ ἴσως ἀφορμὴν ὁ παραβολὴν αὐτῇ ἐκ τοῦ καὶ τὰς νῆας ἁλὸς ἵππους πρὸ τούτων ῥηθῆναι. *Celetem*, inquit, *equû vocat* (Homerus) *non iugatum, & seorsum ductum. Ex quo obserua elegantiam & breuitatem comparationis. Equiti celeti côponit naufragio vnica tabula vtentem. Accepit opinor comparationis occasioné, quod naues, maris equi prius sint dicta.* Sequitur in Eustathio, quod quærebamus: ἰστέον δὲ ὡς οἶδε μὲν Ὅμηρος τὸν κέλητα καὶ ἐν τοῖς

Iliad. A.

ἔξης

ἵξις τὸ τέθριππον. οὐ ποιεῖ δὲ ἥρωας χρωμένους αὐτῷ εἰ μὴ ἄρα κατ' ἀνάγκην τινά, ὡς ἐν τῇ δολωνείᾳ. ὁ Διομήδης δοκεῖ ποιεῖν; κελητίζει γὰρ ἵππῳ ἐκεῖ. *Sciendum Homero celetem equitem non fuisse ignotum, vti nec quadrigas postea. Heroas autem non introducit illis vtentes, nisi cùm necessitas vrget, quemadmodum in Polonia Diomedes videtur vsus. equo enim vehitur ibi.* Nec Latini vocem neglexerunt. Plinius & celetem & celetizontas dixit, vt non solus vsurparit. Deducitur παρὰ τὸ κέλλειν τὸ τρέχειν, ἢ βαδίζειν, à currendo, vel eundo, κελητίζειν equitare singulari equo. Curtius quoque loco cognominis potuit vsurpare. Dices, nihil narras, non de voce ferram reciprocamus: doce vocatum Darium Celetem, & vicisti. Doceo fuisse equitem præstantem, & appellatum ἱππέα, quod idem est τῷ κέλητι. Audi ex Onesicrito, Strabone, Athenæo, Eustathio in Odyss. Σ. huius Darij Hytaspis F. epitaphium. Li.14.ca.8. & c.5. Lib.15.

φίλος ἦν τοῖς φίλοις,
ἱππεὺς καὶ τοξότης ἄριστος ἐγενόμην,
Κυνηγῶν ἐκράτουν,
πάντα ποιεῖν ἠδυνάμην,
ἠδυνάμην καὶ οἶνον πίνειν πολὺν, καὶ τοῦτον φέρειν καλῶς.
Amicus amicis eram,
Celes, seu eques, & sagittarius optimus fui,
Præstantissimus venator,
Omnia facere poteram;
Poteram & vinum multum bibere, & hoc egregiè ferre.

Videat ergo Modius quamobrem riserit; quem tamen non rideo: nec, vt oraculum, quod scripsi, propono. Lector, bonus arbiter esto, cui fortè occurret, videri potius Celetem dictum, quod equæ hinnientis auspicio sit creatus rex Persarum.

CVIVS NOMEN SVMPSISTI) Plures enim Darij reges Persarum fuere, vt suprà didicisti, quantum ab hoc Darium hic indigetat, qui victus à Scythis bellum in Græciam transtulit; & à Miltiade victus est in Marathone, qui campus Athenis abest passibus M. decem. Hac pugna nullis antè sæculis clariorem fuisse scriptores tradunt: Inter quos a AEmilius Probus, Cornelius Nepos, b Iustinus, c Herodotus, qui nomen Darij docet idem valere Persis, atque Græcis ἑρξείης, quod est exercitor, vt & Xerxes, idem quod *ἀρήϊος, martialis*, seu *bellicosus*. Et Artaxerxes *μέγας ἀρήϊος. magnus bellator, valdè bellicosus.* Cicero Offic. narrat, hunc locum dedisse Rhetoribus campum exercitationum & declamationum: Plato in Epitaphio III. de legibus, de eodem Dario Datide legato Darij, cui imperarat abeunti, vt Eretrienses & Athenienses captos ad se adduceret, si caput suum retinere vellet. Plutarchus eundem laudat Datin. Cecidit in Marathonia pugna d Hippias Pisistrati filius, cum arma impia patriæ inferret. Marathonis miranda scribit Pausanias in Atticis. a Miltiade. b Lib.7. c Lib.6. Lib.1. d Herod.7. Cic. alij.

QVI ORAM HELLESPONTI TENENT. Hellespontij sunt, qui ad Hellespontum colunt, vt Sestiani cis Hellespontum, Abydem trans Hellespontum in Asia, vt & Troades, & tota illa ora maritima, de qua plura tertio lib. dictum. Cap. 19.

COLONIASQVE GRAECORVM IONIAS.) Ionia peninsula in Asia minore, vrbes complectitur XII. colligit in sinuoli ambitu stadia CCCCXXX. hoc est Germanica milliaria tredecim, nec omninò semissem.

OMNI CLADE VASTAVERVNT.) Nam sub Dario Histaspis, & Xerxe Darij, & Artaxerxe Xerxis F. tribus ijsdeinceps ætatibus, plus malorum passa est Græcia, quàm viginti alijs ante Darium ætatibus à Persis. Pherecydes tradit primum Ionum Ducem fuisse Androclum Codri regis Atheniensium F. ab eoque códitam Ephesum regiam Ioniæ. Miletum Neleus, domo Pylius, Pylij plerique Athenas migrarunt, & cum Atheniensibus in Ioniá. Nyuntem Cydrelus Cedroitidem, sed extra lineam sacram natus, aliasque ciuitates & colonias plerasque alij Athenienses, quos ordine recenset Strabo, quas omnes Darius sędem in modum vastauit. Lib. 14. Lib 7.

MARE TRAIECIT) Iustinus: *Cum interim Darius rex Persarum, turpi è Scythia fuga summotus, ne vbiq; deformis militia damnis haberetur, mittit cum parte copiarum Megabazum ad subigendam Thraciam, cæteraq; eius tractus regna quibus pro ignobili momento erat accessura Macedonia. Traiecit autem per Bosphorum Thraciũ, quem ponte iunxit*, vt copiose exposuit Herodotus libro 4. longus centum viginti. Hæc omnia fusè Herodotus in Eratone, & nos suprà lib. 3. cap. 19. Septingẽta millia hominũ prẽter sexcẽtas naues Herodoto, AEmilio Probo, Iustino, alijs

RVRSVS XERXES) Hæc superiore libro copiosè ex varijs scriptoribus sunt exornata.

NAVALI PRAELIO VICTVS) à Themistocle, vt suprà dictum.

MARDONIVM RELIQVIT) Post cladem Salaminiam, de qua plura Herodotus in Calliope, fusus est apud Platæeas lapide ictus Plutarchus in Aristide. Consulendi Scholiastæ Cornelij Nepotis in Regibus Themistocle, Alcibiade, Aristide, Iustinus. Lib. 3. c. 19.

PHILIPPVM PARENTEM MEVM QVIS IGNORAT AB HIS INTERFECTVM ESSE?) Idem Arrianus in epistola Alexandri ad Darium, quàm intrà collocabo. Sed nemo præter Alexandrum Persas reos cædis Philippi postulauit. Omnia certè alia Iustinus, Orosius, Diodorus Siculus,

lus, alijque de cæde Philippi narrant, à Pausania nobili adolescente hortatu Hermonatis Sophistæ propter stuprum ipsi ab Attalo illatum, nec à rege punito, in apparatu nuptiarum interempti. Tentata tamen omnia ad illum tollendum; quod affirmat Alexander à Persis, non est incredibile, cùm Perinthij Persæ contra Philippum auxiliatum venêre, quando rex Persarum cœpit potentiam Philippi pertimescere, quemadmodum est apud Diodorum. Lib. 16. Sed Pausaniam in Philippum à Persis immissum, nemo, quod sciam, refert. quamuis cædes illius gratissima Persis acciderit, quando propter Philippum Darius ad bellum Macedonicum se parauit, desijtque timere, postquam sublatum accepit.

IMPIA ENIM BELLA SVSCIPITIS) Non lacessiti, non læsi, sed ambitione & auaritia ducti, ius gentium violatis; quod sæpè & Romani duce Pompeio fecêre, qui non alio nomine reges Orientis, quàm quod diceret: *indignum regno videri, qui tueri illud non posset.*

IMPIA BELLA SVSCIPITIS) Nec valdè sancta Alexander, præsertim cum Poro, & ijs, à quibus non modo læsus, sed ne visus, vel auditus fuit prædo mundi. Bellum oportet vt iustum sit, & à iusta causa natum. Sed contrà tum Persæ & Macedones, tum etiam Romani, nec non aliæ pleræque gentes fecêre, *quibus vna, & ea vetus causa bellandi, profunda cupido imperij, & diuitiarum*, vt Sallustius verè docuit: *Libidinem enim dominandi causam belli habent, & maximam gloriam in maximo imperio putant.*

Ita rapere fœdus, impius lucri furor,
Et ira præceps, vt Seneca χρηματίζει.

Inde breui & imperiorum euersiones sequuntur. Verè enim Euripides in Erechtho: Οὐδεὶς στρατεύσας ἄδικα, σῶς ἦλθεν πάλιν.

Iniusta bellans bella, saluus haud redit.

Ita sæpè euentus belli, vt Liuius sentit, *velut æquus iudex, vnde stabat, ei victoriam dedit*, & acies victum ostendit nocentem. Quod tamen non semper verum: In omni antiquitatis memoria cognoscimus, iniusto sæpè appetitos bello succubuisse; quod cùm cæleste numen permittat, ipsius sanctioribus arcanorum mysterijs nobis ignotis, iustis tamen, est adscribendum. Tu tamen, quod Pindarus monet ἐκ πόλεμον, ἐκ μαχὰν χωρὶς θεοῦ: *Facesse bellum, facesse pugnam, reclamante numine*, nempe iniquum.

LICEMINI HOSTIVM CAPITA.) Liceo, liceor, & licitor, eodem significatu emo, sed plerumque augente precio, vt cum duo eandē mercē desiderant, precijs certāt apud venditorē, qui illi rem se daturum promittit, qui plus soluerit. Licentur ergo emptores, seu licitatores, & alter alterum precio superare contendit. Miror à Valla dubitari de præterito verbi *liceor*, cùm Cicero disertè dicat in Verrem *licitus sit, & liciti sunt*. Hoc loco veteres codices ponunt *licitamini*, vti & Valla legit: Lib. 5. c. 28. Cap. 10. *Aliquando*, inquit, *sine auctione fit licitatio, vt apud Curtium de Dario, qui pollicebatur precium pro capite Alexandri, si quis eum dolo occidisset, ita inquit: Et cùm habeatis arma ita licitamini hostium capita.* Ponit deindè discrimen inter liceri, & licitari. Liceri esse tantū semel precium deferre, aut sine respectu esse aliorū, emere volentiū: licitari autē cum multis, & sæpius augere preciū. Lego igitur cum Modio *licemini*, non *licitamini*.

SICVT TV PROXIME TALENTIS MILLE) suprà lib. 3. *Quippe Darius mille talenta interfectori Alexandri daturum se pronunciari iusserat.*

DIIS QVOQVE PRO MELIORE STANTIBVS CAVSA.)

Lucan. 7. *Causa iubet superos melior sperare secundos.*
Prop. lib. 4. Eleg. 6. *Frangit, & attollit vires in milite caussa,*
Quæ nisi iusta subest, excutit arma pudor.

MAGNAM PARTEM ASIAE) Ab Hellesponto vsque ad Euphratem; suæ ditionis iam fecerat Ioniam, Phrygiam, Lyciam, Cariam, Pamphyliam, Cappadociam, Ciliciam, & Pheniciam.

ACIE VICI.) Ad Granicum, Duces; ad Issum, teipsum.

BELLI IVRA) Vt qui non acie, sed pecunia, & per insidias me conatus fueris interficere. In omni porrò Repub. Cic. 1. de Off. *iura belli maximè conseruanda sunt.*

οὐδεὶς ἀνὴρ εὔψυχος ἀξιοῖ λάθρα
Κτεῖναι τὸν ἐχθρόν.
Nemo vir mentis altæ clanculum velit
Occidere hostem.

Polyb. 13. Laudandi Achæi, qui nec hostes volebant per fraudem vincere. Vilis fraus, nec principe digna, veneno hostem tollere, vel occulto latrone.

Lib. 3. SI VENERIS SVPPLEX) Hoc nunquam fecisset, nec ipse Alexander victus. Quin & ipsæ captæ post prælium fœminæ regiæ, negabant se captas, si viueret rex. Nondum victus est, qui viuit, quamuis omnibus copijs & opibus exutus. Ipsa miseria, & misericordia armat reges, & victum in regnum reducit. Romani & Græci tum demum debellatum credebant,

eum

cùm caput belli auctorem ipsum & regem interfecissent. Hoc apud *a* Tacitum, *b* Cæsarem, *c* Florum *d* Curtium, *e* Ciceronem, Plutarchum, Polybium lib. 11. cognosces. Generoso animo promptius est millies emori, quàm semel apud hostem genua ponere, & se victum profiteri. Amabat Darius coniugem, matrem & liberos, & sine precio poterat saluos recipere, si supplex esse voluisset, vocem mittere, sed tanti non fecit nec suam, nec suorum salutem.

a. lib. 4. annal. *b*. lib. 5 de bello Gall. *c* lib. 4. c. 2 *d*. lib 5. *e* pro Murena.

MEMENTO NON SOLVM REGI, SED ETIAM TVO SCRIBERE.) Acutissimè hoc, seu Alexander, seu Curtius, quod magis credo. nam epistola Alexandri paullò aliter habet, quam hic appono, vt intelligas, quantum à nobis, aut etiam à periodo subinde Curtius deflexerit liberrimus interpres.

Ἡ ἐπιστολὴ Ἀλεξάνδρου ὧδε ἔχει.

Οἱ ὑμέτεροι πρόγονοι, ἐλθόντες εἰς Μακεδονίαν καὶ εἰς τὴν ἄλλην Ἑλλάδα, κακῶς ἐποίησαν ἡμᾶς, οὐδὲν προηδικημένοι· ἐγὼ δὲ τῶν Ἑλλήνων ἡγεμὼν κατασταθεὶς, καὶ τιμωρήσασθαι βουλόμενος Πέρσας, διέβην εἰς τὴν Ἀσίαν, ὑπαρξάντων ὑμῶν. καὶ γὰρ Περινθίοις ἐβοηθήσατε, οἳ τὸν ἐμὸν πατέρα ἠδίκουν. καὶ εἰς Θρᾴκην, ἧς ἡμεῖς ἄρχομεν, δύναμιν ἔπεμψεν Ὦχος. τοῦ δὴ πατρὸς ἀποθανόντος ὑπὸ τῶν ἐπιβουλευσάντων, οἷς ὑμεῖς συνετάξατε (ὡς αὐτοὶ ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς πρὸς ἅπαντας ἐκομπάσατε) καὶ Ἀρσῆν ἀποκτείναντός σου μετὰ Βαγώου, καὶ τὴν ἀρχὴν κατασχόντος οὐ δικαίως, οὐδὲ κατὰ τῶν Περσῶν νόμον, ἀλλὰ ἀδικοῦντος Πέρσας, καὶ ὑπὲρ ἐμοῦ πρὸς τοὺς Ἕλληνας γράμματα οὐκ ἐπιτήδεια διαπέμποντος, ὅπως πρός με πολεμῶσι, καὶ χρήματα ἀποστέλλοντος πρὸς Λακεδαιμονίους, καὶ ἄλλους τινὰς τῶν Ἑλλήνων, καὶ τῶν μὲν ἄλλων πόλεων οὐδεμιᾶς δεχομένης, Λακεδαιμονίων τε λαβόντων, καὶ τῶν παρὰ σοῦ πεμφθέντων τοῖς ἐμοῖς φίλοις διαφθειράντων, καὶ τὴν εἰρήνην ἣν τοῖς Ἕλλησι κατεσκεύασα διαλύειν ἐπιχειρούντων, ἐστράτευσα ἐπὶ σὲ, ὑπάρξαντός σου τῆς ἔχθρας, ἐπεὶ δὲ μάχῃ νενίκηκα. πρότερον μὲν τοὺς σοὺς στρατηγοὺς καὶ σατράπας, νῦν δὲ σὲ καὶ τὴν μετὰ σοῦ δύναμιν, καὶ τὴν χώραν ἔχω, τῶν θεῶν διδόντων. ὅσοι τῶν μετὰ σοῦ παραταξαμένων μὴ ἐν τῇ μάχῃ ἀπέθανον, ἀλλὰ παρ' ἐμὲ κατέφυγον, τούτων ἐπιμέλομαι, καὶ οὐκ ἄκοντες παρ' ἐμοί εἰσιν, ἀλλ' αὐτοὶ ἑκόντες ξυστρατεύονται μετ' ἐμοῦ. ὡς οὖν ἐμοῦ τῆς Ἀσίας ἁπάσης κυρίου ὄντος, ἧκε πρὸς ἐμέ. εἰ δὲ φοβῇ μὴ ἐλθὼν, πάθῃς τι ἐξ ἐμοῦ ἄχαρι, πέμπε τινὰς τῶν φίλων τὰ πιστὰ ληψομένους. ἐλθὼν δὲ πρός με, τὴν μητέρα, καὶ τὴν γυναῖκα, καὶ τοὺς παῖδας, καὶ εἰ ἄλλο τι θέλεις, αἴτει καὶ λάμβανε. ὅ, τι γὰρ ἂν πείθῃς ἐμὲ, ἔσται σοι καὶ τοῦ λοιποῦ ὅταν παρ' ἐμὲ, ὡς πρὸς βασιλέα τῆς Ἀσίας πέμπε· μηδὲ ἐξ ἴσου ἐπίστελλε, ἀλλ' ὡς κυρίῳ ὄντι πάντων τῶν σῶν, φράζε εἴ του δέῃ. εἰ δὲ μὴ, ἐγὼ βουλεύσομαι περὶ σοῦ ὡς ἀδικοῦντος, εἰ δὲ ἀντιλέγεις περὶ τῆς βασιλείας, ὑπομείνας ἔτι ἀγώνισαι περὶ αὐτῆς, καὶ μὴ φεῦγε. ὡς ἐγὼ ἐπὶ σὲ πορεύσομαι, οὗ ἂν ᾖς. Πρὸς μὲν Δαρεῖον ταῦτα ἀπέστειλεν.

Maiores vestri, Macedoniā reliquamq; Græciam ingressi, damnis nos affecerunt, cū ipsi nulla prius à nobis accepissent. Ego Græcorum imperator creatus, Persarum iniuriam vindicare volens, in Asiam traieci, à vobis lacessitus. Siquidem & Perinthijs opem tulistis, qui patrem meum iniuria affecerant. Ochus etiam in Thraciam, quæ nostro imperio subest, exercitū duxit. Parente autem meo per insidiatores, quos ipsi subornaratis, occiso (quemadmodum vos litteris quoquouersum missis gloriati estis) cùm tu Arsen cum Bagoo intersici curasses; regnumque iniustè, & contra Persarum leges atque instituta occupasses, summa Persis iniuria illata, litteras etiam parum amicas ad Græcos misisti, quibus eos ad bellum contra me suscipiendum incitares, cumque pecunias ad Lacedæmonios, aliosque Græcorum nonnullos miletis; quas tamen, cum reliquæ omnes Græciæ ciuitates contempsissent, soli Lacedæmonij acceperunt, eùm denique ij, qui abs te emissi fuerunt, amicos, sociosque meos corruperint, atque abalienariot, & pacem cum Græcis constitutam, dissoluere omnibus modis conati sint, bellum tibi intuli, quippe qui inimicitiarum auctor fueris. Cum autem primò Satrapas tuos, bellique duces, nunc verò te, tuumque exercitum prælio vicerim, & ditiones tuas, deorumque benignitate in mea potestate teneam, quotquot tuarum partium milites ex prælio seruati ad me confugerunt, horum curam gero, neq; inuiti apud me sunt, sed sua sponte mecum militant. Ad me igitur, vtpote totius Asiæ dominum, veni: At si metuis ne, vbi veneris, aliquid tibi abs me acerbi accidat, mitte amicorum tuorum aliquot, qui fidem accipiant. Cùm ad me veneris, matrem & vxorem ac liberos, & siquid præterea voles, posce atque accipe. Quidquid enim à me petieris, impetrabis. De reliquo, quando ad me scribes, ad Asiæ regem scribere te memineris, neque tanquā ad parem scribe, sed veluti omnium tuarum rerum domino significa, si quid petas. Sin aliter feceris, egò de te, tanquam iniuriam inferente decernam. Si verò, quod ad regni possessionem attinet, contradicis, aliud proce prælium experiri paratus, ne fugias. Ego enim te, quocumque loci fueris, adoriar. Atque hæc quidem ad Darium scripsit.

CAPVT II.

ARGVMENTVM.

Alexander in Phœnicia Biblon & Sidonem deditas seruat, Stratonem regem abdicat, Abdalonymum regia stirpe ortum in regium fastigium extollit.



psi in Phœnicem descendit, & oppidum Byllon traditum recepit. Inde ad Sidonem ventum, vrbem vetustate, famaque conditorum inclytam. Regnabat in ea Strato Darij opibus adiutus: Sed quia deditionem magis popularium quàm sua sponte fecerat, regno visus indignus: Ephæstionique permissum, vt quem eo fastigio Sidonis dignissimum arbitraretur, constitueret regem. Erant Ephæstioni hospites clari inter suos iuuenes, qui facta ipsis potestate regnandi, negauerunt quemquam patrio more, in id fastigium recipi, nisi regia stirpe ortum. Admiratus Ephæstion magnitudinem animi spernentis, quod alij per ignes, ferrumque peterent: Vos quidem macti virtute, inquit, estote, qui primi intellexistis, quanto maius esset regnum fastidire quàm accipere. Cæterum date aliquem regiæ stirpis, qui meminerit à vobis acceptum habere se regnum. Atque illi, cum multos imminere tantæ spei cernerent, singulis amicorum Alexandri ob nimiam regni cupiditatem adulantes statuunt neminem esse potiorem, quàm Abdalonymum quendam, longa quidem cognatione stirpi regiæ annexum, sed ob inopiam suburbanum hortum exigua colentem stipe. Caussa ei paupertatis sicut plerisque, probitas erat: intentusque operi diurno, strepitum armorum, qui totam Asiam concusserat, non exaudiebat. Subitò deinde, de quibus ante dictum est, cum regiæ vestis insignibus hortum intrant, quem fortè steriles herbas eligens Abdalonymus repurgabat. Tum rege eo salutato, alter ex his: Habitus, inquit, quem cernis in manibus meis cum isto squalore permutandus est. ablue corpus illuuie, veternoque & sordibus squalidum: cape regis animum, & in eam fortunam, qua dignus es, istam continentiam perfer: & cum in regali solio residebis, vitæ necisque omnium ciuium dominus, caue obliuiscaris huius status. in quo accipis regnum, imo hercule, propter quem. Somnio similis res Abdalonymo videbatur: interdum satisne sani essent, qui tam proteruè sibi illuderent, percunctabatur. Sed vt cunctanti squalor ablutus est, & iniecta vestis purpura auroque distincta, & fides à iurantibus facta: serò iam rex ijsdem comitantibus in regiam peruenit. Fama deinde, vt solet, strenuè tota vrbe discurrit: aliorum studium, aliorum indignatio eminebat: Ditissimus quisque humilitatem, inopiamque eius apud amicos Alexandri criminabantur. Admitti eum rex protinus iussit. diuque contemplatus: Corporis, inquit, habitus famæ generis non repugnat: sed libet scire, inopiam qua patientia tuleris? Tum ille: Vtinam, inquit, eodem animo regnum pati possim! Hæ manus suffecêre desiderio meo: nihil habenti, nihil defuit. Magnæ indolis specimen ex hoc sermone Abdalonymi cepit. Itaque non Stratonis modò regiam supellectilem attribui ei iussit, sed pleraque etiam ex Persica præda: regionem quoque, vrbi appositam ditioni eius adiecit.

* amicorum. * adulantibus
* tibi. * æternisque terrisque, detersisque terræque.
* Serò.

INPOENICEM DESCENDIT). Phœnice Græcis φοινίκη à Phœnice Agenoris filio dicta, prius Rabboth n & Colpites. Duplex est hæc: Vna, quæ ab Orthosia Berytum vsque pertendit: Altera post Berytum, quæ Sidonem & Tyrum complectitur, principes, & toto orbe decantatas, vrbes, de quibus mox plura. Phœnices passim à Scriptoribus Latinis & Græcis celebrantur, ob admirandum literarum inuentum, de quibus Mela, Plinius, Iustinus, Strabo, Stephanus, alij: Est in Syria.

Stephan. de vrb. Strabo l.16 Ptolomæus

BYBLON) Et hoc oppidum omnes Geographi celebrant in Phœnice. Arrianus, pactionibus ait traditum: βύβλον τε λαμβάνει ὁμολογίᾳ ἐνδοθεῖσαν, absente tamen rege Enylo, qui cum Autophra-

phradate Sattapa Darii versabatur.

RECEPIT) Iam supra monui, verbum hoc pro simplici vsurpari, idemq; sæpe valere, quod cepi, vel accepi, non perditum recepi: quamquam & hoc sonet. Sed priori vsu frequentat verbum Cæsar: *Curiosum omnium voluntate Firmium recipit.* Et mox: *Recepto Asculo, expulsoque Lentulo,* & sæpe aliàs. lib. 1. de bell. Ciuil.

AD SIDONA VENTVM EST) Vetustate, amplitudine, nobilitate cum Tyro comparandam: poëtis etiam amplius, quàm Tyrus celebratam, cum Tyri nusquam meminerit Homerus, Sidonas verò seu Sidonios laudat ab ingenio & artificio, cùm πολυδαιδάλους appellat: Iliad ψ. Odyss. δ. v. o.

... ἐπεὶ Σιδόνες πολυδαίδαλοι εὖ ἤσκησαν.

φοίνικες δ' ἄγον ἄνδρες.

Quos prolixè laudat Eustathius, cum πολυτέχνους καὶ καλλιτέχνους καὶ χαλκευτικοὺς τεχνίτας nominat. Et rurfum Homerus πέπλους & πέπλους γυναικῶν Σιδονίων munera à Paride allata Helenæ narrat. Ita de ijsdem Strabo: Σιδόνιοι δὲ πολύτεχνοί τινες παραδίδονται καὶ καλλίτεχνοι καθάπερ καὶ ὁ ποιητὴς δηλοῖ. Addit Strabo peritos Arithmeticæ & Astronomiæ à ratiocinationibus & nocturna nauigatione ducto initio. Moschus philosophus Sidone natus est ante bellum Troianum; postea & Boethus & Diodotus floruerunt. Ab ijsdem artibus Sidonios prædicat Plinius. Distat Sidon Tyro ducentis stadijs, nostratibus milliarijs sex, & stadiis quatuordecim. Addit Phauorinus: Σιδὼν πόλις ἐστὶ φοινίκης, καὶ κλίνεται Σιδῶνος· φυλάττει δὲ, ὦ, μέγα ὂν τῇ γενικῇ ὁμοῦ: ἐκ μὲν Σιδῶνος πολυχάλκου εὔχομαι εἶναι, καί τοι τὸ τοπικὸν πανταχοῦ κατὰ συστολὴν ὁ ποιητὴς προάγει. Iliad. 7. lib. 5. c. 12.

FAMA CONDITORVM INCLITAM) Conditores fuêre Phœnices, Sic enim Iustinus: *Tyriorum gens condita à Phœnicibus fuit, qui terræmotu vexati, relicto patriæ solo, Assyrium stagnum primò, mox mari proximum littus incoluerunt, condita ibi vrbe, quam à piscium vbertate, Sidona appellauerunt. Nam pisces Phœnices, sidon vocant.* Sed Eustathius à Sida Beli filia dictam putat. Et Iosephus, à Sichem Chanaani filio. Curtius infrà, Sidonem & Tyrum ab Agenore conditam scribit, & cum Curtio alii: Porrò Sidonii exosi Darium, Alexandrum vltro accersierunt, vt docet Arrianus. Curtius infrà. lib. 18. Arr. lib. 2.

STRATO) Vsitatum illis regionibus nomen. Et Tyrii Stratonem habuêre regem post dominorum cædem. Et suprà, Aradi rex Strato vocatur. Iust lib. 18.

DARII OPIBVS ADIVTVS) Erat enim amicus Darii, immo, vt reor, vectigalis. nam Sidonem Persæ ceperunt, vt est apud Melam. Et Sidonii fuêre in expeditione Xerxis contra Græcos, vt est apud Herodotum. lib. 1. c. 12. lib. 7.

POPVLARIVM) Vltro enim Sidonii Alexandrum Arriano auctore, ad se inuitarunt.

VISVS INDIGNVS) Ita Alexander rex regum, reges alios abdicauit, alios ex humili in regnum extulit, adeo omnia parent armato.

ERANT HEPHAESTIONI HOSPITES) De Ephæstione suprà prolixè dictum. Hospites accipe, non caupones, aut stabularios, vt hodiè vsurparur vulgo vox *hospites.* aliud est cauponium & stabulum & diuersorium ab hospitio. Cicero de Diuinat. exertè separat, cum Arcadum alterum ait diuertisse ad hospitem, alterum ad cauponem. Hospes est, qui notum, aut familiarem, aut amicum excipit: caupo omnes, notos iuxta ac ignotos. Seneca: Nemo se stabulorum hospitem iudicat. Hospites gratis suos amicos accipiunt, caupones mercede & locario. Caupo Græcis πανδοχεὺς, cauponium πανδοχεῖον est, de quo ad Martialis epigramma XCIV. Volum. VI. *Sic etiam in stabulo semper, sic cœnat in agro.* Pluria Ioannes VVouerius ad illa: Arbitri: *nec quo loco stabulum esset, sciebam.* Hospites erant sæpè principes ciuitatum, & magistratus accipiebant, aut reges, aut honestissimos: erantque alij publici, alij priuati: priuatorum vox tam de excipiente, quàm excepto vsurpatur, cuius plurima leguntur testimonia apud Ciceronem, Liuium, Cæsarem, & alios. Inde sunt illa: renouare hospitium, id est, amicitiam, & tessera hospitalis, & tesseram frangere, & quæ sunt generis eiusdem. Cognoscis ergo, cur dicat Curtius Hephæstioni hospites claros, etiam regno dignos esse visos, quamuis illud illi recusarent, quod negarent patrij moris esse, alios præternatos ex regio sanguine ad dignitatem regiam euehi. lib. 3.

NEGAVERVNT) Hæc vox elegantissimum vsum apud cultissimos scriptores habet: pro quo vulgo teritur: *dixerunt quod non.* aut his paria. Cæsar passim & Cicero, Plautus, Terentius, & alii passim obuii. Non est hoc loco *negare* idem, quod *inficiari.* Negant intueri lucem fas esse ei, qui à se hominem occisum fateatur, quod interpretaberis: Aiunt non esse æquum illum viuere, qui alterum occiderit.

QVOD ALII PER IGNES, FERRVMQVE PETERENT.) Huius sententiæ testes ferè plures, sunt præquàm numerari possint, quod ex Romana, Græca, sacra & profana historia passim cognosces. Accipe hæc pauca ex infinitis. Eteocles & Polynices Oedipodæ, poëtarum etiam tragœdiis celebrati, per cognatum & fraternum sanguinem grassabantur ad imperium, vnde illa apud Euripidem impia vox Eteoclis.

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ τυραννίδος πέρι.
Κάλλιστον ἀδικεῖν. τἆλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.
Nam si violandum est ius regnandi gratia,
Violandum est. alijs rebus pietatem colas.

Sed enim Eteocles hac oratione non contentus, se paratum cæli ardua ascendere. aut infra terram ad tartara descendere, dum regni potens fiat:

Ἄστρων ἂν ἔλθοιμ' ἡλίου πρὸς ἀνατολάς,
Καὶ γῆς ἔνερθεν, δυνατὸς ὢν πρᾶξαι τάδε.
Per astra ascenderem ad solis exortus,
Et terram infrà, si potis sim. siue efficere.

Nota sunt Cæsaris quoque & Pompeii de principatu certamina, ciuili sanguine composita, quan- 1.&3 Offic. do Cæsar idem Eteoclis carmen in ore habuit, de quo M. Tullius. Declarauit id modo tempestas C. Cæsaris, qui omnia iura diuina & humana peruertit, propter eum, quem sibi ipse opinionis errore finxerat principatum. Agrippinæ ambitionem quis nescit? cui prædictum erat filium regnaturum, sed ipsam occisurum: demens exclamauit:

Me verò occidat, dummodo regnet.

Silentio reliquos transeo, Alexandros, inquam, & Alexandri successores, & ante hos Nabuchodonosores, Cyros, Darios, Xerxes, Græca & Latina historia tibi passim exempla subministrabit.

MACTI VIRTVTE) De hoc vsu loquendi multa ad Martial. epig. XIII. lib. IV. & ad idem in Analectis.

REGNVM FASTIDIRE) Quò plures appetiuêre, hoc pauciores recusarunt. Diocletianus expertus fastidiuit, Gordianus senio fessus recusauit, Pontifices aliquot refugerunt, Tiberius fugiendo quæsiuit, simulando occupauit.

SINGVLIS AMICORVM ADVLANTES) Membranæ Modii: *singulis amicorum adulantibus.* Acidalius: *singulis amicos Alexandri adulantibus*, ex se emendat. Potest vetus, & vulgata scriptura probari: *Multos etiam singulis amicorum Alexandri adulantes.* Nam *adulor* Quintiliani æuo tertio casui passim, ipso Quintiliano auctore iungebatur. Cicero, non nisi quarto iunxit cùm personæ seu pronominis, tum rei, vt: *Vos adulari, & fortunam adulari* diceret, quomodo dicendum fuisset ex membranis *singulis amicos adulantibus.* lib.5. c. 65. Quintilianus *adulatum militi tribunum.* Quin l.3. Dec.1. & Liuius hoc verbum *adulor*, cum Dandi casu copulauit. Tacitus cum accusandi casu 1. histor. *more tradito quencumque principem adulandi.* Lib. XVI. Annal de Petronio: Quod discrimen sit inter *assentor, adulor & blandior*, docet Valla.

lib.XI. *Ne codicillis quidem* (quod plerique pereuntium) *Neronem aut Tigellinum adulatus est.*

ABDALONYMVM) Hanc historiam leges apud Plutarchum, Iustinum, & Diodorum Siculum, quamuis in nomine variatum sit, quando alij Abdolominum, alij Abortonium, alii Alynominum, alij Ballonium, placet Abdalonymus. In re quoque & loco non conuenit auctoribus, Diodorus Tyri regem creatum affirmat contra Iustinum & Curtium, Plutarchus Paphi.

EXIGVA STIPE COLENTEM) Mercede conductus vitam manus precio tolerabat, cùm operas ad puteos exhauriendos collocaret, & hortos irrigaret herbas repurgandas. Stips aliàs pecuniam à populo collatam, & in ærarium repositam significat, aliàs Diis oblatam, aliàs mendicatu- lib.X.c. XXXIII. lis impertitam: aliàs mercedem, vt apud Plinium, mercenariæ stipis ancilla est, quæ stipem vulgato corpore colligit, & quæstum facit, aliàs pro fructu, & eleganter. Villaticæ pastiones, inquit Columella, & pecuariç, non minimam colono stipem conferunt, id est, vtilitatem & fructum. Curtius videri potuit accepisse stipem, vel pro diario & mercede, vt dixi, alienns hortos colenti data: vel fructu, suum hortum suburbanum parua stipe & fructu repurgantem. Curtius enim nihil de alieno horto exprimit. Iustinus & Diodorus disertè alieni horti faciunt cultorem.

CAVSSA PAVPERTATIS PROBITAS FVIT) Ita plerosque probos. Crotonæ pauperes Petronius Satir. fuisse notat Arbiter, Iuuenalis, & Martialis Romæ. *Sin vrbaniorn notæ homines sustinetis semper mentiri, recta ad lucrum curritis. In hac enim vrbe non literarum studia celebrantur, non eloquentia locum habet, non frugalitas sanctique mores laudibus ad fructum perueniunt. Videbitis oppidum tanquam in pestilentia campos, in quibus nihil aliud est, nisi cadauera quæ lacerantur, aut corui qui lacerant.* Et Iuuenalis:

Sat.3. *Quid faciam Romæ? mentiri nescio* --- Et
--- *artibus*, inquit, *honestis*
Nullus in vrbe locus, nulla emolumenta laborum,
Cedamus patria ---- *maneant qui nigrum in candida vertunt.*

lib. 1. epig. 58. Et Martialis: *Si bonus es, casu viuere, Sexte, potes.*

STREPITVM ARMORVM NON EXAVDIEBAT) Archimedes Syracusas intentus Mathesi, & radijs suis describendis, non sensit captas, donec ipse captus, & occisus lineas sanguine induxit.

REGIAE VESTIS INSIGNIBUS) Purpura (cuius auctores erant Phœnices, nec licebat nisi regibus primum vti) sceptro, fascia:

HERILES HERBAS) Vt est inuisa filix, & infelix lolium, & steriles auenæ, Virg. Ecl.5

Carduus & spinis surgens paliurus acutis.

Sarriebat ergo Abdalonymus, & runcabat hortum, noxiasque herbas euellebat.

REGE EO SALVTATO) Appellato ab duobus Hephæstionis hospitibus, vel altero tantum, qui verba faciebat, quæ sequuntur.

HABITVS) Pro cultu corporis & veste hic accipitur, vti nunquam, quod meminerim apud Ciceronem, sed Liuium, Plinium, & alios. Cicero ad animum & constitutionem corporis refert: sæpius etiam tralatè, quàm propriè vsurpat.

PERMVTANDVS EST) Cæteri libri ferè *tibi est*, vel *est tibi*: videtur tamen vacuum *tibi*. Elegans oratiuncula hospitis perelegantis ad Abdalonymum.

PERMVTANDVS EST) Iam suprà de hoc verbo disputatum. rectè etiam dixisset: squalor iste cum hoc habitu permutandus est; contrario vsu, eodem intellectu. lib.3.

ABLVE CORPVS) Ita dispunge: *ablue corpus, illuuie, veterno, & sordibus squalidum*. Hoc dicit: Exue rusticum, ac colonum, & indue regem. Squalent sordibus terræ, sudore, & neglecto mundo, corpora agrestium operarum; aulicas mundicias & elegantias, vestiumque cultum in regijs, non in agro, aut opificum officinis quæras.

VETERNOQVE) Omnia formis descripta, & antiqua exemplaria, immò & manu exarata habent *æternisque sordibus*. Palmerius primus vertit stilum, & expuncto *æternis*, rescripsit *veternoque*. Multa Acidalius hic conatur, & ex ingenio putat vel legi posse loco τοῦ *veterno*, *veterni sordibus*, vel *terrisque sordibus*, vel *cæterisque*: vel *ablue illuuie squalidum, detersisque sordibus, cape regis animum*. Palmerij iudicium placet, præ cæteris; sed bona pace Criticorum, ego, quando res patitur, more meo retineo veterem, & veram scripturam, cum *æternus*, hic valeat idem quod *diuturnus*: quomodo Horatium elegantiæ conditorem locutum memini lib.2.c.2.

--- quid æternis minorem

Consilijs animum fatigas?

æternis inquit Acron, infinitis, & diuturnis. Et Virgilius *pacem æternam* dixit exercere, seruare. Aeternus pro assiduo, perpetuo, immenso eleganter ponitur: æternis curis, id est, assiduis se cruciare. Notauit hunc vsum verbi perelegantem Turnebus, ad illud Virgilianum lib.8. *Tum pater æterno fatur deuinctus amore*. Aeternum, pro magno, atque adeo immenso posuit Maro, & Curtius lib. 4. ferè eodem modo scripsit. *Ablue corpus illuuie, æternisque sordibus squalidum*. Abdalonymus, in æternis sordibus hactenus vixerat agricola. Quid si tamen, vt nostram quoque crisim addamus, quando Aeneid. 4. lib.13.c.8.

Κὰμ' ἔφαθ' ἡ μάτηρ πολυδεύκεος ἦμεν ἀμείνω. Auctoris coiectura.

Me quoque pollucem mea mater vincere dixit.

Quid si, inquam, *Ablue corpus, illuuie, terraque sordibus squalidum*. Scripserat enim Abdalonymum deprehensum fuisse in repurgandis sterilibus herbis, quod ipsis manibus, vt plerumque fieri amat, factitabat, glebamque tractabat. Alius *terrenis*, quod parum arridet. *Veternus* porrò pro torpore animi accipitur, aliàs morbum valet, qui assiduum conciliat somnum, donec mortis somno iungatur.

IN EAM FORTVNAM) Felicem & beatam ac regiam, quam tua frugalitate tibi conciliasti, propter hanc enim potissimum rex creatus est Sidoniorum, immò & Tyriorum, vt alij tradunt. Perelaganter vsurpatur hoc intellectu *fortuna*.

CONTINENTIAM) Paupertatem & frugalitatem permuta regno: continentiam & frugalitatem virtutum omnium genetricem.

CAVE OBLIVISCARIS) Honores mutant mores, & res secundæ fatigant sapientes. Modestè fecit Gordius, qui plostrum, quoad regnum fuit euectus, publicum monumentum prioris fortunæ, in publico Iouis posuit templo. Modestus & Agathocles Syracusorum tyrannus, an rex, qui semper vesci è fictilibus consuenit, ne primæ paupertatis obliuisceretur.

PROTERVE SIBI ILLVDERENT) Non dissimile est, quod Pertinaci euenisse narrat Herodianus *οὐ πάνσεσθε ἤδη χλευάζοντες πρεσβύτην*, *Non desinitis senem ludere hominem*, & quæ ibidem sequuntur. lib.2.

SATISNE SANI) Inter orationem; hospitis quærebat, an saperent, qui innocenti, & infelici illuderent.

SERO IAM REX) Antiqui codices, *Seriò*, & verè, quicquid contrà ad seram vsq; vesperam disputet Modius. Proinde scribe *Et fides à iurantibus facta seriò*. Non vides, seriò rem gestam à iuratis?

IAM REX) indutus regium cultum, & regem se sentiens, & credens.

FAMA TOTA VRBE DISCVRRIT) De Abdalonymo rege creato rumorem distulit.

HVMI-

HVMILITATEM) Fortunæ, non generis, hic enim ad paupertatem respexêre diuites. Humilitas, scriptoribus priscis, in vitio erat, aut certè non in virtute. Humilitas generis claritudini opponitur: res humiles sunt abiectæ. Exempla vbique obuia.

CRIMINABANTVR) Indignum esse regno Abdalonymum, hominem esse agrestem, humilem, mendicum, esse qui possint melius fortunam regiam sustinere.

CORPORIS HABITVS) Forma, statura, & dignitas oris, te regibus creatum produnt: de animo nunc videamus. Quæro, quomodo tam indignam genere tuo fortunam tuleris? Vtinam, respondit Abdalonymus, tam moderatè feram opes & regnum, quàm non grauatè tuli paupertatem. facilius rebus aduersis constanter occurras, quàm moderatè te geras secundis.

Senecā vide & Publium.

NIHIL HABENTI, NIHIL DEFVIT) Auaro semper deest, tamque eo caret, quod adest, quàm quod abest. Omnia possidet, qui nihil petit. Legendum vltimum Ciceronis Paradoxum: ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος, *Solum sapientem esse diuitem. Magnum*, inquit, *vectigal parsimonia est, non esse cupidum, pecunia est: non esse emacem vectigal. contentum verò suis, maximæ, certissimaque diuitiæ*(Sapientes) *satis esse putant quod est, nil appetunt, nulla re egent, nihil sibi deesse sentiunt, nil requirunt* Et apud Senecam poeta: *Is minimo eget mortalis, qui minimum cupit, Quod vult habet, qui velle, quod satis est, potest. auaro nihil satis est, qui non tam habet, quod habet, quàm habetur.* οὐκ ἔχει ἀλλ' ἔχεται.

MAGNAE INDOLIS) Dignum regno iudicauit Alexander è tam sapienti responso, quo captus, magnis opibus inopem locupletauit. Ita Alexander rex regum, alios reges dixit, alios abdixit.

Habes historiam de Abdalonymo ex Curtio, cum quo facit Diodorus, nisi quod Ballonium indigetet, & Tyri non Sidonis regem creatum affirmet. Plutarchus verò Paphi regem ait ab Alexandro institutum: sic enim ille: Πάλιν ἐν Πάφῳ τοῦ βασιλεύοντος ἀδίκου καὶ πονηροῦ φανέντος ἐκβαλὼν τοῦτον Ἀλέξανδρος, ἕτερον ἐζήτει, τοῦ Κινυραδῶν γένους ἤδη φθίνειν καὶ ἀπολείπειν δοκοῦντος, ἕνα δ' οὖν ἔφασαν περιεῖναι πένητα, καὶ ἄδοξον ἄνθρωπον ἐν κήπῳ τινὶ παρημελημένως διατρεφόμενον. ἐπὶ τοῦτον οἱ πεμφθέντες ἧκον, εὑρέθη δὲ πρασιαῖς ὕδωρ ἐπαντλῶν. καὶ διεταράχθη τῶν στρατιωτῶν ἐπιλαμβανομένων αὐτοῦ, καὶ βαδίζειν κελευόντων, ἀχθεὶς δὲ πρὸς Ἀλέξανδρον ἐν εὐτελεῖ σινδονίσκῃ βασιλεὺς ἀνηγορεύθη, καὶ πορφύραν ἔλαβε, καὶ εἷς ἦν τῶν ἑταίρων προσαγορευομένων. ἐκαλεῖτο δὲ Ἀλύνομος. *Rursus in Papho rege ob flagitia, ab Alexādro eiecto, cùm rex alter non reperiretur, quod Cinyradarum gens funditus deleta existimaretur, vnum tandem tradunt inuentum inopem, vltimique nominis hominem, in hortulo quodam neglectum, vixque ex eo se tolerantem. Ad hunc, qui missi erant, cùm venissent, aquam* * *elicibus deducentem offenderunt. terrore verò perculsus est, militibus manum in eum inijcientibus, praeireque porrò iubentibus, quoad ad Alexandrum deductus obsoleta plagula amictus, rex est pronunciatus, assumptaque purpura vnus eorum esse cœpit, qui regis sodales vocitabantur. Erat autem ei nomen Alynomo.* Hæc Plutarchus. Necesse, quod miretere nominari Paphi regem. Plures enim Cyprus habuit reges. Insula omnium in omni orbe felicissima nouem olim regnis inclyta; quamuis Paphus tantum ciuitas Cypri laudetur. Arrianus etiam reges Cypri, non regem vocat.

lib. 2. de fortuna Alexādri.

* πρασιαῖς

Mela auctor. lib. 2.

CAPVT III.

ARGVMENTVM.

Perfidus Amyntas, & transfuga cum suis quattuor millibus primùm Tripolim venit, inde Cyprum, dein Ægyptum, quam conatus occupare ad Memphin primum victor, mox victus cum suis deletur.

*INterea Amyntas, quem ad Persas ab Alexandro transfugisse diximus, cum quatuor millibus Græcorum ipsum ex acie persecutis fuga Tripolim peruenit. Inde in naues militibus impositis Cyprum transmisit: & cum in illo statu rerum, id quemque, quod occupasset, habiturum arbitraretur, velut certo iure possessum, Aegyptum petere decreuit: vtrique regi hostis, & semper ex ancipiti mutatione temporum pendens: hortatusque milites ad spem tātæ rei, docet Sataceu prætorem Aegypti cecidisse in acie: Persarum præsidium & sine duce esse, & inualidum. Aegyptios semper prætoribus eorum * infensos pro socijs ipsos, non pro hostibus æstimaturos. Omnia experiri necessitas subigebat: quippe cùm * primas spes fortuna destituit, futura præsentibus videntur esse potiora. Igitur conclamant, duceret quò videretur.*

* infestos
* prima spes fortunæ.

tur. Atq; ille vtendum animis, dum spe calerent, ratus, ad Pelusij ostium penetrat, simulans à Dario se esse præmissum. Potitus ergo Pelusii, Memphin copias promouit: ad cuius famam Aegyptii vana gens, & nouandis, quàm gerendis aptior rebus, ex suis quisq; vicis, vrbibusq; hoc ipsũ concurrunt, ad delenda præsidia Persarum: qui territi tamen spem retinendi Aegyptum non omiserunt. Sed eos Amyntas prælio superatos in vrbem compellit, castrisq; positis, *Diis vel his *victores ad populandos agros, velut in medio positis, hostiũ cunctis agebantur. itaq; Mazaces quanquam infelici prælio suorum animos territos esse cognouerat: tamen palantes & victoriæ fiducia incautos ostentans perpulit, ne dubitarẽt ex vrbe erumpere, & res amissas recuperare. Id consilium non ratione prudentiùs, quàm euentu feliciùs fuit. Ad vnum omnes cũ ipso duce occisi sunt. Has pœnas Amyntas vtriq; regi dedit, nihilo magis ei, ad quem transfugerat, fidus, quàm illi, quem deseruerat.* *Astaces Maztaces, Mastabes

QVEM AB ALEXANDRO TRANSFVGISSE DIXIMVS) Dixerat hoc suprà: *At Græci, qui in Darij partibus steterãt, Amynta duce, (prætor hic Alexandri fuerat, tũc transfuga) abrupti à cæteris haud sanè fugientibus similes euaserant.* De Amynta & Thymonda eadem Arrianus, qui tres Amyntas cognomines ponit, Arrabæi filium, alterum Andromenis, tertium hunc Antiochi, cuius interitum cũ exercitu infra audies. lib. 3. c. 22.

CVM QVATVOR MILLIBVS ILLVM EX ACIE PERSECVTIS) An prosecutis? Vtraque proba lectio videri potest, nisi quod *persecutis* ambiguum per se sit. Arrianus octo millia censet. Diodorus cum Curtio facit, vel potius hic, cum illo.

TRIPOLIM) In varijs regionibus hoc nomine ciuitates reperiuntur. Est Phœnices, est Macedoniæ, Perræbea Cariæ, Messeniæ, Arcadiæ Epiri, & in Ponto, vti Stephanus tradit. Hoc loco de Phœnices accipienda, quà Amyntas ante Alexandri aduentum peruenit, vt auctor est Diodorus; nomen accepit à colonis ex tribus illuc ciuitatibus missis, Arado, Tyro & Sidone. Melas à tribus oppidis, singulis inter se stadijs distantibus Tripolimais nomen inditum. Tripolitanum nauale Amyntas occupauit, & nauibus, quibus vti non poterat, incensis, ne Alexander fugientes posset assequi, fugit. Strabo 16. Stephanus de vrbib. Melas li. 1. c. 12.

CYPRVM TRANSMISIT) Regiam insulam è regione Cilicij sinus positam, quàm omnes Geographi depingunt.

IN ILLO STATV RERVM) Exponit consilium Amyntæ, cuius ingenium haud procul aberat à proditoris conditione, nulli fidum, omnibus infestum, fortunæ vultum vbique sequens. Erat tum AEgyptus id loci, vt à Satrapis Darij regeretur. Sataces, de quo suprà, prætor AEgypti, ad Issum ceciderat, cuius vicem proprætores Aegypto præerant, inter quos princeps Mazaces, proinde velut vacuam magistratu occupare tanquam suam destinarat. lib. 3. c. 21.

VTRIQVE REGI) Dario & Alexandro hostis Amyntas, primum Alexandrum, deinde Dariũ, postremo sua auspicia secutus.

SINE DVCE ESSE) Mentitur esuriens Græculus, qui mòx Mazacen prætorem occisus sensit.

OMNIA EXPERIRI NECESSITAS COGEBAT) Miles, cùm quò se verteret, non haberet, fortunæ Amyntæ coactus se commisit.

PRIMAS SPES) Victore Dario se beatos fore putabant, tanto regi seruituri; & hæc erat prima spes, à qua destituti, proximam secuti Aegyptum animo præcipiebant. gnome nobilis est: Plerique futura præsentibus anteponunt, parum prouidi vbique *victu* esse.

DVM SPE CALERENT) Elegantissimè hoc. facilè enim, & citò refrigescit, ac debilitata infringitur.

AD PELVSII OSTIVM) A Cypro enim nauiganti versus meridiem, primum ad Aegyptum occurrit Pelusium oppidum, & portus, vbi Nili ostium exoneratur in mare, & angulum ex Δelta tertium Pelusiacum efficit. de quo infrà ex Callisthione & Strabone prolixè. Pelusium cæde Pompeij Magni nobilitatum est. Callisthenes. Strabo l. 17. Cæsar l. 3. de bello Ciuili.

MEMPHIN) Caput Aegypti & regia, Caira hodie, de qua plenius ad primum Epigramma Martialis. Amyntas non dubitauit se totam Aegyptum in potestate habiturũ, vbi Memphin occupasset.

AEGYPTI VANA GENS) Polybius, Strabo, alijque testantur.

*HOC IPSVM CONCVRRVNT) Hoc genus loquendi lib. priore tractauimus, vt & id quod sequitur, *spem non omiserunt*. Aegyptij permutaturi magistratum Persicum Græco, Persas adorti victi recesserunt: victores Amyntas superauit, ita ludere fortuna solet in rebus humanis, adeoque maximè bellicis. Amyntam rursum victi aggressi, occidione occiderunt. *ad hoc ipsum.

SED EOS AMYNTAS PRAELIO SVPERATOS) Præsidium Persarum accipe Memphi impositum, cui præfectus erat Mazaces Sataci vicem prætura fungens.

VICTORES AD POPVLANDOS AGROS, VELVT IN MEDIO POSITIS HOSTIVM CVNCTIS AGEBANTVR) Ilias hic variarum lectionum occurrit. Aliter editi, aliter membranæ, aliter Modius, aliter Acidalius curat affectum, & propè depositum locum. Mei libri hæc collocant

*Hernuartus v. c. legit diuitijs.

verba: *Castrisq; positis victores ad populandos agros eduxit, ac velut in medio positis* * *Dijs, hostium cuncta agebantur.* Alius antiquior *positu hu.* Alius *agebat.* Alij apud Modium: *Positis omnibus hostium cuncta agebantur.* Membranæ Colonienses: *Victores ad populandos agros, velut in medio positi, Dis hostium cuncta agebantur,* haud dubiè mendosissimè. Non multò melius Sigebergenses, *Victores ad populandos agros velut in medio positi hostium cuncta agebantur* Modius ratus se rem acu tetigisse, rescripsit: *Victores ad populandos agros velut in medio positis hostium, cunctis agebantur.* Sed ipse sibi parum placens, vertit calculum, ediditque *Victores ad populandos agros velut in medio positi, hostium cuncta agebantur,* nihilo melius, immò deterius. Modium damnat Acidalius, qui mutat quadrata rotundis. Primùm expungit, quod in veteribus libris scriptum est *eduxit*, deindè, *ac velut,* vertit in *huc illuc,* prætereà pro, *in medio positu,* reponit, *incompositu,* illud *omnibus,* mutat in *agminibus.* Demum, quod nullam omninò habet affinitatem, cum voce, & ductu literarum, pro, *cunctu*, scribit, *securi. Ita,* inquit, *partibus refectu,* integrum restitui locum, Quomodo, si non persanatus est, audebo dicere, vix alius aliter sanabit. Ain' tu? an etiam nobis tollere tentandi conatum, cùm tibi permiseris omnia conaris. Ego ita sanari locum arbitror, *castrisq; positis victores ad populandos hostium agros eduxit, ac cuncta, velut in medio omnibus positu agebat.*

Possis tamen permutato verborum ordine rescribere: *Castrisq; velut in medio positis, victores ad populandos hostium agros eduxit:* Verbum *cuncta,* vel *cunctis positu, agebat* vel *agebantur,* redundat; vel alia desiderantur: neque enim oratio rectè connectitur. Intellectus iustus est: *Amyntas compulsis in vrbem victis, castrisq; velut in medio* (inter vrbem nempe & agrum) *positu, victores Græcos ad populandos hostium agros, & prædas agendas eduxit.* Alioqui verbum *positu*, altero statim versu inconditè recurrit. Optimè forsan legeris: *Castrisq; positis victores ad populandos agros, velut*

*vagabantur.

cunctis hostium in medio positis * *agebantur.*

Mazaces) alijs *Mastaces,* al. *Mactabes,* al. *Mastaces,* al. *Mazabes,* aliter *Mazeces.* Nihil est quod miretur hoc loco Glareanus, quomodo Amyntas in concione dicat, præsidium Persarum in Ægypto sine duce esse, & hic à Curtio Mazaces prætorem agat. Primùm mendax Græculus esuriebat, & vel putabat nullum esse, vel potius mentiebatur. Quomodo enim poterat ignorare à Satace proprætorem de more illi esse relictum? Præthereà vti simulabat se missum à Dario prætorem Ægypti: ita simulabat nullum esse præfectum præsidio.

Praelio svorvm territos) Victus semel miles inutilis: recognosce, quæ Gruterus ad illa Taciti verba annotarit: *superesse, qui fugam animis, qui vulnera tergo ferant.* Et hoc est, quod Tur-

Li. 5. histo. nus Troianis toties obiectat: *bis victam gentem;* Et Romulus: *bis captos Phryges.*

Victoriae fidvcia incavtos) Quoties sæpe prædæ victores à victis superati sint, loquuntur & veteres, & nostræ historiæ.

Has poenas Amyntas) Monui solemne esse Curtio, post quamuis narratiunculam, vbi quid grauius exponitur, subijci epiphonema; non aliter ferè, quàm solet in epigrammatis fieri. Di-

Lib. 2. gno proindè supplicio mactatum ait, perfidum caput, vtrique regi, Dario ad quem transfugerat, &

Lib. 17. Alexandro, quem deseruerat. Eundem finem sortitum Amyntam narrat Arrianus & Diodorus.

CAPVT IV.

ARGVMENTVM.

Darij prætores ex acie Issica superstites, recuperare Lydiam tentantes fundit Antigonus. Describuntur dein varia bella inter duces Darij & Alexandri gesta. Agis quoque rex Lacedæmoniorum Antipatro bellum fecit.



Arij prætores, qui prælio apud Issum superfuerant, cum omni manu, quæ fugientes secuta erat, assumpta etiam Cappadocum & Paphlagonum iuuentute, Lydiam recuperare tentabant. Antigonus prætor Alexandri Lydiæ præerat qui quamquam pleros'q; militum ex præsidijs ad regem dimiserat, tamen barbaris spretis in aciem suos eduxit. Eadem illic quoque fortuna partium fuit, tribus prælijs alia atque alia regione commissis Persæ fun-

duntur

duntur. Eodem tempore classis Macedonum ex Græcia accita, Aristomenem, qui ad Hellesponti oram reciperandam à Dario erat missus, captis eius, aut demersis nauibus superat. A Milesiis deinde Pharnabazus præfectus Persicæ classis pecunia exacta, & præsidio in vrbem Chium introducto, centum nauibus Andrum, & inde Syphnum petijt. has quoque insulas præsidijs occupat, pecunia multat. Magnitudo belli, quod ab opulentissimis Europæ, Asiæq; regibus in spem totius orbis occupandi gerebatur. Græciæ quoque & Cretæ arma commouerat. Agis Lacedæmoniorum rex octo millibus Græcorum, qui ex Cilicia profugi domos repetierant, contractis, bellum Antipatro Macedoniæ præfecto moliebatur. Cretenses has, aut illas partes secuti, nunc Spartanorum, nunc Macedonum præsidijs occupantur. Sed leuiora inter illos fuere discrimina: vnum certamen, ex quo cætera pendebant, intuente fortuna.

DARII PRAETORES) Pharnabazus, Autophradates, Apollonides Chius, Phisinus, Megareus, Chares, Agis rex Lacedæmoniorum cum Agesilao fratre, Aristomenes. Alexandri prætores erant Macedoniæ Antipater, Antigonus Lydiæ, Egelochus, & Amphoterus classi præerant; Zopyrion Ponto.

RECVPERARE) Ita antiqui libri, Modiani, *reciperare*, quomodo apud Tacitum sæpius scriptum à *recipio, recipero, reciperas*, pro *recupero*.

CAPPADOCVM ET PAPHLAGONVM IVVENTVTE) Alijomnes erant sub ditione Alexandri, an sponte sequebantur. votum prætorum, an vis exercitus illos secum traxit? an Paphlagonia & Cappadocia defecerat. Nam mortuo Alexandro iam defecisse constat. Paphlagonū prętor Calas.

ANTIGONVS PRAETOR ALEX. LYDIAE) De hoc infrà sæpiùs, præsertim libro extremo Arrianus Phrygiæ præfectum affirmat. lib.2. c.3.

EADEM FORTVNA) felix, quæ secundum Alexandrum pronunciauit. Antigonus enim vicit Satrapas Darij, vt Darium Alexander. Cappad. Abistamenes c.8. lib.1.

CLASSIS MACEDONVM) Ducibus Amphotero & Hegelocho. lib 3. c.3.

PHARNABAZVS) De quo suprà: Pharnabazi quoque, cui summum imperium maritimæ oræ rex dederat &c. Hic cùm accepisset nuncium de clade Issica, cum duodecim triremibus atque exterorum stipendiariorum mille quingentis Chium repetit, veritus ne audita strage Persarum defectionem molirentur. Milesijs pecuniam in classem Persicam imperauit. Miletus caput Ionum in Caria. cap.vlt.l.3. Arrian.l.2.

CENTVM NAVIBVS) Arrianus quasi ex Curtio exscripsisset: *Pharnabazus autem & Autophradates aliquandiu apud Chium moram fecerunt, præsidioq; in insula collocato, nonnullis in Con atque Halicarnassum nauibus missis, ipsi centum nauibus optimè ad nauigandum instructis Siphnum appellunt.* Est Chios nobilissima maris Ionij insula. Steph. de vrbib.

ANDRVM APPELLVNT) Ex Cycladibus vna, ab Andro Eurymachi F. dicta. plura Stephanus cum alijs Geographis. Ex hac est Andria Terentij.

SIPHNVM) Insula in Cretico mari à Siphono Sunij F. prius Merope dicta. Has omnes insulas Pharnabazus cum Autophrodate occupauit.

MAGNITVDO BELLI) Persici inter Alexandrum & Darium gerebatur eo fine, vt victor simul orbem occuparet, quem spe deuorauerat Alexander.

GRAECIAE ET CRETAE) Non quod Cretenses non Græcè loquerentur, sed quod Creta Græciæ non esset subiecta, suisque legibus viueret, quas Minos tulerat. Est insula non in AEgæo mari, vt Eudoxus censuit, sed vt Strabo docet, inter Cyrenaicam & Græciam sita, longa stadijs minus duobus duo milliaria suprà septuaginta, lata milliaria septem minus triẽte. dicta ἑκατόμπολις à ciuitatibus centum, de quibus copiosè Strabo. Auct. Polit. lib.10. Lib.10.

ARMA COMMOVERAT) Græci & Cretenses cum viderent Alexandrum nisi confecto bello Persico non reuersurum, ausi sunt se commouere, nec tamen omnes, immò soli Lacedæmonij, qui in Alexandrum regem nunquam consenserant.

AGIS LACEDAEMONIORVM REX) Quæras quis iste sit Agis, Lacedæmonius, an Eurysthenis F. Agesilai frater, quem suis monumentis celebrat singulari libro Xenophon, à quo Agidæ, an ille posterior Agis, an tertius denique interfectus, quem cum Cleomene laudat Plutarchus. Hic Agis inter primum & vltimum medius; an ille, quem cum Gracchis componit Plutarchus? Haud dubiè medius hic est inter extremos, ab Antipatro ad Megalipolim cæsus. Nec turbet te, quod apud Arrianum Agesilaus nominetur Agidis frater, & primus ille fratrem habuit, & iste Agesilaum, &c.

EX CILICIA PROFVGI) Ex triginta millibus à Dario mercede conductis, alij Amyntam in AEgyptum secuti erant, alij in acie ad Issum ceciderant, alij ad Agidem venerant, qui cum illo plerique perierunt.

ANTIPATRO BELLVM MOLIEBATVR) Prælium inter Antipatrum & Agidem commissum, describitur infrà initio libri sexti. Arrianus docet Agidem ad Antophrodotem in Siphnum insulam peruenisse, ibi triginta accepisse talenta, & decem triremes, quas cum Hippia ad Agesilaum miserit cum mandatis, vt in Cretam cum illis nauigaret, ad res illius insulæ constituendas. Diodorus paucis: *In Europa*, inquit, *Agis Lacedæmoniorum rex, receptis octo millibus are mereutium militum, qui ex prælio aduerso ad Issum euaserant, nouis rebus in gratiam Darij animum intendit. A quo naues & pecuniam magnam cum obtinuisset, in Cretam transmisit. Vbi vrbes complures captas, in Persarum partes traxit.* Iustinus de eodem Agidis & Antipatri bello narrat, quem infrà adducemus.

Lib. 2.

Lib. 12. ipso initio.

SED LEVIORA INTER ILLOS ERANT DISCRIMINA) Inter Macedonas & Lacedæmonios, cum orbis vniuersus expectatione euentus Persici belli esset suspensus, Alexander sanè tantoperè properans, hosce despexit, vt cum murium & ranarum pugnis illos contenderet.

βατραχομυομαχία.

CAPVT V.

ARGVMENTVM.

Tyri laus, donum Tyriorum Alexandro missum. Alexander prohibetur vrbis aditu, descriptio maris Tyrij & vrbis.



Iam tota Syria, iam Phœnice quoque, excepta Tyro, Macedonum erat: habebatque rex castra in continenti, à quo vrbem angustum fretum dirimit. Tyrus & magnitudine, & claritate ante omnes vrbes Syriæ Phœnicesque memorabilis, faciliùs societatem Alexandri acceptura videbatur, quàm imperium. Coronam igitur auream legati donum afferebant, commeatusque largè & hospitaliter ex oppido aduexerant. Ille dona, vt ab amicis, accipi iussit, benigneque legatos allocutus, Herculi (quem præcipuè Tyrij colerent) sacrificare velle se dixit: Macedonum reges credere, ab illo deo ipso genus ducere: se verò, vt id faceret, etiam oraculo monitum. Legati respondent, esse templum Herculis extra vrbem, in ea sede, quam Palætyron ipsi vocant, ibi regem deo sacrum ritè facturum. Non tenuit iram Alexander, cuius alioquin potens non erat: Itaque vos quidem, inquit, fiducia loci, quod insulam incolitis, pedestrem hunc exercitum spernitis, sed breui ostendam in continenti vos esse. Proinde sciatis licet, aut intraturum me vrbem, aut oppugnaturum. Cum hoc responso dimissos monere amici cœperunt, vt regem, quem Syria, quem Phœnice recepisset, ipsi quoque vrbem intrare paterentur: at illi loco satis fisi, obsidionem ferre decreuerunt. namque vrbem à continenti quatuor stadiorum fretum diuidit, Africo maximè obiectum, crebros ex alto fluctus in littus euoluit. nec accipiendo operi, quo Macedones continenti insulam iungere parabant, quidquam magis, quàm ille ventus obstabat: quippe vix leni, & tranquillo mari moles agi possunt; Africus verò prima quæque congesta pulsu maris illisa subruit: nec vlla tam firma moles est, quam non exedant vndæ, & per enixus operum manantes, & vbi acrior flatus existit summi* operis fastigio superfusæ. Præter hanc difficultatem haud minor alia erat: muros, turresque vrbis præaltum mare ambibant. Non tormenta nisi è nauibus procul excussa mitti, non scalæ mœnibus applicari poterant: præceps in salum murus pedestre interceperat iter: naues nec habebat rex, & si admouisset, pendentes & instabiles missilibus arceri poterant.*

*nexus.
*operis Acidalius delet.

TOTA SYRIA) Præter Palæstinam tamen & Gazam, quæ pars Syriæ est. Iaddus enim Hebræorum id temporis Pontifex, salutatus ab Alexandro per legatos, vti Iosephus est auctor, & monitus vt se dederet Macedoni, & quæ dependisset antea Dario, illa sibi penderet, auxilia mitteret, commeatum, arma, aliaque quæ postulasset, suppeditaret. negauit Pontifex se viuo Dario id præstare posse, quod iurasset, se contra Darium saluum nunquam arma laturum. Iratus rex iurauit se, occupata Tyro exercitum Hierosolymis admoturum, docturumque aduersus quem iusiurandum esset custodiendum. Quæ porrò post receptam Tyron Alexander in Iudæa gesserit, infrà ex Iosepho ponemus. Iudæa ergo nondum erat subiecta Alexandro, quæ tamen in Syria.

IN CONTINENTI) In littore ad Tyrum. Continens pro terra accipitur, vt oriens pro sole; salien pro fonte, frigida, calida seu calda pro aqua, & hoc genus alia, sed tamen quæ mare attingit: interiora, mediterranea appellantur.

AN-

ALGVSTVM' FRETVM) Quatuor stadia latum inter vrbem & terram. Stadia autem duo & triginta, vnum milliare Germanicum faciunt. Est ergo octaua pars milliaris, quingenti nempè passus.

TYRVS ET MAGNITVDINE, ET CLARITATE ANTE OMNES VRBES SYRIAE PHOENICESQVE MEMORABILIS) Vti Tyri oppugnatio & expugnatio capiatur, iuuabit pauca præfari de nomine, & de statu ciuitatis, de antiquitate, conditoribus, insulæ magnitudine, nobilitate, vaticinijs ex literis sacris, librisque Iudicum, Regum, Psalmis, Isaia, Hieremia, Ezechiele, Amos, Daniele, Machabæis: profanis etiam, Berosi fragmentis Græcis, Menandro, Dio, Iosepho, Herodoto, Diodoro, Strabone, Plutarcho, Arriano, Hieronymo, Iustino, Plinio, Mela, Gellin, Chronico Alexandrino Græco M.S. Virgilio, Ennio, Villalpando, Guilielmo Tyrio, Ioanne Heroldo, Christiano Adrichomio, & variorum hodœporicis, qui nostro ferè sæculo Palæstinam suis ipsi oculis obierunt.

Si nomen spectes, hodie *Suri* audit, olim Hebræis & Syris צור Sor, Zor, Tsor, & Tzor, rupes, saxum, angustiæ, Pœnis Sar, Latinis Sarra, à quo dictum Virgilio Sarranum ostium: Nomen vnde, & quod.

Vt gemma bibat, & Sarrano dormiat ostro.

Et Ennio: *Pœnos Africa Sarra oriundos.*

Tyrus verò, à Tyra Noethi nepote, Iapethi seu Iaphet filio, septimo loco nato, qui Tyras dictus, & vrbem paullò post publicam mundi eluuionem condidit, & à suo nomine cognominam fecit. Vnde antiquitas vrbis constat, de qua apud Isaiam: *Gloriatur à diebus pristinis in die conditionis suæ.* A Iosue ductore gentis Hebrææ secundum Moysen Tyrus laudatur munitissima ciuitas. Sed hi mea coniectura Palætyrum videntur intellexisse, illam in continenti triginta stadijs ab insula & vera Tyro distantem. Iosephus enim hanc nouam, non nisi ducentis quadraginta annis ante Solomonis ædem docet positam, quod in Gedeonis magistratum incidit. Chronicon Alexandrinum à me è Græco latinè expressum, trecentis & vno suprà quinquaginta, anno Gedeonis octauo tradit exædificatam. Iustinus ex Trogo natalem Tyri conditæ anno vno ante captam Troiam signat, quod tempus in Samsonis æuum incurrit; sed ex Iosepho refelli potest, qui annum septuagesimum sextum ante excidium Ilij Tyro conditæ assignat. Conditores Iustinus Phœnices generatim & Sidonios, Curtius nominatim Agenorem Sidonis & Tyri facit auctorem, qui circa Dauidis tempora, aut Solomonis, quo etiam Hiramus Tyrios moderatus est, vixisse putatur. Sed si postremi omnes non tam conditores, quàm restitutores, & amplificatores fuêre, qui vrbem iactis circum nouis aggeribus auxerunt, mæniaque protulerunt, vt Hiramus, qui nouis extra insulam mænibus vrbem iusto aggere inclusit. quæ caussa fuit, quamobrem Homerus nullam fecerit Tyri mentionem illo Troiano sæculo adhuc obscuræ, Sidonem verò celebret, vt supra monuisse memini.

Cap. 23. Cap. 19. Iud.

Tyrus in alto saxo è mari extante fixa, à quo ciuitas nomen apud Hebræos accepit צור *Tzor* enim saxum seu rupes est. Fuit vndique mari cincta, ac tota insula, vti Strabo, Arrianus, Curtius, & omnes alij Tyri laudatores scripsere. Continebat auctore Plinio in ambitu stadia XXII. (nam & rotunda erat) nobis dimidium milliare & stadia sena, siue bis mille passus septingentos quinquaginta. Ambitus insulæ, immò æuo Plinij, peninsulæ XIX. millia passuum, quæ quatuor Germanica complebunt milliaria cum triente. Recedebat ciuitas à continente quatuor stadia, siue passus ɪↄ. Alexander inuenit distantem, vti Curtius & Diodorus dimensi sunt, vti Plinius & Hieronymus, passus ɪↄcc. Angustiæ freti erant ad Orientem vrbis. Mare circumfusum procellosum, & latentibus passim scopulis cæcum & periculosum, vt ignari locorum adnauigantes, sæpè in ipso portu facerent naufragium. Mare, quod aggere impleuit Alexander (Curtio sine mensura, præaltum Arriano vocatur) altum Orgyias tres, ex Plinij sententia, pedes triginta, ex aliorum propè omnium, vlnas tatum tres, seu octodecim pedes, summum viginti. Nam ὀργυιὰν interpretantur plerique omnes vlnam, Plinius decempedam. Eustathius ad Hom. τρίπηχυ μέτρον, trium cubitorum mensuram, Hesichius, Phauorinus, & alibi Eustathius, spacium vtriusque manus extentæ, quod est vlna, alijs est sex pedum longitudo, vti Budæus testatur. Sed plerique omnes Græci ὀργυιὰν interpretantur τῶν ἀμφοτέρων χειρῶν ἔκτασιν. Mænia alta pedes centum & quinquaginta, & pro commensu lata. De munitionibus ac turribus plura Guilielmus Tyrius, qui tamen nō inuenit insulam, sed peninsulam, quam fecit Alexander. AEdes Romanis altiores, eoq; terræ concussionibus obnoxiæ, vt vno quondam momento, si Straboni fides, propè tota conciderit. Templa erant Tyri magnifica, & peruetusta, Iouis Olympij, Herculis Tyrij dicti, & Astartes, de quibus Menander Ephesius Iosepho, Pergamenus Tattano: οὗτος (Εἴρωμος) ἔχωσε τὸν εὐρύχωρον, τόν τε χρυσοῦν κίονα, τὸν ἐν τοῖς τοῦ Διὸς ἀνέθηκεν. ἔπειτα ὕλην ξύλων ἀπελθὼν ἔκοψεν ἀπὸ τοῦ λεγομένου λιβάνου κέδρινα ξύλα εἰς τὰς τῶν ἱερῶν στέγας· καθελών τε τὰ ἀρχαῖα ἱερὰ καινοὺς ναοὺς ᾠκοδόμησε. τότε τοῦ Ἡρακλέους καὶ Ἀστάρτης τέμενος ἀνιέρωσε. *Hic* (inquit) *Hiramus aggerem communxit Eurychoron, auream q; ibi columnam Iouis in templo reposuit, & ad Syluam lignorum profectus, abscidit de monte, qui Libanus appellatur, ligna cedrina ad regmina facienda templorū. Demolitusq; antiqua delubra, noua templa ædificauit, Herculis & Astartes fana dedicauit.*

Situs Tyri. Guil. Tyrius de bello sacro. Lib. 16. c. 15. Menander historicus.

Dicis peruetus ſcriptor rerum Phœniciacarum docet, Iouis in ſingulari maris Inſula fuiſſe, antequam ab Hiramo iungeretur vrbi καθ' ἑαυτὸ δ' ἐν νήσῳ. De eodem templo Herculis Herodotus ſpectator eiuſdem : καὶ θέλων τούτων πέρι σαφές τι εἰδέναι ἐξ ὧν οἷόν τε ἦν, ἔπλευσα, καὶ ἐς Τύρον τῆς Φοινίκης πυνθανόμενος αὐτόθι εἶναι ἱρὸν Ἡρακλέος ἅγιον, καὶ εἶδον πλουσίως κατεσκευασμένον ἄλλοισί τε πολλοῖσι ἀναθήμασι. καὶ ἐν αὐτῷ ἦσαν στῆλαι δύο, ἡ μὲν χρυσοῦ ἀπέφθου, ἡ δὲ σμαράγδου λίθου, λάμποντος τὰς νύκτας μεγάθεος. *Quibus de rebus certior fieri cupiens, à quibus poſſem, Tyrum Phœnicis vrbem profectus ſum, quod ibi templum Herculis eſſe accepiſſem, quod & vidi opulenter exornatum cum alijs multis votis, tum verò duabus columnis, altera ex puro puto & incocto auro, altera ex lapide Smaragdo, maiorem in modum noctu refulgentem.* Addit Herodotus ſe quæſiſſe ex ſacerdotibus de antiquitate fani; illoſque retuliſſe, vnà cum vrbe poſitum. Tyrum autem ante bis mille trecẽtos annos conditam. Porrò de Smaragdo ſanè accredo, cùm & Theophraſtus apud Plinium teſtetur Tyri pilam ſeu columnam fuiſſe è Smaragdo. Huius templi pontifex dignitate proximus erat à rege, & Didoois monitus fuerat Sacerdos, ſi Trogo & Iuſtino lib. 18. fides.

Lib. 2.

Oppugnata ante Alexandrum ſæpius, & expugnata eſt Tyrus, nec tamen ab Hiramo Solomoni æquali, vt falsò interpres Ioſephi contra Appionem, pro Tityos ſcripſit Tyrios; quamquam nec Tityos germanum eſt, cum libro 8. Orig. Iudæor. legamus Hyceos, fortè Zytios vel Zytheos, id eſt Cyprios. nam Cittium in Cypro, quæ defecerat ab Hiramo, Infrà lib. 8. c. 14. Cyttæi nominãtur reuocati ad officium à Salmanaſsare. A Salmanaſsare ſæpiùs oppugnata, nunquam expugnata eſt Tyrus. Menander Epheſius ſeu Pergamenus primum dicit à Salmanaſsare per totam Phœnicem fuiſſe circumlata arma: Ergo & Tyrum, ſed pactionibus mitigatum, data pace rediisse Babylonem. Sed cùm à Tyrijs Sidon, Arce, Palætyrus ad Salmanaſſarem defeciſſent, ſolaque Tyrus imperata facere recuſaret, cum LX. nauibus, octingẽtis remigibus rediiſſet, à Tyria claſſe, quæ non niſi XII. nauibus conſtabat, victus, turpiter aufugit. Reuerſus iterum omnes fontium ſcaturigines cuſtodijs ſepſit, ne laticem haurirent obſeſsi, nihil egit, cùm intrà mœnia effoſſa terra, dulces aquarum venas ex puteis haurirent.

1 Obſidio. Menander Epheſius apud Ioſephũ lib. 9. Orig. Iud. & 5. contra Appionem.
2.
3.

Nabuchodonoſor Tyrum obſedit imperio numinis annis tredecim totis, funditusque euertit. Beroſus auctor eſt, cœptam anno primo Nabuchodonoſoris obſideri, & XVIII. Nabopolleſſæri patris. Et hæc eſt, quàm [a] Ezechiel præcinuit, quamuis excila tum Tyrus renata ſit, de qua poſteà, Cyro iam imperante, vti prædixerat fore [b] Iſaias. Intra hos autem ſeptuaginta annos tota Phœnice grauiter afflicta fuit à regibus Babylonis, vti [c] Hieremias affirmat.

4. Obſidio. Diocles, Philoſtrat. Ezech. 29. Ioſeph. l. 10 Orig. Iud.
a Cap. 21. 26 27. 28 29.
b Cap. 23.
c Cap. 25. 26 27 2.

De hac obſidione ita Phœnicum monumenta : Ἐπὶ Ἰθωβάλου τοῦ βασιλέως ἐπολιόρκησε Ναβουχοδονόσορος τὴν Τύρον ἔτη τρία καὶ δέκα: *Eithobalo Tyri regnante Nabuchodonoſor cinxit Tyrum obſidione, annis tribus ſuprà decem.* Enumerantur ibidem reges, vſque ad Cyrum. Quod autem Ioſephus ſeptimo anno Nabuchodonoſoris dicit obſeſſam, vitium interpretum eſt. Nam Ithobali ſeptimus accipiendus eſt, non Nabuchodonoſoris. [d] Ioſephus plura contra Appionem. In hac obſidione agger iactus eſt à Nabuchodonoſore vſque ad vrbem, & Tyrus continenti annexa, vti poſteà ab Alexandro. Tyrij cùm vrbem ſuam deſperaſſent, opibus cunctis in naues impoſitis, vrbe vacua relicta, abierunt in Cyprum, Carthaginem, & alias inſulas. Rex autem exinanitam ingreſſus, in ædes & tecta & mœnia deſeuijt, omniaque ſolo æquauit, ac pro laborum præmio accepit AEgyptum. Et hæc clades eſt, quam totis tribus capitibus [e] Ezechiel denunciauit : Iſaias etiam ante Ezechielem capite tertio, & 20. toto, quamquam Iſaiæ vaticinium poſſit etiam ad Alexandrum referri.

Phœnicum Tabulæ.
d Lib. 1.
Guiliel Tyrius l. 13 c. 4. Adrichomius p. 31.
Ezech. 29
Hierony.
e 26. 7. & 1

Illud monendùm, quod Scaliger negat ſe intelligere, cùm dicit Ezechiel : *In nihilum redigam te, & non eris, & requiſita non inuenieris vltra in ſempiternum dicit Dominus Deus.* Et eodem capite. *Et deſtruent muros tuos, & ligna tua, & puluerem tuum in medio aquarum ponent. Et dabo te in limpidiſsimam petram, ſiccatio ſagenarum eris, nec ædificaberis vltra. Ad nihilum deducta es, & non eris vltrà, & non eris vſque in perpetuum.* Rurſum ſequenti : *In terram proieci te, & non eris in perpetuum.* Et [f] Iſaias: *In obliuione eris omni tempore, ſeptuaginta annos, & poſt 70. annos viſitabit Dominus Tyrum.* Et *Onus Tyri, vlulate naues maris, quia vaſtata eſt domus tua.*

Append. ad li. de eméd. temporũ. Cap. 26. 27. & 28.
f Cap. 23.

Scaliger exiſtimat de aliqua noua Nabuchodonoſoris obſidione & excidio vaticinatum, quem refutat Torniellus. Cùm enim tredecennis fuerit obſidio, ſæpiùs potuit intereà Nabuchodonoſor abijſſe ad maiores copias adducendas, & aggerem iaciendum.

Quod Ezechiel æternam vrbi ruinam prædixerit & reſtituta ſit Tyrus intra ſeptuaginta annos ex Iſaiæ oraculo, exiſtimauere ſacrarum literarum interpretes, vt docet Sanctus Hieronymus ad hunc Ezechielis locum ; Vatem non reſpexiſſe ad proxima tempora, ſed vltima, quibus deletum iri Tyrum funditus putauere, nunquam inſtaurandam. Et ſanè mihi, priuſquam Hieronymum inſpicerem hæc occurrebat Interpretatio, præſertim cum legiſſem Anno Chriſti CIↃCC. XCI. rurſum à Saracenis euerſam, & hoc plures hodie teſtantur, exciſam poſtremò à Turcis, nec iam aliud ſupereſſe, quàm portum de Sur. Alij mediocrem vrbem ſcribunt, quam videantur non vidiſſe, ſed deſcripſiſſe, quam alij vel viderint, vel vidiſſe ſcripſerunt.

Ioan. Petrus Oliuarius ad Malach. c. 32. Io. Hierol-dus in continuatione belli ſacri.

Sed

Sed hoc est diuinare de vltimis temporibus, quibus, quid futurum sit Numinis arcana nouit maiestas. Hieronymus non ausus vaticinari Ezechielis oraculum aliò versum interpretatur, cum dicit: *Constat enim ex Phœnicum*, inquit, *& Græcorum literis, quod post* LXX. *annos instaurata ad potentiam pristinam sit reuersa.* Quodque sequitur (*Nec ædificaberis vltra,*) videtur facere quæstionem, quomodo non sit ædificata, quam hodie cernimus Phœnices nobilissimam & pulcherrimam ciuitatem. Ex quo quidam volunt, in vltimo tempore hoc Tyrum passuram, quæ postea non sit ædificanda. Sed quomodo Nabuchodonosor personam seruare poterunt. &c. Censet ergo Hieronymus locum aliter interpretandum, cum dicit: *Potest ergo, quod dicitur, (* Nec ædificaberis vltrà *) sic accipi, quod nequaquam vltrà sit regina populorum, nec proprium habeat imperium, quomodo habuit sub Hiram, & cæteris regibus, sed vt Chaldæis & Macedonibus, vel Ptolomæis, & ad postremum Romanis regibus seruitura sit.* Ad Isaiam 23. Ezechi. 26.

Ita censuit Hieronymus, qui vrget nomen Nabuchodonosoris contra illos, qui de vltimis temporibus vaticinantur. Capta ergo Tyrus per Nabuchodonosorem anno millesimo septingentesimo à conditu suo, & solo complanata, vt intra septuaginta annos piscatores retia sua in eius campo explicata siccauerint. Posuit autem Adrichomius conditam à Thyra Iapethi F. Noethi nepote; quæ fortasse rectius de Palætyro accipies, quæ ab Alexandro tota in mare sparsa, vt aggerem excitaret, immò de regia Tyri, vt infrà docebo. Iosephi calculo euersa est anno 663. à primis Tyri fundamentis iactis. Renata post septuaginta annos, & ab Alexandro post ducentesimum sexagesimum quartum à Nabuchodonosore annum. De qua potuit videri Isaias locutus, cum dixit: De terra Cethim reuelatum esse eos, ex qua exisse Alexandrum testatur primus Machabæorum c. 1. *Alexander Philippi Macedo, qui exiuit de terra Cethim*, Non minus oralè accepta est Tyrus ab Alexandro, quàm Nabuchodonosore, immò plus, vt docet Curtius, & alij, tamen recuperauit vires, dignitatem, honores vsque ad Christum, & post Christum annos sexcentos, nongentos vniuersè, gloriataque est & Christo, & præsentia S. Pauli, & Origenis conditorio, & Vlpiani natalibus, Tyrannionis Episcopi sanguine, & Friderici Ahenobarbi tumulo. 5 Oppugnatio. c. 23.

Anno post Christi natalem IↃCXXXVI. à Saracenis occupata est, mansitq; in eorum potestate annis quadringentis, & ogiinta octo. 6. Capta.

Obsessa CIↃ CXII. à Balduino 4. mensibus, nec expugnata. 7.

CIↃ. CXXIV. à Christianis recepta, & centum, sexaginta quinque annis retenta. 8.

CIↃ. CXXCVIII. Saladinus Saracenorum potentissimus tyrannus, classe Alexandrinâ, maximisque copijs acerrimè oppugnata, non solum vrbem Christiani defendêre, sed classe igni corrupta, hostem castris exutum in fugam coniecêre. 9.

CIↃ. CC. LXXXIX. terra, marique obsidione cincta à Saracenis, per deditionem recepta, & excisa est. Plura intrà. 10.

CORONAM AVREAM) *Magni ponderis*, inquit, Iustinus, *coronam, vt regi, & victori.* lib. 3.

AB AMICIS) Ita amicos habuisset, & reliquisset, si portas illi aperuissent, sed punire Tyrios numen per Alexandrum, vt ante per Nabuchodonosorem volebat, prælertim propter scelus dominorum à seruis occisorum, idololatriam, luxum, superbiam.

HERCVLI) Macedonum reges, cum varij memorentur Hercules, se Tyrio Hercule natos ferebant. Cicero: *quamquam quem potissimum Herculem colamus, scire sanè velim. plures enim tradunt nobis, quam ij qui interiores scrutantur & reconditas literas. Antiquissimum, Ione natum, sed antiquissimo item Ioue. Nam Ioues quoque plures in priscis Græcorum literis inuenimus. Ex eo igitur & Lysito est is Hercules, quem concertauisse cum Apolline de Tripode accepimus. Alter traditur Nilo natus Ægyptijs, quem aiunt Phrygias literas conscripsisse. Tertius est ex Idæis, indigenis, cui inferias offerunt. Quartus Iouis & Asteriæ ex Latona sororis, quem Tyrij maximè colunt, cuius Carthaginem filiam ferunt. Quintus in India, qui Belus dicitur. Sextus hic ex Alcmena, quem Iupiter genuit, sed tertius Iupiter.* Cum tot fuerint Hercules, omnium reliquorum res gestæ vni Alcmenæ filio tribuuntur. Alij triginta Hercules memorant. Nos de Alexandro ex Tyrio nato agamus. Non quiescit mens fidi interpretis, donec eruat, quod anxiè quærit; quod non ignoret, lectorem in genere & stirpe Alexandri hæsurum, quem nisi ex eo labyrintho, vt alter Theseus expediat, irascetur scholiastæ explanationes promittenti, & tenebras olim maiores offundenti. Accipe ex antiquissimi scriptoris Dexippi reliquijs Græcis, quas vtraque tibi lingua cognoscendas propino: μετὰ τὴν ἅλωσιν Τροίας ἔτεσι ἡρακλεῖδαι κατέσχον τὴν Πελοπόννησον ἐξ ὧν αὐτ Κορινθίων καὶ Λακεδαιμονίων βασιλεῖαι πρῶται συνέστησαν. χρόνοις ὕστερον περὶ τὰ τέλη τούτων ἡ τῶν Μακεδόνων βασιλεία ἤρξατο οὕτως. Κάρανος Ἀργεῖος ἀδελφὸς ὢν Φείδωνος ἑνὸς τῶν ἀφ' Ἡρακλέους καταγόντων τὸ γένος, καὶ τῆς Ἀργείας βασιλεύοντος, σπουδάζων ἑαυτῷ χώραν κατακτήσασθαι δύναμιν ἤθροισεν παρὰ τοῦ ἀδελφοῦ, καὶ ἐκ τῆς ὅλης Πελοποννήσου. μεθ' ἧς τοῖς ὑπὲρ Μακεδονίαν τόποις ἐπιστρατεύσας συμμαχήσας ἅμα καὶ ἐπὶ τῶν Ὀρεστῶν λεγομένων δυνάστῃ περὶ τὴν χώραν κατὰ τῶν πλησιοχώρων βαρβάρων τὴν ἡμίσειαν ἔλαβε χώραν, καὶ πόλιν ἔκτισε κατὰ χρησμὸν, καὶ βασιλείαν ἐν αὐτῇ συνεστήσατο, ἣν ἐν κατὰ γένος ἐξ αὐτοῦ, καὶ μετ' αὐτὸν διεδέχοντο. οὗτος ὁ Κάρανος ἀπὸ μὲν Ἡρακλέους Ex Dexippo de stirpe paternâ Alexandri Magni.

γλῆς ἐνδέκατος ἦν, ἀπὸ δὲ Τημένου τοῦ μετὰ τῶν ἄλλων Ἡρακλειδῶν κατελθόντος εἰς Πελοπόννησον ἕβδομος. Γενεαλογοῦσι δὲ αὐτὸν οὕτως, ὥς φησιν ὁ Διόδωρος, καὶ οἱ πολλοὶ τῶν συγγραφέων, ὧν εἷς καὶ Θεόπομπος. Κάρανος Φείδωνος τοῦ Ἀριστοδαμίδα, τοῦ Θεστίου, τοῦ Κισσίου, τοῦ Τημένου, τοῦ Ἀριστομάχου, τοῦ Κλεοδάτους, τοῦ Ὕλλου, τοῦ Ἡρακλέους, ἔνιοι δὲ ἄλλως, φησί, γενεαλογοῦσι, φάσκοντες εἶναι Ποίαντος τοῦ Κροίσου, τοῦ Κλεοδαίου, τοῦ Εὐρυβιάδα τοῦ Δεβάλλου, τοῦ Λαχάρους, τοῦ Τημένου, ὃς καὶ κατῆλθεν εἰς Πελοπόννησον.

Anno post captam Troiam octogesimo Heraclida Peloponnesum occuparunt, ex quibus regna Corinthiorum & Lacedamoniorum nata sunt. Extremis dein horum temporibus Macedonum imperium hunc in modum cœpit. Caranus Argiuus Phidonis regis Arginorum, ex ijs qui ab Hercule trahunt genus, germanus frater, cum & ipse quæreret proprium regnum, accepta à fratre copijs, & milite ex tota Peloponneso scripto, in Macedoniam expeditionem suscepit, suppetiasque tulit regulo cuidam, ex gente Orestarum, contra vicinos barbaros, à quo mediam expugnata regionis partem accepit, ibique vrbem ex oraculi præscripto posuit, regnique sedem in ea collocauit, quam nati ex ipso, omnisque posteritas nepotum post illum tenuit. Hic Caranus ab Hercule fuit vndecimus, à Temene autem, qui cum alijs Heraclidis in Peloponnesum dinerterunt, septimus, cuius genus (teste Diodoro, & alijs, ex quibus est Theopompus) ita deducunt. Caranum creauit Phido, Phidonem Aristodamidas, hunc Theostius, hunc Cissius, hunc Themenus, hunc Aristomachus, hunc Cleodates, hunc Hyllus, hunc Hercules. Alij paulò aliter stirpem collocant, qui narrant Pœantem creatum à Crœso, Crœsum hunc à Cleodao, hunc ab Eytybiada, hunc à Deballo, hunc à Lachare, hunc à Temene, qui descendit in Peloponnesum.

Hæc Dexippus, qui postea reges Macedoniæ à Corano ad vltimum Perseum enumerat, lacuna in medio relicta. Iam ergo ascendamus ab Alexandro ad Herculem:

33. Alexander.	1.	16. Acropas.	18.
32. Philippus.	2.	15. Philippus.	19.
31. Perdiccas.	3.	14. Argeus.	20.
30. Ptolomæus.	4.	13. Perdiccas.	21.
29. Alexander.	5.	12. Thurimes.	22.
28. Amyntas.	6.	11. Cænus.	23.
27. Argeus.	7.	10. Caranus Heraclida primus rex Macedoniæ.	24.
26. Amyntas idem primum.	8.	9. Phidon.	
25. Pausanias.	9.	8. Aristodamidas.	
24. Amyntas.	10.	7. Theostius.	
23. Archelaus.	11.	6. Cissius.	
22. Orestes.	12.	5. Themenus.	
21. Archelaus.	13.	4. Aristomachus.	
20. Perdiccas.	14.	3. Cleodates.	
19. Alexander.	15.	2. Hyllus.	
18. Amyntas.	16.	1. Hercules.	
17. Alcetas.	17.		

Vide Velleium Paterculum, qui Coranus, inquit, vir generis regij, sextusdecimus ab Hercule. Iustino est duodecimus, vigesimus quartus Eusebio: adeo inter se discrepan. t

* arietinis debebat scripsisse. Et hoc est, quamobrem Alexander insignibus Herculis, claua, inquam, & exuuiis Leonis in nummis & armis sit vsus. De quibus copiosè Lazius lib. 1. rerum Græcarum; vbi & de cornibus * hircinis, & Iouis Ammonis oraculo & Daniéle plura. Arrianus, quod Herculem attinet, negat

lib. 2. fuisse Herculem Alcmenæ filium, sed longè vetustiorem, Iberum nempe Tartessiacum. Tartessum fuisse coloniam Phœnicum, Cadmo priorem, ad columnas Herculis extare columnas, nempe Gaditanas, docet Strabo copiosissimè Volumine secundo extremo. Gades pars Phœnices, immo Tyrii condidere vna cum Herculis templo. Tartessum Strabo ait Bætin fluuium nominatum. Co-

lib. 3.

lib. 16. lumnas vocat Pindarus, portas Gaditridas Herculem Tyrium celebrat etiam Strabo. Theophrastus in templo Herculis ait, fuisse pilam, seu columnam ex vno Smaragdo. Idem Plinius. Theophrastus

lib. 37. tradit se scribente esse in Tyro Herculis templo stantem pilam è smaragdo, nisi potius pseudosmaragdus sit. Idem de sede ex Eusebe facta c. x. p. 899. lib. 37.

ORACVLO MONITVM) Hercules illi per noctem, quæ obsidionem præcessit, dextram

lib. 2. porrexit, & in vrbem introduxit, vt narrat Arrianus. De sacrificio tamen nihil ibi, sed eò potuit trax sse Alexander.

lib. 16. PALAETYRON) Strabo μετὰ τὴν Τύρον ἡ παλαίτυρος ἐν τριάκοντα σταδίοις: *Post Tyrum est antiqua Tyrus triginta stadijs distans.*

CVIVS ALIOQVI PARVM POTENS ERAT) Vt infrà, in cæde Clyti patebit.

vel * Solo INSVLAM COLITIS) Insula nomen traxit à Salo, quasi in * Salo insula, quod mari cincta sit. quicquid enim vel à fluminibus, vel mari eminet, insula propriè dicitur, à similitudine inde maritimarum insularum, etiam in vrbibus dicuntur insulæ, domus ab aliis seiunctæ, hoc est, vt Festus docet,

docet, quæ non iunguntur communibus parietibus cum vicinis, sed circuitu publico, aut priuato cinguntur. Inde est, quod dixit Vitruuius: *Vt aduenientes (venti) ad angulos insulæ frangantur.* Philander: *In vrbibus*, inquit, *metandis, insulas accipimus, quicquid quatuor plateis, aut angiportu, aut alteris cum alteris mixtu cinctum est.* lib.11.c.6.

Ergo in ciuitate insula dicitur, quicquid viis, aut plateis cinctum est. Et insularij, insularum custodes, & columnæ insulatæ, quæ libero loco positæ vndique aëre ambitæ. Plura super hoc verbo Bernardus Baldus ad Vitruuium. Est & alia notio insulæ, de qua in commentarijs ad illum Martialis versum disputauimus. lib.4.Epig. 37.

Ex insulis, fundisq; triciel soldûm.

Tyrus autem vndique mari cingebatur, vt inexpugnabiles Tyrij putarentur.

IN CONTINENTI VOS ESSE) Faciam breui ex insula peninsulam, & affigam vos terræ.

DIMISSOS) Legatos Tyriorum amici Alexandri, quasi amicè, viderent ne Alexandrum ad iram prouocarent, quam non nisi morte sua, & vrbis ruina extinguerent.

SYRIA) Præter Palæstinam: Phœnice, præter Tyrum.

FRETVM AFRICO OBIECTVM) Angustiæ freti quatuor stadiorum erant Tyro ab oriente. Africus ventus ab occidente flabat, & recta mare in angustias propellebat, & fluctus decumanos ciebat. Africus porro Græcis λὶψ dictus, & Vulturno orientali erat obiectus. Vulturnus ab oriente hiberno spirabat inter Eurum & Notum Græcis εὐρόνοτος. Africus ergo ab occidente hiberno ortus Vulturnum oppugnabat, vti Virgilius in tempestatis descriptione, cum luctantes inter se ventos committit, Africum contra Eurum & Notum collocat.

Vna Eurusq; Notusq; ruunt, creberq; procellis
Africus, & vastos voluunt ad littora fluctus.

De ventis hisce plenius cognosce apud Gellium, & Vitruuium, & Vegetium. Porro angustias fuisse ab oriente postea continenti commissas, facilè ex Guilielmo Tyrio disces, qui: *Ab oriente verò*, inquit, *vnde est per terras accessus, muri clausa triplici cum turribus miræ altitudinis, densis admodum, & se prope contingentibus. Præterea vallum latè patens, per quod faciè eius ciues possent mare introducere in alterutrum.* Addit Guilielmus mare vicinum vrbi periculosum ignaris fuisse, propter latentes passim scopulos. Nam & vrbs rupi & scopulo maximo imposita est. *Sic ergo*, inquit, *quasi insula est præfata ciuitas, procellosum circumquaque habens mare, latentibus scopulis & nimia inæquitate periculosum, ita vt peregrinis & ignaris locorum ad vrbem nauigantibus, periculosum sit accedere: & nisi ducem habeant, qui adiacentis maris habeat notitiam, non nisi cum naufragio vrbi possent appropinquare.* lib.2.c.22. lib.4.c.38. lib.13.c.5.

ACCIPIENDO OPERI) Quod Alexander per mare moliri cogitabat, vt viam militi per vndas vsque ad vrbem sterneret. Africus ergò opus & aggerem maximè impediebat, cùm acriore flatu mare in molem ab Alexandro congestam infunderet, & fluctibus crebris & magnis, quicquid rex congerebat, solueret, & pulsu maris assiduò velut ariete quassatum, conuelleret & abluerет.

PER ENIXVS OPERVM) Nexus habent editi, nec malè: aquæ enim, qua opera committebantur, quærebant meatus, per quos enitebantur & permeabant. Enixus est obscurius, explicabis tamen, per meatus angustos operum. Metaphora sumpta à parturientibus. est enim enixus, ipse pariendi conatus, immo actus: ita aqua enititur per angustas trabium aut vinarm vias. Infrà Curtius ipse vocat nexus. *Operis*, delendum putat Acidalius, quod paulo antè præcesserit *Operum*, legitque *summo fastigio*. Cap.10.

AMBIEBAT) Vbi hic Acidalij, Modii, Glareani, Erasini, alijque criticæ dictatores? Dicendumne *ambiebat*, an *ambibat*. Verbum est testibus Prisciano & Grammaticis ab Eo, & requitur simplex, præter extremam inflexionem *ambitum*, & participium *ambitus*, ad discrimen *ambitus*, cum nomen est. *Ambibat* ergo dicendum erat, vt *ibat*, *adibat*, *redibat*, & reliqua iuncta. Ouidius:

Ambibat Siculæ cautus fundamina terræ. 5. Metam.
Iussit & ambitæ circumdare littora terræ. 1. Metam.

Dicam, quod videtur. Vtrumque reor vsurpatum. Nec mirum si à reliquis ab *eo*; compositis descistat, cù etiam in præsenti hoc illi sit singulare, vt E, mutet in I, reliquis omnibus e retinentibus, ab eo, redeo. Ambio tantum, non ambeo, dicitur, vt in Imperfecto sequatur quartum; quemadmodum sequitur in Præsenti. Pauca hactenus in *ibam* obseruaui: sæpius audies *ambiebam*. Vtrum rectius haud scio, Prisciani tribunalia pronuncient.

PRAEALTVM MARE) Idem dicit Plinius: *Prealto*, inquit, *mari septingentis passibus diuisa*. Sed quam erat altum? Curtius ὑπερβολικώτερον dixit *prealtum*. Arrianus non nisi tres vlnas, & quidem quà profundissimam est, altum affirmat, vt Vulcanius interpretatur. Verba Arriani sunt: τὰ δὲ πρὸς αὐτῇ τῇ πόλει, ἵνα τὸ βαθύτατον τοῦ διάπλου, τριῶν μάλιστα ὀργυιῶν τὸ βάθος: Vbi vrbem attingit, qua quidem profundissimus traiectus est tres summum vlnas altum est. Profectò exigua altitudo, in qua su-

peran-

peranda, non fuisset septem mensibus Alexandro laborandum. Nec tamen Vulcanium ausim vocare in vitium, quod τὸ ὀργυιῶν, malè verterit: Fauet illi Phauorinus, qui ὀργυιὰν ita exponit: ὀργυιά τὸ ἐξηπλωμένον μέτρον τῶν χειρῶν, ἢ τὴν ἔκτασιν τῶν χειρῶν σὺν τῷ πλάτει σήθους. παρὰ τὸ ὀρέγειν, καὶ ἐκτείνειν τὰ γυῖα, ὅ ἐστι τὰς χεῖρας. *Orgyia est mensura passarum manuum, siue distensio manuum vna cum latitudine pectoris, à verbo* ὀρέγειν, quod est extendere membra, ita manus: Hoc, vt vides, nihil est aliud, quàm vlna. Vlnam autem cubita quatuor continent, cubitum sesqui pedem. Prealtum mare, cũ non sit altius octodecim pedibus, nondum habes, altum mare. Nec Hesychius à Phauorino abit, qui ὀργυιὰν ἔκτασιν ἀμφοτέρων χειρῶν *distensionem ambarũ manuũ* vocat. Eustathius τρίπηχυ μέτρον *trium cubitorum* mensura, quæ dimidio pede breuior est vlna. Idem tamen ἡ εἰς πλάτος ἔκτασις ἀμφοῖν χεροῖν *ambarum manuum in latum extensio.* Herodotus sex pedum
Lib. 5. c. 4. facit ὀργυιάν. ita octodecim erit pedum altitudo maris. Nihil hactenus nimis. Plinius ex Theophrasto orgyiam decempeda metitur. Ita fierent tres orgyiæ, triginta pedes, tolerabili altitudine ma-
Plin. lib. 16. c. 40. ris. Maxima (cedrus) ea in Cypro traditur ad vndiciremem Demetrij succisa, centum triginta pedum longitudinis, crassitudinis verò ad trium hominum complexum. Accipiamus ergo hic, mare altum fuisse triginta pedes, vt Curtius speciem veri obtineat, qui præaltum mare ait fuisse ad muros. Nam Plinius semper orgyiam interpretatur decempedam, nisi vitium in Plinio est, vt doctissimus Heruuartus censet.

Lib. 13. c. 5. MVROS, TVRRES) Et mœnia fuére alta, & turres. Arrianus νῆσός τε γὰρ αὐτὴ ἡ πόλις ἦν, καὶ τείχεσιν ὑψηλοῖς πάντη ὠχύρωτο. *Insula erat ipsa ciuitas, altis mœnibus vndequaque cincta.* Idem narrat Guilielmus Tyrius: *Et muri recto limite descendebant in altum mare, vt nullus esset per terram aditus ad ciuitatem mari ambitam.* Murus aggeri obiectus, erat altus pedes centum & quinquaginta, vt Arrianus est dimensus, crassus, vt Diodorus, cubita quinque, id est, septem pedes & semis, quem mox duplicauit, & medium spacium aggere, & lapidibus impleuerunt. Nam classem rex præsentem nullam habebat. Sed has omnes difficultates rex instituit superare, propter rationes, quas apud Arrianum adfert Alexander.

PENDENTES) Etiamsi, inquit, habuisset classem, tamen illam in procelloso mari non potuisset firmare, & telis è mœnibus petita, accedere difficile & quodammodo ἀδύνατον poterat videri.

CAPVT VI.

ARGVMENTVM.

Carthaginiensium legati firmant Tyrios contra Alexandrum. Prodigia vrbi exitium protendentia.



Nter quæ haud parua dictu res Tyriorum fiduciam accendit: Carthaginensium legati ad celebrandum sacrum anniuersarium more patrio tunc venerant: quippe Carthaginem Tyrij condiderunt, semper parentum loco culti. Hortari ergo Pœni cœperunt, vt obsidionem forti animo paterentur, breui auxilia Carthagine ventura: namque ea tempestate, magna ex parte Punicis classibus maria obsidebantur. Igitur bello decreto per muros, turresque tormenta disponunt, arma iunioribus diuidunt, opifices, quorum copia vrbs abundabat, in officinas distribuunt, omnia belli apparatu strepunt: ferreæ quoque manus (harpagonas vocant) quas operibus hostium inijcerent, coruique & alia tuendis vrbibus excogitata, præparabantur. Sed cum fornacibus ferrum, quod excudi oportebat, impositum esset, admotisque follibus ignem flatu accenderent, sanguinis riui sub ipsis flammis extitisse dicuntur: idque omen in Macedonum metum verterunt Tyrij: Apud Macedonas quoque cùm
* frangeret. *fortè panem quidam militum * frangerent, manantis sanguinis guttas notauerunt: territoque rege, Aristander peritissimus vatum, si extrinsecus cruor fluxisset Macedonibus id triste futurum, ait: contrà, cum interiore parte manauerit, vrbi, quam obsidere destinassent, exitium portendere.*

FIDVCIAM ACCENDIT) Vti sperarent se obsidioni sustinendæ pares fieri.
AD CELEBRANDVM SACRVM) Herculis certè tutelæ Tyriorum.

CAR-

CARTHAGINENSIVM) Grammatici certant, vtrum Carthaginensium, an Carthaginiensium sit scribendum. Apud Sallustium emendatioribus membranis Carthaginiensium reperitur. Et Ennius ita dixit, quamquam poëtica licentia vsum putant. Ego secus apud plerosque omnes, qui καταλογάδην scripsére, Carthaginienses dixére.

CARTHAGINEM TYRII CONDIDERVNT) Omnes idem alii scriptores clamant. Testes interpretes ad illum Virgilij versum è prima Aeneid.

Vrbs antiqua fuit Tyrij tenuére coloni.

Carthago Italiam contra Tyberinaque longè Ostia præsertim Lambinus, Hortensius, & noster Pontanus. Adde, quæ Berosus & Menander Ephesius apud Iosephum de tempore Carthaginis conditæ conscripsére, quibus accedit Iosephus Scaliger de emendatione temporum ad editionem secundam in appendice, copiosissimè rem enarrat de Didone, Iustinus, Iosephus ex Menandro centum quinquaginta quinque annis post conditum templum Hierosolymitanum condita est Carthago, mensibus octo. Si post absolutum templum numeres, eruntanni 143. menses 8. Iustinus LXXII. annis ante Romam. Alij legunt apud Trogum LXXIII. Seruius ait, Carthaginem conditam septuaginta annis ante primam Olympiadem, Eusebius annis CXLIII. post Troiam captam, ait conditam à Carchedone Tyrio, vel Didone eius filia. Dauidis æuo; & regni anno XXXI. Iosephus annis CCXCI. post excidium Troiæ. Legatur appendix ad secundam editionem emend. temporum, parte 27. Ex quo innocentia Didonis, & impudens mendacium Virgilij Ennij, Næuij, Appiani, Cedreni, & qui hos secuti, ostenditur, qui Didonem Aeneæ amplius centum annis antè mortui amore, in gladium incubuisse fingit:

Contra Apionem lib. 1.

Vbi verè poëtam Maro, non historicum egit. Quâ de re queritur Dido hoc Epigrammate cuiusdam ἀδεσπότου sanè eleganti.

Ἀρχέτυπον Διδοῦς ἐρικυδέος ὦ ξένε λεύσσεις,
Εἰκόνα θεσπεσίῳ κάλλεϊ λαμπομένην.
Τοίη καὶ γενόμην, ἀλλ' οὐ νόον οἷον ἀκούεις
Αἴσχρον, ἐπ' εὐφήμοις δόξαν ἐνεγκαμένη.
Οὐ δὲ γὰρ Αἰνείαν ποτ' ἐσέδρακον, οὐδὲ χρόνοισι
Τροίης περθομένοις ἤλυθον εἰς Λιβύην.
Ἀλλὰ βίας φεύγουσα Ἰαρβαίων ὑμεναίων
Πῆξα κατὰ κραδίης φάσγανον ἀμφίτομον.
Πιερίδες, τί μοι ἁγνὸν ἐφωπλίσσασθε Μάρωνα,
Τοῖα καθ' ἡμετέρης ψεύσατο σωφροσύνης.

Hæc Ausonius valdè liberè, & παραφραστικῶς potius, quàm μεταφραστικῶς latinè cecinit:

Illa ego sum Dido, vultu quam conspicis, hospes
Assimulata modis, pulchraq; mirificis,
Talis eram: sed non Maro, quam mihi finxit, erat mens, * an, læsa
*Vita nec incestis * lata cupidinibus.*
Namq; nec Aeneas vidit me Troius vnquam,
Nec Libyam aduenit classibus Iliacis:
Sed furias fugiens, atq; arma procacis Iarbæ,
Seruaui, fateor: morte pudicitiam.
Pectore transfixo castos quod pertulit enses,
Non furor, aut læso crudus amore dolor.
Sic cecidisse iuuat, vixi sine vulnere famæ,
Vlta virum, positis mœnibus oppetij.
Inuida cur in me stimulasti Musa Maronem,
Fingeret vt nostræ damna pudicitiæ?
Vos magis historicis lectores credite de me,
Quàm qui furta Deûm, concubitusq; canunt.
Falsidici vates, temerant qui carmine verum,
Humanisq; Deos assimulant vitijs.

Videtur legisse Ausonius ἦλυθεν? hodie est ἤλυθον, verius nã de Aenea nô poterat scire, an ad Carthaginem poetum applicuerit.

Ita sanè Ausonius:

Non minus peccatum est ab Euripide, & Cortiuo, quem Aristoteles laudat 2. Rhet. in Medeâm heroidem, meliore fama dignam, super sexum, & genus sapientem, quam falsò Pharmacidem & τεκνοκτόνον impulsu Corinthiorum, qui geminos illius liberos Mermerum & Pheren lapidibus obruerant, quibus postea sacrificium instituerunt, vt est apud Pausaniam. Plura Stobæus, Aelianus, Bisciola lib. 6. c. 19. Neque sanctè præcepit Aristoteles in poëticis, non licere fabulas immutare. Nam si licuit illis falsa fingere, cur non liceat alijs vera refingere?

Corinthiacis. serm. 19 seu 27.

Nescio Reginis cur tam sit iniquus Apollo,
Sancta fuit Colchis, sancta & Elisa fuit.

POENI) Quasi Phœni, à Phœnicibus, vt Seruio placet, est & appositum apud Virgilium,

Stra-

Statium,& alios, Pœnus ager, Pœnus leo. à Pœno dicitur bellum Pœnicum,&Punicum,vt mœnire & munire;ficut à pœna punire.

EA TEMPESTATE) M. Attilio & M. Valerio Coss. Olymp.cxii.anno primo.

AVXILIA VENTVRA) Quæ nulla venerunt, vt infrà docebo.

PVNICIS CLASSIBVS MARIA OBSIDEBANTVR) Tyrij enim & Carthaginienses id temporis maris domini toto orbe habebantur, vt res etiam in paræmiam verterit. Tyria maria concitare, vt est apud Afranium, Varronem & Festum, quod omnibus mortalibus periculosa esset nauigatio, propter Pœnos Tyro oriundos. Neque enim vicina maria obsidebant, sed, quodcunque adibant, suæ ditionis faciebant.

IGITVR BELLO DECRETO) Carthaginiensium inanibus promissis inflati statuunt obsidionem tolerare, ad eamque rem, vt hostem à mœnibus defenderent, omnis generis tela comportant.

TORMENTA) Balistas, Catapultas, Scorpiones, quibus saxa torquebant, & tela in hostem mittebant.

OFFICINAS) Ferrarias, ergasteria.

FERREAE QVOQVE MANVS) Ferreas manus cum harpagonibus confundit: alij distinguunt. Liuius harpagones ita describit: *Postremo asseres ferreo vnco præfixi (harpagones vocant milites) ex Punicis nauibus inijci in Romanas cœpti, quos cum neque ipsos, neque catenas, quibus suspensi injciebantur, incidere possent.* Quæras, quæ sint catenæ? intelligo ego vincula, seu laminas tenues, per asseres, siue hastilia, contortae, seu perticas ex omni latere demissas, ne lignum incidi posset, vt hodiè videmus in bipennibus, & hastis: nisi dicas, circulos catenarum vltra asserem procurrisse, extremoque vncum adhæsisse. Sed frustra est Stevvechius, cum Liuium ex loco reprehendit, confixa ab illo manus ferreas cum harpagonibus, quod ex alio Liuij testimonio conatur affirmare. Sed is locus Curtij est hic ipse, non Liuij. Curtius ergo, non Liuius confundit. Alium, credo, Steuuechius non vidit lib. 4. dec. 3. siue 24. vt alij numerum collocant: vbi eleganter ferream manum ab Archimede excogitatam describit: *In eas, inquit, naues tollendas, desuper murum eminētem ferrea manus firma catena illigata, cùm iniecta proræ esset, grauique libramento plumbi renelleret ad solum, suspensa prora, nauim in puppim statuebat: dein remissa subito, velut ex muro cadentem nauim cum ingenti trepidatione nautarum, ita vnda affligebant, vt etiamsi recta recideret, aliquantum aquæ reciperet. Ita maritima oppugnatio elusa.*

lib. xxx.

Liuius explicatus.

Defensus contra Stevvechium.

lib. 1. & 2. de bello Ciui. sciuisse videtur.

lib. 7. c. 56.

Videre vin' & vsum ferreæ manus? Cæsar: *Et manus ferreas, alij harpagones parauerant.* Et Plinius diuersos vtrique instrumento inuentores, & vt diuerso assignat, & ab Anacharsi harpagones, à Pericle Atheniensi manus ferreas ait excogitatas, speciatim Cæsar mentionem facit sine harpagonibus manuum ferrearum lib. 1. & 2. de bello Ciuili: asseres quoque, vt Liuius nominat, sed non aduncos. Bernardinus Baldus libro de Vitruuianorum verborum signif. voce harpagine tuli, siue harpagones mituli striati, harpagones instrumenta adunca, & vncinata interpretatur. Græcisque ἅρπαγας dici: Sed Græcis ἁρπαγὴ & ἅρπαξ leges hoc significatum. alij ἁρπάγη dicunt pro lupo, ἁρπαγὴ pro rapina, nugæ. Appianus tamen ἅρπαγα vocauit harpagonem, itaque descripsit ex nouo Agrippæ inuento: Ἐπενόησε δὲ καὶ τὸν καλούμενον ἅρπαγα ὁ Ἀγρίππας, ξύλον πεντάπηχυ σιδήρῳ περιβεβλημένον, κρίκους ἔχον περὶ κεραίας ἑκατέρας, τῶν δὲ κρίκων εἴχετο τοῦ μὲν ὁ ἅρπαξ σιδήρεον καμπύλον, τοῦ δὲ καλώδια πολλὰ μηχαναῖς ἐπισπώμενα τὸν ἅρπαγα, ὅτε τῆς πολεμίας νεὼς ἐκ καταπέλτου λάβοιτο. *Agrippa verò & harpagonem commentus est, quinque cubitale lignum ferro armatum, in vtroque cornu habens circulum, & in horum altero harpago vncum ferreum habebat, in altero multos funes, qui machinis attrahebant harpagonem, catapulta in hostilem nauem immissum.* Subijcit dein Appianus, quantum momenti ad victoriam ea machina harpagonis attulerit. Ex quibus discis varia etiam genera harpagonum fuisse. Ferreæ ergo manus diuersæ ab harpagonibus, maleq; à Curtio, Stevvechio, & alijs confusæ, λύκον latini lupum eundem appellitant.

OPERIBVS) Aggeribus, vallis, turribus.

lib. 10. c. 19.

* al. deprædatorē. λῃστὰς

Polluci. lib. 1.

CORVIQVE) Coruorum diuersa fuere genera, diuersæ formæ. Hunc Diades inuenit, illum Tyrij, alium Cn. Ouellius. De primo Vitruuius: *Inuenit etiam (Diades) coruum * demolitorem, quem nonnulli gruem appellant.* Hunc Philander putat fuisse eundem Helepoli Cilliæ apud Rhodios. C. Duillius aduersus classem Carthaginensium κόρακα seu coruum inuenit, prorsus diuersum ab hoc & Curtiano, quem *Polybius describit: Destituebatur in proris tignum rotundum, longum vlnas quatuor, latum in diametro palmas tres, trochleam in fastigio habens: eidem scalam applicabant, atque inducebant è transuersis tabulis latis pedes quatuor, longis vlnas sex compactam, clauisque confixam. Foramen tabulati oblongum erat statim à primis duabus vlnis tignum ipsum circumplectens. Ad latus oblongum erat vtrimque, alta genu tenus lorica. In extremo ferreum quasi pistillum in acutum desinens aptabatur, habens in vertice annulum: ita vt vniuersa compages machinamentis esset similis, quibus farina conficitur. Porro isti anulo funis illigabatur, quo in commissionibus nauium trochleæ illius ope, quæ in tigno erat, coruos erectos in tabulatum alienæ nauis demittebant: idque modò in proram, modò naues circumagendo,

vt in

vt in latera inimicarum darent impetum. Postea verò quàm infixi erant corui tabulatorum asseribus, admotas naues inuicem constrinxissent, quoties quidem obliqui naues mutua latera coniunxerant, omni ex parte insiliebant: quoties verò à prora erant commissæ, per ipsam machinam bini continua serie irruebant, quorum primi aduersos ictus scutis obiectis defendebant: proximi his scutorum curuaturam super lorica imponentes, latera tutabantur. Hi erant corui Polybiani. Dissimiles ab his Curtiani, quos neque *Lipsius, neque Bernardinus Baldus commentario Vitruuiano est assecutus, quando eosdem cum Polybianis scripserunt Curtianos, quamque Lipsius cautius, mòx corrigit sententiam. Vicinior est coruo Curtiano lupus *Liuianus & Vegetianus, qui iam crexerant ad murum scalas, in alios lupi supernè ferrei iniecti, vt in periculo essent, ne suspensi in murum traherentur. Vegetius. *In modum forficis dentatum ferrum, quem Lupum vocant.* Hi Curtiani è mœnibus in naues tormento, tanquam balista emittebantur sine milite, & naues lacerabant, & propugnatores intra mœnia traijciebant. Sic enim infra Curtius: *Namq; ad implicanda nauigia, quæ muros subibant, validis asseribus coruos, & ferreas manus illigauerant, vt, cùm tormento asseres promouissent, subitò laxatis funibus inijcerent. Vnci quoq; & falces ex iisdem asseribus dependentes, aut propugnatores, aut ipsa nauigia lacerabant.* Dio propius accedit, qui Bizantinos affirmat habuisse inter machinas harpagones, quos emittebant, & reducebant celeriter. Planè descripsit hos coruos Tacitus: *Præcipuum terrorem intulit suspensum, & nutans machinamentum, quo repente demisso, præter suorum ora, singuli, pluresve hostium sublimè rapti, verso pondere intra castra effundebantur.*

* In Polio certico l. 5. dial. 8.
* Lib. 28.
Lupi Vegetiani.
In Seuero
4. Histor.

ET ALIA TVENDIS VRBIBVS EXCOGITATA) Missilia tela, tormenta, balistæ, catapultæ, & alia noua, infrà subiecta, tridentes, scuta arenaria.

SED CVM FORNACIBVS) Sequuntur omina futuri excidij, quæ tam obsessos fecêre dubios, quàm oppugnantes, singulis illa pro sua fortuna interpretantibus: quamquam Aristander acutissimus prodigiorum interpres, rem acu tetigerit, & cladem vrbis præsenserit. Primum in vrbe notatum, quando liquentis in igne ferri, color in sanguinem diffluxit: alterum extra vrbem in castris Macedonum, cùm fracti panis medulla cruore immaduit, quæ solerter vates Tyris cladem denũciare ostendit, cum & ab ima flamma in vrbe sanguis eruperit, & ex media terra guttæ promicarent, omnia extrema obsessis vndique pressis imminere. Tertium est etiã ab Arriano scriptum, quod mirificè Alexandrum ad tentandam vrbem confirmauit. Illa nocte, quæ obsidionem præcessit visus, Alexandro Herculis imago dextram porrigentis, & regem in vrbem introducentis: quod somnium Aristander verè, & ingeniosè coniectans, Tyrum quidem expugnatum iri, sed non absque sudore, quod Herculis opera essent laboriosa. Plutarchus quoque elegans narrat somnium capiendæ vrbis symbolum, & propè ænigma, siue logogryphum. Satyrus per quietem Alexandro obiectus, procul ei visus est alludere, quem, cùm prendere identidem conaretur, subducere se, tandem post preces multas, atque circumcursationes, venire in manus suas. Hic somniorum coniector, promittere certam Alexandro Tyrum, ausus, id nomen ipsum dixit ostendere. nam si primam à reliquis syllabis diuidas erit σὰ Τύρος, tua Tyrus: σὰ enim Dorum, Dialecto dicitur pro σὴ. illa σὺ γενήσεται Τύρος, non prophetanti γενήσεται, sed tantum σὰ Τύρος sine alia voce, diuisa tamen voce. Tua erit Tyrus. Ostendunt etiam fontem, proter quem secundum quietem, visus est Satyrum videre. Lusit autem diu Satyrus Alexandrum, quod diu repugnaturi & defensuri se essent Tyrij, antequam expugnarentur. Narrant idem de Satyro somnium Artemidorus, Daldianus, Zonoras, Cedrenus. Nullus finis omnium, quæ & Hierosolyma olim euertenda à Tito plurima fuêre, quemadmodum Iosephus, Egesippus, & alij prodidêre. Curtius alia tria prioribus, infrà subiungit: de Apolline, qui ciui Tyrio per speciem in somno visus, aperuit vrbem, à se deseri aggeremque ab Alexandro iactum, in syluã conuersum: de ceto immani ex alto emergente, & se ad aggerem applicante. Plutarchus refert, eo ijso die, quo capta Tyrus est, Aristãdrum vatem, dum victimis cæsis exta inspiceret, in corona procerum pronunciasse, vrbem haud dubiè illo mense expugnandam. Sed turba dictum eius ludibrio, & risu excipiente, quod dies ea mensis esset vltima, nullaque spes esset vrbis capiendæ: proindè adynaton ab Alexandro proditum. Alexandrum vt perplexo iam vati, & verecundanti consuleret, illum diem XXVIII. mensis deinceps, non trigesimum iussit appellari, signoque tuba dato, quod ante non decreuerat, murum acrius adortus occupauit, & vrbem eodem die præter spem cepit.

In vita Alexandri.
Li. 4. de insõnijs c. 26.
Idem Diodorus.

IN MACEDONVM METVM) Perindè quasi Macedones præ metu sudaturi sanguinem essent, immò cædendi, & sanguinem fusuri in fuga & cæde: sed mali vates Tyrij serui. Diodorus narrat, mandentium panem Macedonum ora cruenta paruisse.

CAPVT VII.

ARGVMENTVM.

Tyrij Alexandri legatos de pace missos occidunt, difficultas obsidionis, desperatio militis, Alexandri hortatio.



Lexander cum & classem procul haberet, & longam obsidionem magno sibi ad cætera impedimento videret fore, caduceatores, qui ad pacem eos compellerent, misit; quos Tyrij contra ius gentium occisos præcipitauerunt in altum. Atque ille suorum * *tam indigna nece commotus, vrbem obsidere statuit. Sed ante iacienda moles erat, quæ continenti vrbem committeret. Ingens ergo animus militum desperatio incessit:* * *profundum mare, quod vix diuina ope posset impleri: quæ saxa tam vasta, quas tam proceras arbores posse reperiri? exhauriendas esse regiones, vt illud spacium aggeraretur: exæstuare semper fretum: quoq; arctius volutetur inter insulam & continentem, hoc acrius furere. At ille haud quaquam rudis tractandi militares animos, speciem sibi Herculis in somno oblatam esse pronunciat, dextram porrigentis: illo duce, illo aperiente, in vrbem intrare se visum. Inter hæc caduceatores interfectos, gentium iure violato referebat. Vnam esse vrbem, quæ cursum victoris morari ausa esset. Ducibus dein negotium datur, vt suos quisq; castiget: satisq; omnibus stimulatis, opus orsus est.*

* tam

* cementiū

CVM ET CLASSEM PROCVL HABERET) Iterum ostendit futuræ obsidionis difficultatem, propter situm vrbis alto mari ambitæ, & classis absentiam, & molem à continenti ad vrbem vsque per septingentos, ut certè quingentos pedes perpetuandam, & freti sævientis illic assiduos fluctus, & altitudinem. Glareanus hoc loco docet contraria scribi à Curtio & Diodoro; ego secus autumo, fallique aio Glareanum, quando scribit Diodorum statim initio oppugnationis affirmare, Tyrios quanquam classem LXXX. triremium haberent, tamen in vrbem compulsos ab Alexandri classe, quæ & operarios in aggere tutos reddiderint à Tyriorum eruptione, Curtium verò negare, initio oppugnationis Alexandro vllam fuisse in promtu classem. Sed nego ego à Diodoro tradi, statim initio oppugnationis Alexandrum habuisse classem. nihil enim ibi de classe Diodorus, sed tantum de aggere iacto, & iam absoluto meminit, ac tum demum Tyrios senes, & pueros, cum imbelli mulierum turba, Carthaginem deuehere conatos, & verò partem deuenisse: alteram demum partem à classe Alexandri interim comparata, deprehensam, & retrò in vrbem repulsam.

CONTRA IVS GENTIVM OCCISOS) Iurisconsulti & ciuilis nonnihil abeunt à Iuris diuini interpretibus & consultis. Illi aliud constituunt ius naturale à iure gentium: hi idem affirmant. Vlpianus enim ita de vtroque disserit: *Ius gentium,* inquit, *est, quo gentes humanæ vtuntur, quod à naturali recedere facilè intelligere licèt: quia illud animalibus, hoc solis hominibus inter se commune est.* Viden' vt Vlpianus ius naturæ tribuat etiam animantibus & feris, ius gentium solis hominibus. Vlpianum secutus est Iustinianus: *Ius naturale,* inquit, *est, quod natura omnia animalia docuit: nam ius istud non humani generis proprium est, sed omnium animantium, quæ in cælo, quæ in terra, quæ in mari nascuntur. Hinc descendit maris atque fœminæ coniunctio, quam nos matrimonium appellamus, hinc liberorum procreatio & educatio. Videmus enim cætera quoq; animalia istius iuris perita censeri. Quod verò naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes populos præcipuè custoditur, vocaturq; ius gentium, quasi, quo iure omnes gentes vtuntur. Et populus itaque Romanus partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure vtitur.* Et infrà: *Ius autem gentium omni humano generi commune est. Nam vsu exigente, & humanis necessitatibus, gentes humana iura quadam sibi constituerunt: Bella etenim orta sunt, & captiuitates secutæ, & seruitutes, quæ sunt iuri naturali contrariæ. Iure enim naturali ab initio omnes penè contractus introducti sunt; vt emptio & venditio, locatio & conductio, Societas, Depositum, mutuum, & alij innumerabiles.* Sed ius naturale non est propriè & verè definitum, vt & ipsi iurisconsulti testantur, qui negant iniuriam cadere in bestiam, Ergo nec ius. Præterea: Vbi nulla est ratio, ibi nullum est ius: In bestijs nulla est ratio, nullum igitur ius. Quomodo tamen ius dicatur in homine, & idem in bestia, eleganter docet Goueanus *Decr. 2. titul. Iur. c. 19.* Et Epiphanius *comment. in 4. lib. Instit. Iuris Ciuilis.* De Iure gentium Cicero: Itaq; maiores nostri aliud ius gentium, aliud ius ciuile

Dig. l. Tit. 1. de Iustitia & Iure.

lib. 1. § ff Si quadrup. paup. fec. dic. Et lib. Etsi § 5. ff. ad leg. ff. quid. lib. 5. 1. Rhetori.

tile esse voluerunt.* Liuius ius humanum. * Aristoteles Κοινὸν, commune. Distinguitur ius gentium à ciuili, quod illud sit antiquius, hoc recentius; illud ratio constituerit, hoc populus, aut rex; illud latius pateat, hoc sit angustius; illud ægrè immutetur, hoc facilè. De hac tota quæstione doctissimè disputat contra Iurisconsultos noster Vasquesius in D. Thomam. Posses & doctissimum addere Franciscum Conarum *l.1 comm. Iuris ciuilis c.6.* Nobis hæc ad præsentem locum sufficiant. * lib.5. * 1. Rhetoric. In 1.2. dispu.157.q.95.art.4.c.1.tom.2.

Iure ergo communi naturali seu gentium, semper legati à quocunque missi, habiti sunt sacrosancti. Quod alioqui inter hostes nulla sit via pacis vnquam reconciliandæ, & horum violatores sint habiti in numero hostium omnium gentium totius generis humani. Nihil est, quod moueare Glareani suspicione, arbitrantis hanc de legatis occisis historiam esse falsam; quod Diodorus & Iustinus illam præterierint: quasi Iustinus & Diodorus non alia multa transmiserint silentio, quæ Arrianus & Curtius narrant. Quid si hæc, & alia habuere Calisthenes, Duris, Ptolomæus, Aristobulus, & innumeri alij nobis inuisi, Curtio olim fortè lecti. Multa Aelianus, Polyænus, Plinius adferunt alijs præterita.

IACIENDA MOLES ERAT) Militem operis futuri, laborisque infiniti cura terrebat. Et re ipsa non fallebantur. Nam quantæ molitionis res fuerit, disci potest ex conatu Nabuchodonosoris, qui primum aggerem iecit, cùm vrbem XIII. annis arctissima obsidione terra, marique premeret. Id quod sanctissimus & verissimus vates Ezechiel narrat, cùm exponit militum laborem, ex quo affirmat, omnibus defluxisse capillitium, & caluitio deformatos, depilatosque humeros onera portantium Sic enim ille: *Fili hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis, seruire fecit exercitum suum seruitute magna aduersus Tyrum: omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus est, &c.* Hunc ergo laborem cùm Macedones suis ceruicibus imminere præsentiscerent, in vltimam desperationem acti, videbantur, imperia recusaturi, cùm & maris altitudinem, etiam profundiorem quàm erat animis metirentur, & tota montium iuga humeris putarent vectanda, & rupes excindendos, ad interuallum, quod erat inter vrbem & continentem aggerendum. Præterea inanem fore operam, freti furentis æstu omnia dissipaturi. Cap. 9.

DESPERATIO INCESSIT) Idem infrà lib.5.

* AT ILLE HAVD QVAQVAM RVDIS TRACTANDI MIL. ANIMOS) Vt suos ad opus moliendum induceret, oraculis & orationum momentis vsus est Alexander. Illud erat, de quo supra diximus Herculis cognatum suum Alexandrum in vrbem inuitantis; hæc, quod legatos occidissent, ius gentium violassent, quod vrbs aula esset se orbis victori opponere, quam nisi cepisset, futurum, vt fama, qua plura quàm armis vicerat, corrumperet sibi etiam reliquas victorias. Alias causas affert Arrianus, apud quem copiosius perorat Alexander, cùm dicit, à Tyri expugnatione pendere totam Græciam, Cyprum & Aegyptum. Illa ne desciscat cum Lacedæmonijs, hæ vt accedant ad Alexandrum. Hæc Alexander in publica militum concione, priuatim singulos etiam duces cohortatus, vti dubitantibus calcaria adderent. Arrianus idem lib.2.

OPVS ORSVS EST) Ipse primus moliri cœpit, manibus etiam ad opus admotis. Polyænum audi: Ἀλέξανδρος πολιορκῶν Τύρον, βουλόμενος χῶμα τοῖς τείχεσι τῶν Τυρίων μεταβαλεῖν πρῶτος αὐτὸς περὶ ἀκόφινον λαβὼν χοῦν πληρώσας προσήνεγκεν: οἱ Μακεδόνες ὡς εἶδον αὐτουργοῦντα τὸν βασιλέα, παραχρῆμα τὰς ἑαυτῶν χλαμύδας ἀπορρίψαντες τὰ χωρία διὰ τάχους ἤγειραν. *Alexander Tyrum obsidione cincturus, aggeremque mœnibus Tyriorum commissurus, primus ipse cophinum terra fartum gestauit. quod vbi Macedones viderunt, ipsum, inquam, regem suum onus gestantem, proiectis chlamydibus, breui spacium maris terra complanarunt.* Erubuit nempe miles quem præire decuerat, non sequi imperatorem. Sed quid dicat hic Glareanus, cùm hoc Alexandri factum alij dissimulent, & solus Polyænus exponat. Iterum fabulam proclamabit, ipse fabula futurus. Lib. 4.

CAPVT VIII.

ARGVMENTVM.

Incipit aggerem iacere per mare, Tyrij obnituntur. Expeditio interim in Arabes.



Magna vis saxorum ad manum erat Tyro vetere: materies ex Libano monte ratibus & turribus faciendis aduehebatur. Iamque à fundo maris in altitudinem modicam opus excreuerat, nondum tamen aqua fastigium aquabat: & quo longius moles agebatur à littore, hoc magis quicquid ingerebatur, praaltum absorbebat mare: cùm Tyrij paruis nauigijs admotis per ludibrium exprobrabant; Illos armis inclytos dorso, sicut iumenta, onera gestare:

*interrogabant etiam, num maior Neptuno Alexander esset. Hac ipsa insectatio alacritatem militum accendit. Iamq; paullum moles aquã eminebat, & simul aggeris latitudo crescebat, vrbique admouebatur: cùm Tyrij magnitudine molis, cuius incrementum eos antè fefellerat, conspecta; leuibus nauigijs nondum commissum opus circuire cœperunt: missilibus eos quoque, qui pro opere stabant, incessere. Multis ergò impunè vulneratis, cùm & remouere, & appellere scaphas in expedito esset; ad curam semetipsos tuendi ab opere converterant. Igitur munientibus coria, velaq; iussit obtendi, vt extra teli * tactum essent, duasq; turres ex capite molis erexit, è quibus in subeuntes scaphis tela ingeri possent. Contrà Tyrij nauigia procul à conspectu hostium, littori appellunt, expositisq; militibus, eos, qui saxa gestabant, obtruncant. In Libano quoq; Arabum agrestes incompositos Macedonas adorti, triginta ferè interficiunt, paucioribus captis. Eares Alexandrum diuidere copias coegit. Et ne segniter assidere vni vrbi videretur, operi Perdiccam, Crateronq; præfecit; ipse cum expedita manu Arabiam petijt.*

* ictum

Cap. 26. 27. 28. MAGNA VIS SAXORVM EX TYRO VETERE) Et hæc vrbs erat nobilis, eademque fortè à Iapheti filio Thyra condita. Existimabam Ezechielem de hac vaticinatum, cum de Nabuchodonosoris expugnatione egit. Sed cùm Alexandri ætate nondum fuerit euersa, reduxi calculum. Hanc Palætyrum totam coniecit in mare Alexander, vt vrbem sterneret in viam ad nouam occupandã. Appellabatur Græcis παλαίτυρος, antiqua Tyrus, extra insulam, stadijs triginta à noua Tyro remota, non toto milliari nostrate.

Iosepho & alijs.

MATERIES EX LIBANO) Arbores, hoc enim valet materies *, vnde materiarius faber, seu lignarius. Libanus mons à tergo Sidonis nascens, orientem versus crescit, & vltra Damascum porrectus stadijs mille quingentis; milliaribus Germanicis septẽ & quadraginta, minus stadijs quatuor, passibus nempè centũ octoginta septem millibus suprà quingentos, ad Simyram vsque & Palmirenam regiones pertinet, omnibus naturæ opibus auctus & cumulatus, quem sacra literarum oracula, Iosephus, Hierony. Plinius, Vitruuius, Suetonius, Strabo, & recentiores, Niger Geographus, Adrichomius, Brocardus, & plures alij scriptis suis nobilitarunt. Quà altissimus, æternis candicat niuibus, abundat incolis, arbore Cedro, Abiete, Cupresso, Pino, Buxo, Olea, odoriferis alijs, & thuriferis, vt ingentem Solomoni, Hiramo, Alexandro materiam potuerit suppeditare.

Plin. l. 5. c. 20.

RATIBVS ET TVRRIBVS) Verius meo animo *ratibus*, quàm *cratibus*, tametsi & hæ possent habere locum in obsidionibus: libro tamen 5. dixit *cratibus ac pluteis*, sed hic mare cogita. Rates porrò vel pro temerè compactis trabibus, & tumultuario nauigio, vel longa naue ponuntur, quas à rarescendo dictas Varro docet: *Ratis*, inquit, *dicta nauis longa propter remos, quod hi, cum per aquam sublati, dextra & sinistra duas partes facere videntur, rarescunt: & hoc ratis: Silatum illud, vbi plures mali, aut asseres ac restes: ablato*. Cicero naues & rates expertè distinguit, cùm in Verrem dicit: *Cùm aut nauibus aut ratibus conarentur accedere*. Et Liuius: *Et Fuluium Vulturnus tenuerat amnis, nauibus ab Annibale incensis, rates ad traijciendum exercitum, in magna inopia materia comparantem*. Rates schedia dictæ, de quibus multa Gyraldus, voce *Schedia*. Poterat & cratibus esse locus ad muniendũ vel turres, vel aggeres struendis vel firmandis. Sed retineo *rates*, quibus opus.

Varro li. 6.

Lib. 26.

IAMQVE A FVNDO MARIS) Ab imo mari, & fundum, in recto casu, non fundus. Aliud enim est fundus, aliud fundum. Fundus, est ager, immò minus quiddam agro, vt docet Valla. Singula enim propriè prata, singulæ vineæ, singuli horti, singula olitueta, pomeria, salicta, arbusta, pascua, nemora, loca aucupatoria, venatoria, piscatoria, siue villam atque ædificium, siue piscinam atque aluearia, siue vinaria habeant, siue non habeant, singuli fundi sunt, & hoc quidem in agro. Fundum autem, est ima pars cuiusque rei propriè aliquid liquoris intra se continens, aut ad continendum facta, vt dolium, vt nauis, vt alueus vel fluminis, vel lacus, vel stagni, vel maris. Fundum turris, non diceret Valla. Est & fundus populus rei, quam alienat, id est, auctor: de qua re Turnebus Aduersar.

lib. 6. c. 41.

lib. 4. c. 12.

DORSO SICVT IVMENTA ONERA GESTARE) Conuitijs per ludibrium incessebant Macedones, intra seruorum conditionem descendisse, & ex heroibus ac Martialibus asinos clitellarios factos.

MAIOR NEPTVNO ALEXANDER) Idem Diodorus. Tyrij initio ad inchoatum opus nauibus accedentes, regem irridebant, quod Neptunum se coercere posse confideret.

ALACRITATEM MILITVM ACCENDIT) Immò indignationem, qua ad opus absoluendum, & Tyrios vlciscendos acuebantur.

IAMQVE PAVLVM AQVAM EMINEBAT) Paullatim, sensimque crescente opere territi Tyrij, omissis conuitijs & ludibrijs ad seria conuertebantur. Eminet, nusquam cum accusandi casu legitur, nisi hic, qui locus dubius est. Iunius extra ordinem versus habet *aqua*, sed nec cum Datiuo, nec Accusat. legi.

Lib. 17. MAGNITVDINE MOLIS) Ducentos enim pedes, Diodoro auctore, lata moles erat.

Non-

NONDVM COMMISSVM OPVS) Vbi nondum annexum, intercedebat aliquid adhuc maris inter vrbem, & aggerem.

MISSILIBVS) Ignibus,telis,saxis,plumbo,ferro,pice,bitumine impetebant Tyrij Macedones aggerem molientes,qui neglecto sæpè opere cogebantur se à Tyrijs,subitò per scaphos allabentibus & dilabentibus defendere.

IN EXPEDITO) Promptum & expeditum erat Tyrijs fugere,si Macedones ingruerent; accedere ad operas,si defensores abessent,quæ res operas conuertebat ad semet tuendos.

EXTRA TELI IACTVM) Lipsius verè,vt extra teli ictum essent,cuius scripturam confirmat Acidalius: *Extra teli iactum*,inquit,*est,quò pertingere tela nequeunt:extra ictum,quò perueniunt,sed sine noxa,prohibito illapsu aut tactu.* Ergo cùm Tyrij scaphis omninò ad aggerem accederent,non poterant extra teli iactum esse,sed prætensis crudis corijs & velis, extra ictum erant,quem coria & vela prohibebant. De scaphis Diodorus: *Cum aggeris incrementum iam Tyrijs formidinem faceret,scaphas complures scorpionibus,catapultis,sagittarijs & funditoribus replenerunt,atq; ita ad eos , qui in aggere operabantur,appulsi,multos vulnerabant,nec pauciores interficiebãt. In densam enim illam , & inermem operarium turbam,cùm tela multa,& omnis generis conijcerentur,nullus ictus,vtpotè in expositos & indefensos frustra erat.* I.poliocert. dialogo 1.

CORIA, VELAQVE IVSSIT OBTENDI) Clarius Suidas: περὶ χώματος τούτου δὲ μηχάνημα οἱ ἐργαζόμενοι προκάλυμμα ἐθέασαν ἐξ αἰγείων τριχῶν, τῶν λεγομένων κιλικίων, ἃ δὴ πάχους τε καὶ μήκους διαρκῶς ἔχοντα ἀναρτήσαντες ἐκ ξύλων μακρῶν ἐπίπροσθεν ἐτίθεντο. ἐνταῦθα γὰρ οὔτε πυρφόροι οἰστοὶ, οὔτε ἄλλα βέλη ἐξικνεῖσθαι εἶχον, ἀλλ' αὐτοῦ ἐπὶ τῶν προκαλυμμάτων ἵσταντο. *Qui machinam* (aggerem) *excitabant, ij tegumentum & velum habebant è capillis pilis factum,qua cilicia vocant. Ea iusta,& sufficienti crassitie,ac longitudine suspendebant,e proceris lignis,& ante se protendebãt. Ita nec ignita iacula,nec alia tela attingere eos poterãt, sed in ipsis ibi tegumentis sistebant,& hærebant.* De corijs, seu pellibus Thucidides προκαλύμματα εἶχε δέῤῥεις καὶ διφθέρας ὥστε τοὺς ἐργαζομένους, καὶ τὰ ξύλα μήτε πυρφόροις οἰστοῖς βάλλεσθαι, ἐν ἀσφαλείᾳ τε εἶναι. *Tegmina habuit pelles & centones,vti nec operantes,nec ligna operis ignitis iaculis peterentur,& in tuto essent.* Lib. 2. Arrianus de hoc ipso aggere ad Tyrum faciendo: προκαλύμματα δὲ δέῤῥεις, καὶ διφθέρας αὐτοῖς ἦσαν, ὡς μήτε πυρφόροις βέλεσιν ἀπὸ τοῦ τείχους βάλλεσθαι, τοῖς τε ἐργαζομένοις προβολὴν ἐν τῷ εἶναι πρὸς τὰ τοξεύματα. *Munimento illis erant coria,& pelles,vt neq; à muro telis ignitis peti possent,& versantibus in opere , propugnaculi loco essent in sagittas.*

DVASQVE TVRRES EX CAPITE MOLIS EREXIT) An quà continentem moles attingebat? an quà in mare porrigebatur? dubiũ enim quod vocet caput molis, Arrianus soluit: Καὶ οἱ Μακεδόνες πύργους ἐπάνω τοῦ χώματος, ὅ, τίπερ προκεχωρήκει αὐτοῖς ἐπὶ πολὺ τῆς θαλάσσης ἐπέστησαν δύο, καὶ μηχανὰς ἐπὶ τοῖς πύργοις. *Macedones duas ligneas turres aggeri, quà plurimum in mare productus erat , imponunt,machinasq; in ijs disponunt.*

CONTRA TYRII) Non sentientibus Macedonibus milites nauibus impositos,in auersa castrorum,& aggeris parte immittebant in baiulos saxis onustos,quos obtruncabant , & se subitò in naues receptabant.

IN LIBANO QVOQVE) Montem hunc paullò antè laudauimus,hîc latrunculorum receptaculũ fuisse docet , propter arborum opacitatem , qua tegebantur prædones. *Excurrit ergo Alexander cum aliquot equitum turmis Agrianis & sagittarijs in Arabia montem , cui Antilibano nomen est , Eaque regione partim vi subacta , partim pactionibus in suam potestatem redacta , vndecim dierum spacio Sidonem reuersus est :* Ita Arrianus de hac Arabica Alexandri expeditione. Polyænus cæteris hic omnibus tradit: Ἀλέξανδρος Τύρου πολιορκίαν περιβαλὼν ἐπ' Ἀραβίας ἐστέλλετο. Τύριοι τῆς ἀπουσίας αὐτοῦ καταφρονήσαντες, τῶν τειχῶν προελθόντες, τοῖς Μακεδόσι προσπεσόντες ἐκράτουν πολλαχῆ. Παρμενίων Ἀλέξανδρον ἀνακαλεῖται, ὁ δὲ διὰ τάχους ἐπανελθὼν Μακεδόνων τοὺς ἐκκλίνοντας ἰδὼν τοῖς ἡττωμένοις οὐκ ἐβοήθησεν. ἐς δὲ τὴν πόλιν κενὴν ἀνδρῶν ὁρμήσας κατὰ κράτος αἱρεῖ τὴν Τύρον. Τύριοι τὴν πόλιν ἁλοῦσαν ἰδόντες, αὐτίκα σφᾶς αὐτοὺς, καὶ τὰ ὅπλα τοῖς Μακεδόσι προὔθεντο. Hæc,quia à Iusto Vulteio peruersè versa sunt,ita interpretor: *Alexander circumuallata Tyro in Arabiam excurrit. Tyrij ausi illius absentia, eruptione ex vrbe facta, Macedonibus persæpè superiores rediêre. Alexander à Parmenione subitò reuocatus, cùm Macedones in fugam coniectos cerneret,neglectis ijs,vacuam defensoribus vrbem inuasit,& occupauit. Quod Tyrij foris cõspicati,se cum armis Alexandro dedidêre.* His,cùm alij omnes repugnent , ego subscribere non ausim. Alia ratio est,cũ narratur alijs præteritum,alia,cùm contrarium. Chares apud Plutarchũ de hac expeditione in Arabas,Alexandrum,ait,in magnũ venisse periculũ,Lysimachi pædagogi causa,iactantis se Phœnici nihil credere,neque dignitate,neq; ætate. Interim cęlo aduesperascente,copias Alexandri montibus appropinquasse,Lysimachũ fessum & fatiscentem reliquos assequi nequiuisse: alexandrumq; cum paucis apud Lysimachum mansisse, eumque nunc excitando, nunc ducendo secum traxisse. Interibi distractum ab exercitu,tenebrisque oppressum,propè gelu obriguisse. Vidisseq; eminus hostium pyras, accurrisse solum,duobusque interfectis,titione rapto ad suos illos paucos recurrisse,ingentemque rogum excitasse,ac hostibus territis,noctem tutò transegisse. Arrian.l.2. Stratagem. lib. 4. in Alexand.

PARDICCAM ET CRATERON) Ducum fidißimos , de quibus infrà haud pauca. Polyænus,vt audisti,Parmenionem ait,ad obsidionem relictum.

CAPVT IX.

ARGVMENTVM.

Stratagema Tyriorum, clades Macedonum, operis euersio, restitutio aggeris, variæ Tyriorum artes.



*Nter hæc Tyrij nauem magnitudine eximia, saxis harenaq́ à puppi oneratam, ita vt multum prora emineret, bitumine ac sulphure illitam, remis concitauerunt; & cùm magnam vim venti vela quoq́ concepissent, celeriter ad molem successit. tum prora eius accensa, remiges desiluère in scaphas, quæ ad hoc ipsum præparatæ sequebantur. Naui autem igne concepto, latius fundere incendium cœpit: quod, priusquam posset occurri, turres, & cætera opera in capite molis posita, comprehendit. At qui desiluerant in parua nauigia, faces, & quicquid alendo igni * erat, in eadem opera ingerunt. Iamq́ non modò Macedonum turres, sed etiam summa tabulata conceperant ignem: cùm ij, qui in turribus erant, partim haurirentur incendio, partim armis omissis, in mare semetipsi immitterent. At Tyrij, qui capere eos quàm interficere * voluerunt, natantium manus stipitibus saxisq́ lacerabant, donec debilitati, impunè nauigiis excipi possent: nec incendio solùm opera consumpta, sed fortè eodem die, vehementior ventus * motum ex profundo mare illisit in molem, crebrisque fluctibus compages operis verberatæ * laxauère, saxáque * interluens vnda, medium opus rupit. Prorutis igitur lapidum cumulis, quibus iniecta terra sustinebatur, præceps in profundum ruit, tantaq́ molis vix vlla vestigia inuenit ab Arabia rediens Alexander. Hic (quod in aduersis rebus solet) alius in alium culpam referebant, cùm omnes verius de sæuitia maris queri possent. Rex noui operis molem orsus, in aduersum ventum non latere, sed recta fronte direxit, ea cætera opera, velut sub ipsa latentia, tuebantur. Latitudinem quoq́ aggeri adiecit, vt turres in medio excitatæ, procul teli * tactu abessent. Totas autem arbores cum ingentibus ramis in altum iaciebant, deindè saxis onerabant, rursusq́ cumulo eorum alias arbores iniiciebant. Tum humus aggerebatur, * super quæ alia strue saxorum arborumq́ cumulata, velut quodam nexu continens opus iunxerant. Nec Tyrij, quicquid ad impediendam molem excogitari poterat, segniter exsequebantur. Præcipuum auxilium erat, qui procul hostium conspectu subibant aquam, occultoq́ lapsu ad molem vsque penetrabant, falcibus palmites arborum eminentium ad se trahentes, quæ vbi secutæ, pleraq́ secum in profundum dabant: tum leuatos onere stipites, truncosque arborum haud ægrè moliebantur, deinde totum opus, quod stipitibus fuerat innixum, fundamento lapso sequebatur.*

[Margin: * aptum; * maluerũt; * totum; * se; * interfluẽs; * ictu; * superque: alias super quam]

NAVEM MAGNITVDINE EXIMIA) Arrianus hoc Tyriorum nauale machinamentum accuratissimè describit, hoc loco meritò subijciendum, latinè tamen, ne lector Græcis fatigetur: *Tyrij*, inquit, *contra huiuscemodi quid machinati sunt: Nauem hippagogam aridis sarmentis, aliaq́ materia, quæ facilè ignem concipit, onerant, & malis duobus ad proram erectis, quàm latissimè possunt, in orbem circumsepiunt, vt fasces, facesq́ quam plurimas capiãt. Adhac picem & sulphur, aliaq́ ad excitandam ingentem flammam accommoda, accumulant. Prætereà ad vtrumq́ malum binas antemnas extenderant, atq́ ex ijs in lebetibus suspendunt, quæcunq́ aut infusa, aut immissa vehementer flammam augere possent. Dehinc omnia nautica instrumenta in puppim transferunt, vt eorum pondere grauata puppis, proram altius erigat. Dein obseruato vento, qui aggerem versus spiraret, nauem triremibus alligatam, in mare protrahunt. Postquam verò moli turribusq́ appropinquauerunt, immisso in materiam igne, quanta maxima vi possunt, nauem triremibus protrahentes, ad molis caput impellunt. At, qui in naui iam succensa erant remiges, facilè enatarunt. Intereà ingens incendium turres comprehendit, & antenna confracta, quæcunq́ ad augẽdum incendium præparata erant, effundunt.* Hæc Arrianus, qui per trierarchas & nautas missilibus auctum, ait, incendium, omnesque machinas cum opere & turribus incensas. Sed Curtius detrimentum acceptum fusius exponit. Videntur ab hoc Tyriorum stratagemate Antuerpienses olim, vt tradit Nicolaus Orlandinus, suum * exitiale nauigium, cui canis indidère nomen, composuisse, quamuis multò ingeniosius & nocentius, quàm Tyriorum, ita vt auctor non nisi stygium aliquem

[Margin: ἐν ᾗ τῶν ...: lib. 2. Hippagiũ; Annal. Societ. Iesu Anno cIↃ. IↃ. LXXXV.]

genium

genium illius architectum fuisse existimauit. Ita enim ille in obsidione Antuerpiæ duce Alexandro Farnesio Parmensi describenda narrat: *Noua excogitantur diabolo architecto nauigia: neque enim tale inuentum excogitare humana mens poterat. Horum ea constructio & fabrica fuit, vt honorarij formam tumuli, feraliaque vrna referrent. Erant in nauis alueo transuersa trabes, lapidesque in quadrum coagmentati, & ad foros vsque surgentes. Alueus autem ipse molaribus, & generis cuiusque lapidibus ita refertus, vt & varij cuniculi in spiram acti puluere sulphureo pleni relinquerentur, & pars summa cippi, immensisque lapidibus tegeretur. Latebat insuper fistula, fomentario igni relicta, ignarioque ita librato, vt non ante pulueres inflāmaret, quàm nauis ipsa in crates ac pontem propemodum impegisset. Fori autem, & constrata nauis tabulata, siue ad terrendos timidos, siue ad opprimendos incautos, sparteis, manipulis, pice, resina, sulphureque oblitis, ac malleolis conflagrabant. Quibus artificijs ac machinis cùm primùm remisit æstus, tetris ardens tenebris ex vrbe nauis emittitur. Quod hostile portentum dum procul adueutare nostri conspiciunt, continuò è castris vna cum Principe, in omnem euentum expediti ad ripam fluminis, pontemq; conuolant. Interea dum quidam per audaciam vel nauim ipsam conscendere, vel vncis remorari contendunt: ecce tibi repente conceptus ignis ingenti fragore saxa quatere, torquere trabes, tempestates ac tonitrua ciere, immanes lapides, ignitosq; globos in cælum vomere, stationarios & classicos in vndas mergere, partem pontis euertere, nemini denique parcere, qui vel propius accessisset, vel etiam longius abesset. Lamentabilis omnium gemitus erat, funestus multorum principum exitus, aliorum vel mutilatione, vel funere: ducentos propè homines lapidum procella contriuit. Princeps ipse Parmensis, quanquam Hispani cuiusdam impulsu, vix sese è periculo eripuerat, tamen vehementi aëris agitatione concussus, vnà cum Marchione de Peschara in terram concidit, propiusq; factum est nihil, quàm vt vterque militarium corporum mole, qua lapidum * prosternebat imber, opprimeretur. Vicarius etiam principis & totius equitatus magister, aliiq; clari viri fluctibus periêre. Alij per aërem visi sunt ad passus aliquot volitare, alij flammis, pulueribusq; cremati, fœdo sanè horribiliq; spectaculo.* Hæc Orlandinus. Vicissent tunc Antuerpienses, si cœptam victoriam vrsissent. Sed vbi detonuerat illa tempestas, collegêre se Hispani, & pontem sublicium naualemque Scaldæ artificiosissimè impositum refecêre, omnemque commeatum terra marique ab vrbe prohibuêre. * postrabat habet Romanus.

BITVMINE AC SVLPHVRE ILLITAM) Vt iniectum ignem statim corriperet. De bitumine plura infra in descriptione Babylonis, genus picis est, non ex arbore sudantis, sed aquis fluentis, vt naphta & maltha. lib. 5.

VELA) Velis & remis agebatur hæc pestis nauium, in exitium operis & aggeris, prima parte nauis extante, extrema pressa.

LATIVS FVNDERE) In turres Macedonum, & aggerem ac vallum.

ALENDO IGNI) Aptum. ineptè adiectum, quod meritò reiecit Modius, redundat enim. Sicut: Non sum ferendo oneri, sustinendis laboribus, pascendo gregi, scribendis literis.

SVMMA TABVLATA) Tecta turrium, vt sub igneo imbre propugnarent Macedones, donec grassante incendio, proiectis hasta, clypeo & armis, se non magis fido committerent mari. Summa tabulata, possis accipere pro tecto totius etiam operis, vel operarum, sub quibus molem promouebant, & aggerem porrigerent.

QVI CAPERE EOS, QVAM INTERFICERE VOLVERVNT) Alij codices editi, *mallent*, pro *voluerunt*. Sed hoc raræ est elegantiæ, *volo*, pro *malo*. Vsitatum, Voluit hoc, præ illo: Sed voluit hoc, quàm illud, pro maluit, obseruandum est.

CAPERE) Ad consilia Alexandri exploranda, ad cruciandos, vel permutandos cum captiuis, si casus ferret, vel legatis mittendis, si vsus esset. nam suos mittere non audebant, qui Alexandri caduceatores crudeliter interfecerant.

NON SOLVM OPERA CONSVMTA) Opera super aggerem exstructa vineæ, turres, aliæque machinæ, quibus saxa, & tela torquebant.

VENTVS MARE ILLISIT IN MOLEM) Adhuc fauit Neptunus Tyrijs, aduersus Græcis.

SE LAXAVERE) Ineptè, inquit, verè hoc loco ineptus Modius, quasi Curtius non aliàs ita sit locutus, vt verè obseruauit Acidalius, & oblitus erat Modius præteriti loci lib. 3. de Alexandro ad Issum regrediente: *Paullatim deinde laxare se sinus montium, & maius spacium operire cœperunt.* Et hoc genus loquendi frequentissimum est. *Laxauere* παθητικῶς rarissimum. Liuius tamen, quem sæpè noster expressit: *Annona haud multum laxauerat*, id est, caritas annonæ parum laxata erat, nihil ferè remiserat. Sunt tamen in hac classe multa, quæ forma agendi, vim in significando habent patiendi. Vti hæc: *Vertit, mutat, audit, auget, finit. explicit, mouet, variat, præcipitat, vehit.* Lib. xxvi.

PRORVTIS LAPIDVM CVMVLIS) Dissutis compagibus necesse erat opus ruere. Velut in humano corpore, si ossa, quæ molem corporis, & carnem sustinent, frangas vel eximas, necesse ista omnia erant, cùm caro se sustinere sine cruribus non possit.

EX ARABIA REDIENS) Post vndecimum diem, quàm exierat, reuersus, quæsierat caussam dissoluti aggeris; nemo verum assignauit, maris vim, & Africi venti naturam, qui ab imo solet mare ciere, & in altos montes tollere.

RECTA FRONTE DIREXIT) Ne venti latera ferire & subruere possent, frons enim aggeris ventis obstabat, impetumque illorum frangebat.

lib. xvii. ADVERSVM VENTVM) In Africum, qui ab occidente spirat, vt suprà ex Agellio docui. Caurum appellat Siculus.

LATITVDINEM ADIECIT) Aggeri aliquot pedes adiecit, vt latus esset pedes omnino ducentos, siue quadraginta passus, qui trientem stadij cum pedibus xxv. efficiunt.

PROCVL TELI ICTV) Teli iactu docent edita exemplaria, scribendum, & animaduertit etiam Acidalius contra Modium: sed contra Acidalium pro Modio hic iudico, vt mox demonstrabo.

TVRRES IN MEDIO) Vt abessent vtrinque à mari pedes centum, siue passus xx. Legendum ergo cum Modio *ictu* non *iactu*, vt vult Acidalius. Nam, quæ tormenta sint tam enerua, vt non torqueant ad centum pedes, aut x x. passus telum? cùm ad quingentos, immò sexcentos etiam pertingebant. ictu procul ergò, ne cominus lædi possent, vt antè, qui opus faciebant.

TOTAS ARBORES CVM INGENTIBVS RAMIS IN ALTVM IACIEBANT) Quomodo ad fundum pertingebant, cùm arbores, quantumuis magnæ, aquæ innatent, & cedant etiam saxis sequentibus? Spissima ex omni materia est Ebenus, quæ in aquis non fluitat. Sed ebeno carebat Libanus, & precium arboris non sinebat se mitti tanta copia in mare, vt tam pretiosus agger strueretur. Nec Buxus fluitat, & erat in Libano, nec suber, nec larix. Nec difficilis responsio sine larice, buxo, subere, saxis appendi potuére, & frequentes proiectæ, iniectis saxorum molibus pressæ succumbebant.

TVM HVMVS AGGEREBATVR) Moles ergo loco fundamenti habebat materiam recentem & grauem, quam premebant immania saxa, quæ tegebant rursum arbores. His multa gleba calcis loco iniecta, solidum opus reddebat, quæ inter saxa & arbores immissa, mare arcebat.

SVPER QVAE) Acidalius *superq́, alia strue*: malim *super quam*, nempe humum.

NEC TYRII, QVICQVID AD IMPED. MOLEM EXCOG. POT. SEGNITER EXEQVEBANTVR) Nunquam humani ingenij vis & diuinitas clarius apparet, atque cum vrbes obsidentur ab ingenioso hoste, & à solerti ciue defenduntur. Multa furor, plura necessitas arma inuenit. Tyrij vt aggerem conuellerent, vrinatores immisêre, falcibus longis & vncatis perticis, vt infra aquam subtraherent, quod Macedones suprà ingerebant. Quod non erat difficile, cum arbores temerè essent in mare coniectæ, nec vllo nexu, nisi iniectorum saxorum pondere tenerentur. Multæ extra opus eminebant, vt prendi etiam manibus possent, & sæpe modica pars arboris hærebat in opere, reliqua fluitabat, quam Tyrij prensam trahebant, tractam sequebatur moles & ruina.

CAPVT X.

ARGVMENTVM.

Classis Alexandri ad Tyrum oppugnandam, comparata, quam tempestas vexat.



* vtrum

* Pythagoras.

*Egro animi Alexandro, nec * perseueraret, an abiret, satis certo, classis Cypro aduenis, eodemque tempore Cleander cum Græcis militibus in Asiam nuper aduectis, centum & nonaginta nauium classem in duo diuidit cornua. Læuum * Pnytagoras rex Cypriorum cum Cratero tuebatur: Alexandrum in dextro quinqueremis regia vehebat. Nec Tyrij, quamquam classem habebant, ausi nauale inire certamen; tres omnino naues ante ipsa mœnia opposuerunt, quibus rex inuectus, ipsas demersit. Postera die ad mœnia classe admota, vndique tormentis, & maximè arietum pulsu, muros quatit: quos Tyrij raptim obstructis saxis refecerunt. Interiorem quoque murum, vt si prior fefellisset, illo se tuerentur vndique orsi. sed vndique vis mali vrgebat: moles intra teli iactum erat, classis mœnia circuibat, terrestri simul, naualique clade obruebantur: quippe binas quadriremes Macedones inter se ita iunxerant, vt proræ cohærerent, puppes interuallo quantum capere poterant, distarent: hoc puppium interuallum antennis, asseribusq́, validis deligatis, superq́, eos pontibus stratis, qui militem sustinerent, impleuerant: sic instructas remis ad vrbem*

bem agebant: inde missilia in propugnantes ingerebantur tutò, quia proris miles tegebatur. Media nox erat, cum classem (sicuti dictum est) paratam, circuire muros iubet. Iamque naues vrbi vndique admouebantur, & Tyrij desperatione torpebant, cùm subitò spissæ nubes intendêre se cælo & quicquid lucis internitebat, effusa caligine extinctum est. Tum inhorrescens mare paullatim leuari, deinde acriore vento concitatum fluctus ciere, & inter se nauigia collidere: iamque scindi cœperant vincula, quibus connexa quadriremes erant, ruere tabulata, & cum ingenti fragore, in profundum secum milites trahere. Neque enim conserta nauigia vlla ope, in turbido regi poterant. Miles ministeria nautarum, remex militis officia turbabat: & quod in eiusmodi casu accidit, periti ignaris parebant: quippe gubernatores aliàs imperare soliti, tum metu mortis iussa exsequebantur. Tandem remis pertinacius euerberatum mare, veluti eripientibus nauigia classicis, cessit, appulsaque sunt littori lacerata pleraque.

AEGRO ANIMI ALEXANDRO) De hac Alexandri deliberatione etiam alij, præsertim Diodorus. lib. XVII.

CLASSIS CYPRO ADVENIT) Totam classem Curtius centum & nonaginta nauium facit. Arrianus CCXXIV. alij CC.

CYPRO) Nullus hîc error, nec desideratur præpositio. Ita enim Cæsar purissimè loquitur. *Cæsar cùm audisset Pompeium Cypri visum.* Cicero: *Marco Catoni iussu, quasi per beneficium, Cyprum relegatur.* Valerius Maximus: *Filios suos à Gabinianis militibus Aegypti occisos cognouit.* Ita Liuius, Tacitus, alij cum poëtis locuti. lib.3.belli Ciuili. Pro domo sua. lib.4.c.1.

CLASSIS CYPRO ADVENIT) Classis, est collecta nauium multitudo. Est & vna nauis ἀπὸ τῶν κάλων, lignis seu fustibus, de qua copiosè Seruius ad VI. Aen. versum:

Sic fatur lacrymans, classique immittit habenas.

Cala idem quod vallus Quintilian. à calando, classis.

CLEANDER CVM GRAECIS MILITIBVS) De Cleandro supra libro 3. cap. 1. denarratum, & infrà non tacebitur. De eodem libro IV. Cap. IV. Eodem tempore classis Macedonum ex Græcia accita Aristomenem nauibus superat.

CENTVM ET NONAGINTA) Suprà monuimus, post centum, poni copulam, *Et*, cum minore numero: *centum & octo, centum & decem*, non contrà, *octo & centum, decem & centum*. Ante centesimum verò numerum præponi copulam cum minore numero, *duo & triginta*, non, *triginta & duo ordines.*

CENTVM ET NONAGINTA) Arrianus sigillatim singulorum naues exprimit. Phœnicum naues LXXX. Rhodiorum decem, inter quas vna Peripolus dicta. Ex Solis & Mallo tres; ex Lycia decem. Ex Macedonia nauis vna quinquaginta remorum Protea duce. E Cypro centum & viginti. Plutarchus CC. triremibus oppugnatam ait Tyron.

IN DVO DIVIDIT CORNVA) Ad pugnam instruit duplicem aciem; dextram & sinistram. Eundem ordinem & duces, Arrianus ponit.

PNYTAGORAS) Alij libri, Pythagoras. Arrianus in multitudinis numero, *Cypriorũ reges*, dixit. Et erant plures, vt suprà monui. Plinius nouem reges narrat. Pnytagoram etiam Arrianus appellat, παρὰ τὸ πνυτὸς τοῦτ᾽ ἔστιν ἔμφρων ἢ σώφρων καὶ ἀγορά

QVINQVEREMIS REGIA) A remorum ordinibus varia nomina acceperunt naues, à simplici, vniremes, à duplici biremes, à triplici, triremes, quæ fuerunt vsitatissimæ: à quadruplici ordine remigantium, quadriremes, à quinduplici, quinqueremes, vel vt Hirtius parum latinè, pentiremes, à sexduplici, sex remigum nauis, sexremes, vel hexeres, vt Liuius. A septemplici, septiremes, vel hepteres, ab octuplici, octo remigum nauis. Plinius Vndeciremem vocauit nauim Demetrii, Græcis ἑνήρης seu μονήρης, διήρης, τριήρης, τετρήρης, πεντήρης, ἑξήρης, ἑπτήρης, ὀκτήρης, ἐννήρης, δεκήρης, ἑνδεκήρης, τρισκαιδεκήρης, πεντεκαιδεκήρης, εἰκοσήρης, τριακοντήρης, τεσσαρακοντήρης, πεντηκοντήρης &c. fuerunt πεντακόντοροι & ἑκατόντοροι, καὶ τριακόντοροι, καὶ εἰκόσοροι, centum, vel triginta, vel viginti remigum: sed quæ forma nauis fuerit, illa Rhodia Peripolus dicta, neque Gyraldus, neque Baysius demonstrat, immo nec vllam mentionem faciunt περίπολις. περίπολος est custos, aut lictor, aut viator, ἀπὸ τοῦ περιπολεῖν, à circumcursando, de qua voce multa Suidas, & alii. Hic nauis genus est, dicta, quod ad cursum esset expedita. Dec. 4. lib. XVI. c. XL.

NEC TYRII) Quamuis superioribus annis Domini maris, spectata è turribus tam vasta Alexandri classe, non sunt ausi naumachiam tentare, etsi primitus statuissent classem in Alexandrum immittere.

TRES OMNINO NAVES) Idem Arrianus: Tres ait triremes obiectas pro faucibus portus. Sed videndus hic Diodorus & Arrianus, qui copiosius hanc naualem oppugnationẽ exponunt, locũ non adscribo, quod vterque auctor sit in manibus, & multò prolixior, quàm vt huc transcribantur.

ARIETVM PVLSV) Tyrii artibus suis petiti perierunt. Nam arietem Pephasmenus Tyrius au-


ctore

[Lib. de Pallio.] ctore Vitruuio excogitauit. Tertullianus Pœnis suis inuentionem assignat. Arietem nemini adhuc libratum illa dicitur Carthago, studijs asperrima belli, prima omnium armasse in oscillum penduli impetu commenta vim tormenti de bile pecoris capite vindicantis. Aedificat Arietem [Hero de machinis bellicis c. xi.] Hero Mechanicus ex Byzantio principe. Sequior ætas carcamusas dixit. Tantus erat eius ictus, vt nullus murus esset tam firmus, quin victus tandem cederet. Iosephus hanc calamo depinxit, [lib. 3. de bello Iudaico.] & Lipsius coloribus illustrauit, qui dubitat (ex Vitruuio & Græcis tradentibus longitudinem quandoque ad C X X. pedes porrectam) an ex vna trabe fieri potuerit; cùm arborem in tot pedes creuisse vix vllam putet. Atque apud Plinium lego trabem è larice, longam pedes CXX. bipedali [lib. 3. Poli. Dial. 1.] crassitudine æqualem. Quo intelligi potest, vix credibilis reliqua altitudo, si fastigium ad cacumen æstimetur. Idem Cedrum, ad vndecirememem Demetrij in Cypro cæsam ait centũ & triginta [li. 16. c. 40.] pedum. Sic enim Orgvias Theophrasti, Plinius interpretatur. Orgyia alijs est, vt suprà docui, sex pedum, siue quatuor cubitorum. Omnes enim alij Orgyiam vlnam interpretantur. Vlna continet quatuor cubita. Cubitum, sesquipedem: Ergo sex pedes. Esset hac ratione apud Plinium non nisi pedes LXXVIII. Sed errasse Plinium tam fœdè, non crediderim, nec vbique mendum inesse verbis integris, vel numeris, non est verisimile. [Byzantius princeps. lib. 3. Poli. Dial. 1.] Hero ex Byzantio arietem centum & viginti cubitos longum facit, hoc est, pedes centum & octoginta. Cæterùm ex varijs scriptoribus arietem explicauit copiosè post alios Lipsius.

INTERIOREM QVOQVE MVRVM ORSI) Diodorus quinque cubitos crassum ait fuisse murum, hoc est, pedes septem cum semisse, postea duplicatum fuisse: *Deliberant*, inquit, *Tyrij mœnia vrbis duplicia facere, quod non crederent quinque cubitorum murum sufficere oppugnationi sustinendæ. Itaque muro altero tanto latum extruere cœperunt; inter quem, & priorem, quod erat intervalli, aggere, & lapidibus complebant.* Arrianus pedes altum centum & quinquaginta, & pro commensu latum scribit. De interiore muro substruendo, si prior cæsus sit, Liuius affert exemplum Saguntino- [lib. 30.] rum: *Et Saguntini murum interiorem ab nondum capta vrbis parte ducunt, vtrumque summa vi & muniunt, & propugnant. Sed interiora tuendo, minorem indies vrbem Saguntini faciunt.*

RAPTIM OBSTRVCTIS SAXIS) Idem Diodorus: *Alexander interim coniunctis aliquot triremibus, machinisq; omnis generis superimpositis, mœnia hostium aggressus, ad centum pedum spacium ea diruit, perq; apertum locum irrumpere conabatur in vrbem: sed Tyrij densissimam telorum vim conijcientes coegerũt, vt pedem cum suis referret; atque nocte superueniente nouum murum in deiecti locum excitarunt.*

BINAS QVADRIREMES) Multas habebat Alexander quadriremes, quas plerasque iunxit, vt duæ semper inter se cohærerent proris, puppibus distarent; hac figura:



Despe-

DESPERATIONE TORPEBANT) Quod agger iam mœnia contingeret, vrbſque pæninſula eſſet ex inſula facta, vt turres vrbi imminerent: Et ſimul claſsis parata eſſet in exitium vrbis, vt inopes conſilii Tyrij, deſperata propè defenſione, nullam viderent viam expediendæ ſalutis: Iamque in eo eſſent, vt cum poëta cogitarent:

Vna ſalus victis, nullam ſperare ſalutem.

CVM SVBITO SPISSAE NVBES) Elegantiſſima tempeſtatis, vel potius naufragii imminentis deſcriptio; cuius generis apud poëtas haud paucas reperies. Apud Homer. Odyſ. ε. Virgil. 1. Aen. Ouid. 1. de Triſtibus. & xi. Metamorph. Statium 1. Thebaid. Valer. Flaccum 1. Argonaut. Senecam Agamem. Apollin. Amonon. l. 2. Varro Marcipore. Apud Petronium, Maffæum hiſtor. Indicæ in Lib. xvi. Emmanuelis Soſæ naufragio. Hieronym. Oſorium lib i.

INHORRESCENS) Fuit hic locus in mentem Maffæo cùm ſcripſit: *Tum inhorreſcens mare paullatim* tolli, maioreſq; in ſingula momenta ciere fluctus.

SPISSAE NVBES) Denſæ. Nulla grauis tempeſtas ſine piceis nubibus, ex quibus nox, pluuia, venti, fulgetra & fulmina prorumpunt. Hom. -- σὺν δὲ νεφέεσσι κάλυψε.

Γαῖαν ὁμοῦ καὶ πόντον, ὀρώρει δ' οὐρανόθεν νύξ. lib. 1.
Nubibus terram ſimul pontumq; operuit, ruit autem è cælo nox. l. v.
Virgil: *Eripiunt ſubitò nubes, calumq; diemq;.* Et:
Ponto nox incubat atra. Et -- *Inhorruit vnda tenebris.*
Pacuuius: -- -*Inhorreſcit mare*
Tenebræ conduplicantur, noctisq; & nimbûm occæcat nigror.

Sed mittamus poëtas, & quæramus oratores: Petronius illuſtris eſt in tota deſcriptione: *Dum hæc, inquit, *talia iactamus, inhorruit mare, nubesque vndique adducta, obruere tenebris diem. Diſcurrunt nautæ ad officia trepidantes, velaq; tempeſtati ſubducunt, ſed nec certus fluctus ventos impulerat, nec, quò deſtinaret curſum gubernator, ſciebat.* Et intrà: *Et quid omnibus procellis periculoſius erat, tam ſpiſſæ repente tenebræ lucem ſuppreſſerant, vt ne proram quidem totam gubernator videret.* Denique poſt multa: *Peragit interim tempeſtas mandata fatorum, omnesque reliquias nauis expugnat. Non arbor relicta, non gubernacula, non funis, aut remus, ſed quaſi rudis, & infecta materies ibat cum fluctibus.* Non minus ferè eleganter noſter Maffæus, quem tute leges.

* talia iactanti.

VINCVLA) Antennæ & aſſeres; tabulata aſſeribus inſtrata, ruptis antennis neceſſariò ruebant, & ſuper ſtantes pontibus milites ſecum in mare trahebant.

MILES MINISTERIA NAVTARVM) Omnia in tempeſtate officia nautarum turbantur, ſicut in turbata acie, cùm quiſque ſibi imperator eſt, gubernatores ipſi ſtupent.

Ouid. *Nauita confeſſus gelidum pallore timorem*
Iam ſequitur victus, non regit arte ratem. 1. de Triſtibus. Eleg. 3.
Et 2. El. *Rector in incerto eſt, nec quid fugiatur petatne*
Inuenit, ambiguis ars ſtupet ipſa malis.

Idem in Metam. Idem Seneca. Virgilius. Denique locus communis eſt, quem ex ſuprà laudatis cognoſces.

TANDEM REMIS EVERBERATVM MARE CLASSICIS, CESSIT) Perinde, quaſi ſentiret remorum ictus, & inuictum cederet.

CAPVT XI.

ARGVMENTVM.

Legati Carthaginienſium negant parentibus auxilium. Tyrij imbellem turbam Carthaginem mittunt. Prodigium Apollinis aperitur, Legati ſuadent, vt ſacrum hominis hoſtiâ fiat. Tyrij ſacrilegium horrent.

Hiſdem



Isdem fortè diebus Carthaginiensium legati XXX. superueniunt, magis obsessis solatium, quàm auxilium, quippe domestico bello Pœnos impediri, nec de imperio, sed pro salute dimicare. Syracusani tum Africam vrebant, & haud procul Carthaginis muris locauerant castra. Non tamen defecerunt animis Tyrij, quanquam ab ingenti spe destituti, sed coniuges, liberosque deuehendos Carthaginem tradiderunt, fortius, quidquid accideret, laturi, si carissimam sui partem extra sortem communis periculi habuissent. Cumq; vnus è ciuibus concioni indicasset, oblatam esse per somnum sibi speciem Apollinis, quem eximia religione colerent, vrbem deserentis: molemque à Macedonibus in salo iactam, in siluestrem saltum esse mutatam: quanquam auctor leuis erat, tamen ad deteriora credenda proni, metu, aurea catena deuinxêre simulacrum, araq; Herculis, cuius numini vrbem dicauerant, inseruêre vinculum, quasi illo Deo Apollinem retenturi. Syracusis id simulacrum deuexerant Pœni, & in maiore locauerant patria, multisq; alijs spolijs vrbium à semet captarum, non Carthaginem magis, quam Tyrum ornauerant. Sacrum quoq; quod equidem dijs minimè cordi esse crediderim, multis sæculis intermissum repetendi auctores quidam erant, vt ingenuus puer Saturno immolaretur: quod sacrilegium verius, quàm sacrum Carthaginienses à conditoribus traditum, vsque ad excidium vrbis suæ fecisse dicuntur: ac, nisi seniores obstitissent, quorum consilio cuncta agebantur, humanitatem dira superstitio vicisset.

lib. vii. & xi. TRIGINTA LATINI) Numerus facit ad dignitatem. Apud Virgilium Aeneas centum oratores mittit ad Latinum & Euandrum. Romani tantum ex ordine senatorio legabant. Consule interpretes & Tiraquellum de Fecialibus, & variarum gentium numero legandi.

SYRACVSANI TVM AFRICAM VREBANT) Secus arbitror factum. Timaleon in ipsa Sicilia Carthaginiensium copias fuderat, & quicquid illi in Sicilia habebant, populabatur, vt cogerentur ab illo pacem petere, & timebant ipsi Carthagini, ne traijcerent exercitum, Diodorus Siculus. Lib. xvi. Agathocles posterior Alexandro fuit, vt de illo accipi verba Curtij non possint. Copiosius Iustinus, & Siculi historici. De hoc ergo periculo Carthaginiensium domestico Curtius loquitur.

lib. xxii. HAVD PROCVL CARTHAGINIS MVRIS) Iustinus: *Agathocles victis hostibus vrbes, castellaque expugnat, prædas ingentes agit, hostium multa millia trucidat. Castra deinde quinto lapide à Carthagine statuit, vt damna carissimarum rerum, vastitatemq; agrorum, & incendia villarum de muris ipsius vrbis specularentur.* Lege, quæ sequuntur de hoc genere cladium plura. Et hæc omnia ante bellum Punicum primum memineris accidisse. Sed enim falsum animi esse Curtium hic suspicor, nec temporum habuisse rationem. Agathocles vt supra monui, posterior Alexandro fuit. nec Timoleon Corinthius, Dux Syracusanorum, eiecto Dionysio minore, qui Agathoclem præcessit, & summæ rerum Syracusis, hoc ipso tempore, quo Alexander Tyrum obsedit, præfuit, vnquam exercitum * Crimesi. in Africam traiecit, quamuis Carthaginiensium ingentes copias ad Crenisium, seu * Crinisium flumen ceciderit, illorumque prouinciam in Sicilia (quam hodie vallem Mazare appellant) vastauit. Vexabantur tamen id temporis Carthaginienses etiam ciuili bello, seu potius periculo belli terrebantur, cum Haimo longè princeps Carthaginiensium affectaret in vrbe tyrannidem, & senatum ad cædē destinaret, proditusq; cum viginti millibus seruorum castellum occupasset, vt Iustinus ex xxi. Trog. libro demonstrat. De Timoleonte habes apud Cornel. Nepotem, de Græcis Imper. Plutarchum, Diodorum, Polyænum, alios.

CONIVGES, LIBEROSQVE DEVEHENDOS CARTHAGINEM TRADIDERVNT) Idem memorat Diodorus, puerorum, fæminarum & senum magnum numerum Carthaginem deuectum esse.

OBLATAM SPECIEM APOLLINIS) de prodigijs vrbi exitium portendentibus, suprà à principio dictum. Hic verò stulta paganorum superstitio meritò omnibus ridenda proponitur, perinde, quasi superum mentes catenis, vt mortalium corpora possent in custodia retineri. Sed quales cultores, talia numina. Simulacris vincula inijciebant, & vinctus credebatur Deus. Vt Cicero de Siculorum dijs, à Verre cum simulacris ablatis, quos Lactantius irridet. Apud Sinas idola sæpè iurgijs, sæpè etiam verberibus malè accipiuntur, immo & aquis merguntur, & igni amburuntur, quando vouentium uotibus non addicunt. Cæterum Apollo per ciuem Tyrium omnino excidium Tyrijs denunciabat, vt apud Virgilium.

Maffæus lib. vi.

VRBEM DESERENTIS) Ita Neptunus apud Euripidem.

Λείπω τὸν κλεινὸν Ἴλιον βωμούς τ' ἐμούς
Ἐρημία γὰρ πόλιν, ὅταν λάβῃ κακὴ

Νοσεῖ

Νοσεῖ τὰ τῶν θεῶν, οὐδὲ τιμᾶσθαι θέλει
Relinquo inclitum Ilium, & aras meas
Solitudo enim ciuitatem vbi ceperit mala,
Frigent res diuinæ, neq; coli volunt.
AEschluys idem ἐν ἑπτὰ ἐπὶ θήβαις
---ὃ θεοὺς
τοὺς τ᾽ ἁλούσης πόλεως ἐκλείπειν λόγος.
Non vulgo dicitur, Deos excedere capta vrbe!

Virgilius idem de Troia.

Excessêre omnes adytis, arisq; relictis 2. AEn.
Dij quibus imperium hoc steterat.

Quem locum tractat mirificè S. Augustinus, vbi Romanorum numinibus illudit, & insultat. lib. 11 de Ciuit. Dei c. 22.

Hoc quoque cognoscendum, quod Seruius & Macrobius obseruarunt. Deos ab imperatoribus ciuitates obsidentibus euocatos ex vrbibus, vtad victores, & victrices vrbes venirent, ne cum Dijs bellum geri videretur. Eoq; referunt hos Virgilij versus: *Ita Venfecisse Camillum, &c.* Carthagini atque Numantiæ Scipionem Mummium Corinthi. Sed Turnebus, Muretus, Delrius, Delacerda, putāt à Virgilio respectū ad opinionem antiquorū, qua sibi persuadebāt, Deos captis vrbibus excedere, quod ex veteri historia demonstratur, cum Troia, Tyro, Hierosolymis, Thebis, excessisse memorantur, vel discessum minitarētur. Atque inde natum esse, vt simulacra passim clauis, catenis, pessulis, repagulis vincta custodirentur, vt Plutarchus in Romulo de Tyrijs: Cyprianus ad Demetrianū: Arnobius contra gentes, Orosius, alijque docent. Tibullus de fuga Deorum ita canit: Lib. 6. Lib. 6 c. 1. Li. 2. Ele. 5.

Atque tubas, atque arma ferunt. strepitantia volo
Audita, & luces præcinuisse fugam.

Virgil. ante bellum Bruti facit deos è lucis fugientes. 1. Georg.

Vox quoq; per luces vulgo exaudita silentes.

Iosephus de portentis ante excidium vrbis: *Festo die, quem Pentecosten vocant, nocte Sacerdotes, intimum templum more suo ad diuinas res celebrandas ingressi, primùm quidem motum quendam, strepitumq; senserunt, postea verò subitam vocem audierunt, qua diceret: Migremus hinc &c.* Lib. 7. c. 12.

Tacitus de eodem: *Expassa repente delubri fores, & audita maior humana vox: Excedere Deos, simul ingens motus excedentium.* Lib. 5. hist.

LEVIS AVCTOR) Diodorus in hoc ipso prodigio describendo occupatus, addit auctorem prodigij propemodum lapidum imbre obruiū, profugisse ad Herculis ædem, ibique seruatum. Plutarchus refert, Apollinem multis visum ciuibus dixisse, ad Alexandrum se transire, neque sibi cordi esse ea, quæ in vrbe agerentur. Tyrios simulacrum Apollinis sicut trāsfugæ sceleris comperti, clauis basi affixisse, catenisque astrinxisse, & φιλαλέξανδρον appellasse. Alexander capta postmodum vrbe aureas Apollini compedes detraxit, & φιλαλέξανδρον appellari iussit, vt auctor est Diodorus. Lib. 17. In Alexandro.

AREAQVE HERCVLIS, CVIVS NVMINI VRBEM DICAVERANT, More gentico, singulas vrbes cūm conderentur, certo genio initiabant, vt Troiam Neptuno, Apollini & Mineruæ, Romam Marti & Ioui, Athenas Palladi, alias alijs De Herculo Tyrio suprà dictum.

SYRACVSIS ID SIMVLACRVM DEVEXERANT POENI) Cartalo *Malei exsulis filius videtur statuam Apollinis Tyrum, inde ce Iustino detulisse: *Interea, inquit, Cartalo Malei exsulis ducis F. cum præter castra patris à Tyro, quò decimas Herculi ferre ex præda Sicilienst, quam pater eius ceperat, à Carthaginiensibus missus fuerat, reuerteretur, &c.* * Mezei

INGENVVS PVER SATVRNO IMMOLARETVR) Carthaginienses certè tam sacrilega sacra coluisse Iustinus testatur: *Cum inter cætera mala etiam peste laborarent, cruenta sacrorum religione, & scelere pro remedio vsi sunt. Quippè homines, vt victimas immolabant, & impuberes* (quæ ætas etiam hostium misericordiā prouocat) *aris admonebant, pacem Deorum, sanguine eorum exposcentes, pro quorum vita Dij rogari maximè solent.* Subijcit Iustinus ingratas Dijs victimas fuisse, magisque irritatos, quàm placatos, punitosque Carthaginienses maximis cladibus. Credibile est, tandem etiam deletos. Sed Tyrijs persuadere tam impia sacra non potuerunt. Lib. 1°. Plinius. Pausanias. Cæsar.

Cæterùm, non Carthaginienses tantum humana hostia faciebāt, sed Phœnicès etiam & Arcades, Romani quoque in Pantheo, Druydæ, Galli, Scythotauri aduenas immolabāt, Laodicæi virginem Palladi. Blemmyæ, Cymbri, Germani aras humano sanguine polluebant. Chij & Salaminij, Spartani, Galatæ, Massagethæ, Lusitani, Thraces, aliæque pleræque omnes barbarę gentes: immò & Iudęi, contra X. tabularum legem, pueros viuos igne, ingenti cum supplicio concremabant. Sola Dei vnius lex Hebræis data, & Christiana sacra hæc sacrilegia prohibuerunt, nec apud Christianos auditum, aut scriptum, aut pictum est, vnquam, humana hostia litatum fuisse: pro quibus se Christus ipse in cruce victimam obtulit, & offertur quotidiè incruentis sacris. Strabo. Diod: Sicu. Herodot. Mela. Soli. Luciauus. Philostrat. Orosius. Procopius. Dionys. Halicarn.

Sed redeamus ad Tyrios, Phœnices & Carthaginienses, de quibus Alexander Neapolitanus ex *a* Platone, *b* Dionysio Halicarnasseo, *c* Diodoro Siculo, *d* Plutarcho, *e* Silio, *f* Tertulliano, Lactantio, & alijs. Ge. l. 6. c. 26 *a* In Dial. Minos.

b Lib. 1. *c* Lib. 20. *d* Apothegm. *e* Lib. 4. Pun. *f* Apolog. 9. l. 1.

& alijs. Sed Pœnos, quos Tiraquellus laudat, in hæc verba denarrat: *Fuitq́, apud Phœnices & Carthaginenses nimium diu seruatum, vt infantes principali honore insignes, sorte ductos in regio ornatu Saturno immolarent hostias, & quem sors morti destinarat, morti subtrahere non licebat; quare multorum ciuium largis fletibus deplorata funea fuerre, à quibus sacris cùm desiuissent, postea victi ab Agathocle, Deos propterea subiratos arbitrantes, vt numen placarent, ducentos nobilium filios mactarunt ad aras: adeò cæca mortalitas sub nomine religionis, ad infandas cædes agebatur præceps.*

CAPVT XII.

ARGVMENTVM.

Tyrij tam acriter oppugnationem defendunt, vt rex desperabundus de soluenda obsidione iterum deliberet, à qua, fama sinistra deterretur.



CAEterùm efficacior omni arte necessitas nō vsitata modò præsidia sed quædam etiam noua admonuit. Namq́, ad implicanda nauigia, quæ muros subibant, validis asseribus coruos, & ferreas manus illigauerant; vt cū tormēto asseres promouissent, subitò laxatis funibus iniicerent. Vnci quoq́, & falces ex iisdem asseribus dependentes, aut propugnatores, aut ipsa nauigia lacerabant. Clypeos verò æneos multo igne torrebant, quos repletos feruida harena, cœnoq́, decocto è muris subitò deuoluebant: nec vlla pestis magis timebatur; quippè vbi loricam corpusq́, feruens harena penetrauerat, nec vlla vi excuti poterat, & quidquid attigerat, perurebat: iacientesq́, arma laceratis omnibus, quis protegi poterant, vulneribus inulti petebant. Corui verò & ferreæ manus tormento emissæ plerosq́, rapiebāt. Hic rex fatigatus, statuerat soluta obsidione Aegyptum petere: quippè cùm Asiam ingenti velocitate percurrisset, circa muros vnius vrbis hærebat, tot maximarum rerum oportunitate dimissa. Ceterùm tam discedere irritum, quàm morari pudebat. Famam quoq́, quâ plura, quam armis euerterat, ratus leuiorem fore, si Tyrū, quasi testem, se posse vinci, reliquisset. Igitur, ne quid inexpertum omitteret, plures naues admoueri iubet, delectosq́, militum imponi.

EFFICACIOR OMNI ARTE NECESSITAS) Verè Carchedonius:

Χρεία διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ, σοφόν.
Catum è rudi reddit magistra necessitas.

*ἰσχύει μᾶλ·μ. Et vt Euripides: Δεινῆς ἀνάγκης οὐδὲν *ἰσχυρότερον
Graui nihil necessitate fortius.

In Helena. ἀνάγκῃ γὰρ θεοὺς βιάζεται, *Necessitas enim & Deos cogit.* καὶ Πλάτων φησὶν ἀνάγκην ᾗ οὐδὲ θεοὺς βιάζεσθαι. *Necessitatem ne Deos quidem cogere posse Plato docet.* στερρὰ γὰρ ἀνάγκη, inquit Euripides, *durum telum necessitas*, vltima tentat, omnesque ingenij vires explorat.
In Hecuba.

VALIDIS ASSERIBVS) Asseres non accipe, vt hodie vulgo, pro tabulis, sed perticas long[i]s interpretare. De coruis & manibus ferreis suprà disputatum est.

TORMENTO) Machina bellica: tormentum à torqueo: sæpius cruciatum & supplicia valet. Tormento excutiuntur tela, saxa, & alia missilia.

MENS AVCTORIS EST) Tyrij longos contos, seu longurios à capite vncis, coruis, falcibus, manibus ferreis armatos, per machinas extra mœnia actos, & protensos, subitò remittebant funibus suspensos, vt in subiectos hostium naues inciderent, rursumq; adducti funibus secum traherent, quidquid arripuissent, sic, vt totas naues, vel euerterent à lateribus prensas, vel in proras erigerēt, & puppim mergerent: vel contrà.

CLYPEOS ETIAM AENEOS) Diodorus Siculus idem prorsus de clypeis æneis & arena. Multa
Iosephus. præterea effusa passim in vrbes oppugnantes, oleum feruens, pix, sulphur, bitumen, plumbum fluēs,
Li.5. Dal.2 ferrum, arena, retia, & alia: de quibus Lipsius Poliocerto, vbi hunc locum Curtij adducit, & aliis illustrat.

HIC REX FATIGATVS) Iterum desperat Alexander, non secus, atque D Hierony. vt parua magnis in dissimili genere contendamus, in discendis literis Hebraicis identidem desperatos, resumpsit, donec tandem arripuit. Diodorus addit, iam datum ad profectionem signum fuisse ipsa nocti; mòx tamen correctum consilio Amyntæ Andromonis &c.

DISCEDERE IRRITVM) Frustratum spe capiendæ vrbis: irritus discedo, re infecta abeo.

FAMAM

Famam qvoqve) Tacitus: *& ipsa plerumque bella famam profligant.* Curtius: *Fama bella constant, & sæpè etiam, quod falsò creditum est, veri vicem obtinuit.* Liuius: *Fama bellum conficit, & parua momenta in spem maturè impellũt animos.* Tacitus: *Fama in nouis cœptu validißima est.* Idem in Agricola: *Instandum fama, & prout prima cesserint, fore vniuersa.*

Multa de vi famæ Gruterus ad insigniora loca Taciti. Hæc ergo deterruit Alexandrum, ne Tyrum obsessam dimitteret.

De moribus Germ. lib. 5. Lib. 27. Annal 12. p. 63. & seq.

CAPVT XIII.

ARGVMENTVM.

Prodigium à visa belua, quod vtrique in suam salutem interpretantur.

Et fortè bellua inusitatæ magnitudinis super ipsos fluctus dorso eminens ad molem, quam Macedones iecerant, ingens corpus applicuit, diuerberatisq́; fluctibus alleuans semet; vtrinq; conspecta est. Deinde à capite molis rursus alto immersit, ac modò super vndas eminens magna sui parte, modò superfusis fluctibus condita, haud procul munimentis vrbis emersit. Vtrisq; lætus fuit beluæ aspectus: Macedones iter faciendo operi monstrasse eam augurabantur: Tyrij Neptunum occupati maris vindicem, abripuisse beluam ad molem breui profectò ruiturum, lætiq; omine eo, ad epulas dilapsi, onerauere se vino; quo grauès orto sole nauigia conscendunt, redimita floribus, coronisq;: adeò victoriæ non omen modò, sed etiam gratulationem præceperat.

Belva invsitatae magnitvdinis) Diodorus κῆτος ἄπιστον τὸ μέγεθος, vt è verbo videatur expressisse Curtius. Solent præludere huiusmodi feræ marinæ secuturis exitijs, vt in Epistolis Indicis memini legere, pro classibus natasse, mòx in Sytes impactos. Tempestatum quoq; indices tradunt auctores cùm subsiliunt. Sed de ceti magnitudine varia prisci tradidere: Κήτη δὲ ἦν ἄρα ἐν τῇ τῶν Ἰνδῶν θαλάττῃ πενταπλασίονα μέγεθος ἐλέφαντος τοῦ μεγίστου, πλευρὰ γοῦν μία κήτους. καὶ εἰς τοὺς εἴκοσι πήχεις πρόεισι χελύνην ἢ πηχῶν πεντεκαίδεκα ἔχει. τὸ δὲ πτέρωμα βραγχίου ἑκατέρου πηχῶν τὸ εὖρος καὶ ἑπτά. *Cete in mari Indico quintupla ad Elephantum vel maximum magnitudine degunt. Nam vna etiam costa ceti, ad viginti cubita accedit. Labrum habet quindecim cubitorum, pinnam ad vtramq; branchiam septem cubitos longam.* Sed hæc magnitudo paruitas videri potest, præ illa, quam balæna ponit Plinius quatuor iugerum, pristi ducentorum cubitorum. Solinus maiorem facit: *Indica maria balenas habent vltra spacia quatuor iugerum.* Iugerum pedibus ducentis quadraginta definitur. Olaus ad Norvvegiæ littora balænas centum vlnas longas expelli scribit: vlna quatuor continet cubitos, cubitus sesquipedem: sexcentorum ergo pedum erit balena Olai, quam trecentis sexaginta pedibus vincit Pliniana: cum Olao facit Iuba, qui sexcentos pedes longam, trecentos sexaginta latam scripsit repertam. Petrus Siculus historia de Manichæis tradit, tam immania cete versari in aquis, vt procul spectantibus insulæ speciem referant, ad quam appellunt nautæ, vt palos defigant, focum excitant. περὶ γὰρ, inquit, θαλασσίων κήτων φησὶ λέγεις, ὅτι τὸ θαλάσσιον κῆτος ἀσπιδοχελώνη λέγεται ἐστὶ τῷ μεγέθει ὑπάρχον ἰδικὸς, καὶ φωνὴν ἔχει βαρεῖαν. ὅθεν ἀγνοοῦντες οἱ ναῦται ἐπ' αὐτῷ τὰς ἀγκύρας ῥίπτουσι, καὶ πηγνύντες πασσάλους τὰ πλοῖα δεσμεύουσιν ἐπ' αὐτῇ ἀνάψασιν ἐπ' αὐτῷ κάμινον θερμανθὲν τὸ ζῷον ἀθρόως καταδύει πάντας εἰς βυθὸν ἀποπνίγει. Adfirmant idem de ceto B. Hierony. Ambrosius, Sigebertus in gestis Maclouij, Surius de S. Brendato, seu Brendano, Olaus Magnus. De Aspodehelone meminit Epiphanius Cyri Episcopus. Oppianus ἀσπιδόεσσαν χελώνην appellat, quasi scutatum testudinem.

lib. 9. c. 3. Iuba ad Caiũ Cæsarem & fortè sic Plinius sit accipiẽdus de lata; & longa. P. 67. Lib. 21. ca. 25. & 26.

Victoriae omen) Triumphum certè ante victoriam cecinere infelices Tyrij, quod est in parœmia πρὸ τῆς νίκης τὸ ἐγκώμιον ᾄδεις, & aliæ affines. αἲξ οὔπω τέτοκεν ἔριφος ἐπὶ δῶμα γελᾷ ἅλμην τί τυρεύεις, πρὶν τοὺς ἰχθύας ἕλῃς. *Capra nondum peperit, capella ludit supra domum. Quid muriam temperas, qui nondum pisces ceperis.*

Diogenianus cẽturia 7. nu. 56.

Neptvnvm occvpati maris vindicem) supra illuserant Alexandro Tyrij, quærentantes an maior esset Neptuno? Hic ab irato putabant Neptuno beluam in aggrrem immissam, quod regnum eius Alexander inuasisset, & à littore ad vrbem mare intercepisset, sed λῆρος λῆροι vani vates Tyrij.

Cap. 8.

Redimita floricvs, coronisqve) Tanquam victores ex veteri more.

CAPVT XIV.

ARGVMENTVM.

Naumachia committitur Alexandro victore.



Fortè rex classem in diuersam partem agi iusserat, XXX. minoribus nauigijs relictis in litore, è quibus Tyrij duobus captis, cætera ingenti terruerunt metu, donec suorū clamore audito, Alexāder classem litori, à quo fremitus acciderat, admouit. Prima è Macedonū nauibus quinqueremis velocitate inter cæteras eminens occurrit, quam vt conspexêre Tyrii, duæ ex diuerso in latera eius inuectæ sunt, in quarū alteram quinqueremis eadem cōcitata, & ipsa rostro icta est, & illam inuicem tenuit. Iamq́; ea, quæ non cohærebat, libero impetu euecta, in aliud quinqueremis latus inuehebatur, cum oportunitate mira triremis è classe Alexandri in eam ipsam, quæ quinqueremi imminebat tanta vi impulsa est, vt Tyrius gubernator in mare excuteretur è puppi. Plures deinde Macedonum naues superueniunt, & rex quoq; aderat, cùm Tyrij inhibentes remos ægrè euellere nauem, quæ hærebat, portumq́; omnia simul nauigia repetunt. Confestim rex insecutus portum quidem intrare non potuit, cùm procul è muris missilibus submoueretur: naues autem omnes ferè aut demersit, aut cepit.

Lib. 16.

XXX. MINORIBVS NAVIGIIS RELICTIS IN LITORE) Tyrus duos portus habet, alterū clausum, & angustis faucibus obuersum Sidoni; alterum apertum versus AEgyptum. Strabo. Tyrij tamen etiam Aegyptium portum in obsidione claustris munierant, ne Macedones irrumperēt. Triginta naues Sidonio obuersæ erant, reliqua classis in altero portu versus Aegyptū statiua habebat. Eā gratia dixit suprà Alexandrum in desperatione vrbis obtinendæ Aegyptum voluisse petere, quam classis iam tum spectabat. Tyrij animaduerso Alexādrum ab alijs nauibus auersum, subitò ex Sidonio portu eruperunt, & triginta naues ad litus relictas, partim vacuas, partim à nautis, vel custodibus inuasere, duasq; Pnytagoræ & Pasicratis primo impetu cepêre, reliquas haud vano pari cū terrore impleuêre, clamore ingēti Alexandrū excivêre, qui expeditis triremibus suis suppetias iuit circumuentis. Prima reliquis celerior, magnum discrimen adijt, quod in eā cæteras præcurrentem, duæ Tyriæ incurrerint, in quarū alterā se vertit Macedonica rostro Tyriæ nauis percussa, quæ simul Tyriam implicuit, vt hæreret. Interim altera Tyria, in alterū Macedonicæ latus toto remigio inuehebatur, quā eodem pūcto tēporis alia Macedonica interceptā rostro icit, vt excuteretur nauarchus. Mòx tota classis Alexandri Tyrias naues ita circūuenit, vt ægerrimè fugam molirētur, multæq; deprimerentur, aut caperentur, parumq; absuit, quò minus cū fugientibus, & portum, & vrbem ipsam occuparet, à qua telorū imbre ex mœnibus emisso prohibitus cessit, classe Tyriorum tota exarmata. Hæc fusius, vt Curtius intelligatur, quem nisi attentè lectum hoc loco non capies.

Arrianus Cyprias naues à Tyrijs ait oppugnatas, Sidoniū portū obsidētes. Pnytagoræ regis quinqueremem mòx fuisse mersam, & aliam Androclis & Pasicratis, alias in litus propulsas & confractas. Alexandrū abfuisse à classe, & in tabernaculū, quod erat vltra aggerem, quā Aegyptū mare spectat, vbi Phœnicum classis erat, secessisse: præter morem tamen citius reuersum, suis succurrisse, & alias ad portum statuisse, ne reliquæ egrederentur, alias in Tyrias egressas inuasisse, euentum eundem fuisse, quem Curtius denarrat.

IN LITORE) Ex aduersu Sidonij portus.

DVOBVS CAPTIS) Pnytagoræ & Androclis ac Pasicratis.

ALEXANDER) Qui in castra, & tabernaculum secesserat ad meridiem.

QVINQVEREMIS) πεντήρης, quæ quinque ordines remigum habebat, non quod quinque remiges vnum remum ducerent. Nam pro longitudine nauium, plures remigum ordines instituebantur. Viæ, & interualla numerum ordinum signabant.

ROSTRO ICTA EST) Prora rostrata Tyriæ nauis icta est Macedonica, quæ implicuit Tyriam seu vncis, seu manibus ferreis, seu ipsis remis.

EA, QVAE NON COHAERERAT) Dixerat duas Tyrias in vnam Macedonicam ex lateribus inuectas esse, alteram cohæsisse cum Macedonica icta, altera ergo iam pleno impetu ferebatur in alterum latus nauis Macedonicæ, sed illam intercepit triremis Alexandri in illam tanta vi illata, vt gubernatorem excussum præcipitaret in mare.

Lib. 37.

INHIBENTES REMOS) Planè geminus huic locus est apud Liuiū de Rhodia naui: *Rhodia vna capta memorabili casu. Nam cū rostro percußisset Sidoniā nauem, ancora ictu ipso excussa è naue sua vnco dente, velut manu ferrea iniecta, alligauit alterius proram: inde tumultu iniecto, cùm diuellere se ab hoste cupientes inhiberent Rhodij, tractum ancorale, & implicitum remis, latus alterū detersit, debilitatā ea ipsa,*

qua

quæ icta cohæserat. Idem casus Dinocratem apud Polybium implicuit cùm octere Democratis congressum, quem eodem euentu Dionysiodorus hærentem liberauit. Verba Polybij sunt: Δεινοκράτης μὲν πρὸς ὀκτήρη συμπεσὼν, αὐτὸς μὲν ἔξαλον τὴν πληγὴν ἀνεδέξατο τῆς νεὼς οὔσης, τὴν δὲ τῶν πολεμίων τρώσας ναῦν ὑπὸ βίαχα, τὸ μὲν πρῶτον οὐκ ἐδύνατο χωρισθῆναι, καίπερ πολλάκις ἐπιβαλλόμενος πρύμναν κρούειν. *Dinocrates cum octere congressus, ipse quidem vulnus accepit ea parte nauis, quæ extra aquam extabat, quod proram vehementer erexerat, Hostilem autem nauem læsit, qua parte infrà aquam est, primum quidem ab hostili naue separari non poterat, quantumuis sæpè conatus esset remos inhibere.* Addit Polybius Dinocratem aduentu Attali fuisse liberatum. Est ergo Græcis κρούειν τὴν πρύμνην καὶ κρούεσθαι idem, quod Latinis, *inhibere retro remos.* Thucydides οἱ δὲ ὑπεχώρουν ἤδη πρύμναν κρουόμενοι: *illi verò recedebant nauem retro inhibentes,* hoc est, in puppim versus nauigantes. Idem ἐθαύμαζε τοὺς Κορινθίους πρύμναν κρουομένους. *mirabatur Corinthios puppim inhibere.* Arrianus ὥσπερ αἱ πρύμναν κρουόμεναι νῆες εἰς πόδα ὑπεχώρουν. *Elephanti* (nam de his loquitur) *quemadmodum naues cum inhibentur, retrocedebant.* Non est assecutus vim verbi κρούσασθαι πρύμναν interpres Pollucis Rudolphus Gualterus, cùm vertit πρύμναν κρούσασθαι, *detinere puppim,* vel puppim ferire, nesciuit, quid valeret κρούσασθαι, nec duobus verbis explicauit. Aristophanis scholiastes πρύμναν κρούσασθαι vocari dicit, *cum remiges conuersi* μεταχαθίσαντες οἱ ἐρέται ἐλαύνωσιν ὀπίσω ἐπὶ τὴν πρύμναν, *in puppim impellunt nauem, cum antè in proram impulissent;* quemadmodum cum portum subeunt, & puppis terram spectat, prora mare. Thucydidis interpres idem fere docet, cùm dicit: πρύμναν κρούσασθαι, esse τὸ κατ' ὀλίγον ἀναχωρεῖν, μὴ στρέψαντα τὸ πλοῖον, ὃ γὰρ οὕτως ἀναχωρῶν ἐπὶ τὴν πρύμναν κατηλαύνει, *cessim recedere, non verso in puppim nauim nauigio. sic enim cedens nauigat versus puppim, non vertit proram.* Ex his, & alijs scriptorum locis, & hic Curtij explanatur, & Ciceronis ad Atticum: *Arbitrabar,* inquit, *sustineri remos, cùm inhiberi essent iussi remiges. Id non esse eiusmodi didici heri, cum ad villam nostram nauis appelleretur. non enim sustinent, sed alio modo remigant, id ab* ἐποχῆς *remotissimum est, semperque Carneades* προβολὴν *pugilis & retentionem aurigæ similem facit* ἐποχῇ. *Inhibitio autem remigum motum habet, & vehementiorem quidem, remigationem nauis conuertentis ad puppim.* Sed hic locus Ciceronis non vsquequaque cum Græco κρούσασθαι πρύμναν conuenit; cùm conuersi remiges in puppim impellunt nauim. Inhibitio enim non est remigatio, nauem conuertens in puppim, sed est conuersio remigum versus puppim remigantium, cùm antè versus proram nauigarint, siue inhibitio propriè retro agere nauem, non conuersa prora, sed sicut equi quandoque retro aguntur in pedes, non conuerso ore. Nisi dicas, conuertentis, ad remiges duntaxat pertinere, retro nauem agentes, non proram conuertentes. Atque ita quidem Cicero, cùm primo posuisset sustinere, posteà, monente Attico, inhibere remos, pro sustinere, & retentione nauis, ne vlterius progrederetur, demum rursus emendauit, ac pro inhibitione, exposuit *retentionem.* Est ergo *inhibere* vox tota nautica, & valet idem, quod, nauem in puppim non conuersa prora impellere, quod quidem tergum, & vehementem habet motum ἐπὶ πόδα ὑποχωρεῖν *regredi in tergum.* Deindè videtur inhiberi nauis, cũ non omninò retro agitur, sed à priori ordine nauigat in latus, ac demum in puppim versus nauigatur. Postremò *inhibere* remos, est tollere remos, vel figere, vel sustinere, vt nauis sistatur & hæreat; sed hoc impropriè. Cicero tamen ita locutus est in primo de Oratore, quem locum non emendauit, vt in Academicis: *Qui à scribendi consuetudine ad dicendum venit, hanc affert facultatem, vt etiam subitò si dicant, tamen illa, quæ dicantur, similia scriptorum esse videantur: atque etiam si aliquando in dicendo scriptum attulerit, aliquando cùm ab eo discesserit, reliqua similis oratio consequatur, vt concitato nauigio, cùm remiges inhibuerunt, retinet tamen ipsa nauis motum & cursum suum intermisso impetu, pulsuque remorum: sic in oratione perpetua,* & quæ sequuntur. Eodem intellectu abusus est verbo Iustinus: *Commisso prælio ite cessim, inhibite remos, & à bello discedite.* Et Quintilianus: *Contrahit vela, inhibetque remos.* Curtius vti & Liuius, propriè hic verbo vsus est *inhibentes remos,* retro nempè in puppim agentes, non conuerso rostro, aut prora.

Lib. 3. Lib. 1. p. 16. Lib. 13. Ep. 21. lib. 11.

MISSILIBVS) Omni generis telis, igne, sagittis, clypeis, ardentibus, arena, atque hisce haud paucis, ob quæ olim desperarat de vrbe occupanda.

CAPVT XV.

ARGVMENTVM.

Tyrus vi capitur, exscinditur, paucis parcitur, elogium Tyri.

B Iduo deinde ad quietem dato militibus, iussisque & classem & machinas pariter admouere, & vndique territis instare, ipse in altissimam turrim ascendit ingenti animo, periculo maiore; quippè regio insignis, & armis fulgentibus conspicuus, vnus præcipuè telis petebatur; & digna prorsus spectaculo edidit, multos è muris propugnantes hasta transfixit, quosdam etiam comminus gladio, clypeoque impulsos præcipitauit: quippè turris, ex qua

qua dimicabat, muris hostium propemodum cohærebat. Iamq́; crebris arietibus saxorum compage laxata munimenta defecerant, & classis intrauerat portum, & quidam Macedonum in turres hostium desertas euaserant, cùm Tyrij tot simul malis victi, alij supplices in templa confugiunt, alij foribus ædium obseratis occupant liberum mortis arbitrium, nonnulli ruunt in hostem, haud inulti tamen perituri: magna pars summa tectorum obtinebat, saxa, & quod in manus fors dederat ingerentes subeuntibus. Alexander exceptis qui in templa confugerant, omnes interfici, ignemq́; tectis inijci iubet. His per præcones pronuntiatis, nemo tamen armatus opem à dijs petere sustinuit. Pueri, virginesq́; templa compleuerant; viri in vestibulo suarum quisque ædium stabant, parata sæuientibus turba. Multis tamen saluti fuere Sidonij, qui intra Macedonum præsidia erant. Hi vrbem quidem inter victores intrauerant, sed cognationis cum Tyrijs memores (quippe vtramque vrbem Agenorem condidisse) multos Tyriorum etiam protegentes ad sua perduxêre nauigia, quibus occultati Sidona vecti sunt. XV. millia hoc furto subducta sæuitiæ sunt: quantumq́; sanguinis fusum sit, vel ex hoc existimari potest quod intra munimenta vrbis, sex millia armatorum trucidata sunt. Triste deinde spectaculum victoribus ira præbuit regis: duo millia, in quibus occidendis defecerat rabies, crucibus affixa, per ingens litoris spatium pependerunt. Carthaginiensium legatis pepercit, addita denunciatione belli, quod præsentium rerum necessitas moraretur. Tyrus septimo mense, quam oppugnari cœpta erat, capta est: vrbs & vetustate originis, & crebra fortuna varietate ad memoriam posteritatis insignis, condita ab Agenore; diu mare. non vicinum modò sed quodcunque classes eius adierunt, ditionis suæ fecit: & si famæ libet credere, hæc gens literas prima aut docuit, aut didicit. Coloniæ certè eius pænè toto orbe diffusæ sunt. Carthago in Africa: in Bœotiâ Thebæ: Gades ad Oceanum. credo libero commeantes mari, sæpiusque adeundo cæteris incognitas terras elegisse sedes iuuentuti, quæ tunc abundabant. seu quia crebris motibus terræ (nam hoc quoque traditur) cultores eius fatigati, noua & externa domicilia armis sibimet quærere cogebantur. Multis ergo casibus defuncta, & post excidium renata, nunc tamen longa pace cuncta refouente, sub tutela Romanæ mansuetudinis acquiescit.

IVSSIS VNDIQVE TERRITIS INSTARE) Vrbem enim terra marique vrgebat, machinis & turribus ex aggere; nauibus etiam machinas ferentibus, mœnia obibat, & infirmissima deiecit.

IPSE IN ALTISSIMAM TVRRIM ASCENDIT) Nimis magnificè hoc, inquit Glareanus, sua, credo, animula Alexandri immensos spiritus metiens, qui apud Mallos, non solùm ascendit mœnia solus, sed etiam in oppidum desilijt. Et si verba Diodori spectemus, magnificentius ipso Curtio rem narrat. Solum enim ex lignea turri in murum transisse hostium ait, ibique ingentem stragem edidisse. Nec pugnant inter se Diodorus & Curtius, quando hic principium, ille etiam finem conscensæ turris ostendit. Arrianus Admetum primum in muros euasisse affirmat, & hasta traiectum interijsse, Alexandrum turribus, & interturriis occupatis, per ipsa mœnia transisse ad regiam, quod inde facilior esset descensus in vrbem. Componantur inter se hi tres scriptores, nec omninò eadem, nec valdè diuersa inter se denarrâtes. Plutarchus omninò alia de Aristãdro vate, quem suprà laudauimus, adfert, à quo vrbis excidium eo ipso die, quo capta est, antequam oppugnaretur prædictum est.

DIGNA PRORSVS SPECTACVLO) Diodorus: ἐν ταύταις δὲ ἐτόλμα ἐπιτελέσασθαι πρᾶξιν οὐδὲ αὐτοῖς τοῖς ὁρῶσι πιστευομένην· ἐπὶ βάθρας, γὰρ ἀπὸ τοῦ ξυλίνου πύργου τοῖς τῆς πόλεως τείχεσιν ἐπιβαλὼν διὰ ταύτης μόνης ἐπέβη τῷ τείχει &c.

CLASSIS INTRAVERAT PORTVM) Vtrumque portum, Aegyptium inquam & Sidonium. Ita enim Arrianus: οἱ δὲ ἐπὶ τῶν νεῶν οἵ τε Φοίνικες κατὰ τὸν λιμένα τὸν πρὸς Αἴγυπτον (καθ' ὅπερ καὶ φορμοῦντες ἐτύγχανον) βιασάμενοι, καὶ τὰ κλεῖθρα διασπάσαντες ἔκοπτον τὰς ναῦς ἐν τῷ λιμένι ταῖς μὲν μετεώροις ἐμβάλλοντες, τὰς δὲ εἰς τὴν γῆν ἐξωθοῦντες. Καὶ οἱ Κύπριοι κατὰ τὸν ἄλλον λιμένα τὸν ἐκ Σιδῶνος φέροντα. * οὐδὲ τοῦτον κλεῖθρόν γε ἔχοντα εἰσπλεύσαντες εἷλον εὐθὺς ταύτῃ τὴν πόλιν. *At qui in nauibus erant, vna cum Phœnicibus in portum, qui AEgyptum spectat (quem obsederant) impetu facto, claustriq; reuulsis, naues in portu confregerunt, in alias remotiores à terra magna vi delatis, aliàs ad ipsam terram allidentes. Cyprij per portum, qui Sidonem respicit, nullo claustro septum, sed faucibus angustis, & nauibus obsessum immissi, statim ex ea parte vrbem capiunt.*

* videtur contra Strabonem, sed non pugnant.

CVM TYRII TOT SIMVL MALIS VICTI) *Venit summa dies, & ineluctabile tempus*

--- crudelis vbique

Luctus, vbiq; pauor, & plurima mortis imago.

Tandem victas dedere manus inuicti adhuc Tyrij, qui viso in muris & vrbe simul hoste, salutem à dijs cum ipsis ciuibus captis seram exspectauère. Iustinus tamen per proditionem captam mentitur.

FORI-

FORIBVS AEDIVM OBSERATIS) Vt Romæ plebs Gallos vrbe potitis.

LIBERVM MORTIS ARBITRIVM) Sibi mortem consciscentibus, ne morerentur. Liberum seu igne, seu a quis, seu ferro vellent mori, ipsi in sua potestate habebant, antequam vrbs incenderetur, Gualterus poëta vetus, æuo Ahenobarbi:

Mixta plebe patres pereunt, genus omnibus vnum
Mortis, sed species moriendi non fuit vna.
Iste pyram reuerens gladios incurrit, & ille
Vt gladios fugiat, medios se mittit in ignes.
Nonnullos alia mortem dum morte cauerent,
Vrbis semiruta lapsos de mænibus vltro,
AEquorei vehemens absorbuit aunnu hiatu.
Occultas alij latebas, vacuosq; penates
Quærentes, laqueis iugulos aptare parabant,
Et mortem fecere sibi, ne morte perirent,
Inflicta à Graijs alios diuortia Martis
Quærere dum puduit, pro iure & legibus vrbis,
In faciem patriæ, libertatemq; tuendo
Elegêre mori, mortis genus illud honestum,
Et labi, sine labe fuit non cedere cadi
Cadereq; & cadi, dum non caduntur inulti, Et quæ ibidem sequuntur.

EXCEPTIS QVI IN TEMPLA CONFVGERANT) Et hoc edicto cauit per præconem, qui salui esse vellent, ad aras confugerent, imitando pietatis exemplo, cùm ab innocenti pueritia ferrum abstentum est, & honor religionis, quamuis falsæ, habitus; veræ etiam Hierosolymis.

VIRI IN VESTIBVLO AEDIVM SVARVM) Vt Romæ patres conscripti à Gallis oppressi, quos eximiè laudandus celebrat Liuius.

MVLTIS SIDONII SALVTI FVERE) Hoc neque in Arriano, neque Diodoro scriptum, & numerus est ingens xv. millium. Glareanus quinque millia putat rescribendum, quamquam & hoc nimium videri velit. Sed codices coniurant in xv. millia, & quàm facilè hoc in turba, & tanto tumultu, cùm naues essent ad manum. lib. 5.

SEX MILLIA ARMATORVM TRVCIDATA) Diodorus suprà septem millia cæsos ait; Arrianus octo millia, qui cum Curtio facit, si illos bis mille in crucem actos, sex millibus ferro cæsis addas. Diodorus XIII. millia captos: Arrianus XXX. millia numerat. adeò diuersa duo etiam & tres inter se de eadem re tradunt. Suspendit porrò de cruce duo millia, quod seruile genus hominū seruili supplicio putaret esse mactandum, qui olim dominos suos serui coniurati interfecissent, quę res apud Iustinum copiosè describitur. lib. XVIII.

CARTHAGINIENSIVM LEGATIS PEPERCIT) Quamuis Tytij legatis Alexandri non pepercerant.

DENVNCIATIONE BELLI) Ea denunciatione territi Carthaginienses, veritique ne Persico regno & Africam vellet adiungere, mittunt ad speculandos eius animos Hamilcarem cognomento Rhodanum, virum solertia, facundiaque præter cæteros insignem. Augebant enim metum & Tyrus vrbs auctor originis suæ capta, & quæ alia apud Iustinum sequuntur.

SEPTIMO MENSE CAPTA EST) Per proditionem, vt supra dictum, captam, Iustinus contra omnium aliorum scriptorum fidem testatur. AElianus & ille præter aliorum narrationem, captam per stratagema docet. Polæynus lib. IV. n. 4. *Alexander ad Tyrum obsidione relicta in Arabiam proficiscebatur, Tyrij contempta eius absentia, progressi extra mænia, cum Macedonibus manus conserentes, persæpè vincebant. Parmenio Dux Alexandri reuocatur, Qui subitò reuersus cum fugientes Macedones conspiceret, non victis auxilium, sed in vrbem inanem viris impetum tendens, per vim Tyrum capit.* Hæc contra aliorum fidem Polyænus. Plutarchus pridie Calendas Quintiles expugnatam tradit. De septem mēsibus idem sentit Diodorus. Arrianus captam ait Archonte Athenis Aniceto, quem Diodorus Niceratum, Nicetum Dionysius vocat, mense itidem Iunio. Septem obsidionis menses, & Iosephus vti duos Gazæ posuit. Capta ergo Tyrus est Olymp. CXII. Anno I. cum Alexander ageret tertium & vigesimum, anno regni tertio. lib. XXI. Lib. XI. lib. IV. Arat. V. Tyrus capta tavlt. Iunij. Lib. II. lib. XI. Antiq.

VRBS ET VETVSTATE ORIGINIS) De natali Tyri suprà disputauimus, cùm obsidionem pararemus.

CREBRA FORTVNAE VARIETATE) Et ibi docuimus, quoties obsessa, capta, instaurata fuerit. Hic addam, quod postea didici. Videri Ezechielem omnino de alia Tyro locutum, quando æternum eius excidium oraculo denunciauit. Scylax enim Cariandeus ex Geographis facilè antiquissimus, quem Herodotus, AElius Dionysius ἐν τῷ περὶ Ἀλεξανδρείας βιβλίῳ πρώτῳ. Strabo Ἀδηλ@ nescio quis, Suidas: Hic inquam, Scylax, qui περίπλουν Dario Histaspis F. inscripsit in Syriæ & Pœnicis descriptione, aliam Tyron, quam *regiam Tyri*, appellat, ponit omnino diuersam ab altera, quam nos, & posteriores descripsêre, illamque in mari itidem collocat, & altiore, remotioreque à ter-

à terra quàm alteram. Scylacis verba sunt: *Ἀπὸ δὲ Θαψάκου ποταμοῦ ἐστὶ Τρίπολις Φοινίκων, Ἄραδος νῆσος καὶ λιμὴν, βασίλεια Τύρου ὡσεὶ στάδια, καὶ λιμὴν ἀπὸ τῆς γῆς. A flumine Thapsaco est Tripolis Phœnicum, Aradus insula cum portu, quasi octo stadiam remota à terra.* Subijcit deinde aliam, alias atque alias ciuitates, quæ partim hodiè in tabulis geographicis reperiuntur, partim desiderantur. Demum subijcit illam Tyrum, quam & ipsam Regiam * Tyrij, illamque insulam stadia non amplius tria à terra distantem. cui mox subiungit Palætyrum, vt dubitari non possit diuersas omnino Tyros à Scylace nominari, quarum vna penitus, etiam cũ nomine est deleta: Illa, inquam, quæ octo stadijs à terra distabat, ad cuius littus est Orthlusa hodie signata. Hæc, inquam, Tyrus videtur à Nabuchodonosore funditus euersa, nec vnquam renata aut restituta, aut alio modo instaurata, quæ vna cum nomine ex libris perijt, vti Ezechiel futurum superius prædixerat: *Non resurges in æternum*. Quod si interpretes cognouissent, non adeò in eo loco explanando desudassent: cum alius *æternum*, quinquaginta annos, hoc est, sæculum interpretatur, alius ad tropologias, alius aliò confugit. Pro nostra sententia facit Rabbi Kimchi: Nota, inquit, ciuitas Tyri, quæ modo extat iuxta maris littus, non est eadem. quæ erat in medio mari supra vndam ac limpidissimam petram ædificata, cui dictum fuit: *Non ædificaberis in æternum*. Scylacem ex M.S. Græcis edidit nuper, sed Græcè tantum Dauid Hoeschelius Augustæ Vindel. cum Marciano Heracliota, Artemidoro Ephesio, Dicæarcho Messenio, Isidoro Characeno, dedicauitque Illustri viro Io: G. Herwart. Quanquam multis locis corruptum & defectum. Exempli causa, In eo ipso loco, quem laudaui de Syria & Phœnicia. *ἐν δὲ τῇ Συρίᾳ οἰκοῦσι τὰ παρὰ θάλατταν Φοίνικες ἔθνος ἐπὶ στενὸν πλάτος, [ἢ ἐπὶ τέτταρας ὅλας σταδίους] ἀπὸ θαλάττης.* Vbi res docet, scribendum esse, pro *ἢ ἐπὶ τέτταρας ὄντας, ἢ ἐπὶ τετταράκοντα σταδίους*, nempe *ἔλαττον ἢ*, minus quàm quadraginta stadia. Sed hiatus in eodem capite, & alia vitia, quis explicabit? De conditore Agenore iam suprà est dictum. Illustrissimus & doctissimus Comes Thomas Dalpot, dum hic Monachij versaretur, mecumque super hoc Ezechielis de Tyro loco disputaret, sua manuscripto annotauit & explicauit. [Apparens contradictio inter Esaiam reædificationem Tyri post 70. annos pollicentem, & Ezechielem perpetuam eidem ruinam comminantem, duobus potissimum modis conciliari posse mihi videtur. Prior est, si dicamus cum multis, sæculum Latinè, Aiona Græcè, Holam Hebraicè, non semper infinitum tempus, sed longum designare, quod ita se habere multi in sacra scriptura obseruarunt: inter quos Ribera in Mich. cap. 5. num. 39. & seqq. copiosè, ac eruditè hac de re disputauit. Neque ista huius nodi solutio D. Hieronymum fatuisse videtur. Ait enim in cap. 26. Ezechielis propè finem, vt in Hebraico עולם & in Græco *αἰῶν*, scribitur, vnum sæculum significat, iuxta illud Esaiæ, qui post 70. annos dicit Tyrum restituendam in integrum statum. Aiunt autem vnum sæculum, id est humanæ ætatis tempus 70. annorum numero supputari, &c. similiter exponens illud in fine cap. 27. Et non eris vltrà in sæculum, (siue in perpetuum) si hucusque (inquit) dixisset (scil. Et non eris) magna quæstio nasceretur, quomodo non esset, quam nunc videmus extructam. Sed ex eo, quod sequitur, vsque in sæculum, vnius sæculi tempus ostendit, quod iuxtà ætatem hominis 70. annorum circulo supputatur. Hæc ille. Altera solutio est, vt dicamus, Esaiam illam tantummodò, quæ sub Nabuchodonosore contigit, Tyri vastationem prædicere: Ezechielem verò integram eius desolationem, ac proinde vtrumque simul excidium complecti, quod primò à Nabuchodonosore, posteà ab Alex. magno pati coacta est. Quorum primum 70. tantum annos durauerit: at secundum nunquam in hunc vsque diem reparatum sit. Nam etsi Tyrus vrbs posteà celebris fuerit Hieronymi tempore, & multis post etiam sæculis, duplici tamen de causa nunquam restituta antiqua illa Tyrus post Alexandrinum excidium dici potest. Primò, quia alia prorsus est ab illa veteri, recentior hæc Tyrus, non modò quod alio loco ædificata, (nam & hoc secundæ post Nabuchod. Tyro tribui potest) sed multò magis, quia situ ab illa omninò diuerso: cum illa in corde maris, (de quo maximè apud Ezech. gloriatur) sita esset, hæc in continente instar aliarum maritimarum vrbium condita. Deinde quia ex quo ab Alexandro euersa est, nunquam ad priores opes, ac potentiam redijt: vnde (vt alios prætercam) D. Hieron. in caput 26. Ezech. Post ergo, inquit, quod dicitur, nec ædificaberis vltra, sic accipi, quod nequaquam vltrà sit regina populorum, nec proprium habeat imperium, sed vel Chaldæis, vel Macedonibus, vel Ptolemæis, & ad postremum Romanis regibus seruitura sit.]

* in Græco mēdose est *τυρίυ* fortè sit legendum *τύρυ*, vt suprà, vel *τυρίων*.

SI FAMA LIBET CREDERE, HAEC GENS LITERAS AVT PRIMA DOCVIT, AVT DIDICIT) Lucanus.

Phœnices primi, fama si credimus, arti
Mansuram rudibus vocem signare figuris. Gualterus:
Soluitur in cineres ab Agenore condita primò
Nobilis illa Tyrus, qua si præclara merentur
Vatum dicta fidem, fama si credere dignum est,
Vocum sola notas, & rerum prima figuras
Aut didicit primò, aut docuit. Sic ergo tot annis
Indomitam indomitus domuit Macedum furor vrbem.

Zeno apud Suidam.

*Ἐσ

* Εἰμὶ πάντρα φοίνισσα, τίς ὁ φθόνος; οὔνομα Κάδμος
Κεῖνος, ἀφ' οὗ γράμματ' Ἑλλὰς ἔχει σελίδα. *Εἰ μοὶ

Sum patria Phœnix, qui hic liuor? sum tamen ille
Cadmus, cui debet Gracia tota libros.

De primis literarum inuentoribus, non magis literatis, quàm horologijs in malè composita ciuitate conuenit: alij Palamedi, alij Simonidi, alij Cadmo, alij Phœnicibus, alij Aegyptijs, alij Hebræis, & inter Hebræos, alij Mosi, alij Abrahamo, alij Nocho, alij Setho, alij ipsi Deo, non immerito, rem tam diuinam tribuunt, qui Adamo literarum, vt aliarum omnium rerum scientiam infudit, qui filijs, & nepotibus tradidit. Videndus Philo Iudæus, Iosephus, Diodorus Siculus, Herodotus, Cicero, Liuius, Tacitus, Eusebius de preparatione Euangelij, Plinius, Mela, Hieronymus, Zetzes, Pererius, Polydorus Virgilius, Io: Geropius, Becanus, qui Agenorem facit Nochum, Cadmum Iapetum. In tanta scriptorum copia, nihil est, quod de literarum inuentione pluribus disputemus.

CARTHAGO IN AFRICA) De Carthagine suprà quædam annotata, quibus adde de nomine ex Solino: Hadramylo & Carthagini auctor est à Tyro populus. Sed quæ super Carthagine veraces libri prodiderunt, hoc loco reddam. Vrbem istam, vt Cato in oratione senatoria, autumat; cum rex Hiarbus rerum in Libya potiretur, Elyssa mulier extruxit, domo Phœnix & Karthadam dixit: quod Phœnicum ore exprimit, ciuitatem nouam. Mox sermone verso (in verbum Punicum) & hæc Elyssa, & illa Karthago dicta est: quæ post annos septingentos exciditur, quàm fuerat extructa. Quod Solinus Karthadam ait dictam, confirmat Stephanus, qui Καινὴν πόλιν ait appellatam, Punica nempe voce id significante Eustathius Cadmia, hoc est παλαιὰν affirmat nominatam, imitati ἐκ τῆς παλαιτύρου, postea νεάπολιν. Ex Plauto vulgo Chaedreanech vocitatam apud Scaligerum disco. Plautus in Pœnulo.

MI. *Hano cuiates estu? aut quo ex oppido?*
P. *Hanno Muthumballe be Chaedreanech.*
Ag. *Quid agit? M. Hannonem sese ait Carthagine*
Karthaginiensem Mutumballis filium.

Non dubito, inquit Scaliger, esse Hadreanech.

Nam prius membrum est חצר vt In Hadramyton. Explicat deinde totum Plauti locum. Addunt alij Vticam. De Carthagine etiam suprà ex Iustino, & alijs dictum. Thebas in Græcia Alexander euertit. De Gadibus & Gaditanis multa ad Martialem attulimus. Adi, si iuuat geographos, Strabonem, Plinium, Stephanum περὶ πόλεων. Sed copiosissimè de Gadibus Strabo libro 3. vbi de origine vrbis & oraculo Tyrijs Imperante, vt Gades ad Herculis columnas ponerent, tradit. Idem Iustinus Epitom. XLIV. Thebas Cadmus posuit, & Oedipus nobilitauit. Statius & Tragici celebrarunt. Alexander, vt dixi, deleuit.

Notis ad fragmenta Berosi edit. 2. decem. temp. Iust. lib. 18. lib. 4. c. 6.

CREBRIS MOTIBVS TERRAE) Suprà monui ex Strabone Tyrum propter altitudinem ædium maximam labem ex terræ tremoribus accepisse. Et aliàs Syria obnoxia terræmotibus, vno ferè tempore centum septuaginta millia hominum perdidit. Posidonius vrbem hiatu terræ momentis haustam in Phœnice supra Sidonem sitam, ipsiusque Sidonis ferè bessem interijsse testatur. Tyron insulam esse fractam, ex concussione terræ. Aristoteles docet, ea loca maximè tremoribus obnoxia, quæ mare fluxile accedunt, aut spongiosa sunt.

Iustin. lib. 40. Strabo lib. 1. 2. Meteor.

MVLTIS ERGO CASIBVS DEFVNCTA) Hoc suprà ostendi, quoties expugnata, & excisa fuerit.

POST EXCIDIVM RENATA) Hæc de ista Tyro, non de illa, quam Ezechiel interituram, & nunquam renascituram prædixerat.

NVNC SVB TVTELA ROMANAE MANSVETVDINIS ACQVIESCIT) Et hoc loco coniectant nonnulli de ætate Curtij, qua de vita Curtij disputauimus. Tyrum Romani coloniam deduxère. Mansuetudinem Romanorum comparat cum Tyrannorum immanitate, qui Tyrios tantoperè vexauère. Et fuère mitia Romanorum imperia, nisi cum Verres, Vari, aut horum similes præturas, aut proconsulatus administrauerunt. Nulla enim Respub. fuit, in quam serius auaritia & luxus migrauère. Tyrus iam Strabonis & Augusti æuo libertate donata à Romanis & regibus Syriæ. Strabo οὐχ' ὑπὸ τῶν βασιλέων δ' ἐκρίθησαν αὐτόνομοι μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ τῶν ῥωμαίων μικρὰ ἀναλώσαντες, βεβαιωσάντων τὴν ἐκείνων γνώμην. *Non solum à regibus, sed etiam à Romanis libertate donati sunt, cum quidem paullo sumptu impetrarent, vt eorum votum Romani ratum haberent, atque confirmarent.* Socii ergo & amici pop. Romani fuère: amiserunt tamen libertatem alioqui pecunia non redimendam; vel certè, ne amitterent periclitatam. Et hoc est, quod Curtius dicit: Tyrios sub tutela Romanæ mansuetudinis (liberos tamen) quieuisse. Fuit colonia eò deducta à Romanis, quæ sub Seuero ius Italicum impetrauit. Vlpianus de Censibus titulo 15. Dig. l. I. *Sciendum est, esse quasdam colonias iuris Italici, vt est in Syria Phœnice splendidissima Tyriorum colonia, vnde mihi* (Vlpiano) *origo est, nobilis regionibus, serie sæculorum antiquissima, armipotens, fœderis, quod cum Romanis percussit, tenacissima. Huic enim Diuus Seuerus, & imperator noster, ob egregiam in Rempub. imperiumque Romanum insignem fidem, ius Italicū dedit.*

lib. XVI.

CA-

CAPVT XVI.

ARGVMENTVM.

Litteræ Darij ad Alexandrum, & huius responsum de filia ducenda, & dote.



Isdem fermè diebus Darij litteræ allatæ sunt tandem, vt regi scripta. Petebat vti filiam suam (Saptina erat nomen) nuptiis Alexander sibi adiungeret. Dotem fore omnem regionem inter Hellespontum & Alyn amnem sitam: inde orientem spectantibus terris contentum se fore. Si fortè dubitaret quod offerretur, accipere, nunquam diu eodem vestigio stare fortunam, semperque homines quantamcunque felicitatem habeant, inuidiam tamen sentire maiorem. Vereri se, ne auium modo, quas naturalis leuitas ageret ad sidera, inani ac puerili mentis affectu efferret. Nihil difficilius esse, quàm in illa ætate tantam capere fortunam: multas se adhuc reliquias habere, nec semper inter angustias posse deprehendi. Transeundum esse Alexandro Euphratem, Tygrimque, & Araxen, & Hydaspen, magna munimenta regni sui. Veniendum in campos, vbi paucitate suorum erubescendum sit. In Mediam, Hyrcaniam, Bactra, & Indos Oceani accolas quando aditurum; vel Sogdianos & Arachosios nomine tantum notos, cæterasque gentes ad Caucasum, & Tanaim pertinentes? Senescendum fore tantum terrarum, vel sine prælio obeunti. Se verò ad ipsum vocare desineret, namque illius exitio esse venturum. Alexander his, qui literas attulerant, respondit: Darium sibi aliena promittere, quod totum amisert, velle partiri. Doti sibi dari Lydiam, Ionas, Aeolidem Hellesponti oram, victoriæ suæ præmia: leges autem à victoribus dici, accipi à victis. In vtro statu ambo essent, si solus ignoraret, quàm primum Marte decerneret: se quoque cum transiret mare, non Ciliciam, aut Lydiam, quippe tanti belli exiguam hanc mercedem: sed Persepolim caput regni eius, Bactra, deinde Ecbatana, vltimique orientis oram imperio destinasse: quodcunque ille fugere potuisset, ipsum sequi posse: desineret terrere fluminibus, quem sciret maria transisse. Reges quidem hæc inuicem scripserant.

VT REGI SCRIPTAE) Nam prioribus literis Darius Alexandrum non erat dignatus titulo regis. Curtius: *Ibi illi litera à Dario redduntur, quibus vt superbè scriptis, vehementer offensus est.* Præcipuè eum mouit, quod Darius sibi regis titulum, nec eundem Alexandri nomini adscripserat. Proinde Alexander cum responderet Dario, rescripsit: *Rex Alexander Dario.* Et in fine literarum: *De cætero, cum mihi scribes, memento non solum regi, sed etiam tuo scribere.* Tandem inquit hic, *vt regi scripta*, adscripto nempe titulo regis.

SAPTINAE ERAT NOMEN) Plutarchus, vt suprà monui, Statiram, Barsinem Arrianus, Curtius hic Saptinam.

lib. 2. REGIONEM INTER HELLESPONTVM ET HALYM SITAM) Strabo. ἔστι δὲ ἡ ἐντὸς Ἅλυος χώρα λεγομένη περιέχουσα πρὸς μὲν τῷ πόντῳ καὶ τῇ προποντίδι, Παφλαγόνας τε καὶ Βιθυνοὺς καὶ μυσοὺς καὶ τὴν ἐφ' ἑλλησπόντῳ λεγομένην φρυγίαν, ἧς ἐστὶ καὶ ἡ τρῳάς. *Item regio intra Halym, quæ dicitur continens, ad Pontum & Propontidem sitos, Paphlagones, Bythynes, Mysos & Phrygiam Hellesponto, vt solent vocare, nunciatam, cuius est etiam Troas.* Curtius infrà hoc eodem libro in literis alijs Darij ad Alexandrum: *Antea imperio tuo finem destinabat Halyn amnem, qui Lydiam terminat. Nunc quicquid inter Hellespontum & Euphratem est, in dotem filiæ offert, quam tibi tradit.* Et hoc ipso

lib. 1. capite: *Dote sibi Dari Lydiam, Ionas, AEolidem, Hellesponti oram.* Herodotus: ὁ γὰρ οὖρος ἦν τῆς τε μηδικῆς ἀρχῆς, καὶ τῆς λυδικῆς ὁ Ἅλυς ποταμὸς, ὃς ῥέει ἐξ Ἀρμενίου ὄρεος διὰ Κιλίκων &c. Et mox: οὕτω Ἅλυς ποταμὸς ἀποτάμνει σχεδὸν πάντα τῆς Ἀσίης τὰ κάτω ἐκ θαλάσσης τῆς ἀντίον Κύπρου ἐς τὸν Εὔξεινον πόντον. ἔστι δὲ αὐχὴν οὗτος τῆς χώρης ταύτης ἁπάσης μῆκος ὁδοῦ εὐζώνῳ ἀνδρὶ πέντε ἡμέραι ἀναισιμοῦνται. *Siquidem imperium Medicum in Lydiam disterminabat fluuius Halys, qui ex Armeno monte profluens, primùm Cilicas &c. interfluit.* Deinde concludit Herodotus: *Ita flumen Halys cuncta ferè superiora Asiæ, à mari, quod Cypro ob-*

lib. 6. c. 2. *iectum est, ad Euxinum vsque pontum dirimit. Est autem totius regionis longitudine quinque dierum itineris viri expediti.* Herodotum Plinius illustrat, & sequitur: *Amnis Halys à radicibus Tauri per Cataloniam*

niam, Cappadociamque decurrens &c. eiusdemque nominis sinus, ut Asiam pœne insulam faciat C C. M. passuum, haud amplius per continentem ad Issicum Ciliciæ sinum. Ducenta millia passuum, si quinq; millibus nostru milliare definias, efficiet quadraginta milliaria, si quatuor millibus, erūt quinquaginta, quæ si quinque diebus velis percurrere, vno die percurres octo vel decem milliaria. Quod expedito viatori non est difficile. Ita Halys Crœsi regnum finit. Arrianus miscet duas Darij epistolas à Curtio seiunctas, vt infrà demonstrabitur.

NUNQUAM DIU EODEM FASTIGIO STARE FORTUNAM) Ex communi loco fortunæ conatur persuadere Alexandro totam Asiam petenti, vt contentus sit oblatis. Et hoc solemne Curtio in legationibus plerisque, ad fortunam diuertere. Lege elegantissimam, & acutissimam Scytharum orationem, in qua fortunam scitissimè describit, & Alexandrum, ne fortuna secunda abutatur, lubricam esse, & pressis manibus tenendam, &c. Et libro 5. *Equidem quàm versabilis fortuna sit, documentum ipse sum. Nec immeritò mitiores vices eius expecto.* Et eodem libro: *Periculosum est prægraue imperium: difficile est continere, quod capere non possis.* &c. Iterum. 4. multa de fortuna. lib.7.c. 32. c.16.

INUIDIAM SENTIRE MAIOREM) Felicitatem & gloriam sequitur inuidia, vt corpus vmbra: Locus & iste communis.

AUIUM MODO EFFERRI) Vt pennis aues tolluntur, ita fortuna secunda leues, incauti, & imprudentes.

IN ILLA AETATE) Iuuenili, tertium & vicesimum agebat.

EUPHRATEM, TIGRIMQUE) Quæ duo flumina Mesopotamiam efficiunt. Euphrates sæpius iam occurrit: Tigrim infrà hoc ipso libro Curtius ipse eleganter describit. Araxem lib. 5. trans mittimus, ad quem Persepolis regia Persidis stabat: Hydaspen libro 8. metitur quatuor stadia latum, profundo alueo, & nusquam vada aperiente, vasti maris speciem referente. Cap.24. Cap. 10.

UBI PAUCITATE SUORUM ERUBESCET) Infrà: *Hi verò campi deprehendere paucitatem, quam Ciliciæ montes absconderant.* Cap.35.

IN MEDIAM, HYRCANIAM, BACTRA ET INDOS) Sequentur hæ gentes infrà descriptæ lib. 7. c. 4. 5. & 6.

CAETERASQUE GENTES AD CAUCASUM ET TANAIM PERTINENTES) Parapamisidos, Choralmios, Dahos, Sagos, Indos &c. lib.7.c. 6.

SENESCENDUM) Sed alas habebant Macedones, quibus orbem peruolabant, celeritatem, industriam, insueta laboribus corpora.

SE AD IPSUM) Concurrunt duo reciproca, proinde alterum in apodicticum, ne cogeretur dicere: *Se ad se vocare*, quod tamen natura loci, & reciproci postulabat. Darius monuit Alexandrum in literis, desineret se ad se vocare, insuauis esset oratio; dixit: *desineret se ad ipsum*, Alexandrum inquam, *vocare.*

ALIENA PROMITTERE) Acutè, & lepidè Alexander respondet, Darium perinde facere, ac si in dotem sibi offerret Græciam & Macedoniam, quæ antea sua essent. Omnia enim intra Halyn, non esse Darij, sed sua, armis parta. Conditiones pacis à victoribus poni, non à victis dari: se victorem, Darium victum: quod si bis victus negaret, denuò decerneret: se, nisi omnia Darij possideret, arma non positurum.

PERSEPOLIM) Caput Persidis, de qua copiosè lib. 5. c. 15. & lib. eod. c. 10.

ECBATANA) Regiam Mediæ.

BACTRA) Bactrianorum princeps ciuitas, vrbes hæ infrà occurrent.

MARIA TRANSISSE) Pamphylium & Phœnices De Pamphilio suprà: De Phœnicum mari ad Tyrum cognomenti cum aggerem iecit, & vrbi iunxit. lib 3.c.1.

CAPUT XVII.

ARGUMENTUM.

Alexander Gazam obsidet. Græci coronam mittunt victori. Prætores Alexandri rem benè gerunt.



Ed Rhodij vrbem suam, portusque dedebant Alexandro. Ille Ciliciam Socrati tradiderat. Philota regioni circa Tyrum iusso præsidere Syriam, quæ Cæle appellatur, Andromacho Parmenio tradiderat, bello, quod supererat, interfuturus. Rex Ephestione Phœnicis oram classe præteruehi iusso, ad vrbem Gazam cum omnibus

*bus topijs venit. Iisdem ferè diebus solemne erat ludicrum Isthmiorum, quod conuentu totius Græciæ celebratur. In eo concilio, vt sunt Græcorum temporaria ingenia, decernunt, vt duodecim legarentur ad regem; qui ob res pro salute ac libertate Græciæ gestas, coronam auream domum victoriæ ferrent. Iidem paullò antè incertæ famæ captauerant auram, vt quocunque pendentes animos tulisset fortuna, sequerentur. Cæterùm non ipse modò rex obibat vrbes, imperij iugum adhuc recusantes, sed prætores quoque ipsius egregij duces pleraque inuaserant: Calas Paphlagoniam, Antigonus Lycaoniam; Balacrus, Idarne prætore Darij superato, Miletum cepit. Amphoterus & Hegilochus centum sexaginta nauium classe insulas inter Achaiam atque Asiam, in ditionem Alexandri redegerunt. Tenedon quoque receptum, incolis vltrò vocantibus. Statuerant & Chion occupare: sed Pharnabazus Darij prætor comprehensis, qui res ad Macedonas trahebant, rursus Apollinidi & Athenagoræ suarum partium viris, vrbem cum modico præsidio militum tradidit. Præfecti Alexandri in obsidione vrbis perseuerabant, non tam suis viribus, quàm ipsorum qui obsidebantur, voluntate: nec fefellit opinio. namque inter Apollinidem & duces militum orta seditio, irrumpendi in vrbem occasionem dedit. Cumque porta effracta cohors Macedonum intrasset, oppidani olim consilio proditionis agitato, aggregant se Amphotero & Hegilocho: Persarumque præsidio cæso. Pharnabazus cum Apollinide & Athenagora vincti. Traduntur XII. triremes cum suo milite ac remige, præter eas, triginta inanes, & piratici lembi, Græcorumque tria millia à Persis mercede conducta. His in supplementum copiarum suarum distributis, piratisque supplicio affectis, captiuos remiges adiecêre classi suæ. Fortè Aristonicus * Methymnæorum tyrannus cum piraticis nauibus ignarus omnium, quæ ad Chium acta erant, prima vigilia ad portus claustra successit, interrogatusque à custodibus quis esset: Aristonicum ad Pharnabazum venire se respondit. Illi Pharnabazum quidem iam quiescere, & non posse tum adiri; cæterùm patere socio atque hospiti portum: & postero die Pharnabazi copiam fore affirmant. Nec dubitauit Aristonicus primus intrare, secuti sunt ducem piratici lembi, ac dum applicant nauigia crepidini portus, obijcitur à vigilibus claustrum, & qui proximi excubabant, ab iisdem excitantur: nullo ex eis auso repugnare, omnibus catenæ iniectæ sunt. Amphotero deinde Hegilochoque traduntur. Hinc Macedones transiere Mithylenem, quam Chares Atheniensis nuper occupatam duorum millium Persarum præsidio tenebat. Sed cum obsidionem tolerare non posset, vrbe tradita, pactus vt incolumi abire liceret, Imbrum petit: deditis Macedones pepercerunt.*

*Methynimorum melius.

lib. XIV. p. 449.

SED RHODII VRBEM SVAM, PORTVSQVE DEDERE ALEXANDRO) Rhodiorum vrbem ita celebrat Strabo, vt vnam cunctis anteponat. *Rhodiorum*, inquit, *vrbs sita est in promontorio versus ortum porrecto, portubus, vijs, muris, alioque apparatu tantum alijs vrbibus præstat, vt non modò meliorem nullam, sed ne parem quidem vllam ei dicere possimus.* Laudat eandem Strabo ab optimis legibus, quibus temperata est, & à diuturno maris imperio. Celebratur illius Colossus, de quo ad Martialem disputauimus. Nobilitauit & Homerus Rhodum. Delineatam habes apud *Ortelium in tabulis Geographicis. De Rhodo Vitruuius lib X & VII. Commendantur leges nauales Rhodiorum, ni fallor, apud Ciceronem. Nullus dies tam nubibus vnquam fuit, quin Rhodi sol pareret.

Iliad. 6. v. 662.
* Pag. 92.

CILICIAM SOCRATI) Socrati prætori militari commisit regendam Ciliciam, quam suprà libro 3. descripsimus.

PHILOTA REGIONI CIRCA TYRVM) Philota Parmenionis filio, postea miserandum in modum excarnificato, & occiso.

lib. 6.

SYRIAM, QVAE COELE APPELLATVR) Et de hac suprà. Andromachum eius præsidem, postea Samaritanorum, infra cognosces c. XXI.

PHOENICIS ORAM) Admodum angustam Phœnicem fuisse ex Scylace discis, quem paullò antè laudauimus, & castigauimus.

Cap. 20.

AD VRBEM GAZAM) De hac vrbe infrà docebo, cum eius expugnationem aggrediemur, libro hoc.

Laconicis & Corinthiacis.

LVDICRVM ISTHMIORVM) Isthmum angustiæ terræ inter duo maria faciunt, qualis est inter Arabicum & Mediterraneum; inter Caspium & Ponticum; inter Sinopen & Issum. Isthmos Thracius & Atho montis, qualis est Corinthiacus in Poloponneso, de quo Pausanias. Mari verò tota incingitur Peloponnesus parte ea, quæ excepta vrbi Corinthiorum Isthmus est. Isthmus autem ipse Corinthiacus mari vtrinque alluitur, duobus eius latera promontorijs terminantur, Cenchris & Li-

& Lichæo, ea res interiorem regionem continentem facit. Nam quicunque Peloponnesum insulam facere conatus est, morte oppressus opus imperfectum reliquit. Quà sanè Isthmus fodi cœptus fuerit, operis vestigia extant. Saxosa eius pars omninò tentata non fuit: quare situs adhuc sui naturam seruat. Peloponesum peninsula.

Alexandro quidem Philippi filio id vnum ex animi sententia non cessit, quod Mimontem fodere non potuit. Gnidias verò ad Isthmum fodiẽdum aggressus oraculũ deterruit. Tentarunt idem, vt Plinius auctor est, Demetrius Rex, Cæsar C. princeps, Domitius Nero, infausto, vt omniũ patuit exitu. Est Isthmus inter duo maria, vt dictũ est, Aegeum & Ionium, quia angustissimus, continet V. M. passuum. Ludos Isthmicos à Sisypho institutos, tradit idem in cultum Melicertæ pueri à Delphino in Isthmo expositi, & à Sisypho sepulti, araque in eius memoriam excitata. Theseum tamen plerique Isthmiorum auctorem prodiderunt. Neptuno, vel Melicertæ, vel Palæmoni sacrorum. Fuere porrò quatuor sacra certamina, Græcis celebrata, quæ tetrasticho comprehendit Archias: I. Anthol. Græc.

Τέσσαρες εἰσιν ἀγῶνες ἀν' ἑλλάδα· τέσσαρες ἱροὶ,
Οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων.
Ζηνὸς, λητοΐδαο, Παλαίμονος, Ἀρχεμόροιο.
Ἆθλα δὲ τῶν, κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

Quatuor in Græcis certamina, quatuor illa
Sacra duo superis, sunt duo sacra viris.
Sunt Iouis hac, Phœbiq;, Palamonis, Archemoriq;,
Præmia sunt olea, pinea, mala, apium.

Vtebantur ludis quinque, vnde Pentathlon, latinis quinquertium, & pentathli quinquertiones. certabunt saltu, cursu, disco, iaculo, & lucta. Simonides: I. 1. Epig.

Ἴσθμια καὶ πυθοῖ διοφῶν ὁ φίλωνος ἐνίκα,
Ἅλμα ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

Vno etiam verbo, περιοδος vocabatur, quique Pythia, Isthmia, Nemea, Olympia vicisset. periodon vicisse dicebatur. Isthmia tempore Herculis ter acta scribit Apollodorus: αὖθις δὲ τῆς τρίτης Ισθμιάδος τελουμένης, ἠλείων τοὺς Μολιονίδας πεμφάντων συνθύτας, ἐν Κλεωναῖς ἐνεδρεύσας, τούτους ἡρακλῆς ἀπέκτεινεν. *Cùm tertia Isthmios ageretur, missos ab Eleis Molionidas ad commune sacrificium, Hercules occidit.* Isthmia erant trieterica, vti & Nemea, ita vt vna Olympiade bis agerentur Isthmia, primo & tertio anno. Vnde Ausonij errorem notabis, qui perinde ac Olympia quinquennalia scripsit. Hæc quoque temporibus quinquennalia sacra notandis, Isthmia Neptuno data sunt, & Pythea Phœbo.

Ad Isthmia tota Græcia, exclusis olim Eleis confluxit. Celebrauit nobilissimis hymnis hos omnes Græcorum ludos Pindarus toto opere. Statius lib. VI. ipso principio pereleganter:

Nuncia multiuago Danaas perlabitur vrbes
Forma gradu sancire nouo solemnia busto.
Inachidas, ludumq; super, quo Martia bellis
Præsudare parat, seseq; accendere virtus
Graium ex more decus. Primus Pisaa per arua
Hunc pius Alcides Pelopi certauit honorem,
Puluereumq; fera crinem detersit oliua.
Proxima vipereo celebrauit libera nexu
Phocis Apollinea bellum puerile pharetra.
Mox circum tristes seruata Palemonis aras
Nigra superstitio, quoties animosa resumit
Leucothoe gemitus, & amica ad littora festa
Tempestate venit, planctu conclamat vterque
Isthmos, Echionia responsant flebile Theba. lib. 9.

Ad hunc Statij & IV. & V. locum videbis Placidi Lactantij interpretationem. Tradunt de his præter alios Vitruuius præfat. & eius interpretes. Lucianus περὶ γυμνασίων. Plutarchus in Theseo & Sympoliacis. Pausanias passim. Vtilissimum erit Pollucem adire lib. III. cap. XXX. περὶ ἀγωνοθετῶν καὶ ἀγώνων, περὶ γυμνικῶν ἀγώνων, καὶ μουσικῶν. περὶ δρόμου γυμνικοῦ, σταδίου, ἀφετηρίας, καὶ τῶν ὁμοίων, περὶ παλαιστῶν, περὶ πυγμῆς, καὶ πύκτου, περὶ πεντάθλου ἀλτικοῦ, καὶ δισκευτοῦ, περὶ νικητοῦ. περὶ τῶν ἱερῶν ἀγώνων, quod propriè huc pertinet. περὶ γυμναστικοῦ χωρίου, γυμνασίου, καὶ τῶν περὶ αὐτά. Recentiores Brodæus & Opsopæus ad Archiæ primum Epigramma. Faber in Agonisticis, Mercurialis de re Gymnastica. Franciscus Portus ad Pindarum. Ego hic ex antiquis & Græcis in Pindarum explanationibus pauca tradam, quæ primum paucis verbis generatim tractant de omnibus, postea speciatim de Isthonijs: Ita ergo αἱ ἐξηγήσεις παλαιαί: ἐτελοῦντο μὲν οἱ παλαιοὶ πάντες ἀγῶνες ἐπὶ τισι τετελευτηκόσιν. ἐτελεῖτο γὰρ ὁ μὲν ὀλυμπιακὸς, τῷ Διὶ διὰ τὸν Πέλοπα· ὁ δὲ Πυθικὸς, τῷ Ἀπόλλωνι διὰ τὸν νεμεακὸς κατά τινας τῷ ἡρακλῆ ὑπ' αὐτοῦ ἐπὶ τῇ τοῦ λέοντος ἀναιρέσει. ὁ δὲ Ισθμικὸς οὗτος τῷ Ποσειδῶνι. ἔστι δὲ ἡ ἱστορία. ἰνοῦς καὶ Ἀθάμαντος παῖδες λέαρχος καὶ μελικέρτης. τὸν μὲν δὴ λέαρχον μανεὶς ὁ Ἀθάμας ἀπέκτεινεν. εἶτα ἡ μήτηρ αὐτοῦ κα-

καθῆκεν αὐτὸν εἰς λέβητα ὕδατος ζεστοῦ. Μανεῖσα δὲ καὶ αὐτὴ τὸ τελευταῖον ἥλατο μετὰ τοῦ μελικέρτου εἰς θάλασσαν, καὶ ἐγένετο μὲν ἡ Ἰνὼ, μία τῶν Νηρεΐδων, ἣ καὶ ὁ ποιητὴς μέμνηται. ἔστι δὲ αὕτη λευκοθέα. ὁ δὲ μελικέρτης μετεπλήθη εἰς δαίμονα. ἔστι δὲ οὗτος ὁ παλαίμων χορεύουσαι τείνην πετὰ αἱ Νηρεΐδες ἐπεφάνησαν. τῷ Σισύφῳ καὶ * ἐκέλευσαν εἰς τιμὴν τοῦ μελικέρτου ἄγειν τὰ Ἴσθμια. Quæ mecum sic intelligas: *Omnia antiqua certamina olim faciebant super mortuis quibusdam. Nam Olympia Iouis propter Pelopen sunt instituta. Pythia Apollini propter draconem, qui Pytho vocabatur, occisum. Nemea Herculi, qui Leonem (in silua Nemea) consecerat. Isthmia autem hac Neptuno, de quibus ita fertur: Athamanti & Ino erant liberi gemini, Learchus & Melicertes. Learchi pater Athamas in rabiem actus occidit, quem mater Ino in feruentem misit lebetem, & ipsa in furorem acta, demum cum Melicerta in mare desilijt. Inoque vna ex Nereidibus, cuius apud poëtam mentio, Deo Leucothea facta: Melicerta verò in deum mutatus dictus est Palamon.*

* ἐκέλευσεν lege ἐκέλευσαν.

Alij aliter rem narrant: sed hæc de Isthmijs sufficiunt.

GRAECORVM TEMPORARIA INGENIA) Qui suo more annuunt ἐξ ἐπιπόλου ad fortunæ nutum parenti, leues semper & perfidi. Cicero pro Flacco: *Testimoniorum religionem & fidem nunquam ista ratio coluit.* Euripides ipse de suis Græcis:

πιστὸν Ἑλλὰς οἶδεν οὐδέν: *Gracia nihil fidum nouit.*

LIBERTATE GRAECIAE) Nam à Græcis summus belli Imperator contra Persas antea erat * designatus, vt Græciam à barbaris Persis in libertatem vindicaret. Præsertim colonias Græcorum trans Hellespontum in * Ionia sitas, & à Persis subactas. Lacedæmonij tamen se eximi voluère ab Alexandro, cùm se non sequi aliorum ductum, sed præire, & ducere alios consuesse dicerent. De hac Græcorum legatione ita Diodorus: *Amphictiones autem in Gracia legatos XV. qui auream coronam rei benè gesta pramium Gracia nomine afferebant, partamq; victoriam gratulatentur, ad Alexandrum mittere decreuerunt.*

* Arrianus li. 1. post proemium. Iustin l. 11. ipso initio. Curt. l. 4. cap. 1.
* Lib. 17.

FIDEM PAVLO ANTE) En leuitatem Græcorum fortunæ flatus spectantes. Cretenses certè, vt suprà narrauit, modò Lacedæmonios hostes Alexandri, modò Macedones, qui priores occupassent, sequebantur. Diodorus quoque tradit Græcos Persis studentes ad Memnonis plerasque insulas inter Achaiam & Asiam iacentes recipientis famam erectos, de nouandis rebus consultasse.

Cap. 4.

IPSE REX OBIBAT VRBES) In Syria & Palæstina, Gazam & Hierosolymam, vt mox docebo.

CALAS PAPHLAGONIAM) Quomodo inuasit Calas Paphlagoniam, cùm antea pareret Alexandro, Curtius: *Iamq; ad vrbem Ancyram ventum erat, vbi numero copiarum inito, Paphlagoniam intrat. Huic iuncti erant Eneti (vnde quidam Venetos trahere originem credunt) omnis hac regio paruit regi, datisq; obsidibus tributum, quòd ne Persis quidem tulissent, pendere ne cogerentur, impetrarunt. Calas huic regioni prapositus est.* Si ergo tota regio Paphlagoniæ paruit regi, quomodo Calas inuasit Paphlagoniam, velut hostilem, cùm antè pareret? An defecerat? vel defectionem moliti erant? Ita est; & hoc suprà tetigit Curtius, cùm scripsit: *Darij pratores, qui pralio apud Issum superfuerant, cum omni manu, qua fugientes secuta erat, assumpta, etiam Cappadocum & Paphlagonum iuuentute, Lydiam reciperare tentabant. Antigonus prator Alexandri Lydia praerat &c.* Calas ergo recepit Paphlagoniam.

Lib. 3. c. 3.
Lib. 4. c. 4.

ANTIGONVS LYCAONIAM) Lycaonia regio Asiæ minoris, medio propè interuallo inter mare Issicum & Ponticum est. Cappadocia propius accedit ad Septemtrionem & Pontum: Paphlagonia proximè, vt prima Ptolomæi, Asiæ tabula spectes. Antigonus * Lydiæ præfectus fuerat. Arrianus Phrygiæ nominat Satrapam. Phrygia, Aeolia, Ionia, Lydia, Magnesia ad oram maris Aegæi, Ionij & Græci colunt.

* Curt. sup. cap. 4.

BALACRVS) Arrianus extremo primo, hunc loco Antigoni auxiliaribus copijs præfectum scribit.

MILETVM) Et Miletus vi occupata fuerat ab Alexandro, cùm in Asiam traijceret, si verus Arrianus, Diodorus, & ipse Curtius: sed recepta per Pharnabazum: sed Memnon ante mortem plerasque insulas receperat, inter quas Chius, Lesbus, Antissa, Methymna, Pyrrha, Eressus, Mythylene, & pleræque Cyclades. Mythylenem Chares Atheniensis occuparat, & duûm millium Persarum præsidio tenebat.

AMPHOTERVS ET HEGILOCHVS) de his dictum lib. 3. c. 3.

INSVLAM INTER ACHAIAM ET ASIAM) Achaiæ regionem Græciæ in Peloponneso Strabo ponit, omnesq; vrbes ordine enumerat, incipitque à Sicyone, Pallene, Aegira &c. Ptolomæus tabula vltima Europæ Achaiam duplicem facit, vnam extra Peloponnesum collocat, eaq; Thebas, Megara & Athenas complectitur: Alteram, quæ propriè Achaia dicitur, intra Pelopōnesum, quæ cum Strabone conuenit. Scylax vrbes Achæis has assignat: Pellenen, Asprum, Aegium, Aegæas, Rypon, Exocherij, Patras, Dynen; traiectus seu præternauigatio *stadiorū* IↃCC. Iam insulæ vtramq; Achaiam & Asiam, quam Hellespontus ab Europa diuidit, sunt hæ (inter quas XII. Cyclades vt numerat Scylax & Strabo. XV. vt Artemidorus) Ceos, Cythnus, Seriphus, Melos, Siphnos, Paros, Naxos, Delos, Rhene, Cinnolas, Prepesynthus, Olearus, Gyaros, Serus, Myconos, Tenos, Andros. Præterea Therasia, Polyegos Scyri, Salamis Aegine, Icaria, Amorgus. Hæ, inquam, omnes, & his plures sunt inter Asiam & Achaiam.

Ad

Ad Græcum verò mare in Asia sitæ sunt: Ephesus, Miletus, Phœnix, Mindus, Halicarnassus, Cnidus, Smyrna, Heraclea, Erythrea, Taulus, & aliæ nobiles ciuitates primæ Asiæ. Contempleris & XXIX. tabulam Ortelij, quæ Græciam & Hellada continet. Plinius libro V. innumeras numerat insulas ante Asiam iacentes. Strabo rursum ante Cariam, Ioniam, Aeolidem, vsque ad Troadem, Con, Samum, Chium, Lesbon, Tenedon. Cap. 31.

TENEDON QVOQVE RECEPTVM, INCOLIS VLTRO VOCANTIBVS, STATVERANT ET CHION OCCVPARE) Hadriani Iunij optima editio & ad M. S. emendata rescribit: *Tenedon quoq; hostium receptaculum, incolis vltro vocantibus.* Nam ante vocem Tenedos, comma duntaxat ponit, vt sequentia ad vocem, *redegerunt*, referantur. Aliter, vt vides Modius: *Tenedon quoq; receptum incolis &c.* Alij* omissis duobus verbis *Et Chion*, ponunt. *Tenedon quoq; hostium receptaculum incolis vltro vocantibus statuerant occupare.* Impudens mendum hoc appellat Glareanus; & verè emendat, adiectis, *Et Chion*, & *statuerunt* ad Chion retrahit. Nam cætera quæ sequuntur, multa ad Chium pertinent, vt legenti statim apparebit. * apud Gymnicũ.

TENEDON) Hanc insulam & vrbem cũ portu in Troade ponit Scylax post Scamandrũ flumẽ patriã Cleostrati Astrologi (estq; post Sigæũ promontorium) dictã alijs Calydnam, alijs Leucophys, de qua Virgilius: AEn. 2.

*Est in conspectu (*Troia) Tenedos notissima fama* * ἀντία τροία, Calaber.
Insula diues opum, Priami dum regna manebant.
Nunc tantum sinus, & statio malè fida carinis.

Celebratur à fano Apollinis Sminthei, à fonte eximio, à Tene. Cicero de Tene, plura III. in Verrem; a Plutarchus, b Diodorus, Pausanias in Phocicis, c Muretus variar. lect. Plinius lib. 5. c. 31. *Extra Hellespontum Sigæo littori adiacet Tenedos, Leucophys dicta.* a Ἰλιακ. b Li. 5. c. 17 eli Var. 12

TENEDON RECEPTVM) Ita Modius; Satin' Latinè? *receptam* dixisset. receptum docet fuisse receptaculum, vt habent omnes editiones præter Rhodianam. Lego: *Tenedon quoq; receptam*. audi, redegerunt in ditionem Alexandri. Statuerant & Chium occupare.

STATVERANT ET CHIVM OCCVPARE) Chius insula in mari Aegæo, colligit in ambitu, si littus legas, stadia nongẽta, hoc est, milliaria Germanica XXVIII. cum semiquadrãte; portum habet, & stationem nauium XXC. capacem, plura Strabo, magnitudine apud Scylacem nona: imperium & hæc olim maris affectabat.

PHARNABAZVS) Iam sæpius mentio Pharnabazi suprà facta. Pharnabazus imperator maris erat, secundum Memnonis mortem. Arrianus idem Curtio narrat. lib. 3. c. vlt. li. 3. 4. & 5. circa principium.

VRBEM) Chion, cognominem insulæ, vt pleræque insulæ vrbes habent cognomines.

NON TAM SVIS VIRIBVS) Præsidium enim insulæ magnum erat XII. triremes, millte & remige instructæ, Persarum custodiæ, Græcorum mercenariorum tria millia.

APOLLONIDI ET ATHENAGORAE) Ducibus defectionis ab Alexandro, vt Arrianus docet; Apollonides Chius erat. His addit Arrianus Aristonicum, Phisinum & Megareum; sed Aristonicũ subijcit etiam Curtius.

APOLLONIDEM ET DVCES) Acidalius addit Athenagoram ipsi Curtio inserendum. Sed plures erant, quos Arrianus ponit, intrà subiectos.

PIRATICI LEMBI) Naues piraticæ non vnum habuêre nomen, aut speciem. Fuêre lembi, lemnunculi, celoces, myoparones, Liburnicæ πλοῖα λῃστρικὰ καὶ λῃστρίδες νῆες. Liuius & Plautus, prædatorias, passim alij, prædonum & piratarum naues appellitant. Liuius tamen bellicos agnoscit lembos, & classes limborum vocat Decad. 5. l. 5. subindè actuarias nominat.

Cæterum lembus propriè nauicula breuis piscatoria est, Marcello auctore seruiunt tamen apud Liuium & Polybium belli quoque vsibus. Cyrenenses inuenére. Fulgentius: *Lembi*, inquit, *nauicula genus velocissima*, quam δρομάδιον dicimus. Est in lembum Soterichum epigramma. Plura Lilius Gyraldus, de nauigijs Baysius.

FORTE ARISTONICVS METHYMNAEORAE TYRANNVS) Prorsus geminum huic errorem narrat Osorius de reb. gestis Emmanuelis.

METHYMNAE TYRANNVS) Methymna ciuitas est in Lesbo insula clarissima, quinq; oppidis inclyta. Scylax: κατὰ ταῦτα ἐςὶ νῆσος, Αἰολὶς, Λέσβος, ἐ. πόλεις ἔχουσα ἐν αὐτῇ τάς δε, Μήθυμναν, Ἄντισσαν, Ἔρεσον, Πύῤῥαν καὶ λιμένα, Μιτυλήνην. λιμένας ἔχουσα δύο. *Secundum hæc loca insula est in Aeolide. Lesbus quinq; oppidis nobilis, Methymna, Antissa, Eresso, Pyrrha, Mitylena, quæ duos habet portus, vti Pyrrha vnũ.* Plinius: Methymnã & Antissam in Macaria ponit, duasq; in vnam coaluisse. Mela, in Troade Lesbos, & in ea quinq; oppida: Antyssa, Pyrrha, Eressus, Ciraua, Mitylene. Magnitudine Scalaci septima est, colligit in circuitu stadia centũ supra mille, milliaria Germanica quatuor & triginta cum sesquiquadrante. Lib. 5. c. 31. Lib. 3. c. 7.

Methymna abũdauit clarissimis viris, Arione Delphino vecto, de quo Herodotus & poetæ. Terpãdro itẽ musico, qui lyram tetrachordon adiectis tribus ἑπτάχορδον fecit, Lesbus autẽ Theophrasto antea Tyrtamo, Pharia, Sappho, Hellanico, & alijs Mitylenæis. Inter Asiam & Lesbũ fuerũt insulæ xx. alijs xL. quas vna voce Hecatonnesũ appellant. De Aristonici nece, & reliquorũ infrà c. XXII.

TYRANNVS) In Lesbo multi fuêre tyranni multis temporibus, quos lacerauit carmine Alcæus; & ipse tyrannidi affinis. Mitylenæi præsertim laborarunt his Rhadamantis Pittaco, Megalagyro, Cleanactida, Myrsilio.

PRIMA VIGILIA) Iam suprà de vigilijs disputatũ est. Prima vigilia incipit cũ ipsa prima hora noctis ineuntis, desinit tertia. omnis enim vigilia tribus finitur horis, tota nox duodecim, vigilijs quatuor.

PHARNABAZVM QVIESCERE)En stratagemá, tanquam feram caueam ingressam, capiunt tyrnnaum. Idem Arrianus narrat, qui quinque nauibus ingressum docet.

CREPIDINI) Terræ, summo litori, proximo mari.

OBIICITVR CLAVSTRVM)A tergo, ne regredi posint.

NVLLO AVSO REPVGNARE) Quod essent multitudine oppressi, capti ducibus Alexandri Amphotero & Hegelocho traduntur.

* transire Lib. 3. HINC MAC.* TRANSIERE MITYLENEM)Chio occupata, ad Lesbum traiecêre, in qua Mitylene, quæ ipsa loco insulæ sæpè ponitur. Claruit maximis viris, quos laudat Strabo.

* Actoris vrbe. Herculis De Tristib. Eleg. 9. Iliad. C. CHARES ATHENIENSIS)*In AEgæo mari*, inquit Mela, *propè Thraciam, Thasos, Imbros, Samothracia &c.* Hanc adijt Ouidius in Pontum exulatum missus:

Fleximus in lauum cursus, & ab Hectoris vrbe*
Venimus in portus Imbria terra tuos.

Scylax in descriptione Thraciæ: Ἴμβρος ἐστὶ νῆσος καὶ πόλις. *Imbros ciuitas est, & insula.* Homerus vt Samon in Thracia, à Samo Ionia distinguat, facit mentionem Ἴμβρου.

μεσσηγὺς τε Σάμοιο καὶ Ἴμβρου.

CAPVT XVIII.

ARGVMENTVM.

Bellum reparat Darius, Bactrianos euocat cum Besso non gratis suspecto.



Arius desperata pace, quam per litteras, legatosq; impetrare posse crediderat, ad reparandas vires, bellumq; impigrè renouandum intendit. Duces ergo copiarum Babylonem conuenire. Bessum quoq; Bactrianorum Ducem quàm maximo posset exercitu coacto, descendere ad se iubet. Sunt autem Bactriani, vt inter illas gentes promptissimi, horridis ingenijs, multumque à Persarum luxu abhorrentibus, siti haud procul Scytharum bellicosissima gente, & rapto viuere assueta, semper in armis erant. Sed Bessus suspecta perfidia, haud sanè æquo animo in secundo se continens gradu regem terrebat. Nam cùm regnum affectaret, proditio, qua sola id assequi poterat, timebatur.

DARIVS DESPERATA PACE) Redit ad intermissam narrationem de literis primùm à Dario missis: deinde responso Alexandri, ex quo cognita Alexandri mente ab omni conditione pacis abhorrentis, nisi Darius cederet regno, & sese dederet Alexãdro. Quod turpe sibi ratus, instaurato bello vltimas tentauit vires.

Li. 4. c. 27. Lib 5. c. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. BESSVM) Prima hic mentio huius tyranni, & proditoris ac percussoris Darij Bactrianorum Dynastæ, de quo infrà copiosè. Quærit Glareanus cur descendere iussus sit ad Darium suspectus proditionis? quia absens magis timebatur, quàm præsens, notandus & coercendus, si quid præsens moliretur: quod non poterat fieri in absente rege tam occupato.

Lib. 6. c. 4. 6. 12. Lib 7. c. 3. 6. 8. 11. 12. 13. vbi captus & cruci affixus. BACTRIANORVM) De his meminit lib. 3. c. 4. Sed libro 7. c. 7. plenius describuntur Bactrianæ terræ &c. Eosdem Strabo non præterit, qui & ipse ingenium terræ calamo depingit.

SVNT AVTEM BACTRIANI HORRIDIS INGENIIS) Tam horridis, vt senes aut ægros canibus vorandos obijciant, quos ἐνταφιαστὰς (sic enim legendum, non ἐνταφιστὰς) quasi vespillones appellant. Itaque intra Bactra omnia plena humanis ossibus spectabantur.

Lib. 11. Lib. 7. c. 18. HAVD PROCVL SCYTHARVM BELLICOSISS. GENTE)Strabo: *Deinceps Bactriana est, & Sogdiana, vltimi sunt Scythæ Nomades.* Curtius infra: *Bactrianos Tanais ab Scythis, quos Europæos vocant, diuidit.* Bactriani bellicosi, vt infrà narrabitur, qui subiecti semel ab Alexandro, mox ab eodem defecerunt, cùm adhuc in eorum ceruicibus staret.

BESSVS IN SECVNDO GRADV)A rege Dario, quærebat regnum ipsum, iam tum suspectus, de quo suo loco cognosces.

CAPVT

CAPVT XIX.

ARGVMENTVM.

Gaza duobus mensibus obsessa tandem cum magno periculo regis expugnatur. Batis prætoris supplicium.



*CAEterùm Alexander quam regionem Darius petijsset, omni cura vestigans, tamen explorare non poterat, more quodam Persarum arcana regum mira cellātium fide: non metus, non spes elicit vocem, qua prodantur occulta: vetus disciplina regum, silentium vitæ periculo sanxerat. Lingua grauius castigatur, quā vllum probrum, nec magnam rem magis sustineri posse credunt ab eo, cui tacere graue sit, quod homini facillimum voluerit esse natura. Ob hanc caussam Alexander omnium, quæ apud hostem gererentur ignarus, vrbem Gazam obsidebat. Præerat ei *Batis eximiæ in regem suum fidei, modicoq́; præsidio muros ingentis operis tuebatur. Alexander, æstimato locorum situ, agi cuniculos iussit, facili ac leui humo acceptante occultum opus: quippe multam harenam vicinum mare euomit, nec saxa, cotesq́;, quæ interpellent specus, obstant. Igitur ab ea parte, quam oppidani conspicere non possent, opus orsus, vt à sensu eius auerteret, turres muris admoueri iubet. Sed eadem humus mouendis inutilis turribus, desidente sabulo, agilitatem rotarum morabatur, & tabulata turrium perfringebat: multiq́; vulnerabantur impunè, cùm idem recipiendis, qui admouendis turribus, labor eos fatigaret. Ergo receptui signo dato, postero die muros corona circundari iussit, ortoq́; Sole, priusquam admoueret exercitum, opem deûm exposcens, sacrum patrio more faciebat. Fortè prætervolans coruus, glebam quam vnguibus ferebat, subitò * omisit: quæ cum regis capiti incidisset, resoluta defluxit. (ipsa autem auis in proxima turre consedit.) Illita erat turris bitumine ac sulphure: in qua alis hærentibus frustra se alleuare * conatus à circumstantibus capitur. Digna res visa, de qua vates * consulerentur, & erat non intactus ea superstitione mentis. Ergo Aristander, cui maxima fides habebatur, vrbis quidem excidium augurio illo portendi, cæterùm periculum esse, ne rex vulnus acciperet. Itaque monuit, ne quid eo die inciperet. Ille quanquam vnam vrbem sibi, quo minus securus Aegyptum intraret, obstare ægrè ferebat, tamen paruit vati, signumq́; receptui dedit. Hinc animus creuit obsessis, egressiq́; porta, recedentibus inferunt signa, cunctationem hostium suam fore occasionem rati. Sed acrius, quàm constantius prælium inierunt: quippe vt Macedonum signa circumagi videre, repentè sistunt gradum. Iamque ad regem prælantium clamor peruenerat, cùm denuntiati periculi haud sanè memor, loricam tamen, quàm rarò induebat, amicis orantibus assūpsit, & ad prima signa peruenit. Quo conspecto, Arabs quidā Darij miles, maius fortuna sua facinus ausus, clypeo gladium tegens, quasi transfuga genibus regis aduoluitur. Ille assurgere supplicem, recipiq́; inter suos iussit. At barbarus gladio strenuè in dextram translato, ceruicem appetit regis: qui exigua corporis declinatione euitato ictu, in vanum manum barbari lapsam amputat gladio, denuntiato in illum diem periculo, vt arbitrabatur ipse, defunctus. Sed (vt opinor) ineuitabile est fatum: quippè dum inter primores promptius dimicat, sagitta ictus est, quam per loricam adactam stantem in humero medicus eius Philippus euellit: plurimus deinde sanguis manare cœpit, omnibus territis, quia* *quàm altè penetrasset telum, *lorica obstante* non *cognouerant: ipse ne oris quidem colore mutato, supprimi sanguinem, & vulnus obligari iussit. Diu antè ipsa signa vel dissimulato, vel victo dolore perstiterat, cùm suppressus paulò antè sanguis medicamento, longius manare cœpit, & vulnus * quod stupens adhuc, dolorem non mouerat, frigente sanguine intumuit. Linqui deinde animo, & submitti genu cœpit: * quem proximi exceptum in castra receperunt. Et Batis interfectum ratus, vrbem ouans victoria repetit. At Alexander nondum percurato vulnere, aggerem, quo mœnium altitudinem æquaret, extruxit, & pluribus cuniculis muros subrūi iussit. Oppidani ad pristinum fastigium murorum nouum exstruxère munimentum: sed ne id*

* Betis

* amisit

* conata

* consuleretur

* nunquam tā altè penetrasse telum, lorica obstante cognouerant. Ita emendatè Acidalius.

* *quo retentus erat*, glossema est proscribendum.

* tepens, recens.

* quum

ne idquidem turres aggeri impositas poterat aquare. Itaque interiora quoq; vrbis infesta telis erant. Vltima pestis vrbis fuit cuniculo subrutus murus, per cuius ruinas hostis intrauit. Ducebat ipse rex antesignanos,& dum incautius subit, saxo crus eius affligitur. Innixus tamen telo nondum prioris vulneris obducta cicatrice, inter primores dimicat, ira quoq; accensus, quod duo in obsidione vrbis eius vulnera acceperat. Batim, egregia edita pugna, multisq; vulneribus confectum deseruerant sui: nec tamen segnius prælium capessebat, lubricis armis, suo pariter atq; hostium sanguine, cùm vndiq; telis circunducto Alexander, aliàs virtutem etiam in hoste miratus; non, vt voluisti, inquit, morieris Bati, sed quidquid in captiuũ inueniri potest, passurum esse te cogita. Ille nõ interrito modò, sed contumaci quoq; vultu intuens regem, nullam ad minas eius reddidit vocem. Tum Alexander: Videtisne obstinatum ad tacendum? inquit, num genu posuit? num supplicem vocem misit? Vincam tamen silētium, & si nihil aliud, certè gemitu interpolabo. Ira deinde vertit in rabiem: iam tũ peregrinos ritus noua subeunte fortuna. Per tales enim spirantis, lora traiecta sunt, religatumq; ad currum, traxere circa vrbem equi, glorιante rege, Achillem à quo genus ipse deduceret, imitatum se esse pœna in hostem capienda. Cecidere Persarum Arabumq; circa decem millia: nec Macedonibus incruenta victoria fuit. Obsidio certè non tam claritate vrbis nobilitata est, quàm geminato periculo regis: qui Aegyptum adire festinans, Amyntam cum decem triremibus in Macedoniam, ad inquisitionem nouorum militum misit. Namque etiam secundis atterebātur tamen copiæ; deuictarumq; gentium militi minor, quàm domestico fides habebatur.

MORE QVODAM PERSARVM ARCANA REGVM MIRA CELANTIVM FIDE) Idem Marcellinus Speculatores & transfugæ subinde venientes repugnantia prodebant. Ideò futurorum incerti, quod apud Persas nemo consiliorum est conscius, præter optimates taciturnos & fidos, apud quos silentij quoque colitur numen. Nec Romani prodebant, quæ in sanctiore senatu de magnis rebus in medio ponebantur. Pompeius testis est. qui ab hoste captus, & rogatus, quid senatus decreuisset, minimum digitum in præsentem focum iniecit; vt regem doceret, frustra à se arcana senatus exquiri, qui paratus esset totum etiam corpus flammis vrere, quàm cõsilia efferre. Certè Valer. Maximus testatur, tam sancto Patrum conscriptorum consilia silentio fuisse custodita, vt multis sæculis nemo senator quicquam enunciârit. Peccatum semel à Q. Fabio Maximo, qui tertium bellum Punicum in senatu decretum P. Crasso nondum senatori in itinere domum rure reuertenti significârat, eoque à Coss. vehementer obiurgatus est. Laudata fides & silentium Papyrij Prætextati matrem fallentis, à Gellio rem totam elegantissimè describente. Laudata & Leæna Atheniensis apud Polyænum, Carthaginienses triginta senatus principes sanctissimè decreta senatus, reticebant.

Lib. 21.
Lib. 11.
Lib. 1. c. 23.
Lib. 8.

VRBEM GAZAM OBSIDEBAT) Γάζα πόλις φοινίκης, inquit Stephanus, περὶ πόλεων τῆς Παλαιστίνης πρὸ τῆς Αἰγύπτου ἐκλήθη καὶ Ἄζα· καὶ μέχρι νῦν Σύροι Ἄζαν αὐτὴν καλοῦσιν ἀπὸ Ἄζονος τοῦ παιδὸς Ἡρακλέους. *Gaza Phœnices ciuitas, nunc Palæstina, quæ iacet in confinio AEgypti. Syri Azan, ab Azone Herculis filio appellant.* Pergit dein Stephanus fabulari, quod huc non pertinet: Strabo breuissimè εἶθ' ὁ τῶν Γαζαίων λιμὴν, πλησίον· ὑπέρκειται δὲ καὶ ἡ πόλις ἐν ἑπτὰ σταδίοις ἔνδοξός ποτε γενομένη, κατεσπασμένη δ' ὑπὸ Ἀλεξάνδρου, καὶ μένουσα ἔρημος. *Deinde Gazæorum portus, & paullò suprà ad septem stadia vrbs, quæ olim illustris fuit, ab Alexandro diruta, nunc * deserta manet.* Sed Gazam nemo melius Arriano oculis subijcit: Ἀπέχει δὲ ἡ Γάζα τῆς μὲν θαλάσσης εἴκοσι μάλιστα σταδίους, καὶ ἔστι ψαμμώδης καὶ βαθεῖα ἐς αὐτὴν ἡ ἄνοδος, καὶ ἡ θάλασσα ἡ κατὰ τὴν πόλιν τεναγώδης πᾶσα. μεγάλη δὲ πόλις ἡ Γάζα ἦν, καὶ ἐπὶ χώματος ὑψηλοῦ ᾤκιστο, καὶ τεῖχος περιεβέβλητο αὐτῇ ὀχυρόν. ἐσχάτη δὲ ᾠκεῖτο ὡς ἐπ' Αἴγυπτον ἐκ Φοινίκης ἰόντι ἐπὶ τῇ ἀρχῇ τῆς ἐρήμου. *Abest Gaza à mari stadia summum viginti, & est ad eam accessus propter arenæ altitudinem difficillimus, & mare iuxta vrbem limosum vndiq;. Vrbs ipsa ampla erat, & in edito colle sita, validisq; mœnibus cincta. * Vltima è Phœnice in Aegyptum euntium ad initium solitudinis posita.* Gazæ prima mentio est Gen. 10. dein sæpius Iudic. 2 Iudas cepit Gazam. Hæc est illa Gaza, cuius portas Samson tulit in verticem montis. Gazæ demùm captus idem est, & exoculatus: recrescente cæsarie occidit spectatores suos Philistæos. Ibidem fuit Dagon templum Philistinorum, Iudic. 16. Reg. 1. c. 5. Fuit Satrapia, vna ex quinque Reg. 1. c. 6.

* Arrianus cõtra Coloniæ ab Alexandro in vrbē deductę vsũ esse ad præsidiũ belli Gaza, contra plerosq; oēs. Plutarchus maximam Syriæ ciuitatem appellat.
* Non ex Aegypto in Phœnicē, vt Causabonus interpretatur, sed è Phœnice in Aegyptum tendenti.

Noua Gaza, siue Maiuma, siue Constantina fuit, portu Gazæ condita, de qua multa Adrichomius. Est & alia Gaza apud Scythas, quam expugnauit, de qua infrà. De Gaza inter Palæstinos qui ijdem Philistæi, Ioseph. Antiquit. lib. 5. c. 10. & 11.

BATIS EXIMIAE IN REGEM SVVM FIDEI) Hic vnus omnium regi suo Dario fidissimus, pessimum operæ pretium ab Alexandro retulit. Sed omnium fortissimè se gessit in vrbe defendenda, Eunuchum Arrianus notat.

MODICO PRAESIDIO MVROS INGENTIS OPERIS TVEBATVR) Arrianus mercenarium ex Arabia conductum à Bati narrat, qui vrbi præsidio esset, magnumque numerum frumenti collectum, vt diuturnæ obsidioni sufficeret.

Acic vnicvlos ivssit) Antiquissimum vsum cuniculorum, seu subterraneorum fossarum fuisse constat ex Heronis vetustissimi scriptoris mechanicis, qui primo capite hæc de cuniculis monet. *Opera precium est autem, eos etiam qui sub terra propè murum agunt cuniculos occultos, profundosque iuxta fundamenta, & non in terra faciem fieri: ut cum hoc hostes deprehenderint, intus e diuerso fodiant, murumque ipsum cum contrà perforauerint, eos, qui cuniculum agunt, fumo & aqua perimant.* A cuniculis animalibus didicere mortales terram effodere. Hero. c.1.

Martialis: *Gaudet in effossis habitare cuniculus antris: Monstrauit tacitas hostibus ille vias.* lib.13 Epig. 9.

Ad quem locum nos plura in commentarijs ad Martialem. * Alij à muris deducunt parum probabili ratione. Cuniculorum exempla leges apud antiquissimum scriptorem Aeneam in Poliocertico de Amasi de Barcæos obsidente: apud Polyænum de Dario Chalcedonem cuniculo capiente. Polybio de Ambracia à M. Fuluio obsessa. Liuium de eadem Thucydide in Platæensi obsidione: * Cæsarem de Biturigibus & Aquitanis, Iosephum de excidio Hierosolymitano. Iterum apud Liuium lib. 4. & 5. de Fidenis & Veijs. Ammian. l. 24. Herodotum Melpomene. Vitruuium, Appianum de bello Mithridatico. Præcepta de cuniculis habes apud Aeneam, Vegetium, Philonem, Lipsium Poliocert. lib. 5. dial. 6. * Stevvechius. Cap. 38. Polyæn. lib. 6. c. 6. Polyb. in fragmētis. Liuius. lib. 8. Dec. 4. * lib. 3. & 7.

Nec saxa, cotesqve) Eleganter hoc, ne interpellent, morentur cuniculos. Aegrè enim saxa & cautes exciduntur. (cotes dixit, vt plostrum, pro plaustrum, capo, pro caupo, notus Vespasiani iocus de Floro, & Flauro) Metallarij tamen effodiunt omnia, vt hodiè in auri, argenti, ferri, plumbi, cupri, stamni lauacris & fodinis. Veget. lib. 4. c 24. Stevvechius ad idem caput.

Desidente sabvlo) Arena cedente molibus turrium: quomodo cuniculos egêre in arenis? Arenas altius effodere, donec ad solidam glebam descenderent; quæ tamen ipsa ex arena, sed concreta iam, & longo æuo durata constabat.

Receptvi) Tuba à pugna & operibus reuocabantur ad castra: mille in omnibus historijs obuia exempla.

Corona circvmdari mvros ivssit) Obseruandum hoc in bellicis narrationibus: aliud esse, vrbem opere & munitionibus circundari, & capere, aliud corona; sæpè occurrent apud Liuium & alios, vrbes primo impetu corona captas. Obsidio enim duplex est, vel diuturna, vt rectè Lipsius distinxit, vel subita. Illa cùm operibus clauditur, & circumuallatur ciuitas: hæc, cum subitò vrbi circumfunditur totus exercitus, vt primo impetu capiatur, vel hostis terreatur, vel distineatur. Poliocert. 1. dial. 4.

Silius: *Mœnia flexa sinu spissa vallata corona Alligat & telis in morem indaginis ambit.*

Et corona sæpè duplex, sæpè triplex erat. Iosephus de bello Iudaico Iotapotam triplici acie circumdatam narrat, duplici peditum, & tertio equitum. Ita Ammianus triplici armatorum corona muros ait circundatos. Cæsar: *Gallorum atque Belgarum eadem est oppugnatio. Hi vbi circumiecta multitudine hominum totis mœnibus, vndique in murum lapides iaci cœpti sunt, murusque defensoribus nudatus, testudine facta portis succedunt.* lib. 2. de bell. Gall.

Sacrvm patrio more faciebat) Paullo clarius Arrianus: Καὶ ἐν τούτῳ θύοντι Ἀλεξάνδρῳ καὶ ἐστεφανωμένῳ τε καὶ κατάρχεσθαι μέλλοντι τοῦ πρώτου ἱερείου κατὰ νόμον &c. *Inter hæc, Alexandro corona capiti imposita, sacrificante cum ipso patrio more primum sacrificium auspicaturus esset.* Habes ergo ritum orto sole regem coronatum, ante alios omnes sacrificasse. Idem suprà docuit id cum multa face fieri solitum. Largiter etiam thus adolebat Alexander, quod à puero consuerat in Macedonia, reprehensus à Leonida, propter sumptus, cum ambabus manibus odores ingereret.

Effigiem vrbis corona obsessæ habes, apud Lipsium Poliocer. lib. 1. Dial. 4.

Devm opem exposcens) Quanto magis hoc decebit Christianos reges, vt summi cæli imperatori prius faciant, quàm res arduas aggrediantur. Plutarchus in vita Alexand.

Forte praevolans corvvs) Arrianus & Plutarchus narrant hoc omen, sed Arrianus pro *gleba*, lapidem ponit, Plutarchus itidem vt Curtius glebam, βῶλον, vocat.

Regis capiti incidit) Plutarchus humeris incidisse tradit. Aeschylus tragicus ita periit, caluus resederat sub dio, Aquila testudinem gestans, delusa splendore caluæ, saxum rata, capiti illisit, ex quo ictu miser interijt. Valerius, Cicero & alij.

Illita erat bitvmine et svlphvre tvrris) Plutarchus νευρίνοις κεκρυφάλοις, neruorum reticulis seu laqueis irretitam tradit in machina considentem, quam Alexander ad vrbem oppugnandam excitarat. Sed cur bitumine & sulphure alimentis ignium illitam? An vt vrbem incenderet? Quomodo turri vrbem incenderet, ex qua pugnabant Macedones? Illitas alumine lego in alijs historijs turres, ne ignem conciperent. Et fortè erat

pulnere

puluere, pro *sulphure*, & *alumine*, pro *bitumine*. Alumine certè illini solæ aduersus ignes Claudius Quadrigarius, cuius reliquias legimus de turri Archelai Athenis, quam Sulla frustra conatus est ignibus soluere: *Tunc Sulla conatus est & tempore* (opere legerim) *magno eduxit copias, vt Archelai turrim vnam, quam ille interposuit ligneam, incenderet. Venit, accessit, ligna subdidit, submouit Græcos. ignem admouit. Satis diu sunt conati, nunquam quiuerunt incendere. Ita Archelaus omnem materiam oblcuerat alumine, quod Sulla & milites mirabantur.* Ammianus: *Machinas Romanorum Persæ exurere vi magna nitebantur, & assidue malleolos, & incendiaria tela torquentes laborabant incassum. Eare, quod humectis scortis & centonibus erant opertæ materiæ plures, aliæ vnctæ alumine diligenter, vt ignis per eas laberetur.*

Claud. Quadrigarius. Lib. 20.

Denique inungendi alumine materias mos inoleuit. Hæc primùm occurrebant de alumine contra bitumen. Sed nescio, an tam viscosum alumen, vt tenere aues posset. Et ea tempestate nondum reor fuisse artificium cognitum, vt proinde nihil in Curtio mutandum putem, præsertim codicibus nouis & antiquis in sulphur & bitumen conspirantibus. Turrim ergo non ex materia, neque mobilem, vt alias, latere coctili, aut lapide factam, bitumine & sulphure, pro cæmento interlitam putarim, tegulasque si prema spice inunctas.

IN QVA ALIS HAERENTIBVS FRVSTRA SE ALLEVARE CONATVS) Vbi hic dictatores criticæ, vbi versus stilus Modij, acetum Acedal ij? An Priscianus hoc ferat? *auis conatus*? Ita certè hic Curtius: *Ipsa autem auis in proxima turre consedit: Illita erat turris bitumine ac sulphure, in qua alis hærentibus frustra se alleuare conatus à circumstantibus capitur.*

Ad Coruum, inquies, refertur *conatus*. Sed interpuncta est oratio, & periodus absoluta, & noua inchoata. Ipsa autem auis &c. *conata*, dicendum erat. Sensit hoc Glareanus, & rescripsit *conata*. Ita quoque Basileensis editio, *conata*, inquam, non *conatus*. Sed si parenthesi locum includas, vti fieri oportuit, salua erit verborum compositio, hoc modo. *Fortè prætervolans &c. resoluta defluxit (ipsa autem auis in proxima turre consedit) illisa &c.*

VATES CONSVLERENTVR) Omen dignum, quod ad vatum responsa referretur, *consuleret* habent nonnulli codices, & Alexandrum, qui consuleret, respicit.

Cap. 18. NON INTACTVS EA SVPERSTITIONE) Sæpè notat Alexandri superstitionem Curtius lib. 7. Itaque qui post Darium victum ariolos & vates consulere desierat, rursus ad superstitionem humanarum mentium ludibrio reuolutus, Aristandrum, cui credulitatem suam addixerat, explorare euentum rerum sacrificiis iubet. Et lib. 4. & lib. 5. aliisque compluribus paginis.

Cap 30. c. 9. ARISTANDER) Frequenter & suprà, & infrà hunc laudat à responsis, & aptè coniectis futuris. Nec Arrianus tacet lib. 1. Ἀρίστανδρος ὁ ἀνὴρ Τελμισσεὺς μάντις: *Aristander verò Telmisseus*, & quæ sequuntur.

De superstitione infra c. 24. copiosè disputatum

FIDES HABEBATVR) Obserua studiose elegantiæ: aliud esse *Fidem habere*, & *adhibere*. Adhibere diligentiam, fidem, hoc est, fidelitatem, curam dicimus. Habere fidem alicui, est credere, non adhibere, quod barbarum est in hoc vsu. Nec mihi laudes corruptum Ciceronis locum è 2. de Diuinatione: *Insanis visis fidem adhibendam*. Sana exemplaria *habendam*, non *adhibendam*, habent.

EXCIDIVM AVGVRIO PORTENDI) Quod gleba soluta in capite regis fuerit, nec occiderit, læsum quidem iri regem, non occisum; perituram vrbem. De auguriis multa Valerius Maximus, & Cicero de Diuinat.

VNAM VRBEM OBSTARE) Erat enim Gaza vltima in Palæstina Aegyptum petentibus.

ANIMVS CREVIT OBSESSIS) Ratis desperatione occupandæ vrbis recedere Macedones, eoque veluti victoribus ausis erumpere.

SIGNA CIRCVMAGI) Primi enim audito Gazæos carpere vltimos, conuersis signis rediêre in prælium.

DENVNCIATI PERICVLI) Ab Aristandro, ne eo die in pugnam descenderet.

LORICAM TAMEN, QVAM RARO INDVEBAT) Vt Iulius Cæsar sæpè sine galea prælium iniuit. Sed erit locus, vbi hos duos semideos inter se licebit ex Appiano & Plutarcho componere.

ARABS QVIDAM) Idem accidit Alexandro in pugna, ad Granicum, quamuis non à transfuga. Iamque Spitridates in Alexandrum altè à tergo securim sustulerat, cum Clitus Dropidis filius securi in eius humerum adacta, brachium ei descidit.

Idem ferè Plutarchus.

TRANSFVGA) Nunquam fidendum Ignotis, præsertim partium suarum desertoribus, & hoc Arabis factum, & infinita aliorum docent. Qui perfidus in suos est, hunc fidum alienis putas?

MANVM IN VANVM LAPSVM) Frustratam ictu suo, quam occupauit Alexander periculo maturè animaduerso. Et hoc primum regis erat ad Gazam periculum, sibi ab Aristandro ratus denunciatum, & declinatum.

SED

SED INEVITABILE EST FATVM.) Verè Euripides: In Rheso.

οὐκ ἂν δύναιο τοῦ πεπρωμένου πλέον.

Haut plus fato possis. Cicero 2. d c. ex Græcis versu: *Quod * fore paratum est, summum exuperat Iouem.* Paterculus lib. 2. Sed profectò ineluctabilis fatorum vis, cuius cum fortunam mutare constituit, consilia corrumpit. De Cæsaris nece locutus. Sæpè recurrit locus hic communis de fato, nec opus conscribere senteotias auctorum de fato, leges licet secundum Cic. de diuin, & lib. de fato. * an, forte

PHILIPPVS) Acarnam medicus, de quo copiosè libro priore.

STVPENS ADHVC) *Tepens*, legit Acidalius: nec tameo ego *recens* damnarim, cum vtriusque sit eadem vis: illa verò *quo retentus erat*, & ego cum vtroque, & omnes cordati mecum proscribent.

LINQVI ANIMO) Deficere, exanimari, copia sanguinis maiore profusa, & λιποθυμίαν pati.

BATIS) Præfectus Gazæ. *Betis* alij codices, & Iunianus.

AD PRISTINVM FASTIGIVM) Murorum Gazæ altius quidem, & altum sublatum imposito nouo muro super superiorem, necdum tamen poterat æquare turrium ab Alexandro in aggere positarum altitudinem, ex quibus tela in vrbem torquebant.

CVNICVLO SVBRVTVS) Cuniculum suprà fodimus. Carò stetit Alexandro capta Gaza duobus vulneribus acceptis, & periculo cædis insuper adito.

BATIM) Virtus, constantia, mors Batidis prætoris & supplicia. Batim Iunianus

NVM GENV POSVIT) Vt veneratus Alexandrum veniam peteret. Maior fuit Alexandro in hoc victus Batis victore.

INTERPOLABO) Gemitus & clamores exprimam nolenti.

PER TALOS) Achilleum supplicium, quo Hectorem affecerat Achilles. Sed Achillem Alexander vicit crudelitate: ille eoim mortui talos traiecit, à curru suspendit, & circum mœnia raptauit, hic per adhuc spirantis talos lora traiecit, circumque vrbem traxit. De Hectore Homerus.

Ἦ ῥα, καὶ Ἕκτορα δῖον ἀεικέα μήδετο ἔργα, Iliad. 10.
Ἀμφοτέρων μετόπισθε ποδῶν τέτρηνε τένοντε,
Ἐς σφυρὸν ἐκ πτέρνης, βοέους δ' ἐξῆπτεν ἱμάντας,
Ἐκ δίφροιο δ' ἔδησε, κάρη δ' ἕλκεσθαι ἔασεν.

Et quæ ibidem sequuntur; quæ è verbo hoc dicunt.

Dixit: & in Hectorem diuum indigna molitus est opera,
Amborum pone pedum perforauit neruos
Ad talum à calce, bubulaq; appendit lora.
Ex curru autem ligauit, caputque trahi siuit.

Addit dein Homerus, quomodo Hectorem circum mœnia Troiæ raptarit, quæ tute leges. Virgilius eleganter, vt omnia, expressit: 2. Aen.

In somnu ecce ante oculos mœstissimus Hector
Visus adesse mihi, largosq; effundere fletus
Raptatus bigis, vt quondam, aterq; cruento
Puluere, perq; pedes traiectus lora tumentes. &c.

Idem primo Aen. *Ter circum Iliacos captauerat Hectora muros.*

Plura super his Dictys Cretensis lib. 3. de excidio Troię. Callimachus lib. 22. Iliad. Propertius El. 8. l. 2. Ouid. 2. Am. El. 1. Hom. Il. 4. Cic. 1. Tusc. Schol. Homeri 22. Iliad. Pentadius, Alij.

GLORIANTE REGE ACHILLEM, A QVO GENVS IPSE DEDVCERET, IMITATVM SE ESSE POENA IN HOSTEM CAPIENDA) Genus maternum accipe. nam paternum ex Hercule suprà collocatum, traxit. De materno Pausanias: *Apud Athenienses Pyrrhi etiam conspicitur effigies, cui cum Alexandro M. sola generis propinquitas intercessit.* Nam Pyrrhus Aeacida Aribbæ filio: Olympiade verò Neoptolemi filia Alexander genitus est. Neoptolemo & Arybbæ pater fuit Alcetas Tharypi F. à Tharypo autem retro ad Pyrrhum Achillis F. quindecim sobolis gradus numerantur. Is enim primus Ilio exciso, omisso io Thessaliam reditu, in Epirum appulit, atque ibi Heleni monitu consedit: Cui cum nulla ex Hermione proles esset, ex Andromache tres suscepti filij, Molossus, Piellus & natu minimus Pergamus. Pyrrhi filiu Pielus, Molossus & Pergamus. Pieltus mansit in Epiro, à quo posteritas Alexandri, & regum Epiri. Velleius: *A quo Magnus Alexander cum fuerit 17. Iure materni generis Achille auctore, paterni Hercule gloriatus est.* Et vt Alexander, ita posteri Philippus & Perses vltimi Macedonum reges apud Silium & Propertium.

lib. 1. Att. Tharypus Alcetas Aribbas, Neoptolemus. Aeacidas Pyrrhus Olympias Alexander.

Hic gente egregius, veterisq; ab origin regni
Aeacidum sceptris, proauoq; tumebit Achille.

Propert: *Et Persen proaui simulantem pectus Achillis*
Quiq; tuas proauus fregit Achille domos.

Plu-

Plutarchus in Pyrrho: Genus Achillis à Thesprotis & Molossis deriuat, quorum principem facit à mundi eluuione Phaethontem, quem ait cum Pelasgo in Epirum commeasse. Alij in Molossis Deucalionem & Pyrrham concedisse tradunt. Neoptolemus Achillis filius populum in Epirum duxit, à quo posteri regis Pyrrhidæ dicti. Post primos reges à Pyrrho, cæteri in obscuritate latuere, cùm propter barbariem, tum quod nihil dignum æuo gessissent, vsque ad Thorribam Alcetæ patrem, Alcetes creauit Aryban, hic Aeaciden, Aeacidæ Pyrrhus, is qui primus Romanis extra Italiam bellum fecit.

NEC MACEDONIBVS INCRVENTA VICTORIA FVIT) Nam & ipse rex geminum vulnus accepit, vt Batis seu Betis mortuum putarit, & in ipsa vrbe iam occupata conglobati hostes acerrimè restitêre, vt auctor est Arrianus.

Ioseph. lib. 11. Antiq.] AEGYPTVM ADIRE FESTINANS) Prius tamen Hierosolymam diuertit euertendæ vrbis, vti minatus erat, cùm ad Tyrum sederet, & auxilia, forumque venale negaret Iaddus pontifex, nec tributum, quod Dario pendebant, vellent viuo Persa Macedoni pendere. Solicitus ergò Iaddus pontifex, preces populo & ieiunia indixit, vti Deus regis inflammati iram componeret, vrbique propitiaret, quod factum esse copiosè Iosephus describit. Idem in Olympiadum serie docetur.
Scal. ad Euseb. p. 372. Παραστησάμενος δὲ ταύτην, ἐπὶ τὴν Ἱεροσολύμων πόλιν παραγίνεται, καὶ ἀνελθὼν ἐπὶ τὸ ἱερὸν θύει μὲν τῷ θεῷ κατὰ τὴν τοῦ ἱερέως ὑφήγησιν, αὐτὸν δὲ τὸν ἱερέα ἀξιοπρεπῶς ἐτίμησε. *Subacta Tyro Hierosolymam contendit, & templum conscendens Deo litat ex præscripto Sacerdotis: ipsum porro sacerdotem summo honore affecit.* Idem Zonaras in Alexandro scriptum reliquit. Sed hi omnes ex Iosepho sua decerpsere: ex paganis
lib 12. c. 25. nullum cognoui, qui idem exponeret: ex contemtu credo, gentis, post Christi necem omnium gentium ludibrio propinatæ. Et qui hodie de Alexandro leguntur, omnes post Christum, Hierosolyma euersa, scripsere. Plinius tamen Alexandrum res in Iudæa gessisse (dum de balsamo scribit) affirmat. Magnus ille Rhetor & Rector, Ecclesiæ Carthaginiensis, iuxtaque purpuratus Christi testis Cyprianus, Alexandrum M. ab Iabdo ait sibi significatum Deos omnes priscorum homines fuisse.
*ex Minutij Felicis Octauio. Iaddum quidem non exprimit, sed sacerdotem communi nomine appellat Alexander epistola ad Matrem Olymp. Verba Cypriani sunt: *Hoc ita esse * Alexander M. insigni volumine ad matrem suam scribit, metu suæ potestatu proditum sibi de Dijs hominibus à sacerdote secretum, quod maiorum & regum memoria seruata sit, inde colendi & sacrificandi ritus inoleuerit.* Genebrardus hæc omnino ad Iaddum refert. Sed Athenagoras tradit Memphi, Thebis & Heliopoli hæc Alexandrum ab AEgyptijs sacerdotibus didicisse, vti & Herodotus, & disertò D. Augustinus: *Qua inquit Alexander*
De ciu. c. 5. l. 8. *Macedo scripsit ad Matrem sibi à magno antistite sacrorum Aegyptiorum quodam Leone patefacta.*

AMYNTAM CVM DECEM TRIREMIBVS) Idem Diodorus: Hic Amyntas fuit Andremonis filius. Alter, olim prætor Alexandri & transfuga, Antiocho natus erat, qui post cladem Issicam
lib. 5. c. 22. lib. 4. c. 3. Aegyptum petijt, ibidemque perijt, vt suprà demonstratum est, moxque infrà nominatur cap. 20.
lib. 6. c. 24. Hic Amyntas Andremonis postea reus coniurationis factus, fratribus Syma & Polemone absolutus est. Est & tertij Amyntæ mentio accusatoris Philotæ, quem Curtius etiam prætorem appellat
lib. 7. c. 1. lib. 6. c. 17. lib. 6. c. 16. Alexandri. Est & quarti, qui consorinus fuit Alexandri, & in eum coniurauerat in Macedonia. Hæc monui, ne tuam tot Amyntæ confunderent memoriam.

NAMQVE ETIAM SECVNDIS ATTEREBANTVR TAMEN COPIAE) Optima Iunij editio ita emendat. *Namque prælijs etiam secundis atterebantur copiæ.* Sed neque priorem damno, & propè similiorem Curtio, breuitatem, qua sæpè transilit, quæ quisque per se addenda nouit.

CAPVT XX.

ARGVMENTVM.

Ægypto expugnata Hammonis Iouis sedem cum magno periculo adit. Eiusdem loci descriptio.



Egyptij olim Persarum opibus infensi: quippe auarè & superbè imperitatum sibi esse, ad spem aduentus eius erexerant animos: vtpotè qui Amyntam quoque transfugam, & cum precario imperio venientem læti recepissent. Igitur ingens multitudo Pelusium, quà intraturus rex videbatur, conuenerat. Atque ille septimo die postquam à Gaza copias mouerat, in regionem AEgypti, quam nunc castra Alexandri vocant, peruenit. Deinde

de pedestribus copijs Pelusium petere iussis, ipse cum expedita delectorum manu Nilo amne vectus est. Nec sustinuere aduentum eius Persæ defectione quoque perterriti. Iamque haud procul Memphi erat, in cuius præsidio Astaces prætor Darij relictus, Oron amne superato, octingenta talenta Alexandro, omnemque regiam suppellectilem tradidit. A Mēphi eodem flumine vectus, ad interiora Aegypti penetrat, compositisque rebus, ita vt nihil ex patrio Aegyptiorum more mutaret, adire Iouis Hamonis oraculum statuit. Iter expeditis quoque & paucis vix tolerabile ingrediendum erat: terra cæloque aquarum penuria est: steriles harenæ iacent: quas vbi vapor solis accendit, feruido sole exurente vestigia, intolerabilis æstus exsistit: luctandumque est non tantum cum ardore & siccitate regionis, sed etiam cum tenacissimo sabulo, quod præaltum & vestigio cedens ægrè moliuntur pedes. Hac AEgyptij verò maiora iactabant. Sed ingens cupido animum stimulabat adeundi Iouem: quem generis sui auctorem, haud contentus mortali fastigio, aut credebat esse, aut credi volebat. Ergo cum ijs, quos ducere secum statuerat, secundo amne descendit ad Mareotim paludem. Eo legati Cyrenensium dona attulere: pacem, & vt adiret vrbes suas, petentes. Ille donis acceptis, amicitiaque coniuncta, destinata exsequi pergit. Ac primo quidem & sequenti die tolerabilis labor visus: nondum tam vastis nudisque solitudinibus aditis; iam tamen sterili & emoriente terra. Sed vt aperuêre se campi alto obruti sabulo, haud secus quàm profundum æquor ingressi, terram oculis requirebant. Nulla arbor, nullum culti soli occurrebat vestigium. Aqua etiam defecerat, quam vtribus cameli deuexerant, & in arido solo ac feruido sabulo nulla erat. Ad hac, sol omnia incenderat, siccaque & adusta erant ora: cùm repentè, siue illud deorum munus, siue casus fuit, obducta cælo nubes condidere solem, ingens æstu fatigatis, etiamsi aqua deficeret, auxilium. Enimuero vt largum quoque imbrem excusserunt procellæ, pro se quisque excipere eum, quidam ob sitim impotentes sui, ore quoque hiante captare cœperunt. Quatriduum per vastas solitudines absumtum est. Iamque haud procul oraculi sede aberant, cum complures corui agmini occurrunt, modico volatu prima signa antecedentes: & modò humi residebant, cum lentius agmen incederet, modo se pennis leuabant, antecedentium, iterque monstrantium ritu. Tandem ad sedem consecratam Deo ventum est. Incredibile dictu, inter vastas solitudines, ita vndique ambientibus ramis vix in densam vmbram cadente sole, contecta est: multique fontes dulcibus aquis passim manantibus alunt siluas. Cæli quoque mira temperies, verno tempori maximè similis, omnes anni partes pari salubritate percurrit. Accolæ sedis sunt ab oriente proximi AEthiopiam, meridiem versus Arabes, Troglotidis nomen est: horum regio vsque ad rubrum mare excurrit, at quà vergit ad occidentem, alij AEthiopes colunt, quos Symuos vocant: à septentrione Nasamones sunt, gens Syrtica nauigiorum spolijs quæstuosa. quippe obsident litora, & æstu destituta nauigia notis sibi vadis occupant. Incolæ nemoris, quos Hāmonios vocant, dispersis tugurijs habitant: medium nemus pro arce habent, triplici muro circundatum. Prima munitio Tyrannorum veterem regiam clausit, in proxima coniuges eorum cum liberis & pellicibus habitabant: hic quoque Dei oraculum est. Vltima munimenta satellitum, armigerorumque sedes erant. Est & aliud Hammonis nemus: in medio habet fontem, Solis aquam vocant: sub lucis ortum tepida manat: medio die, cuius vehementissimus est calor, frigida eadem fluit: inclinato in vesperam, calescit: media nocte feruida exæstuat: quòque nox propius vergit ad lucem, multum ex nocturno calore decrescit, donec sub ipsum diei ortum assueto tepore languescat. Id quod pro deo colitur, non eandem effigiem habet, quam vulgò dijs artifices accommodauerunt. Vmbilico tenus arieti similis est, habitus smaragdo & gemmis coagmentatus. Hunc, cum responsum petitur, nauigio aurato gestant sacerdotes: multis argenteis pateris ab vtroque nauigij latere pendentibus. Sequuntur matronæ virginesque, patrio more inconditum quoddam carmen canentes, quo propitiari Iouem credunt, vt certum edat oraculum. Ac tum quidem regem propius adeuntem, maximus natu è sacerdotibus filium appellat, hoc nomen illi parentem Iouem reddere affirmans. Ille verò & accipere se ait, & agnoscere, humanæ sortis oblitus: consuluit deinde, an totius orbis imperium fatis sibi destinaret pater. Vates æquè in adulationem compositus, terrarum omnium rectorem fore ostendit. Posthæc institit quærere, an omnes parentis sui interfectores pœnas dedissent. Sacerdos parentem eius negat vllius scelere posse violari: Philippi autem omnes interfectores luisse supplicia. Adiecit, inuictum fore donec excederet ad deos. Sacrificio deinde

deinde facto, dona & sacerdotibus, & deo data sunt, permissumque amicis, vt ipsi quoque consulerent Iouem. Nihil amplius quæsiuerunt, quàm, An auctor esset sibi diuinis honoribus colendi suum regem. Hoc quoque acceptum fore Iouis vates respondit, vt ipsi victorem regem diuino honore colerent. Verè, & salubriter æstimanti fidem oraculi, vana profectò responsa videri potuissent. Sed fortúna, quos vni sibi credere coegit, magna ex parte auidos gloriæ magis quam capaces facit. Iouis igitur filium se non solùm appellari passus est, sed etiam iussit: rerumque gestarum famam dum augere vult, tali appellatione corrupit. Et Macedones assueti quidem regio imperio, sed in maiore libertatis vmbra, quam cæteræ gentes, immortalitatem contumacius, quàm aut ipsis expediebat, aut regi, auersati sunt. Sed hæc suo quæque tempori reseruentur, nunc cætera exsequi pergam.

AEGYPTII) Quam elegans & nobilis fabula de aduentu Alexandri ad Iouem Hammonem & Aegyptum sit ficta & propagata, cognosces apud Pierium: nobis verum scribere curæ.

lib. 1. p. 5. OLIM INFENSI) Iam pridem obseruandus hic vsus vocis vulgari elegantior, quamquam præsens, præteritum & futurum tempus signet, eisdemque iungatur, & sæpè incertum: sæpè nec aduerbium quidem Temporis est, sed idem valet, quod *fere, vt solet*, vt Seruius ad Virgilium docet. Hic valet, *Iam diu, iam longo tempore, dudum ante, Iampridem* &c.

lib 17. OLIM OFFENSI) Hoc affirmat Diodorus anno 5. Alexandri. *Aegyptij enim*, inquit, *quod à Persis multa impiè in sacra sua commissa fuerant, crudeleq; illorum imperium esset, læto animo Macedones susceperunt.* Sed idem signatè de Cambyse Persæ, duce Cambyse rege, qui Aegyptum armis subegit, annis centum triginta quinque (tenuerunt) quorum insolentiam, crudelitatemque, atque in Deos patrios impietatem damnãtes, Aegyptij ab eis postea desciuerũt. Postremi Macedones, & quę seq. Quæ porrò Cambysem caussa impulerit vt AEgyptijs bellum faceret, tradit in Thalia Herodotus, vbi Amasis defuncti corpus à Cambyse ait prolatum, verberibus cæsum, vellicatum, & stimulis compunctum. Idem vt Iustinus primo volumine exponit, Apis, cæterorumq; Deorum templa diruit. Idem Strabo li. 17. πολλὰ τεκμήρια τῆς Καμβύσου μανίας καὶ ἱεροσυλίας ὃς τὰ μὲν πυρὶ, τὰ δὲ σιδήρῳ διελωβᾶτο τῶν ἱερῶν ἀκρωτηριάζων καὶ περικαίων, καθάπερ καὶ ὀβελίσκους:

Post Cambysem Persæ tenuerunt AEgyptum annos cxii. vsque ad Darium Nothum Artaxerxis filium. Recessit tamen ante à Dario Hystaspis F. Olymp. LXXIII. Sed post quadriennium per Xerxem recepta est Olymp. LXXIV. Defecit iterum à Dario Notho anno regni xi. Olymp. xci. anno III. Recepit Ochus Rex Persarum Olym. cvii. anno III. pulso inde Nectanebo in AEthiopiam, vt alij, in Macedoniam, vnde fabula nata de Olympiade & dracone, quod Nectanebus magicam exercuerit. Sed iam natus erat Alexander olymp. cvi. anno I. Septem annis prius quàm Nectanebus ex AEgypto fugeret. AEgyptum Persis extrusit Alexander Olymp. cxii. anno II. Macedones tenuerunt ad Cæsarem Augustum annos CCXCV. Augustus in formam prouinciæ redegit.

Diodor. lib. 17. PRECARIO IMPERIO) Se à Dario missum mentitus erat, sed tamen quia Græcus, non Persa erat, læti eum receperunt, vt Curtius ait: secus alij. Nam ab incolis cæsum narrant nouas res molientem. Alij à Persis duce Mazæo circumuentum.

PELVSIVM) Prima vrbs Aegyptum ingressuris occurrit, de qua Geographi. Prolixè verò Strabo libro vltimo, à luto πηλῷ, dictum ait Pelusium.

SEPTIMO DIE) Eundem Arrianus numerum ponit.

CASTRA ALEXANDRI) Locus & regio, nomen retinuit à positis ab Alexandro ibidem ca-
lib. 1. Cap. 2 stris. Osorius: *Vnde per loca, quæ accolæ Carabathmum, haud procul à castris Alexandri Magni &c.*

lib. 17. PELVSIVM PETERE IVSSIS) Pelusium est ciuitas AEgypti proxima freto ab oriente ex Syria nauigantibus, à qua pontus Pelusiacus cognominatur. Situs ita se habet, vt Strabo depingit: Nilus ex Aethiopia à meridie, versus septentrionem fluens, vno primum alueo instar fasciæ, postquam ad verticem peruenit, funditur in duo ostia, dextrum & sinistrum, quæ ita inter se recedunt,

Aegypti forma



vt literam Delta efficiant. Pelusiacum occupat dextrum latus, Canopicum sinistrum, vtrumque exoneratur in mare, cuius basis absoluit literam Δ, & ab vno ad alterũ ostium cõplectitur CIƆ CCC stadia, hoc est, quadraginta milliaria Germanica, cum paullò amplius dimidio, superant enim stadia viginti. Pelusium eo loco fuit, quo nunc est Damiata; Clauem Aegypti vocat Suidas, Robur AEgypti S. Hieronymus, quia portum munitissimum habet, Marcellinus a Peleo Achillis patre conditore, tradit dictum Pelusium. l. 22. Scylax geographorum antiquissimus, nec adhuc latinè translatus, AEgyptum securi componit: ἔστι δὲ ἡ Αἴγυπτος τοιάδε τὴν ἰδέαν ὁμοία πελέκει. ἔστι γὰρ κατὰ θάλασσαν πλατεία, κατὰ δὲ μεσογείαν στενωτέρα, κατὰ δὲ Μέμφιν στενωτάτη αὐτῆς. ἔπειτα δὲ εἰς μεσογείαν ἀπὸ Μέμφεως ἰόντι πλατυτέρα καὶ δὲ τὸ ἀνώτερον αὐτῆς πλατυτάτη. *Est autem Aegyptus forma seu figura similis securi lata quà mare attingit (in basi) angustior in meditullio, angustissima iuxta Memphin. Deinde à Memphi in medium Aegyptum eunti latior occurrit, ac demum (ad mare pergenti) latissima.* Alexander ergò per Pelusiacum Nili alueum ascendit, & per Canopicum descenditq; à quo haud

procul,

procul, molitus est Alexandriam. Canopicus sinus Africam, Pelusiacus Asiam spectat, à vertice ad Pelusiacum ostium CCLV. M.P. sunt ad Canopicum CXLVI. M. Basis Plinio est centum septuaginta millia passuum, id est milliaria 42. cum semisse, sic vt quatuor millia passuum pro vno miliari cōputes. Idem ferè docent alij Geographi. Mela breuissimè. Pelusium Arabiæ ipsas oras secat. Copiæ pedestres à castris Alexandri Pelusium vsque terra profectæ sunt. Alexander aqua peruenit, vrbemque occupauit, & præsidio imposito mox aduerso Nilo Memphim petijt. Vbi vertex Delta est: Plinius lib. 5. c. 9. p. 97.

Memphis,

Pelusium, △ Canopus.

ADVENTVM EIVS PERSAE) qui id temporis Aegyptum præsidijs tenebant. Aegyptij primum suis paruere regibus, mox Caldæis, tum Persis, iterum Aegyptijs, demum Macedonibus, quos Romani vicere. Hodiè parent Turcis.

HAVD PROCVL MEMPHI) Erat tum caput Aegypti, de qua satis multa ad primum Epigramma Martialis dicta sunt. Mela inter viginti millia vrbium Aegypti Sayn & Memphim ponit cum Syene, Bubarte, Elephantide, & Thebis Hecatompyla.

ASTACES) Supra prætor vrbis Mempheos nominatus est Mazaces seu Mazeces. An Astaces fuit totius Aegypti præses, Mazaces tantum vrbi Præfectus? an interim extinctus est Mazaces?

OCTINGENTA TALENTA) quadringenta octoginta millia Philippeorum. Iunij codex tantum ponit octoginta talenta, haud dubiè mendosè, cùm antiquissimus codex Augustanus S. Vdalrici, & MS. Constantiensis etiam numerent octingenta.

DEFECTIONE QVOQVE PERTERRITI) Audito quippè aduentu Alexandri desciuerunt Aegyptij ad Græcos & Macedones à Persis, quos propter dura imperia oderant. Itaque Aegyptum totam sine prælio recepit.

ORON AMNE SVPERATO) Iunij scriptura est sine amnis nomine. Extra ordinem versus est. *Oxion* & *Oxo* locus affectus nomen verum perdidit, vetustissimus tamen codex Augustanus S. Vdalrici nomen præfert, quod Modius posuit *Oron*. Galerani editio *Oxio* amne legit, Argentina vetus eodem modo. MS. Constantiensis *Oron*.

A MEMPHI) Arrianus tradit Alexandrum descensu facto priusquam Memphin venlret, Heliopolin ex itinere adijsse, relicto ad dextram Nilo, quod verum esse testantur literæ Alexandri ad Olympiadem matrem, quibus exponit, quid cum Leone Sacerdote Aegypti, vt est apud Augustinum, de Dijs suis paganorum contulerit & cognorit; meros olim homines fuisse, vt supra docuimus; copias tamen ait à Nilo non discessisse, sed noctu Memphin petijsse, tum deinde secundum Alexandrum, indeque secundo flumine descendisse ad alterum portum Canopicum, lustrataque palude Mareotide inter mare, & paludem nactum insulam, vdi condiderit Alexandriam, de qua plura infra cum Curtio. Lib. 3. l. 8. de ciui. c. 5. De eisdem lit. Minutius Felix in Octauio. Cyprianus, alij quos supra legisti.

A MEMPHI EODEM FLVMINE VECTVS) Aduerso: nam à meridie ex Aethiopia in Septentrionem properat, atque in mediterraneum mare euoluitur.

INTERIORA AEGYPTI) Non vltra Hammonis ædem contendit.

COMPOSITISQVE REBVS AEGYPTI) Præsidibus vrbium, locorum, & regionum designatis, quos infra indigetat.

IOVIS HAMMONIS) Hic prima est mentio Iouis Hammonis, sed oraculum, sedem, fontem, nemora, infra vbertim describit, in quo loco non crimus pisces.

ITER VIX TOLERABILE) Hoc rerum scriptores, terrarum mensores, Geographi, Poetæ, naturæ exploratores, Arrianus Herodotus, Strabo, Plinius, Mela, Solinus, Lucanus, Seneca, alijque testantur. Præter hos Seneca de Cambyse signatè narrat, quam malè expeditio illi Aethiopica cesserit. *Tale aliquid passi forent, inquit, Aethiopes, qui ob longissimum vitæ spacium Macrobij appellantur. In hos enim, quia non supinis manibus exceperant seruitutem, missisq, legatis, libera responsa dederant, qua contumeliosa Reges vocant, Cambyses fremebat, & non prouisis commeatibus, non exploratis itineribus, per inuia, per arentia trahebat omnem bello vtilem turbam: cui intra primum iter deerant necessaria, nec quicquam subministrabat sterilis & inculta, humanoq, ignota vestigio regio. Sustinebant famem primo tenerrima frondium & cacumina arborum, tum coria igne mollita, & quidquid necessitas cibum fecerat. Postquam inter arenas radices quoque & herba defecerunt, apparuitq, inopi etiam animalium solitudo, decimum quemque sortiti, alimentum habuere fame sæuius. Agebat adhuc ira Regem præcipitem, cum partem exercitus amisisset, partem comedisset: donec timuit ne & ipse vocaretur ad sortem, tum demum signum receptui dedit. Seruabantur interim illa generosa aues, & instrumenta epularū camelis vehebantur, cum sortirentur milites eius quis malè periret, quis peius viueret. Hic iratus fuit genti, & ignota, & immerita, sensura tamē.* Hæc Seneca ex Herodoti Thalia descripsit, & quodammodo interpretatus est. Iustinus compendio: *Ad Hammonis quoque nobilissimum templum expugnandum exercitum mittit, qui tempestatibus & arenarum molibus oppressus interijt.* Plutarchus idem quod Herodotus: sed addit, L. M. fuisse arenis ex Cambysis copijs oppressa. Sed quid est, quod Alexandrum mouit ad tam periculosum iter, cum illic nullum haberet hostem. Ferè idem respondēt omnes: Curtius imprimis, quod Iouem Hammo- Herod. lib. 1. ccl33. ccl33. ccl33. ccl33. ccl33. 50000.

P nem

simam sextam debuerit esse in Macedonia, vt fabula aliquam speciem veri accipiat. Eusebii Pamphili χρονικὸς κανὼν rectè ponit Νεκτανεβῶνα Olymp. 103. cœpisse regnum; octo annos tenuisse. ergo centesima quinta Olymp. potuit venisse in Macedoniam. Alexander Olymp. 106. anno primo natus est.

Eusebius. Hic Ochus Aegyptum cum copijs ingressus, viuo adhuc Patre Artaxerxe, vel vt alii tradunt, post mortem patris Aegyptum occupauit, Nectenabo vel in Aethiopiam, vt quidam, vel in Macedoniam vt alij prodidere, vbi Olympiadem per magicas artes deceptam inijt, & ex illa Alexandrum, multorum sententia Hammonis Iouis filium, suscepit. Eusebius Latinus factus tamen Nectanebum in Aethiopiam pulsum scribit Olymp. 107. anno tertio, cum Alexander iam septimum agitaret annum. Diodorus anno 4. Olymp. 107. Itaque fabula est de Olympiade, credita tamen ex aliorum rationibus, immo & Scipio, & Augustus, & Galenus, vt Aurelius Victor in Galerio Armentario narrat, ita nati feruntur. De Scipione ex Liuio & Silio docui: de Augusto
* CXCIV. Suet. * Asclepiades Meneletes affirmat. At iam matrem Augusti idem passam in Apollinis sacris, eoque Augustum voluisse Apollinis filium videri, sed tam fuit Apollinis filius Augustus, quam Hammonis Alexander, vt Africanus Iouis, inquit, Lævinus. Poëticum ergo potius figmentum credas, quam historiam, vt illud carmen Antipatri

Βουκόλος ἔπλεο φοῖβε ποσειδάων δὲ καβάλλης
Κύκνος Ζεὺς. Αμμων δ᾽ ἀμφιβόητος, ὄφις.
Neptunus quadrupes factusque es Phœbe bubulcus,
Ammon clare draco, Iuppiter albus olor.

Hæc de fabula ad similitudinem veri quoque modo efficta. In historia Alexandri pertexitur
Luc. in Alexand. Pseudomant. vsque ad cædem Nectanebi magi, quem, vt Tiberius suos Mathematicos Rhodi, ex rupe præcipitem deturbauit. Fabulæ occasionem præbuit, vt & Plutarchus animaduertit, & Lucianus expertè docet.

Nam illi (Macetidi mulieri) patria erat Pella, qui locus olim floruit sub Macedonicis Regibus, nunc à paucis, iisque obscuris & humilibus colitur. Ibi cum conspicerent immani magnitudine dracones placidos admodum ac mansuetos, adeò vt à mulieribus alerentur, & cum pueris vnà cubarent, & calcantes ferrent, neque commouerentur, si quis stringeret premeretque. Denique perinde atque infantes lac de papilla sugerent, (nam sunt id genus apud illos permulti) vnde verisimile est olim illam de Olympiade fabulam increbuisse, cum Alexandrum conciperet, huiusmodi dracone quopiam opinor, cum ea concumbente, mercati sunt ex his serpentibus vnum qui esset pulcherrimus, obolu sanè paucis, & quæ sequuntur.

HAVD CONTENTVS MORTALI FASTIGIO) Hoc maximè ostendit principes ac purpuratos, aliosque Græcos Macedonum, caussamque præbuit primum Hegillocho, dein Philotæ & Parmenioni conspirandi in necem Alexandri, vt Curtius infra lib. 6. c. 20. ostendit. Et lib 8. c. 4 Clitus cum à mensa abstraheretur. *Et ad vltimum*, inquit, *Iouis, quem patrem sibi Alexander assereret, oraculum eludens, veriora se Regi, quam patrem eius respondisse dicebat* Rursum eod. lib. Hermolaus reg. *Tu* (inquit c. 15.) *Philippum Patrem auersaris, & si quis Deorum ante Iouem haberetur, fastidires etiam Iouem. Miraris si liberi homines superbiam tuam ferre non possumus?* Athenienses, vt est apud Athenæum, Demadem decem talentis multarunt, quòd illis persuadere conaretur, vt Alexandrum pro Deo colerent: Aelianus centum multatum ait. Lacedæmonij iussi tertium decimum agnoscere Deum, ex Dijs Alexandrum decreuerunt. Ἀλέξανδρος ἐπεὶ βούλεται θεὸς εἶναι, ἔστω θεός. *Alexander quoniam vult Deus esse, esto Deus.*

AVT CREDEBAT ESSE, AVT CREDI VOLEBAT.) Ego tam stultum nunquam fuisse existimo Alexandrum, vti se ipsum crederet Ioue satum, sed hoc credi volebat ad aliorum Regum superbam & stultam imitationem; vel vt sibi famam diuinitatis conciliaret apud barbaros, quo facilius ipsos suo imperio subijceret. Sic enim apud Lucianum se patri purgat apud inferos. *Neque verò nesciueram, pater, Philippi Amyntæ me esse filium: sed quia ad res gerendas sic mihi visum erat conducere, commento hoc vsus sum vaticinij.* Et mox infra, *Non illhuc, sed barbaros in mei admirationem*
Lib. 8. in respon. ad Hermolai orationem c. 16. *tractos facilius hoc prætextu nostro subdidimus imperio: cum nemo vnus viribus nostris adhuc restiterit, quippè hac sola opinione ducti, quod aduersus Deum sibi esset præliandum* Idem excusat apud Curtium infra. *Vtinam Indi quoque Deum esse me credant. Fama enim bella constant, & sæpè etiam quod falsò creditum est, veri vicē obtinuit.* Fassus idem est se mortalem eod. lib. vulneratus. *Cæterum cum crus saucium penderet, & cruore siccato frigescens vulnus aggrauaret dolorem, dixisse fertur: se quidem Iouis filium dici, sed corporis ægri vitia sentire.* Et apud Plutarchum Τοῦτο μὲν ὦ φίλοι τὸ ῥέον αἷμα, καὶ οὐκ ἰχώρ.

——οἷός πέρ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσι.

Hic, amici, inquit, sanguis non est talis.

——*dijs vt solitus manare beatis.*

Dioxippus Atheniensis (vt narrat Aristobulus Cassandrinus apud Athenæum.) quinquertio,

cùm

cùm vulneratus esset Alexander, manantè sanguine, hoc fertur dixisse, non ipse Alexander *ἰχὼρ οἷόσπερ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσι.* Aelianus lib. 9. c. 37. aliter tradit, *τῶ μέν τοι θεῶ ἡμῶν ἐν ζωμοῦ ῥοφήμασι αἱ ἐλπίδες κεῖνται: Nostro Deo spes sita est in cochlearis sorbitione.*

Elegans dictum addit Plutarchus Alexandri in Anaxarchum Sophistam, qui tonante Immaniter Ioue interrogarat Alexandrum: *μὴ σὺ τοιοῦτον ὁ τοῦ Διός; nunquid tale potes quid tu fili Iouis?* respondisse tradit Alexandrum subridentem: *Nolo,* inquit, *formidolosus esse, sicut tu me vis, amicus, qui cœnam fastidis meam, quod pisces videas in mensis, non satraparum capita apposita.* Idem Satyrus in vitis refert apud Athenæum de Alexandro Eudæmonico Philosopho, vno ex assentatoribus Alexandri. Athenæus lib. 6. p. 251.

ERGO CVM IIS QVOS DVCERE SECVM STATVERAT.) Aelianus & Plutarchus tradunt spacium Alexandriæ condendæ captum ab Alexandro, priusquam ad Hammonem proficisceretur, relictamque magnam manum ad moliendam vrbem, dum ipse peteret oraculum, iussamque operi instare. Curtius, Siculus, & Iustinus post reditum ab Hammone: Ego designatam prius reor, postea perfectam. Sumpsit in comitatum secum copias suas cum camelis, qui dona Ioui, vtresque aquarum ferebant ad leuandam sitim.

SECVNDO AMNE.) Nam aduerso per Pelusiacum portum ascenderat Memphin vsque, vbi reliquit Nilum ad dextrum cum nauibus, ipse Heliopolin & vrbes eo loci sitas occupauit. Dein traiecto flumine, Memphin adijt, inde cum classe per alterum Nili alueum descendit ad Canopicum sinum, circumuectus Mareorim, qui locus est instar maris, & multis palus, multis mare appellatur. Vbi locum vrbi delegit inter vtrumque mare, Mareoticum inquam, & AEgypticum, quod claudit Δίλτα, vt mox infra doceo. A Pelusio ad verticem Δίλτα, sunt stadia octingenta quadraginta, hoc est, milliaria Germanica XXVI. & duobus stadijs minus semisse. Ab Alexandria ad eundem verticem milliaria Germanica XXIII. cum duobus stadijs minus semisse. Septingenta quinquaginta Artemidoro teste, vt est apud Strabonem lib. 17.

MAREOTIM PALVDEM) Strabo in descriptione Alexandriæ de Mareotide: *Duo maria locum (designatum pro Alexandria) vndique alluunt, alterum à Septentrione, quod AEgyptium dicitur; alterum à Meridie, quod Marea lacus, & Mareotis appellatur. Eum Nilus multis fossis, tum è superioribus partibus, tum à lateribus actis, implet.* Idem lacus autem Mareæ latitudinem habet supra centum stadia, hoc est, triginta milliaria nostratia cum octaua parte, longitudinem infra trecenta, quæ nouem milliaria nostratia efficiunt, cum sesquiquadrante, si iustè sint trecenta. Stephanus: *περὶ πόλεων* ΜΑΡΕΙΑ *πόλις καὶ λίμνη τῇ Ἀλεξανδρείᾳ παρακειμένη: ἡ καὶ Μαρεῶτις λέγεται, ἀφ' ἧς καὶ Μαρεώτης οἶνος. Marea ciuitas & lacus est, Alexandriæ adiacens, & Mareotis dicitur, vnde vinum Mareoticum.*

LEGATI CYRENENSIVM) Diodorus Siculus Cyrenenses tum demum narrat occurrisse, cum dimidium itineris iam ad Hammonem confecisset: *κατὰ μέσην δὲ,* inquit, *τὴν ὁδὸν ἀπήντησαν αὐτῷ πρέσβεις παρὰ Κυρηναίων στέφανον κομίζοντες καὶ μεγαλοπρεπῆ δῶρα, ἐν οἷς ἦγον ἵππους πολεμιστὰς τριακοσίους καὶ πέντε τέθριππα τὰ κράτιστα. Quumque iam itineris dimidium progressus esset, Cyrenensium legati ei occurrerunt, coronam & munera ampla apportantes, in quibus erant equi bellatores trecenti, & firmissima quadriga beia quina.* Iunxit cum his amicitiam Alexander, dein iter prosecutus est. Arianus Memphi auditos, ait, priusquàm descenderet ad Mareorim. Iam quæris qui fuerint Cyrenenses? Cyrenaica hodie Marmarica regio à Cyrene vrbe regia nuncupata, Pentapoleos nomine insignis fuit, quod quinque nobilissimas ciuitates contineret, Bereniceen, Arsinoen, Ptolomaida, Apolloniam & Cyrenen. Liber populus multis antè sæculis, demum Macedonibus ac post hos Romanis subiecti, definitur prouincia ab occasu, Syrti magna & Africa. A Septentrione Libyco pelago, ab ortu solis Marmoricæ parte: à Meridie desertis Libyæ. Plinium adi lib. 4. c. 5. Sallust. bell. Iug. c. 79. Solinum, Strabonem, Iustinum l. 13. & alios.

De Cyrenensibus plurima Herodotus Melpomene.

Ptolomæus tab. 4. Africæ.

AC PRIMO QVIDEM ET SEQVENTI DIE) Quæro quot dierum iter fuerit à Mareotide lacu ad Hammonis templum? Variant etiam hoc auctores. Plinius à Memphi ad Hammonem XII. dierum iter ponit. Diodorus inter arenas Alexandrum ait, hæsisse octo dies, primis quatuor diebus vsum aqua à camelis deuecta, reliquis quatuor cœlesti imbre adiutum, postea Ducibus coruis venisse ad regionem habitatam. Plutarchus non distinguit iter. Arrianus ex Aristobulo docet Alexandrum primis diebus iter haud procul à mari Parætonio fecisse per regionem non omnino siccam, stadijs mille sexcentis, hoc est, quinquaginta milliaribus Germanicis, quando triginta duo stadia vnum ex nostratibus conficiunt. Dein Aristobulus affirmat petijsse Alexandrum Mesogabam, vbi Oraculum est Hammonis, per regionem omnino sterilem, fabuloque impeditam, & aquæ inopem, sed cœlestibus aquis effusis recreatum esse exercitum. Strabo à Parætonio ad Hammonem numerat stadia CIↃ. CCC. milliaria quadraginta cum semisse & octaua.

lib. 5. c. 5. lib. 17.

QVI ALTO OBRVTI SABVLO) Præclarè Lucani carmine hic totus Curtij locus illustratur. li. 9. Pharsaliæ.

Tum quoque Romanum solito violentius agmen
Aggreditur, nullusq; potest consurgere miles,
Instabilis raptis etiam quas calcat arenis.

PRIMA VIGILIA) Iam suprà de vigilijs disputatū est. Prima vigilia incipit cū ipsa prima hora noctis ineuntis, desinit tertia. omnis enim vigilia tribus finitur horis, tota nox duodecim, vigilijs quatuor.

PHARNABAZVM QVIESCERE) En stratagemá, tanquam feram caueam ingressam, capiunt tyrnnaum. Idem Arrianus narrat, qui quinque nauibus ingressum docet.

CREPIDINI) Terræ, summo litori, proximo mari.

OBIICITVR CLAVSTRVM) A tergo, ne regredi possint.

NVLLO AVSO REPVGNARE) Quod essent multitudine oppressi, capti ducibus Alexandri Amphotero & Hegelocho traduntur.

* transire Lib. 3. HINC MAC.* TRANSIERE MITYLENEM) Chio occupata, ad Lesbum traiecêre, in qua Mitylene, quæ ipsa loco insulæ sæpè ponitur. Claruit maximis viris, quos laudat Strabo.

* Actoris vrbe. Herculis. CHARES ATHENIENSIS) *In Ægæo mari*, inquit Mela, *propè Thraciam, Thasos, Imbros, Samothracia &c.* Hanc adijt Ouidius in Pontum exulatum missus:

De Trist. lib. Eleg. 9. *Fleximus in lævum cursus, & ab* * *Hectoris vrbe*
Venimus in portus Imbria terra tuos.

Iliad. C. Scylax in descriptione Thraciæ: Ἴμβρος νῆσος καὶ πόλις. *Imbros ciuitas est, & insula.* Homerus vt Samon in Thracia, à Samo Ionia distinguat, facit mentionem Ἴμβρου.

μεσσηγὺς τε Σάμοιο καὶ Ἴμβρου.

CAPVT XVIII.

ARGVMENTVM.

Bellum reparat Darius, Bactrianos euocat cum Besso non gratis suspecto.



Arius desperata pace, quam per litteras, legatosq́ impetrare posse crediderat, ad reparandas vires, bellumq́ impigre renouandum intendit. Duces ergo copiarum Babylonem conuenire, Bessum quoq́ Bactrianorum Ducem quàm maximo posset exercitu coacto, descendere ad se iubet. Sunt autem Bactriani, vt inter illas gentes promptissimi, horridis ingenijs, multumq́ue à Persarum luxu abhorrentibus, siti haud procul Scytharum bellicosissima gente, & rapto viuere assueta, semper in armis erant. Sed Bessus suspecta perfidia, haud sanè æquo animo in secundo se continens gradu regem terrebat. Nam cùm regnum affectaret, proditio, qua sola id assequi poterat, timebatur.

DARIVS DESPERATA PACE) Redit ad intermissam narrationem de literis primùm à Dario missis: deinde responso Alexandri, ex quo cognita Alexandri mente ab omni conditione pacis abhorrentis, nisi Darius cederet regno, & sese dederet Alexãdro. Quod turpe sibi ratus, instaurato bello vltimas tentauit vires.

Li. 4. c. 27. Lib. 5. c. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. BESSVM) Prima hic mentio huius tyranni, & proditoris ac percussoris Darij Bactrianorum Dynastæ, de quo infrà copiosè. Quærit Glareanus cur descendere iussus sit ad Darium suspectus proditionis? quia absens magis timebatur, quàm præsens, notandus & coercendus, si quid præsens moliretur: quod non poterat fieri in absente rege tam occupato.

Lib. 6. c. 4. 6. 12. Lib. 7. c. 3. 6. 8. 11. 12. 13. BACTRIANORVM) De his meminit lib. 3. c. 4. Sed libro 7. c. 7. plenius describuntur Bactrianæ terræ &c. Eosdem Strabo non præterit, qui & ipse ingenium terræ calamo depingit.

vbi capius & cruci affixus. SVNT AVTEM BACTRIANI HORRIDIS INGENIIS) Tam horridis, vt senes aut ægros canibus vorandos obijciant, quos ἐνταφιαστὰς (sic enim legendum, non ἐνταφιστὰς) quasi vespillones appellant. Itaque intra Bactra omnia plena humanis ossibus spectabantur.

Lib. 11. Lib. 7. c. 18. HAVD PROCVL SCYTHARVM BELLICOSISS. GENTE) Strabo: *Deinceps Bactriana est, & Sogdiana, vltimi sunt Scythæ Nomades.* Curtius infra: *Bactrianos Tanais ab Scythis, quos Europæos vocant, diuidit.* Bactriani bellicosi, vt infrà narrabitur, qui subiecti semel ab Alexandro, mox ab eodem defecerunt, cùm adhuc in eorum ceruicibus staret.

BESSVS IN SECVNDO GRADV) A rege Dario, quærebat regnum ipsum, iam tum suspectus, de quo suo loco cognosces.

CAPVT

CAPVT XIX.

ARGVMENTVM.

Gaza duobus mensibus obsessa tandem cum magno periculo regis expugnatur. Batis prætoris supplicium.

*ÆTerùm Alexander quam regionem Darius petijsset, omni cura vestigans, tamen explorare non poterat, more quodam Persarum arcana regum mira celãtium fide: non metus, non spes elicit vocem, qua prodantur occulta: vetus disciplina regum, silentium vitæ periculo sanxerat. Lingua grauius castigatur, quã vllum probrum, nec magnam rem magis sustineri posse credunt ab eo, cui tacere graue sit, quod homini facillimum voluerit esse natura. Ob hanc caussam Alexander omnium, quæ apud hostem gererentur ignarus, vrbem Gazam obsidebat. Præerat ei * Batis eximia in regem suum fidei, modicoq́ præsidio muros ingentis operis tuebatur. Alexander æstimato locorum situ, agi cuniculos iussit, facili ac leui humo acceptante occultum opus: quippe multam harenam vicinum mare euomit, nec saxa, cotesq́, quæ interpellent specus, obstant. Igitur ab ea parte, quam oppidani conspicere non possent, opus orsus, vt à sensu eius auerteret, turres muris admoueri iubet. Sed eadem huius mouendis inutilis turribus, desidente sabulo, agilitatem rotarum morabatur, & tabulata turrium perfringebat: multiq́ vulnerabantur impunè, cùm idem recipiendis, qui admouendis turribus, labor eos fatigaret. Ergo receptui signo dato, postero die muros corona circundari iussit, ortoq́ Sole, priusquam admoueret exercitum, opem deûm exposcens, sacrum patrio more faciebat. Fortè prætervolans coruus, glebam quam vnguibus ferebat, subitò * omisit: quæ cum regis capiti incidisset, resoluta defluxit. (ipsa autem auis in proxima turre consedit.) Illita erat turris bitumine ac sulphure: in qua alis hærentibus frustra se alleuare * conatus à circunstantibus capitur. Digna res visa, de qua vates * consulerentur, & erat non intactus ea superstitione mentis. Ergo Aristander, cui maxima fides habebatur, vrbis quidem excidium augurio illo portendi, cæterùm periculum esse, ne rex vulnus acciperet. Itaque monuit, ne quid eo die inciperet. Ille quanquam vnam vrbem sibi, quo minus securus Aegyptum intraret, obstare ægrè ferebat, tamen paruit vati, signumq́ receptui dedit. Hinc animus creuit obsessis, egressiq́ porta, recedentibus inferunt signa, cunctationem hostium suam fore occasionem rati. Sed acrius, quàm constantius prælium inierunt: quippe vt Macedonum signa circumagi videre, repentè sistunt gradum. Iamque ad regem præliantium clamor peruenerat, cùm denuntiati periculi haud sanè memor, loricam tamen, quàm rarò induebat, amicis orantibus assũpsit, & ad prima signa peruenit. Quo conspecto, Arabs quidã Darij miles, maius fortuna sua facinus ausus, clypeo gladium tegens, quasi transfuga genibus regis aduoluitur. Ille assurgere supplicem, recipiq́ inter suos iussit. At barbarus gladio strenuè in dextram translato, ceruicem appetit regis: qui exigua corporis declinatione euitato ictu, in vanum manum barbari lapsam amputat gladio, denuntiato in illum diem periculo, vt arbitrabatur ipse, defunctus. Sed (vt opinor) ineuitabile est fatum: quippè dum inter primores promptius dimicat, sagitta ictus est, quam per loricam adactam stantem in humero medicus eius Philippus euellit: plurimus deindè sanguis manare cœpit, omnibus territis, quia* quàm altè penetrasset telum, lorica obstante non cognouerant: ipse ne oris quidem colore mutato, supprimi sanguinem, & vulnus obligari iussit. Diu antè ipsa signa vel dissimulato, vel victo dolore perstiterat, cùm suppressus paulò antè sanguis medicamento, longius manare cœpit, & vulnus * quod stupens adhuc, dolorem non mouerat, frigente sanguine intumuit. Linqui deinde animo, & submitti genu cœpit: * quem proximi exceptum in castra receperunt. Et Batis interfectum ratus, vrbem ouans victoria repetit. At Alexander nondum percurato vulnere, aggerem, quo mœnium altitudinem æquaret, extruxit, & pluribus cuniculis muros subrui iussit. Oppidani ad pristinum fastigium murorum nouum exstruxêre munimentum: sed*

* Betis
* amisit
* conata
* consuleretur
* nunquam tã altè penetrasse telum, lorica obstante cognouerant. Ita emendatè Acidalius.
* *quo retentus erat*, glossema est proscribendum.
* tepens, recens.
* quum

 ne id

ne id quidem turres aggeri impositas poterat æquare. Itaque interiora quoq; vrbis infesta telis erant. Vltima pestis vrbis fuit cuniculo subrutus murus, per cuius ruinas hostis intrauit. Ducebat ipse rex antesignanos,& dum incautius subit,saxo crus eius affligitur. Innixus tamen telo nondum prioris vulneris obducta cicatrice,inter primores dimicat, ira quoq; accensus,quod duo in obsidione vrbis eius vulnera acceperat. Batim,ęgregia edita pugna, multisq; vulneribus confectum deseruerant sui: nec tamen segnius prælium capessebat , lubricis armis,suo pariter atq; hostium sanguine,cùm vndiq; telis circunducto Alexander, aliàs virtutem etiam in hoste miratus;non,vt voluisti,inquit,morieris Bati, sed quidquid in captiuũ inueniri potest,passurum esse te cogita. Ille nõ interrito modò, sed contumaci quoq; vultu intuens regem,nullam ad minas eius reddidit vocem.Tum Alexander:Videtisne obstinatum ad tacendum?inquit,num genu posuit?num supplicem vocem misit?Vincam tamen silẽtium, & si nihil aliud,certè gemitu interpolabo. Ira deinde vertit in rabiem:iam tũ peregrinos ritus noua subeunte fortuna.Per tales enim spirantis, lora traiecta sunt , religatumq; ad currum, traxere circa vrbem equi.gloriante rege , Achillem à quo genus ipse deduceret, imitatum se esse pœna in hostem capienda.Cecidere Persarum Arabumq; circa decem millia: nec Macedonibus incruenta victoria fuit. Obsidio certè non tam claritate vrbis nobilitata est, quàm geminato periculo regis:qui Aegyptum adire festinans,Amyntam cum decem triremibus in Macedoniam,ad inquisitionem nouorum militum misit. Namque etiam secundis atterebãtur tamen copiæ; deuictarúmq; gentium militi minor , quàm domestico fides habebatur.

MORE QVODAM PERSARVM ARCANA REGVM MIRA CELANTIVM FIDE) Idem Marcellinus Speculatores & transfugæ subinde venientes repugnantia prodebant. Ideò futurorum incerti, quod apud Persas nemo consiliorum est conscius, præter optimates taciturnos & fidos , apud quos silentij quoque colitur numen. Nec Romani prodebant,quæ in sanctiore senatu de magnis rebus in medio ponebantur.Pompeius testis est.qui ab hoste captus, & rogatus, quid senatus decrésset, minimum digitum in præsentem focum iniecit;vt regem doceret , frustra à se arcana senatus exquiri,qui paratus esset totum etiam corpus flammis vrere,quàm cõsilia efferre. Certè Valer.Maximus testatur,tam sancto Patrum conscriptorum consilia silentio fuisse custodita,vt multis sæculis nemo senator quicquam enunciârit. Peccatum semel à Q. Fabio Maximo , qui tertium bellum Punicum in senatu decretum P. Crasso nondum senatori in itinere domum rure reuertenti significârat,eoque à Coss. vehementer obiurgatus est. Laudata fides & silentium Papyrij Prætextati matrem fallentis, à Gellio rem totam elegantissimè describente. Laudata & Leæna Atheniensis apud Polyænum,Carthaginienses triginta senatus principes sanctissimè decreta senatus,reticebant.

Lib. 21.
Lib. 11.
Lib. 1.c.23.
Lib. 8.

VRBEM GAZAM OBSIDEBAT) Γάζα πόλις φοινίκης,inquit Stephanus,περὶ πόλεων νῦν δὲ Παλαιστίνης πρὸ τῆς Αἰγύπτου ἐκλήθη καὶ Ἄζα· καὶ μέχρι νῦν Σύροι Ἄζαν αὐτὴν καλοῦσιν ἀπὸ Ἄζονος τοῦ παιδὸς Ἡρακλέους. *Gaza Phœnices ciuitas, nunc Palæstina, quæ iacet in confinio AEgypti. Syri Azan, ab Azone Herculis filio appellant.* Pergit dein Stephanus fabulari,quod huc non pertinet:Strabo breuissimè εἶθ' ὁ τῶν Γαζαίων λιμὴν πλησίον ὑπέρκειται δὲ καὶ ἡ πόλις ἐν ἑπτὰ σταδίοις ἔνδοξός ποτε γενομένη, κατεσπασμένη δ' ὑπὸ Ἀλεξάνδρου, καὶ μένουσα ἔρημος. *Deinde Gazæorum portus, & paullò suprà ad septem stadia vrbs, quæ olim illustris fuit,ab Alexandro diruta,nunc * deserta manet.* Sed Gazam nemo melius Arriano oculis subijcit : Ἀπέχει δὲ ἡ Γάζα τῆς μὲν θαλάσσης εἴκοσι μάλιστα σταδίους, καὶ ἔστι ψαμμώδης καὶ βαθεῖα ἐς αὐτὴν ἡ ἄνοδος, καὶ ἡ θάλασσα ἡ κατὰ τὴν πόλιν τεναγώδης πᾶσα. μεγάλη δὲ πόλις ἡ Γάζα ἦν, καὶ ἐπὶ χώματος ὑψηλοῦ ᾤκιστο, καὶ τεῖχος περιεβέβλητο αὐτῇ ὀχυρόν. ἐσχάτη δὲ ᾤκεῖτο ὡς ἐπ' Αἴγυπτον ἐκ Φοινίκης ἰόντι ἐπὶ τῇ ἀρχῇ τῆς ἐρήμου. *Abest Gaza à mari stadia summum viginti,& est ad eam accessus propter arenæ altitudinem difficillimus , & mare iuxta vrbem limosum vndiq;. Vrbs ipsa ampla erat,& in edito colle sita, validuq; mœnibus cincta.* Vltima e Phœnice in Aegyptum euntium ad initium solitudinis posita.* Gazæ prima mentio est Gen. 10. dein sæpius Iudic.2. Iudas cepit Gazam. Hæc est illa Gaza, cuius portas Samson tulit in verticem montis.Gazæ demùm captus idem est, & exoculatus: recrescente cæsarie occidit spectatores suos Philistæos. Ibidem fuit Dagon templum Philistinorum, Iudic.16.Reg.1.c.5.Fuit Satrapia,vna ex quinque Reg. 1. c.6.

Noua Gaza,siue Maiuma,siue Constantina fuit,portu Gazæ condita,de qua multa Adrichomius. Est & alia Gaza apud Scythas,quam expugnauit,de qua infrà. De Gaza inter Palæstinos qui ijdem Philistæi, Ioseph. Antiquit.lib.5.c.10.& 11.

* Arrianus cõtra Coloniæ ab Alexandro in vrbe deductę vsũ esse ad præsidiũ belli Gaza, contra pleresq; oẽs. Plutarchus maximam Syriæ ciuitatem appellat.
* Non ex Aegypto in Phœnicẽ, vt Causabonus interpretatur, sed è Phœnice in Aegyptum tendenti.

BATIS EXIMIAE IN REGEM SVVM FIDEI) Hic vnus omnium regi suo Dario fidissimus,pessimum operæ pretium ab Alexandro retulit. Sed omnium fortissimè se gessit in vrbe defendenda,Eunuchum Arrianus notat.

MODICO PRAESIDIO MVROS INGENTIS OPERIS TVEBATVR)Arrianus mercenarium ex Arabia conductum a Bati narrat, qui vrbi præsidio esset,magnumque numerum frumenti collectum,vt diuturnæ obsidioni sufficeret.

Aeic vnicvlos ivssit) Antiquissimum vsum cuniculorum, seu subterraneanum fossarum fuisse constat ex Heronis vetustissimi scriptoris mechanicis, qui primo capite hæc de cuniculis monet. *Opera precium est autem, eos etiam qui sub terra propè murum aguntur cuniculos occultos, profundosque iuxta fundamenta, & non in terra faciem fieri: ne cum hoc hostes deprehenderint, intus e diuerso fodiant, murumque ipsum cum contrà perforauerint, eos, qui cuniculum agunt, fumo & aqua periment.* A cuniculis animalibus didicere mortales terram effodere. Hero. c. 1.

Martialis: *Gaudet in effossis habitare cuniculus antris:* lib. 13 Epig. 9.
Monstrauit tacitas hostibus ille vias.

Ad quem locum nos plura in commentarijs ad Martialem. * Alij à muris deducunt parum probabili ratione. Cuniculorum exempla leges apud antiquissimum scriptorem Aeneam in Poliocertico de Amalide Barcæos obsidente: apud Polyænum de Dario Chalcedonem cuniculo capiente. Polybio de Ambracia à M. Fuluio obsessa. Liuium de eadem Thucydide in Platæensi obsidione: + Cæsarem de Biturigibus & Aquitanis, Iosephum de excidio Hierosolymitano. Iterum apud Liuium lib. 4. & 5. de Fidenis & Veijs. Ammian. l. 24. Herodotum Melpemone. Vitruuium, Appianum de bello Mithridatico. Præcepta de cuniculis habes apud Aeneam, Vegetium, Philonem, Lipsium Poliocert. lib. 5. dial. 6.

* Steuvechius. Cap. 38. Polyæn. lib. 6. c. 6. Polyb. in fragmêtis. Liuius. lib. 8. Dec. 4. + lib. 3. & 7. Veget. lib. 4. c. 24. Stevvechius ad idem caput.

Nec saxa, cotesqve) Eleganter hoc, ne interpellent, morentur cuniculos. Aegrè enim saxa & cautes exciduntur. (cotes dixit, vt plostrum, pro plaustrum, capo, pro caupo, notus Vespasiani iocus de Floro, & Flauro) Metallarij tamen effodiunt omnia, vt hodiè in auri, argenti, ferri, plumbi, cupri, stamni lauacris & fodinis.

Desidente sabvlo) Arena cedente molibus turrium: quomodo cuniculos egêre in arenis? Arenas altius effodere, donec ad solidam glebam descenderent; quæ tamen ipsa ex arena, sed concreta iam, & longo æuo durata constabat.

Receptvi) Tuba à pugna & operibus reuocabantur ad castra: mille in omnibus historijs obuia exempla.

Corona circvmdari mvros ivssit) Obseruandum hoc in bellicis narrationibus: aliud esse, vrbem opere & munitionibus circundari, & capere, aliud corona; sæpè occurrent apud Liuium & alios, vrbes primo impetu corona captas. Obsidio enim duplex est, vel diuturna, vt rectè Lipsius distinxit, vel subita. Illa cùm operibus clauditur, & circumuallatur ciuitas: hæc, cum subitò vrbi circumfunditur totus exercitus, vt primo impetu capiatur, vel hostis terreatur, vel distineatur. Poliocert. 1. dial. 4.

Silius: *Mœnia flexa sinu spissa vallata corona*
Alligat & telis in morem indaginis ambit.

Et corona sæpè duplex, sæpè triplex erat. Iosephus de bello Iudaico Iotapotam triplici acie circumdatam narrat, duplici peditum, & tertio equitum. Ita Ammianus triplici armatorum corona muros ait circundatos. Cæsar: *Gallorum atque Belgarum eadem est oppugnatio. Hi vbi circumiecta multitudine hominum totis mœnibus, vndique in murum lapides iaci cœpti sunt, murusque defensoribus nudatus, testudine facta portis succedunt.* lib. 2. de bell. Gall.

Sacrvm patrio more faciebat) Paullo clarius Arrianus: Καὶ ἐν τούτῳ θύοντι Ἀλεξάνδρῳ καὶ ἐστεφανωμένῳ τε καὶ κατάρχεσθαι μέλλοντι τοῦ πρώτου ἱερείου κατὰ νόμον & c. *Inter hæc, Alexandro corona capiti imposita, sacrificante cum ipso patrio more primum sacrificium auspicaturus esset.* Habes ergo ritum orto sole regem coronatum, ante alios omnes sacrificasse. Idem suprà docuit id cum multa face fieri solitum. Largiter etiam thus adolebat Alexander, quod à puero consuerat in Macedonia; reprehensus à Leonida, propter sumptus, cum ambabus manibus odores ingereret.

Effigiem vrbis corona obsessæ habes, apud Lipsium Poliocer. lib. 1. Dial. 4.

Devm opem exposcens) Quanto magis hoc decebit Christianos reges, vt summi cæli imperatori prius faciant, quàm res arduas aggrediantur. Plutarchus in vita Alexand.

Forte praevolans corvvs) Arrianus & Plutarchus narrant hoc omen, sed Arrianus pro *gleba*, lapidem ponit, Plutarchus itidem vt Curtius glebam, βῶλον, vocat.

Regis capiti incidit)Plutarchus humeris incidisse tradit. Aeschylus tragicus ita periit, caluus resederat sub dio, Aquila testudinem gestans, delusa splendore caluæ, saxum rata, capiti illisit, ex quo ictu miser interijt. Valerius, Cicero & alij.

Illita erat bitvmine et svlphvre tvrris) Plutarchus νευρίνοις κεκρυφάλοις. neruorum reticulis seu laqueis irretitam tradit in machina considentem, quam Alexander ad vrbem oppugnandam excitarat. Sed cur bitumine & sulphure alimentis ignium illitam? An vt vrbem incenderet? Quomodo turri vrbem incenderet, ex qua pugnabant Macedones? Illitas alumine lego in alijs historijs turres, ne ignem conciperent. Et fortè erat

pulvere

puluere, pro *sulphure*, & *alumine*, pro *bitumine*. Alumine certè illini solæ aduersus ignes Claudius Quadrigarius, cuius reliquias legimus de turri Archelai Athenis, quam Sulla frustra conatus est igni soluere: *Tunc Sulla conatus est & tempore* (opere legerim) *magno eduxit copias, vt Archelai turrim vnam, quam ille interposuit ligneam, incenderet. Venit, accessit, ligna subdidit, submouit Græcos, ignem admouit. Satis diu sunt conati, nunquam quiuerunt incendere. Ita Archelaus omnem materiam obleuerat alumine, quod Sulla & milites mirabantur.* Ammianus: *Machinas Romanorum Persæ exurere vi magna nitebantur, & assiduè malleolos, & incendiaria tela torquentes laborabant incassum. Ea re, quod humectis scortis & centonibus erant operta materia plures, alia vncta alumine diligenter, vt ignis per eas laberetur.*

Claud. Quadrigarius. Lib. 20.

Denique inungendi alumine materias mos inoleuit. Hæc primùm occurrebant de alumine contra bitumen. Sed nescio, an tam viscosum alumen, vt tenere aues posset. Et ea tempestate nondum reor fuisse artificium cognitum, vt proinde nihil in Curtio mutandum putem, præsertim codicibus nouis & antiquis in sulphur & bitumen conspirantibus. Turrim ergo nonnex materia, neque mobilem, vt alias, latere coctili, aut lapide factam, bitumine & sulphure, pro cæmento interlitam putarim, tegulasque si premaspice inunctas.

IN QVA ALIIS HAERENTIBVS FRVSTRA SE ALLEVARE CONATVS) Vbi hic dictatores critica, vbi versus stilus Modij, acetum Acedalij? An Priscianus hoc ferat? *auis conatus*? Ita certè hic Curtius: *Ipsa autem auis in proxima turre consedit: Illita erat turris bitumine ac sulphure, in qua alis hærentibus frustra se alleuare conatus à circumstantibus capitur.*

Ad Coruum, inquies, refertur *conatus*. Sed interpuncta est oratio, & periodus absoluta, & noua inchoata. Ipsa autem auis &c. *conata*, dicendum erat. Sensit hoc Glareanus, & rescripsit *conata*. Ita quoque Basileensis editio, *conata*, nunquam, non *conatus*. Sed si parenthesi locum includas, vti fieri oportuit, salua erit verborum compositio, hoc modo. *Forte prætervolans* &c. *resoluta defluxit (ipsa autem auis in proxima turre consedit) illita &c.*

VATES CONSVLERENTVR) Omen dignum, quod ad vatum responsa referretur, *consuleret* habent nonnulli codices, & Alexandrum, qui consuleret, respicit.

Cap. 18. NON INTACTVS EA SVPERSTITIONE) Sæpè notat Alexandri superstitionem Curtius lib. 7. Itaque qui post Darium victum ariolos & vates consulere desierat, rur us ad superstitionem humanarum mentium ludibrio reuolutus, Aristandrum, cui credulitatem suam addixerat, explorare euentum rerum sacrificiis iubet. Et lib. 4. & lib. 5. aliisque compluribus paginis.

Cap. 30. c. 9. De superstitione infra c. 24. copiosè disputatum

ARISTANDER) Frequenter & suprà, & infrà hunc laudatà responsis, & aptè coniectis futuris. Nec Arrianus tacet lib. 1. Ἀρίστανδρος ὁ μάντις Τελμισσεὺς μάντις: *Aristander verò Telmissens*, & quæ sequuntur.

FIDES HABEBATVR) Obserua studiose elegantiæ: aliud esse *Fidem habere*, & *adhibere*. Adhibere diligentiam, fidem, hoc est, fidelitatem, cui am dicimus. Habere fidem alicui, est credere, non adhibere, quod barbarum est in hoc vsu. Nec mihi laudes corrupt m Ciceronis locum è 2. de Diuinatione: *Insanis visis fidem adhibendam*. Sana exemplaria *habendam*, non *adhibendam*, habent.

EXCIDIVM AVGVRIO PORTENDI) Quod gleba soluta in capite regis fuerit, nec occiderit, læsum quidem iri regem, non occisum; perituram vrbem. De auguriis multa Valerius Maximus, & Cicero de Diuinat.

VNAM VRBEM OBSTARE) Erat enim Gaza vltima in Palæstina Aegyptum petentibus.

ANIMVS CREVIT OBSESSIS) Ratis desperatione occupandæ vrbis recedere Macedones, eoque veluti victoribus ausi erumpere.

SIGNA CIRCVMAGI) Primi enim audito Gazæos carpere vltimos, conuersis signis rediêre in prælium.

DENVNCIATI PERICVLI) Ab Aristandro, ne eo die in pugnam descenderet.

LORICAM TAMEN, QVAM RARO INDVEBAT) Vt Iulius Cæsar sæpè sine galea prælium iniuit. Sed erit locus, vbi hos duos semideos inter se licebit ex Appiano & Plutarcho componere.

Idem ferè Plutarchus. ARABS QVIDAM) Idem accidit Alexandro in pugna, ad Granicum, quamuis non à transfuga. Iamque Spitridates in Alexandrum aliè à tergo securim sustulerat, cum Clitus Dropidis filius securi in eius humerum adacta, brachium ei descidit.

TRANSFVGA) Nunquam fidendum ignotis, præsertim partium suarum desertoribus, & hoc Arabis factum, & infinita aliorum docent. Qui perfidus in suos est, hunc fidum alienis putas?

MANVM IN VANVM LAPSVM) Frustratam ictu suo, quam occupauit Alexander periculo maturè animaduerso. Et hoc primum regis erat ad Gazam periculum, sibi ab Aristandro ratus denunciatum, & declinatum.

SED

SED INEVITABILE EST FATVM.) Verè Euripides: In Rheso.

οὐκ ἂν δύναιο τοῦ πεπρωμένου πλέον.

Haut plus fato poßis. Cicero 2. d c. ex Græcis versu: *Quod * fore paratrum est, summum exuperat Iouem.* Paterculus lib. 2. Sed profectò ineluctabilis fatorum vis, cuius cum fortunam mutare constituit, consilia corrumpit. De Cæsaris nece locutus. Sæpè recurrit locus hic communis de fato, nec opus conscribere sententias auctorum de fato, leges licet secundum Cic. de diuin. & lib. de fato. * an, forte

PHILIPPVS) Acarnam medicus, de quo coplosè libro priore.

STVPENS ADHVC) *Tepens*, legit Acidalius: nec tamen ego *recens* damnarim, cum vtriusque sit eadem vis: Illa verò *quo retentus erat*, & ego cum vtroque, & omnes cordati mecum proscribent.

LINQVI ANIMO) Deficere, exanimari, copia sanguinis maiore profusa, & λειποθυμίαν pati.

BATIS) Præfectus Gazæ. *Betis* alij codices, & Iunianus.

AD PRISTINVM FASTIGIVM) Murorum Gazæ altius quidem, & altum sublatum imposito nouo muro super superiorem, necdum tamen poterat æquare turrium ab Alexandro in aggere positarum altitudinem, ex quibus tela in vrbem torquebant.

CVNICVLO SVBRVTVS) Cuniculum suprà fodimus. Carò stetit Alexandro capta Gaza duobus vulneribus acceptis, & periculo cædis insuper adito.

BATIM) Virtus, constantia, mors Batidis prætoris & supplicia. Batim Iunianus

NVM GENV POSVIT) Vt veneratus Alexandrum veniam peteret. Maior fuit Alexandro in hoc victus Batis victore.

INTERPOLABO) Gemitus & clamores exprimam nolenti.

PER TALOS) Achilleum supplicium, quo Hectorem affecerat Achilles. Sed Achillem Alexander vicit crudelitate: ille enim mortui talos traiecit, à curru suspendit, & circum mœnia raptauit, hic per adhuc spirantis talos lora traiecit, circumque vrbem traxit. De Hectore Homerus. Iliad. 10.

Ἦ ῥα, καὶ Ἕκτορα δῖον ἀεικέα μήδετο ἔργα,
Ἀμφοτέρων μετόπισθε ποδῶν τέτρηνε τένοντε,
Ἐς σφυρὸν ἐκ πτέρνης, βοέους δ' ἐξῆπτεν ἱμάντας,
Ἐκ δίφροιο δ' ἔδησε, κάρη δ' ἕλκεσθαι ἔασεν.

Et quæ ibidem sequuntur; quæ è verbo hoc dicunt.

Dixit: & in Hectorem diuum indigna molitus est opera,
Amborum pone pedum perforanit neruos
Ad talum à calce, bubulaq; appendit lora.
Ex curru autem ligauit, caputque trahi siuit.

Addit dein Homerus, quomodo Hectorem circum mœnia Troiæ raptarit, quæ tute leges. Virgilius eleganter, vt omnia, expressit: a. Aen.

In somnu ecce ante oculos mœstissimus Hector
Visus adesse mihi, largosq; effundere fletus
Raptatus bigis, vt quondam, aterq; cruento
Puluere, perq; pedes traiectus lora tumentes. &c.

Idem primo Aen. *Ter circum Iliacos captauerat Hectora muros.*

Plura super his Dictys Cretensis lib. 3. de excidio Troiæ. Callimachus lib. 22. Iliad. Propertius El. 8. l. 2. Ouid. 2. Am. El. 1. Hom. Il. 4. Cic. 1. Tusc. Schol. Homeri 22. Iliad. Pentadius, Alij.

GLORIANTE REGE ACHILLEM, A QVO GENVS IPSE DEDVCERET, IMITATVM SE ESSE POENA IN HOSTEM CAPIENDA Genus maternum accipe. nam paternum ex Hercule suprà collocatum, traxit. De materno Pausanias: *Apud Athenienses Pyrrhi etiam conspicitur effigies, cui cum Alexandro M. sola generis propinquitas intercessit.* Nam Pyrrhus Aeacida Aribbæ filio: Olympiade verò Neoptolemi filia Alexander genitus est. Neoptolemo & Arybbæ pater fuit Alcetas Tharypi F. à Tharypo autem retro ad Pyrrhum Achillis F. quindecim sobolis gradus numerantur. Is enim primus Ilio exciso, omisso in Thessaliam reditu, in Epirum appulit, atque ibi Heleni monitu consedit: Cui cum nulla ex Hermione proles esset, ex Andromache tres suscepti filij, Molossus, Piellus & natu minimus Pergamus. Pyrrhi filiu Pielus, Molossus & Pergamus. Pieltus mansit in Epiro, à quo posteritas Alexandri, & regum Epiri. Velleius: *A quo Magnus Alexander cum fuerit 17. iure materni generis Achille auctore, paterni Hercule gloriatus est.* Et, vt Alexander, ita posteri Philippus & Perses vltimi Macedonum reges apud Silium & Propertium.

lib. 1. Att. Tharypus Alcetas Aribbas, Neoptolemus. Aeacidas Pyrrhus Olympias Alexander.

Hic gente egregius, veterisq; ab origine regni
Aeacidum sceptris, proauoq; tumebit Achille.

Propert: *Et Persen proaui simulantem pectus Achillis*
Quiq; tuas proauus fregit Achille domos.

Plu-

Plutarchus in Pyrrho: Genus Achillis à Thesprotis & Molosis deriuat, quorum principem facit à mundi eluuione Phaethontem; quem ait cum Pelasgo in Epirum commeasse. Alij in Molossis Deucalionem & Pyrrham concedisse tradunt. Neoptolemus Achillis filius populum in Epirum duxit, à quo posteri regis Pyrrhidæ dicti. Post primos reges à Pyrrho, cæteri in obscuritate latuére, cùm propter barbariem, tum quod nihil dignum æuo gessissent, vsque ad Thorribam Alcetæ patrem, Alcetes creauit Aryban, hic Aeaciden, Aeacidæ Pyrrhus, is qui primus Romanis extra Italiam bellum fecit.

NEC MACEDONIBVS INCRVENTA VICTORIA FVIT) Nam & ipse rex geminum vulnus accepit, vt Batis seu Betis mortuum putarit, & in ipsa vrbe iam occupata conglobati hostes acerrimè restitêre, vt auctor est Arrianus.

Ioseph. lib. 11. Antiq.] AEGYPTVM ADIRE FESTINANS) Prius tamen Hierosolymam diuertit euertendæ vrbis, vti minatus erat, cùm ad Tyrum sederet, & auxilia, forumque venale negaret Iaddus pontifex, nec tributum, quod Dario pendebant, vellent viuo Persa Macedoni pendere. Solicitus ergò Iaddus pontifex, preces populo & ieiunia indixit, vti Deus regis inflammati iram componeret, vrbique propitiaret, quod factum esse copiosè Iosephus describit. Idem in Olympiadum serie docetur. Scal. ad Euseb. p. 372. Παραστησάμενος δὲ ταύτην, ἐπὶ τὴν Ἱεροσολύμων πόλιν παραγίνεται, καὶ ἀνελθὼν ἐπὶ τὸ ἱερὸν θύει μὲν τῷ θεῷ κατὰ τὴν τοῦ ἱερέως ὑφήγησιν, αὐτὸν δὲ τὸν ἱερέα ἀξιοπρεπῶς ἐτίμησε. *Subacta Tyro Hierosolymam contendit, & templum conscendens Deo litat ex præscripto Sacerdotis: ipsum porro sacerdotem summo honore affecit.* Idem Zonaras in Alexandro scriptum reliquit. Sed hi omnes ex Iosepho sua decerpsere: ex paganis lib 12. c. 25. nullum cognoui, qui idem exponeret: ex contemtu credo, gentis, post Christi necem omnium gentium ludibrio propinatæ. Et qui hodie de Alexandro leguntur, omnes post Christum, Hierosolyma euersa, scripsére. Plinius tamen Alexandrum res in Iudæa gessisse (dum de balsamo scribit) affirmat. Magnus ille Rhetor & Rector, Ecclesiæ Carthaginiensis, iuxtaque purpuratus Christi testis Cyprianus, Alexandrum M. ab Iabdo ait sibi significatum Deos omnes priscorum homines fuisse. *ex Minutij Felicis Octauio. Iaddum quidem non exprimit, sed sacerdotem communi nomine appellat Alexander epistola ad Matrem Olymp. Verba Cypriani sunt: *Hoc ita esse * Alexander M. insigni volumine ad matrem suam scribit, metu sua potestatis proditum sibi de Dijs hominibus à sacerdote secretum, quod maiorum & regum memoria seruata sit, inde colendi & sacrificandi ritus inoleuerit.* Genebrardus hæc omnino ad Iaddum refert. Sed Athenagoras tradit Memphi, Thebis & Heliopoli hæc Alexandrum ab AEgyptijs sacerdotibus didicisse, vati & Herodotus, & disertò D. Augustinus: *Qua* inquit *Alexander* De ciu. c. 5. l 8. *Macedo scripsit ad Matrem sibi à magno antistite sacrorum Aegyptiorum quodam Leone patefacta.*

AMYNTAM CVM DECEM TRIREMIBVS) Idem Diodorus: Hic Amyntas fuit Andremonis filius. Alter, olim prætor Alexandri & transfuga, Antiocho natus erat, qui post cladem Issicam Aegyptum petijt, ibidemque perijt, vt suprà demonstratum est, moxque infrà nominatur cap. 20. Hic Amyntas Andremonis postea reus coniurationis factus, fratribus Syma & Polemone absolutus est. Est & tertij Amyntæ mentio accusatoris Philotæ, quem Curtius etiam prætorem appellat Alexandri. Est & quarti, qui consorinus fuit Alexandri, & in eum coniurauerat in Macedonia. Hæc monui, ne tuam tot Amyntæ confunderent memoriam.

lib. 3. c. 22. lib. 4. c. 3. lib. 6. c. 24. lib. 7. c. 1. lib. 6. c. 17. lib. 6. c. 16.

NAMQVE ETIAM SECVNDIS ATTEREBANTVR TAMEN COPIAE) Optima Iunij editio ita emendat. *Namque prælijs etiam secundis atterebantur copiæ.* Sed neque priorem damno, & propè similiorem Curtio, breuitatem, qua, sæpè transilit, quæ quisque per se addenda nouit.

CAPVT XX.

ARGVMENTVM.

Ægypto expugnata Hammonis Iouis sedem cùm magno periculo adit. Eiusdem loci descriptio.

AEgyptij olim Persarum opibus infensi: quippe auarè & superbè imperitatum sibi esse, ad spem aduentus eius erexerant animos: vtpotè qui Amyntam quoque transfugam, & cum precario imperio venientem læti recepissent. Igitur ingens multitudo Pelusium, quà intraturus rex videbatur, conuenerat. Atque ille septimo die postquam à Gaza copias mouerat, in regionem AEgypti, quam nunc castra Alexandri vocant, peruenit. Deinde

de pedestribus copijs Pelusium petere iussis, ipse cum expedita delectorum manu Nilo amne vectus est. Nec sustinuêre aduentum eius Persæ defectione quoque perterriti. Iamque haud procul Memphi erat, in cuius præsidio Astaces prætor Darij relictus, Oron amne superato, octingenta talenta Alexandro, omnemque regiam suppellectilem tradidit. A Memphi eodem flumine vectus, ad interiora Ægypti penetrat, compositisque rebus, ita vt nihil ex patrio Aegyptiorum more mutaret, adire Iouis Hamonis oraculum statuit. Iter expeditis quoque & paucis vix tolerabile ingrediendum erat: terra cæloquè aquarum penuria est: steriles harenæ iacent: quas vbi vapor solis accendit, feruido sole exurente vestigia, intolerabilis æstus existit: luctandumquè est non tantum cum ardore & siccitate regionis, sed etiam cum tenacissimo sabulo, quod prææltum & vestigio cedens ægrè moliuntur pedes. Hæc Ægyptij verò maiora iactabant. Sed ingens cupido animum stimulabat adeundi Iouem: quem generis sui auctorem, haud contentus mortali fastigio, aut credebat esse, aut credi volebat. Ergo cum ijs, quos ducere secum statuerat, secundo amne descendit ad Mareotim paludem. Eo legati Cyrenensium dona attulere: pacem, & vt adiret vrbes suas, petentes. Ille donis acceptis, amicitiaque coniuncta, destinata exsequi pergit. Ac primo quidem & sequenti die tolerabilis labor visus: nondum tam vastis nudisque solitudinibus aditis, iam tamen sterili & emoriente terra. Sed vt aperuêre se campi alto obruti sabulo, haud secus quàm profundum æquor ingressi, terram oculis requirebant. Nulla arbor, nullum culti soli occurrebat vestigium. Aqua etiam defecerat, quam vtribus cameli deuexerant, & in arido solo ac feruido sabulo nulla erat. Ad hæc, sol omnia incenderat, siccaque & adusta erant ora: cùm repentè siue illud deorum munus, siue casus fuit, obductæ cælo nubes condidere solem, ingens æstu fatigatis, etiamsi aqua deficeret, auxilium. Enimuero vt largum quoque imbrem excusserunt procellæ, pro se quisque excipere eum, quidam ob sitim impotentes sui, ore quoque hiante captare cœperunt. Quatriduum per vastas solitudines absumtum est. Iamque haud procul oraculi sede aberant, cum complures corui agmini occurrunt, modico volatu prima signa antecedentes: & modò humi residebant, cum lentius agmen incederet, modo se pennis leuabant, antecedentium, iterque monstrantium ritu. Tandem ad sedem consecratam Deo ventum est. Incredibile dictu, inter vastas solitudines, ita vndique ambientibus ramis vix in densam vmbram cadente sole, contecta est: multique fontes dulcibus aquis passim manantibus alunt siluas. Cæli quoque mira temperies, verno tempori maximè similis, omnes anni partes pari salubritate percurrit. Accolæ sedis sunt ab oriente proximi Æthiopiam, meridiem versus Arabes, Troglotidis nomen est: horum regio vsque ad rubrum mare excurrit, at quà vergit ad occidentem, alij Æthiopes colunt, quos Symuos vocant: à septentrione Nasamones sunt, gens Syrtica nauigiorum spolijs quæstuosa. quippe obsident litora, & æstu destituta nauigia notis sibi vadis occupant. Incolæ nemoris, quos Hammonios vocant, dispersis tugurijs habitant: medium nemus pro arce habent, triplici muro circundatum. Prima munitio Tyrannorum veterem regiam clausit, in proxima coniuges eorum cum liberis & pellicibus habitabant: hic quoque Dei oraculum est. Vltima munimenta satellitum, armigerorumque sedes erant. Est & aliud Hammonis nemus: in medio habet fontem, Solis aquam vocant: sub lucis ortum tepida manat: medio die, cuius vehementissimus est calor, frigida eadem fluit: inclinato in vesperam, calescit: media nocte feruida exæstuat: quòque nox propius vergit ad lucem, multum ex nocturno calore decrescit, donec sub ipsum diei ortum assueto tepore languescat. Id quod pro deo colitur, non eandem effigiem habet, quam vulgò dijs artifices accommodauerunt. Vmbilico tenus arieti similis est, habitus smaragdo & gemmis coagmentatus. Hunc, cum responsum petitur, nauigio aurato gestant sacerdotes: multis argenteis pateris ab vtroque nauigij latere pendentibus. Sequuntur matronæ virginesque, patrio more inconditum quoddam carmen canentes, quo propitiari Iouem credunt, vt certum edat oraculum. Ac tum quidem regem propius adeuntem, maximus natu è sacerdotibus filium appellat, hoc nomen illi parentem Iouem reddere affirmans. Ille verò & accipere se ait, & agnoscere, humanæ sortis oblitus: consuluit deinde, an totius orbis imperium fatis sibi destinaret pater. Vates æquè in adulationem compositus, terrarum omnium rectorem fore ostendit. Posthæc instititit quærere, an omnes parentis sui interfectores pœnas dedissent. Sacerdos parentem eius negat vllius scelere posse violari: Philippi autem omnes interfectores luisse supplicia. Adiecit, inuictum fore donec excederet ad deos. Sacrificio

deinde

deinde facto, dona & sacerdotibus, & deo data sunt, permissumque amicis, vt ipsi quoque consulerent Iouem. Nihil amplius quæsiuerunt, quàm, An auctor esset sibi diuinis honoribus colendi suum regem. Hoc quoque acceptum fore Ioui vates respondit, vt ipsi victorem regem diuino honore colerent. Verè, & salubriter æstimanti fidem oraculi, vana profectò responsa videri potuissent. Sed fortuna, quos vni sibi credere coegit, magna ex parte auidos gloriæ magis quam capaces facit. Iouis igitur filium se non solùm appellari passus est, sed etiam iussit: rerumque gestarum famam dum augere vult, tali appellatione corrupit. Et Macedones assueti quidem regio imperio, sed in maiore libertatis vmbra, quam cæteræ gentes, immortalitatem contumacius, quàm aut ipsis expediebat, aut regi, auersati sunt. Sed hæc suo quæque tempori reseruentur, nunc cætera exsequi pergam.

AEGYPTII) Quam elegans & nobilis fabula de aduentu Alexandri ad Iouem Hammonem & Aegyptum sit ficta & propagata, cognosces apud Pierium: nobis verum scribere curæ.

lib.1.p.5. OLIM INFENSI) Iam pridem obseruandus hic vsus vocis vulgari elegantior, quamquam præsens, præteritum & futurum tempus signet, eisdemque iungatur, & sæpè incertum: sæpè nec aduerbium quidem Temporis est, sed idem valet, quod *fere, vt solet*, vt Seruius ad Virgilium docet. Hic valet, *Iam diuu, iam longo tempore, dudum ante, Iampridem* &c.

lib 17. OLIM OFFENSI) Hoc affirmat Diodorus anno 5. Alexandri. *Aegyptij enim*, inquit, *quod à Persis multa impiè in sacra sua commissa fuerant, crudeleq; illorum imperium esset, læto animo Macedones susceperunt.* Sed idem signatè de Cambyse Persæ, duce Cambyse rege, qui Aegyptum armis subegit, annis centum triginta quinque (tenuerunt) quorum insolentiam, crudelitatemque, atque in Deos patrios impietatem damnãtes, Aegyptij ab eis postea desciuerũt. Postremi Macedones, & quæ seq. Quæ porrò Cambysem caussa impulerit vt AEgyptijs bellum faceret, tradit in Thalia Herodotus, vbi Amasis defuncti corpus à Cambyse ait prolatum, verberibus cæsum, vellicatum, & stimulis compunctum. Idem vt Iustinus primo volumine exponit, Apis, cæterorumq; Deorum templa diruit. Idem Strabo li. 17. πολλὰ τὰ καμήρια τοῦ καμβύσου μανίας καὶ ἱεροσυλίας ὃς τὰ μὲν πυρὶ, τὰ δὲ σιδήρῳ διελωβᾶτο τῶν ἱερῶν ἀκρωτηριάζων καὶ περικαίων, καθάπερ καὶ ὀβελίσκους:

Post Cambysem Persæ tenuerunt AEgyptum annos CXII. vsque ad Darium Nothum Artaxerxis filium. Recessit tamen ante à Dario Hystaspis F. Olymp. LXXIII. Sed post quadriennium per Xerxem recepta est Olymp. LXXIV. Defecit iterum à Dario Notho anno regni XI. Olymp. XCI. anno III. Recepit Ochus Rex Persarum Olym. CVII. anno III. pulso inde Nectanebo in AEthiopiam, vt alij, in Macedoniam, vnde fabula nata de Olympiade & dracone, quod Nectanebus magicam exercuerit. Sed iam natus erat Alexander olymp. CVI. anno I. Septem annis prius quàm Nectanebus ex AEgypto fugeret. AEgyptum Persis extrusit Alexander Olymp. CXII. anno II. Macedones tenuerunt ad Cæsarem Augustum annos CCXCV. Augustus in formam prouinciæ redegit.

Diodor. lib.17. PRECARIO IMPERIO) Se à Dario missum mentitus erat, sed tamen quia Græcus, non Persa erat, læti eum receperunt, vt Curtius ait: secus alij. Nam ab incolis cæsum narrant nouas res molientem. Alij à Persis duce Mazæo circumuentum.

PELVSIVM) Prima vrbs Aegyptum ingressuris occurrit, de qua Geographi. Prolixè verò Strabo libro vltimo, à luto πηλῷ, dictum ait Pelusium.

SEPTIMO DIE) Eundem Arrianus numerum ponit.

CASTRA ALEXANDRI) Locus & regio, nomen retinuit à positis ab Alexandro ibidem castris. Osorius: *Vnde per loca, qua accola Catabathmum, haud procul à castris Alexandri Magni &c.* lib.1.Cap.2

lib. 17. PELVSIVM PETERE IVSSIS) Pelusium est ciuitas Aegypti proxima freto ab oriente ex Syria nauigantibus, à qua pontus Pelusiacus cognominatur. Situs ita se habet, vt Strabo depingit: Nilus ex Aethiopia à meridie, versus septentrionem fluens, vno primum alueo instar fasciæ, postquam ad verticem peruenit, funditur in duo ostia, dextrum & sinistrum, quæ ita inter se recedunt, vt literam Delta efficiant. Pelusiacum occupat dextrum latus, Canopicum sinistrum, vtrumque exoneratur in mare, cuius basis absoluit literam Δ, & ab vno ad alterũ ostium cõplectitur CIↃ CCC stadia, hoc est, quadraginta milliaria Germanica, cum paullò amplius dimidio, superant enim stadia viginti. Pelusium eo loco fuit, quo nunc est Damiata; Clauem Aegypti vocat Suidas, Robur Aegypti S Hieronymus, quia portum munitissimum habet, Marcellinus à Peleo Achillis patre conditore, tradit dictum Pelusium. l. 22. Scylax geographorum antiquissimus, nec adhuc latinè translatus, AEgyptum securi componit: ἔστι δὲ ἡ Αἴγυπτος τοιάδε τὴν ἰδέαν ὁμοία πελέκει. ἔστι γὰρ κατὰ θάλασσαν πλατεῖα, κατὰ δὲ μεσογείαν στενωτέρα, κατὰ δὲ μέμφιν στενωτάτη αὐτῆς. ἔπειτα δὲ εἰς μεσογείαν ἀπὸ μέμφεως ἰόντι πλατυτέρα καὶ δὲ τὸ ἀνώτερον αὐτῆς πλατυτάτη. *Est autem Aegyptus forma seu figura similis securi lata quà mare attingit (in basi) angustior in meditullio, angustissima iuxta Memphin. Deinde à Memphi in medium Aegyptum eunti latior occurrit, ac demum (ad mare pergenti) latissima.* Alexander ergò per Pelusiacum Nili alueum ascendit, & per Canopicum descenditq; à quo haud

Aegypti forma



procul,

procul, molitus est Alexandriam. Canopicus sinus Africam, Pelusiacus Asiam spectat, à vertice ad Pelusiacum ostium CCLV. M.P. sunt ad Canopicum CXLVI.M. Basis Plinio est centum septuaginta millia passuum, id est milliaria 42. cum semisse, sic vt quatuor millia passuum pro voo milliari cõputes. Idem ferè docent alij Geographi. Mela breuissimè. Pelusium Arabiæ ipsas oras secat. Copiæ pedestres à castris Alexandri Pelusium vsque terra profectæ sunt. Alexander aqua peruenit, vrbemque occupauit, & præsidio imposito mox aduerso Nilo Memphim petijt. Vbi vertex Delta est: — Plinius lib. 5.c.9.p. 97.

Memphis,

Pelusium, △ Canopus.

ADVENTVM EIVS PERSAE) qui id temporis Aegyptum præsidijs tenebant. Aegyptij primum suis paruere regibus, mox Caldæis, tum Persis, iterum Aegyptijs, demum Macedonibus, quos Romani vicere. Hodiè parent Turcis.

HAVD PROCVL MEMPHI) Erat tum caput Aegypti, de qua satis multa ad primum Epigramma Martialis dicta sunt. Mela inter viginti millia vrbium Aegypti Sayn & Memphim ponit cum Syene, Bubarte, Elephantide, & Thebis Hecatompyla.

ASTACES) Supra prætor vrbis Mempheos nominatus est Mazaces seu Mazeces. An Astaces fuit totius Aegypti præses, Mazaces tantum vrbi Præfectus? an interim extinctus est Mazaces?

OCTINGENTA TALENTA) quadringenta octoginta millia Philippeorum. Iunij codex tantum ponit octoginta talenta, haud dubiè mendosè, cùm antiquissimus codex Augustanus S. Vdalrici, & MS. Constantiensis etiam numerent octingenta.

DEFECTIONE QVOQVE PERTERRITI) Audito quippè aduentu Alexandri desciuerunt Aegyptij ad Græcos & Macedones à Persis, quos propter dura imperia oderant. Itaque Aegyptum totam sine prælio recepit.

ORON AMNE SVPERATO) Iunij scriptura est sine amnis nomine. Extra ordinem versus est. *Oxion* & *Oxo* locus affectus nomen verum perdidit, vetustissimus tamen codex Augustanus S. Vdalrici nomen præfert, quod Modius posuit *Oron*. Galerani editio *Oxio* amne legit, Argentina vetus eodem modo. MS. Constantiensis *Oron*.

A MEMPHI) Arrianus tradit Alexandrum descensu facto priusquam Memphin veniret, Heliopolin ex itinere adijsse, relicto ad dextram Nilo, quod verum esse testantur literæ Alexandri ad Olympiadem matrem, quibus exponit, quid cum Leone Sacerdote Aegypti, vt est apud Augustinum, de Dijs suis paganorum contulerit & cognorit; meros olim homines fuisse, vt supra docuimus; copias tamen ait à Nilo non discessisse, sed noctu Memphin petijsse, tum deinde secutum Alexandrum, indeque secundo flumine descendisse ad alterum portum Canopicum, lustrataque palude Mareotide inter mare, & paludem nactum insulam, vbi condiderit Alexandriam, de qua plura infra cum Curtio. — Lib. 3. L. 8. de ciui. c. 5. De eisdem lit. Minutius Felix in Octauio. Cyprianus, alij quos supra legisti.

A MEMPHI EODEM FLVMINE VECTVS) Aduerso: nam à meridie ex Aethiopia in Septentrionem properat, atque in mediterraneum mare euoluitur.

INTERIORA AEGYPTI) Non vltra Hammonis ædem contendit.

COMPOSITISQVE REBVS AEGYPTI) Præsidibus vrbium, locorum, & regionum designatis, quos infra indigetat.

IOVIS HAMMONIS) Hic prima est mentio Iouis Hammonis, sed oraculum, sedem, fontem, nemora, infra vbertim describit, in quo loco non erimus pisces.

ITER VIX TOLERABILE) Hoc rerum scriptores, terrarum mensores, Geographi, Poetæ, naturæ exploratores, Arrianus Herodotus, Strabo, Plinius, Mela, Solinus, Lucanus, Seneca, alijque testantur. Præter hos Seneca de Cambyse signatè narrat, quam malè expeditio illi Aethiopica cesserit. *Tale aliquid passi forent*, inquit, *Aethiopes, qui ob longissimum vitæ spacium Macrobij appellantur. In hos enim, quia non supinis manibus exceperant seruitutem, missisq; legatis, libera responsa dederant, quæ contumeliosa Reges vocant, Cambyses fremebat, & non prouisis commeatibus, non exploratis itineribus, per inuia, per arentia trahebat omnem bello vtilem turbam: cui intra primum iter deerant necessaria, nec quicquam subministrabat sterilis & inculta, humanoq; ignota vestigio regio. Sustinebant famem primo tenerrima frondium & cacumina arborum, tum coria igne mollita, & quidquid necessitas cibum fecerat. Postquam inter arenas radices quoque & herba defecerunt, apparuitq; inops etiam animalium solitudo, decimum quemque sortiti, alimentum habuere fame sæuius. Agebat adhuc ira Regem præcipitem, cum partem exercitus amisisset, partem comedisset: donec timuit ne & ipse vocaretur ad sortem, tum demum signum receptui dedit. Seruabantur interim illi generosæ aues, & instrumenta epularũ camelis vehebantur, cum sortirentur milites eius quis malè periret, quis peius viueret. Hic iratus fuit genti, & ignotæ, & immeritæ, sensura tamẽ.* Hæc Seneca ex Herodoti Thalia descripsit, & quodammodo interpretatus est. Iustinus compendio: *Ad Hammonis quoque nobilissimum templum expugnandum exercitum mittit, qui tempestatibus & arenarum molibus oppressus interijt.* Plutarchus idem quod Herodotus: sed addit, L.M fuisse arenis ex Cambysis copijs oppressa. Sed quid est, quod Alexandrum mouit ad tam periculosum iter, cum illic nullum haberet hostem. Ferè idem respondet omnes: Curtius imprimis, quod Iouem Hammo- — Herod. lib 3. lib 1. ccıↄↄ. ccıↄↄ. ccıↄↄ. ccıↄↄ. ccıↄↄ. 50000.

nem voluerit credi generis sui auctorem: haud contentus mortali fastigio, ad quem iussit moriturus etiam corpus suum deferri, Curtius lib. vltimo. lib. 11. Iustinus, *Ad Iouem*, inquit, *deinde Hammonem pergit consulturus, & de euentu futurorum, & de origine sua. Namque mater eius Olympias confessa viro suo Philippo fuerat, Alexandrum non ex eo se, sed ex serpente ingentis magnitudinis concepisse. Denique Philippus vltimo propè vitæ suæ tempore, filium suum non esse, palàm prædicauerat. Qua ex caussa Olympiadem veluti stupri compertam repudio dimiserat. Igitur Alexander cupiens signum diuinitatis acquirere, simul & matrem infamia liberare, per præmissos subornat antistites, quid sibi responderi velit.* lib. 3. c. 16. Idem Orosius: inde ad templum Iouis Hammonis pergit, vt mendacio ad tempus composito ignominiam sibi Patris * incesti, & infamiam adulteræ aboleret. * Melius incerti. Sed Callisthenes apud Strabonem lib. 17. Φησὶ τὸν Ἀλέξανδρον φιλοδοξῆσαι μάλιστα ἀνελθεῖν ἐπὶ τὸ χρηστήριον, ἐπειδὴ καὶ περσέα ἤκουσε πρότερον ἀναβῆναι καὶ ἡρακλέα. Callisthenes *narrat Alexandrum ambitione, qua maxima ardebat, inductum ad id oraculum contendisse, quod intelligeret Perseum & Herculem primo eo ascendisse.* Idem Arrianus & copiosius Strabone, lib. 3. qui addit Alexandrum genus etiamà Perseo & Hercule duxisse.

STERILES ARENAE IACENT.) Omnium optimè Lucanus hos describit. IX. Pharsaliæ in Catonis oratione.

O quibus vna salus placuit, mea signa secuti,
Indomita ceruice mori, componite mentes
Ad magnum virtutis opus summosq́; labores.
Vadimus in campos steriles, exustaq́; mundi,
Qua nimius Titan, & raræ in fontibus vndæ,
Siccaq́ue letiferis squalent serpentibus arua.

Et mox infra. *Dux an miles eam, serpens, sitis, ardor, arenæ*
Dulcia virtuti, gaudet patientia duris,

Rursumq́ue infra. —— *patet omne solum, liberq́ue meatu*
AEoliam rabiem totis exercet arenis,
Et non imbriferam contorto puluere nubem
Inflexum violentus agit: pars plurima terræ
Tollitur, & nunquam resoluto vertice pendet.

Et quæ ibidem longa narratione sequuntur, quomodo Romanus miles laborarit, & cum arenis luctatus sit. Sic Gellius ex quarto Herodoti narrat Psyllos illis in arenis perijsse, cum arma in Austrum sumerent. lib. 16. c. 11. est elegans fabella.

IOVEM QVEM GENERIS SVI AVCTOREM) * Nectenabum regem Aegypti magum regno pulsum venisse in Macedoniam, & cum Olympiade in forma Iouis Hammonis aut serpentis * Nactenabum. consuesse tradunt fabulæ, & omnium prolixissimè conditus liber de Alexandro Magno, quem vulgò historiam Alexandri Magni appellant, plenusq́ue est portentosissimis mendaciorum monstris, vt imiter Vrspergensem, Deluacensem, aliosque non fuisse cautiores, quàm vt sine delectu suis historijs huiusmodi prodigia fabularum insererent, quibus auctoritatem nominis haud parum detriuerunt, & fidem in reliquis labefactare potuerunt. Ab Vrspergensi hæc editores sapienter reiecerunt; In alijs adhuc hærent nec pauci illi næui. A Græcis fabularum fœcundis conditoribus profecta est vanissima narratio, & historia ἀνώνυμος, * Græcè primum scripta; quamuis Eusebij extet præfatio, quæ hodieque Latinè & Germanicè legitur. * In Lutetiana Bibliotheca falsò adscribitur Callistheni. Sunt tamen auctores non spernendi, qui de dracone memorant, quamuis de Nactenabo taceant. Plutarchus Olympiadem propè infamem reddit, & nihil à Medea absuisse tradit, cuius verba subscribo.

Plutarchus in Alexandro. *Visus est draco etiam ad dormientis Olympiadis corpus expotrectus, idque præcipuè Philippi erga amorem & familiariorem consuetudinem aiunt extenuasse, vt rarò cubitum ad illam commearet, quod vel timeret fascinationes eius & veneficia, vel consuetudinem eius, vt quæ consuesceret cum maiore deuitaret.* Subijcit Plutarchus ex aliorum sentētia, *Fœminas eius regionis Orphicis & Liberi patris sacris antiquitus obnoxias, Clodonasq́ue & Mimallones cognomento dictas, multa cum Edonibus ac Thressis AEnum accolentibus agere consilia.* Edonidibus. *Vnde etiam* θρησκεύειν *dictio esse videtur immodicis & superstitiosis sacrificijs: Olympiadem autem præ cæteris motum lymphaticum æmulatam, fanaticum peregisse ritum horridiore spectaculo, cum serpentes mansuefactos traheret thyasis ingentes, qui ex hedera subinde & mysticis cunis obiter prorepentes, thyasosq́ue & coronas mulierum circumiecti percellebant viros. Verum Philippo, vt Plutarchus pergit narrare, qui post eam speciem Megopolitanum Charonem Delphos misit, sortes referunt fuisse ab Apolline allatas, iubente, vt Hammoni sacra faceret, atque hunc Deum coleret in primis: Amisisse verò eum alterum oculum, quem rima ostij admouens, Deum conspexit serpentis figurâ cum vxore suâ concubantem. Olympias (vt Eratosthenes est auctor) quum euntem ad bellum prosequeretur Alexandrum, arcanum ortum eius soli detexit, hortata vt pro natalibus gereret animos.*

animos. Alij hoc illam aiunt detestari solitam, ac dixisse. Non desinet Alexander in crimen me apud Iunonem vocare. Hæc prolixè Plutarchus. Egregiè ridet Diogenes Alexandrum apud inferos. τί τοῦτο ὦ Ἀλέξανδρε; καὶ σὺ τέθνηκας, ὥσπερ ἡμεῖς ἅπαντες; *Quid hoc rei Alexander? itan-ne defunctus es quoque, perinde ac nos omnes?* Affirmante dein Alexandro, nec mirandum subijciente, quòd homo natus esset. Tum Diogenes, οὐκοῦν ὁ Ἄμμων ἐψεύδετο λέγων ἑαυτοῦ σε εἶναι υἱόν; σὺ δὲ Φιλίππου ἄρα ἦσθα. *Num ergo Iupiter ille Ammon mentiebatur, cum te suum esse filium diceret? an verò tu Philippo patre prognatus eras?*

Pergit deinde ludere Diogenes de Olympiade. Idem obijcit ipse pater Philippus Alexandro apud inferos. Idem Hannibal apud Minoem.

Apud M. Varronem in Oreste, & Agellium XIII. Noct. Attic. Elegantem legimus epistolam Olympiadis matris, qua respondit Alexandro huiusce modi epigraphe literarum.

REX ALEXANDER IOVIS HAMMONIS F. OLYMPIADI MATRI SALVTEM DICIT.

Olympias rescripsit ad hanc sententiam: Amabo, inquit, mi fili quiescas: neque deferas me, neque criminere aduersum Iunonem. Malum mihi prorsum illa magnum mihi dabit, cum tu me literis tuis pellicem illi esse confiteris. Ea mulieris scitè atque prudentis erga ferocem filium comitas seorsim & comiter admonuisse eum visa est, deponendam esse opinionem vanam, quam ille ingentibus victorijs, & adulantium blandimentis, & rebus supra fidem prosperis imbiberat genitum esse se de Ioue.

Cæterum de angue seu dracone aliquid etiam Liuius (cum de Scipione meminit) in hæc verba narrat, sed fabulæ simile: retulitque famam in Alexandro Magno prius vulgatam, & vanitate & fabula parem, anguis immanis concubitu conceptum, & in cubiculo matris eius persæpè visam prodigij eius speciem, interuentuque hominum euolutam repente atque ex oculis elapsam. His miraculis nunquam ab ipso (Scipione) elusa fides est, quia potius aucta arte quadam, nec abnuendi tale quicquam, nec palam affirmandi. Liuius lib. 6. dec. 3.

Sic mater Scipionis ad natum eadem de re canit apud Silium. Silius li. 9.

Verum age nate tuos ortus, nec bella pauescas
Vlla, nec tu cœlum dubites te tollere factis.
Quando aperire datur nobis, nunc denique disce.
Sola die caperem media cum fortè petitos
Ad requiem somnos, subitus mihi membra ligauit
Amplexus, non ille meo veniente marito
Assuetus, fateorque, mihi: tum luce corusca
Implebat quamquam languentia lumina somnus
Vide (crede) Iouem, nec me mutata fefellit
Fama Dei, quod squalentem conuersus in anguem
Ingenti traxit curuata volumina gyro.

Silius etiam agnoscit Alexandrum Ioue natum, vbi vmbram illius apud inferos alloquitur, & belli gerendi præcepta accipit. Silius eodem lib.

Incipit Aeneades: Lybici certissima proles
Hammonis, quando exuperat tua gloria cunctos
Indubitata duces: & quæ sequuntur.

Notauit Alexandri superbiam etiam Val. Max. *Alexandri*, inquit, *Regis virtus & felicitas tribus insolentiæ gradibus exultauit euidentissimis. Fastidio enim Philippi Iouem Hammonem patrem adsciuit: tædio morum & cultus Macedonici, vestem & instituta Persica adsumpsit; spreto mortali habitu diuinum aucupatus est. Nec fuit ei pudori filium, ciuem, hominem dissimulare.* Val. Max. lib. 9. c. 5.

Eadem de Dracone & Olympiade leges apud Zonaram, Cedrenum, & antiquiores, Solinum, Iustinum.

De Nectenabo miror tot testes extare, sed quos ex historia Græca fabulosa anonymi sua habuisse nil dubitarim. Glycas etiam accedat. *Quo tempore filius Artaxerxis Ochus, Aegyptum occupauit, Rex Aegyptius Nectenabo veste commutata in Macedoniam aufugit: cum antea per vaticinationem, qua pelui solet fieri, futurum cognouisset, vt Aegyptus in hostium potestatem veniret. Cumque per quasdam præstygias Philippo Regi & Olympiadi coniugi innotuisset, occultis machinationibus furtiuam cum ea consuetudinem habuit, & Alexandrum procreauit. Nectenabus Rex vltimus Aegypti Pharao dictus, cùm intellexisset regnum Aegypti à Deo euersum iri, tonsâ comâ & mutatâ veste, relicto regno, per Pelusium fugit Pellam Macedoniæ, vbi regnabat Philippus Macedo.* Olympias chronica tamen rei non conuenit, cùm ponitur centesima decima, anno quarto, cùm Nectenabo iam ante Olympiadem centesimam

simam sextam debuerit esse in Macedonia, vt fabula aliquam speciem veri accipiat. Eusebii Pamphili χρονικὸς κανὼν rectè ponit Νεκτανεβῶνα Olymp. 103. cœpisse regnum; octo annos tenuisse. ergo centesima quinta Olymp. potuit venisse in Macedoniam, Alexander Olymp. 106. anno primo natus est.

Eusebius. Hic Ochus Aegyptum cum copijs ingressus, viuo adhuc Patre Artaxerxe, vel vt alii tradunt, post mortem patris Aegyptum occupauit, Nectenabo vel in Aethiopiam, vt quidam, vel in Macedoniam vt alij prodidere, vbi Olympiadem per magicas artes deceptam inijt, & ex illa Alexandrum, multorum sententia Hammonis Iouis filium, suscepit. Eusebius Latinus factus tamen Nectanebum in Aethiopiam pulsum scribit Olymp. 107. anno tertio, cum Alexander iam septimum agitaret annum. Diodorus anno 4. Olymp. 107. Itaque fabula est de Olympiade, credita tamen ex aliorum rationibus, immo & Scipio, & Augustus, & Galenus, vt Aurelius Victor in Galerio Armentario narrat, ita nati feruntur. De Scipione ex Liuio & Silio docui: de Augusto
* CXCIV. Suet. * Asclepiades Meneletes affirmat. At iam matrem Augusti idem passam in Apollinis sacris, eoque Augustum voluisse Apollinis filium videri, sed tam fuit Apollinis filius Augustus, quam Hammonis Alexander, vt Africanus Iouis, inquit, Læuinus. Poëticum ergo potius figmentum credas, quam historiam, vt illud carmen Antipatri

Βουκόλος ἔπλεο Φοῖβε, Ποσειδάων δὲ χαβάλλης
Κύκνος Ζεύς, Ἄμμων δ᾽ ἀμφιβόητος ὄφις.
Neptunus quadrupes factusq; es Phœbe bubulcus,
Ammon clare draco, Iuppiter albus olor.

Luc. in Alexand. Pseudomant. Hæc de fabula ad similitudinem veri quoque modo efficta. In historia Alexandri pertexitur vsque ad cædem Nectanebi magi, quem, vt Tiberius suos Mathematicos Rhodi, ex rupe præcipitem deturbauit. Fabulæ occasionem præbuit, vt & Plutarchus animaduertit, & Lucianus expertè docet.

Nam illi (Macetidi mulieri) patria erat Pella, qui locus olim floruit sub Macedonicis Regibus, nunc à paucis, iisq; obscuris & humilibus colitur. Ibi cum conspicerent immani magnitudine dracones placidos admodum ac mansuetos, adeò vt à mulieribus alerentur, & cum pueris vnà cubarent, & calcantes ferrent, neque commouerentur, si quis stringeret premeretq;. Deniq; perinde atque infantes lac de papilla sugerent, (nam sunt id genus apud illos permulti) vnde verisimile est olim illam de Olympiade fabulam increbuisse, cum Alexandrum conciperet, huiusmodi dracone quopiam opinor, cum ea concumbente, mercati sunt ex his serpentibus vnum qui esset pulcherrimus, obolo sanè paucis, & quæ sequuntur.

HAVD CONTENTVS MORTALI FASTIGIO) Hoc maximè offendit principes ac purpuratos, aliosque Græcos Macedonum, caussamque præbuit primum Hegilocho, dein Philotæ & Parmenioni conspirandi in necem Alexandri, vt Curtius infra lib. 6. c. 20. ostendit. Et lib. 8. c. 4 Clitus cum à mensa abstraheretur. *Et ad vltimum,* inquit, *Ionis, quem patrem sibi Alexander asseret, oraculum eludens, veriora se Regi, quam patrem eius respondisse dicebat.* Rursum eod. lib. Hermolaus reg. Tu (inquit c. 15.) *Philippum Patrem auersaris, & si quis Deorum ante Iouem haberetur, fastidires etiam Iouem. Miraris si liberi homines superbiam tuam ferre non possumus?* Athenienses, vt est apud Athenæum, Demadem decem talentis multarunt, quòd illis persuadere conaretur, vt Alexandrum pro Deo colerent: Aelianus centum multatum ait. Lacedæmonij iussi tertium decimum agnoscere Deum, ex Dijs Alexandrum decreuerunt. Ἀλέξανδρος βούλεται θεὸς εἶναι, ἔστω θεός. *Alexander quoniam vult Deus esse, esto Deus.*

AVT CREDEBAT ESSE, AVT CREDI VOLEBAT.) Ego tam stultum nunquam fuisse existimo Alexandrum, vti se ipsum crederet Ioue satum, sed hoc credi volebat ad aliorum Regum superbam & stultam imitationem; vel vt sibi famam diuinitatis conciliaret apud barbaros, quo facilius ipsos suo imperio subijceret. Sic enim apud Lucianum se patri purgat apud inferos. *Neque verò nesciuseram, pater, Philippi Amyntæ esse filium: sed quia ad res gerendas sic mihi visum erat conducere, commento hoc vsus sum vaticinij.* Et mox infra, *Non istbuc, sed barbaros in mei admirationem*
Lib. 8. in respon. ad Hermolai orationem c. 16. *tractos facilius hoc prætextu nostro subdidimus imperio: cum nemo vnus viribus nostris adhuc restiterit, quippè hac sola opinione ducti, quod aduersus Deum sibi esset præliandum.* Idem excusat apud Curtium infra. *Vtinam Indi quoque Deum esse me credant. Fama enim bella constant, & sæpè etiam quod falsò creditum est, veri vicē obtinuit.* Falsus idem est se mortalem eod. lib. vulneratus. *Cæterum cum crure saucium penderet, & cruore siccato frigescens vulnus aggrauaret dolorem, dixisse fertur: se quidem Iouis filium dici, sed corporis ægri vitia sentire.* Et apud Plutarchum Τοῦτο μὲν ἔστιν, ὦ φίλοι, τὸ ῥέον αἷμα, καὶ οὐκ ἰχώρ.

——οἷός πέρ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσι.
Hic, amici, inquit, sanguis non est talis.
——*dijs vt solitus manare beatis.*

Dioxippus Atheniensis (vt narrat Aristobulus Cassandrinus apud Athenæum.) quinquertio,
cùm

cùm vulneratus esset Alexander, manantè sanguine, hoc fertur dixisse, non ipse Alexander *ἰχὼρ οἷός πέρ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσι.* Aelianus lib. 9. c. 37. aliter tradit, *τῷ μὲν τοι θεῷ ἡμῶν ἐν ζιβλίῳ ῥοφήματι αἱ ἐλπίδες κεῖνται: Nostro Deo spes sita est in cochlearis sorbitione.*

Elegans dictum addit Plutarchus Alexandri in Anaxarchum Sophistam. qui tonanre immaniter Ioue interrogarat Alexandrum: *μὴ σὺ τοιοῦτον ὁ τοῦ Διός; nunquid tale potes quid tu fili Iouis?* respondisse tradit Alexandrum subridentem: *Nolo*, inquit, *formidolosus esse, sicut tu me vis, amicis, qui cœnam fastidis meam, quod pisces videas in mensis, non satraparum capita apposita.* Idem Satyrus in vitis refert apud Athenæum de Alexandro Eudæmonico Philosopho, vno ex assentatoribus Alexandri. Athenæus lib. 6. p. 251.

ERGO CVM IIS QVOS DVCERE SECVM STATVERAT.) Aelianus & Plutarchus tradunt spacium Alexandriæ condendæ captum ab Alexandro, priusquam ad Hammonem proficisceretur, relictamque magnam manum ad moliendam vrbem, dum ipse peteret oraculum, iussamque operi instare. Curtius, Siculus, & Iustinus post reditum ab Hammone: Ego designatam prius reor, postea perfectam. Sumpsit in comitatum secum copias suas cum camelis, qui dona Ioui, vtresque aquarum ferebant ad leuandam sitim.

SECVNDO AMNE.) Nam aduerso per Pelusiacum portum ascenderat Memphin vsque, vbi reliquit Nilum ad dextrum eum nauibus, ipse Heliopolin & vrbes eo loci sitas occupauit. Dein traiecto flumine, Memphin adijt, inde cum classe per alterum Nili alueum descendit ad Canopicum sinum, circumuectus Mareotim, qui locus elt instar maris, & multis palus, mulris mare appellatur. Vbi locum vrbi delegit inter vtrumque mare, Mareoticum inquam, & AEgypticum, quod claudit Δέλτα, vt mox infra docebo. A Pelusio ad verticem Δέλτα, sunt stadia octingenta quadraginta, hoc est, milliaria Germanica XXVI. & duobus stadijs minus semisse. Ab Alexandria ad eundem verticem milliaria Germanica XXIII. cum duobus stadijs minus semisse. Septingenta quinquaginta Artemidoro teste, vt est apud Strabonem lib. 17.

MAREOTIM PALVDEM) Strabo in descriptione Alexandriæ de Mareotide: *Duo maria locum (designatum pro Alexandria) vndique alluunt, alterum à Septentrione, quod AEgyptium dicitur; alterum à Meridie, quod Marea lacus, & Mareotis appellatur. Eum Nilus multis fossis, tumè superioribus partibus, tum à lateribus actis, implet.* Idem lacus autem Mareæ latitudinem habet supra centum stadia, hoc est, triginta milliaria nostratia cum octaua parte, longitudinem infra trecenta, quæ nouem milliaria nostratia efficiunt, cum sesquiquadrante, si iustè sint treeenta. Stephanus: *περὶ πόλεων* ΜΑΡΕΙΑ *πόλις καὶ λίμνη τῇ Ἀλεξανδρείᾳ παρακειμένη· ἣ καὶ Μαρεῶτις λέγεται, ἀφ' ἧς καὶ Μαρεώτης οἶνος. Marea ciuitas & lacus est, Alexandriæ adiacens, & Mareotis dicitur, vnde vinum Mareoticum.*

LEGATI CYRENENSIVM) Diodorus Siculus Cyrenenses tum demum narrat occurrisse, cum dimidium itineris iam ad Hammonem confecisset: *κατὰ μέσην δὲ*, inquit, *τὴν ὁδὸν ἀπήντησαν αὐτῷ πρέσβεις παρὰ Κυρηναίων στεφάνους κομίζοντες καὶ μεγαλοπρεπῆ δῶρα, ἐν οἷς ἦγον ἵππους πολεμιστὰς διακοσίους καὶ πέντε τέθριππα τὰ κράτιστα. Quumque iam itineris dimidium progressus esset, Cyrenensium legati ei occurrerunt, coronam & munera ampla apportantes, in quibus erant equi bellatores trecenti, & firmissima quadriga bene quina.* Iunxit cum his amicitiam Alexander, dein iter prosecutus est. Arrianus Memphi auditos, ait, priusquàm descenderet ad Mareotim. Iam quæris qui fuerint Cyrenenses? Cyrenaica hodie Marmarica regio à Cyrene vrbe regia nuncupata, Pentapoleos nomine insignis fuit, quod quinque nobilissimas ciuitates contineret, Berenicen, Arsinoen, Ptolomaida, Apolloniam & Cyrenen. Liber populus multis antè sæculis, demum Macedonibus ac post hos Romanis subiecti, definitur prouincia ab occasu, Syrti magna & Africa. A Septentrione Libyco pelago, ab orru solis Marmoricæ parte: à Meridie desertis Libyæ. Plinium ad lib. 4. c. 5. Sallust. bell. Iug. c. 79. Solinum, Strabonem, Iustinum l. 13. & alios. De Cyrenensibus plurima Herodotus Melpomene. Ptolomæus lib. 4. c. 4. tab. 4. Africæ.

AC PRIMO QVIDEM ET SEQVENTI DIE) Quæro quot dierum iter fuerit à Mareotide lacu ad Hammonis templum? Variant etiam hoc auctores. Plinius à Memphi ad Hammonem XII. dierum iter ponit. Diodorus inter arenas Alexandrum ait, hæsisse octo dies, primis quatuor diebus vsum aqua à camelis deuecta, reliquis quatuor cœlesti imbre adiutum, postea Ducibus coruis venisse ad regionem habitatam. Plutarchus non distinguit iter. Arrianus ex Aristobulo docet Alexandrum primis diebus iter haud procul à mari Parætonio fecisse per regionem non omnino siccam, stadijs mille sexcentis, hoc est, quinquaginta milliaribus Germanicis, quando triginta duo stadia vnum ex nostratibus conficiunt. Dein Aristobulus affirmat petijsse Alexandrum Mesogabam, vbi Oraculum est Hammonis, per regionem omnino sterilem, fabulosque impeditam, & aquæ inopem, sed cœlestibus aquis effusis recreatum esse exercitum. Strabo à Parætonio ad Hammonem numerat stadia CIↃ. CCC. milliaria quadraginta cum semisse & octaua. lib. 5. c. 5. lib. 17.

QVI ALTO OBRVTI SABVLO) Præclarè Lucani carmine hic totus Curtij locus illustratur. li. 9. Pharsaliæ.

Tum quoque Romanum solito violentius agmen
Aggreditur, nullusq; potest consurgere miles,
Instabilis raptis etiam quas calcat arenis.

Et mox: *Sed quia mobilibus facilis turbatur arenis.*
Nusquam luctando stabilis manet, imaq; tellus
Stat, quia summa fugit, galeas & scuta virorum
Pilaq; contorsit violento spiritus actu. Et infra:
Sic orbem torquente Noto Romana iuuentus
Procubuit, metuensq; rapi constrinxit amictus,
Inseruitq; manus terræ, nec pondere solo
Sed nixu iacuit, vix sic immobilis Austro.
*Qui super ingentes cumulos inuoluit * arena*
Atque operit tellure viros ———

* Arena, arenæ dixit contra eos qui negant in singulari dici arenã.

TERRAM OCVLIS REQVIREBANT) Lucanus:
Iamque iter omne latet, nec sunt discrimina terræ
Vlla, nisi ætheriæ medio velut æquore flammæ
Sideribus nouère vias ——— *manant sudoribus artus*
Arent ora siti ———

IAM STERILI ET EMORIENTE TERRA) Lucanus:
——— *Exurit messes & puluere Bacchum*
Enecat, & nulla pului radice tenetur,
Temperies vitalis abest ———

Iam supra Geographos præter Arrianum, Plutarchum, Siculum, Herodotum adduximus, & locus hic Curtij liquet. Non ineleganter hoc loco Galterus.
Ardet rex Lybici sedes Hammonis adire
Difficiles aditus, iter intolerabile, quamuis
Fortibus & paucis, rorem sitit arida tellus,
Et cœlum mendicat aquas, æstuq; perenni
Macrescit regio, & steriles moriuntur arenæ.
Cumq; tenax sabulum solem concepit, & aura
Impulsuq; pedum concreuit, turbo procellas
Hic Syrtes habuère suas, hic altera sicco
Scylla mori latrat, hic puluerulenta Charybdis
Puluereos vomit illa globos. iacet ille sepultus
In sabulo. fortasis eos leuiore procella
Punisset mare Neptune, quam pulueris æquor
Nusquam culta virent, hominis vestigia nusquam,
Nusquam terra oculis, nusquam sese obijcit arbor.

Hoc addo. Felicitate vsum Alexandrum, quod Austri etiam aliàs ibi flantes tum quieuerint, qui alioqui facilè exercitum, vt Cambysem & Psyllos, obruissent.

SIVE ILLVD DEORVM MVNVS) Omnes Scriptores præter Iustinum, qui de Alexandro tradunt, hanc historiam referunt, Plutarchus, Arrianus, Siculus, qui àquam etiam pluuiam ex conualle haustam in quatriduum suffecisse, ait, Alexandro, illudque munus Deorum creditum. Plutarchus disertè duo pericula diuinitùs munere Deorum euasisse, putat Alexandrum, aquarum inopiam, excusso subitò imbre, & Austro coercito vt flaret, qui arenarum fluctus solitus fuit excitare. Non ita Catoni, quamuis pio, canit succursum Lucanus, sed exiguam inter arenas venam aquæ, qui vix vni suffecisset Catoni, si bibisset: De eodem Catone Seneca epist. 104. Vides posse homines labores pati? per medias Africæ solitudines pedes duxit exercitum. Vides posse tolerare sitim: & in collibus arentibus, sine vllis impedimentis victi exercitus reliquias trahens, inopiam humoris loricatus tulit, & quoties aquæ fuerat occasio, nouissimus bibit.

Pharsal. 9. Vide lib. 7. infrà.

Hoc alias Dauid vir Hebræorum sanctissimus, & Alexander Macedonum fortissimus, & Theodosius iunior religiosissimus Imperator fecisse memorantur.

COMPLVRES CORVI) De Coruis consentiunt Aristobulus, Callisthenes, Diodorus Siculus, Plutarchus. Ptolomæus Coruos in Dracones transformat, quos, ait, clamore edito agmen præcessisse, atque ad Hammonis ædem duxisse, & reduxisse. Arrianus prodigium quidem aliquod ostensum putat, sed cuiusmodi fuerit, propter scriptorum variantes sententias cunctatur dicere. Callisthenes eleganter coruorum officiosum ducendi exercitus ministerium (vt Curtius hic) describit apud Plutarchum: Deinde confusis quibus duces itineris vtebantur, notis, qui erraret agmen per ignorantiam, atque ab itinere deflecteret, corui oblati duces se præbuerunt. Si agmen sequebatur, incitatis antecedebant pennis: sin incederet lentius & tardius, opperiebantur. Quod verò miraculum superabat omne, vt auctor est Callisthenes, vocibus & crocitu, si qui nocte aberrarent, hos reuocabant, atque ad vestigium viæ reducebant.

INCREDIBILE DICTV INTER VASTAS SOLITVDINES, ITA VNDIQVE AMBIENTIBVS RAMIS.) Non constat hic oratio, nec verborum connexio, nisi aliter legas, & aliter interpungas.


pungas. Nam tutè collige, & committe voces, & cognosces deficere compositionem. Quid enim est. *Ita ambientibus ramis vix in densam vmbram cadente sole, confecta est: multiq; fontes &c.* Scribe ergo cum Acidalo. *Incredibile dictu, inter vastas solitudines sita, vndiq; ambientibus ramis:* & quæ sequuntur: sententia est. Fidem propè excedit: sedes consecuta Deo, seu locus & lucus Hammonis in vasta silua situs, vndique opacitate frondium septus, sole vix vmbram penetrante, terramque respiciente, confectus est, multique fontes &c. siluas alunt.

CAELI QVOQVE MIRA TEMPERIES) qualis est in Hesperidum nemore, haud procul inde sito, & fortunatis insulis, quæ hodie Canarię dicuntur. Lucanus: Lib. 9.

Esse locis superos testatur silua per omnem
Sola virens Lybicen: nam quicquid puluere sicco
Separat ardentem tepida Berenicide Leptim,
Ignorat frondes solus nemus extulit Hammon
Siluarum fons caussa loco -----

Subdit postea Lucanus quare circa Hammonem nullam arbores iaciant vmbram, quod sub æquatore sitæ sint, quod quàm verum sit, Astrologi docent, qui negant Hammonem penitus sub æquatore deprehendi. Eodem modo Diodorus Siculus postquam circumfusas vndique arenas eluctatus est, depingit nemus Hammonis, & suis finibus circumscribit: Ipsa sedes (seu regio circū Hammonem) in latum & lōgum quinquaginta stadia patet, sesqui milliari nostrate cum duobus stadijs. Arrianus decem stadijs arctiorem siluam facit quam Siculus. Cætera de cultu loci eadem descriptio est Diodori & Arriani cum Curtio, nisi quod sigillatim etiam de triplici munimento arcis exertè & signatè exponit.

ACCOLAE SEDIS SVNT AB ORIENTE PROXIMI AETHIOPVM) *Non satis facit* (inquit Glareanus) *hac descriptio Geographiæ perito, quamquam ego eam corruptam & mutilam, deniq; malè distinctam puto. Priorum enim versuum sensus de ortu & meridie, vbi distinguendus est nescitur, Aethiopum, Troglotytarum & Arabum.* Sed nec corruptus locus est, & distinctu facilis. Ita ergò interpunge. *Accolæ sedis sunt ab Oriente proximi AEthiopum; in meridiem versi Arabes spectant, (Troglodytis cognomē est) horum regio vsq; ad mare rubrum excurrit, at qua vergit ad occidentem, alij Aethiopes colunt, quos Symnos vocant; à septentrione Nasamones sunt, gens Syrtica* &c. Et quamuis ex hac sola veraque interpunctione iam mens auctoris sagaci Lectori liqueat, tamen vt omnibus sole clarius pateat, παραφραστικῶς exponamus: In medio sit fanum Hammonis: ab oriente habitant proximi Aethiopum, à meridie Arabes Troglodytę dicti, ab occidente alij Aethiopes, à Septentrione Nasamones. Nonne sole clarius iam lucet Curtius? aspice iconem subiectam.



non ita exertè Diodorus, sicuti, qui Accolas Orientis prætermittit, sic enim Siculus: τὴν δὲ ἱερὰν τοῦ θεοῦ χώραν περιοικοῦσι κατὰ μὲν τὴν μεσημβρίαν καὶ δύσιν αἰθίοπες, κατὰ δὲ τὴν ἄρκτον λιβύων νομαδικὸν ἔθνος, καὶ πρὸς τὴν μεσόγειον ἀνῆκον τὸ τῶν Νασαμώνων ὀνομαζόμενον ἔθνος: *sacram hanc Dei regionem accolunt versus Meridiem & Occidentem Aethiopes; ad Septentrionem Libyes Numidæ, quibus in mediterraneo campo adhærent Nasamones.* Medium tenent Hammonij: Ptolomæus in tertia Africæ tabul: Hammoniam his finibus describit. Ab ortu finitur regio Iudæa, Arabia Petræa, sinu Arabico: à Meridie interioris Libyæ deserto, & Aethiopia, quæ sub Aegypto est: ab occasu Africa & magna Syrte & parte interioris Libyæ: à Septentrione Libyco pelago & Aegyptio. Sed Ptolemæus non tantum Hammoniam, quasi mediam, sed Aegyptum etiā & Pentapolin cum Marmarica seu Hammonia complexus est.

TRAGLODYTIS COGNOMEN EST) Sunt qui à Poeta Erembos hos dictos existiment.

Αἰθίοπας θ' ἱκόμην καὶ Σιδονίους καὶ Ἐρεμβούς. Odyss. 4.
Veni & ad AEthiopas, & Sidonios & Erembos.

Sed plerique hos Arabes arbitrantur. Ἐρεμβοὶ autem ἀπὸ τοῦ εἰς ἔραν ἐμβαίνειν, à terra subeunda dicti

dicti sunt, quod in speluncis habitent, unde & Troglodytæ cognominantur. τρώγλη enim Græcis
li.16. est cauerna, δύω ingredior. Artemidorus horum vitam cultuum, mores copiosè enarrat apud Stra-
li.6 c.29. bonem, qui de eisdem volumine XVII. ipso initio tractat. Plinius autem varijs locis & libris de eis-
dem memorat. Hodie dicuntur Abassini, gens proxima rubro mari. Regnum Barnagas indigenæ nominant. Obseruandum quod Herodotus de ijsdem refert. *Troglodita Aethiopes solu omnium quos fando cognouimus pernicissimis pedibus sunt: serpentibus lacertisque, & alijs id genus re-*
cap.44. *ptilibus vescentes, lingua nulli alteri similis vtentes, sed vespertilionum more stridentes.* Solinus:
Plinius li.6. *Troglodyta specus excauant, illis teguntur.* Dicuntur Græcis etiam θηρατόαι à ferarum venatione,
c.29. quos pedum velocitate assequuntur. Melas l.1.c.VIII. *Troglodyta nullarum opum Domini, strident ma-*
Solinus 70. *gis quam loquuntur, specus subeunt aluntur q́, serpentibus.* Diodorus eandem gentem depingit suis co-
l.4. antiq. loribus, & à Græcis pastores, ait, appellatos.

QVOS SYMNOS VOCANT.) Nusquam reperio hanc gentem, negant omnes Geographi extare seu Symnos seu Symyos, nam & scriptura variat, vnde est in mentem cogitare Scenitas legendum, quomodo antiqui Codices respondent, qui tamen à Strabone & Plinio collocantur in Mesopotamia. Ptolomeus, Stephanus, περὶ πόλεων voce Gorama. Ammianus, Marcellinus, Solinus, In Arabia. Stephanus Γόραμα, χώρα τῶν Σκηνιτῶν Ἀράβων. Marcellinus Aegyptiã gentem facit omnium vetustissimam, *nisi quod super antiquitate certat cum Scythis, meridiali latere Syrtes maiores & Physcus promontorium, & Borinm, & Garamantes nationes q́, varia claudunt: qua Orientem è regione prospicit, Elephantinam & Meroen vrbes Aethiopum, & Catadupos rubrum q́, pelagus, & Scenitas pratenditur Arabos, quos Saracenos nunc appellamus.* Et idem: *ab occidua plaga contingit Armenios & Niphatem, & in Asia sitos Albanos, mare rubrum, & Scenitas Arabas, quos Saracenos posteritas appellauit.* Marcellinus
c.46. varia ratione Scenitas nunc ad Occidentem, nunc ad Orientem collocat, sicut nos Asiam minorẽ in Oriente collocamus, Armeni & Persæ eandem ad Occidentem respiciunt. De Scenitis & originatione verbi hæc Solinus: *verũ hac Arabia procedit vsq, ad illã odoriferam & diuitem terrã, quam Catabanes & Scenitæ tenent, Arabes nobiles monte Casio: qui Scenita caussam nominis inde ducunt, quod tentorijs succedunt, nec alias domos habent. Ipsa autem tentoria ciliciua sunt: ita nuncupant velamenta è ca-*
lib.4.tab.3. *prarum pilis texta.* Arabiam hic desertam Solinus cum Ptolomęo accipit, quæ tenditur vsque ad Fe-
Africæ. licem, est enim triplex, Petræa, Deserta, & Felix dicta, quam Græci εὐδαίμονα appellant. Ptolomæus tamen non Scenitas, sed Sentites nuncupat, nisi mendosa est scriptura, quod suspicor. Videtur Strabo Syntas appellare, quos Curtius Symnos aut Symuos dixit. Venit tamen in mentem posse Symnos videri eos, quos Diodorus Siculus Antiquit. lib. Simos vocat.

A SEPTENTRIONE NASAMONES SVNT.) Hunc locum Curtij aperiunt nobis Lucani versus lib. IX.

Hoc tam segne solum gratas non exerit herbas
Quas Nasamon gens dura legit, qui proxima ponto
Nudus rura tenet, quem mundi barbara damnis
Syrtis alit, nam littoreũ populator arenis
Imminet, & nulla portus tangente carina
Nouit opes. sic cum toto commercia mundo
Naufragijs Nasamones habent.

Multa de Nasamonibus Herodotus in Euterpe, & illorum rege Etearcho gentem Libycam ad o-
lib.II. ram Syrtis Plinius: *Iam in ora Syrtis Nasamones, quos antea Mesammones Gracè appellauere, ab argu-*
lib.4.c.5. *mento loci medios inter Gacenas sitos.* Ptolomæus lib. 4. tab. 3. in Marmoricæ descriptione Nasa-
lib.17. mones ponit. Strabo: Syrtis & Cyrenaicæ supernè incumbentem regionem Afri obtinent sterilem sanè & aridam, primi Nasamones, postea Psylli & Getulorum pars. Stephanus à Nasamone quodam
li.4. antiq. dictos affirmat. Diodorus Siculus circa Cyrenem ac Syrtes quatuor genera describit. Nasamones, ait, ad Notum vergere. Sed quæ Curtius Nasamonibus assignat, Diodorus Auchisis tribuit, quamque coniunctim de illis narrare videtur, quando de Nasamonibus nihil seorsim addit *Tertij,* inquit,
vni regi *neq, * vlli subsunt regibus, neq, vllam iusti & aqui rationem notitiamque habent, latrocinijs semper intenti, rapientes enim qua prima ex deserto, casũ occurrunt, confestim ad sua loca redeunt.* Describit postea mores copiosè.

SYRTICA GENS.) Syrtis ἀπὸ τοῦ σύρω Straboni deducitur, quod à vento trahantur in mare arenæ & cumulentur, ac cogantur. Syrtes Virgilio & Latinis quæuis in mari breuia, vt Græcis βράχεα appellantur, loca inquam vadosa & arenosa, vbi latentes in vndis scopuli, arenæ, vada cæca exsiltunt. Sunt quidem aliæ passim, sed duæ in extremis Africæ oris celebratissimæ, à quibus & aliæ
cap.40 nomen habent, Maior, de qua hic; & Minor. de vtraque Geographi. Solinus eleganter has describit: *Syrtes, inquit, quas inaccessas vadosum ac reciprocum mare efficit, cuius sali defectus vel incrementa haud promptum est deprehendere, ita incertis motibus nunc in breuia rescinditur, nunc æstibus inundatur inquietis. Varro auctor est perstabilem ibi terram ventis penetrantibus subitam vim spiritus subitissimi aut renomere maria, aut resorbere.* Ita Solinus in ventum & æstum maris potius, quam in arenas vento agitatas caussam Syrtium confert. Elegantius adhuc Salustius. *Caterum situm* (Leptis Oppidum)
inter

inter duas Syrteis, quibus nomen ex re inditum. nam duo sunt sinus propè in extrema Africa, impares magnitudine, pari natura: quorum proxima terra prealta sunt; cætera, vti fors tulit, alta: alia in tempestate vadosa; nam vbi mare magnũ esse, & sæuire ventis capit, limum arenamq́, & saxa ingentia fluctus trahunt, ita facies locorum cum ventis simul mutatur. Dio Chrysostomus easdem egregiè exprimit in fabula Libyca, cui volupe est cùm eleganti ingenio fabulari, poterit auctorem consulere. Locus incipit, ἔστι δὲ ἡ Σύρτις, &c. supra, omnia ferè quæ narrat Diodorus lib. 3. de Syrio finu. Plinius vtriusque Syrtis Africæ magnitudinem circumscribit, minoris trecentis millibus passuum ambitu, maioris circuitu ꟾↄC.XXV. millibus; Idem, duos sinus *vadoso ac reciproco mari diros* nominat. Nec tacet Lycophron in Cassandra, neque Zetzes.

Sexaginta milliaribus German. viginti quatuor.

INCOLAE QVOS HAMMONIOS VOCANT.) Descriptis circumiacentibus populis Hammonis, incipit ipsam Hammoniam & sedem Hammonis describere. Abest autẽ (vt dimensus est Strabo) tribus stadiorum millibus à mari Hammonis æde, hoc est, nonaginta tribus nostratibus milliaribus cum triente, quamquam opinio est Eratosthenis apud Strabonem, Hammonem olim fuisse in mari. A Parætonio, vnde soluit Alexander, & incipit Hammonia, ad ipsam sedem Hammonis vsque stadia mille & trecenta (quamuis alij sexcenta ponunt) quæ milliaribus quadraginta paulloque amplius constant.

Lib. 4. c. 4
Lib. 1.
Lib. 1. & 17.

HAMMONIOS VOCANT.) Regio Hammonia, & Hammouia ea regio, ab ipso Ioue Hammone, quem alij regem Libyæ, alij pastorem faciunt, alij ab arenis, quæ * ἄμμος, seu ἄμμος Græcis dicitur, Hammonem aut Ammonem aiunt nuncupatum. Manetho Sibennites non ab arenis Hammonem. Sed à voce ἀμοῦς dictum contendit, quod Aegyptijs valet occultum, seu occultationem, quo suam originationem Plutarchus in Phyride sumsit. Plato in Phædro Thamos, nisi mendosus est locus, habet. Ramesses tamen Rex Aegypti in obelisci Thebani epigraphe non semel vocat Hammonem. Sed de originatione vocis infra plura ex Hervvarto.


* ἄμμος aliter, vnde apud Latinos vtroque modo scriptum repetitur Iupiter Ammon, & Iupiter Hammon, inde arenarius Hãmon. Propertius elegi. lib. 4.

DISPERSIS TVGVRIIS.) Hammonij, seu populus vicinus in silua quidem degit, sed extra arcem, quam triplici munitione circundant Cuttius & Diodorus. Nemus est lætum, felici arbore Palma, thuia, thya, paliuro, & alijs, vt Theophrastus, Arrianus, Diodorus, & Plinius referunt.

PRIMA MVNITIO.) intima nempè in vmbilico arcis & nemoris quæ est angustissima, & est ipsa regia & aula veterum regum. Alteram arcis partem seu medium, occupabant reginæ cum regia sobole, ephetis & gynæcæo. Paullò plenius hic Diodorus rem proponit mediamque arcem vbi gynæcæum & Oraculum est, propugnaculum totius loci affirmat, nec delubrum tantum ibidem collocat, sed fontem etiam sacrum, in quo quæcunque Deo offerenda erant, prius abluebantur. Et in hac media arcis parte erat ipsum oraculum & templum Hammonis. Vltima demum & latissima sedes muro circũdata claudebat præsidium militare, custodes arcis, & corporis regis. Ecce iconismum & templi, & arcis, ex Ortelio descriptum.

Hoc nec arenosum Libyci Iouis explicat antrum.

Iouis Hammonis Oraculum.



Iam quæras ex me conditorem Iouis Hammonis & originem fani. Nigidius apud Cæsarem Germanicum ad Arati arietem, originem refert ad arietem qui subitò ex arenis extiuit, cum Bacchus illac exercitum duceret. Immortali autem, inquit, honore donatum (inter astra nempè Zodiaci seu signiferi) quod cum Liber exercitum in Africam duceret, & aquæ inopiam pateretur, subitò aries ex arena exiuit, & Liberum cum suo exercitu ad aquam diuinitùs perduxit. Hoc facto Liber eum arietem Iouem Hammonem appellauit, eique fanum magnificum fecit, eo in loco, vbi reperta est aqua; & abest ab Alexandria itinere dierum nouem, locus arenosus, & serpentum multitudine plenus, & ab arena Ammon est nominatus. Ita ferè Hermippus quoq; apud Hyginum volum. II. in ariete: *Hermippus autem*, (inquit Hyginus) *dicit: quo tempore Liber Africam oppugnauerit, deuenisse eum cum exercitu in eum locum, qui propter multitudinem pulueris Ammodes est appellatus. Itaq; cum in maximum periculum deuenisset, quod iter necessario facere videbatur, accessit eò vt aquæ maxima penuria esset, quo facto exercitus ad defectionem maximam venire cogebatur. qui quid agerent dum cogitant, aries quidam, fortuitò ad milites eorum errans peruenit, quos cum vidisset, fuga sibi præsidium parauit. Milites autem qui eum fuerant conspicati, etsi puluere & æstu pressi vix progrediebantur, tamen vt prædam ex flamma petentes, arietem sequi cœperunt vsque ad eum locum, qui Iouis Hammonis postea templo constituto est appellatus. Quo cum peruenissent, arietem quem consecuti fuerant, nusquam inuenire potuerunt. Sed quod magis hic fuerat optandum, aquæ magnam copiam in eo loco nacti sunt, corporibusq; recuperatis Libero statim nunciauerunt, qui gauisus, ad eos fines exercitum duxit, & Iouis Hammonis templum cum arietinis cornibus simulacro facto constituit, arietem inter sidera figurauit.* Alias origines deducit
lib. 2. Herodotus, quos ait se accepisse ex relatione sacerdotum Iouis Thebani, de duabus fœminis sacerdotibus à Phœnicibus adductis: de duabus verò nigris columbis Dodoneorum Sacerdotum narratione, sed hæ fabulæ Herodotianæ sunt, quibus vt pater fabularum abundat.

4. Æn. v. CXCVIII. Virgilius Iarbam Africæ Regem videtur conditorem Hammonis laudare.

Hic Ammone satus, rapta Garamantide nympha,
Templa Ioui centum latis immania regnis,
Centum aras posuit ————

Lib. 17. Diodorus Siculus Templum eius ab Aegyptio Danao conditum prodidit. Atque hæc de conditoribus & origine Hammonis. De effigie eiusdem mox infra subijciemus. Diodorus Siculus lib. 3. antiquit. Hammonem Libyæ regem fuisse scribit. *Idem traditur*, inquit, *Ammon galea in bellis vsus, cuius insigne fuit arietis caput. Sunt qui ipsum affirment naturâ in vtroque tempore patulæ habuisse cornua, propterea filium eius Dionysium* (Bacchum) *eodem fuisse aspectu: posterisq; traditum Deum hunc cornua gestasse.*

Lib. 17. Est etiam aliud Hammonis nemus) De hoc Diodorus planè vt Curtius: *Haud longè ab ipsa arce alterum extat Hammonis templum, multis magnisq; arboribus inumbratum, propè quod fons est, qui ob id quod ei accidit, Solis nuncupatur. Habet enim aquam secundum horarum spatia mutationes mirandas facientem. Ad primum diei ortum tepida exit de fonte. Progrediente die ad horarum additamenta paulatim frigescit, donec meridie æstuante, ipsa ad summam redigatur frigiditatem, quam rursus per momenta sua remittit sensim vsque ad solis occasum, nocteq; ineunte vsque ad mediam semper magis incalescit, inde calore deficiente, fit, vt circa lucem pristinum statum prorsus recuperet.* Ptolomæus fontem hunc Solis cap. 4. inter Garamantes ponit, & mille ferè stadijs ab oraculo remouet, vt & Glareanus, & alij notarunt. Plinius apud Troglodytas, sed eleganter hunc Lucretius & describit, & caussas rerum naturales explorat, quas apud eundem cognosces. Plinium adde l. 2. c. 3. l. 5. c. 5. Herodotum in Melpomene, Arrianum lib. 3. Ouid. 15. Met. Gualterum l. 1. Melam, Solinum.

Id qvod pro Deo colitvr.) A descriptione loci transit ad exprimendam formam Iouis Hammonis, qua colebatur, & sanè multum abit Curtius à plerisque alijs rerum scriptoribus, qui arietina fronte & ore cornuto, vmbilico tenus Hammonem exprimunt. Curtius lapidem vmbilico similem pro Deo cultum affirmat. Sed hic primum de scriptura controuersa videndum est. Chirographa omnia, quæ potuerunt haberi, & ἐκτετυπωμένα, exemplaria hæc verba exhibent: *Id quod pro Deo colitur, non eandem effigiem habebat, quam vulgo Dijs artifices accommodauerunt. Vmbilico maximè similis est. Habitus smaragdo & gemmis coagmentatus.* Franciscus Modius cum Palmerio legit: *Vmbilico tenus arieti similis est*, & geminas voces, *tenus* & *arieti* admensus est ex suo, quæ in Curtio nullæ sunt. Omnes enim & MSS. & vulgati verè rectèque videntur habere: *Vmbilico maximè similis est*. Sed quæ mens, inquis, Curtio? certè Modij verba speciem veri ha-
lib. 8. bent, nam vt pro illo in speciem propugnemus. Sextus Pompeius: *Hammo*, inquit, *cognominatus, quia*
* ἄμμος *in arena positus inuentus, quæ Græcè hoc nomine* * ἄμμος *appellatur. Cui cornua affinguntur arietis à genere pecoris, inter quod inuentus est.* Et Herodotus: *Iupiter cùm nollet ab Hercule cerni, ab eo tandem exoratus, id commentus est, vt amputato arietis capite, pelleq; villosa quam illi detraxerat induta, sese ita Herculi ostenderet, atque inde factum vt Aegyptij Iouis simulacrum arietina facie confingerent, & ab Ae-*
*an Ephæstus? *gyptijs Ammonios auit accepisse.* Græci quoque Ammonem κερατοφόρον nuncupant. * Phestus Græcus auctor:

Ω λιβύης Αμμον κερατηφόρε κέκλυθι μάντι

O Libya vates exaudi corniger Ammon.

Iam Lucanus ——*stat corniger illic*

Iupiter, vt memorant ——

Luctatium Placiadem vide ad illa Statij —— *licet aridus Hammon Inuideat: Simulacrum*, inquit, *eius adiectis cornibus arietinis confectum est*. Et ipse Statius—— *Quis est corrigeri vatis nemus* —— ad 3. Statij.

Ouidius —— *Medio tua corniger Hammon*

Vuda die gelida est —— 15. Mart.

Martianus: *Ammon apparuit cum cornibus arietinis & vestimento lanicio, ac sitientibus vndam fontis exhibuit*. Seruius ideò arietino capite fingi solitum ait, quod eius essent inuoluta responsa. Traditur Ammon in bellis galea arietis cornibus insigni vsus, indeque putatur fabula nata, apud Lucianum κριοπρόσωπος appellatur. Arnobius aduersus Gentes. *Itaque Hammon cum cornibus iam formatur & fingitur arietinis*. Quàmquam Arnobius Iouis Hammonis statuam ad modum hominis factam intelligat, eique pro insigni cornua arietis velut pro tegumento apposita, sic enim ille: *Si modo Ioui cornua detrahat, & Martis temporibus affigat, Matrem armis spoliet, & his rursum circumcludat Hammonem: interstinctio fieri qua poterit singulorum, cum qui Iupiter fuerat, idem possit existimari Mars esse. Et qui Mauors fuerat, subintroire speciem Iouis possit Hammonis*. Hæc & his plura à me ex alijs laudata Auctorum testimonia videntur pro Modio facere ad corrumpendum Curtium. Sed oportebat Modium ad duplicem Hammonis faciem animum & oculos aduertere, alteram, quæ pro icone ipsius habebatur; alteram, quæ pro ipso numine colebatur. Illa specie arietina fuit; hæc vmbilici, quem hoc loco delineat Curtius. Pro nobis facit eruditissimus vir & Sodalis noster Andreas Schottus apud Ortelium. *Vmbiculum*, inquit, *hic interpretor rem aliquam eminentem* (vt vmbilicus in concharum genere, aut in corpore humano) *metæ instar, veluti conum, aut quadratum, aut rotundum: quemadmodum voluminibus iam ferè absolutis (teste Porphyrio) ornamento & vsus apponi solent, atque etiamnum hodiè extrinsecus globi dimidiati forma apponitur. Prisca enim gentilitatis homines, hac informi forma non rarò deos suos indicasse potius quam effigiasse, documenta sunt multa. In templo Delphis, vt refert Strabo 6. Vmbiculus conseruabatur fascijs velatus, ad demonstrandum quod hic locus in vmbilico, hoc est, medio terrarum esset. Eratq; vt Pausanias refert, ex candido marmore. Veneris deæ enim signum, apud Cypri Paphum, auctore Tacito, continuus erat orbis, latiore initio, tenuem in ambitum, metæ modo exsurgens, de eadem ferè idem Maximus Tyrius Oratione 38. nisi quod alba Pyramidi similem fuisse dicit. Idem ibidem scribit Arabes Deum suum tetragono lapide significare, & vt Suidas habet, nulla figura incisa, qui hoc de Arabibus Petræis dicit, quorum hunc Deum, Martem ait. Informem lapidem facit eundem Minutius Felix. Pessinuntios quoque in Phrygia, lapidem pro matre Deorum habuisse, auctor est Liuius. Silicem Arnobius 6. non magnum, coloris furui atque atri, angulis prominentibus, inæqualis. lib. 2. lapidem nigellum dicit Prudentius. De Solis siue Helaagabali figura, Herodianus ferè idem quod Curtius de Ammonis: sunt enim hæc eius verba, lib. 5. Politiano interprete; Simulacrum nullum Græco, aut Romano more manu factum ad eius Dei similitudinem: Sed lapis est maximus, ab imo rotundus, & sensim fastigiatus propemodum ad coni formam*. Plura ibid. Schottus, quem inspicies.

Habes apud eundem in numo æreo Imperatoris Antonini vmbilicum expressum.



Aliter tamen vmbilicum interpretatur omnis antiquitatis studiosissimus peruestigator, Græcæque, Latinæ & Hebrææ vocis gnarus, nobilissimus vir, Ioannes Georgius Heruuart in libro quem de magnete doctissimum condidit, nec dum vulgauit. Itaque nullo (inquit post longam de magnete disputationem) negotio offendam, oraculum Iouis Ammonis (quod Arriano teste ἀτρεκὲς ἐλέγετο εἶναι, *infallibile dicebatur esse*.) nihil aliud fuisse, quàm chartam, quàm vocant Marinam, pyxidi Nauticæ, seu Magneticæ ritè iunctam; idque hac ratione probo: Q. Curtius lib. 5. de hoc oraculo Iouis Ammonis: *Id*, inquit, *quod pro Deo colitur, non eandem effigiem habebat, quam vulgò Dijs artifices accommodauerunt. Vmbilico maximè similis est* (ergò chartam Marinam & pyxidem Nauticam præsentauit) *habitus, smaragdo & gemmis coagmentatus*. Quippè, lineæ illę, earumque extremitates, circumferentiam circuli contingentes, quæ vel cardines quatuor mundi, vel reliquos octo rhumbos principales, vel denique residuos ventos intermedios designabant, alijs gemmis & coloribus, vt fit, fuerant insignitæ. *Hunc* (Iouem Ammonem) *cùm responsum petitur, nauigio aurato gestant sacerdotes, cum multis argenteis pateris ex vtroq; nauigij latere pendentibus*. Ad Curtium redeamus. *Habitus* (nam sic iungenda verba sunt) *smaragdo & gemmis coagmentatus*. Mens Curtij: Quod pro Deo colitur, formam habet vmbilici, vestis, habitus, non alius quam materia vmbilici est, ex smaragdo & varijs gemmis compositus. Diodorus Siculus τὸ δὲ τοῦ θεοῦ ξόανον ἐκ σμαράγδων καὶ ἄλλων ἄλλων περιέχεται. *Simulacrum Dei ex smaragdis & alijs quibusdam constat*. Quia tamen vox *habitus* non pro materia, sed materiæ forma apud Scriptores accepta legitur, vt habitus, corporis, vocis, hominis fuit quiescentis, sedentis, cubantis, & quæ sunt huius generis, fortassè verius exponemus verba Curtij in hanc sententiam. *Id quod pro Deo colitur, non eandem effigiem habebat, quam vulgo Dijs artificis accommodauerunt; Vmbilico similis est habitus, smaragdo & gem-*

& gemmis coagmentatus. Hæc interpunctio est omnium antiquorum Codicum, quæ refert hunc intellectum verborum. Id quod pro Deo colitur, diuersa est effigie ab alijs statuis Deorum, quas artifices fingunt, vmbilico nempè similis est habitus, seu forma, species, modus, facies eius, quod pro Deo colitur, lapidis, inquam, qui constat ex smaragdo & alijs gemmis, sed factus in modum vmbilici. Erunt fortasse, qui hoc modo rem interpretabuntur. Effigies similis est vmbilico, habitus seu vestis cultusque vmbilici est ex smaragdo & gemmis coagmentatus. Non incommodè sanè; sed nusquam lego lapidem pro Deo cultum, fuisse alia veste contectum. Thebanus enim Iupiter non lapis fuit, sed statua Iouis arietina fronte, quam pelle contegebant. Si porrò quæras, quantus fuerit lapis vmbilici? respondebo id nusquam expressum; fas tamen esse, ab exemplo Arabum docere, de quibus est apud Arnobium & Suidam: illos rudem lapidem pro Marte coluisse, quæ accuratè describit:

Suidas in Θεὺς Ἄρης.

Θεὺς Ἄρης, τουτέστι θεὸς Ἄρης, ἐν πέτρᾳ τῆς Ἀραβίας. σέβεται δὲ θεὸν Ἄρης παρ᾽ αὐτοῖς, τοῦτον γὰρ μάλιστα τιμῶσι. τὸ δὲ ἄγαλμα, λίθος ἐστὶ μέλας τετράγωνος, ἀτύπωτος, ὕψος ποδῶν δ᾽, εὖρος δύο. *Deus Mars in Petra Arabia, colitur autem Deus Mars apud illos. Huncenim potissimum venerantur, simulacrum lapis est quadratum, informis, longus pedes quatuor, latus duos,* incumbit verò aureæ basi. Huic sacrificant, & sanguine victimarum imbuunt. Et hæc est illorum libatio. Templum verò totum multo auro radiat, multaque vota & anathemata ibidem spectantur. Hammonis Iouis lapidem, paruum non fuisse licet existimare, *quod illum octoginta sacerdotes humeris in aurea naui gestarint, quò forte fortuna Dei nutum eos agit,* vt refert Diod. Sic. l. 17.

Hvnc cvm responsvm petvnt.) Idem prorsus tradit Diodorus Siculus, nisi quod, vt modò dixi, addat numerum sacerdotum. Hoc obseruandum ex Herodoto, Callisthene, Homero, & alijs, multa oracula nutu duntaxat esse data à Dijs paganorum, vt & hoc Ammonis. Eustachium vide ad Dionysium Afrum p. 31. Strabonem l. 17.

Navigio avrato.) Quod ipsi sacerdotes octoginta ferebant humeris suis; nec enim flumen illic vllum, cum Ammon multis millib. passuum abesset à mari, aut flumine. Cæterum hunc totum locum Curtij Heruuartus ἀλληγορικῶς putat accipiendum, sic enim ille. Cùm itaque Iupiter iste Ammon, vt responsum det, nauigio fuerit gestandus, quis iam amplius dubitauit, ad rem nauticam eum pertinere; est quidem ad directionem nauis Prætoriæ, quam στρατηγίδα, & βασιλίδα vocant, vt quæ deaurari fuerit solita: idque eò magis, quod ab ipsis sacerdotibus, tanquam nauis illius gubernatoribus, fuerit gestatus. Pateræ verò argenteæ, ex vtroque huius aurati nauigij latere pendentes, sine omni dubio pyxides illæ nauticæ sunt, quæ in chartæ marinæ circumferentia, octo, vel sedecim numero circumcirca, æquali spatio à se inuicem distantes, delineari solent. Et denique subiungit Curtius: *sequuntur matronæ, virginesq̃ patrio more inconditum quoddam carmen canentes, quo propitiari Iouem credunt, vt certum edat oraculum.* Repræsentant itaque hæ, matronæ & virgines, reliquas videlicet, eiusdem classis, maiores & minores naues, quæ inconditis carminibus & laborem atque tædium nauigationis solantur, atque simul vnà remigia moderantur, & nauem Prætoriam, quæ ex arte magneticâ prænauigat, atque noctu & interdiu lampades & faces ardentes secum gerit: noctu quidem flammam, & interdiu fumum è longinquo cernentes, subsequuntur & comitantur. Diodorus Siculus apertè etiam rem denarrat, ingentem scilicet matronarum virginumque turbam secutam toto itinere Paanas canentium, Deumque hymno patrio celebrantium: allegoriæ nulla mentio, vel significatio. Et reuera longius cum suis allegorijs videtur

c. 16. Edit. Ingolst. nauigando progressus Heruuartus, qui ibidem disputat de nominis originatione. Primæuum inquit, & genuinū Iouis Libyci nomē non est Ammon, Ἀμμων sed Δαμῶν & per aphæresin Ἀμῶν, testatur id Plato in Phædro. Hebræis Tamun idem valet, quod absconditū & occultarum, & quæ ibid.

* compass. acum nauticam. sequuntur omnia ad artem nauticam relata. Per vmbilicum intelligit instrumentum *. magneticum. Tu reliqua apud eundem cognosce. Nobis hæc satis.

lib. 4. Inconditvm carmen.) rude, barbarum, Ammonica lingua. Ita Liuius frequenter de rudi milite in triumphis *vociferante, & inconditum carmen proclamante.* Ita inconditus clamor, fremitus, & hoc genus alia, apud optimos scriptores.

Regem propivs adevntem.) Callisthenes *Soli Regi à Sacerdote concessum, vt templum ingrederetur habitu consueto: cæteros vestem mutare iussos, & foris omnes oraculum audiuisse, dempto Alexandro, qui ingressus intrò fuerit.* Siculus quoque introductum, ait, Alexandrum à sacerdotibus in templum, nulla reliquorum facta mentione.

Filivm appellat, hoc nomen illi parentem Iovem reddere.) Maximus antistes Alexandrum filium Iouis consalutauit, hoc enim nomine dignatum, ait, à Patre eius Ioue. Plutarchus id fortasse euenisse, ait, & oraculi loco acceptum ab Alexandro & eius comitatu. Cùm enim homo barbarus Græcum regem conaretur Graca lingua excipere, pro παιδίον, hoc est, fili, dixisse παιδίος. Macedones verò & Alexandrum diuisâ voce παῖ διὸς mox rem in miraculum traxisse, vocatumque filium Iouis. Hoc enim valet παῖς διός. Plutarchum iuuat audire sua lingua loquentem. Ἔνιοι δέ φασιν τὸν μὲν προφήτην ἑλληνιστὶ βουλόμενον προσειπεῖν μετά τινος φιλοφροσύνης, ὦ παιδίον, ἐν τῷ τελευταίῳ τῶν φθόγγων, ὑπὸ βαρβαρισμοῦ πρὸς τὸ σίγμα ἐξενεχθῆναι καὶ εἰπεῖν ὦ παιδίος ἀντὶ τοῦ, ν, τῷ σ, χρησάμενον. Ἀσμένῳ δὲ τῷ Ἀλεξάνδρῳ τὸ σφάλμα τῆς φωνῆς γενέσθαι, καὶ διαδοθῆναι λόγον ὡς παῖδα Διὸς αὐτὸν

τοῦ

τῷ Διὸς χρονισμόν. Iustinus subornatum ait ante antistitem ab Alexandro: *Igitur,* inquit, *Alexander cupiens originem diuinitatis acquirere, simul & matrem infamia liberare, per præmissos subornat Antistites, quid sibi responderi vellet. Ingredientem templum, statim Antistites, vt Hammonis filium salutant. Ille latus Dei adoptione, hoc se Patre censeri iubet.* Orosius idem ex Iustino cum eleganti epiphonemate: *inde ad templum Iouis Ammonis pergit, vt mendacio ad tempus composito ignominiam sibi patris * incerti & infamiam adultera matris aboleret. Nam accersitum ad se fani ipsius Antistitem ex occulto monuit, quid sibi tanquam consulenti responderi velit, sicut historiceorum dicunt. Ita certus Alexander fuit nobisq; prodidit, Dijs ipsis mutis & surdis. vel in potestate esse antistitis quid velit fingere, vel in voluntate consulentis, quid nolit audire.* Ita nempè Hammon didicit ad voluntatem Alexandri, Ἀλεξανδρίζειν, sicut Pythius Apollo Demosthene teste, φιλιππίζειν. De hoc Alexandri itinere & oraculo Hammonis, Strabo quoque lib. 17. *Itaque Ammonis oraculũ, ferè desertum est, quod in honore quondam fuerat. Id ij imprimis declarant, qui Alexandri res conscripserunt, qui quamquam adulandi gratia non pauca adiecerunt, indicant tamen, quæ credenda sint Callisthenes narrat Alexandrum quadam ambitione inductum ad id oraculum contendisse, quod intelligeret Perseum & Herculem prius eò adscendisse, atque à Paretonio profectum, quamuis austrinis incidentibus flatibus, pertendisse, & cum per puluerem vagaretur, imbrium superuentu, & duorum coruorum qui iter commonstrarent, seruatum esse, quæ ipsa iam adulatoriè dicuntur, similia sunt quæ sequuntur. Soli scilicet Regi à sacerdote concessum, vt in templum ingrederetur habitu consueto: cæteros vestem mutare iussos, & foris omnes oraculum audiuisse, dempto Alexandro, qui ingressus intrò fuerit. Responsa non vt apud Delphos, & Branchidas verbis dari, sed magna ex parte nutu, & signis: quemadmodum & apud Homerum.*

Dixit, cæruleisque superciliis pater almus
Annuit———

Vate nimirum Iouem imitante. Hoc autem expressè eum Regi dixisse, esse ipsum Iouis filium. His Callisthenes tragicè rem exaggerans addit, cum Apollo Branchidarum oraculum deseruisset, ab eo tempore quo templum à Branchidis Xerxem sequentibus spoliatum fuit, & fons defecisset: & hunc tum denuò scaturiisse, & Milesiorum legatos Memphim profectos multa responsa attulisse de nato à Ioue Alexandro, de futura apud Arbela victoria, de Darij morte, de rebus Lacedæmone nouandis: de generis quidem nobilitate, etiam, Erythraam Athenaidem effatum, quæ Erythræa antiqua Sibyllæ similis fuerit.

ACCIPERE ET AGNOSCERE ATT.) Accipere & admittere nomen filij Iouis cum adoptione, agnoscere Iouem Hammonem patrem.

HUMANAE SORTIS OBLITUS. (quamquam vulnera, venena, mors illum sæpè suæ fortis admonuerunt. Pater Alexandri verus, Philippus inquam, vt nunquam se hominem in tanta felicitate obliuisceretur, quotidiè præcepit Ephebo, vt manè ingressus Regis conclaue proclamaret ἄνθρωπε βασιλεῦ, ἢ μεμνῆσθαι ἄνθρωπον εἶναι. Notarunt etiam Sibyllæ Alexandrum.

Καὶ μετὰ τὸ Πέλλης πολίπτορα, ὃν ὑπὸ πᾶσα
Ἀντολίη δεδάμαστο, κ' ἑσπερίη πολύολβος
ὃν Βαβυλὼν ἐλέγξει νέον δ' ὤρεξε φιλάκτω
ὃν Διός, οὐκ Ἄμμωνος ἀληθῆ φημιχθέντα.
Post ciuem Pelles oriens cui paruit omnis
Diues & occasus domitori, quemque Philippo
Restituit Babylon, demonstrauitq; putatum
Ammonis falsa Iouis ortum semine fama.

CONSULUIT DEINDE.) Proprium verbum de oraculis sciscitandis, *consulere oraculum.* Exempla passim apud Liuium. AN) formula consulendi oracula, quæ Græcis est εἰ. Plutarchus super hac vna syllaba εἰ composuit libellum, qui hodieque legitur, περὶ τοῦ εἶ τοῦ ἐν Δελφοῖς. Erat hoc εἰ inscriptum foribus templi Delphici aureum Liuiæ Augustæ, æreum Atheniensium, omniumque primum & antiquissimum ligneum, quod hodieque sapientum appellant, non ab vno, sed ab omnibus simul dedicatum. Est enim vt Delphi opinantur, & Nicander sacerdos omnium nomine dixit, quasi vehiculum & forma sermonis, quo Deum compellant homines syllaba EI, quod Latinè * AN dixeris, principemque locum obtinet in interrogationibus, dum consultores identidem quærunt ac sciscitatur: An victoria sint potituri? an ducenda vxor? an expediat nauigare? an agriculturam exercere? an peregrinari? Cæterum Græca vocula εἰ, multo maiorem vim habet, quam Latina, vel AN, vel SI. Nam illa vna valet & AN cùm quæritur. Et, SI, cùm optatur, &, SI, cum cōditio apud Dialecticos ponitur, & accipitur pro altera persona verbi εἰμί, ἢ hoc est, ES. & germanissimè ad Deū refertur, qui suū nomen dixit esse. *Ego sum, qui sum.* Et: *Qui est, misit me ad vos.* Quāuis.n. SI apud Latinos quoq; vsurpetur pro optandi ratione, & nonnunquā pro AN cùm non quæritur. Vt: vide, si domi sit. vide, an domi sit. vide, si potes esse hæres. Vide, an posis esse hæres; vbi non tam habet vim interrogandi, quam imperandi. Quāuis lateat occulta interrogatio. *Et pro cōditione seu annexo Dialectico: si dies est, lux est, sed nunquā pro ES, vt Grecis, quod etiā Plutarchus refert ad Dei naturam.

lib. 11.

* incerti.

* Nicander vertit SI. sed melius AN. nam SI nunquā apud Latinos cum interrogatione ponitur. vsurpatum tamen quandoque pro AN, sed sine interrogatione.

* Malè inuertit Xylāder. *si lux est, dies est,* potest esse luna lux, aut ignis. in Græco rectè Plutarchus. εἰ ἡμέρα, φῶς ἔστι. si dies est, lux est.

Ergo, vt ad Curtium redeamus, vocem AN hic eodem intellectu vsurpat, quo Græci suum EI, cùm Deos consulit. Quæsiuit primum Alexander non vtrum Hammonis esset, hoc enim iam Vates per se responderat, cum Iouis filium παῖδα Διὸς salutauit, & nuncupationem Alexander (humanæ fortunæ oblitus) acceptauit: sed an esset futurus totius orbis, quem spe iam deuorarat, Dominus. Deinde quasi oblitus se Iouis filium, omnia ex compacto, an Philippi parentis interfectores dedissent cædis pœnas?

Postremò ipsi purpurati Alexandrum & stipatores quæsiuerunt, AN idem Iupiter sibi esset auctor regem suum diuinis honoribus colendi. Omnia affirmabat vates, nisi quod negarit Alexandrum Philippi filium, sed Iouis, qui lædi occidique non posset.

Maximus Tyrius Sanctissimus Philosophiæ cultor, refert alia omnia quæsita esse ab Oraculo per Alexandrum. *Admisso Oraculo*, aiunt, *nil amplius à patre suo voluisse quærere.*

VERE ET SALVBRITER AESTIMATI FIDEM ORACVLI.) sequitur scriptoris iudicium super his vatibus, Dijs, oraculis cultis & consulentibus, omniaque vanitati, superbiæ, compositisque ex arte mendacijs adscribit.

FORTVNA QVOS VNI SIBI CREDERE COEGIT.) Nobilis gnome & epiphonema. Mens Curtij est: Quamquam nunquam fuit Deus Alexander, nec Dei Filius; & oraculum sit mendax, tamen cum Alexander tam secunda fortuna in omnibus prælijs & conatibus esset vsus, persuasit fortuna plerisque Alexandrum aliquid maius homine habere, præsertim ipsi Alexandro, quem gloriæ veræ magis cupientem fecit, quam eius potentem, & modestè ferentem. Idem ferè Liuius de Romulo: *Quorum nihil absonum fidei diuinæ originis, diuinitatisq; post mortem creditæ fuit: non animus in auito regno recuperando, non condendæ vrbis consilium*, & quæ sequuntur.

IVSSIT.) vt infra apparebit, & suprà dictum est.

CORRVPIT.) Ita amat fieri, cùm supra hominem & fortunam sapimus, vt veram etiam laudem, si qua parta est, corrumpamus.

MAIORA LIBERTATIS VMBRA.) Non adorabant suos Reges Græci, vt Persæ, Parthi, alijque barbari, imò execrabantur huiusmodi adorationes, & adulationes, & Athenienses magna pecunia multabant, si id legati fecisse deprehenderentur.

CONTVMACIVS AVERSATI.) Vt Hegelochus, Philotas, Hermolaus, Parmenio, Clitus, Callisthenes, ac demùm plerique omnes cum ingenti regis detrimento & infamia occisi. Philotæ cùm
lib.6.c.16. Rex ipse scripsisset ex Aegypto, qualis sors edita esset Iouis Hammonis oraculo, *sustinuit*, inquit Alexander, *rescribere mihi, se quidem gratulari, quod in numerum Deorum receptus essem: cæterum misereri eorum quibus viuendum esset sub eo, qui modum hominis excederet.* Ad hanc obiectionem eleganter ac
lib.6.c.18. solerter Philotas respondet, vt infra cognoscetur. Acerbissimè ex communi sensu Macedonum &
lib.8.c.15. Græcorum Hermolaus. *Tu Macedonas voluisti genua tibi ponere, venerariq; vt Deum. Tu Philippum patrem auersaris, & si quis Deorum ante Iouem haberetur, fastidire etiam Iouem. Miraris si liberi homines*
lib.8. *superbiam tuam ferre non possumus?* & quæ ibidem sequuntur. Plura infrà suo loco. Ex his tamen discis, quam inuisa fuerit Macedonibus Alexandri diuinitas, quantoque præstiterit illum inter homines humanâ fortunâ contentum viuere. Cæterùm, quia hoc caput de Hammone tractat, pro coronide potes discere, quæ Strabo docet, Hammonis oraculum ferè desertum fuisse æuo suo, floruisse tempestate Alexandri. Subdit multa ibid. ex Callisthene de Milesiorum legatis, de futura pugna Alexandri ad Arbela. Plutarchus tamen περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων, nihil admodum de Hammone, nisi quòd Cleombrotus Lacedæmonius demirandum narrat, de lucerna in fano Hammonis ardente, quæ anno semper posteriore minus olei absumat, vnde sacerdotes cogebant, sequentem quemque annum priore esse breuiorem, de qua re copiosè ibid. disputatur.

CAPVT XXI.

ARGVMENTVM.

Alexandria non sine prodigijs conditur. Ægyptus præfectis regenda traditur. Hector Parmenionis F. Nilo perit. Vstulatus Andromachus præses Samariæ. Tyrannorum supplicia. Legationes Græcorum.

rum. Cyprij reges donis culti. Amphoterus contra piratas mittitur. Herculi Tyrio Alexander operatur.

ALexander ab Hammone rediens, vt ad Mareotin paludem haud procul insula Pharo sitam venit, contemplatus loci naturam, primum in ipsa insula statuerat vrbem nouam cōdere. Inde, vt apparuit, magna sedis insulam haud capacem, elegit vrbi locum, vbi nunc Alexandria appellationem trahens ex nomine auctoris: complexus quidquid soli est inter paludem & mare, octoginta stadiorum muri ambitum destinat: & qui exædificandæ vrbi præessent relictis, Memphin petit. Cupido haud iniusta quidem, ceterum intempestiua incesserat, non interiora modò Aegypti, sed etiam Aethiopiam inuisere. Memnonis Tithoniq́; celebrata regia cognoscendæ vetustatis auidum trahebat pænè extra terminos solis. Sed imminens bellum, cuius multo maior supererat moles, otiosæ peregrinationi tempora exemerat. Itaq; Aegypto præfecit Aeschylum Rhodium, & Peucesten Macedonem, quatuor millibus militum in præsidium regionis eius datis: claustra Nili fluminis Polymenem tueri iubet. XXX. ad hoc triremes datæ. Africæ deinde quæ Aegypto iuncta est, præpositus Apollonius, vectigalibus eius Africæ Aegyptiq́; Cleomenes. ex finitimis vrbibus commigrare Alexandriam iussu, nouam vrbem magna multitudine impleuit. Fama est, cum Rex vrbis futuræ muris polentam, vt Macedonum mos est, destinasset, auium greges aduolasse, & polentam esse pastas. Cumq; id omen pro tristi à plerisq; esset acceptum: respondisse vates, magnam illam vrbem aduenarum frequentiam culturam, multisq́; eam terris alimenta præbituram. Regem cum secundo amne deflueret, assequi cupiens Hector Parmenionis filius, eximio ætatis flore, in paucis Alexandro carus, paruum nauigium conscendit, pluribus quam capere posset impositis. itaque mersa nauis omnes destituit. Hector diu flumini obluctatus, cum madens vestis & astricti crepidis pedes natare prohiberent, in ripam tamen semianimis euasit: & vt primum fatigatus spiritum laxauit, quem metus & periculum intenderant, nullo adiuuante, quippè in diuersum euaserant alij, exanimatus est. Rex amissi eius desiderio vehementer afflictus est, repertumq́; corpus magnifico extulit munere. Onerauit hunc dolorem nuncius mortis Andromachi: quem præfecerat Syriæ: viuum Samaritæ cremauerunt: ad cuius interitum vindicandum, quanta maximè celeritate potuit, contendit: aduenientiq́; sunt traditi tanti sceleris auctores. Andromacho deinde Memnona substituit: affectisq́; supplicio, qui prætorem interemerant. Chrysolaum popularibus suis tradidit: quos illi ob iniurias tortos necauerunt. Atheniensium deinde Rhodiorumq́; & Chiorum legatos audit. Athenienses victoriam gratulabantur, & vt captiui Græcorum suis restituerentur, orabant. Rhodij & Chij de præsidio querebantur. omnes æqua desiderare visi, impetrauerunt. Mitylenæis quoq́; ob egregiam in partes fidem, & pecuniam, quam in bellum impenderant, reddidit, & magnam regionem finibus eorum adiecit. Cypriorum quoque regibus, qui à Dario defecerant ad ipsum, & oppugnanti Tyrum miserant classem, pro merito honos habitus. Amphoterus deinde classis præfectus ad liberandam Cretam missus, (namque & Persarum & piratarum armis pleraque eius insulæ obsidebantur) ante omnia mare à piraticis classibus vindicare iussus, quippè obnoxium prædonibus erat, in bellum vtroq́; Rege conuerso. His compositis, Herculi Tyrio ex auro crateram cum triginta pateris dicauit, imminensq́; Dario iter ad Euphratem pronunciari iussit.

ALEXANDER AB HAMMONE REDIENS.) Iupiter Libycus, non nisi à Græcis Ammon vocatur, vt disertis verbis tradit Herodotus, Plato, Plutarchus. Non autem Libyes eum vocant Ἀμμωνα, Ammonem, nec Aegyptij, cùm * constet è Thebis Aegyptijs eum esse ortum. Verum itaque & proprium, primæuum, & genuinum huius Iouis nomen non est Ἀμμων, Ammon, & alijs, sed תמון, Θαμοῦν, Thamun & per aphæresin Ἀμοῦν Amun. Testatur id * Plato in Phœdro. * ex Herodoto, Pindaro πα̃ρα-σιμ, Scholiastes. * P. 274.

REDIENS.) Eadem via qua iuerat, vt Aristobulus, rectiore Memphin versus, auctore Ptolemæo.

AD MAREOTIN PALVDEM.) De hac superiore capite dictum. Hic accipe Mareotin supra Pharon sitam esse, & Pharon in mare excurrisse.

Grāmatici φάρομ quasi φανομ deducunt.

INSVLA PHARO.) πολυθρύλλητ☉ νῆσος, πρὸς τῇ Ἀλεξανδρείᾳ, ἐφ᾽ ᾗ ὁ Σωστράτου τοῦ Δεξιφάνους πύργ☉ ὁμωνύμως λεγόμεν☉ φάρ☉. *Nobilißima insula ad Alexandriam, in qua Sostratis Dexiphanis turris condita eodem nomine appellatur.* φάρ☉ autem, inquit Stephanus, περὶ πόλεων, ὁ πρωρεὺς μενελάου ἐν τῇ νήσῳ δηχθεὶς ὑπὸ ὄφεως ἐτάφη. *Pharus proreta Menelai in insula à serpente ictus tumulatus est.* Ab hoc insula nomen accepit. Idem Eustathius ad Homerum. Laudat Pharon Geographorum antiquissimus, & præstantissimus, omniumque Poetarum conditor & magister Homerus ab opportunitate portus,

Odyss. 4.

remouet tamen illum a continente vnius diei nauigatione. Cum posteris sæculis ita ad eandem accesserit, vt ponte vrbi iungeretur. caussam aperit Mela, plura Eustathius, Scylax geographus, Cæsar bello Alexandrino. Strabo. l. 17. copiosè, Lucianus πῶς δεῖ ἱστορίαν γράφειν. Solinus c. 45. Ammianus, Iosephus, Plinius, & compluresalij. Alexander cùm insulam inspexisset minorem ambitu præ quam cupiebat, ad vrbem, inquam, condendam, locum illum delegit, qui situs inter Pharon & Mareotin.

* de bello Iugurthino

VBI NVNC EST ALEXANDRIA, APPELLATIONEM TRAHENS EX NOMINE AVCTORIS.) De Alexandria præstabit nihil quam pauca dicere, vt * Sallustius de Carthagine scripsit. Sed cum hic de natali vrbis agatur, in breuiarium omnia conferam, & auctores laudabo, qui eam accuratius descripserunt. Alexandria ab Alexandro M. anno regni 5. condita, vt auctor est Diodorus: alij

Diodorus lib. 17.

verius 6. ponũt, quod primum regni annũ Diodorus præterierit: Eusebius, & Eutropius 7. (sed hi finem, Diodorus initium vrbis spectauit) cum 5. & 20. ætatis ageret, Olympiade 12. supra centesimã, auctore Solino, L. Papyrio Spurij F. Caio Pœtillo C. filio. Liuius lib. 8. *Interrex L. Aemilius Coss. creat C. Petilium, L. Papirium Mugilanum: eodem anno Alexandriam in Aegypto proditam, conditam.* * Diodorus nominat Spurium Posthumium, & Veturium Coss. Athenis Aristophane prætore. Noster Salianus Annal. Eccl. Tom. 5. tempus ædificatæ Alexandriæ ita disertè explicat. Annus, inquit, Mundi 3723. sextæ ætatis, imperij Persarum 207. Darij 8. seddoæ 34. * Alexandri 6. (Sextum accipe inchoatum, non finitum.) Olymp. 112. 2. Archonte Aristophane. Vrbis conditæ 422. Coss. M. Claudio Marcello. T. Val. Potito ante, Christum natum 330. Ambitus mœnium cõtinebat stadia octoginta: duo inquam nostratia milliaria cum dimidio. Diameter plateæ maximæ à porta ad portam pertinens stadia 40. in latum patet pedes 100. minus tamen Strabo extendit. Dinocrates Architectus operi præfuit, longitudinem Matheseos alumni faciunt assium 90. latitudinem 24. M. 20. Formam Chlamydis orbe gyrato laciniosæ situs refert Scaliger animaduer. ad Eusebium: M. DCC. LXXXVI. Alexandria in Aegypto condita. Metachronismus, inquit, vnius anni, condita enim anno antecedente qui erat 2. Olymp. 112. Aristophane magistro Athenis. C. Valerio Pelio Flacco. M. Claudio Marcello Coss. non autem primo eiusd. Olymp. vt scribit perperam Solinus, & fabulæ addit L. Papyrio Spurij F. C. Petilio C. F. Coss. cùm illud par consulum quinquennio post magistratũ gesserit, anno 2. Olymp. 15. nisi quis intelligat L. Papyriũ Cursorẽ, C. Pœtilium Libonem Visolum II. vt Strabo, Plutarchus, & Diodorus tradunt, sed breuissimam & optimam eius descriptionem ex Strabone & Plinio dabo. Ille: ἡ δὲ εὐκαιρία πολύτροπος, ἀμφίκλυστόν τε γάρ ἐστι τὸ χωρίον δυσὶ πελάγεσι, τὸ μὲν ἀπὸ τῆς ἄρκτου, τῷ Αἰγυπτίῳ λεγομένῳ τὸ δ᾽ ἀπὸ μεσημβρίας τὸ τῆς λίμνης τῆς Μαρείας, ἣ καὶ Μαρεῶτις λέγεται. *Certè cõmoditates vrbs habet non vnius modò generis. Duo maria locum vndiq; alluunt, alterum à septentrione, quod Aegyptium dicitur, alterũ à meridie, quod Mareia lacus & Mareotis appellatur.* Laudat dein Geographus portus à mercibus importari exportarique solitis, & Mareotidis portum alteri præfert. Subiungit præterea situm & ventos Etesias, qui vrbem refrigerẽt, & omnem pestilitatẽ purgent, auferantque. Ea post, iterum pergit: ἔστι δὲ χλαμυδοειδὲς τὸ σχῆμα τοῦ ἐδάφους τῆς πόλεως, οὗ τὰ μὲν ἐπὶ μῆκος πλευρά ἐστι τὰ ἀμφίκλυστα ὅσον τριάκοντα σταδίων ἔχοντα διάμετρον τὰ δὲ ἐπὶ πλάτ☉ οἱ ἰσθμοί ἑπτὰ ἢ ὀκτὼ σταδίων ἑκάτερ☉ σφιγγόμεν☉ τῇ μὲν ὑπὸ θαλάττης, τῇ δὲ ὑπὸ λίμνης. Ἅπασα μὲν ὁδοῖς κατατέτμηται, ἱππηλάταις καὶ ἁρματηλάταις. δυσὶ δὲ πλατυτάταις ἐπὶ πλέον ἢ πλέθρον ἀναπεπταμέναις. *Vrbis solum Chlamydis figuram habet, cuius latera, quæ in longum tendunt 30. ferè stadiorum habentia diametrum; latera verò, quæ in latum sunt, isthmis stringuntur septem octone stadiorum, hinc mari, illinc lacu allutorum. Ac tota quidem vrbs vijs diuisa est, per quas & equi & currus agi poßint. Duabus autem latißimis, quæ amplius iugero expanduntur, & sese medias ad rectos angulos secant.* Ab hac descriptione descendit Geographus ad singulas partes & fana, regias, musea, & regionum partem σῶμα dictam conditorium regum, vbi Alexandri corpus postea in aureo sarcophago conditũ est. Hæc ferè Strabo, ex quo alijsq;, mox de omnibus cõdendæ vrbis docebo. Hirtius de bello Alexandrino, *Alexandria,* inquit, *est ferè tota suffossa, specusq; habet ad Nilum pertinẽtes, quibus aqua in priuatas domos inducitur, quæ paulatim spacio temporis subsidit & liquescit.* Plinius: *sed iure laudetur in littore Aegyptij maris Alexandria à Magno Alexandro condita in Africæ parte, ab ostio Canopico 12. paß. iuxta Mareotim lacũ, qui locus antea Aropotes nominabatur. Metatus est eam * Denochares architectus pluribus modis, memorabili ingenio 15 passuũ laxitate * insessa, ad effigiem Macedonicæ chlamydis orbe gyrato laciniosam, dextra læuaq; angulos procursu; iam tum tamen quinta situs parte regiæ dicata.* Extat nobilissima Dionis Chrysostomi Oratio ad Alexandrinos, quæ tamen quantũ laudat mœnia, portus, aquas, ædificia, tantopere vituperat incolas & populum, quem cum Centauro & Cyclope cõponit. Aristides εἰς Ῥώμην solam Alexandriã dignã Alexandro, opus ab Alexandro sui monumentum reliquisse testatur. οὐδὲ μόνον, inquit, ἄξιον τῆς ἑαυτοῦ φύσεως ἔργον καὶ μνημεῖον κατέλιπε πρὸς Αἰγύπτῳ τὴν ἐπώνυμον πόλιν, ταύτην σὺ παιδῶν ὑμῖν ᾤκισεν ὅπως ἔχητε καὶ μεγίστης μετὰ τὴν ὑμετέραν κρατοίητε. Idem ferè in Pro-

* Velleius quadriennio ante ædificatam tradit lib. 1. c. 14.

* primus enim Alexandri regnantis fuit ante Christum natum.
335. 1.
334. 2.
333. 3.
332. 4
331. 5.
330. 6.
Hic iam quæstio est inquit Salianus, &c.

Strabo l. 17.

* Demochares, Dinocrates.

Trium milliarum ambitu, vt vides. Diodorus sesquitertio tantum.

* immensa, & incerta.

in Prosphonetico Smirnensi de Alexandria ponit. Quòd si, qualis hodiè sit Alexandriæ status & aspectus, scire aues, pauca ex Petro Bellonio cognosce. Arenoso solo sita est in promontorio quodam, ab vno latere mediterraneo mari alluitur; ab altero Mareoti lacu amplo, & in longum extenso. Superfunt adhuc mœnia quæ Alexander Macedo extrui iussit: at vrbs interior ex veterum ædificorum ruinis magna ex parte constat. Diruta autem fuit ea vrbs, quando Galliæ & Cypri reges Sultanū ex ea expulerunt. Nam illam minimè retinere posse animaduertens prius diruit, quàm in hostium potestatem veniret. Postea tamen paulatim ædes extrui cœperunt pro incolarum ratione. Sed & nunc nisi Christiani mercatores suos isthic institores alerent, ob mercium permutationē, parùm celebris esset. Multa dein Bellonius disputat de mercibus importari solitis. Subijcit demum vrbis Ichnographiam, vt hic delineatam spectas. Ex Bellonio auctore.

Genuina delineatio Alexandriæ Aegypti.

Meridies.

Oriens.



Occidens.

Africa continens.

Septentrio.

Mare Mediterraneum.

1. Ingressus Nili in vrbem.
2. Porta del Pepe.
3. Colonna Pompeia.
4. Mareotis, lacus aquæ dulcis valdè, amplus & piscosus.
5. Mosquea.
6. Porta Memphitana.
7. Silua Palmarum.
8. Obeliscus.
9. Arx noua.
10. Arx vetus.
11. Porta maritima.
12. Palatium Alexandri.
13. Pharus.
14. Casteleto.
15. Gazophalo.
16. Portus vetus.

Qui plenam velut panegyrim & laudationem Alexandriæ quærit, apud Marcellinum volumine altero & vicesimo extremo reperiet, qui verticem omnium vrbium appellat Alexandriam. Nihil lib. 22. tamen in illo leges, quod Strabo neglexerit, Serapium fanum cum Capitolio componit, post quod, ait, nihil orbem terrarum ambitiosius cernere. Bibliothecam bello Alexandrino sub Cæsare narrat arsisse, quæ continebat voluminum septingenta millia. Adeas præterea licet D. Hieron. ad Eustochium, Sidonium Apoll. car. 3 versu 125. Zonaram vol. 1. Cedrenū, qui cum Eusebio & Eutropio vult cōditam anno Alexandri 7. Nihil propè admirabilius Alexandriæ Serapio, seu Serapidis templo, vbi multæ præstigiæ fiebant: Theodotij iussu tandem euersum est, de quo multa Macrobius lib. 1. Saturnal. c. 10. plura Ruffinus de ornatu fani & præstigijs. Prosper de prædict. lib. 3. c. 38. Iulius Maternus Firmicus c. 14. Baronius Annali. 4. Anno Christi 389. Vitruuiū inspice.

QVI EXAEDIFICANDAE VRBI PRAEESSENT.) Aedificandæ vrbi præfectum esse tradit Plutarchus Stasicratem, Strabo & Aelianus Chinocratem, quanquam apud Strabonem legatur Chiromocratem, alij Chersimocratem, vt notauit Philander, Iustinus Cleomenem facit ædilem Alexandriæ, Plinius Denocharem scribit, sed exemplaria veriora Dinocratem referunt, vbi & Vitruuius & Solinus. Dinocrates ergo nomen sit, de quo Vitruuius lib. 2. in præfatione elegantem historiam exponit: *Dinocrates,* inquit, *Architectus cogitationibus & solertia fretus, cùm Alexander rerum potiretur, profectus est à Macedonia ad exercitum, regiæ cupidus commendationis. Is è patria à propinquis & amicis tulit ad primos Ordines & purpuratos literas, vt aditus haberet faciliores, ab eisq; exceptus humanè, petijt vti quamprimum ad Alexandrum perduceretur. Cùm polliciti essent, tardiores fuerunt, idoneum tempus expectantes. Itaque Dinocrates ab ijs se existimans illudi, ab se petijt præsidium. Fuerat enim amplissima statura, facie grata, forma, dignitateque summa. His igitur naturæ muneribus confisus, vestimenta posuit in hospitio, & oleo corpus*

 perunxit,

perunxit, caputq́; coronauit populea fronte, leuũ humerum pelle leonina texit, dextraq́; clauam tenens incesſit contra tribunal regis ius dicentis. Nouitas populum cum auertiſſet, conſpexit eum Alexander, & admirans, iuſſit ei locum dari vt accederet, interroganitq́; quis eſſet. At ille, Dinocrates, inquit, architectus Macedo, qui ad te cogitationes & formas affero dignas tua claritate. Namq́; Athon montem formaui in ſtatuæ virilis figuram, cuius manu læua deſignaui ciuitatis ampliſſima mœnia, dextra pateram, quæ exciperet omniũ fluminum quæ ſunt in eo monte, aquam, vt inde in mare profunderetur. Delectatus Alexander ratione formæ, ſtatim quæſiuit, ſi eſſent agri circa, qui poſſent frumentaria ratione eam ciuitatem tueri. Cùm inueniſſet, non poſſe, niſi tranſmarinis ſubuectionibus. Dinocrates, inquit, attendo egregiam formæ compoſitionem, & ea delector: ſed animaduerto, vt ſi quis deduxerit eo loci coloniam, fore vt iudiciũ eius vituperetur. Vt enim natus infans ſine nutricis lacte non poteſt ali, neque ad vitæ creſcentis gradus perduci: ſic ciuitas ſine agris, & eorum fructibus in mœnibus affluentibus, non poteſt creſcere, nec ſine abundantia cibi, frequentiam habere, populumq́; ſine copia tueri. Itaq́; quemadmodum formationem puto probandam, ſic indico locum improbandum, teq́; volo eſſe mecum, quod tua opera ſum vſurus. Ex eo Dinocrates ab rege non diſceſſit, & in Aegyptum eſt eum proſecutus. Ibi Alexander cùm animaduertiſſet portum naturaliter tutum, emporium egregium, campos circa totam Aegyptum frumentarios, immanis fluminis Nili magnas vtilitates, iuſſit eum ſuo nomine ciuitatem Alexandriam conſtituere. Itaq́; Dinocrates à facie dignitateq́; corporis commendatus, ad eam nobilitatem peruenit.

Memphin petit) Caput Aegypti, de qua ad primum epigramma Martialis dictum copiosè. Quid autem Memphi egerit, docet Arrianus illum Ioui ſacrum feciſſe, muſica certamina inſtituiſſe, ſupplementum exercitus ab Antipatro accepiſſe, legatos audiſſe, omnibus omnia indulſiſſe.

Cvpido havd inivsta.) Principum eſt ſcire & videre, quicquid in orbe maximè viſendum & inuidendum eſt.

Memnonis Tithoniqve regiam) Andreas Schottus vti arbitror, ad tabulam Ortelij, qua Alexandri expeditio vtcumque abumbratur, hunc Curtij locum illuſtrat, cuius verba libet hic referre, vt ego interim interiungam. Apud Q. Curtium, inquit, lib. 4. ſic de Alexandro; Cupido haud iniuſta quidem, cæterùm intempeſtiua inceſſerat, non interiora modò Aegypti, ſed Aethiopiam inuiſere. Memnonis Tithoniſque celebrata regia, cognoſcendæ vetuſtatis auidum trahabat penè extra terminos Solis. ſic Curtius. Hanc Memnonis regiam, in Abydo Aegypti vrbe, deſcribunt Strabo, Solinus, & lib. 5. Plinius. Hic idem verò lib. 36. eandem in Thebis, vt quoque Pauſanias, & Dionyſius Afer, (Thebas autem, hic pro Thebaide regione, ſiue Thebarum agro interpretor: vtraque enim, & Abidus & Thebæ ſunt in Thebaide regione.) In hac regia ſtatuam fuiſſe Memnonis, ait Plinius, Coloſſum facit Strabo. Saxeam effigiem, Tacitus. Erat enim ex lapide eoque ſolido, teſte Strabone. coloris nigri, Philoſtrato. rubri, neſcio qua fide, Tzetze. Sedẽtis hominis formam habuiſſe, ſcribunt dictus Pauſanias, & Philoſtratus. Huius partes ſuperiores à ſede ſua diuulſas, ſe vidiſſe, refert Strabo: quod & Pauſanias conteſtatur, teſtis & ipſe oculatus: reliquamque partem adhuc ſedere, videri. Philoſtratus ait innixi manibus, hominiſque ſurgere volentis formam referre. Hanc ſtatuam omnes dicti Scriptores aiunt quotidie Sole exoriente (&, vt inquit Philoſtratus, dum Sol radijs eius ſtatuam tangit) ſonum edere. eumque vocalem, Tacitus. eque ore, Philoſtratus. eſſeque qualem vel cithara, vel lyra edere ſolerent, eidem, & Pauſaniæ. Crepare, dicit Plinius. Lucianum (quod huic familiare) nugari, palam eſt, dum ſcribit ſe eam audiuiſſe, & non vulgari modo ſonum quendam inanem ex eo accepiſſe, ſed Oraculum: idque ſeptem verſuum. Nugatorem quoque quemadmodum in multis, ſic quoque in his habeo Tzetzem Chiliade 6. numero 64. vbi tradit eam de die lætum cantum, noctu autem flebile carmen canere, è Calliſto hoc fortè, qui ſcribit, Sole huic proximante hilarem, abeunte verò mœſtum edere ſonum. De hac autem vociferante audiamus potius Strabonem, virum grauiſsimum, & huius miraculi digniſsimum contemplatorem. Is enim per ſuum interpretem Xylandrum, ita: ipſe, cum Aelio Gallo adeſſem, & cum reliqua multitudine amicorum, ac militum, qui cum eo erant, circiter horam primam ſonitũ audiui, vtrum à baſi, ſiue à coloſſo, an verò ab eum circumſtantium aliquo editus fuerit, non habeo affirmare: cùm propter incertitudinẽ cauſſæ, quiduis potius credere ſubeat, quam ex lapidibus ſic cõpoſitis ſonitũ edi. Per machinã quandam hoc fieri ſolere, annotat ad Dionyſium Afrum, Euſtachius: fluxa & hoc fide, ni fallor. Pauſanias dicit Thebanos negare Memnonis Aethiopis eſſe hanc ſtatuam, ſed Phanemphonis indigenæ hominis. ſe audiuiſſe etiam, qui dicebant Seſoſtris eſſe. Sunt qui putant Memnonem, Iſmandem dici ab Aegyptijs, vt ait Strabo. Caruiſſe inſcriptione, ſcriptum reliquit Oratione 31. Dion Pruſæus. Memnonis autem fuiſſe veriſimile eſt ex eo, quod Heliodorus inter Aethiopum deos Memnonem etiam numeret. Huius etiam mentio fit hoc verſu à Iuuenale, *Dimidio Magicæ reſonant vbi Memnone chordæ.* Dimidium dicit, vti exiſtimo, quia eius pars ſuperior (vt ſupra auditum) à corpore reuulſa, quod Cambyſi tribuit Pauſanias: terræ motui, Strabo. Ad dictum Iuuenalis verſum, ex quodam Gloſſario veteri, partim corrupta, partim falſa quamuis, hæc adijciam, Memnonis ex ære ſtatua citharam tenens, certis horis canebat. Hanc Caubus rex iuſsit aperiri, exiſtimans mechanicum aliquod eſſe, quod intra ſtatuam lateret. nihilominus tamen aperta ſtatua, quę erat magicè

gicè consecrata,hotis statuis sonum reddidit. Ineptiæ, vt& ea, quæ Ianus Dousa F.exalio veteri in hunc eundem interprete, ad Catullum edidit. nempe hanc statuam Solem, & regem,voce humana salutare solitam: cùm autem Cambyses ab ea partem abscidisset,Solem tantum,non regem,amplius saluiasse. Eusebij Chronicon dicit(ex vulgi opinione) loquutum fuisse vsque ad aduentum Christi. Atque hactenus de hacMemnonis statua,cuius cognoscendæ auidum fuisse Alexandrum,infit Curtius,ad cuius miraculum animum intendisse Germanicum Cæsarem,Tacitus,& diligenter inspexisse Sep.Seuerum Imp.Spartianus.Hæc Schottus,qui tamen nihil de Tithono, nihil quis Memno ipse fuerit. Memnon vt Eustathius ad Homerum tradit Tithoni & Diei filius fuit,alibi Auroræ & Tithoni,vt & Hesiodus. Iliad.δ.

Strabo nec Auroram,nec Diem,sed Cistiam Memnonis matrem ait,Memnon æui sui pulcherrimus(vti Homerus docet:

Κεῖνον δὴ κάλλιστον ἴδον μετὰ Μέμνονα δῖον.

Eurypylou omniū pulcherrimum affirmat post diuinum Memnonem.)Hic inquam Memnon,post Susa & omnem illam regionem vsque ad Choaspem fluuium,armis subactam , profectus est ad bellum Troianum,vbi res memorabiles gessit, Filium Nestoris Antilochum interfecit, demum & ipse ab Achille victus,vt Eustathius declarat. Odyss.λ.

Q. Calaber prodigium addit , è loco vbi percussus est Memno fontem scaturijsse sanguineum. Pausanias Laconicis.Ouidius 13.Transform.vbi in auem fabulatur post mortem abijsse. De statua, præter ea quæ ex Schotto allata sunt , Suidas egregium habet locum,quem tute adibis, ne longius abeam. Quæ de eodem fabulosa referuntur , apud Mythologos & Natalem Comitem cognosces. Curtius cum Memnone Tithonum coniungit,quod nō est dissimulandū. Tithonus Laomedontis filius fuit,Priami frater,quem Memnonis patruum appellat Ouidius.Eustathius Tithonum ἀλληγορικῶς Solem interpretatur,διὰ τὸ πανταχοῦ τῆς γῆς ἐκτείνειν τὰς ἀκτῖνας. Ad eam peruenit senectutem,vt in cunis iacens more infantum agitaretur, vnde senes, Tithoni vocabantur. Pleraque alia de hoc fabulosa prætermitto feriatis fabulatoribus enarrata.Illud moneo,non gratis iunctos esse Memnonem & Tithonum,vtrique enim sua fuit statua,seu colossus:vti testatur Strabo. lib.17.

Idem Strabo in Troade:supra Aesepi ostia ad stadia circiter . . . . . tumulus est,in quo sepulchrum ostenditur Memnonis Tithoni F. propè etiam est Memnonis pagus. lib.13. Hiatus in Strabone.

EXTRA TERMINOS SOLIS.) Immò veritatis.auxesis est propè poetica. Ita Cœnus Infrà: *Penè in vltimo mundi fine consistimus; in alium orbem ire paras, vt plura quam sol videt,victoriā lustres.* Cœterùm post Aethiopiam, circulum cancri tropicum, aut capricornum, inhabitabilem arbitrabantur veteres,qui vltra progredientibus occurrebat, de quo Strabo in fine rerū Aethiopicarum: ὡς δὲ εἰπεῖν,φησὶ,inquit, καὶ τὰ ἄκρα τῆς οἰκουμένης τὰ παρακείμενα τῇ δυσκράτῳ καὶ ἀοικήτῳ διὰ καῦμα ἢ ψῦχος, ἀνάγκη ἀποτεύγματα εἶναι τῆς εὐκράτου καὶ ἐλαττώματα. *Quod autem dicendum sit, extremas habitati mundi partes,quæ intemperatæ & inhabitabili regioni adiacent, propter frigus,aut æstum esse quasi* * *errores quosdam defectus temperatæ.* Curtius iterum in Cœni oratione. *Quod si adhuc penetrare in Indiam certum est,regio à meridie minus vasta est. Qua subacta licebit decurrere in illud mare,quod rebus humanis terminum voluit esse natura.* * abortus mallem naturæ & defectus. lib.9.

SED IMMINENS BELLVM.)Cum Dario tertium & extremum gerendum, quod sequentibus mox capitibus exponetur. Mens Curtij est:Quamquam Alexander traheretur cupiditate visendæ Aetiopiæ & Memnonis,Tithonique regiæ,tamen cùm iam * ver appeteret, & Darius copias reparasset,necessitas belli coegit Alexandrum peregrinationem,curiosam quidem,sed non necessariam posthabere negotijs præsentibus imminentis à Dario belli negotijs. *Vt est apud Arrianum.

ITAQVE AEGYPTO PRAEFECIT AESCHYLVM RHODIVM.) Relicturus Aegyptum,vt ne deficeret,certis eam Ducibus regendam & in officio continendam commisit. Nec enim minor est virtus quam quærere,parta tueri: imò faciliùs quædam vincere, quàm tueri, vt infra docet Curtius,Duces porrò alios atque alios nominat Arrianus.

AESCHYLVM RHODIVM.) Arrianus hunc non præfectum AEgypti, sed ἐπίσκοπον facit, quasi diceres obseruatorem aliorum,& vt interpres Arriani habet,speculatorem,cui adiungit idem Ephippum Chalcedonem. Curtius Peucestem,quem Arrianus Peucestam Marcatato natum ponit, copijs cum Balacro Amyntæ filio præfectum.

PEVCESTEM.) Hic fuit ille eximius heros, qui Alexandro apud Oxydacras & Mallos in oppido periclitanti primus succurrit, vt infra lib. 9 c. 10. cognosces. Plinius hunc seruatorem Alexandri Magni appellat lib. 34. c.8. *Huius* (Euthycratis Pictoris) *discipulus fuit Tisicrates , & ipse Sicyonius; sed Lysippi secta propior,vt vix discernantur complura signa,seu senex Thebanus,Demetrius rex,Peucestes Alexandri Magni seruator,dignus tanta gloria.*

CLAVSTRA NILI.)Ostia & ora Nili septem,denique toti Classi (Arriano teste) præfecit in Aegypto Polemônem,vt Arrianus docet,non Polymenem vt Curtius,vitium in nomine hærens librarijs potest assignari. Duos tamen Polemones Arrianus Aegypti præsides nominat,alterum Pelusij oppidi custodem : alterum classi præfectum,illum Pellæum Megaclis filium;hunc Theramenis.

AFRICAE QVAE AEGYPTO IVNCTA EST.)Ad Occidentem Aegyptus Africam respicit, cuius pars Aegypto adhæret, & ad illius regnum pertinet.

APOLLONIVS CLEOMENES.)idem Arrianus vt mox docet. Cleomenem Iustinus alias nominat architectum Alexandriæ. Pausanias in Atticis Cleomenem hunc post Alexandri mortem Ptolemæus Lagi interfecit, quod Perdiccæ studeret. Quamobrem vero Alexander tam multos præsides Aegypti constituerit, aperit Arrianus, *Aegypti*, inquit, *imperium in plures præsides partitus esse dicitur, naturam regionis admiratus & munimenta, neque tutum ratus vniuersum Aegypti imperium vni committere.* Quod quidem Alexandri consilium imitati Romani in tuenda Aegypto mihi videntur, neminem senatorij ordinis, sed equestris, proconsulem eo mittere soliti. Obseruandum præterea multos ab Arriano præsides Aegypti indigitari, Curtio prætermissos.

EX FINITIMIS VRBIBVS)Redit ad Alexandriam moliendam & ciue frequentandam. Finitimæ autem apud Strabonem vrbes & pagi sunt Canopus, Schedia, Eleusis, Nicopolis, Parœtonium, Naucratis, aliæque. Iosephus lib. 2. contra Appionem narrat Iudæos ab Alexandro euocatos, vt Alexandriam incolerent: *Alexander*, inquit, *eis locum ad incolendum dedit, & parem cum ipsis Macedonibus honorem consecuti sunt. Non enim propter inopiam habitatorum ciuitatis, quam studiosè ædificauit Alexander, nostrorum aliquos ibi collegit, sed omnes diligenter ex virtute approbans, ac fide dignos inueniens, hoc præconium nostris exhibuit cum gentem nostram nō mediocriter studeret honorare.* Et infra: *Nos Alexander introduxit: reges auxere.*

Li. 11. Iud. ant. c. 8.

FAMA EST)Omina futuræ vrbis felicia, polentam, auesque ponit; quibus addit Heraclides apud Plutarchum, nocturnum visum, quod alia omnia præcessit. *Si verò* (inquit Plutarchus) *quod Alexandrini commemorant, Heraclidis fide, verum est, haud otiosum vel inutilem apparet Homerum enim comitatum esse commilitonem. Ferunt enim eum, Aegypto recepta, amplam voluisse & populosam græcam vrbem condere, eique indere nomen suum. Mox de Architectorum consilio locum metato & complexo mira species nocte insequenti est per quietem oblata vir veneranda canicie, atque facie, visus est ei assistens hæc carmina prodere.*

> Νῆσος ἔπειτά τις ἐςὶ πολυκλύςῳ ἐνὶ πόντῳ
> Αἰγύπτου προπάροιθε· φάρον δέ ἑ κικλήσκουσιν
> Exinde vndoso quædam iacet insula ponto,
> Aegypto prætexta, Pharum quam nomine dicunt.

Ac confestim surgens perrexit ad Pharum, quæ id temporis insula adhuc erat paulo supra Canobicum ostium, nunc cum continente commissa est aggere. Vt loci præcellens visa est commoditas (est enim longa ceruice satis patenti laxam disterminans paludem, terminansq́; in spatiosum portum mare) Homerum dixit cum cætera eximium, tum prudentissimum esse Architectum, iussitq́; formam vrbis delineari loco congruentem. Quia verò ad manum non erat creta, polenta in campo nigro vsi, ad effigiem metati sunt chlamidis orbe gyrato laciniosæ sinum, cuius esset ab directis basibus æquabilis procursus. Hæc descriptio, quum regi placeret, aues repentè à flumine & lacu innumero grege omnisque generis & grandes, instar vrbium, eum in locum delata polentam sunt omnem depastæ. Quo augurio obtorpescenti Alexandro augures animum dedere. quippe copiosam vrbem ostenderunt ab eo condi, multarumque nationum futuram alumnam.

De polenta seu farina aliter Arrianus, atque alij, qui ab auibus depastam scribunt, vt Curtius, Strabo, Valerius Maximus lib. 1. c. 4. Plutarchus. Arrianus de auibus omnino tacet.

MVRIS POLENTAM DESTINASSET.)futuræ, non futuris, alij emendatius scribunt. alij: *vrbis futuræ muros polenta designassent*, ne hoc malè, nisi à Modio *destinasset*, adiectus esset. polenta farina est hordeacea, quam his verbis describit Plinius: *Polentam quoque Græci non aliunde præferunt. Pluribus fit hæc modis. Græci perfusum aqua hordeum siccant nocte vna, ac postero die frigunt, deinde molis frangunt, sunt qui vehementius tortum rursus aqua aspergant, sinentque prius quam molant.* Aliaque plura de polenta ibid. Plinius: Hic accipe pro farina sparsa in modum lineæ. fuit cibus Græcorum. vti puls veterum Romanorum, qua trecentis annis se saginarunt, vt non sine ratione *pultiphagi* & *pultiphagoniadæ* à Plauto appellentur. Plinius testatur tam ignotam Græcis pultem fuisse, quam Italiæ polentam. Polenta hodieque ex farina, sed non hordeacea conficitur apud Teriolos, * verum ex milio, mittiturque in ahenum aqua feruenti plenum, vbi in massam coit elixaturque, quæ extracta filo in schidin velut segmenta secatur, papauere aspergitur, vel melle, & butyro imbuitur, & tanquam Iouis cerebrum voratur, tam facilis digestionis, vt per octiduum hæreat in stomacho.

Lib. 18. c. 7.

* Teriolū Rhetiæ oppidum.

VT MACEDONVM MOS EST.)Nihil de hoc more alij. sed cum * gypsum & creta regem defecisset, collatam aiunt à milite præter morem polentam, terramque ea signatam. Arrianus nihil ad manum fuisse Alexandro, fabri consilio congestam farinam. Valerius Maximus. *Cum Rex Alexander vrbem in Aegypto constituere vellet, Architectus Dinocrates cum cretam non haberet, polentaq́; futuræ vrbis lineamenta duxisset, ingens auium multitudo proximo lacu emersa, polentam depasta est: quod sacerdotes Aegyptiorum interpretati sunt aduenarum frequentiam alimentis suffecturum.* De aduenarum fre-

*Strabo, Plutarch.

frequentia & opibus conueniunt scriptores prodigio explicato. Diodorus Siculus æuo suo cùm in Aegyptum traiecisset, notauit Alexandriæ liberorum hominum capita censa fuisse plus trecentis millibus. Vectigalia cepta ex Aegypto vltra sex millia talentûm, quæ summa efficit tricies sexies centena millia philippicorum. Philippicum 20. victoriatis æstimamus. Sed Strabo ex Cicerone docet vectigal fuisse duodecim millium quingentorum talentorum, quæ sors excessit ad * septuagies quinquies centena millia. Certè Romam postea Aegyptiæ & Alexandrinæ naues aluere. Iosephum adi: Μῆκος μέντοι αὐτῆς τριάκοντα σταδίων, εὖρος δὲ οὐκ ἔλαττον δέκα. τοῦ δὲ ἐνιαυσίου παρ' ὑμῶν φόρου καθ' ἕνα μῆνα πλέον Ῥωμαίοις παρέχει, καὶ τῶν χρημάτων ἔξωθεν τῇ Ῥώμῃ σῖτον μηνῶν τεσσάρων. Pergit dein verbis munitiones explicare. lib.17.pag. 590. 20. bazen. lib.17. * Septem milliones cum quingentis millibus aureorum.

REGEM HECTOR ASSEQVI CVPIENS.) Hectoris naufragium & mors. Fuit is, filius Parmenionis proximi dignitate ab Alexandro, de quo * suo loco copiosè. Fuerunt Parmenioni * tres filij iam omnes ex ephebis egressi, principes & ductores copiarum. Nicanor certè natu, vt videtur maximus, in prælio Isico dextrum cornu rexit, vti pater sinistrum. Mors huius, lib.6. c.12. describitur, cum Alexander Bactra peteret. De Philota præfecto equitum & eius coniuratione, quæstione & nece, lib.6. c.14.15.16.17.18.19.20. De Hectore vt adolescentiore pauca. * lib.7. vbi de eius cæde. * li.6.c.17.

SECVNDO AMNE.) Memphi per Nilum descendit Pelusium versus, vt videtur, nam inde rediit in Syriam & Palæstinam & Samariam.

IN PAVCIS.) Frequentatus loquendi modus Curtio. Infra sæpius, lib. interim 6. c.15. Craterus regi charus in paucis.

DESTITVIT.) Destituere est rem amatam deserere, elegans imprimis huius verbi vsus in hoc significatu passim apud optimos scriptores occurrens. Ouidius.

Flebat Aristæus quod apes cum stirpe necatas
Viderat inceptos destituisse fauos.

Idemque: *nec solos destituere rogos.* lib.1. & 20. Propertius.

Cuius vt accensa Dryades candore puellæ
Miratæ solitos destituisse choros.

CREPIDIS PEDES.) verè: neque enim pedibus astringuntur crepidæ, sed pedes crepidis, sicut lumbi astringuntur zona aut cingulo, non cingulum lumbis.

EXIMIO AETATIS FLORE. Flore corporis virenti ætate. Pulcher ergo & formosus Hector vti principis filius Parmenionis. supra de ipso Alexandro, *illum florem iuuentæ.*

RIPAM.) ripa de flumine, litus de mari dicitur.

SPIRITVM LAXAVIT.) Supra de Alexandro in Cydno periclitante. *Inter hæc liberius meare spiritus cœperat, laxataq; vis morbi.* lib.3.c.10.

QVEM METVS INTENDERAT.) Interclusus spiritus arctè meabat.

IN DIVERSAM.) proprium verbum ad funus pertinet, de quo ad Martialem. lib.2.epig.

MVNERE.) Funere malim, vt habent emendatiores & antiquiores Codices. Modius reposuit munere ex manu aratis chartis. In Hadriani Iunij editione ad MS. emendata cognosces funere, & certè aptius, quamquam à Virgilio haud ignaro supremos funeri honores impensos appellari *suprema munera*, itemque ab alijs, sed hoc proprium, *magnifico* tamen videtur respondere melius *muneri*, quàm *funeri*. 6. ad Saletanum. 11. Aeneid.

VIVVM SAMARITAE CREMAVERANT.) Redit Alexander in Syriam & Samariam Andromachi prætoris cædem vltum iturus. Herculem Oeteum fecerant Samaritæ, quo nomine caussáue ad tantum facinus proruperint, incertum. Certum autem Andromachum imperiosius, aut auarius egisse, aut crudelius imperasse, aut alijs iniurijs incolas affecisse, quod quemadmodum Adrianus prætor P. R. Vticæ domi suæ, viuus exustus est, idque illi meritò propter auaritiam accidisse existimatum est. Verres Lampsaci iam lignis & sarmentis circumdatus, ægrè incendium euasit. De Andromacho Eusebius in Chronico, *anno Alexandri 6. Alexander capta Tyro Iudæam inuadit, à qua fauorabiliter exceptus, Deo victimas immolauit, Pontifices templi honoribus plurimis prosequitur. Andromacho locorum custode dimisso, quem postea Samaritani interficiunt: ob quæ ab Aegypto reuersus Alexander magnus eos supplicijs affecit, & vrbem eorum captam Macedonibus ad inhabitandum tradit.* Ad hunc locum siue Eusebij, siue Hieronymi, Iosephus Scaliger in suis animaduersionibus monet lectorem (monendus ipse) hanc de Andromacho historiam alibi non legi, immemor Curtij, quem ipse haud dubiè legerat, & disce lector cautiùs & modestiùs loqui. Dixisset Scaliger hanc historiam alibi non legi. Sed dixit, non leges, quasi ipse omnia legisset, & lecta meminisset, facit mentionem occisi Andromachi etiam Cedrenus. Cic.3.in Verrem.

QVANTA MAXIMA CELERITATE.) Acidalius verè meo animo conijcit Curtium voluisse, *Quanta maxima celeritate*, pro, quanta maximè celeritate, facit & Dexippus ὃς καὶ ἐπιμελητὴν μετὰ τῶν λοιπῶν τόπων Ἀνδρόμαχον κατέστησεν, ὃν ἀνελόντες οἱ τὴν Σαμάρειαν οἰκοῦντες δίκας ἔτισαν, &c.

ANDROMACHO MEMNONA SVBSTITVIT.) Memnonem laudat Arrianus Cœlæ-Syriæ præfectum, vocatque Cerdimam Satrapam.

AFFECTISQVE SVPPLICIO.) Iterum nobis recta curnat Modius, qui legit, *affectiúq; supplicio*, præ-

prætorem *interemerant. tyrannos interemptos*, &c. Aut ergo omissa coniunctione, *que*, scribendum est, vt omnes antiqui Codices habent, quos vidi, *Affectu supplicio, qui prætorem interemerant. Tyrannos*, &c. aut punctum, si addas coniunctionem, tollendum. hoc modo: *affectuq; supplicio, qui prætorem interemerant, tyrannos*, &c. vtrobique ergò peccatum à Modio.

TYRANNOS INTER EOS.) Tyrannos complures (inter eos Methymnæorū Aristonicum &
Cap. 17. Chrysolaum) popularibus suis tradidit. De Aristonico pulchro stratagemate capto, supra narratum est, hic de eius supplicio agitur. Chrysolai supra nulla mentio, nec apud Arianum, scriptum tamen reperio pro *Chrysolao* Ersilaum. De Aristonico & Apollonide, Phisinoque & Megareo tyrannis, ita Arrianus, Ἀλέξανδρος δὲ τοὺς τυράννους μὲν τοὺς ἐκ τῶν πόλεων ἐς τὰς πόλεις πέμπει, χρήσασθαι ὅπως ἐθέλοιεν. Τοὺς δὲ ἀμφ᾽ Ἀπολλωνίδην τὸν Χῖον ἐς Ἐλεφαντίνην πόλιν Αἰγυπτίαν ξὺν φυλακῇ ἀκριβεῖ ἔπεμψε.

QVOS ILLI E MVRIS TOSTOS NEGAVERVNT.) Hanc lectionem omnes quos vidi codices exhibent, Modius è suo illa *è muris emunuit*, quod ego cum omnibus cautis nec laudo, nec damno: Redundant illa quidem, vt nobis parent, sed quid si vox alia vel desideretur, vel pro *necauerunt* legendum *suspenderunt*, vel præcipitauerunt, vel alia in hanc mentem auctoris, sit subijcienda? Cer-
Cap. 7. tè similem apud Curtium formam loquendi habes supra in oppugnatione Tyri de caduceatoribus Alexandri, *quos Tyrij*, inquit Curtius, *contra ius gentium occisos præcipitauerunt in altum*. Est autem Methymna ciuitas in Lesbo insula à Methymna Macaris filia & Lepydno patria Arionis, de quo
Lib. 13. Herodotus & poëtæ, cùm sparsum in mare Delphino exceptum canunt. Plura Strabo.

ATHENIENSIVM DEINDE LEGATOS.) Arrianus Diophantum & Achillem nominat, qui
* quæro quæ sit sacra nauis. * sacra naui vecti petiuerunt, vt Græcos ad Granicum captos libertate donaret. Petiuerant hoc supra, sed finito bello Persico redditurum promiserat Alexander: hic præstit it.
lib. 3. c. 2. RHODII.)* qui supra vrbem suam portusque Alexandro post captam Tyrum dediderant. A-
* c. 17. li. 4. lexander Macedonicum illic præsidium collocarat: quo deducto, sunt liberati, vti & Chij, qui rem Persarum ducibus Apollonide & Athenagora tenentibus vltro ad Macedones defecerunt.

OMNES AEQVA.) omnes libri ante Modium editi conueniunt in *ea quæ desiderare visi, impetrauerunt*. Modius è suo rescripsit *æqua*, non inique opinor, sed primum contra fidem, deinde melius cadunt prima, si ad verbum *impetrarunt* respicias. Itaq; restitui Curtium Curtio in ordine versuum, extra ordinem à Modio obtrusum collocaui, probum quidem, sed nō γνήσιον. Potest subinde vsu venire, vt spurius germanis filijs sit pulchrior.

MITYLENAEIS QVOQVE.) Et Mitylene Lesbi insulæ ciuitas est. Scylax antiquissimus, κατὰ ταῦτα ἐστὶ νῆσος Αἰολὶς Λέσβος ε΄ πόλεις ἔχουσα ἐν αὐτῇ, τάσδε, Μήθυμναν, Ἄντισσαν, Ἐρεσσὸν, Πύῤῥαν καὶ λιμένα, Μιτυλήνην λιμένας ἔχουσαν δύο, *Circa hæc insula est Aeolia Lesbus, quæ ciuitates omnino quinque continet, Methymnam, Antissam, Eressum, Pyrrham cum portu, Mitylenem, quæ duos habet portus.* Plura apud recentiores geographos disces.

IN PARTES.) Macedonias contra Persas: Arrianus ipso initio libri 2. quantoperè fuerint addicti partibus Alexandri Mitylenæi, cuius præsidium in vrbe habebant, cui columnas publicè posuerant, sed à Memnone primùm, dein à Pharnabazo terra mariq; obsessi, cum Persis pacisci coacti: præsidium tamen Macedonicum incolume dimiserunt, & statuas inuiti demoliti sunt, donec, Pharnabazo capto, redierunt ad Alexandrum. De Mitylena plurima Geographus, qui & illustres viros inde natos commemorat, fuit Mitylena ciuitatum in insula maxima.
Strabo. 13. MAGNAM REGIONEM.) multum agri, infra, insulam intelligo. Continebat Lesbus in ambitu milliaria nostratia quatuor & triginta, cum stadijs duodecim.

CYPRIORVM QVOQVE REGIBVS.) De his suprà cap. 10. tractatum doctumque, & classem centum & viginti nauium à regibus Tyrum missam, ipsosque aliquot Reges (interque eos nominatim Pnythagorum) præsentes fuisse, primosque, quà Sidonem spectat, irrupisse, vt proinde digni præmio fuerint.

AMPHOTERVS CLASSIS PRAEFECTVS.) De hoc lib. 3. c. 3. primum mentio facta, dein de statu Cretæ lib. 4. c. 4. De Amphotero rursum eodem lib. c. 17. Arrianus hoc loco Amphoterum non in Cretam, sed Peloponnesum tumultuantem missum narrat, sed ex Peloponneso breuis est traiectus in Cretam, quæ cùm Persarum & piratarum armis agitaretur, non dubium est vicinam etiam Cretam fuisse vexatam, quando κακὸς γείτων πῆμα κάκιστόν ἐστι.
c. 4. lib. 4. IN BELLVM VTROQVE REGE CONVERSO.) Alexandro & Dario. Curtius supra: *Magnitudo belli, quod ab opulentissimis regibus in spem totius orbis occupandi gerebatur, Græcia quoque & Creta*
ib. 5. c. 10. *arma commouerat*, & quæ ibid. sequuntur.

CRATERAM CVM XXX. PATERIS DICAVIT.) Isidorus: cratera calix; duas habens ansas, nomen est græcum, declinatur apud eos hic crater: Nam latinè hæc dicitur. Vnde Persius:

Si tibi crateras argenti ——— Virgilius:

Crateras magnos statuunt, & vina coronant.

Sed Virgilij versus ad *crater crateris* pertinet, quarto casu multitudinis græco. Fiebant autem primum à connexionibus virgultarum: vnde & dictæ crateræ ἀπὸ τοῦ κρατεῖν, id est, quod inuicem se teneant. Pateræ, phialæ sunt dictæ, vel quod in ipsis potare soleamus, vel quod patentes sint, dispansisque

fisque labris. Virgilium tamen Nonius in voce cratera etiam cum Isidoro laudat, versumque legit. *Crateras lati statuunt, & vina coronant.* Crateres Virgilius accepit pro vasis olearijs in Buccolicis, & 6. Aeneid.

PATERIS) Varro, quod pateant, sacris potissimum dedicata. Festum adi in voce *Patera*, *pateram* lib. 4. *perplouere in sacris* cum dicimus, significat, *pertusam esse*. Hoc porrò Herculis sacrificium magna lib. 10. c. 5. pompa peregit Alexander, & omnis generis ludos celebrauit, quos multis verbis describit Plutarchus, quem consules.

CAPVT XXII.

ARGVMENTVM.

Darius Babylone collectas copias & instructas mouet ad Tigrim, quem cum Lyco traijcit, & castra ad Bumellum ponit. Mazeus regionem vastat.



*T Darius cùm Aegypto diuertisse in Africam hostem comperisset, dubitauerat, vtrum ne circa Mesopotamiam subsisteret, an interiora regni sui peteret, haud dubiè potentior auctor præsens futurus vltimis gentibus impigrè bellum capessendi, quas ægrè per præfectos suos moliebatur. Sed vt idoneis auctoribus fama vulgauit, Alexandrum cum omnibus copijs, quamcunq; ipse adisset regionem, petiturum, haud ignarus quàm cum strenuo res esset, omnia longinquarum gentium auxilia Babylonem contrahi iussit. Bactriani, Scythæq; & Indi conuenerant. *Nam & cæterarum gentium copia partibus simul affuerunt. Cæterum cum dimidio fermè maior esset exercitus, quam in Cilicia fuerat, multis arma deerant: quæ summa cura comparabantur. Equitibus equisq; tegumenta erant ex ferreis laminis serie inter se connexis. Quis antea præter iacula nihil dederat, scuta gladijque adijciebantur, equorumq; domandi greges peditibus distributi sunt, vt maior pristino esset equitatus, ingensq; (vt crediderat) hostium terror, ducenta falcata quadriga, vnicum illarum gentium auxilium secutæ sunt. Ex summo temone hastæ præfixa ferro eminebant. Vtrinq; à iugo ternos direxerant gladios, & inter radios rotarum plura spicula eminebant in aduersum. Alia deinde falces summis rotarum orbibus, & alia in terram demissa, quidquid obuium concitatis equis fuisset, amputaturæ. Hoc modo instructo exercitu ac perarmato, Babylone copias mouit. A parte dextra erat Tygris nobilis fluuius, læuam tegebat Euphrates: agmen Mesopotamiæ campos impleuerat. Tigri deinde superato, cum audisset haud procul abesse hostem, Satropacem equitum præfectum cum mille delectis præmisit. Mazæo prætori sex millia data, quibus hostem transitu amnis arceret. Eidem mandatum, vt regionem quam Alexander esset aditurus, popularetur atq; vreret: quippè credebat inopia debellari posse, nihil habentem nisi quod rapiendo occupasset. Ipsi autem commeatus alij terra, alij Tigri amne subuehebantur. Iam peruenerat Arbela vicum nobilem sua clade facturus. hic commeatuum sarcinarumq; maiore parte deposita, Lycum amnem ponte iunxit, & per dies quinque, sicut ante Euphratem, traiecit exercitum. Inde octoginta ferè stadia progressus, ad alterum amnem, Boumello nomen est, castra posuit. Opportuna explicandis copijs regio erat, equitabilis & vasta planicies, ne stirpes quidem & breuia virgulta operiunt solum, liberq; prospectus oculorum, etiam quæ procul recessere permetitur. Itaque si qua campi eminebant, iussit æquari, totumq; fastigium extendi.*

* Iam.

AEGYPTO DIVERTISSE IN AFRICAM.) A Canopico sinu, (vt Scylax non ille Halicarnasseus, sed Cariandensis, vetustissimus auctor est) incipit Libya seu Africa, nec alij geographi refragantur. Cum ergo Alexander ad Mareotim & Pharon & Paraetonium Canopicumque descenderet per Nilum versus Africam, ipseque adeo Hammon cum Hammonia regione ad Libyam pertineat, rectè ex Aegypto in Africam diuertisse dicebatur Alexander.

MESOPOTAMIAM) quæ latissimos campos, infra Euphratem & Tigrim, à quibus nomen accepit;

lib.3. c.13. pit, aperit, & ad pugnam maximè equestrem opportunum. Supra Thymandas peregrini militis ductor, magnopere suaserat Dario, vt Cicilia in Mesopotamiam reuerteretur, vbi posset explicare aciem. Quo minus tamen in præsens Darius sibi in Mesopotamia hærendum putabat, erat quod existimaret citius & facilius se barbaros hostes ad bellum impulsurum, si interiora regni & propriores barbaris terras peteret, vbi præsens omnia exequeretur, quæ tardius per Satrapas administrabantur. Interim tamen audito secuturum Alexandrum, quocunque ipse abijsset, Babylonem omnem exercitium euocauit.

Cvm strenvo.) Iam ad Granicum & Issum de Alexandro experimentum ceperat.

Bactriani, Scythae et Indi.) De singulis his & fortissimis quas Darius habebat, gentibus, infrà, cum ad has perueniet Alexander, Curtius prodet.

* Iam. *Nam et caeterarvm.) *Iam* lego cum Acidalo verè coniectante. Bactriani, Scythæque & Indi conuenerant iam, & cæterarum gentium &c. potest tamen, *iam*, puncto separari, & necti cum seq. Iam & cæterarum gentium partibus simul affuerunt.

Partibvs.) Darij, non placet Acidalij coniectura, *paribus studijs affluxerant*. Imo nec ipsi satis placet.

Dimidio ferme maior, qvam in Cilicia fverat.) In Cilicia Darius habuit equites vnum & sexaginta millia, ducentos, peditum ducenta quinquaginta millia. summa: trecenta vndecim millia ducentos. gemina equites, erunt centum viginti duo millia, quadringenti, pedites quingenta millia. summa, sexcenta viginti duo millia quadringenti. Ex quo necessario cogis locum c.28. infra-scriptum in pari morbo cubare, nec sanari per coniecturam posse, quæ sanè dubia & anceps est: summam colligit Curtius totius exercitus XLV. millia equitum, peditum CC. millia, maior erat numerus in Issica pugna. Et Curtius hic ferè duplo maiorem ponit, cum tamen minor sit illo. Iam Modius numerat ex suopte ingenio pro XLV. millibus, equites centum quadraginta quinque millia, pedestris acies sexcenta millia expleuerat. aut Arrianum sequendo equites quadringenta quinque millia, pedestris acies duodecies centena millia expleuerat. Nimium hoc Curtio, quia nec duplum fuisse integrum est ausus scribere, hic quintuplo, maior esset. essent enim decies sexies centena quadraginta millia. Iam vt pronunciem, quod sentio, scribendum arbitror: *equitum quadringenta quadraginta quinque millia, peditum ducenta millia*, vt sint sexcenta quadraginta quinque millia vniuersè, id quod ex mente Curtij efficiet ferè duplo maiorem numerum, quam ad Issum fuerat. dixit *fermè*, non ad vnguem, & plenè. Quod autem plus equitum quam peditum ponam, ratio in promptu est, cum se equitatu, cui planè impar erat Alexander, victurum speraret Darius. Nam c.34. & plus poterant Persæ equis, quam pedibus, & Darius in oratione ad milites: *obteri me hercule*, inquit, *equorum vngulis possunt*. Et hoc capite mox: equorumque greges peditibus distributi sunt, vt maior pristino esset equitatus, eoque campos ad pugnam latissimos elegit, eosdemque aquare iuslib.17. sit, sicuti eminerent, vt omnis locus equitabilis esset. Diodorus tamen tantum numerat equites ducenta millia. Iustinus quadringenta millia peditum, centum millia equitum. propius certè ad Curtium, vt & Orosius, qui CCCCIV. millia peditum, C M. equitum numerat, vt venerim in suspicionem contra meam priorem sententiam scriptum fuisse apud Curtium pro XLV. millibus equitum, quadringenta quadraginta quinque millia peditum, & pro CC. M. centum millia equitum. Plutarchus absolutè ponit *centum myriades*, quæ efficiunt decies centena millia, nec pauciores Zonaras, omnes vt vides Latini sobriè de numero produnt, Græci vltra modum omnes progressi.

Ex ferreis laminis serie inter se connexis.) Supra lib. 1. c. 21. *Equi pariterque equites*que *Persarum serie lamin*a*rum graues*. vbi super ijs verbis plura.

a lib.17. Dvcentae falcatae qvadrigae.) Quadrigarum falcatarum mensio est primum in p. 959. literis. Iud. c. 1. & 4. Apud a Liuium, b Diodorum Siculum, c Vegetium: quas Stevvechius cœlo b lib.17. adumbrauit in commentario ad Vegetium, formasque earum ex Curtio accepit, quam rem parum c li.3.c.24. accuratè delineauit & assecutus est, Liuium & Diodorum præterijt. Appianus de bellis Syriacis & Mithridaticis docet, armatas has quadrigas magnam & horrendam stragem edidisse in exercitu. Sed nos has falcatas pestes, sæpius tamen suis hostibus noxias describamus. *Armatæ autem*, inquit Liuius, *in hunc maximè modum fuunt: cuspides circa temonem ab iugo decem cubita exstantes, velut cornua habebant, quibus quidquid obuium daretur, transfigerent, & in extremis iugis bina eminebant falces, altera æquata iugo, altera inferior in terram deuexa, ita vt quidquid ab latere obijceretur, abscinderet: hæc vt prolapsos subeuntesq; contingeret. item ab axibus rotarum vtrinque bina eod. modo diuersa deligebantur falces. Sic armatas quadrigas, quia si in extremo aut in medio locatæ forent, per suos agenda erant: in prima acie, vt ante dictum, locauerat rex.* Subijcit dein Liuius, quo stratagemate currus innoxiè per Romanas acies fuerint transmissi, & cladem demum suis vnde emissi erant, intulerint. Bell. Syr. Est & apud Appianum mentio quadrigarum falcatarum, quando cladem ab illis hosti illatam de-Mithrid. scribit.


Ex svmmo temone.) In extremo temone, quà paulo supra iugum incipit, & pertinet ad axes vsque currus; Liuius circa temonem ab iugo dixit. Hastæ ergo seu cuspides, vt Liuius appellat, seu * ξίφη. *spicula vt Diodorus, ab ipso temone vltra equos eminebant, & ora hostium aut pectora fodiebat, si qui

si qui rectà occurrerent, aut deprehensi essent.

VTRINQVE A IVGO TERNOS DIREXERANT GLADIOS.) à iugo quod equi iugales ferebant, in ceruicibus (vt supra lib.3. demonstraui) sex spicula, tria ex vnoquoque latere extabant, qui hostem à latere fodiebant.

INTER RADIOS ROTARVM PLVRA SPICVLA EMINEBANT IN ADVERSVM.) Non expressum est hoc in Stevvechiano curru; spicula seu cuspides inter ipsum ordinem radiorum, in aduersum vtrinque circa latera currus procurrentia, quæ hostem à latere accedentem figerent.

ALIAE DEINDE FALCES SVMMIS ROTARVM ORBIBVS HAEREBANT.) Hoc non promptum est assequi, quam si ea fuit species falcium, quam Stevvechius expressit, quomodo potuerunt circumagi rota? Ego Curtium hic intelligo summæ curuaturæ rotæ, vt eam Ouidius appellat, fuisse insertas falces, quæ extra rotam in latera porrectæ nunc sursum spectabant, quà incuruantur, nunc deorsum; sed quæ deorsum ad axem versas, quæ sursum auersas ab axe fuisse.



Lucretius omnis auctor elegantiæ de veterum militia volumine quinto docet, priscos primum puris equis pugnasse, deinde vinxisse iumenta curribus, tum addidisse falces; adhibuisse præterea elephantos, apros, leones, tauros, sed plerumque cum pernicie ipsorummet, qui feras in aciem induxerant, quod immanitas efferata nullum demum hostis & amici discrimen faceret. subscriberem versus, nisi plusculi essent. Initium do: *Arma antiqua manus, &c.*

EVPHRATEM ET TIGRIM INGENTIA FLVMINA.) Terra media dicebatur Mesopotamia, duobus nempe interiecta fluminibus.

Mesopotamia.

Euphrates. Tigris.

Babylon.

Duxit ergo exercitum ad dextram partem Tigrim versus, cum antea ad Issum versus sinistram mouisset, sinistrè pugnaturus, neque nunc magis dextrè.

SATRABACEM.) Chiliarchum, exploratorem quem Aristo Pœonum equitum præfectus directâ in gutture hastâ transfixit, cæsoque caput abstulit, Alexandroque primitias & omen futuræ victoriæ attulit.

MAZAEO PRAETORI.) Præfecto sex millium equitum, qui Alexandrum iussus impedire non magis profecit, quam Arsames antè, qui plus suis popularibus quàm hosti nocuit, dum regionem igni latè vastaret. In ipso tamen prælio fortiter fecit, castraque primus Alexandri occupauit, & ingentem Macedonum stragem edidit. Laudatur idem à Curtio libro sequenti, *Gratus*, Inquit, *aduentus eius regi fuit: quippe magni operis futura obsidio* (Babylonis) *tā munita vrbis. Ad hoc vir illustris, & manu promptus, famaq; etiam proximo prælio celebris, & cæteros ad deditionem sui incitaturus exemplo videbatur.* Hunc Alexander cum liberis in gratiam recepit, & prouinciæ Babylonicæ præsidem & Satrapam constituit, quam ad mortem vsque magna cum laude & fide administrauit. Mors illius lib. 8. c. 8. celebratur. Memorant eundem Arrianus, Diodorus, alij. lib.3.c.8. c.3.l.5.& c.6.

IAM PERVENERAT ARBELA VICVM NOBILEM SVA CLADE FACTVRVS.) Vt Romani postea Cannas. Locus hic de Arbelis primum lectori dubius & obscurus occurrere possit, quod auctor videatur in se pugnare, cum Arbela modo cis, modo trans Tigrim videatur ponere. Nam hic Curtius docet Darium superato Tigri ad Arbela peruenisse, infrà autem mox narrat Alexandrum præter Arbela ad Tigrim demum penetrasse, quæ caussa fuit, vti Glareanus existimarit pro Arbelis Carras reponendum. Sed locus benè habet, quem Glareanus non est assecutus, frustraque alienam vocem subiecit. Hoc dicit Curtius: Alexandrum non traiecisse Tigrim eo loco, quo trans Tigrim Arbela sunt, sed Arbela è regione Tigris transijsse, & vada quæsijsse, per quæ Tigrim traijceret. Certum est ergo Ptolomæo, Strabone, Arriano, ipsoque Curtio testibus, trans Tigrim, Orientem versus Arbela sita fuisse. Cum enim Darium omnes ex prælio fugientem Arbela properasse tradant, nec tamen Tigrim traiecisse, sed Lycum, & versus Mediam Ecbatana fugisse, dubitari non potest, quin Arbela fuerint trans Tigrim ex Mesopotamia venienti. Alterum est, quod Curtius apud Arbela prælium commissum scribat, & tamen Darium media primum nocte ex fuga Arbela peruenisse affirmet, cum * alij plerique omnes prodant pugnā factam non ad Arbela, sed Gaugamela, sed hunc nodum Strabo soluit, quem infrà mox in testem adducam. Interim Curtius nō negat prælium ad Gaugamela commissum, sed Arbela tamquam locum celebriorem, & Gaugamela non longissime, si nostras terras respicias, distantem.

* Arrianus, Plutarchus, Ptolomæus, Aristobulus.

R Alio-

Alioquin ipse Curtius infra narrat Darium ab Arbelis mouisse castra Lycum versus, illoque traiecto ad Boumellum flumen, quod octoginta stadijs inde distat, venisse, atque ibi totis castris decertatum.

Boumello,) Bumandum appellat Arrianus, distareque Arbelis, ait, stadijs sexcentis, hoc est, nouemdecim milliaribus & paulò amplius quadrante: Nec tamen videntur inter se pugnare Arrianus & Curtius: cùm Curtius à Lyco octoginta stadia numerat ad Boumellum, Arrianus * ab Arbelis sexcenta stadia.

* Giocolat. lib.6.p.130. 131.

Opportuna explicandis copiis regio erat.) Hunc locum omnium optimè describit Strabo volumine 16. ipso ferè initio. *Aturia similis est locis ijs, qua circa Arbela sunt, & Lycum flumen inter medium habet. Arbela enim ad Babyloniam pertinet, & iuxta eam sunt. Trans Lycum verò Aturia campi Ninum circumiacent. In Aturia quoque pagus est nomine Gangamela, apud quem Darius superatus amisit imperium; quare hic locus insignis est, vt est nomen. Cameli enim domus interpretatur: nam sic Darius Histaspis filius nominauit, cum hanc possessionem Camelo * in alimentum daret, in via (qua per deserta in Scythiam itur) oneribus portandis, in quibus regis etiam alimentum erat, maximè * defatigata. pagum Macedones hunc cum tenuem viderent, Arbela verò habitationem memorabilem ab Arbela, vt tradunt, Athmonei F. condita, circa Arbela & prælium & victoriam fuisse famam sparserunt, eamq; scriptoribus tradiderunt. Post Arbela Nicatorium montem, quem sic Alexander, à parta apud Arbela victoria nominauit.* Arrianus expressiùs quàm Strabo, ξὺν ταύτῃ τῇ δυνάμει ἐστρατοπεδεύκει Δαρεῖος ἐν Γαυγαμήλοις πρὸς ποταμῷ Βυμάδῳ, ἀπέχων Ἀρβήλλων τῆς πόλεως ὅσον ἑξακοσίους σταδίους, ἐν χώρῳ ὁμαλῷ πάντῃ· καὶ γὰρ καὶ ὅσα ἀνώμαλα αὐτοῦ ἐς ἱππασίαν, ταῦτα δὲ ἐκ πολλοῦ οἱ Πέρσαι τοῖς τε ἅρμασιν ἐπελαύνειν εὐπετῆ πεποιήκεσαν καὶ τῇ ἵππῳ ἱππάσιμα. *Cùm his copijs Darius in Gaugamelis ad flumen Bumadum castra posuerat, * sexcentis circiter ab Arbela oppido stadijs, plano vndique & patenti campo. Quicquid enim inaequalis soli erat, quodque curribus ducendis impedimento esset, id omne Persæ multò antè adæquarunt, commodumq; ad equitandum fecerunt.* De Gaugamelis idem Plutarchus quod Strabo. Diodorus tacet omnino Gaugamela, & prælium ad Arbela consertum refert. Solinus Arbela indigetat locum prælij, vti & Plinius. Tacitus in vndecim. Annali, sed capta in transitu Ninos vetustissima sedes Assyriæ, castellum insigne famâ, quòd postremo inter Darium & Alexandrum prælio Persarum illic opes conciderat. Ergo vt vides, Tacitus ad Ninum factum prælium dicit, quia non procul inde fuerat commissum.

* Græcè τῷ καμήλῳ
* hinc defatigatæ.
* miliaria nostratia 18. cum triente.
cap. 58.
lib. 6. c. 13.

Traiecit exercitum.) Acidalius eliminat *Exercitum*, & me habet suffragatorem, ab lectore nempè nimium diligente intrusum.

Equitabilis.) Non legi hanc vocem apud alios, nam qui Liuium auctorem laudant, nec librum, nec decadem ostendunt, & verba ex Liuio adducta sunt non Liuij, sed hæc eadem Curtij. Acidalius vt elegantem commendat, quamuis *aquabilis* etiam subijciat pro illa, pro hac tamen pugnat. lib. 8. Infra cognosces idem verbi, sed compositi *inequitabilis*.

Permetitur.) Ita Modius castigauit. Iunij editio non damnanda: liberque prospectus oculorum, etiam ad ea, quæ procul recessere, permittitur. *Permittitur* idem hic quod transmittitur, vti & Sisenna vocem vsurpauit, id quod Modio insolens, qui ex suo reposuit *permetitur*, &, *ad ea*, more suo liberè & præfidenter expunxit, quibus tamen expunctis sanè commendo Modij crisin & scripturam. Optimè enim quadrat *permetitur*.

CAPVT XXIII.

ARGVMENTVM.

Profectio Alexandri ad Euphratem & Tigrim, cædes Satrapacis.

Alexan-

*Lexandro, qui numerum copiarum eius, quantum procul coniectari poterat, æstimabant. vix fecerunt fidem, tot millibus cæsis maiores copias esse reparatas. Cæterum omnis periculi & maximè multitudinis contemptor, vndecimis castris peruenit ad Euphratem: quo pontibus iuncto, equites primos ire, phalangem sequi iubet, Mazæo, qui ad inhibendum transitum cum sex millibus equitum occurrerat, non auso periculum sui facere. paucis deinde non ad quietem, sed ad præparandos animos diebus datis militi, strenuè hostem insequi cœpit, metuens ne interiora regni sui peteret, sequendusq́; esset per loca omni solitudine atque inopia vasta. Igitur quarto die præter Arbela penetrat ad Tigrim. Tota regio vltra amnem recenti fumabat incendio. Quippè Mazæus quæcunque adierat, haud secus quàm hostis vrebat. Ac primo caligine, quam fumus effuderat, obscurante lucem, insidiarum metu substitit. Deinde vt speculatores præmissi tuta omnia nunciauerunt, paucos equitum ad tentandum vadum fluminis præmisit. cuius altitudo primo summa equorum pectora, mox vt in medium alueum ventum est, ceruices quoque æquabat. Nec sanè alius ad Orientis plagam tam violentus inuehitur, multorum torrentium non aquas solùm, sed etiam saxa secum trahens. Itaque à celeritate qua defluit, Tigris nomen est inditum, quia Persica lingua Tigrin, sagittam appellant. Igitur pedes velut diuisus in cornua circundato equitatu, leuatis super capita armis haud ægrè ad ipsum alueum penetrat. Primus inter pedites rex egressus in ripam, vadum militibus manu (quando vox exaudiri non poterat) ostendit. Sed gradum firmare vix poterant, cum modo saxa lubrica vestigium fallerent, modo rapidior vnda subduceret. Præcipuus erat labor eorum, qui humeris onera portabant: quippè cum semetipsos regere non possent, in rapidos gurgites incommodo onere auferebantur. Et dum sua quisq́; spolia consequi studet, maior inter ipsos quàm cum amne orta luctatio est, cumuliq́; sarcinarum passim fluitantes plerosq́; perculerant. Rex monere, vt satis haberent arma retinere, cætera se redditurum. Sed neque consilium, neque imperium accipi poterat. Obstrepebat hinc metus, præter inuicem natantium mutuus clamor. Tandem, quà leniore tractu amnis aperit vadum, emersere, nec quicquam præter paucas sarcinas desideratum est. Deleri potuit exercitus, si quis vincere ausus esset. Sed perpetua fortuna regis auertit inde hostem. Sic Granicum tot millibus equitum peditumq́; in vlteriorem stantibus ripa superauit, sic angustis in Ciliciæ callibus tantam multitudinem hostium. Audacia quoque, qua maximè viguit, ratio minui potest, quia nunquam in discrimen venit, an temerè fecisset. Mazæus, si transeuntibus flumen superuenisset, haud dubiè oppressurus fuit incompositos in ripa: demum etiam per armatos adequitare cœpit. Mille admodum equites præmiserat: quorum paucitate Alexander explorata, deindè contempta, præfectum Pæonum equitum Aristona laxatis habenis inuehi iussit. Insignis eo die pugna equitum, & præcipuè Aristonis fuit. Præfectum equitatus Persarum Satropacem directa in gutture hasta transfixit, fugientemq́; per medios hostes consecutus, ex equo præcipitauit, & obluctanti caput gladio demsit, quod relatum magna cum laude ante regis pedes posuit. Biduo ibi statiua rex habuit, in proximum deinde * pronunciare iussit.* (* iter pronunciari.)

PROCVL CONCITARI.) Per exploratores missos ad Darij consilia & acta exploranda, quod
apud Persas erat difficillimum, vt supra demonstrauimus. c.18.

MAIORES COPIAS.) falsa igitur & mendosa infrà summa de XLV. millibus equitum, & du- c.37.
centis millibus peditum, cùm in Issica pugna maior fuerit numerus.

VNDECIMIS CASTRIS.) Vndecimo die è Tyro & Phœnice peruenit ad Euphratem, qui Mesopotamiam à Syria diuidit.

QVO PONTIBVS IVNCTO.) Arrianus iam pontibus iunctum inuenisse testatur, sed non ad vtramque ripam vsque pertinentibus. Καὶ ἀφίκετο ἐς Θάψακον Ἀλέξανδρος μηνὸς Ἑκατομβαιῶνος, ἐπὶ ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀριστοφάνους. καὶ καταλαμβάνει δυοῖν γεφύραιν ἐζευγμένον τὸν πόρον. καὶ γὰρ καὶ Μαζαῖος, ὅτῳ ἡ φυλακὴ τοῦ ποταμοῦ ἐκ Δαρείου ἐπιτέτακτο, ἱππέας μὲν ἔχων περὶ τρισχιλίους, καὶ τούτων Ἕλληνας μισθοφόρους δισχιλίους. & quæ ibidem sequuntur. Plinius libro 34. cap. 15. extare catenam tradit, qua pon reuinctus fuit. Ferunt quidam & religione qua-

dam id fieri;& extare ferream catenam apud Euphratem amnem, in vrbe quæ Zeugma appellatur, qua Alexander Magnus ibi vinxerat pontem, cuius annulos, qui refecti sunt, rubigine infestari, carentibus eâ qui refecti non sunt. Sed Curtius ad Thapsacum, vti & Strabo transisse Euphratem scribit.

Mazaeo non avso svi pericvlvm facere.) Consederat ad Euphratem & pontes Mazæus, & timuerant Macedones ne pontes integraret, sed is audito Alexandri aduentu, cum omnibus copijs salutem à pedibus quæsiuit.

Non ad qvietem.) Sed vt se ad prælium pararent, semperque animis essent sibi præsentes, ac si quouis die & loco dimicandum foret.

* cap.16. Ne interiora regni svi peteret.) Hoc enim * supra in epistola minatus fuerat se facturum. Transeundum esse Alexandro Euphratem, Tigrimque & Araxem & Hydaspem. In Mediam, Hyrcaniam, Bactra, & Indos, Oceani incolas, Sogdianos, & Arachosios, ad Caucasum & Taniam penetrandum.

Inopia vasta.) Mazæo omnia vastante, & populante, & vrente.

Qvarto die praeter Arbela penetrat ad Tigrim.) Mirum hoc de quarto die. Nam Strabo iter ex Eratosthene à Thapsaco seu Euphrate ad Tigrim numerat stadia mille quadringenta, quæ nostratia efficiūt milliaria quadraginta cum triente, hue passuum ducenta quinquaginta quinque millia. quotidie conficienda fuissent decem Germanica milliaria & semis, quod equiti graue, nedum pediti. Sed enim longiores in Assyria dies sunt, atque apud populos Arcto subiectos, & iter expeditum peræquales & perpetuos campos. Verba Strabonis sunt hæc, ne quis me

Strabo l.11. pag 82. alienis credidisse existimet. ἔμπαλιν τὴν ἀρχὴν ἀπὸ τοῦ Εὐφράτου ποιησάμενος, καὶ τῆς κατὰ Θάψακον διαβάσεως αὐτοῦ. μέχρι μὲν δὴ τοῦ Τίγριος, ὅπου Ἀλέξανδρος διέβη, σταδίους χιλίους καὶ τετρακοσίους γράφει. ἐντεῦθεν δ' ἐπὶ τοὺς ἑξῆς τόπους διὰ Γαυγαμήλων καὶ τοῦ Λύκου καὶ Ἀρβήλων καὶ Ἐκβατάνων ᾗ Δαρεῖος ἐκ τῶν Γαυγαμήλων ἔφυγε μέχρι Κασπίων πυλῶν, τοὺς μυρίους ἐκπληροῖ τριακοσίοις μόνον πλεονάσας. *Facto iterum ab Euphrate & eius apud Thapsacum traiectu initio, vsq. ad Tigrim, quo loco Alexander transijt, stadia scribit* CIↃ.CCCC. *inde ad subsequentia loca per Gaugamela, Lycum, Arbela, & Ecbatana, qua Darius à Gaugamelis fugit vsque ad Caspias portas* CCIↃↃ. *implet, superadditis duntaxat* CCC.

Praeter Arbela.) Iam priore capite locum hunc excussimus, & præter Arbela trans Tigrim posita ab Alexandro cis Tigrim, transita diximus. Carrasque Glareani deleuimus.

cap.22. Havd secvs qvam hostis vrebat.) Sed iussu Darij, vt paullò ante legisti.

cap.5. Insidiarvm metv.) cautè hoc, nubes enim & nebulæ, puluis, siluæ, angustiæ, paludes, confragosa, fumus, & nox opportuna insidijs, fidem facient. Frontinus libro 2. Polyenus lib.3.

Tvta omnia.) Nam Mazæus, vt Diodorus est Auctor, ad impediendum fluminis transitum à Dario missus, cum altissimum & rapidissimum sciret, nullo pacto transiri posse ratus, non multum diligentiæ illi custodiendo adhibuit, adiunctisque popularibus alijs, longè lateque regiones quam plurimas diripuit, omniaque corrupit, necessariarum rerum angustijs ita pressos hostes, haud propius accessuros ratus.

Adtentandvm vadvm.) Fluminis Tigridis, quod partim hic, partim infrà describit. Vadum enim est imum fluminis, & terra subiecta, per quam labitur vnda.

Cervices qvoqve aeqvabat.) Non vsque adeò ergo altus, multisque partibus maior, latior & altior. Danubius, & Euphrates, & Nilus Rhenus; vt nihil dicam de Indo & Gange.

Violentvs.) Rapidus, & cum impetu latus.

Invehitvr.) Fertur, rapitur.

lib.6.c.27. Saxa secvm trahens.) Plinius rem omnem describit, quem adibis.

A celeritate qva deflvit Tigris nomen est inditvm, qvia persi-
b lib.13.c.21 ca lingva Tigrin sagittam appellant.) b Isidorus & c Rupertus de operibus
c l 2.c.29. Trinitatis ab animalis Tigridis velocitate dictum putant, de cuius tremenda pernicitate d Plinius
d l.8.c.18. multa. Sed cum Curtio facit, e Strabo, & Plinius. g Theophilus tamen ab animali Tigride nomen
e lib.11. flumini inditum tradit apud Plutarchum, quòd Bacchum per Tigrin transportarit. Hermesianax
f li.6.c.27. Cyprius & Aristonymus lib. 3. adhuc absurdiora commentatur apud eundem de Alphesibæa
g lib.1.de lapidibus. nympha à Baccho in forma Tigridis per flumen transuecta. Hebræis appellatur * Ridekel, teste
חדקל David Chimi, vel ab acuto sapore, vel celeritate cursus. Chaldaicè Diglath. Plinius allusit in voce Diglito. In Epitaphio l.3. c.7. Iuliani dicitur ἀγάῤῥοος celeriter fluens, τεθηλενὸς μετὰ Τίγριν ἀγάῤῥοον ὀχθάδι χεῖται. Nascitur lapis Myndan in Tigride flumine candidus, quem qui secum fert, à nullo animali læditur, vt fabulatur mea sententia Leo Bizantinus lib.3 de fluminibus.

Pedes

PEDES CIRCVMOATO EQVITATV) suprà & infrà equites transmittentem peditem iuuabant. suprà, vt impetum fluminis sua statione infringerent: Infrà, vt si qui vi fluminis esset abreptus, ab equite exciperetur.

IPSVM ALVEVM) ad medium fluminis.

PRIMVS INTER PEDITES REX) φιλοκίνδυνος erat Alexander, in periculis semper princeps, vt animum suis suo adderet exemplo.

QVANOO VOX EXAVDIRI NON POTERAT) obstrepentibus vndis, & clamore se mutuo adhortantium & periclitantium.

SEO GRADVM FIRMARE VIX POTERANT) pedem figere non poterant, quod lapides lubrici & glabri eluderent vestigia, vel vis vndarum violentior eadem subduceret & auerteret. Diodorus egregiè Curtio accinit, quædamque addit. Ὁ δὲ Ἀλέξανδρος παραγενόμενος πρὸς τὴν διάβασιν τοῦ Τίγρεως ποταμοῦ καὶ τὸν πόρον ὑπό τινων ἐγχωρίων μαθὼν διεβίβασε τὴν δύναμιν, οὐ μόνον ἐπιπόνως, ἀλλὰ καὶ παντελῶς ἐπικινδύνως. τοῦ γὰρ πόρου τὸ μὲν βάθος ἦν ὑπὲρ μαστῶν, τοῦ δὲ ῥεύματος ἡ ὀξύτης πολλοὺς τῶν διαβαινόντων παρέσυρε, καὶ τὴν βάσιν τῶν σκελῶν παρῃρεῖτο. τό τε ῥεῦμα τοῖς ὅπλοις ἐμπῖπτον πολλούς τε παρέφερε καὶ τοῖς ἐσχάτοις κινδύνοις περιέβαλλεν. ὁ δὲ Ἀλέξανδρος πρὸς τὴν σφοδρότητα τοῦ ῥεύματος ἀντιμαχόμενος, παρήγγειλε πᾶσι τὰς χεῖρας ἀλλήλοις συμπλέκειν, καὶ τὴν ὅλην τῶν σωμάτων πυκνότητα ποιεῖν ζεύγματι παραπλησίαν. *Alexander vbi ad transitum Tigris peruenit, de vado ab accolis edoctus, non labore solùm maximo, sed etiam extremo cum periculo copias traducit. Nam vndarum altitudo pectora superabat, fluuijq; impetus tam rapidus erat, vt subductis pedum vestigijs multos transeuntium abriperet. Aqua etiam arma intercurrens non paucos abstulit, periculisq; extremis immersit. Sed Alexander vt vehementia vndarum obsisteret, manus inter se arctè conserere, totamq; corporum molem veluti iugo connexam habere iussit.* Atque ita, quod in Diodoro sequitur, exercitum per Tigrim traduxit, traductumque recreauit. Li. 17.

SE IPSOS REGERE) occupatis manibus in onere sustinendo & retinendo.

SPOLIA) sarcinas, vestes, pecunias, impedimenta hostibus dudum erepta, scuta virûm, gazamque, & fortia corpora voluit.

PERCVLERANT) quod totam reculam suam in sarcinis circumferrent, quarum iactura ad vltimam inopiam redigendi erant.

NEQVE CONSILIVM NEQVE IMPERIVM) accipi vel audiri poterant ob vndarum obstrepentium fremitum, & eluctantium clamores.

INVICEM NATANTIVM) obstabant sibi inuicem propter densitatem innatantium, & omnia clamoribus, tumultu, adhortationibus permixta obstrepebant, vt rés prope summum periculum esset.

LENIORE TRACTV) non vbique rapidè ferebatur Tigris, proinde vbi tardior incedebat, Plinio teste, vocabatur Diglito.

DELERI POTVIT) si impediti flumine, onerati sarcinis, sine ordine, imperio, modo, in flumine deprehensi fuissent à Mazæo. Ergò summa fuit stultitia hostis, cùm ab eo summa occasio victoriæ est neglecta.

POTVIT) potuisset nos diceremus, sed ita loqui amat Curtius. Cæterum in fluminum transitu sæpè victos hostes docent exempla. Nam ita Labienus vicit Gallos. Frontinus libr. 2. cap 5. Ita Hannibal ad Trasimenum lacum Romanos. Ita Fuluius Nobilior Lucanos, Frontinus libr. 1. cap. 6.

SED PERPETVA FORTVNA) sequuntur epiphonemata & censura auctoris super hoc facto Alexandri, ausi sine ponte Tigrim cum copijs transire, cum hinc altitudo fluminis & violentia, inde hostis posset timeri. Sed vtrumque periculum virtus regis, & fortuna disiecit. virtus, cum primùm ipse pedes eluctatus est; fortuna, cum fama aduentus, & nota iam fortitudo Alexandri, & omnis periculi contemtus metum incussit hosti, vt ripam Tigridis desereret. Enimuerò sæpè scriptores multa Alexandri audacissima & mortalia facta referunt ad temeritatem potiùs quàm prudentiam, pertinentiam; vt pater ipse Philippus apud Lucianum cum filio disputat de Mallis & munitissimis locis per summam Alexandri audaciam occupatis, vt possit Ennij dictum ad Alexandrum quoq; trahi ex Aeacidarũ sanguine oriundũ. Postremò, inquit Cicero altero de diuinat. *quanquam semper fuit, vt apud Ennium est, stolidum genus Aeacidarum: Bellipotentes sunt magi' quam sapientipotentes.* Augustus tamen Cæsar nepotem in Hispanias mittens precatus est illi gratiam Pompei, & audaciam Alexandri, vt est apud Plutarchum. Apophtheg.

AVDACIAE QVOQVE RATIO MINVI POTEST.) Placet Modij scriptura præ Acidalij, multa hic conantis & permutantis, cum legendum contendit: *audacia quoque ratione niti potest.* Benè quidem hoc, sed procul à Curtij verbis. Mens Curtij est: audaciæ quoque ratio, hoc est, caussa seu culpa minui potest. ratio certè hic pro caussa, caussa pro culpa accipitur; nec quicquam promtius est iam verbis & sensu Curtij, & respondent optimè quæ sequuntur, *quia nunquam in discrimen ve-*

nit, nunquã eo ventum est, vt dubitandum esset, an temerè vel cum ratione egisset, nunquam enim illi audacia infeliciter cessit, & ex euentu potuit semper rem consilio & ratione egisse videri.

SIC GRANICVM TOT MILLIBVS EQVITVM PEDITVMQVE IN VLTERIORE RIPA STANTIBVS SVPERAVIT. Hoc Curtius lib. 2. exposuerat, quem librum nobis tempus
lib. 13. edax & longa vetustas inuidit. Strabo. τοῦ δ' Αἰσήπου καὶ τοῦ Πριάπου μεταξὺ ὁ Γρανικὸς ῥεῖ τὰ πολλὰ διὰ Ἀδρασείας πεδίου. ἐφ' ᾧ Ἀλέξανδρος τοὺς Δαρείου σατράπας ἀνακράτος ἐνίκησε συμβαλὼν, καὶ πᾶσαν τὴν ἐντὸς τοῦ Ταύρου καὶ τοῦ Εὐφράτου παρέλαβεν. *Granicum flumen inter Aesepum & Priapum, vt plurimum fluit per Adra-*
lib. 1. *stiacampum, in quo Alexander Darij satrapas ingenti prælio vicit, omnemq́; intra Taurum montem & Eu-*
lib. 11. *phratem, terrã occupauit.* Cæterùm Arrianus transitum Alexandri per Granicum egregiè describit, & equitum ait fuisse viginti millia, qui ripam Granicum obsidebant, nec pauciores pedites. Iustinus vniuersè sexcenta millia censet. Diodorus haud paulò pauciores. Plutarchus nullo certo numero μεγάλην ait fuisse δύναμιν, summum periculum erat in Granici ripa superanda, quod omnes quos laudaui, commemorant exponuntque.

IN CILICIAE ANGVSTIS CALLIBVS.) Regredere ad lib. 3. cap. 8.

PER ARMATOS.) iungit voces Acidalius *perarmatos* & verè: nam in flumine exarmati erant, quibus si superuenisset, Mazæus delere potuit. Nunc demum & cum paucis aduenit, cùm Macedones iam armati, hoc est, probè armati essent. serum auxilium.

ARISTONA. Fortissimus hic Aristo miles, quem & Plutarchus laudat, cum iucundo Alexandri epiphonemate. Ὁ τῶν Παιόνων ἡγούμενος ἀποκτείνας πολέμιον ἄνδρα, καὶ τὴν κεφαλὴν ἐπιδειξάμενος αὐτῷ τοῦτο (εἶπεν) ὦ βασιλεῦ, παρ' ἡμῖν ἐκπώματος χρυσοῦ τιμᾶται τὸ δῶρον. ὁ δὲ Ἀλέξανδρος γελάσας, κενοῦ γε (εἶπεν) ἐγὼ δὲ σοι μεστὸν ἀκράτου προπίομαι. *Pæoniæ præfectus Aristo cum hostem obtruncasset, ostendissetq́; ei caput, Hoc donum Rex, inquit, apud nos poculo aureo pensatur. Arridens Alexander, nempe vacuo, inquit, Ego verò tibi plenum propinabo.*

BIDVO.) Militem à labore & periculo traiecti fluminis recreaturus, hæsit per biduum, dein profectionem pronunciauit. Codex Augustanus antiquissimus veriùs, in *proximum*, deinde iter pronunciari iussit, quam scripturam etiam Acidalius laudauit. In *proximum* intellige *diem.* τὸ, *Iter*, tamen MS. omisit, sed seruandum est.

CAPVT XXIV.

ARGVMENTVM.

Defectio lunæ describitur, inde trepidatio exercitus & nutatio ac propè seditio. Ratio defensionis explicata, fausta portenta, profectio, ignis extinctio, copia frumenti reperta, exploratores capti vel cæsi.



Ed prima ferè vigilia luna deficiens, primum nitorem sideris sui condidit, deinde sanguinis colore suffuso lumen omne fœdauit, solicitisq́; sub ipsum tanti discriminis casum ingens religio, & ex ea formido quædam incussa est. Dijs inuitis in vltimas terras trahi se. Iam nec flumina posse adiri, nec sidera pristinum seruare fulgorem. Vastas terras, deserta omnia occurrere: vnius hominis iactatione tot millium sanguinem impendi. Fastidio esse patriam, abdicari Philippum patrem, cælum vanis cogitationibus peti. Iam propè seditionem res erat, cum ad omnia interritus, duces principesq́; militum frequentes adesse prætorio, Aegyptiosq́; vates, quos cæli siderumque peritissimos esse credebat, quid sentirent, expromere iubet. At illi, qui satis scirent temporum orbes implere destinatas vices, lunamq́; deficere, cùm aut terram subiret, aut sole premeretur, rationem quidem ipsis perceptam, non edocent vulgus, ceterum affirmant Solem Græcorum, Lunam esse Persarum: quotiens illa deficiat, ruinam stragemq́; illis gentibus portendi. Veteraq́; exempla recensent Persidis regum, quos auersis dijs pugnasse luna ostendisset defectio. Nulla res multitudinem efficacius regit, quã super-

superstitio, alioquin impotens, sæua, mutabilis, vbi vana religione capta est, melius vatibus quam ducibus suis paret. Igitur edita in vulgus Ægyptiorum responsa, rursus ad spem & fiduciam erexere torpentes. Rex impetu animorum vtendum ratus, secunda vigilia castra mouit. Dextra Tigrim habebat, læua montes, quos Gordyæos vel Gordæos vocant. Hoc ingresso iter, speculatores qui præmissi erant sub lucis ortum Darium aduentare nunciauerũt. Instructo igitur milite, & compesito agmine, antecedebat. Sed Persarum exploratores erant mille ferme, qui speciem magni agminis fecerant: quippe vbi explorari vera non possunt, falsa per metum augurantur His cognitis rex, cum paucis suorum assecutus agmen refugientium ad suos, alios cecidit, cepit alios, equitesq́; præmisit simul speculatum, simul vt ignem quo Barbari cremauerant vicos, extinguerent, quippe fugientes raptim tectis aceruisq́; frumenti iniecerant flammas, quæ cum in summo hæsissent, ad inferiora nondum penetrauerãt. Extincto igitur igne, plurimum frumenti repertum est: copia aliarum quoq́; rerum abundare cœperunt. Ea res ipsa militi ad persequendum hostem animum incendit: quippe vrente & populante eo terram, festinandum erat, ne incendio cuncta præciperet. In rationem ergo necessitas versa: quippe Mazæus qui ante per otium vicos incenderat, iam fugere contentus, pleraq́; inuiolata hosti reliquit. Alexander haud longius centum quinquaginta stadijs Darium abesse compererat. Itaq́; ad satietatem quoq́; copia commeatuum instructus, quatriduo in eodem loco substitit.

SED PRIMA FERE VIGILIA LVNA DEFICIENS,) Locus planè illustris & laboriosè explicandus de hebescente sidere, vndecimo die ante pugnam ad Gaugamela factam. Illustrant has lunæ tenebras nobilissimi scriptores. *a* M. Tullius Cicero. *b* Plinius. *c* Arrianus. *d* Plutarchus. *e* Ptolomæus Geographus *f* Διαγραφὴ τῶν ὀλυμπιάδων. *g* Scaliger de emendatione temporum & Can. Isag. *h* Henricus Butingus, Iacobus Christmannus ad Alfraganum, Manilius l. Astron. Lucretius. Ciceronis verba sunt primo de diuinat. *Quale scriptum illud videmus: si Luna paullo ante solis ortum defecisset in signo Leonis, fore vt armis Darius & Persæ ab Alexandro & Macedonibus prælio vincerentur, Dariusque moreretur.* Sed Cicero nulla tempora signat, nec annos, nec Olympiadas, multo minus mensem, nisi Leonis signum, quem Scaliger refutat. Plinius. *Nobili apud Arbela magni Alexandri victoria luna defecisse noctis secunda hora prodita est, eademq́; in Sicilia exoriens.* Ptolomæus de ead. defectione ita scribit. *Nam literis mandatum est Eclipsim eam qua hora quinta in Arbelis accidit, Carthagini apparuisse secundâ. Ex quibus manifestum redditur, quot temporibus æquinoctialibus inter se loca distent ad ortum vel occasum.* Arrianus paucissimis, καὶ τῆς σελήνης τὸ πολὺ ἔκλειψις ἐγένετο· καὶ Ἀλέξανδρος ἔθυε τῇ τε σελήνῃ, καὶ τῷ ἡλίῳ καὶ τῇ γῇ, ὅσων τὸ ἔργον τοῦτο λόγος εἶναι κατέχει, καὶ ἐδόκει Ἀριστάνδρῳ πρὸς Μακεδόνων καὶ Ἀλεξάνδρου εἶναι τῆς σελήνης τὸ πάθημα, καὶ ἐκείνου τοῦ μηνὸς ἔσεσθαι ἡ μάχη. καὶ ἐκ τῶν ἱερῶν νίκην σημαίνεσθαι Ἀλεξάνδρῳ. *Per id tempus ingens lunæ defectio fuit.* Nec plus de tempore. Sed subijcit de prodigij significatione. *Alexander lunæ, soli & terræ à quibus eclipses fieri dicuntur, sacrificiũ fecit. Aristandro visum est felicẽ ac faustum successum Alexandro & Macedonibus per lunæ defectum portendi, præliumq́; eo ipso mense committendum esse, & sacrificia ipsa victoriam Alexandro promittere.* Plutarchus mensem etiam signat & diem. Ἡ μὲν οὖν σελήνη τοῦ βοηδρομιῶνος ἐξέλιπεν, περὶ τῶν μυστηρίων τῶν Ἀθήνησιν ἀρχήν. ἑνδεκάτῃ δὲ ἀπὸ τῆς ἐκλείψεως νυκτὶ, τῶν στρατοπέδων ἐν ὄψει γεγονότων &c. *Porro Luna mense* * *Boedromione defecit sub initiũ mysteriorum, vt ea Athenis agunt. Vndecimo à defectione die, cùm exercitus vtrinq́; in aspectu essent:* & quæ sequuntur. Olympiadum descriptio: Ὀλυμπ. ριβ. β'. ΑΡΙΣΤΟΦΑΝΗΣ. Ἀλέξανδρος τὴν ἐν Αἰγύπτῳ Ἀλεξάνδρειαν κτίζει. Σελήνης ἔκλειψις. ἡ πρὸς Ἄρβηλα μάχη καὶ Δαρείου ἧττα. ἐντεῦθεν αἱ Καλίππου περίοδοι ἄρχονται. *Olympiade centesima duodecima, anno secundo, ARISTOPHANES prætor. Alexander in Ægypto Alexandriam condit. Lunæ defectio, pugna ad Arbela, qua victus est Darius. Hinc incipiunt periodi Calippi.* Iosephus Scaliger ex Iulii Africani Epochis, epocha LXXXVIII.

a li. de diuina. *b* li. 2. c. 70. *c* lib. 3. *d* de vita Alex. *e* li. 1. c. 4. *f* Olymp. 112. an. 2. *g* lib. 3. p. 291. *h* Chronologia Olymp. 112. anno 2.

* Septemb.

AD CAPTAM BABYLONEM.) Hic, inquit, casus non potest ignorari. Nam præterquam quòd omnes vno ore illum conferunt in annum 2. Olymp. 121. ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀριστοφάνους, accedit demonstratiuus character ex cælo, deliquium lunæ, Septembris 20. μεταγειτνιῶνος εἰκάδι. Erat enim annus XXVIII. periodi Atticæ. Fallitur enim Plutarchus, qui hoc deliquium sideris contigisse scribit εἰκάδι βοηδρομιῶνος, * μυστηρίοις. Mysteria quidem semper conueniunt in XX. Boedromionis, sed eo anno neomenia βοηδρομιῶνος incidit in Calendas Octobres. Proinde mysteria in XX. diem eiusdem mensis. At defectio Lunaris iam antea contigerat vigesima Septembris εἰκάδι μεταγειτνιῶνος. Itaque manifesto Plutarchum fugit ratio, qui εἰκάδι βοηδρομιῶνος, ac proinde μυστηρίοις contigisse dicit. Neque melior Arriani sententia, qui Πυανεψιῶνος sidus defecisse tradit. Itaque neque Βοηδρομιὼν secundum Plutarchum hic locum habet, neque secundum Arrianum Πυανεψιὼν siue popularis, siue πρυτανείας. Vndecim enim diebus defectio lunæ ante pugnam contigerat. Vnde pugna commissa Calendis Octobris νουμηνίᾳ βοηδρομιῶνος. Hæc Scaliger in Thesauro temporum ad Eusebium. Scio quid idem doceat lib. 5. de emendat. temporum. Sed hic plenius ex vltima sententia.

lib. 3. Canonum Isagogicorũ. p. 298.

* De his mysterijs Athensiũ Eleusinijs singularẽ librum conscripsit Io. Meursius. De temp. & diebus


nam

nam ibi constituit 21. noctem Septembris, qua facta eclipsis. hic 20. ipsum. Buntingus confert hanc defectionem in annum mundi III CIↃ.XXXVIII. Olymp. XII. anni II. ante Christum natum CCCXXXI. Accidit ergo hæc defectio anois 330. mensibus 5. diebus 10. & paucis horis, ante natum Christum.

Effigiem porrò huius defectionis in hac tabula cernis, vt oculos etiam curiosè pascas.

οὐδὲν γλυκὺ περὶ ἄλ... ἢ πάντα εἰδέναι.

Nil dulcius nescire nil, nosse omnia.



Astron. Prima fere vigilia.) Quia Gaugamela ad Orientem vergunt, sicut tota regio Assyriorum, quæ Lunam exorientem prima videt.* Manilius:

Te testem dat Luna, sui glomerabilis orbis
Quæ cum versa nigris per noctem deficit vmbris
Non omnes pariter confundis sidere gentes;
Sed prius Eoa quærunt tua lumina gentes.
Post medio subiecta polo quæcunque coluntur,
Vltima ad Hesperios infectis volueris alis,
Seraq; in extremis quatiuntur gentibus ora.

Caussam dat Manilius quod terra sit rotunda & globosa, alioquin futurum esse, si plana sit, vt simul ab omnibus conspiciatur. lege el. 4. Manilij.

Caussa patet, quod Luna suis defecit in astris.

& quæ ibidem sequuntur.

lib. 3. c. 15. Prima vigilia) De vigiliis * suprà copiosè disputatum est.

Formido incvssa est.) Est apud Plutarchum libellus περὶ δεισιδαιμονίας de superstitione, in quo narrat de Nicia Atheniensium duce non auso ob defectionem Lunæ in hostem pugnare, & cum toto exercitu, deleto: videlicet, quadraginta millia propter ducis superstitionem periere. Pergit dein Plutarchus, & docet in tempestate precandum quidem numen, sed interim clauum adducendum & antennas dimittendas; & ab Hesiodo moneri agricolam, vt vota Cereri & Diti faciat, sed interim stiuam arripiat, & aret. Homerus Græcos pugnaturos iotroducit vouentes, sed interim prœlium aggredientes. Addit postremò de Iudæis cum Sabbato pugnare ob religionem noluisse, captos & interfectos. Est autem δεισιδαιμονία nimius metus numinis, ex quo superstitio oritur. Hoc factum & apud barbaros nostro ferè tempore, qui terrore sideris ad quasuis cum Lusitanis conditiones faciendas descenderunt; cum rationem cœlestium corporum & conuersionum nescirent, & Lusitani vltimum illis imminere exitium, dictitarent, nisi in voluntatem ipsorum concederent.

Diis invitis.) Seditiosa exercitus oratio, vel murmur potius expositum ad exemplum Cæsaris, qui plerasque omnes hostium, & suas etiam orationes, ipse non ad verbum tradit, sed compendio sententiam complectitur, & per varbum infinitum: vt statim initio lib. I. de Heluetijs legatos mittentibus, *qui dicerent sibi esse in animo sine vllo maleficio iter per prouinciam facere, rogare vt illius voluntate id sibi facere liceat,* & quæ ibi sequuntur. Dijs autem inuitis affirmat, quod ex sideris luctu putarunt iratos sibi Deos.

Ira

IN VLTIMAS TERRAS:) Oratoria auxesis, extra solis terminos, dixerat suprà ead. figura.

NEC FLVMINA POSSE ADIRI.) vel quod nullus imperitus miles superesse crederet; extra solis nempe terminos, vel quod ægrè transmitterent, vt Tigris. Erant porrò haud procul Tigri Lycus, Caprus, alia: taceo longinquiora, Araxen, Hystaspen, Oxum, & Ochum, Indum & Gangem.

ADIRI.) adiri tamen mihi suspectum est, & fuit Acidalio, qui *vadari* putauit reponendum, aut *transiri*.

NEC SIDERA.) Quasi extra naturæ fines non possent vlterius radios spargere.

VASTAS TERRAS, DESERTA OMNIA.) Quia Mazæus prægressus, omnia populando, cremando, agendo, ferendo, vastarat.

VNIVS HOMINIS IACTATIONE.) vetera exemplaria non improbè: *in vnius hominis iactationem* &c. sanguinem impendi.

FASTIDIO ESSE PATRIAM.) Quæ nempe ex Philippi oraculo Alexandrum non capiebat.

ABDICARI PHILIPPVM.) Hoc acerbè in Alexandrum, cui nec patria, nec pater placeret diuinitatem affectanti.

CAELVM VANIS COGITATIONIBVS PETI.) Modum hominis egressus, cælestem quæsierat, patrem Iouem Hammonem, cœlitum honores sitiebat. Et hæ erant militis turbati territique ex lunæ hebescentis tristi aspectu, voces. Quod vero Plutarchus de Nicia Atheniensium duce astrologiæ ignaro memorauit, prodidit multis sæculis ante Plutarchum Polybius illustris scriptor, vbi de Nicia scribit, inter officia imperatoris requirit vt Geometriæ & astrologiæ sit probè gnarus, ostenditque quæ à quibus imperatoribus damna & offensiones bellicæ ex earum descriptionum ignoratione acceptæ sint. Putabant veteres cum Luna vel Sol laboraret, id Lamiarum veneficijs fieri, vt de Pindaro & Stesichoro tradidit Plinius, peluisque, vel cymbali, vel tympani strepitu & tinnitu carmina magica exarmari existimabant. Tibullus — Lib. 2. c. 12. Eleg. 8. l. 1.

Cantus & è curru lunam deducere tentant,
Et facerent si non æra repulsa sonent.
At vos deducta quibus est fallacia luna, — Et Propertius lib. 1. Eleg. 1.
Et labor in magicis sacra piare focis.

Cognosce & apud a Ouidium, b Horatium, c Virgilium ead. — a Metam. 12.
Carmina vel cælo possunt deducere lunam.

Apollonij interpres ad lib. 4. αἱ φαρμακίδες κατάγουσι τὴν σελήνην. Sagæ deducunt lunam. Exanimauit — b. Oda. 5. Epod.
etiam vltimum regem Macedonum postea, vt auctor est Plutarchus, in Aemilio solis confusio. * — c. Eclog. 8.
Plinius *rationem,* inquit, *defectus vtriusq́,* (Solis & Lunæ) *primus Romani generis in vulgus extulit Sulpitius Gallus, qui consul cum M. Marcello fuit: sed tum tribunus militum solicitudine exercitu liberato, pridie quam Perseus Rex superatus à Paullo est, in concionem ab Imperatore perductus ad prædicendam eclipsim, mox & composito volumine.* Agit deinceps Plinius de primis siderum & defectioum obseruatoribus, ostenditque cum Polybio quas clades rebus publicis imperatores siderum ignari attulerint, ac demum concludit. *Macti* (inquit Plinius) *ingenio este cæli interpretes, rerumque naturæ capaces, argumenti repertores, quo * Deos hominesque vicistis. Quis enim hæc cernens, vt status siderum* (*quoniam ita placuit appellare*) *labores, non suæ necessitati mortalis genitus ignoscat?* Eandem Sulpitij prædictionem exponit Liuius, qui ante Plinium erat nominandus. Paullo aliter Valerius historiam prodidit, quem tute videbis, quia in prõptu est mihi satis indigitasse. Frontinus quoque legendus Stratag. l. 1. c. 12. De Archelao Macedoniæ rege mira Seneca: *Nõ poterat ergo,* inquit, *Archelao referre Socrates gratiã? Et quid* — lib. 5. de Ben. c. 6.
tantum erat accepturus, quantum dabat, si ostendisset hominem vitæ ac mortis peritum, vtriusque fines tenentem? si regem in luce meridiana errantem ad rerum naturam admisisset, vsq́, eo eius ignarum, vt quo die solis defectio fuit, regiam clauderet, & filium (*quod in luctu ac rebus aduersis moris est*) * *tonderet? Quantum fuisset beneficium, si timentem à latebris suis extraxisset, & bonum animum habere iussisset dicens: non est ista solis defectio, sed duorum siderum coitus, cum luna humiliore currens via infra ipsum solem, orbem suum posuit, & illum obiectu suo abscondit: qua modo partes eius exiguas, si in transcursu strinxit, obducit: modo plus tegit si maiorem partem sui obiecit: modo excludit totius aspectum si recto * libramento inter solem terrasq́, media successit. Sed iam ista sidera huc & illo diducet velocitas sua, iam recipient* — * perpendiculo, diametro.
diem terræ, & hic ibit ordo per sæcula, quæ dispositos ac prædictos dies habent, quibus sol intercessu lunæ vetetur omnes radios effundere. Paullu expecta, iam emerget, iam istam veluti nubem relinquet, iam exolutus impedimentis lucem suam liberè mittet. Hæc eleganter & copiosè Seneca. Apud * Dionem miles Ro- — * Lib. 59.
manus apud Pannonas versatus post decessum Augusti ferociter tumultuans defectione lunæ retusus, & compositus est. *Quia vero natali suo,* inquit Dio * de Claudio, *defectus solis futurus erat, veri-* — * Lib. 60.
tus ne quis inde tumultus existeret, quum alia quoque prodigia quædam accidissent, publicè edidit non modò futurum id deliquium, sed tempus etiam, quantitatemque eius, caussasque ob quas necessario euenturum esset. Caussa sunt huiusmodi. Luna infra solem (vt certum habetur) siue proximè et subiecta, siue Mercurio etiam Venerique supposita, mouetur in longitudinem & altitudinem, quemadmodum & sol videtur cursum habere suum: & præterea etiam in latitudinem, quod soli nequaquam conuenit. Proinde luna sit espe-

ctu

ctu aspectus nostri recta sub solem veniat, ac infra eius radios currat, splendorem eius qui in terram defertur, hominum alijs magis alijs minus occultat, nequaquam vero eum obscurat: nimirum cum sol semper proprium lumen obtineat, neque vnquam id amittat. vnde ijs etiam quibus Luna non ita opponitur vt solem obtegat, integer videtur. Hoc ita Soli accidit, ac tum ita sub Claudio editum est. Porro luna (neque enim alienum fuerit, de ea quoque loqui, quando semel eum sermonem attigimus) deficit, quoties è regione opposita soli (quod ei in plenilunio, sicut soli deliquium in coniunctione obtingit) in vmbram terræ, quæ habet metæ seu turbinis figuram, incidit. Fit hoc, quum in medio latitudinis suæ mouetur: ac tunc luce, quam à sole accipit, destituta, ipsa per se qualis sit, apparet. Hęc Dio. Eandem defectionē Tacitus perēleganter describit quem in manibus habes: Agathocles quoque Siciliæ Rex militem in defectione solis externatum his verbis apud Iustinum ad spem & victoriam excitat. His quidem adhortationibus animi militum erigebantur. Sed terrebat eos portenti visio, quod nauigantibus eis sol defecerat. Cuius rei rationem non minore cura Rex, quam belli reddebat, affirmans, si prius, quam proficiscerentur factum esset, credi aduersum profecturos prodigium esse: nunc quia egressis acciderit, illis ad quos eatur, portendere. Porro defectus naturalium siderum semper præsentem rerum statum mutare, certumque esse florentibus Carthaginiensium opibus, aduersisque rebus suis commutationem significari. Nullum finem laudandæ matheseos faciam, si progredi velim, nam omnia velle persequi, est arenas metiri. Mathesis omnibus gentibus primùm ductore sidere per trium magorum obseruationem Deum ostendit. Mathesis nostræ societati muniuit viam ad Sinas, ad quos nulli peregrino licuit adhuc adspirare. Elegantissime eandem poetico pronicillo depingit Varro Atacinus. Sed quia carmina plusculа sunt, huc non transfero. Macrobius quoque ex vera ratione de vtroque sidere languescente tractat, quem commodè ipse cognosces. Concludam hunc locum narratione Ioannis Roiani, qui de lunæ defectione in hæc verba scripsit. [Colonus ductor exercitus Ferdinandi Regis Hispaniarum superioribus annis, quibus nouus orbis Indię Occidentalis detectus est, atque exploratus, apud Iamaicam Insulam totum exercitum Christianorum ab imminente morte huius diuinæ disciplinæ auxilio eripuit. Cum enim vniuersus Hispanorum exercitus in vltimo iam vitæ periculo esset constitutus, neque Dux à Iamaicensibus alimenta vllo posset modo impetrare, (Hac enim ratione sperabant Barbari exercitum Christianorum facilè sine armis posse expugnari) rectoribus Iamaicensium nunciari iubet, ni sibi, suisque omnibus necessaria ad victum subministrent, plurima illis ad suprema mala imminere: In cuius rei testimonium non multo post Lunam eos obscuratam esse visuros, quam quidem ipse in Astronomia eximiè versatus iam iam defecturam cognoscebat. Contempserunt quidem primo Barbari iussa ducis Christiani, ac minas: At cum ad constitutum ab ipso tempus lunam deficere sensim conspicerent, neque huius rei causam intelligerent, illius tum verbis primum fidem præbentes, & commeatum Christianis affatim subministrarunt, & ad ipsius Ducis, cæterorumque militum pedes peruoluti, vt sibi ignoscerent, obnixè efflagitarunt. Taceo multa alia exempla similia, vt non immerito Ptolomæus asseruisse videatur, optimum Astrologum multum malum prohibere, & sapientem Astronomum multum bonum hominibus posse procurare.] Hæc noster Clauius.

IAM PROPE SEDITIONEM RES ERAT.) Remedium animis perculsis adhibiturus Alexander, ductores ordinum vocat in regium tabernaculum, per quos de siderum ratione doctos doceat militem; quod illi fœlicissimè, vt omnia cessit.

AEGYPTIOS VATES.) Aegyptij enim sibi sideralis scientiæ inuentionem arrogarunt. Astronomiæ certè Theuthem Plato in Phędro nominat auctorem; Aristoteles Aegyptijs tribuit Astrologiam: Διὸ, inquit, περὶ Αἴγυπτον αἱ μαθηματικαὶ πρῶτον τέχναι συνέστησαν. ἐκεῖ γὰρ ἀφείθη σχολάζειν τὸ τῶν ἱερέων ἔθνος. *Hinc Mathematica disciplinæ in Aegypto primum constitutæ sunt, quum ibi concessum sit vt sacerdotes otio fruantur.* Ad quem locum noster Fonseca. *Cum audis Mathematicas scientias inuentas esse ab Aegyptijs, intellige potissimum Astrologiam, ad cuius inuentionem, quæ longa indiguit astrorum obseruatione, nō tantum otio necessaria, sed libero quoque & sereno cælo, id quod in ea regione perenne est, vtebantur sacerdotes.* Verè, nam & Plato adstipulatur. Pythagoras, Plato, Democritus, alijque complures Aegyptum petiuere, Astrologiæ & Geometriæ caussa. Plato Aegyptum opportunam affirmat astris considerandis. Idem Picus Mirandula propter plana camporum docet. Diodorus etiam Aegyptijs hanc Astrologiæ laudem tribuit. Alij Chaldæis primam siderum cognitionem assignant. Iosephus ab Abrahamo siderum disciplinam Aegyptijs traditam narrat: ab his ad Chaldæos, inde ad Græcos profectam. Pherecides, Pythagoras, Thales Aegyptiorum & Chaldæorum fuere discipuli. Poetæ Atlantem conditorem fingunt Astrologiæ, eóque pingunt humeris cælum sustinere.

Lib. 22. — contra Appionē. — Virgil. 6.

Vbi cælifer Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

Li. 6. c. 125. — Lib. 1. Antiq. c. 3.

De eod. Plinius, qui tamen Belum Iouem sideralis scientiæ inuentorem fuisse refert. Seruius Prometheum laudat repertorem. Iosephus Setho primùm omnium siderum cognitionem adscribit. Certum est ex cælestium literarum doctoribus & Iosepho, cognitionem siderum ab ipso primum

mum Adamo traditam literis, à Setho & posteris Noe, ab hoc eam ad Abraâmum peruenisse, à quo ad Aegyptios, ab his, ad Chaldæos, Phœnicas, Græcos. Videatur Clauius ad cap. 1. Io. de Sacro-Bosco. Sed de omnibus Aegyptiacis disciplinis copiosè & eruditè nuper in Ecclesiasticis Annalibus noster Salianus, vbi de pueritia Mosis agit, anno Mundi 2470. ante C. N. 1583. Tom. 1. Primi ergo Hebræi columnis siderum rationem inscripserunt, & ab his ad Aegyptios, Chaldæos, aliosque propagata est. Habes ergo caussam, quid sit quamobrem Alexander Aegyptios potissimum sacerdotes & Vates ad interpretandas siderum naturas adhibuerit, quod illis inea, vtpote inuentoribus & magistris Astrologiæ, maximè fides adiungeretur.

TEMPORVM ORBES) Aegyptij sacerdotes caussas defectionum naturales cognorunt, sed neque euulgandas in rudes, neque ab illis capiendas, tacebant, & quæ ad excitandos militum animos pertinebant, pronunciarunt haud dubiè doctore & auctore ipso Alexandro, qui dictabat quid potissimum Principes ederent. Orbes autem temporum appellat, vel ipsos orbes & corpora cœlestia, quæ certa ratione circumuoluuntur, & annos ac menses distinguunt, quod Sol & Luna æterno cursu peragunt, dein reliqua quæque errantia sidera, quæ planetæ appellantur, fixa quoque astra Zodiaci seu signiferi, vel quæ extra eclipticam, sunt versus Austrum & Septentrionem, quæ ratio Astronomicæ scientiæ continetur. Iam positus astrorum & cœli facies suas leges habent, à quibus nunquam discedunt. Hæc omnia probè tenebant sacerdotes. Et Ouidius postea in Fastis, & Manilius in Astronomicis descripsit.

LVNAMQVE DEFICERE) Curtius non rudis Matheseos, physicas rationes adfert defectionis Lunæ, vnam, cum terram subit, alteram, cum sole premitur. Vna efficit eclipsim, altera silentium Lunæ. Eclipsis fit in plenilunio, silentium in nouilunio. Terram subit, cum in vmbram terræ incurrit; non cum descendit ad inferius cælum infra finitorem, quem Græci ὁρίζοντα dicunt, oculisque nostris definitur cum supra terram non extat, tunc enim non dicitur deficere, nec deficit. Cum verò extat in nostro cœlo, & tamen vel tantum cornuta, vel omnino non apparet, quod statis vicibus mensium contingit: vel subit vmbram terræ, cum terra inter solem & lunam intercedit, quod fit in plenilunijs, cum luna è diametro distans à sole, obiectu terræ solem non potest respicere, quæ defectio aliquando totam lunam tegit, vt factum in eclipsi, de qua agimus; vel partem, quæ in vmbram terræ incurrit. Premitur autem à sole in silentio lunæ, cum propius solem accedit, vultumque à nobis auertit (& est intra quindecim partes) atque ad solem conuertit, radiosque in illam suos per anaclisim reijcit.

SOLE PREMERETVR) sicut & ipsa vicissim solem premit, cum sol infra terram est, & luna suprà recto libramento, cum in vmbra terræ est, vnde forrasse est quod Lucretius dixit:

——— & oppressum solem super ipsa tenere.

quamuis Lucretius de terra interiecta loquatur. Quando autem ita subit solem, vt supra verticem nostrum intra oculos nostros & solem, recta interijciatur, solem velat, & radios solis hebetat & retundit, vt à nobis aspici nequeant, indeque existit defectio solis. Has & his plures caussas docti narrant. Cicero eleganter vtriusque sideris deficientis naturam his verbis describit. *Solis defectiones, itemque lunæ prædicuntur in multos annos ab ijs, qui siderum cursus & motus numeris persequuntur: ea enim prædicunt, quæ naturæ necessitas perfectura est. Vident ex constantissimo motu lunæ, quando illa è regione solis facta incurrit in vmbram terræ, quæ est meta noctis (eleganter hoc Cicero & doctè, est enim vmbra terræ instar metæ turbinata, & in apicem desinit) vt eam obscurari necesse sit: quandoque ead. luna subiecta soli, atq; opposita nostris oculis eius lumen obscuret.* Habes hic ex Cicerone caussas eclipses lunæ & solis. Qui germanas & certas defectionum solis & lunæ caussas ex Mathematicorum disciplina discere & pernosse desiderat, Ioannem Sacroboscium c. 4. Sphæræ euoluat, Vitellium præterea in Optices propos. 26. & Clauium ad Sacroboscium, Lucretium. lib. 5. Lucanum lib. 1. — 2. de diui-na. paullo post prin-cipium.

GRAECORVM, LVNAM ESSE PERSARVM) ex Herodoto, apud quem lib. 7. hebescente sole Xerxi Vates responderunt defectionem Græcarum vrbium significari, quod sol esset præses Græcorum, luna Persarum.

VETERAQVE EXEMPLA PERSIDIS REGVM) Plutarchus dies & menses signat tum barbaris infaustos, tum Græcis felices, & contra. *Persæ,* (inquit in Camillo) *mensis Boedromionis* (Septembris nobis) *die sexto in Marathone, tertio ad Platæas, eodemque ad Mycalem sunt à Græcis cæsi, vigesimo sexto in Arbelis.* Mensis quoque Thargeliorum manifestè Barbaris fuit infaustus. Alexander regis præfectos hoc mense superauit ad Granicum. Multa solis & lunæ deliquia (vt Festus appellat, à delinquendo, quod sol in cursu delinquat) reperies, si per Olympiades ad priores annos regrediaris, sed quod soles deficientis labores Græcis exitium portenderint, lunæ Persis & barbaris, non item semper viuuenit. Perinde enim sub defectionibus lunæ Græcos fuisse afflictos ac Barbaros intelligo, vt hoc vatum Aegyptiorum commentum videri possit ab Alexandro fortasse dictatum, vt antea Hammonis sacerdotes monuerat, quid sibi vellet sciscitante responderi. Obseruatæ tamen Eclipses certis annis ante hanc nostram, hæ sunt: Olympiad. XCIX mense Posideone (vt placet Ptolemæo, quem alij emendant, & sequentem mensem Anthesterionem pro Posideone reponunt) anno, luna sub vmbram terræ tota successit, laborauitque horas quatuor, quo anno Thebana arx — Lib. 4. c. 11.

capta

capta à Lacedæmonijs pulsi ciues, rapti liberi, & coniuges. Hanc præcessit alia dies LXXVII. olymp. ead. anno II decimo sexto die ante annum III. Olymp. XCIX. anno mundi III. CIↃ. IↃL-XXXVII. ante Christum CCCLXXXII. mense Scurophorione, cui respondit XVIII Iulij, vt docet Buntingus, nec dissentit à Ptolomæo. Hoc anno Romanos pestilentia vexauit, & M. Manlius de
li. 4. c. 11. saxo deiectus perijt. Ante hanc rursus vmbram terræ subijt luna, modicè tamen, anno mundi III. CIↃ IↃ. LXXXVI. ante Christum natum CCCLXXXIII. mense Posideone, vt tradunt Ptolomæus, Bütingus, Arithesterion. Et hanc eclipsim secuta pestilentia traditur. Sol quoque aliqua sui parte laborauit anno mundi III. CIↃ IↃ. LXV. ante Christum CCCC. IV. bello Peloponnesiaco XXVIII. iam finito. Iterum initio octaui anni belli Pelop. Iterum anno primo eiusdem belli, vt auctores sunt Thucydides, Xenophon, & Diodorus Siculus. Curtius ex vatibus Aegyptiacis non omnino semper aberrauit, cum dixit solis defectiones Græciæ clades & bella denunciare. Præcedentem quoque has defectiones solis anno mundi III. CIↃ. IↃ. XLIV. ante Christum CCCC. XXIV. haud exigua mala consecuta tradit Thucydides, quod tremor terræ & bella inter Athenienses & Lacones facta testantur. Sed prior hac longè tristior fuit, cum maximam partem Sol radiorum fulgorem conderet, & astra refulgerent, simulque crinita stella territaret, anno mundi III. CIↃ. IↃ. XXXVIII. ante Christum CCCCXXXI. Athenæ pestifera lue pænè delatæ. Sequentes superauit in Oriente defectus totius ferè solis, in occidente non item, quo anno Xerxes mouit contra Græcos, qui fuit à conditu rerum III CIↃ. CCCCLXXXVIII. ante Christum natum CCCCLXXXI. XIX. Aprilis. O-
Lib. 7. & 8. lymp. LXXIV anno quarto. Herodotus. Eod. anno Athenæ captæ, arx incensa, tandem profligatus Xerxes & Mardonius. Hanc præcessit Lunæ defectio modicè vmbram perstringentis, Olymp. LXXII. anno secundo mundi III. CIↃ. CCCCLXXVIII. ante Christum CCCCXCI. cum malè pugnaretur in campo Marathonico haud procul Athenis, Dario Histaspis F. Persicum regnum administrante Qui regredi ad plures annos volet, Bütingi chronologiam consulat, nobis sufficit ostendisse ad Curtij dicta firmanda, has tum solis, tum lunæ defectiones, maximarum cladium tam apud Persas, quam Græcos, vt & alias gentes, nuncias hic collocasse.

NVLLA RES MVLTITVDINEM EFFICACIVS REGIT, QVAM SVPERSTITIO) *Imbecilli enim animi superstitiosa concipiunt*, vt ait M. Tullius, *præsertim in bello, vbi omnia plura & maiora*
2. de diui. *videntur, timentibus: ead. non animaduertuntur in pace.* Magni ergo animi, qui non anili superstitione ducuntur, sed cum Ennio, & Pacuuio, & Q. Cicerone dicunt.

1. de diuin. *Nam istis qui linguam auium intelligunt*
Plusque ex alieno iecore sapiunt quam ex suo
Magis audiendum quam auscultandum puto.

Itaque Ennius. *Non nanci Marsum facit augurem,*
Non Vicanos aruspices, non interpretes somniûm
Non sunt enim ij aut scientia aut arte diuini
Sed superstitiosi vates, impudentesque hariolì
Aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat.
Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam.
Quibus diuitias pollicentur ab iis drachmam ipsi petunt,
De his diuitus sibi deducant drachmam, reddant cætera.

Itaque cum Cicero toto libro altero de diuinatione contra superstitionem, qua omnes gentes oppressas confitetur, disputasset, tandem concludit disputationem: *Nam vt verè loquamur, superstitio fusa per gentes oppreßit omnium ferè animos, atque hominum imbecillitatem occupauit, quod & iis libris dictum est, qui sunt de natura Deorum, & hac disputatione id maximè egimus. Multum enim & nobis & eclipses, & nostris profuturi videbamur, si ea funditus sustulißemus. Nec vero (id enim diligenter intelligi volo) superstitione tollenda, religio tollitur. Nam & maiorum instituta tueri sacris, ceremoniisque retinendis sapientis est. (si ipsa, inquam, instituta non sunt superstitiosa & impia) & esse præstantem aliquam, æternamque naturam, & eam suspiciendam admirandamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum cœlestium cogit confiteri. Quamobrem vt religio propaganda etiam est, qua est iuncta cum cognitione naturæ, sic superstitionis stirpes omnes eiiciendæ sunt. Instat enim & vrget, & quocunq; te verteris persequitur, siue tu vatem, siue tu omen audieris, siue immolaris, siue auem aspexeris, si Chaldæum, si aruspicem videris, si fulserit, si tonuerit, si factum aliquid erit debile, si ostenti simile natum, factumue quippiam: quorum necesse est plerumque aliquid eueniat, vt nunquam liceat quieta mente consistere.* Hæc verè M. Tullius, idemque multo etiam disertius & exertius *alibi: *videtis ne igitur, vt à Physicis rebus bene atque vtiliter inuentis, ratio sit tracta ad commentitios & factos Deos? Quæ res genuit falsas opiniones, erroresq; turbulentos, & superstitiones penè aniles.* Disputat deinde contra Deos & simulacra Deorum, ex quibus deinde hoc cogit in conclusione: *Hæc & dicuntur, & creduntur stultißime, & plena sunt vanitatis summæq; leuitatis.* Poteratne Christianus sanctius de Deo contra Deos loqui? Sed Cicero Atheniensium secutus ingenium intelligebat, quid facto esset opus, sed non fecit, contraq; sensû & mentem suâ cum maioribus suis & populo coluit Deos & simulacris adoleuit, hostijsq; fecit & immo-

Sed si ipsa tua religio superstitio sit, vt S. Aug. ostendit de ciuit. Dei, te ipsum superstitiosum esse doces dum negas.

*l. 2. de natura Deorum.

ad Rom. 1. lauit contra quem & illius similes S. Pauli vox est, & infaustum Theta. *Quia quod notum est Dei,*

ma-

manifestum est illis, Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles: & quæ ibidem prolixè sequuntur. Conatur dein Cicero separare suam religionem à superstitione cùm dicit, *Non enim Philosophi solum*, inquit, *verum etiam maiores nostri superstitionem à religione separauerunt. Nam qui totos dies precabantur, & immolabant, vt sui sibi liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati.* Ad quem locum multa D. Augustinus. Sed vti Cicero superstitionem conatus est tollere, lib. de Ciui. c. 30. Lactãtius diuin. insti. l. 4. religionem firmare & propagare, ita Atheus ille cum suo Epicuro Lucretius omnem religionem cœpit conuellere, ipsoque religionis nomine superstitionem complecti, cùm dicit. lib. 1. de rerum natura.

Humana ante oculos fœdè cùm vita iaceret
In terris oppressa graui sub religione,
Quæ caput à cæli regionibus ostendebat
Horribili super aspectu mortalibus instans.
Et laudato Epicuro subijcit.
Quare religio pedibus subiecta vicißim
Obteritur.

Ostendit dein, quæ mortalibus mala ex superstitione, quam religionem vocat, euenerint, ac tandem addit epiphonema.

Tantum religio potuit suadere malorum.

Hæc & his plura impius Lucretius.

Quod autem vsurpet *religionem* in deteriorem partem pro superstitione, id exemplo facit. Fuit enim vox *religio* in vtramque olim partem accepta. Super qua re Nigidius Figulus apud Angellium ex antiquo vate versum laudat: lib. 4. c. 9.

Religentem esse oportet, religiosum nefas. Quocirca, inquit, *religiosus is appellabatur, qui nimia & superstitiosa religione sese alligauerat, eaq; res vitio assignabatur.* Subijcit his Agellius. *Sed præter ea quæ Nigidius dicit, alio quodam diuerticulo significationis religiosus pro casto, atque obseruanti, cohibentiq; sese certis legibus finibusq; dici cœptus.* rursumque docet religiosos dies, & religiosa, contrariam habere significationem, *cum illi tristi omine infames & infausti habeantur. hæc nec ominosa, nec tristia, sed sancta maiestatiq; & venerationis plena.* Propter huiuscemodi populi Romani superstitiones, S. Gregorius Liuij omnia opera conatus est abolere, quod nimius esset in ijs enarrandis ac laudandis. Nos cum cœlestium religionum & literarum doctore Thoma Aquinate, tradimus superstitionem esse vitium religioni contrarium, *non quia plus exhibeat in cultum diuinum, quàm vera religio; sed quia exhibet cultum diuinum, vel cui non debet, vel eo modo, quo non debet.* Hæc de superstitione, quâ populus & multitudo propter literarum ignorantiam, superstitionibus maximè obnoxia, laborat. Et quia multa sæpè mentio est apud Curtium infrà de superstitione, rem in vnum locum contuli, ad quem te sæpius remittam Legitur elegans Plutarchi libellus περὶ δεισιδαιμονίας siue superstitione, suprà à me de Nicia laudatus.

ALIOQVIN IMPOTENS, SAEVA.) Superstitione Numa cicurauit feritatem vrbis Romanæ è siluis & siluia siluestribusque natæ. Notum est Demosthenis in exilium proficiscentis dictum Liu. l. 1. de populo Atheniensi: Λέγεται γὰρ ἐκ τοῦ ἄστεος ἀπαλλαττόμενος, καὶ πρὸς τὴν ἀκρόπολιν ἀνατείνας τὰς Plut. in vita Demost. χεῖρας, εἰπεῖν· δέσποινα Πολιάς, τί δὴ τρισὶ τοῖς χαλεπωτάτοις χαίρεις θηρίοις; γλαυκὶ καὶ δράκοντι, καὶ δήμῳ; *Fertur vrbe excedens porrectis ad arcem manibus, dixisse. O domina Minerua, quid bestijs tribus teterrimis delectaris, noctua, dracone, & populo?* Cæterum omnes historiæ multitudinem inquietam, furiosam, seditiosam execrantur. *Nullum profundum mare, nullum vastum fretum & procellosum tantos ciet fluctus,* Curtius l. 12. c. 9. *quantos multitudo motus habet.* Et: *Omnis multitudo & maximè militaris mobilis impetu fertur.*

EDITA IN VVLGVS.) Per duces, quam Aegyptij vates, Duces apud Alexandrum coactos docuère, hi militem.

REX IMPETV ANIMORVM VTENDVM RATVS.) Neglectus enim resideret & obtorpesceret indies; excitatus, in omnem Martis aleam ruit, & Martem insuper habet ac mortem, dum pulchram petat per vulnera mortem. Euasio nũquam negligenda.

DEXTRA TYGRIM, LEVA MONTES CORDACOS.) Cùm traiecerit Tigrim Alexander & progressus sit vlterius, Tigrimque à tergo reliquerit, quomodo potuit à dextra habere Tigrim? Idem tamen narrat Arrianus: Ἄρας δὲ ἀπὸ τοῦ Τίγρητος, ᾔει διὰ τῆς Ἀσσυρίας χώρας, ἐν ἀριστερᾷ μὲν ἔχων τὰ Σογδιανῶν ὄρη, ἐν δεξιᾷ δὲ αὐτὸν τὸν Τίγρητα. *Motis itaque castris à Tigri, per Assyriam exercitum duxit, à sinistra habens Sogdianorum montes, à dextra Tigrim.* Flexit ergo iter, secundum Tigrim, quasi alueum secutus.

MONTES CORDACOS.) Cordeos vetustus Codex, Iunij Gordæos & Gordeos dictat. Stephanus Gordiæa regio Persicis à Gordi Triptolemi filio, qui dum Io quæreret, Argis egressus in Syriam venit. Est autem ciuitas ad ostia Tigris τὸ Θιπόν Gordæus. Strabo quoq; Gordiæos passim nuncupat, qui Armeniam à Mesopotamia separant. Vox Cordacos apud Curtium prorsus corrupta est. lib. 11. Ptolemæus Gordæos montes vocat, in quibus Scriptores arcam Noe post diluuium consedisse tradunt.

dunt. Sed longè ab his Goropius abit in Indo-Scythicis, quem videbis, vbi de Caucasi summo vertice disputat. Boccatius & Haithonus Ararat montem appellant, vnde terra Ararat in lib. Regum reperitur, vt Io. Antoninus Maginus ad Ptolomæum annotauit.

SVB LVCIS ORTVM.) Nec enim ante natum solem Persæ mouebant castra, vti tertio libro ostensum est.

SPECVLATORES. *Speculator*, inquit Festus, *ab exploratore hoc distat, quod speculator hostilia silentio perspicit: explorator pacata clamore cognoscit.* Arrius Menander, * quem Stevvechius laudat de re militari: *Exploratores, qui secreta nunciauerunt hostibus, proditores sunt, & capitis pœnas luunt.* Romani nonnunquam deprehensos in castris exploratores, præter castrensem morem, non interfecerunt, vt est apud Liuium, Appianum,* & alios.

FALSA AVGVRANTVR.) Modius ex MS. docet scriptum * falsa per metum augentur. Codex Augustanus S. Vdalrici: *Quippè vbi vera explorare non possunt, falsa per metum augurantur.* Certè *augurantur* παθητικῶς, ego non memini legere, meminerit alius, moneat: quamuis enim *auguro* apud Ciceronem & alios reperiatur, non perinde tamen patiendi figura *auguror* dici deprehendatur. Habet Curtius singularia quædam verba, apud alios non reperienda, aut certè à me non reperta, nec vnquam cognita, vt est *equitabilis, inequitabilis,* vt est hoc, *augurari*. Interim gnome notanda, quàm opportunissimè passim narrationibus aspergit, studiosis elegantiæ non tantum obseruandam, sed exscribendam & ediscendam. *Caterùm metus semper auget famam, vbi semel inualuit.*

* lib. 2. de re militari. lib. 3. ad Vegetium. l. omne. ff. de re militari.

* lib. bell. Punic. vbi de Hannibale loquitur.

* Falso augentur.

EXPLORATORES.) Totum equitatum vel maiorem partem adesse ratus Alexander, occurrit. De mille Persarum equitibus idem docet Arrianus, vt mihi sæpè in mentem sit, ab Arriano lectum Curtium, non contrà, vt Glareanus existimat Arrianum à Curtio, cùm hic, illo fuerit antiquior.

REFVGIENTIVM.) Persarum ad Mazæum refugientium.

SIMVL SPECVLATVM, SIMVL VT IGNEM EXTINGVERENT.) *Simul* prius à nonnullis exemplaribus abest, quod monuit Iunius.

VICOS) Suos, non Alexandri, imo Alexandri mox futuros, vt proinde ignem extingui iusserit & parci, vt rebus iam suis.

IN SVMMO.) In tectis, aut etiam in summis frumenti aceruis.

PLVRIMVM FRVMENTI REPERTVM EST.) *Receptum est*, alicubi ex Acidalij lectione scriptum fuisse cognosces, *vt maximam copiam aliarum quoque rerum abundè reperierunt.* placet tamen vsitata scriptura.

COPIA ALIARVM RERVM.) Carnis, vini, pecoris, auri, argenti, vestis.

PRAECIPERET.) Iam alibi monui de huius vocis elegantia in hoc vsu significationis, quam, qui nonsunt assecuti, legendum existimarunt *prariperet*, non malè id quidem, sed hoc nitidius. Iunij tamen editio retinuit *prariperet*. quæ alia huius vocis significata sint, contra Lambinum alibi disputabimus, si locus admonebit.

IN RATIONEM NECESSITAS VERSA.) Necessitas properandi, vt assequeretur hostem, quem timebat ne longiùs recederet, versa in rationem & caussam comparandi commeatus, & ignis restinguendi.

QVIPPE.) Amat hanc vocem Curtius, & ecce iam tertium intra non omninò mediam paginam redhibet. *quippè fugientes, quippè mente, quippè Mazaus.*

PER OTIVM.) Alexandro longo primum interuallo sequente. Sed vbi cœpit hostium & exploratorum tergis inhærere, Mazæus satis habuit manus Alexandri effugisse, intactis vicis, tectis, & regionibus.

CENTVM QVINQVAGINTA STADIIS.) Quatuor milliaribus germanicis cum triente ferè.

QVATRIDVO SVBSTITIT.) Arrianus quarto post transitum Tigris die, narrat Alexandro nunciatum esse hostilem equitatum in campis visum. Sed non erant nisi mille equitum exploratorum, de quibus paullò antè dictum est, & ipse Arrianus docet.

CAPVT XXV.

ARGVMENTVM.

Darij insidiatrices literæ deprehensæ. Mors vxoris Darij, & nuncius de ea ad Darium. Darij lacrymæ & precatio pro Alexandro casto & regio Iuuene.

Inter-


Nterceptæ deinde Darij literæ sunt, quibus Græci milites solicitabantur, vt Regem aut interficerent, aut proderent: dubitauitq; an eas pro concione recitaret, satis confisus Græcorum quoque erga se beneuolentiæ ac fidei. Sed Parmenio terruit, non esse talibus promissis imbuendas aures militum, patere vel vnius insidijs regem: nihil nefas esse auaritiæ. Secutus consilij autorem, castra mouit. Iter facienti Spado ex captiuis, qui Darij vxorem comitabantur, deficere eam nunciat, & vix spiritum ducere. Itineris continui labore, animiq; ægritudine fatigata, inter socrus & virginum filiarum manus collapsa erat, deinde & extincta. Id ipsum nuncians alius superuenit. Et rex haud secus quam si parentis mors nunciata esset, crebros edidit gemitus, lacrymisq; obortis quales Darius profudisset, in tabernaculum, in quo mater erat Darij, defuncto assidens corpori venit. Hic verò renouatus est mæror, vt prostratam humi vidit, recenti malo priorum quoque admonitam, receperat in gremium adultas virgines, magna quidem mutui doloris solatia; sed quibus ipsa deberet esse solatio. In conspectu erat nepos paruulus, ob id ipsum miserabilis, quod nondum sentiebat calamitatem maxima ex parte ad ipsum redundantem. Crederes Alexandrum inter suas necessitudines flere, & solatia non adhibere, sed quærere. Cibo certè abstinuit, omnemq; honorem funeri patrio Persarum more seruauit, dignus Hercule, qui nunc quoque tantæ & mansuetudinis, & continentiæ ferat fructum. Semel omnino eam viderat, quo die capta est, nec vt ipsam, sed vt Darij matrem videret: eximiamque pulchritudinem formæ eius non libidinis habuerat inuitamentum, sed gloriæ. E spadonibus, qui circa reginam erant, Tyriotes inter trepidationē lugentium elapsus, per eam portā, quæ quia ab hoste auersa erat, leuius custodiebatur, ad Darij castra peruenit; exceptusq; à vigilibus in tabernaculum regis perducitur, gemens, & veste lacerata: quem vt conspexit Darius, multiplici doloris expectatione cōmotus, & quid potissimū timeret incertus. Vultus, inquit, tuus, nescio quod ingens malū præfert, sed caue miseri hominis auribus parcas. didici enim esse infœlix, & sæpe calamitatis solatium est, Nosse sortem suam. Num, quod maximè suspicor, & loqui timeo, ludibria meorum nunciaturus es mihi, & (vt credo) ipsis quoq; omni tristiora supplicio? Ad hæc Tyriotes, istud quidem procul abest, inquit. Quantuscunq; enim reginis honos ab ijs, qui parent, haberi potest, tuis à victore seruatus est: sed vxor tua paulò antè excessit è vita. Tum verò non gemitus modò, sed etiam eiulatus totis castris exaudiebatur: nec dubitauit Darius, quin interfecta esset, quia nequisset contumeliam perpeti. Exclamatq; amens dolore: Quod ego tantum nefas commisi, Alexander? quem tuorum propinquorum necaui, vt hanc vicem sæuitiæ mea reddes? adisti me non quidem prouocatus. Sed finge iustum intulisse bellum, cum feminis ergo agere debueras? Tyriotes affirmare per Deos patrios, nihil in eam grauius esse consultum. Ingemuisse etiam Alexandrum morti, & non parcius fleuisse, quam ipse lacrymaretur. Ob hæc ipsa amantis animus in solicitudinem suspitionemq; reuolutus est, desiderium captiuæ profecto à consuetudine stupri ortum esse coniectans. Submotis igitur arbitris, vno duntaxat Tyriote retento, iam non flens, sed suspirans: vides ne in te Tyriote locum mendacio non esse? Tormenta iam hic erunt. sed ne expectaueris, per deos, si quid tibi tui regis reuerentia est: num quod & scire expeto, & quærere pudet, ausus est & dominus, & iuuenis? Ille quæstioni corpus offerre, deos testes inuocare, castè sanctèq; habitam esse reginam. Tandem vt fides facta est, vera esse, quæ affirmaret Spado, capite velato diu fleuit, manantibusq; adhuc lacrymis, veste ab ore reiecta, ad cœlum manus tendens, Dij patrij, (inquit) primum mihi stabilite regnum: deinde si de me iam transactum est, precor ne quis potius Asiæ rex sit, quam iste tam iustus hostis, tam misericors victor.

DARII LITERAE.) Sicut lib 3. Philippum medicum Alexandri mille talentis inultauit ad cap.10.
propinandum Alexandro venenum. qua de re infrà quæritur, *cùm modò milites, modò amicos ad per-*
nitiem meam pecunia scilicet, ad internecionem mihi prosequendus est. Et supra lib. hoc eodem. *Sicut tu* cap.1.
proximè talentis mille tanti exercitus rex, percussorem in me emere voluisti.

GRAECI MILITES.) Non Macedones conducti, quem infra peregrinum militem appellat, c.32.
quorum Polypercon ductor erat: agminis princeps Amyntas, quem supra ad inquirendum eum in lib.4.c.19.
Macedoniam ab Gaza cùm decem triremibus miserat, habebant præterea Locrenses, Achæos, Malleos, Peloponnenses, Balacriseos,

PARMENIO.) Semper primus sententiam dicit Parmenio in consilio, quod rerum experientissimus erat, & natu maximus, parum enim ab septuagesimo aberat. Sed non nisi necem retulit pro operæ precio & fide. Verum hæc postea. lib.7.c.2.

NIHIL NEFAS ESSE AVARITIAE.) *Auri sacra fames quid non mortalia cogis pectora.* Multos occidit, & inter alios ipsam vitam, & auctorem vitæ Christum. Omnia plena apud Senecam in epistolis, & Plutarchum, qui librum scripsit περὶ φιλοπλουτίας. Omnes regnorum & vrbium perditiones à pecunia proficiscuntur, quæ expugnat totum mundum. Solum cœlum, quo aurum non penetrat, est immune. Plura gnomographi, quos tute volues, nihil enim hic latebrarum, ob quas morandum sit.

* in vita, & 2. de fortuna Alex. * li.4.p.91.

ITER FACIENTI SPADO NVNCIAT VXOREM DARII DEFICERE.) Hanc de Statiræ vxoris Darij morte, & Alexandri ac Darij lacrymis, tradunt etiam * Plutarchus & * Arrianus, sed hic non suo loco.

SPADO.) Eunuchus. De hoc genus Eunuchis dictum suprà: Et vnde Spado dictus.

INTER SOCRVS.) Sisygambis matris Darij & virginum regiarum, quas Statira pepererat, neptis Sisygambis.

EXTINCTA.) Plutarchus ἐν ὠδῖσιν in parturitione affirmat mortuam.

* Andria.

HAVD SECVS QVAM SI PARENTIS MORS NVNCIATA ESSET.) Si hic tam familiariter fert mortem hostis, quid faciet (diceret Terentius *) suis, quid amicis, quid matri?

IN TABERNACVLVM VENIT.) Bis tantum Alexander Statiram vxorem Darij vidit, semel viuam, cùm capta est ad Issum. Deinde extinctam, nec maiorem ex omnibus bellis gloriam retulit, quàm ex continentia & clementia erga hanc reginam, & socrum, duasque neptes, & Ochum.

NEPOS PARVVLVS.) Ochus iam propè nouennis. Haud multa de hoc narrantur, ad quintum tamen decimum peruenisse annum reperi, & auiâ superstitem fuisse.

lib.4. Bello Catilin. & Iugurthino. lib.2.

OB ID IPSVM MISERABILIS.) Necessitudo nunc pro vi, & necessitate collocatur, in oratione, nunc pro familiaritate & affinitate. primæ notionis exemplum cognoscis apud Sempronium Asellum veterem * scriptorem. *Nam se patrem*, inquit, *suum audisse dicere L. AEmilium Paullum, nimis bonum Imperatorem signis collatis decertare, nisi summa necessitudo, aut summa ei occasio data esset.* Sallustius: *præterea milites, non eadem nobis & illis necessitudo impendet:* & in Iugurtha frequenter. Cicero de inuentione: *puto igitur hanc esse necessitudinem, cui nulla vi resisti potest, quæ neque mutari, neque leniri potest.* Disputat deinde per exempla copiosè de hac voce, & vocis significatione, cùm vel simplex & absoluta est necessitas, hæc necessitudo, vel cum adiunctione. totum locum illic recognosces, est planè extremus lib.2. Atque hic intellectus vocis huc non facit. Hic pro amicitia, familiaritate & affinitate ponitur, vt apud Ciceronem frequentissimè leges, sunt in hoc gradu gener, socer, socrus, nouerca; deinde amici, familiares & magistratus etiam, vt prætor & quæstor, & hoc genus alij. Agellius de differenti significatione vocum necessitudo & necessitas: *Risu*, inquit, *prorsus & ludo res digna est: cum plerique Grammaticorum adsueuerant necessitudinem, & necessitatem, mutare longè, differreq́. Ideò quod necessitas sit vis quæpiam premens, & cogens: Necessitudo autem dicatur vis quadam & vinculum religiosa coniunctionis. Idq́, vnum solitarium significet. Sicut autem nihil quicquam interest, suauitudo dicas, an suauitas, sanctitudo, an sanctitas, acerbitudo, an acerbitas, acritudo, an quod Accius in Neoptolemo scripsit, acritas: ita nihil rationis dici potest; quin necessitudo, & necessitas separentur. Itaque in libris veterum vulgo reperias necessitudinem dici pro eo, quod necessum est. Sed necessitas sanè pro iure, officioq́, obseruantiæ, adfinitatisué infrequens est. Quamquam qui ob hoc ipsum ius adfinitatis, familiaritatisúe coniuncti sunt: necessarij dicuntur. Reperi tamen in oratione C. Cæsaris, qua Plautiam rogationem suasit: necessitatem dictam pro necessitudine, id est, iure adfinitatis. Verba hæc sunt. Equidem mihi videor pro nostra necessitate, non labore, non opera, non industria defuisse.* Hic miror præteritum locum Ciceronis pro Sylla clarissimum, vbi *necessitas* pro *necessitudine* & familiaritate vsurpatur: *Et quoniam*, inquit, *L. Torquatus meus familiaris ac necessarius, Iudices, existimauit, si nostram in accusatione sua necessitatem familiaritatemque violasset, aliquid se de auctoritate mea defensionis posse detrahere*, &c.

lib.13.c.3. Angellius notatus. Ipso statim exordio.

In vita Alexandri. lib.2. * Vxor Darij.

SOLATIA NON ADHIBERE, SED QVAERERE.) de lacrymis etiam Plutarchus ἀλλὰ καὶ πολεμίων τετίμηται δάκρυσιν, οὕτω γὰρ ἦν χρηστὸς κρατήσας Ἀλέξανδρος, ὡς δεινὸς μαχόμενος. *Imo hostium quoque decorata * est lacrymis. quippe ita est indulgens victor Alexander, vt bellator acris.* Idem de fortuna Alexand. *lib.2.* περὶ δὲ τῆς Δαρείου γυναικὸς εὐπρεπεστάτης γενομένης, οὐδὲ φωνὴν ἐπαινοῦσαν τὸ κάλλος ἤκουσεν. ἀποθανοῦσαν δὲ οὕτω βασιλικῶς ἐκόσμησε καὶ συμπαθῶς ἐδάκρυσεν, ὥστ᾽ ἄπιστον αὐτοῦ τὸ σῶφρον ἐν τῷ φιλανθρώπῳ γίνεσθαι, καὶ λαβεῖν ἔγκλημα τὴν χρηστότητα. *De vxoris porrò Darij præstantissimâ formâ nullam vnquam vocem ad aures admisit. Defunctam regio & summo honore prosecutus, funeri etiam lacrymis magno affectu litauit.*

* lib.3.c.23.

PATRIO MORE HONOREM FVNERI SERVAVIT.) De more Persarum patrio condendi & condiendi funera copiosè * suprà dictum: Aliter reges, aliter plebes, aliter magi sepeliebantur, vt ibidem disces.

DIGNVS

DIGNVS HERCVLE.) Elogium & encomium Alexandri cum epiphonemate omnibus statuis & monumentis illustrius, quod virtus posuit.

SEMEL OMNINO EAM VIDERAT.) Viuam, vt suprà lib. 3. explicatum est, & ex varijs scriptoribus illa Alexandri continentia celebrata, quam hodierni quidam ad κενοδοξίαν Alexandri trahunt.

INVITAMENTVM GLORIAE.) Iunij Codex extra ordinem versuum, *inuitamentum* habet, in versu *incitamentum*. Modij membranæ *inuitamentum*, quam scripturam confirmat multis ex Cicerone & Liuio adductis locis. Legitur tamen etiam *incitamentum* apud Ciceronem, sed rarius. Tacito, Plinio, & superioribus vsurpatius est. Agellius dixit *incitabulum* ingenij. Mi *inuitamentum* hoc loco placet, natum ad rem præsentem.

INVITAMENTVM GLORIAE.) Arrianus: ὁ δὲ κατηδέσθη τε καὶ ἐφείσατο, σωφροσύνῃ τε πολλῇ διαχρώμενος, καὶ δόξης ἅμα ἀγαθῆς οὐκ ἀτόπως ἐφίεσι: *Ipse verò quadam reuerentia ductus ei pepercit: magna profectò continentia vsus, & magno quodam stadio gloria impulsus.* Plutarchus. Τῶν δὲ ἄλλων περσίδων ἐκράτησε τοσοῦτον σωφροσύνῃ, ὅσον ἀνδρείᾳ περσῶν. ἄκουσαν μὲν γὰρ μηδεμίαν εἶδεν, ἃς δὲ εἶδε, μᾶλλον ἢ ἃς καὶ οὐκ εἶδε παρῆλθε καὶ πᾶσιν ὢν τοῖς ἄλλοις φιλάνθρωπος μόνοις ὑπερηφάνως τοῖς καλοῖς ἐχρῆτο. *Cæteras omnes Persidas tanto modestia superauit, quanto fortitudine Persas. Inuitam nullam vidit: quos vidit autem, magis etiam aspernatus est, quam quas non vidit. Mireq; cum cæteris omnibus blandus esset, solis venustis superbum se præbebat.* lib. 2. lib. 2. de Fortuna Alexaud.

E SPADONIAVS TYRIOTES.) Hic Eunuchus nunciauit Dario mortem coniugis Statiræ, qui primum vehementissimè perturbatus, deinde intellecta Alexandri clementia & continentia, superos precatus est, vt si de se decretum & actum esset, nullus alius sibi præter Alexandrum succederet. Tyrioten * Plutarchus Tireon appellat, quarti ordinis apud Græcos Τείρεως Τείρεω. Arrianus nomen omnino reticet, & eunuchum ante mortem coniugis elapsum ex castris, ad Darium venisse tradit, & hoc paulò post pugnam ad Issum factam. Iustinus etiam sine nomine. *In itinere*, inquit, *nunciatur vxorem eius ex collisione abiecti partus decessisse, eiusq;* * *mortem illacrymatum Alexandrum, exequiasq; benignè prosecutum, idque eum non amoris, sed humanitatis causa fecisse. Nam semel tantum eam Alexandro visam, cum matrem filiamq; eius paruulas frequenter consolaretur.* Hæc Iustinus, à quo miror scriptum mortem eius illacrymatum, cùm Cicero, Liuius, & alij semper cum tertio, nunquam cum quarto casu iunxerint, nisi mendum librariorum dicas, quod nullus interpretum emendauit, nec qui varias lectiones annotarunt, possis compositionem verbi excusare. Certè omnia exemplaria conueniunt in quartum casum apud Iustinum, & auctorem priscum vel damnare, vel etiam censere, duræ frontis est. * in Alexandro. * morti. Iustini suspecta lectio notata.

INTER TREPIDATIONEM LVGENTIVM.) Omnibus luctu recentis funeris occupatis, non obseruabant seruos, aut singulos eunuchos, datus ergo locus fugienti. equo fugisse Plutarchus tradit. In Alex.

PER EAM PORTAM, QVAE QVIA AB HOSTE AVERSA ERAT.) Decumanam portam accipe. Tacitus: *Vt cuncti ruerent ad portas, quarum Decumana maximè petebatur, auersa hosti, & fugientibus tutior.* Liuius: *Ab tergo castrorum, Decumanâ portâ impetu factus.* Vegetius: *porta autem, qua appellatur prætoria, aut orientem spectare debet, aut illum locum, qui ad hostes respicit* Decumana *autem porta, qua appellatur, post prætorium est, per quam delinquentes milites educuntur ad pœnam.* lib. 10. l. 1. c. 23. Portæ castrorum principes omninò erant quatuor. Prætoria, & illi è regione opposita Decumana, seu auersa ab hoste; duæ principales dextra & sinistra, ad meridiem & Arcton, vbi locus æquam castrorum constitutionem patiebatur, & prætoria ad Orientem spectabat. Minores dein multæ interiectæ. Plura de his *a* Turnebus, *b* Alexander ab Alexandro, *c* Iustus Lipsius ad Tacitum & Polybium, *d* Stevvechius ad Vegetium, Leo Imperator de bellico apparatu. a l. 30. aduers. b l. 1. Gen. dier. c. 12. c Ad l. Anal. Taci. & ad Polyb. d l. 1. c. 23.

LEVIVS CVSTODIEBATVR.) Quasi extra periculum esset, quod ipsum sæpius maximum negligentibus creauit. Liuius volum. decimo, dec. primæ, ita Romanorum castra ab Samnitibus oppressa ostendit: *Nebula*, inquit, *erat ad multum diei densa, adeò, vt lucis vsum eriperet, non prospectu modò extra vallum adempto, sed propinquo etiam aggredientium inter se conspectu. Hâc velut latebrâ insidiarum freti Samnites, vixdum certa luce, & eam ipsam premente caligine, ad stationem Romanam in porta segniter agentem vigilias, perueniunt. Improuisò oppressis, nec animi satis ad resistendum, nec virium fuit. Ab tergo castrorum, Decumana porta impetus factus. Itaque captum quæstorium, &c.*

DARII CASTRA.) Ad Gaugamela sexcentis stadijs ab Arbelis distantia, vt Arrianus in I V. docet.

IN TABERNACVLVM REGIS.) lib. 3. c. 22. tabernacula Persarum expoliuimus.

VESTE LACERATA.) De more hoc variarum gentium lacerandi vestes in luctu, dictum. lib. 3. c. 22.

DIDICI ESSE INFELIX.) *Iam pridem didici fortiter esse miser.* Ouid.

SAEPE CALAMITATIS SOLATIVM EST, NOSSE SORTEM SVAM.) Sæpè pars fœlicitatis est, intelligere se esse infelicem, quo nomine paulò antè infelicem puerum Ochum pronuncia-

rat: ob id ipsum, inquit, miserabilis, quod nōdum sentiebat calamitatem maxima ex parte ad ipsum redundantem.

QVOD MAXIME SVSPICOR ET LOQVI TIMEO.) Stuprum vxoris & virginum, ad quæ suspicanda multa poterant mouere Darium, forma coniugis & regiarum virginum; copia & occasio victarum, victoris ætas, iuuenta, facultas, licentia, nullus qui prohibere posset, si vellet victor.

QVANTVSCVNQVE ENIM REGINIS HONOS.) Nescio vtrum in omni antiquitate huic similis virtuti virtus legatur. Sic coluit reginas Alexander, vt à seruis & subiectis coli solent, nullum ludibrium expertas, nullam contumeliam perpessas. Vnum fortasse Scipionem Africanum cum hoc possis componere, qui idem facturus videbatur, si eadem occasio continentiæ fuisset, cuius specimen edidit, vt est apud Liuium.

NEC DVBITAVIT DARIVS.) A suspicione contraria in contrariam conijcitur Darius, qui virtutem Alexandri capere non poterat, qui suas cogitationes consulens, alienam continentiam sua licentia metiebatur. Postquam enim Sydriotes de honore reginis habito persuaserat, de morte verò reginæ narrauerat, Lucretianæ impatientiæ venit in mentem, necatamque arbitrari cœpit, quod oblatum à Victore stuprum recusasset.

AMENS DOLORE.) in amentiam propè actus ob suspiciones minimè improbabiles.

QVEM TVORVM PROPINQVORVM NECAVI.) Atqui nullum ceperat Darius, quem occideret?

NON PROVOCATVS.) Ipse quidem Alexander primum non erat lacessitus, sed maiores illius, quibus Persæ bellum intulerant. Ipse postea sæpius per insidias auri appetitus, sæpiusque percussor in illum emptus.

CVM FOEMINIS.) Iusta esset oratio Darij, si verâ causâ niteretur.

DEOS PATRIOS.) Oromasdum, Mithram, seu Solem, & hoc genus serua numina.

INGEMVISSE.) Ex pio affectu erga defunctam. rursum Darius delabitur in aliam suspicionem: ita mens humana vanis & suspiciosis coniecturis, veluti fluctibus quibusdam feri maris iactatur, aut ritu turbinum versatur. Primum suspicatus est illatum ab Alexandro reginæ stuprum; deinde refutatus, cœpit putare crudeliter interfectam esse, quod contumeliam à corpore reiecisset. Vbi & hic illi scrupulus exemptus est, ex ipsa pietate hostis & affectu relapsus est ad primam opinionem, flesse Alexandrum ob desiderium ereptæ reginæ, quod gaudijs corporis esset priuatus.

LOCVM MENDACIO NON ESSE.) non quod Tyriotes non posset mentiri, sed quod tormentis ad prodendum verum posset adigi.

TVI REGIS.) Darij, quamuis infelicis. Fidissimi seruorum apparent in Dominorum fortuna aduersa, vt Restionis, & aliorum apud Appianum in proscriptione Triumuirum. Val. Max. lib. 6. c. 8. plura adfert exempla.

NVM QVOD ET SCIRE EXPETO.) Pudica & verecunda regis oratio etiam priuata cum priuato, de arcanis matrimonij. Mens Curtij. Num quod pudet disertis verbis quærere, & tamen scire cupio, fecit Alexander Victor, & dominus, & iuuenis? Num consueuit cum vxore mea Alexander æuo ardens, victoria superbus, & rerum dominus?

QVAESTIONI.) Tormentis, quæ minatus erat Darius, nisi spontè fateretur, quod de vxore sciret.

CASTE SANCTEQVE HABITAM.) Idem omnes consensu rerum scriptores testantur, & Darius credidit.

CAPITE VELATO.) ex gentis more haud dubiè in graui luctu & morte imminente. Ita Amon genti Hebrææ exitium machinatus, quod in auctorem redundauit, cum Mardochæum (quem vltimis odijs prosequebatur) iussu Ochi seu Assueri per vrbem maximo honore deducere cogeretur, domum reuersus lugens obduxit caput: idemque velatus in crucem & in patibulum iuit. Abnezra morem fuisse, ait, vt cui rex irasceretur, eius statim vultum ministri obnuberent, quasi qui regem aspiceret, indignus foret, sed mos fuit communis. Cæterum reis in crucem agendis capita obnubebantur, vti Liuius lib. 1. de Horatio docet. Appius Claudius metuens vitæ, ex iudicio capite velato in propinquam domum se recepit. Liuius 3. Obnubebantur & nouæ nuptæ flammeo: vnde & nuptæ dicuntur. Aenea etiam auctore certis hostijs litaturi caput velabant. Hebræi quoque in graui luctu

Reg. 2. c. 15. capita velabant. Rex Dauid cum Absolonis arma fugeret, caput obnupsit. *Porro Dauid* (verba sunt sacrarum literarum) *ascendebat cliuum oliuarum scandens & flens, nudis pedibus incedens, & operto ca-*

Daniel. c. 13. *pite, sed & omnis populus, qui erat cum eo, operto capite ascendebat plorans.* De Susanna quoque apud Danielem ad tribunal operta legimus. *Porrò Susanna,* (inquit historia Sacra) *erat delicata nimis & pulchra specie. At iniqui illi iusserunt vt discooperiretur: erat enim cooperta.*

AD COELVM MANVS TENDENS.) ritus precantium apud omnes ferè gentes, Virgil. 1. Aeneid.

Ingemit, & duplices tendens ad sidera palmas,
Talia voce refert.

DII PATRII.) Arrianus eleganter idem ferè. ἐπὶ τοῖς δὲ ἀνατεῖναι Δαρεῖον εἰς τὸν οὐρανὸν τὰς χεῖρας, καὶ εὔξασθαι ὧδε. Ἀλλ' ὦ Ζεῦ, ὅτῳ ἐπιτέτραπται, νέμειν τὰ βασιλέων πράγματα ἐν ἀνθρώποις, σὺ νῦν μάλιστα μὲν ἐμοὶ φύλαξον Περσῶν τε καὶ Μήδων τὴν ἀρχὴν, ὥσπερ οὖν καὶ ἔδωκας. εἰ δὴ ἐγὼ οὐκέτι σοι βασιλεὺς τῆς Ἀσίας, σὺ δὲ μηδενὶ ἄλλῳ ὅτι μὴ Ἀλεξάνδρῳ παραδοῦναι τὸ ἐμὸν κράτος. οὕτως οὐδὲ πρὸς τῶν πολεμίων ἄρα ἀμελεῖται, ὅσα σώφρονα ἔργα. *Tum deinde Darius manus ad cælum tendens ita fertur orasse. Iupiter, penes quem est regum caussas inter homines administrare, tu mihi quidem Persarum & Medorum imperium quemadmodum commisisti, serua. Aut si de altero tibi decretum, vti nulli alteri quam Alexandro regnum meum contradas. Adeo virtus apud hostes quoque est in admiratione.* Idem ferè Plutarchus in Alexandro, paullò tamen plura in 2. de fortuna Alexandri. In vita & de fortuna Alexandri.

TAM IVSTVS HOSTIS, TAM MISERICORS VICTOR) Gratulatur apud Plutarchum Darius, quod si vincendus sit, à tali potissimum hoste vinci debeat. Refert enim, à quali Hercule vel Achille prosternare. Elegans est factum infra *lib. 7. triginta nobilium Sogdianorum, qui dum iussu Alexandri ad supplicium ducerentur, ritu lætantium canebant plaudebantque, quod à tanto rege omnium gentium victore mitterentur ad mortem. quos eo ipso nomine Alexander vita donauit. Ita apud Virgilium Aeneas solatur mortem Lausi. lib. 2. de fortuna Alexandri. *li. 7. & 23.

Hoc tamen infœlix miseram solabere mortem,
Aeneæ magni dextra cadis. Aen. li. 10. v. 829.

Ad quem locum noster Pontanus ex *a* Ouidio, *b* Statio, Vopisco de Diocletiano Aprum occidente, ipsoque *c* Virgilio symbolas collegit. a li. b. 5 9 12. Met. 68. & 10. c 1. Aen. & 10.

TAM IVSTVS HOSTIS.) Corrigit quod dixerat: odisti me non prouocatus, sed ea demum vera laus est, quæ extra aleam suspicionis ab hoste proficiscitur. Laudat filium pater, sanguis est: amicus familiarem, affectus est: inferior maiorem, adulatio est: hostis hostem, veritas est. Ita laudauit Annibal Fabium Maximum; Hannibalem Liuius, Iugurtham Sallustius, Pyrrhum Cicero; Pyrrhus Romanos: omnes Alexandrum. Ita Iustinus ex sententia Darij, de Alexandro: *Tunc se ratus verè victum, cum post tot prælia etiam beneficiis ab hoste superaretur, gratum sibi esse, si vincere nequeat, quod à tali potissimum vinceretur.* Citò enim gloria in sordidis hostibus obsolescit. Victum ab Alexandro Darium etiam felicitate & æquitate fatetur Sysigambis, suprà lib. 3. c. 24.

CAPVT XXVI.

ARGVMENTVM.

Vltima Darij legatio ad Alexandrum de pace. Parmenionis consilium ad pacem inclinans propter aurum. Alexandri regia responsio se non esse mercatorem, questus de insidijs, Dario indicit bellum.



Taque quanquam frustra pace bis petita, omnia in bellum consilia conuerterat, victus tamen continentia hostis, ad nouas pacis conditiones ferendas, decem legatos cognatorum principes misit: quos Alexander, concilio aduocato, introduci iussit. è quibus maximus natu; Darium, inquit, vt pacem à te iam tertio peteret, nulla vis subegit, sed iustitia & cōtinentia tua expressit. Matrem, coniugem, liberosque eius, nisi quod sine illo sunt, captos esse non sensimus. pudicitiæ earum quæ supersunt curam, haud secus quam parens agens, reginas appellas, specie pristinæ fortunæ retinere pateris. Vultum tuum video, qualis Darij fuit, cum dimitteremur ab eo: & ille tamen vxorem, tu hostem luges. Iam in acie staret, nisi cura te sepulturæ eius moraretur. Et quid mirum est, si tam ab amico animo pacem petit? Quid opus est armis, inter quos odia sublata sunt? antea imperio tuo finem destinabat Alyn amnem, qui Lydiam terminat: nunc quidquid inter Hellespontem & Euphratem est, in dotem filiæ offert. Tibi tradit Ochum filium, quem habes, pacis & fidei obsidem retine. Matrem & duas virgi-

nes filias redde. pro tribus corporibus XXX. millia talentum auri precaretur accipias. Nisi moderationem animi tui notam haberem, non dicerem hoc esse tempus, quo pacem non dare solum, sed etiam occupare deberes. Respice quantum post te reliqueris, intuere quantum petas. Periculosum est prægraue imperium, difficile est continere quod capere non possis. Vides ne vt nauigia quæ modum excedunt, regi nequeant? nescio an Darius ideo tam multa amiserit, quia nimiæ opes magnæ iacturæ locum faciunt. Facilius est quædã vincere, quam tueri. Quam hercle expeditius manus nostræ rapiunt, quam continent? ipsa mors vxoris Darij admonere potest, minus iam misericordiæ tuæ licere, quàm licuit. Alexander legatis excedere tabernaculo iussis, quid placeret, ad consilium refert. Diu nemo quod sentiret, dicere ausus est, incerta regis voluntate. Tandem Parmenio, ante suasissem, ait, vt captiuos apud Damascum redimentibus redderes. ingentem pecuniam potuisse redigi ex ijs, qui multi vincti virorum fortium occuparent manus. Et nunc magnopere censerem, vt vnam anum, & duas puellas, itinerum agminumq́ impedimenta, XXX. M. talentum auri permutes. Optimum regnum occupari posse, conditione, non bello; nec quenquam alium inter Istrum & Euphratem possedisse terras ingenti spatio interualloq́ desertas. Macedoniam potius respiceres, quam Bactra & Indos intuereris. Ingrata oratio regi fuit. Itaq́ vt finem dicendi fecit, Et ego, (inquit,) pecuniam quam gloriam mallem, si Parmenio essem. nunc Alexander, de paupertate securus sum, & me non mercatorem memini, sed Regem. Nihil quidem habeo venale, sed fortunam meam vtiq́ non vendo. Captiuos si placet reddi, honestius dono dabimus, quam pretio remittemus. Introductis deinde legatis, ad hunc modum respondit: Nunciate Dario, me, quæ fecerim clementer & liberaliter, non amicitiæ eius tribuisse, sed naturæ meæ. Bellũ cum captiuis & fœminis gerere non soleo. Armatus sit oportet, quem oderim. Quod si saltem pacem bona fide peteret, deliberarem forsitan an darem. Verum enim vero cum modo milites meos literis ad proditionem, modo amicos ad perniciem meam pecunia solicitet, ad internecionem mihi persequendus est, non vt iustus hostis, sed vt percussor veneficus. Conditiones vero pacis, quas fertis, si accepero, victorem eum faciunt. Quæ post Euphratem sunt, liberaliter donat. Vbi igitur me affatus? nempe vltra Euphratem sum. Summum ergo dotis, quam promittit, terminum, castra mea transeunt. Hinc me depellite, vt sciam vestrum esse quod ceditis. Eadem libertate dat mihi filiã suã: nempe quam scio alicui seruorũ eius nupturam. Multum vero mihi præstat, si me Mazæo generum præponit. Ite, nunciate regi vestro, & quæ amisit & quæ adhuc habet, præmia esse belli: Hoc regente, vtriusq́ terminos regni, id quemq́ habiturum, quod proxima lucis assignatura fortuna est. Legati respondent, cum bellum in animo sit, facere eum simpliciter, quod spe pacis non frustraretur: ipsos petere, quamprimum dimittantur ad regem: eum quoq́ bellum parare debere. Dimissi nunciant adesse certamen. Ille quidem confestim Mazæum cum tribus equitum millibus ad itinera, quæ hostis petiturus erat, occupanda, præmisit.

PACE BIS PETITA) supra hoc ipso lib. cap. 1. primum petiuit pacem post pugnam Issicam. Deinde, post Tyrum occupatam: hoc quoque libro cap. 16. *Iisdem fermè diebus*, & quæ sequuntur. Hæc ergo est tertia & vltima petitio pacis.

VICTVS CONTINENTIA) virtus & æquitas hostis non raro bella diremit, vt apud *a* Liuium, *b* Polyænũ, *c* Frontinũ, & alios cognosces, singillatim de Camillo, *d* qui Faliscos sibi dedito magistro proditore conciliauit. *e* Fabricius Pyrrhũ, Timochare Ambraciensi medico insidiatore edito, ad amicitiam P. Romani attraxit. Scipio Africanus multas Ibericas ciuitates Romanis amicas sua continentia fecit.

DECEM LEGATOS) numerus ad maiestatem facit. Infra ab Scythis viginti mittuntur, rursum lib 9. cap. 14. duarum gentium legati centum, adeunt Alexandrum eximio cum ornatu. De centum oratoribus apud * Virgilium supra dixi, qui duce Ilioneo ad Latinum ab Aenea missi sunt.

COGNATORVM PRINCIPES) συγγενεῖς de quibus lib. 3. *copiosè,

MAXIMVS NATV) natura ipsa magistra, quæ ætate maiori primas defert. lib. 7. c. 22. è Scythis etiam natu maximus perorat apud Alexandrum.

f DARIVM VT PACEM A TE) Elegans, sententiosa, & ad artẽ dicendi facta oratio legati, qua primum aperit quid venerit, pacis in quã petendæ: dein caussas, non vim vllã, aut necessitatẽ, qua velut bis victus, coactus sit ad misericordiã hostis confugere, potentem enim esse Darium, & maiores copias, quã Alexandrũ victorẽ habere: sed virtute Alexandri quã admiretur Darius, iustitia & continẽtia, quas ex factis Alexãdri declarat, inductũ Persã, vt pacem denuo petat, simulq́ sibi beneuolentiã colligit à persona Alexãdri, cuius beneficia in reginas captas, misericordiã, clemẽtiã, affectũ prolixè cõmemorat. Postmodũ descẽdit ad cõditiones pacis, quarũ prima est regionis amplitudo & prouincia-

a l. 5. dec. 1. *b* l. 8 strat. 6. *c* li 4. de iustitia. *d* Plut. Camillo Florus l. 1. c. 4. Val. max. l. 6. c. 5. de Iustitia. *e* Val. max. Plut. in Pyrrho A. gellius l. 3. c. 8 Cic. 3. off. lib. 1. 6. 22. * c. 8. ibid.

ciarum, quas ait Alexandro afferri à Dario in dotem cum filia. Minorem nempè Asiam, Ioniam, vtramque Phrygiam, Lydiam, Lyciam, Cariam, Pamphiliam, Lycaon iam, Cappadociam, Ciliciam, Syriam, & quidquid denique inter Hellespontum & Euphratem est. Altera Ochum filium dat obsidem, Tertia, vt captiuas reginas Sisygambim & duas filias reddat pretio, quod promittit x x x. millia talenta auri. Atque has pacis conditiones fert Alexandro Darius, quas vt accipiat, conatur Alexandro legatus adiectis etiam rationibus persuadere: vt ne quid maius petat, contentus sit oblatis, omne nimium imperium esse periculosum, vt maiora nauigia quæ ægrè reguntur. exemplum esse ipsas Darij nimias opes. Concludit orationem cum morte vxoris Darij, per quam Alexander amiserit materiam misericordiæ amplioris illi exhibendæ.

IVSTITIA ET CONTINENTIA) Iustitia, cum supra iura belli nec sæuijt in reginas & fœminas, quamuis hostes, & ipse hostium victor, imo easdem vt reginas coluit, colique præcepit: continentia, cum omnes inuiolatas & intactas custodiuit, vt ab nullo contrectarentur. regredere ad lib. 3 c. 24.

MATREM, CONIVGEM, LIBEROS) Sysigambim matrem, Statiram coniugem, * Saptinam Stariramque filias (quamquam apud Plutarchum alia etiam nomina ferant) Ochum filium. *supra c. 16.

SINE ILLO SVNT) sine Dario, quæ apud te tam clementer & regiè habentur, vt se captiuas nó sentiant.

VVLTVM TVVM) tam tristem ob mortem vxoris Darij, ac si tua, non Darij vxor fuisset.

QVID OPVS EST ARMIS) finis laudationis cum epiphonemate Curtio vsitato. Hæc quæ prędicaui, non hostem, sed amicum Darij ostendunt.

ANTEÀ HALYM AMNEM) sequuntur conditiones pacis. cap. x vi. supra: *Dotem fore omnem regionem inter Hellespontum & Halyn amnem sitam.*

PRO TRIBVS CORPORIBVS XXX. MILLIA TALENTVM AVRI) Auri talentum Iulius Pollux δεκατάλαντον appellat, quod decupla parte superet precio talentum argenteum. *Sex millia ergo ducas in triginta millia, prodibunt centies octoagies millies millia aureorum, quos hodie vulgò centum & octoginta milliones appellamus. Val. Maximus decies centena millia talenta argenti ponit, quæ summa sexcentos milliones efficit. Diodorus τρισχίλια tantum pronunciat: tria, inquam, millia talenta, quæ summa non efficeret nisi decies octies centena millia aureorum; aureo videlicet, quadraginta victoriaris ęstimato. Plutarchus decem millia talentûm, hoc est, sexies millies millia siue sex milliones. Iustinus x x x. millia, vt Curtius, qui tamen de auro tacet. * Talentū auri est Polluci δεκατάλαντον inquam argenti. ergo 6000. millia aureorum.

NISI MODERATIONEM) sequuntur rationes quibus inducere conatur Alexandrum ad pacem Dario dandam. prima est optima pacifcendi occasio, quam obtulit Darius, qua ne optare videbatur meliorem posse; deinde magnitudo imperii, quæ Dario ipsi tam grauis fuit, vt illam capere vix potuerit: sequuntur sententiæ ex communibus locis petitæ; facilius esse subinde quærere regna, quam parta defendere: nimias opes locum iacturæ dare; & hoc genus alia, quæ supra etiam illustrauimus.

IPSA MORS VXORIS) Extrema ratio ab exemplo ducta. Quod dixi, inquit, de opibus, nauigijs, magnitudine imperij docet mors Reginæ Statiræ, quæ viua dedit tibi materiam laudis, clementiæ, iustitiæ, misericordiæ, continentiæ, quam exercere in mortuam non poteris amplius. Idem poterit tibi vsuuenire in alijs.

DIV NEMO QVID SENTIRET AVSVS EST DICERE) Veriti vnusquisque ne ab regis sententia dissentiret, vt Piso apud Tacitum Tiberio rogante. *Quo loco*, inquit, *censebis Cæsar, si primus, habebo quod sequar: si post omnes, vereor ne imprudens dissentiam.* sed Diodorus διὰ τὸ μέγεθος τῆς προκειμένης ζητήσεως, ait neminem ausum respondere. lib. 1. Annal.

PARMENIO) natu inter purpuratos maximus, & rerum vsu peritissimus, qui regis adolescentiam quasi suo iure poterat regere.

ANTE SVASISSEM, AIT) Consilium Parmenionis aurum olens, parumque liberale & regium, de conditionibus pacis admittendis. Budæus legit hic: *Antea suasisse se, ait*: & mox infra, *redderet*: Et: nunc magnopere censeret: Sed debebat etiam *permutes* In *permutet* permutare. Curtius supra lib. hoc, cap. primo, Parmenionis sententiam non refert. Nec cap. xvi. præterea omnes Codices coniurant in *suasissem, censerem, redderes, permutes*, quam lectionem lubens merito seruo. Melius Acidalius. *Et ante suasissem, & nunc* &c.

MVLTI VINCTI) dubius locus Modio & Acidallo: ille nescit quid emendet; hic pro *multi vincti* reponit *simul vincti*: cautè tamen quod Curtius multos apponat tribus. Itaque idem omnibus exemplaribus loquentibus seruo, *multi vincti*, suadetque Acidalius retinenda. Si quid tamen aptius conijci potest, duo illa *multi vincti* expungenda puto, cum videantur tantum ex ora libri ab aliquo explicationis causa notata, in Curtium irrepsisse.

INTER ISTRVM ET EVPHRATEM) ingens haud dubie interuallū, nec ante Alexandrum quisquam regum tantum regionis possederat. Istrum, siue Danubium Alexander traijcit statim primo regni anno, cum Triballos & Thraces, qui trans Danubium fugerant, persequeretur, & vsque ad

Ger-

Germanos excuterret, qui legatos ad eum de pace miserunt, quos & Boios fuisse nonnulli volunt, qui tum ad sinum Adriaticum colebant.

DESERTAS) locus meritò suspectus Acidalio, & mihi fuit priusquam Acidalium inspicerem. coniectat ille vel diffitas, vel disseptas, vel discretas, quod vltimum proximum ductui literarum arripui, & ipse conieci.

MACEDONIAM POTIVS RESPICERES) vnde, & quam procul abieris, quam quo, & quàm procul abire cogites. De reditu cogitares & quomodo occupata regna retineres, quàm noua quæreres.

BACTRA) Vltimam in Asia gentem, & proximam hinc Scythis, inde Indis, de quibus lib. 7. & seq.

INGRATA PRATIO REGI) nec enim ad regium magnificum & liberalem stomachum faciebat, qui gloriam magis, quam vel aurum, vel terras sitiebat.

Arrianus lib. 2. qui miscet duas legat. in vnam. *in vita & apophteg. *li. 6. c. 1 Diodorus Siculus.

SI PARMENIO ESSEM) Hoc inter apophtegmata Alexandri maximi regum dictum planè regium, à * Plutarcho & alijs relatum * Val. Maximus. *Quantus hic (Socrates) in Sapientia, tantus in armis Alexander, illam nobilem vocem nobiliter edidit. Dario enim vno iam & altero prælio virtutem eius experto, atque ideo partem regni Tauro tenus monte, & filiam in matrimonium cum decies centum millibus talentûm pollicente; cum Parmenio dixisset, si Alexander esset, vsurum conditione: respondit: Et ego vterer, si Parmenio essem. Vocem duabus victorijs respondentem, dignamque cui tertia, sicut euenit, tribueretur.*

NON MERCATOREM) Et hoc planè regiè, quod sequitur ita intellige. Non sum mercator, & nihil quidem habeo venale, sed tamen si quid venale haberem, omnium minime haberem fortunam meam, nullo auro aut regno redimẽdam, quam mihi Numen comitem belli adiecit, qua omnia mihi regna paro, qua nomen immortale partum in omnem posteritatem transmitto, reuerenter habenda, nullaque auaritia inquinanda, aut fuganda.

NVNCIATE DARIO) Oratio Alexandri ad legatos, qua primum negat se amicum esse Darij, sed hostem iuratum: quod autem tam clementem se erga Darij matrem, coniugem, & liberos præbuerit, id se non ex amicitia aduersus Darium, sed virtute & animi magnitudine, adeoque clementi & summo ingenio fecisse, nec se aduersus calamitosos & imbelles inermesque fœminas contendere, sed viros, & viros armatos. Porrò Darij se hostem esse, non publico tantum nomine totius Græciæ, sed priuato etiam, quod non regia & bona fide secum agat, nec aperto Marte tantum vitam suam petat, sed per insidias conetur corrumpere nunc medicos, nunc amicos, nunc ipsum militem ad cædem sollicitam. Nam omnem regionem non tantum ab Hellesponto ad Euphratem, sed Mesopotamiam etiam quæ est intra Tigrim & Euphratem esse suam, qua si cederet sine armis, perinde faceret ac victus. Filiam etiam, quam desponderet sibi, in sua potestate esse, & iure belli seruam suam. Itaque nullam esse conditionem pacis nisi bellum, quo iudice, de regno Asiæ cras sit cum illo certaturus. Addit Iustinus, Alexandrum dixisse, se præstaturum illi omnia quæ poterit, si secundus sibi, non par haberi velit. mundum non posse duobus solibus regi, neque orbem summa duo regna saluo statu terrarum habere. Quæ Iustini verba & plura his, passim irrepserunt in Curtium à Glareano, & Iunio, alijsque compluribus pro legitimis admista. In MS. Constantiensi non apparent, & à Modio quoque vt spuria reiecta sunt verè, nisi Iustinus (nam posterior fuit) ex Curtio est ad verbum mutuatus, quod vero simile non est, cum sua ex Trogo acceperit. Nec Gualterus, qui Curtium in carmen (sæpius ipsis quoque Curtij verbis in numerum coactis) transtulit. Hæc pro Curtianis agnouit.

FACERE EVM SIMPLICITER) simplicem esse Alexandrum dixêre barbari, quod non falleret, ex quo barbarorum fidem æstimes: sed Alexander fisus suis, iudicabat etiam paratum & instructum ad pugnam Darium vinci posse, eoque nobiliorem fore victoriam, quo apertiore campo, Marte & virtute Darius vinceretur.

MAZAEVM) cui maximè fidebat, & qui proximus à rege erat dignitate.

CAPVT XXVII.

ARGVMENTVM.

Alexander composito agmine pergit ad hostem. Mazæus iter explorat. Darij copiæ recensentur.

Alex-



Lexander, corpori vxoris eius iustis persolutis, omniq́; grauiore comitatu intra eadem munimēta cum modico præsidio relicto, ad hostem contendit. In duo cornua diuiserat peditem, vtrimq́; lateri equite circumdato. impedimenta sequebantur agmen præmissum. deinde cum Scythis equitibus Menidam iubet explorare, vbi Darius esset. At ille cum Mazæus haud procul consedisset, non ausus procedere, nihil aliud quàm fremitum hominum, hinnitumq́; equorum exaudisse nuntiat. Mazæus quoq́; conspectis procul exploratoribus, in castra se recepit, aduentus hostium nuncius. Igitur Darius, qui in patentibus campis decernere optabat, armari militem iubet, aciemq́; disponit. In læuo cornu Bactriani ibant equites mille admodum, Dahæ totidem, & Arachosij Susianiq́; quatuor millia explebant. Hos centum falcati currus sequebantur. Proximus quadrigis erat Bessus cum VIII. millibus equitum item Bactrianis. Messagetæ II. millibus agmen eius claudebant. pedites his plurium gentium non immixtos, sed sua quisq; nationis iunxerant copias. Persas deinde cum Marsis Sogdianisq; Ariobarzanes & Oriobates ducebant. illis partibus copiarum Orsines praeerat, à VII. Persis oriundus, ad Cyrum quoq; nobilissimum regem originem sui referens. Hos aliæ gentes ne socijs quidem satis notæ sequebantur. Post quas quinquaginta quadrigas Phradates magno Caspianorum agmine antecedebat. Indi, ceteriq; rubri maris accolæ, nomina verius quam auxilia, post currus erant. Claudebatur hoc agmen alijs falcatis curribus, quis peregrinum militem adiunxerat. Hunc Armenij, quos minores appellant Armenios, Babylonij, vtrosq; Belitæ, & qui montes Cossæorum incolebant, sequebantur. Post hos ibant Gortuæ gentes quidem Euboicæ, Medos quondam secuti, sed iam degeneres, & patrij moris ignari. applicauerat his Phrygas & Cataonas. Parthienorum deinde gens, incolentiū terras, quas nunc Parthi Scythia profecti tenent, claudebant agmen Hac sinistri cornus acies fuit. Dexterum tenebat natio maioris Armeniæ, Cadusijq;, & Cappadoces, & Syrij ac Medi. his quoq́; falcati currus quinquaginta erant. Summa totius exercitus equites XLV. millia, pedestris acies CC. millia expleuerat. Hoc modo instructi, decem stadia procedunt: iussiq; subsistere, armati hostem expectabant. mendosus numerus, vide comment.

OMNIQVE GRAVIORE COMITATV) Periphrasis impedimentorum; lixæ, calones, fæminę, captiui, pueri, sarcinæ, reginæ captæ, illarumque spadones, & comitatus, vno nomine sunt impedimenta, sed hic non gratis additur grauiorem comitatum relictum, impedimenta leuiora secuta, vt sequitur.

DVO CORNVA) copias omnes pedestres diuisit in duas partes: latera vtriusque cornu & partis muniuit alis equitum, ne subitis hostium incursionibus paterent.

VTRIMQVE LATERI) Iunij codex paullò aliter habet. *Duo cornua diuisa erant peditum: in vtrumque latus equite circumdato*, sic & Glareanus scripsit. Augustanum exemplar vetustissimum, *duo cornua dimiserat, (diuiserat* haud dubiè emendatius) *in vtrumque latus* &c. M. Scriptus Constantiensis cum Modiana editione conspirat. Acidalius totum locum ita recognoscit. In duo cornua diuiserat peditem, in vtrumque latus equite circumdato. Sed nulla editio, nullus codex MS. hanc scripturam præfert: *In duo cornua*, Sed: *Duo cornua diuiserat peditum*, vel: *duo cornua diuisa erant peditum*. Multa sæpius ab auctoribus rectius poterant dici. Viri boni est incorruptum edere scriptorem. Suspiciones, coniecturas, iudicia, seorsim ostendere, quod non semper facit Modius, nec alij.

CVM SCYTHIS EQVITIBVS) omnia, ante Modianum, exemplaria præferunt scripturam aliam: *Concitis equitibus Menidam iubet:* & quæ sequuntur. Modius reponit, *Cum Scythis equitibus*: sic emendo inquit, ex eo quod libri habent *concitis*, & Musisgratia, cùm benè ita emendo. Modianæ emendationi fauet MS. Constantiensis & editio* Antuerpiensis ante Modianam vulgata, quæ ad oram habet cum Scythis. Quid si legas: *concitis equis*, vt alibi* Curtius loquitur. Quid enim hic Scythæ equites, cum nullos in exercitu suo Scythas habuerit Alexander? certè cum copias & gentes castrorum suorum recenset, nusquam Scythæ apparent, qui ab Darij castris nusquam absunt. Nam infra* vbi Parmenio noctu aggrediendum hostem suadet, caussam inter alios adfert *terribiles Scytharum in exercitu Darii formas & vultus, hirta ora & intonsas comas*, quibus Alexander miles terreri non immerito possit. Et Alexander in concione militum ante prælium hortatur suos, ne Scythas & Cadusios ignotas & ignobiles gentes reformident: præterea idem Menidas seu Minidas præfectus equitum, de quo ca. 27. aduersus Scythas & Caucasios in castra missus est, ad tuenda impedimenta, quæ hostes inuaserant, & ab ijsdem repulsus, ad Alexandrum refugit. Lego ergo hoc loco, Menidas cum equitibus, erat enim pręfectus equitum, vel *Concitis equis*, nihil hic Scythæ agunt inter Macedonas. Huius Menidæ infra quoque fit mentio, & fortasse idem est lib. 7. c. 16. vbi Penidas appellatur, ad Scythas Europæos missus, vbi

*anno 1546. *lib. 7. *cap. 29. c. 33. c. 36. li. 7. c. 24. & c. 16.

Meni-

Lib. 3. *Menidas*, si coniecturæ locus est rescribendum pro *Penidas*. De Menida Arrianus testatur, quem mercenariorum ducem fuisse ait, fugatumque ab Scythis.

ACIEM DISPONIT) Plurimum enim, quo quemque loco, quas gentes, quos milites, tirones, veteranos, auxilia, an ciues & populares colloces; vti sæpe à dispositione aciei pendeat victoria, quemadmodum Cæsar testatur in pugna Pharsalica factum.

BACTRIANI) De his populis & supra lib. 4. dictum est, vbi ab ipso Curtio describuntur. actum etiam lib. 3. de eisd. cap. 4. Bactrianæ descriptionem habes infra lib. 7. c. 7.

DAHAE) Hi populi hic primum occurrunt, occursuri sæpius Indicem vide. Itaque videndum qui sint, vbi gentium degant, quibus moribus viuant, cum de his nihil memoret Curtius, nisi quod Lib. 11. vasta mole & longa statura sint corporis. Strabo de Dahis seu Dais ita tradit. τοὺς δὲ ὄντι ἀριστερᾷ εἰσπλέοντι τὸ κάσπιον πέλαγος παροικοῦντας Νόμαδας Δάας δὲ νῦν προσαγορεύουσι, τοὺς ἐπονομαζομένους *Πάρνους. *Ἀπάρνους. *Qui ad sinistram mare Caspium nauiganti offeruntur, Nomades sunt, quos hodie Daas appellant, Parni* Lib. eod. *(seu Aparni) cognominati*. Idem infra. οἱ μὲν δὴ πλεῖστοι τῶν Σκυθῶν ἀπὸ τῆς Κασπίας θαλάττης ἀρξάμενοι, Eod. lib. προσαγορεύονται. *Plerique Scytharum qui à Caspio mari incipiunt, Daa dicuntur*. Idem auctor est Daas hos Parnos ex quorundam sententia à Dais, qui supra Mæotidem paludem degunt Xanthijs & Pa- Li. 6. c. 17. rijs profectos, Arsacem habuisse regem auctorem Parthici regni, de quo multa Strabo. Plinius de c. 20. Scythis: *Celeberrimi eorum Saca, Massageta, Daha, Essedonij, Ariaca*. Polyhistor. *Chalybes, & Daha in parte Asiatica Scythia crudelitate ab immanissimis nihil discrepant*.

Dux Arachosiorum & Daharũ ARACHOSII) Populi Indiæ à ciuitate Arachosia, quam Semiramis condidit, fluminique Arachotæ imposuit. Arachosia prouincia pars Asiæ à Carmania ad Indum flumen porrecta, populi Arachosij & Arachoti appellati.

Braza. Arrianus l. 3. SVANIQVE) secutus Modium in prima Curtij editione, scripsi *Suaniq;*. Sed dum voluo scripto- Sol. c. 57. res Strabonem, Ptolemæum Aethicum, Melam, Plinium, Arrianum, Solinum & alios, nullos vsquã Strabo. 11. lego Suanos. Antuerpianus Curtius anno CIↃ IↃXLVI. inuulgatus, Susios in contextu scripsit. idem Arrian. 3. in ora Suaui, Suani, Suzij. Beatus Aenanus ante annos quinque supra centum Argentorati *Suenos* Sue tamen oppidum vnde fortasse Suani. Plin. l. 6. c. 26. expressit. *Arachosii Suenique* inquit. Quid Sueuis cum Indis, Bactrianis, & Arachosijs. Coloniensis* tamen codex vetus etiam *Suenos* edidit, nouus *Suanos*, nouissimus *Susijq;*. M S. Constantiensis *Vanique*, æquè vanum. Si bene lego, nisi Suani malis, ego ex Suanis facio *Susianos*, vt ab regione Susia, Susiani dicantur, quemadmodum Mela (cum Plinio) c. 2. appellat, ita syllaba haud dubie interiecta operarum negligentia extrita est, quanquam *Susios*, cum ijdem sint, repulerim: reliquas scriptu- *1542. ras omnes facilè damnarim. Fuere Susij (vti *Strabo describit) à Susis nobilissima & antiquissima vr- lib. 15. be, olim Cissij dicti. De Susis & Susam etiam in sacris literis in Hestere & Daniele frequens mentio Lib. 6. 19. est. Sed de Susis vrbe, infra Plinius. hic ergo Susianos ponamus ex Susia regione profectos. quos infra Curtius ipse Susianos appellat. Ex vitiosa illa Argentina editione Auentinus Boiaricæ mirus conditor historię occasionem sumpsit fingendi Sueuos Germanos fuisse in exercitu, & vlterius pro- Lib. 1. p. 32. v. 45. gressus Boios & Noricos Alexandro M. bellum indixisse. *Alexander*, inquit, *popularibus nostris etiam imperitis notior est, quam sui reges & Imperatores: quorum ne nomina quidam norunt. Saxones & Sueui tum se stipendia fecisse pradicant. Noricos Boiosque eidem bellum indixisse antiquis canitur carminibus.* Et supra: *Ea tempestate Germanos in Asia militasse prater famam vulgatissimam antiqua carmina, domesti-* Ibid. v. 10. *ca videlicet testimonia, autorem habeo Q. Curtium, qui inter auxilia Darii Regis Persarum (quem varia gentes, ne sociis satis quidem nota, sequebantur) Suenos commemorat.*

Lib. 1. fine. MASSAGETAE) De moribus Massagetarum planissimè tradit Herodotus in Clio, quorum olim regina Tomyris Cyrum interfecit. Ex Herodoto sua deprompsit de eisdem Strabo. Multa quoque Iustinus in Cyro, qui communi nomine Scythas appellat. Ego indigitatis scriptoribus nihil puto necesse hic plura addere. Hoc tantum ex Herodoto, gentem ad auroram solis trans Araxem coluisse è regione Issidenorum, immensamque planitiem, quæ à Caspio mari spectatur, occupasse: esse etiam qui eos Scythicæ nationis affirment. Plura apud Herodotum, Strabonem, Iustinum, lib. 1. Diodorum lib. 3. Antiq.

FALCATI CVRRVS) De his supra c. 22. cognouisti.

QVADRIGIS) falcatis curribus, quos supra quadrigas falcatas appellauit.

NON IMMIXTOS) Iterum, inquit Modius, impressi *Non mixtas* ineptissimè. Contra Acidalius. Quomodo tandem inquit hoc vel ineptè? ineptæ membranæ potius, nisi scribas etiam *immixtas*. Verba enim qui aliter strues, nisi copias, iunxeris mixtas siue immixtas. Ego scripturam hanc in varijs exemplaribus deprehendo. In editis omnibus antiquioribus, *Pedites his plurium gentium non mixtas*, sed suæ quisque nationis iunxerant copias, vel non immixtas. Modius ex M.S. non immixtos damnata impressorum lectione emendauit editos. Modio suffragatur etiam Constantiensis Cod. MS. Iam Acidalius damnat MSS. Mihi vt fatear quod sentio, Modius videtur mulgere hircum, Acidalius supponere cribum. Vtraque enim scriptura iusta est, & eruditorum, & MSS. codicum. Sententia quippe eadem est auctoris, siue *non mixtas*, siue *non immixtas*, siue *non immixtos legas*, attendendum est ad duo nomina *equites & copias*, per appositionem accipienda. Ergo mens auctoris hæc est; Pedites non fuisse sine discrimine immixtos equitibus, ita vt Bactriani pedites cum Dahis aut Scy-

Scythis essent coniuncti, sed suæ cuiusque gentis copias seu pedites, cum suæ gentis equitibus fuerint ordinati cum Dahis, nempe equitibus pedites Dahæ, cum Bactrianis, Bactriani, cum Medis Medi, atque ita deinceps, per totum exercitum erat distributi. Nisi verba Curtij ita velis interpretari, vt dicas non fuisse pedites per equitatum sparsos, sed totas cohortes & legiones equitibus additas, ita vt Arachosij pedites iuncti fuerint inter se siue cum Susianis, siue cum Scythis, siue alijs equitibus suæ vel alienæ gentis. Sed prior intellectus vero propior. Arrianus post Dahas & Arachotos, Persas equites & pedites commixtos collocat.

PERSAS DEIN CVM MARDIS SOGDIANISQVE.) Nescio quid in mentem fuerit Modio, quod huc *Marsos* ex Italia & Apulia accersierit, quodque Acidalij calamus eosdem non in suum locum remiserit. Quid enim hic *Marsi*? *Mardi* haud dubiè reponendi hoc loco, *Marda* Arriano, Latini *Mardos* dicunt. Itaque nostrum quoque Curtium ex Modio editum rursum hic ex emendatioribus impressis castigamus. Fuere Mardi * circa Hircanum mare populi, qui per iuga Caucasi sparsi ad Bactros vsque prorenduntur. gens fera & sui iuris. Nearchus apud Strabonem quatuor populos ex rapto viuere testatur, quos inter Mardos Persis vicinos collocat. Mardos sequenti volum. * Curtius eleganter describit. quo loco plura ex Suida, Herodoto & alijs. De Sogdianis infrà suo loco tractabitur. * Plin. lib. 6.c.16. li. 11. p. 361. c.3. Mela. * lib.5.c. 11.

ARIOBARZANES.) Fatigauit hic Satrapes plurimum Alexandrum, quando ad Susidas pilas peruenit, vti infra lib 5.c.6. cognosces; cecidit demum fortiter in prælio, vt eod. lib. c.9. disces.

ORIOBATES.) Aliæ editiones Orionabates, MS. Const. Orionibates: nec de hoc in præsens aliud occurrit.

ILLI PARTIBVS COPIARVM, SVMMAE ORSINES PRAEERAT.) Fœdè corrupit hunc locum Modius, fecitque vt intelligendo nihil intelligeret, quem si vspiam, certè hoc loco meritò calami flagro euerberat Acidalius.

Quæ hæc monstra, inquit Modius. *Illi partibus copiarum summa Orsines præfuit.* & emendat hæc monstra Modius, reponitque, *Illis partibus copiarum Orsines praerat.* Hoccine est emendare? imò monstra parere, damnanda prorsus audacia Modij, & Marbon iam ablegandа, Audi iure querentem Acidaliū: *Obsecro, monstra tu audes ista? Tua magis, quæ produxisti è membranis; quæ si tibi pro Apolline Delphico sēper, age vaticinare indidem, quibus copiarū partibus præfuerit Orsines. Scribunt, illis. quibus? inquam ego. nempe quæ proximè nominata, Persis, Mardis, Sogdianis. Abi cum isto oraculo. Non vides datos iam ijs ipsis duces Ariobarzanem & Oriobatem? Si id non videras, ipsa te hæc verb amonere poterant insulsissima sententia. Cur enim partibus, & indefinitè illis non vni alicui certa dicatur præfuisse? Verùm quid diutius & meo & lectorū otio abutar? isto meridie clarius est, veram lectionem vulgatorum: qui partibus earum copiarum Ariobarzanem & Oriobatem, summa earundem disertè præficiunt Orsinem.* Optimè verissimeque Acidalius, quod reipsa docet. Cæterùm quis huius Orsinis finis fuerit, quàm indigna nece per insidias Bagoæ nequissimi scorti sublatus sit, Curtius ipse sanè dolenter lib. 10. c.3. exponit, à quo tamen dissentit Arrianus lib.6. aliter etiam Strabo lib. 15. p. 502. vt infrà demonstrabo. Plutarchus in Alexan. à Pollæo Macedone apertum ait sepulchrum & interemptum.

A VII. PERSIS ORIVNDVS.) à septem regni Satrapis per stirpem longa serie ductam ortus, quoad Cyrum ipsum Persarum primum attingeret. Sed qui illi septem Persæ fuerint, quod sciam, prodidit nemo. ipse Pasargadarum Persicæ gentis dynasta per longas temporum successiones accitam prouinciam obtinuerat, & rexerat. cætera toto cap.3 li. 10. enarrantur. Arriano Orxines dicitur; Latini molierunt vocem, dixeruntque Orsines. In crucem demum actus est.

ALIAE GENTES.) Parischores, Achæmenidæ, Magni, Cyrtij, Marai, Gedrosij, Arij, Drange, Chalybes, Essedones, Assæi, Heniochi, Cercetæ, Mossini, Sacæ vel Sagæ Tapyri, Tauri, Bateni, Oxij, & hoc genus aliæ barbaræ gentes apud Strabonem, Melam, Plinium, Solinum & alios cognoscendæ.

SOCIIS.) Persis, Babylonijs, Medis, Parthis, Caspijs, Armenijs, Hircanis & alijs notioribus populis. Ita priore libro dixit Curtius cap.3. ignota etiam ipsi gentium nomina. Cradates.

PHRADATES.) Gentis Taurorum præfectus, quem victo Dario Alexander demum in gratiam admisit, suæque genti præsidem reddidit, vt infrà docet *a* Curtius, hic in bello Caspanum aginen duxit, de quibus lib.3.c.4 De Phradate infra lib.6.c.8. & lib.10. c.4. Phradates regnum affectasse suspectus, occiditur. Caspium porrò mare describitur lib.6.c.7. *a* lib.8.c.6. *b* lib.7.in Polonia.

CAETERIQVE RVBRI MARIS ACCOLAE.) Insulani vocantur ab Herodoto, *b* quod in maris rubri insulis habitarent, illuc à regibus Persarum missi, quos abs se remotos volebant. Persæ rubrum mare semper accolucrei

De insulis maris rubri & incolis & accolis, copiosè Plinius lib.6.c 29. propter quod is sinus Persicus appellatur. Plin. lib.6.c.26.

NOMINA VERIVS QVAM AVXILIA.) Vti multitudine hostem terreret, barbarorum more, quantas potuit gentes contraxit. Ita lib. priore c.5. Nec quicquam illi minùs quàm multitudo militum defuit.

PEREGRINVM MILITEM Græcum mercede conductum.

ARMENI, BABYLONII, BELITAE.) De Armenijs suprà dictum, * Babylonij per se noti. * lib.5. Belitæ.

Belitæ

Belitæ funt fortaſſe Cælesyri, quod Belus Iupiter Babyloniorum Deus, quibus proximi Syri & Cælesyri. miror tamen apud nullum Geographum, quod meminerim, hanc gentem legi: nam quod Ortelius notauit, tantum ex hoc loco Curtij accepit, qui Belitas generali voce Aſiaticum populum
* lib. 3. appellat. Syrorum ſingularis eſt infrà mentio. à Belo etiam portæ quædam Belides apud * Herodotum. ab eodem ergo Belo, Belitæ. Sed alium auctorem & teſtem quæro.

MONTES COSSAEORVM.) De populis & montibus plura Strabo, qui Coſſæos latrones appel-
li. 11. p. 351. lat. *Sunt*, inquit, *hi latrocinijs dediti, & aliquando 13. millia ſagittariorum eduxerunt Elymais ſuppetias*
li. 16. p. 512. *ituri*. De eiſdem. *Coſſai ferè ſagittarij ſunt, quemadmodum & montanicis finitimi, qui ſemper latrocinia exercent, paruam enim ſterilemq́; regionem incolentes, ex alieno viuere, & quidem praualere oportet, omnes*
Plin. 6. c. 27. *enim bello ſtudent.* Eorundem mentio eſt apud Plinium eodem latronum epitheto cohoneſtatorum.

GORTVAE.) ita diſpunge Gortuæ, gentes quidem Euboicæ Medos quondam ſecutæ. Gortuas ex Eubæa inſula oriundos affirmat, & olim ad Medos tranſijſſe, patriæ ſuæ & rituum (an Græcanicorum?) oblitos, atque inter barbaros verſatos, barbarorum quoque mores induiſſe. Atqui non videtur hic Curtius de Eubæa Græca inſula quicquam cogitaſſe, ſed de Indica regione, circa quam tam feraces aiunt eſſe vites, vt quotidie vuas proferât. Euſtathium audi ad Dionyſium Periegetem, vbi de Nyſſa ciuitate agit. Νύσαι δὲ φασί, διάφοροι, αἰθιοπική, Ἀρραβικὴ εὐβοϊκὴ περὶ ἣν λέγεται καὶ τὸ τῆς ἀμπελου τεράτιον βότρυν ἐκφερούσης καθήμερινόν. *Nyſſa aiunt plures ſunt Aethiopica, Arabica, & Euboica, circa quam miraculo vinea eſt, quæ quotidianas profert vuas.* Quia tamen Curtius Euboicos hoſce cum Phrygibus coniungit in exercitu, rem mihi dubiam facit, Græcine ſint Euboici origine, an Arabes & Indi, quomodo enim degeneres, niſi ab Græcis & politis gentibus deſciſſent, & Medorum linguam, vitam & barbariem ſecuti eſſent? Certè Græcos hic intelligo iam bilingues, vt Brancidæ, & barbarizontes.

PHRYGAS.) hi notiores ſunt, quàm vt interpretis penicillo indigeant.

Plin. l. 6. c. 2. CATAONAS) Et ipſi in minore Aſia populi Cappadocibus proximi, quorum fines amnis Halijs interluit. De Cataonia copioſiſsimè Strabo lib. 12. ſub ipſum initium, vbi gentis inſtituta exponit, quem conſules.

lib. 6. c. 3. PARTHIENORVM,) Horum regionem, originem, migrationem, ſedes, Curtius infrà deſcribit, quo loco plura. Plerique codices habent pro *Parthienorum, Parthorum*, vtraque ſcriptura non eſt loco inidonea.

Lib. 11. CADVSII.) ad ſiniſtram maris Caſpij degunt, gens militiæ & latrocinijs dedita. Strabo: Τὸ μὲν τοι πλέον, τῆς περὶ τὴν ὀρεινὴν παραλίας Καδούσιοι νέμονται, σχεδόν δέ τι ἐπὶ πεντακισχιλίους σταδίους ὥς φησι Πατροκλῆς. *Maiorem partem oræ montoſæ Caduſij tenent fere ad quinque millia ſtadiorum* Et infrà: *Huius regionis cætera ſunt opulenta, quod autem ad ſeptentrionem vergit, montoſum, aſperum, & frigidum eſt. Ibi degunt Caduſij montani, Ancardi, Tapyri, Cyrtij, aliq́; id genus, qui & aliunde in hæc loca immigrarunt & ſunt latrones.* Et de Caduſijs mox ſubijcit: *Caduſij multitudine pedeſtri parùm cedunt Arianis, optimè*
lib. 6. c. 16. *iaculo pugnant, in aſpretis pedites loco equitum præliantur.* Plinius Gelas appellat Græcis Caduſios dictos. Dionyſius Periegetes.

———οἱδ' ὑπὲρ αἶαν
Τρηχεῖαν ναίουσι Καδούσιοι·
———*quiq́; terram aſperam*
Incolunt Caduſij.

In cuius loci explanatione Strabonem à nobis laudatum adducit Euſtathius.

CAPPODOCES, SYRII, MEDI.) Notæ gentes, & lib. 3. iam celebratæ.

SVMMA TOTIVS EXERCITVS, EQVITES XLV MILLIA, PEDESTRIS ACIES CC. MILLIA EXPLEVERAT.) Demirari ſatis non poſſum, quo pacto error in omnia antiquiora exemplaria & edita & inedita irrepſerit, fieri enim non poteſt, vt numerus iſte exercitus Dariani, vel ipſo Curtio teſte, ſit iuſtus. Ducenta quadraginta quinque millia hic cenſa ſunt. In Cilicia trecenta vndecim millia ducenti numerati. Ad Arbela ſeu Gaugamela dimidio ferè minor exercitus erat, vt Curtius cap. 22. ſuprà recenſuerat, & cap. 23. maiores copias prioribus fuiſſe oſtendit. Itaque edi-
1618. tio Colonienſis Allobrogum, equitum numerat CXLV. millia, peditum, ſexcenta millia, nullo ta-
lib. 11. men alio codice Curtiano ſuffragante. Iuſtinus narrat Darium Alexandro poſtremū occurriſſe cum centum millibus equitum, quadringentis millibus peditum. Diodorus Siculus cum ducentis millibus equitum, octingentis millibus peditum. Arrianus equitum* quadraginta, peditum * decies centena
* Modius legit quadringenta quinque millia. millia ſub ſignis habuiſſe Darium affirmat. Plutarchus vniuerſim indiſtinctè decies centena millia ponit. Cùm ergo Diodorus, Plutarchus & Arrianus in decies centenis conſentiant, non abſque ratione apud Curtium numerum emendes, & tres nobiliſsimos ſcriptores ſequaris.

* duodecies Vide Græcum numerum. De Arriani cenſu eſt quod obſerues. Arrianus in Græco exemplari totis vocibus non notis numerum expreſsit exercitus Dariani his verbis: ἐλέγετο δὲ ἡ πᾶσα στρατιὰ τοῦ Δαρείου ἱππεῖς μὲν ἐς τετρακισμυρίους, πεζοὺς δὲ ἐς ἑκατὸν μυριάδας. Hæc Arriani verba ita interpretatur Bonauentura Vulcanius: *Vniuerſus porrò Darij exercitus ferebatur eſſe equitum quadringentorum millium, peditum decies centena millia*

millia. Et quà pedibus, verè Vulcanius: in equitibus vehementer aberrauit à numero Arriani. Nam τετρακισμυρίους, non valet quod quadringenta millia, sed quadragies mille, seu quadraginta millia, vt rectè vertit ante Vulcanium Bartholomæus Facius. Nam si quadringenta millia equitum posuisset Arrianus τεσσαρακοντάκις μυρίους, hoc est, quadragies decem millia, vel τετρακοσιάκις χιλίους quadringenties mille, scripsisset. Illud porrò exertè falsum, quod Modius ex Arriano numerat duodecies centena millia peditum. Ex verbis enim Arriani quadraginta duntaxat millia equitum, decies centena millia peditum colliges. Veréne an falsò, penes Arrianum esto, quando scriptores inter se variant. Arrianus verò sua hausit ex libello Aristobuli, quem de acie ab Dario instructa vulgauit, hunc Arrianus descripsit, quem videbis.

DECEM STADIA PROCEDVNT.) Triginta duo stadia efficiunt milliare Germanicum: stadium continet passus centum viginti quinque. decem complectuntur passus mille 250. sed de stadijs dictum plenius suprà lib. 3.

CAPVT XXVIII.

ARGVMENTVM.

Panicus timor militem Alexandri ex vana specie cęli inuadit, quem sua prudentia rex excussit.



Lexandri exercitum pauor, cuius causa non suberat, inuasit: quippè lymphati trepidare cœperunt, omnium pectora occulto metu percurrente. Cæli fulgor tempore æstiuo ardenti similis internitens, ignis præbuit speciem, flammasq́ ex Darij castris splendere, velut latis tenderent præsidijs credebant. Quod si perculsis Mazæus qui præsidebat itineri, superuenisset, ingens clades accipi potuit. nunc, dum ille segnis in eo, quem occupauerat, tumulo sedet, contentus non lacessi, Alexander cognito pauore exercitus, signum vt consisterent, dari, ante ipsos arma deponere ac leuare corpora iubet, admonens, nullam subiti causam esse terroris, hostem procul stare. Tandem compotes sui, pariter arma & animos recepere: nec quicquam ex præsentibus tutius visum est, quam in eodem loco castra munire.

ALEXAND. EXERC. PAVOR INVASIT.) Paulò aliter Polyænus hanc historiā quarto Stratagematū enarrat. Ἀλέξανδρος ἐπὶ, &c. *Alexander ad fluuium Tigrim præuertere Darium festinabat: panicū ab extrema acie peruasit vniuersum exercitum. Rex mandauit tubicini, vt securitatis signum promulgaret, & antesignanis militibus, vt ante pedes arma proijcerent, atque idem sequentibus se dicerent. Sic omnes ex ordine hoc facientes, caussam terroris cognouerunt. Cùm Panicum cessasset, milites sublatis armis processerunt.* N.26.p.121.

Ex quo loco discis pauorem illum subitum Græcis πανικὸν appellari, cuius caussam idem Polyænus aperit lib. 1. Strat. Διονύσου, inquit, στρατηγὸς ἦν ὁ Πάν. οὗτος πρῶτος τάξιν εὗρεν, ὠνόμασε φάλαγγα, κέρας ἔταξε δεξιὸν καὶ λαιόν. ταύτῃ τοι ἄρα κερασφόρον τὸν Πᾶνα δημιουργοῦσιν. ἀλλὰ δὴ καὶ πρῶτος οὗτος πολεμίοις φόβον ἐνέβαλε σοφίᾳ καὶ τέχνῃ· ἦν γὰρ Διονύσῳ ἐν κοίλῃ νάπῃ ἤγγειλαν οἱ σκοποὶ μυρίαν χεῖρα πολεμίων ἐπέκεινα στρατοπεδεύειν, ἔδεισεν ὁ Διόνυσος· οὐ μὴν δὲ γε Πάν. ἀλλὰ ἐσήμαινε νύκτωρ διονυσιακῇ στρατιᾷ ἀλαλάξαι μέγιστον. οἱ μὲν ἠλάλαξαν ἀντηχῆσαν δὲ αἱ πέτραι, καὶ τὸ κοῖλον τῆς νάπης ἦχον πολλῷ μείζονος δυνάμεως τοῖς πολεμίοις ἐνεποίησεν. οἱ μὲν δὴ φόβῳ πληγέντες ἔφυγον· τοῦ δὲ Πανὸς στρατήγημα τιμῶντες, τὴν ἠχὼ τῷ Πανὶ φίλην ᾄδομεν, καὶ τοὺς κενοὺς καὶ νυκτερινοὺς τῶν στρατευμάτων φόβους Πανὶ κληΐζομεν. *Bacchi dux fuit Pan. Is primum inuenit aciem, phalangem nominauit, cornu instituit dextrum & sinistrum. Hac de caussa ferentem cornua Pana fingunt. Sed primus etiam hic eadem hostibus per sollertiam & artem immisit. Cùm Baccho in concano saltu nunciassent speculatores infinitas hostium copias in vlteriori parte castrametari, metus Bacchum incessit, non item verò Pana: sed noctu Bacchico exercitui signum dedit, vt maximum & inconditum clamorem tolleret. His verò clamantibus petra sonum exceptum referebant, & canitas saltus longè maiorum copiarum fremitum hostibus reddebat. Quare metu perterriti, se in fugam coniecerunt. Cùm igitur Pan hoc strategema vsurparit, Echo Pani gratam & amicam esse fingimus: atque vanos nocturnosq́ terrores exercituum panicos appellamus.*

Sed quid est, quod Curtius dicat nullam terrori caussam subfuisse, cùm ipsemet mox huius me-

tus rationem subijciat, cœli fulgorem è castris Darij latè effulsisse. Enimuero rectè Curtius negauit caussam pauoris extitisse, iustam nempè & veram, quæ meritò percellere mentes hominum potuerit & debuerit, quemadmodum sæpè prodigia aut pugnas in aere apparere solent: cuius rei multa passim leguntur in historijs testimonia, sed hic tantum ludibrium oculorum fuisse, cùm sapienti, ex anni tempore, per æstatem id viuuenire frequenter solere, facilè constet. Obseruandum hic quod Vegetius monet lib 3. cap. 12. *Animis*, inquit, *penè omnium hominum hoc naturaliter euenit, vt trepident, cùm ad conflictum venerint.*

cap. 30. Peruenit tamen huius Macedonum territorum formidinis rumor ad castra Darij, qui infrà: *Et profectò, si qua diuina opis auguria humanâ mente conspici possent, deos stare secum; illos nuper Macedonum animis subitam incussisse formidinem: adhuc lymphatos ferri agiq; arma iacientes. Expetere præsides Persarum imperij debitas à vecordibus pœnas.*

VELVT LATIS TENDERENT PRAESIDIIS.) Varia hic variorum codicum est scriptura, quæ librariorum vitio irrepsit. MS. Constantiensis habet: *Velut in latis temerè præsidijs.* aliæ membranæ: *Velut illatis temerè pradijs:* vbi Modius *illatas* putat rescribendum. Editus. *Velut illatas temerè præsidijs.* alius: *velut latis tenderent præsidijs*, quæ lectio Modio arrisit, itaque edidit, nec displicuit Acidalio, qui primum argutatus iudicauit legendum, *Velitatis temerè radijs*; sed non immeritò hanc ipse argutationem mox reprehendit, & locum aliter emendauit, vt legeret, *velut laxiùs tenderent præsidia.* Germana lectio videtur: *Veluti latis tenderent præsidijs.*

NVNC DVM ILLE SEGNIS) Omnes ante Mod. j editionem codices impressi illas duas voces. *Nunc dum* desiderant, locumque ita interpunctum referunt. *Ille segnis in eo quem occupauerat tumulo, sedit, contentus non lacessi. Alexander*, & quæ sequuntur. inficetè inquit Modius, atque adeò ineptè: Constat tamen verbis sensus & sententia. Sed ego chartas Constantienses, & quas alij laudant, sequor: Nunc, dum ille segnis, &c. vt in nostra editione distincta legis.

ANTE IPSOS ARMA DEPONERE.) Vox *ante* ex chartis assumpta est, in editis deest. Acidalius pro *ante* legendum putat *inde*, sed retineo scripturam ex scripto, & Polyæno suffragante, qui hanc historiam vol. 4. Strat.* attingit & scribit, θέσθαι τὰ ὅπλα πρὸ τῶν ποδῶν, *ante pedes arma ponere.* Cæterùm, contrario consilio Theodorus Rhodiorum dux vtendum suasit, manendũ tali tempore in armis, hærendum in tabernaculis. Exempla porrò copiarum panico terrore subito sine caussa perculsarum vera non multa proferuntur. Nam quæ literis sacris produntur, diuinitùs perpetrata sunt, vt est in Paral. 20. in Iosaphato de Ammonitis, Moabitis, & alijs populis, qui magnis exercitibus regem Iudæ oppugnatum venerant, quos cœleste numen ita terruit, vt de statu mentis deiecti,
4. Reg. 7. in sua conuerterent viscera ferrum. Nec Panicus timor fuit, cùm Rex Syriæ Benadadus Samariam obsedit, territusque est cœlesti curruum, equorum, & exercitus fremitu, clamore, & fragore, quem Deus in castra Syrorum miserat. Nec, cùm Romani ex præsidijs fugerunt, cùm Hannibal cornibus boum fasces fœni alligauit, & accensos per noctem aduersus Romanos egit. Caussa enim suberat, saltem in speciem vera, quam præsidiarij per tenebras iudicare non poterant. Ille verò planè vanus & Panicus terror fuit, qui Germanos inuasit, cum anno CIↃ.CCCC.XX. Sigismundi Imperatoris ductu ante annos omninò ducentos, aduersus Ziscam ducem infamem, luscum, imò cœcum ierunt. Imperator enim, Sigismundus, inquam, totius imperij viribus stipatus, fusus tamen & fugatus est, & quàm turpiter audi. Ducenta millia militum Bohemiam ingressi, totidem ferro absumpti
Auentinus Panegyrista p. 26. sunt. Nam ita Henrici Ducis Bauariæ, qui magna pars illius belli, seu fugæ fuit, epistola ad Albertum Preisingium Vicarium narrat. *Bohemiam*, inquit Henricus, *intrauimus quinquies, copijs, impedimentis, tormentis, carris, machinis, armis, annona, commeatu, supellectile, instrumentis bellicis, calonibus amissis, plerisque occisis, multis in fuga obrutis, necdum viso hoste, turpiter terga, nescio quo fato iniquo, vertimus.* En, necdum viso hoste, nec in acie stante, nec præliante, metu exanimati, nulla cognita caussa profugerunt. Atque hoc demum verè est Panicum, & Panicus terror.

Scripsit Angelus Politianus vir elegantissimi ingenij & exquisitæ doctrinæ lib. 1. Obser. & emend. cap. XXVIII. de Panicis terroribus, à quo tamen nobilem Polyæni locum præteritum demiror. Politianum ipse videbis.

CAPVT XXIX.

ARGVMENTVM.

Mazæus cum Persis collem deserit, quem Macedo occupat, ibidemque castra ponit, vnde & aciem hostium

hostium prospicit, fluctuat idem animo; de pugnæ ratione deliberat; vnus contra omnes aperto campo, claro sole, non noctu more latronum in tenebris pugnandum statuit.

Postero die Mazæus, qui cum dilectis equitum in edito colle, ex quo Macedonum prospiciebantur castra, consederat, siue metu, siue quia speculari modo iussus erat, ad Darium rediit. Macedones eum ipsum collem, quem deseruerat, occupauerunt. nam & tutior planitie erat, & inde acies hostium, quæ in campo explicabatur, conspici poterat. Sed caligo, quam circà humidi effuderant montes, vniuersam quidem rei faciem non abstulit, cæterùm agminum discrimina atque ordinem prohibuit perspici. Multitudo inundauerat campos, fremitusq; tot millium etiam procul stantium aures impleuerat. Fluctuare animo rex, & modò suũ, modò Parmenionis consiliũ sera existimatione perpendere: quippè eo ventũ erat, vnde recipi exercitus nisi victor, aut sine clade non posset. Itaq; dissimulato pauore, mercenarium equitem ex Pæonia præcedere iubet. Ipse phalangem (sicut antea dictum est) in duo cornua extenderat. Vtrumque cornu equites tegebant. Iamque nitidior lux, discussa caligine, aciem hostium ostenderat. Et Macedones siue alacritate, siue tædio expectationis ingentem pugnantium more edidere clamorem. Redditus & à Persis, nemora vallesque circumiectas terribili sono impleuerat. Nec iam contineri Macedones poterant, quin cursu quoque ad hostem contenderent. Melius adhuc ratus Alexander in eodem tumulo castra munire vallum iaci iussit: strenueque opere perfecto, in tabernaculum, ex quo tota acies hostium conspiciebatur, secessit. Tum verò vniuersa futuri discriminis facies in oculis erat. armis insignibus equi viriquè splendebant, & omnia intentiore cura præparari: sollicitudo Prætorum agmina sua inter equitantium ostendebatur, ac pleraque inania sicut fremitus hominum, equorum hinnitus, armorum internitentium fulgor. sollicitam expectatione mentem turbauerant. Igitur siue dubius animi, siue vt suos experiretur, consilium adhibet, quid optimum factu esset exquirens. Parmenio peritissimus inter duces artium belli, furto non prælio opus esse censebat: intempesta nocte opprimi posse hostes, discordes moribus & linguis: ad hæc & somno & improuiso periculo territos, quando in nocturna trepidatione coituros? At interdiu primùm terribiles occursuras facies Scytharum, Bactrianorumque: hirta illis ora, & intonsas comas esse. Præterea eximiam vastorum magnitudinem corporum: vanis & inanibus militem magis quàm iustis formidinis causis moueri: deinde tantam multitudinem circumfundi paucioribus posse. Non in Ciliciæ angustiis, & inuiis callibus, sed in aperta & lata planitie dimicandum fore. Omnes ferme Parmenioni assentiebantur. Polypercon haud dubie in eo consilio positam victoriam arbitrabatur: quem intuens rex (namque Parmenionem nuper acriùs quàm vellet increpitum rursus castigare non sustinebat) Latrunculorum, inquit, & furum ista solertia est, quam præcipitis mihi: quippe illorum votum vnicum est fallere. Meæ verò gloriæ semper aut absentiam Darii, aut angustias locorum, aut furtum noctis obstare non patiar. palam luce aggredi certum est. Malo me fortunæ pœniteat, quàm victoriæ pudeat. Ad hæc illud quoque accidit. Vigilias agere Barbaros, & in armis stare, vt ne decipi quidem possint. Itaque ad prælium vos parate. Sic incitatos ad corpora curanda dimisit.

Cvm dilectis.) Priscè hoc, pro *delectis. deligo*, & *diligo*, siue *eligo* idem. pleraque omnia exemplaria communem retinent scripturam, *delectis*.

Specvlari modo.) *Modò* in hoc significatu paulò rariùs & inusitatius est, cùm pro *tantum, duntaxat, tantummodo, solùm* ponitur. vt si dicas bis modò hoc feci, ter modò cucurri, id est, bis tantum hoc feci, ter tantummodò cucurri.

Tvtior planitie erat.) Quia minus arduus, & in supremo loco planus erat.

Caligo.) Causam caliginis Physicam adfert, montes circumiectos, qui nunquam ferè sine nu-

bibus, ex quibus nebulæ, ex quibus caligo existit. Est enim caligo, nubis sterilioris partus, vti docet
1. Meteor. Philosophus.

AVRES.) Quia caligo liquidum oculorum prospectum ademerat.

FLVCTVARI ANIMO REX.) Omnia exemplaria ante Modij emendationem edita, & nobis cognita, hanc scripturam ostendunt, nō *fluctuare*, vt Modius, non *fluctuabatur*, vt idem: sed fluctuari animo rex. Manu quoque exaratus, *fluctuari*, habet. ita veterem scriptionem retineo, neque melius Modius scripsit *fluctuare*. Sunt enim nonnulla verba Fabio teste, quæ vtroque modo efferuntur: *Quod* lib. 9. c. 3. *mirum minus est*, inquit Quintilianus, *quod in natura verborum est, & quæ facimus patiendi modo sæpè dicere, vt arbitror, suspicor. & contrà, faciendi quæ patimur, vt vapulo, ideoq́; frequens permutatio est, & pleraque vtroque modo efferuntur luxuriatur, luxuriat, fluctuatur fluctuat, assentior. assentio.*

MODO SVVM, MODO PARMENIONIS CONSILIVM.) Suum bellum, paci; Parmenionis cap. 26. pacem & pecuniam bello præferendam. *Et ego*, inquit supra Alexander, *pecuniam quam gloriam mallem, si Parmenio essem.*

SERA EXISTIMATIONE.) rectè Modius *existimatione*, hoc est, consideratione, iudicio: eleganter enim verbum etiam *existimo*, pro iudico & sentio, vt ex Cicerone discis, ponitur. Plerique tamen omnes codices *æstimatione* habent. nec huius significatus est alienus à mente Curtij, dummodo non accipiatur pro litis æstimatione.

AVT SINE CLADE.) *Aut* abest in MS. nec sanè desideratur. Mens Curtij cōstat. Eo erant progressi Macedones, vt redire sine clade, nisi victores, non possent. A tergo quippe Tigris, à fronte Darius erat. infrà cap. 33. *peruenisse eos, vnde fugere non possent, tot terrarum spacia emensis, tot amnibus montibusq́; post tergum abiectis.*

MOVEBAT ETIAM MVLTITVDO HOSTIVM.) Ab hoc loco vsque ad illa: *Itaque dissimulato* in MS. desunt, & à Modio quoque prætérita. In antiquioribus impressis omnibus leguntur: sed inducenda sunt, cùm non sint Curtiana, sed ex Iustino, vt alia quædam inserta. Nam is, vbi de Issica Alexandri apud Cilices pugna narrat, hæc subijcit: *Mouebat hac multitudo hostium respectu paucitatis sua Alexandrum. Sed interdum reputabat quantas res cum ista paucitate gessisset, quantosq́; populos fudisset. Itaque cum spes metum vinceret, periculosius afferre ratus, ne desperatio sua cresceret.* Hæc ad verbum ex Iustino petita sunt, nisi quis imperitior velit, Iustinum hæc ipsa ex Curtio mutuatum. Sed cùm in MSS. desint nulla, relinquitur dubitatio esse spuria & adulterina, atque à Curtio proscribenda.

ITAQVE DISSIMVLATO PAVORE.) *Eo*, pro *pauore* habent impressi, sed idem sensus. pauorem intelligit, quem hauserat Alexander ex aspectu copiarum Darianarum, quarum innumerus apparebat numerus.

MERCENARIVM EQVITEM EX PAEONIA PRAECEDERE.) pro *Paonia* alij codices habent *Pæonas*, alij vitiosè *Panas*, Duce Menida, qui peregrino & cōducto militi præfectus erat. Cæterùm, quæras quæ sit illa Pœoniæ regio, & quibus orbis in oris? Angelus Politianus in Herodiani metaphrali Pannonias interpretatur. Herodianus ita loquitur: Γηραιὸν ὄντα Μάρκον, καὶ μὴ μόνον ὑφ' ἡλικίας,
Herodian. l. 1. p. 6 v. 5. à. 1. edit. Ingolst. Commodo. ἀλλὰ καμάτοις τε καὶ φροντίσι τετρυχωμένον, διατρίβοντά τε ἐν Παίοσι, νόσος χαλεπὴ καταλαμβάνει. Quæ Angelus his verbis transfert: *Senem iam Marcum neque ætate solùm, sed laboribus multis curisq́; confectum, dum in Pannonijs ageret, grauis inuadit morbus.*

Sed Homerus, Herodotus lib. 5. Periegetes, Strabo, Plinius, Eustathius non procul à Macedonia Pœonas coluisse tradunt, & Plinius quidem inter populos Macedoniæ eosdem recenset lib. 4. c. 10. *Partem*, inquit *eius* (Macedoniæ) *Septentrionalem, Pœonia ac Pelagonia à Triballis protegunt.* Pœonas ipsos ad Axium flumen collocat, vt Homerus:

2. Iliad.

Αὐτὰρ Πυραίχμης ἄγε Παίονας ἀγκυλοτόξους
Τηλόθεν ἐξ Ἀμυδῶνος ἀπ' Ἀξιοῦ εὐρὺ ῥέοντος
Ἀξιοῦ, οὗ κάλλιστον ὕδωρ ἐπικίδναται αἶαν.
Pyrechmes ducebat Pœonas curuis arcubus vtentes,
Procul ex Amydone, ab Axio latè fluente
Axio, cuius pulcherrima aqua diffunditur super terram.

Strabo li. 7. excerptis. Ἐπίκειται δὲ τῷ Ἀξίῳ ποταμῷ χωρίον ὅπερ Ὅμηρος Ἀμυδῶνα καλεῖ, καί φησιν τοὺς Παίονας εἰς Τροίαν ἐπικούρους ἐλθεῖν. *Adiacet autem Axio fluminis locus, quem Homerus Amydona vocat, indeque Pœonas auxiliatum venisse Troianis.*

Herodotus multò liquidius de Pœonibus scribit: Pœoniam ad flumen Strymonem sitam, qui Strymon non procul abesset ab Hellesponto. Esse verò Pœonas coloniam Teucrorum, qui è Troia fuerunt. Subijcit deinde Pœonas per Megabyzum iussu Darij Histaspis, translatos esse in Asiam Sardis, quod quomodo peractum sit, copiosè Herodotus exponit. Pannonas autem prorsus diuersos tradit Strabo à Pœonibus, etsi posteriores Græci, Pœones pro Pannonijs accepisse videantur. Eustathius ad suprà laudatos Homeri versus copiosissimè de Pœonibus disputat, nec tacet ad Periegetem, quem videbis.

EDI-

EDIDERE CLAMOREM)supra lib.3.c.19.Lipsium consule de militia Romana c.11.lib.4.

VOCEM REFERVNT)De Echone supra lib.3.copiosè,& commentario ad Martialem.

EODEM TVMVLO)à Mazæo deserto.vt supra.Aduerte simul regis prudentiam non ante pugnam c entis,quàm exploraret omnia,quantum humanitùs assequi poterat,quæ apud hostem gerebantur.nunquam imperator belli pareat militi quantumuis prompto,sed miles imperatori.

SECESSIT)successit,plerique omnes libri impressi,MS.Constantiensis secessit,quod etiam Modio placuit.

VNIVERSA FACIES DISCRIMINIS IN OCVLIS ERAT.) Recurrat quod libro priore c.15.Curtius dixerat,qui locus,hunc mirificè illustrat: *Cæterum, vt solet, cum vltimi discriminis*,& quę sequuntur.nemo est melior interpres,quam quisque suipsius. Locus hic totus optimè distinctus & interpunctus,adeoque emendatus est ad Acidalio in hunc modum: Armis insignibus equi virique splendebant:& omnia intentiore cura præparari sollicitudo prætorum agmina sua interequitantium ostendebat.ac pleraque inania;sicut fremitus.

PLERAQVE INANIA.)quomodo inania?tot millium fremitus armatorum,equorum hinnitus,fulgor armorum?Per se spectata, sunt inania , necquicquam enim nocumenti creant : Sed vt sunt proximè imminentis prælij signa,non immeritò fremitus ex multitudo hostium conijcitur,& equorum hinnitus,qui ingentes equitum copias prodit, & armorum fulgor,qui exercitum totum ad pugnam paratum & instructum ostendit,mentem cum ducis,tum militis percellunt,cum incerta sit alea Martis.

CONSILIVM ADHIBET)Quis enim vnus omnia prouideat,& minore reprehensione dignus est imperator si bello offendat,quando offensa pertinet ad plures.

PARMENIO PERITISSIMVS INTER DVCES ARTIVM BELLI) De hoc summo post Alex.belli duce supra memoratum est,& infra de infeliciscæde narrabitur. *Multa tulit fecitq́, puer sudauit & alsit*,& qui non vno dignus regno erat,pro regnis tandem ferrum accepit,*hac munera regum.* Lib.3.c.12.

INTEMPESTA NOCTE)Contra suadet Senarius Comici:

Furiosa valdè res in tenebris impetus.

Multa tamen argumenta,& in speciem firma adfert Parmenio, petita primum ex ratione temporis & nocturnis tenebris, cui poterat suffragari,quod Græci olim Troiam, quam toto decennio non poterant capere,vna nocte beneficio tenebrarum occuparint.

Inuadunt vrbem somno vinoq́, sepultam.

Deinde à gentium variarum moribus & linguis inter se diuersis,à terrore subito , qui incompositos hostes ex animi perturbatione non sinit arma sumere,in ordines coire, ad signa concurrere, Rursus à contrario,si dies expectetur,futurum,vt Græci barbarorum vultu,cultu, corporum mole,truci aspectu tanquam monstris quibusdam insuetis percellantur & exanimentur. A copiarum denique innumerabili prope numero,quo circumueniri Macedones in campis patentibus possint. Hac ratione omnes ferè duces in suam sententiam traxit præter Alexandrum. Cæterum,de Scytharum moribus & cultu plurima Herodotus *a* in Melpomene,Iustinus,*b* Plinius,Mela,Solinus Geographus,Periegetes & sexcenti alij.Nos infra suo loco plura. *a* lib.4.
b lib.2.

VASTORVM MAGNITVDINEM CORPORVM)Iustinus,vires corporum immensæ.

POLYPERCON)Inter primos post Parmenionem duces & amicos Alexandri , de quo multa sæpè infra:hostis erat adulatorum,quorum caussa in odium Alexandri & vitæ periculum incidit, receptus demum in gratiam,vt suo loco cognosces.

NVPER ACRIVS INCREPITVM)Illis verbis supra collocatis: *Er ego*,inquit,*pecuniam , quam gloriam mallem si Parmenio essem.* cap.16.

LATRVNCVLORVM)An ex hoc loco descriptus est iambus?

Latrocinio clam vincas,prælio palam.

VOTVM EST FALLERE)Et ex hoc loco,qui sequitur:

Latrunculorum ac furum votum,fallere est.

Apud Maronem Turnus Latinorum dux contra Aeneam & Troianos contemtis Græcis hæc subijcit.

----tenebras & inertia furta
Palladii,cæsis summæ custodibus arcis,
Ne timeant,nec equi caca condemur in aluo,
Luce palam certum est igni circumdare muros. 9.Aen.

Potuit ad hunc Virgilij locum respexisse Curtius.

---Sed dolus,an virtus quis in hoste requirit?

Inquit Chorœbus in nocturno prælio apud Virgilium.

Multi victoriam quacunque gloria malunt,

Et occurrunt passim apud nobiles rerum scriptores nocturna prælia: Apud Florum *a* Plutarchum in Pompeio,*b* Orosium,Appianum, Dionem , Eutropium *c* singulare est propter vmbram lunæ *a* lib.3.c.5.
b l.6.c.4.
c l.6.

quæ Romanis contra Mithridatem peperit victoriam, tam leue sæpè momentum ingentem belli fortunam versat.

Adde si placet, etiam Vespasianarum duce Antonio Primo & Vitellianarum copiarum prælium nocturnum, atrox, graue, & perniciosum Vitellianis, quas Antonius Lunæ quoque beneficio deuicit.

Tacitus hist. l. 3.

Apud Arrianum laus extat Alexandri, quod noluerit inire prælium, & rationes multæ adferuntur, quamobrem noctu non sit dimicandum, quę lector ipse libro 3. apud eundem, si sederit animo, reperiet.

Plutarchus inuocatos vltrò, scribit, ad Alexandrum accessisse, vt illi pugnam nocturnam suaderent, illumque respondisse *οὐ κλέπτω νίκην. non furto pato victoriam*, quod dictum alij temerarium, alij sapiens interpretabantur. Caussas vtrorumque apud Plutarchum in Alexandro disces.

VIGILIAS AGERE BARBAROS) Hoc vno verbo, Parmenionis consilium euertit Alexander, quod barbarus vigilaret: affirmat idem Arrianus totam noctem exercitum Darij in armis peruigilem stetisse, vti locus nocturnis insidijs nullus esset, eamque rem fatigato per insomniam milite vehementer Dario obfuisse.

CAPVT XXX.

ARGVMENTVM.

Vtriusque regis supremæ noctis quæ pugnam præcessit, solicitudo explicatur.

DArius id quod Parmenio suaserat hostem facturum esse coniectans, frenatos equos stare, magnamque exercitus partem in armis esse, ac vigilias intentiore cura seruari iusserat. Ergo ignibus tota eius castra fulgebant. Ipse cum ducibus propinquisque agmina in armis stantiũ circuibat. Solem Mithren, sacrumque & æternum inuocans ignem, vt illis dignam vetere gloria maiorumque monumentis fortitudinem inspirarent. Et profectò si qua diuinæ opis auguria humana mente conspici possent, deos stare secum: illos nuper Macedonum animis subitam incussisse formidinem: adhuc lymphatos ferri agique, arma iacientes. Expetere præsides Persarum imperij debitas à vecordibus pœnas; nec ipsum ducem saniorem esse: quippè ritu ferarum prædam modò quam expeteret, intuentem, in perniciem quæ ante prædam posita esset, incurrere. Similis apud Macedones quoque solicitudo erat, noctemque velut in eam certamine edicto metu egerunt. Alexander non aliàs magis territus, ad vota & preces Aristandrum vocari iubet. Ille in candida veste verbenas manu præferens, capite velato, præibat preces regis, Iouem Mineruamque & Victoriam propitiantis. Tunc quidem sacrificio ritè perpetrato, reliquum noctis acquieturus in tabernaculum rediit. Sed nec somnum capere, nec quietem pati poterat. modò è iugo montis aciem in dexterum Persarum cornu dimittere agitabat, modò recta fronte cõcurrere hosti; interdum hæsitare an potius in læuum detorqueret agmen. tandem grauatum animi anxietate corpus altior somnus oppressit.

VIGILIAS INTENTIORE CVRA) vt supra, *& omnia intentiore cura præparari.*

IGNIBVS TOTA EIVS CASTRA FVLGEBANT) lib. 3. *Ignes deinde totis campis collucere cœperunt.*

SOLEM MITHREN) De Sole, Deo Persarum, multa superiore libro ad cap. 7. dicta. Mithran & Mithren vocabant. Claudianus:

Et vaga testatur voluentem sidera Mithran

Statius:

Indignata sequi torquentem cornua Mithran.

Sol, inquit interpres, *apud Achæmenios Titan, apud Assyrios Osiris, apud Persas (vbi in antro colitur) Mithra vocatur.*

Plura super hoc & templis Mithræ Pyræis, in Aula sancta nostra; vbi de sacro quoque igne, quæ voles, cognosces. Interim obserua, *Martem* hic mendosè in editis passim, perscriptum ac perscribẽdum. De Mithra, non Marte sermo est.

AVGVRIA MENTE CONSPICI)melius,vt MS.habet,*concipi.*

ADHVC LYMPHATOS)Mirum,quomodo panicum hoc Macedonum tam citò ad Darium fuerit perlatum.Sed nimirum exploratores castra omnia pererrant,itemque transfugæ & proditores.

ARMA IACIENTES)ad imperium Alexandri,qui ante pedes quemque suos,sua arma deponi iusserat.

EXPETERE PRAESIDES PERSARVM) Deos patrios exigere pœnas ab Macedonibus in furorem & rabiem actis.Sed quàm vera fuerit hæc Darij oratio,euentus docuit.

NEC SANIOREM DVCEM) ipsum etiam Alexandrum spe prædæ illectum tamquam feram, obiecta esca in præsens,ante captam prædam,ruere in exitium.

EXPETERET INTVENTEM)Acidalius propositionem abijcit, &,*peteret* contra omnium codicum fidem censet:nec malè sentit,quod compositum idem paullò antè præcesserit.Sed nihil muto,cum & hoc ferri possit.

SIMILIS APVD MACEDONES QVOQVE SOLLICITVDO)In milite & duce. Nemo tam firmus,quem expectatio imminentis quasi mortis primùm non percellat & propè exanimet. Nam sicut teste Comico,*Mors inopinata mortium mors optima.* Ita,*Mors expectata mortium mors pessima.* verè Mimus,*Mortem timere crudelius est,quam mori.* Vir fortis tamen mox colligit animum,*pulchramque petit,per vulnera mortem.*aut cogitat illud:

Mortem effugit miles,qui mortem non fugit.

Et:

Mortem oppetere ante regem pulcherrimum est.

NON ALIAS MAGIS)vsitata Curtio frequenter loquendi formula. Qui *aliàs* pro *alioquin* vsurpant ἑαρβαρίζουσι.

AD VOTA ET PRECES)vbi humana consilia deficiunt,natura nos ipsa ad diuina ablegat.

ARISTANDRVM)multa huius vatis aruspicis & coniectoris acutissimi mentio apud Curtium, Plutarchum,Diodorum,Arrianum.Multa enim prodigia,solertia ingenij assecutus,sæpè vera pronunciauit,Deo etiam verum suggerente,vbi non de religione,vel dæmonum cultu agebatur,quod ex oraculis etiam Sibyllinis ostenditur:Sibyllæ enim gentium vates fuere.

ILLE IN CANDIDA VESTE VERBENAS MANV PRAEFERENS , CAPITE VELATO PRAEIBAT PRECES REGI.)Ita manu exaratus docet legendum.non,vt vulgares habent,*praibat preces regis.*quod vel è solennibus precum formulis Romanorum constat,quas apud Brissonium *a* legis,& Curtius *b* ad res Græcanicas,vt alibi quoque,transtulit,*Quorum alia ductu meo,*inquit Alexander,*alia imperio auspicióq́, perdomui.* *a* li.1.p.61. *b* li.6.

CANDIDA VESTE)solenni more & ritu apud Romanos sacra in candida veste peragi, & spectari.

Vestibus intactis Tarpeias itur ad arces,
Et populus festo concolor ipse suo est. Ouid.Fast.

Etiam spectaculis intererant candidati;Martial.lib.4.epig.2.

Spectabat modò solus inter omnes
Nigris munus Horatius lacernis,
Cum plebs,& minor ordo,maximusque
Sancto cum duce candidus sederet.
Toto nix cecidit repentè cælo:
Albis spectat Horatius lacernis.

Apud Græcos quoque plurimus vsus albæ vestis.In Panathenæis nefas tincta veste spectare.

VERBENAS MANV PRAEFERENS)segmina seu sagmina & verbenæ ead.herba.Plinius.*a Siquidem auctores imperij Romani conditoresq́, immensum quiddam & hinc sumsere, quoniam non aliunde sagmina in remedijs publicis fuere,& in sacris, legationibusq́, verbena.Certè vtroque nomine idem significatur, hoc est,gramen ex arce cum sua terra euulsum: ac semper & legati cum ad hostes , clarigatumque mitterentur,id est,res raptas clare repetitum,vnus vtique verbenarius vocabatur.* Ad quem locum *b* Dalecampius:*Liuio,Neuio,Seruio,Turnebo verbena,non herba priuatum genus dicuntur, sed rami,virgæ,frondes,omnium sacrarum arborum,vt lauri,oliuæ,myrti:quin etiam herbas ex puro loco decerptas , quibus festis diebus aræ coronantur.* Terent. in And. Eisene Kraut Dioscorides formã repræsentat. *a* l.22.c.2. *b* Comen. in Plin. l.22.c.2.

Ex ara hinc sume verbenas tibi.

Myrtum apud Menandrum fuisse,ex quo illa comicus transtulit,constat,Virg.

Verbenasque adole pingues,& masculа thura.

Verbenas,quasi herbenas dictas volunt,illasque facilè accendi , & flammam concipere ob pinguitudinem. Apud Tranquillum in Vespasiano,in Serapidis templo verbena,corona, & pamficta fuerunt . Guilland.

Græcis ἱερoβοτάνη,id est,sacra dicitur.verbenaca.Eisenkraut.

Capite velato)filo cincto,vt Filamines & flamines Latini,non velo obducto de quibus passim Latini,nec res ignota.

Apud Graecos,sacerdotes Mineruae vmbellam albam gestabant,Meursius in Graecia feriata.

Praeibat preces regi)quas,inquies,preces?nullas Graeci, nullas Latini scriptores Alexandri formulas edidére.fingere non placet. Caeterum apud Latinos alijs in rebus exempla apud Brissonium ex Liuio & alijs petita extant,sed huc non faciunt.

Iovem, Minervam et victoriam propitianti)Ita lego cum Acidalio, non propitiantis.*Iouem*,Acidalius tollit,quod *hunc* alibi infra Curtius omiserit.Sed manuscripti habent *Iouem*,vt summum Deorum,Mineruam repertricem belli,Victoriam,cuius caussa bellum fit, nemo enim bellum facit vt vincatur,sed vt vincat,proximus ergo belli finis,victoria;victoriae varij fines.

Sed nec somnvm capere)solicitae & anxiae mentis naturam exprimit Curtius, cum animus in omnem se partem versat,nec satis consilia explicat,quid potissimum agat, aut quid non agat,aut quomodo rem aggrediatur. Ita altum alijs dormientibus dux belli saepè insomnes ducit noctes,nec enim decet,vti canit Homerus,qui publicum officium gerit,aut in consilio est, totam vt noctem stertat.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.

Altior somnvs)vt curae nimiae somnum excludunt,ita si diutius durent,conciliant, aut omnino ad insaniam redigunt.

CAPVT XXXI.

ARGVMENTVM.

Alexander alto somno mersus,& à Parmenione excitatus,caussas tam securae quietis reddit, signum dari ad pugnam iubet,duces ad sua munia obeunda dimittit.



IAmque luce orta duces ad accipienda imperia conuenerant, insolito circa praetorium silentio attoniti:quippe aliàs accersere ipsos, & interdum morantes castigare assueuerat.tunc ne vltimo quidem rerum discrimine excitatum esse mirabantur:& non somno quiescere, sed pauore marcere credebant,nō tamen quisquam ex custodibus corporis intrare tabernaculum audebat,& iam tempus instabat, nec miles iniussu ducis aut arma capere poterat,aut in ordines ire. Diu Parmenio cunctatus,cibum vt caperent ipsi,pronuntiat. Iamque exire necesse erat,tunc demum intrat tabernaculum,saepiusq; nomine compellatum,cum voce non posset,tactu excitauit. Multa lux,inquit, est. Instructam aciem hostis admouit, tuus miles adhuc inermis expectat imperium.Vbi est vigor ille animi tui? nempe excitare vigiles soles. Adhaec Alexander.Credisne me prius somnum capere potuisse,quàm exonerarē animum solicitudine,quae quietem morabatur?signūq; pugnae tuba dari iussit. Et cum in eadē admiratione Parmenio perseueraret,quod solutum se curis somnū cepisse dixisset. Minimè, inquit,mirum est.Ego enim cum Darius terram vreret,vicos exscinderet, alimenta corrumperet,potens mei non eram. Nunc vero quid metuam,cum acie decernere paret? Hercule,votum meum impleuit.sed huius quoque consilij ratio postea reddetur.Vos ite ad copias quibus quisq; praeest:ego iam adero,& quid fieri velim,exponam.Raro admodum admonitu amicorum,cum metus discriminis erat,vti solebat. Tunc quoq; munimento corporis sumto, processit ad milites.

Dvces ad accipienda imperia)duces,quos Romani legatos,tribunos,centuriones, saepius vocabant.Hodie,nisi vox esset ambigua ducis,rectiùs duces appellarentur:sed quia Dux Principem quoque valet,addendum;Duces belli,praefecti cobortium,turmarum:vsurpamus tamen voces tribunorum,legatorum,rarò centurionū,quod officium centurionum cessarit:Curtius nunquā.

Circa praetorivm)Latinorum more,alijs in locis saepius propriè tabernaculum appellauit,vt mox infrà & alibi pluries.

INSOLITO)tali tempore,hoste in acie stante;rege adhuc cunctante,caussam ipse subijcit Curtius.

PAVORE MARCESCERE)quasi pauor regi mentem eripuisset.Pauor enim sapientiam omnem ex animo expectorat.pauoris quippe & consilij rara copula est.

NON TAMEN QVISQVAM EX CVSTODIBVS CORPORIS INTRARE TABERNACVLVM AVDEBAT)Apud Assyrios quoque hæc reuerentia erat,vbi non solùm tabernaculum regis, aut ipsam regiam(eadem quippe ratio est vtriusque,)sed nec summi copiarum ducis quisquam audebat ingredi.habes in historia sacra luculentum huius rei exemplum in Holoferne , de quo ita pagina
sacra:*Porro hi qui in tabernaculo erāt*(intellige vestibulū tabernaculi)*venientes,& ante ingressum cu-* Iudith.14.
biculi perstrepentes(excitandi gratia,)inquietudinem arte moliebantur,vt non ab excitantibus,sed à sonantibus Holofernes euigilaret.Nullus enim audebat cubiculum virtutis Assyriorum pulsando aut intrando aperire.Sed cum venissent eius duces ac tribuni,& vniuersi maiores exercitus regis Assyriorum,dixerunt cubiculariis:Intrate & excitate illum,quoniam egressi mures de cauernis suis,ausi sunt prouocare nos ad prœ-
lium.Tunc ingressus Vagao cubiculum eius,stetit ante cortinam,& plausum fecit manibus suis . Eundem lib 3.c.23.
Persis morem fuisse nulla est dubitatio,& locus Curtij supra ostendit, vbi Leonatus ab Alexandro ad captiuos in tabernaculum missus:*Leonatus expectato diu,qui se introduceret,postquā nemo procedere audebat,relictis in vestibulo satellitibus,intrat in tabernaculum.Ea ipsa res turbauerat fœminas,quod ir-*
rupisse non admissus videbatur.& quæ sequuntur.Ita apud Medos Deioces rex edicto sanxit , ne quis Herod 1.
regiam intraret,nisi vocatus,neque se rex conspiciendum popularibus dabat,ne quis in regia spueret,vel quicquam faceret,quod publicè non deceret.Habes in Assuero clarissimum quoque huius
rei testimonium,vbi Hester rogata à Mardochæo vti regiam Intraret, & deprecaretur regem pro Hester c.4
salute gentis suę,quam Aman Macedo hostis Iudæorum delere decrêrat,ita respondit Mardochęo: *Omnes serui regis,& cuncta,quæ sub ditione eius sunt,norunt prouinciæ,quod siue vir,siue mulier , non vocatus,interius atrium regis intrauerit,absq; vlla cunctatione statim interficiatur:nisi fortè rex aureā virgam ad eum tetenderit pro signo clementiæ,atq; ita possit viuere. Ego igitur quomodo ad regem intrare potero,quæ triginta iam diebus non sum vocata ad eum?* Quid porrò primùm ingredienti acciderit He-
steri leges cap.25.Ad quem locum multa doctissimus noster Serrarius.Id interim apud Diodorum li.2.& 3.
Siculum idem cognosces in Sardanapalo,& apud Herodotum in Smerdimago.Fiebat hoc cū propter maiestatem regiam,vt humanæ sortis fastigium superasse viderentur,& instar numinum colerentur,tum vt securius viuerent,quorum vita multorum inuidiæ,insidijs,ambitioni,indignatio-
ni & odijs obnoxia & obiecta est.De veneratione Iustinus:*Apud Persas persona regis sub specie maie-* Lib.1.
statis occulitur.Plurima de eadem maiestate regum,& aditu in regiam,Brissonius de regno Persarū. lib.1.p.17.
TEMPVS INSTABAT)cibum sumendi,arma capiendi,hosti occurrendi. 18.19.20.
IN ORDINES IRE)hæc omnia cognosces * apud eos,qui de re militari accuratè perscripserunt. * Vegetiū, Valtrinū
IPSE PRONVNCIAT)ita Acidalius verè & germanè.Non vt Modius,*ipsi pronunciat*. Parmenio Lipsium,alios
proximus imperio Alexandro,vices Alexandri absentis agebat,ipse pronunciabat , quid faciendū esset militi: & suffragantur editi nonnulli antiquiores,& MS.Const.

NEMPE VIGILES EXCITARE SOLES)Alexander dormis,sol altum petit cælum, hostis supra caput est,miles adhuc inermis ad signa nondum conuenit. Vbi diuina vis illa animi tui,qua exanimatum etiam pauore exercitum in vitam reuocare soles.vbi vigor ille,cum ipsos etiam vigiles excitasti.Hic ironia est,nempe dormiendo vigiles,vt alias consuesti,excitabis?

ET CVM IN EAD.ADM.PARMEN.PERSEVERARET)Responsio Alexandri, quod dixisset solutum se curis somnum cepisse,adhuc maiori Parmenionem admiratione perculerat,cuius admirationis cum Alexander in Parmenione signa notasset,adiecit, *Quid est*,inquit, *quod mireris me dixisse solutum curis somnum cepisse:ratio securitatis & somni est,Cùm Darius terras vreret*,& quæ sequūtur. Obserua cum Acidalio,illa verba *(solutum curis somnum cepisse)*per glossema irrepsisse in contextum.Sed cum illa in omnibus exemplaribus apparerent,malui illa parenthesi claudere,quam omittere,cum incertum sit irrepsisse,quamuis omninò id factum iudicem.

CVM TERRAS VRERET)Darius terras suas velut alienas vrebat,vastabat,exinaniebat.Alexāder velut suas defendebat,seruabat,& incendia restinguebat.Fecit id Darius, vt Alexander inopia victus & pabuli,sequi non posset Darium.

MEI POTENS NON ERAM)quia Darius nullum fugiendi finem faciebat,quem egrè sequebar.

QVIBVSQVISQVE PRAEEST)*præsit*,mallet Acidalius,sed codicum omnium consensus mutare vetat,cum Acidaliana emendatio ad ligatam magis,quàm solutam inclinet orationem.

RARO ADMODVM)sententia est:Raro Alexander , cum discrimen etiam vltimum impenderet prælij,induere arma solebat , nisi ab amicis moneretur , quorum admonitu tunc quoque munimentum corporis sumto processit ad milites , Acidalius hunc locum ita legendum censet: *Tunc, quo raro admodum,admonitu amicorum,cum metus discriminis erat , vti solebat , munimento corporis sumto,processit ad milites*.Sensus idem cum nostro , sed magna verborum traiectio contra omnium codicum fidem , necessaria tamen , vt sensus constet , quem confirmat locus si-
milis suprà in oppugnatione : *Iamque ad regem prœliantium clamor peruenerat , cum denunciati* li.4.c.19.

pers-

periculi haud sanè memor, loricam tamen, quam rarò induebat, amicis orantibus, assumsit. Nec placet Acidalio vox *admodum*, propter sequentem *admonitu*, sed Curtius sæpè sine cultu cultus est, & has minutias negligit. Alioqui obscura existit oratio, quamuis etiam cum Acidalio ita leuiore traiectu vocum scribas: *Raro admodum, admonitu amicorum cum metus discriminis erat, vti solebat, quo tunc munimento corporis sumto processit ad milites.* Peior Acidalij lectio, quamuis traiecta, clarior & melior: vulgata tam intricata, vt vix ferenda sit.

MVNIMENTO CORPORIS SVMPTO) quod illud munimentum corporis? πανοπλία, Galea ferrea, quæ fulgore candidum argentum referebat, Theophili opus, amiculum Siculum cinctum, supra id thorax lineus duplex ex Issica præda. Collare ex ferro compactum, quod gemmis erat distinctum; gladius mira tinctura & leuitate regis Citieorum donum, quo accinctus erat, assuetus ferè gladio vti in prælio. Balteum gestabat opere superbiore, quam pro reliqua ratione armaturæ, opificium veteris Heliconis, Rhodiorum munus, quo illum honorauerat illa ciuitas, hoc in conflictibus vtebatur.

Iliad. i. Tradit Eustathius ad Quintum Iliad. ὅτι ἐξ ὅπλων Ἀλεξάνδρου σέλας ἔλαμψε, *ex armis Alexandri, admirandum quendam fulgorem eluxisse*, κατὰ, inquit, καὶ ἐπὶ τοῦ μεγάλου Ἀλεξάνδρου συνέπεσε κινδυνεύων γὰρ ἐκεῖνός που ἐν Ἰνδίᾳ ἐτινάξατο τοῖς ὅπλοις κατὰ τὴν ἱστορίαν. οἱ δὲ βάρβαροι σέλας τι καὶ φάσμα πρὸ τοῦ σώματος ἔδοξαν φέρεσθαι. *Quemadmodum*, inquit, *in Alexandro magno vsuuenit, qui apud Indos periclitatus arma concussit, vti refert historia, cum Barbari fulgorem & quasi spectrum quoddam corpus ipsius præcedere putarunt.* Omnia Alexandri indumenta fuere posteritati in admiratione & veneratione. Pompeius M. cum de Mithridate triumpharet, Alexandri M. chlamyde indutus gemmato curru vehebatur. Chlamydem in Mithridatis supellectile cepertam aiunt. Ita quicquid ab Alexandro haberi potuit, in summo semper precio & cultu fuit.

(Appianus de bello Alex. Mithrid.)

CAPVT XXXII.

ARGVMENTVM.

Alexander sola vultus hilaritate militem excitat ad spem victoriæ, copias in duo cornua dispertit, singulis duces præficit, alis equitum latera firmat, subsidia opportunè collocat, aciem versatilem facit, impedimenta in colle seponit, ipse dextro, Parmenio sinistro cornu præest.



Aud aliàs tam alacrem viderant regem: & vultu eius interrito, certam spem victoriæ augurabantur: atq; ille proruto vallo exire copias iubet, aciemq; disponit. In dextero cornu locati sunt equites, quos agema appellabãt. Praerat his Clytus, cui iunxit Philotæ turmas, cæterosq; præfectos equitũ lateri eius applicuit. Vltima Meleagri ala stabat, quam Phalanx sequibatur. Post Phalangem Argyraspides erant. His Nicanor Parmenionis filius praerat, in subsidijs cum manu sua Cenos, post eum Orestes, Lyncestesq;. Post illos Polypercon dux peregrini militis. huius agminis Amyntas princeps erat. Phaligrus Balacriseos regebat, in societatem nuper ascitos. Hæc dexteri cornus facies erat. In læuo Craterus Peloponensium equites habebat, Acheorumq; & Locrensium & Maleum turmis sibi adiunctis. hos Thessali equites claudebant, Philippo duce, peditum acies equitatu tegebatur: frons læui cornus hæc erat. Sed ne circuiri posset à multitudine, vltimum agmen valida manu cinxerat. Cornua quoque subsidijs firmauit, non recta fronte, sed à latere positis: vt si hostis circumuenire aciem tentasset, parata pugnæ forent. Hic Agriani erant, quibus Attalus praerat, adiunctis sagittarijs Cretensibus. Vltimos ordines auertit à fronte, vt totam aciem orbe muniret. Illyrij hi erant, adiuncto milite mercede conducto. Thracas quoque simul obiecerat leuiter armatos: adeoq; aciem versatilem posuit, vt qui vltimi stabant, ne circuirentur, verti tamen, & in frontem circumagi possent. Itaque non prima quàm latera, non latera

tera

teramunitiora fuere quàm terga. His ita ordinatis præcepit, vt si falcatos currus cum fremitu Barbari emitterent, ipsi laxatis ordinibus impetum incurrentium silentio exciperent, haud dubius sine noxa transcursuros, si nemo se opponeret. Sin autem sine fremitu immisissent, eos ipsi clamore terrerent, pauidosq́ equos telis vtrinque suffoderent. Qui cornibus præerant extendere ea iussit, ita vt nec circumuenirentur si arctius starent, nec tamen vltimam aciem exinanirent. Impedimenta cum captiuis, inter quos mater liberiq́ Darij custodiebantur, haud procul aciem in edito colle constituit, modico præsidio relicto. Leuum cornu, sicut aliàs, Parmenioni tuendum datum. Ipse in dextro stabat.

HAVD ALIAS TAM ALACREM) verè Senarius:

Vultus ducis, victori a augur optimus.

ET VVLTV EIVS INTERRITO) Ita omnes editiones & membranæ. Acidalius contendit legendum esse, *& ex vultu eius interrito*, clariùs quidem hic & liquidiùs. Sed possis ita accipere verba Curtij, vt intelligas; milites conspecto eius vultu interrito, victoriam auguratos esse.

PRORVTO VALLO) vt simul exire versus ordinem possent, res longa fuit, si per portarum angustias singuli cogerentur exire.

ACIEMQVE DISPONIT.) Suprà cap. 27. Darij exercitum per cornua, agmina, & acies ordinatum legisti, contra quem Alexander hic vicissim suum equitatum & phalanges componit, in qua re sæpè victoria sita est, vti Cæsar in Pharsalica dixit, à cohortibus subsidiarijs pendere illius prælij fortunam & victoriam.

IN DEXTRO CORNV LOCATI SVNT EQVITES.) Contra sinistrum Darij cornu, in quo Bactriani equites & Dahæ & Arachosij, Susianique consistebant.

QVOS AGEMA APPELLABANT.) Infrà *alam* ipse Curtius * interpretatur. Liuius duo agemata, legionē appellat. *Delecta deinde & viribus & robore ætatis ex omni cetratorū * numero duo erant agemata, hanc ipsi legionem vocabant.* Optimè Liuius ex omni cetratorum seu peltastarum numero delecta, air, viribus & robore componi agemata seu legionem. Suidas in voce ἄγημα. ἄγημα, inquit, τὸ προϊὸν τῦ βασιλέως τάγμα ἐλεφάντων, καὶ ἵππων, καὶ πεζῶν. *Agema est acies, quæ regem præcedit elephantorum, equitum, & peditum.* οἱ δὲ τὸ ἄριστον τῆ μακεδονικῆς συντάξεως κρατιστὸν ὁπλίσει, καὶ σωμάτων ῥώμῃ. Alij dicunt, *agema esse lectissimam Macedonici exercitus partem, cùm genere armorum, tum robore corporis.* Ita Suidas. Eustathius: ἄγημα τάγμα ἱππέων, καὶ πεζῶν ἐπιλέκτων παρὰ Μακεδόσι, διὰ τὸ ἀγητὸν ὃ ἐστι θαυμαστὸν εἶναι, οὕτω λεγόμενον. *Agema est acies equitum & peditum selectorum apud Macedonas, eò quod esset ἀγητόν, hoc est, admiranda.* Idem. ἄγημα λέξις τακτικὴ, παρὰ τὸ ἄγω, ἢ παρὰ τὸ ἀγῶ ἀγήσω, τὸ θαυμάζω. *Agema est vox militaris, ducta ab ἄγω duco, vel potiùs ab ἀγῶ ἀγήσω, hoc est, admiror.* Accuratè hoc obseruandum, *Agema* nunc peditum, nunc equitum agmen. hoc loco Curtius equites pro agemate exertè accipit. infrà verò disertè *alam peditum*, agema vocat. *Ipse cum armigeris & ala, quam agema appellabant, ardua semita*, & quæ sequuntur. vbi equiti inuia via, necessario pedestantùm intelligendus est. Nec est, quod hæreas in voce *ala*, tam ea vox pro pedite, quam equite vsurpatur apud Latinos scriptores, quod multis scriptorum locis testatur * Lipsius. Itaque non est quod mireris, etiam apud Arrianum nunc agema pro pedite, nunc pro equite sumi.

* lib. 5. c. 9. lib. 42. p. 805. fol. D. alias dec. 5. lib. a. * peltastarum. Agmen seu acies. α. Odyss. p. 1399. 52. Agema vel acies. lib. 5. c. 9. * lib. 2. de mil. Rom. p. 97. dial. 7.

CLITVS.) Hic est nobilissimus ille Clitus, in cœna demum, ipsius Alexandri manu obtruncatus, de quo copiosissimè infrà. Præerat optimæ totius equitatus parti, hoc est agemati, veluti fidissimus regi. Græcè Κλεῖτος.

PHILOTAE.) Parmenionis filij, qui miserandum in modum postea perijt, vti suo loco cognosces.

MELEAGRI ALA.) equitum hoc loco. Infelix Meleagri interitus postremo libro enarrabitur.

PHALANX.) De phalange largè dictum lib. 3. c. 18. Addo tamen hic de phalangitarum armis ex Xiphilino, vt intelligatur, quomodo armati in prælium processerint. ταῦτα δὲ ἦν κράνος ὠμοβόειον, θώραξ λινοῦς τρίμιτος, ἀσπὶς χαλκὴ, δόρυ μακρὸν, αἰχμὴ βραχεῖα, κρηπῖδες, ξίφος. Arma hæc erant: *galea ex crudo bouis corio, thorax ex lino triplex, scutum æreum, lancea longa, hasta breuis, ocrea, seu crepida & gladius.* Caracalla quoque ad imitationem Alexandri instituit sedecim millium, & Alexand. Seuerus triginta millium phalanga. In Caracalla p. 348.

AGYRASPIDES.) Pollux lib. 1. ἱππεῖς δὲ καὶ οἱ πεζέταιροι, καὶ οἱ ἀργυράσπιδες, καὶ οἱ χρυσάσπιδες τὰ μακεδονικά. *Dices & pedites, & qui argenteis, & qui aureis clypeis vtuntur, & agmina Macedonica.*

Iustinus. Post hæc Indiam petit (Alexand.) vt Oceano, vltimoque Oriente finiret imperium. cui gloriæ, vt etiam exercitus ornamenta conueniirent, phaleras equorum & arma militum argento inducit, exercitumque suum ab argenteis clypeis Argyraspidas appellauit. Fallitur tamen Iustinus, cum tum demum Macedones Argyraspidas appellatos affirmat, cum Alex. Indiam petijt. Hic, vt vides, in prælio contra Darium inito iam agmen argyraspidum erat. Sed Iustinus totum postea exercitum argyraspidas vocatum docet. Ad imitationem Alexandri, Alexander Seuerus fecit argyroaspidas & chrysoaspidas. Lampridium audiamus. *Elaborabat denique vt dignus illo nomine videretur,* lib. 12.

V *sum*

imò vt Macedonem illum vinceret, dicebatq́; inter Romanum Alexandrum & Macedonem multum interesse debere. Fecerat denique sibi argyroaspidas & chrysoaspidas: fecerat & phalangem triginta millium hominum, quos phalangarios vocari iusserat.

Cæterùm Diodorus Argyraspidas pedestrem aciem explicat. ὄπισθεν δὲ τούτων ἐπετάγη τὸ τῶν ἀργυρασπίδων πεζῶν τάγμα, διαφέρον τότε τῶν ὅπλων λαμπρότητι, καὶ τῇ τῶν ἀνδρῶν ἀρετῇ· καὶ τούτων ἡγεῖτο Νικάνωρ ὁ Παρμενίωνος.

NICANOR PARMENIONIS.) Tres nobilissimi fuerunt Parmenionis filij, qui omnes cum patre in expeditione hac Asiatica perierunt, Hector Nilo haustus, Nicanor ex itinere repentè extinctus, Philotas omnibus tormentis excruciatus, quòd in Alexandrum diceretur coniurasse, interijt. Pater ipse de eadem caussa suspectus, ferrò traiectus. De Hectore supra *a*. De Nicanore Philota & Parmenione infrà *b*.

a c.21. *b* l.6 c.12. 14 15 16.17. 18 19.20. *b* lib.7.c.2.

COENOS.) Extat huius oratio lib.9 c.6.& 7. mors. extat & in Philotam accusatio lib.6.c.18. Fuit Polemicratis F. quem laudat Arrianus lib.3. Duxit hic, vt Diodorus est auctor, aciem quam Elimiotin appellabant, siue Elimiotas.

POST EVM ORESTES, LYNCESTESQVE.) Nullus dubito prorsus, quin hic rescribendum sit, Orestæ Lyncestæque, seu potius Lyncistæ. Dux mihi scriptus codex in posteriore voce, nec dubium quin prior vox etiam ita sit castiganda, cum de duobus populis hic Alexandrum secutis agat. Quamuis Alexander Lyncestes inter duces fuerit postea interfectus, iam tum ab Alexandro in vinculis detentus. Siculus disertè suffragatur, qui Orestes & Lycistes populos ponit, eosque Perdiccæ subijcit. Orestæ porrò fuere Hecatæo in Europa, Theagene in Macedonicis, Strabone & Stephano testibus. *Oresta*, inquit Stephanus, *gens Molossorum, vt auctor est Hecatæus in Europa, Theagenes in Macedonicis narrat, Orestem, posteaquam ad mentem redijt, præ pudore cum sua Hermione in has terras delatum, Orestem ex coniuge suscepisse, quo regnante populum nomen Orestarum sortitum esse.* Strabo Orestas inter Epirotas recenset. *Amphilochi quoque inter Epirotas censentur, & qui supra eos siti Illyrios attingunt montes, asperam incolũt regionem Molossi, Athamanes, Aethices, Tymphæi, & Oresta.* Subijcit deinde originem Orestarum. Addit quoque Illyricis mixtos Lyncistas; Stephanus Lyncistas inter Epirotas numerat his verbis: Λύγκος, πόλις ἠπείρου Στράβων ἑβδόμῃ. ἐκλήθη ἀπὸ λυγκέος· τὸ ἐθνικὸν λυγκισταί. *Lyncus ciuitas Epiri, Strabo lib.7. nomen à Lynce conditore. Gens Lyncista.* His populis Perdiccam præfuisse in acie docet Diodorus.

Plin. l.4. c.10. de eisd. Fluuius etiam Lyncestius apud Ouid.15. Met.

lib.8 c.13. * Arrianus. * Diodorus quanquam nostrum exemplar Diodori etiam habeat πολυπέρχων non πολυσπέρχων.

POLYPERCON.) Inter proximos Alexandri duces & amicos, vt qui in conuiuio supra Alexandrum accumbere solitus, vti Curtius infrà docet, vbi in regis iram incidit, sed veniam impetrauit. Græci * Polyperchonta, & Polysperchonta appellant. Diodorus Polyperchonta Stymphæorum præfectũ facit. Ego nullos vnquam Stymphæos apud Geographos lego, sed Tymphæos apud Strabonem, Stephanum, Plinium reperio, inter Epirotas, Thesprotos, Aetolos, & Macedonas Τύμφη, inquit Stephanus, ὄρος Θεσπρωτικόν, καὶ τυμφαία πόλις, τὸ ἐθνικὸν τυμφαῖος. *Tymphe mons est apud Thesprotos, Tymphæa vrbs, gentile Tymphæus.* Plinius etiam inter Macedones recenset. Continebat enim Macedonia centum quinquaginta populos. Sunt tamen apud Arrianum lib.1. Stympææ rupes. Ita vt vtroq; modo gentem hanc & vrbem & montes dictos credam Tymphæos & Stymphæos. Arrianus Polyperchonta quidem inter duces collocat in acie, sed subiectos illi, non exprimit.

Strabo, l.7. Stephan. de vrb. Græciæ. Plin. l.4. cap.2.

PEREGRINI MILITIS.) Horum ducem Arrianus Menidam, non Polyperchonta facit: ξυμπάντων δὲ προτεταγμένοι ἦσαν οἱ μισθοφόροι ἱππεῖς ὧν Μενίδας ἦρχεν.

*lib.3.c 19. * lib.5 c.6

HVIVS AGMINIS AMYNTAS PRINCEPS ERAT.) Huius peregrini militis dux Amyntas erat. Sed quomodo Amyntas, cum iam Polyperchonta præfectum huic militi & peregrino agmini constituerit? Accedit, Amyntam abfuisse. nam suprà * Curtius illum ex Alexandri imperio cum decem triremibus in Macedoniam ad conquirendũ nouum militem ablegarat, qui sequenti lib. * cum nouo milite, victo iam Dario Babylonem ad Alexndrum redit. Dices, Polyperchonta vicarium Amyntæ ducem, & quasi legatum fuisse. Nam vices Amyntæ alium egisse, quamuis non Polyperchonta, sed Simmiam etiã Arrianus testatur. ἐπὶ δὲ ἡ Ἀμύντου τοῦ Φιλίππου, ταύτης δὲ ἡγεῖτο Σιμμίας, διὰ Ἀμύνταν ἐπὶ Μακεδονίας ἐς ξυλλογὴν στρατιᾶς ἐσταλμένος ἦν. *Secuta est acies Amyntæ, Philippi, cui tamen Simmias præerat, quod Amyntas in Macedoniam ad colligendum exercitũ missus esset.* Vocabatur ergo Amyntæ agmen quamuis absentis, sicuti, exempli gratia, hodie Fuggeriana legio appellatur, etiamsi Dux legionis Otho Henricus Fuggerus subinde vel ad Cæsarem, vel Augustã negotiorum caussa excurrat, quando suo loco legatum seu vicarium relinquit, quoad redeat. legio nihilominus, seu præsente, seu absente Duce, Fuggeriana dicitur. Ita Amyntæ acies vocabatur, etiam absente Amynta, siue Polyperchon, siue Simmias illius interim rector & ductor erat. Cæterùm Amyntæ plures cum apud Curtiũ, tum Arrianum in exercitu Alexandri fuisse leguntur. Arrianus lib.1. Amyntas cum Tymolao præfectus Alexandri Cadmeæ à Thebanis obtruncatur. Alter est Amyntas Andromenis, de quo hoc loco mentio, & suprà vt dixi, & infrà, & sæpè apud Arrianum. Tertius est Amyntas Arrabæi. Quartus Amyntas Antiochi, qui ex Macedonia profugus ad Darium odio Alexandri à quo nunquam læsus erat, se contulit. De quo Curtius suprà, l.3.c.22.& lib.4. c 3. Quintus Amyntas Philippi, cui Arrianus hic vicarium Simmiam sufficit, quod Amyntas in Macedoniam ad conscribendum militem

missus

missus esset. Curtius hunc Amyntam Andromenis filium facit. Quem ipsum Arrianus, parum sui credo memor, infrà etiam Andromenis filium appellat: Ἐνταῦθα, inquit, ὁ Ἀμύντας ὁ Ἀνδρομένους ξὺν τῇ δυνάμει ἀφίκετο ἣν ἐκ Μακεδονίας ἦγε. Nisi dicas Andromenem etiam Philippum audiisse, quod parum est verosimile. Atque hæc ex mente reor Curtij dicta sunt, quantum ingenio assequi potui, cum & Glareani, & Modij, & Acidalij, qui miris hic modis paratragœdiat, notas attenta mente * bis, ter, quater perlegissem, cognouissem, & recognouissem, nullum secutus. Acidalius enim magnopere tricatur, lectoremque magis inuoluit, quàm expedit. Experieris vbi legeris, ego ad Curtium redeo. *ἀνέγνων, ἔγνων, κατέγνων.

PHILAGVS BALACROS.) Iusta hæc scriptura etiam membranis firmata, Balacros seu Phalacros, sunt enim ijdem, nam quos Græci Phalacros appellant, Macedones Balacros dicunt eodem significatu, Caluos nempe, hoc quidem Græcè βαλακρὸς seu φαλακρὸς caluus, causam aperit Strabo: Μύκονος δὲ, inquit ille, ὑφ᾽ ᾗ μυθεύουσι κεῖσθαι τῶν γιγάντων τοὺς ὑστάτους ὑφ᾽ Ἡρακλέους καταλυθέντας, ἀφ᾽ ὧν ἡ παροιμία, πάντ᾽ ὑπὸ μίαν Μύκονον, ἐπὶ τῶν ὑπὸ μίαν γραφὴν ἀγόντων τὰ διηρτημένα τῇ φύσει. καὶ τοὺς φαλακροὺς δέ τινες καλοῦσιν ἀπὸ τοῦ τὸ πάθος τοῦτ᾽ ἐπιχωριάζειν τῇ νήσῳ. *Myconus est, sub qua fabulantur iacere vltimas centaurorum ab Hercule interfectos: vnde adagium est: omnia sub vnam Myconum: de ijs, qui sub vnam descriptionem cogant ea, quæ natura seiunxit. Caluos etiam Myconios quidam vocant, ideò quod istud vitium ea in insula est nimis quàm frequens.* Idem Eustathius de eisdem Phalacris seu Balacris dicit. Eadem habet Stephanus in voce Μύκονος. Arrianus Balacros sagittarios fuisse tradit, Καὶ οἱ βαλακροὶ ἀκοντισταὶ, inquit. Philagrus tamē apud Herodotū proditor Eritreensium, vt dubitem meliusne Philagrus an Philagus hic scribatur.

IN SOCIETATEM.) Belli, an regni? an vtriusque? hoc reor. *nuper*, inquit, quod olim * omnes Cyclades Persis essent subiectæ. *æuo superioris Darij.

DEXTRI CORNVS.) Mox infrà: *frons laui cornus* suffragante vtrinque MS. Constantiensi, & docent Grammatici cornu ἄκλιτον, & cornus cornûs quarto ordine, quomodo Plinius quoque non semel vsurpat: sicut & tonitru, & tonitrus dicitur. Herodotus quinto. Priscianus.

IN LAEVO CRATERVS.) Eodem modo in Issica pugna læuum tuebatur, vt & in Tyri oppugnatione. Fuit ex omnibus Alexandri prætoribus secundum Hephæstionem regi propter fidem & alias animi corporisque dotes longè carissimus, vt infrà multis locis ostendetur. Curt. lib. 3. cap. 18. lib. 4. c. 10.

PELOPONNENSIVM.) Peloponnesus arx Græciæ peninsula vndique mari cincta vsque ad Isthmum Corinthiacum quadraginta stadiorum, id est, vnum milliare Germanicū & quadrantem latum, quo velut cingulo Græciæ adhæret, hodie Morea dicta, olim etiam Pelopia, & Inachia, formam eius habes apud Mercatorem, Ortelium, I. Hondium, & alios; omnibus seculis celebratissima & nobilissima, quæ vnà cum Sparta defecit ab Alexandro, vt infrà lib. 7. c. 8. narrabitur. Describitur accuratè à Strabone, Ptol. Plinio, Solino, Eustathio, alijs.

ACHAEORVM.) Græcia tota continet Macedoniam, Epirum, & Achaiam, cui adhæret per Isthmum Peloponnesus. Achaia est Germanissima Græcia, HELLAS dicta, in qua & Attica, Thebæ, Phocis, Aetolia, & Locri, Opuntij, & aliæ regiones, quas Geographi accuratè describunt & delineant. Ita Locrenses pars sunt Achæorum, olim Leleges dicti, & Epicnemidij appellati Plinio auctore. multa de his Eustathius ad Dionysium, quæ huc parum faciunt.

MALEON.) In Laconica Maleæ ciuitas est, Eustathius ad Dionysium Malea & Maliæ, Strabo Malea & Maleæ, vnde Maleon in casu secundo multitudinis apud Plinium Maleum promontoriū. Strabo l. 8. lib. 4. c. 5.

THESSALI EQVITES.) Robur equitatus Macedonici, de quibus lib. 3. plura.

PHILIPPO DVCE.) Thracum duce, infrà lib. 8. c. 7. Sed hic Thessalos duxit.

CORNVA SVBSIDIIS.) Hoc suprà quoque de dextro cornu dixit.

NON RECTA FRONTE.) Cornua duo exercitus frontem respiciebant, subsidia latera spectabant, ita vt terga subsidiorum lateribus cornuum obuerrerentur, vt si hostis, Alexandri exercitum à latere inuaderet, frontes subsidiariorum hostem respicerent, & in pugnam parati essent. Proinde vltimum agmen firmissimo milite clauderet, qui cornibus terga vertebant, ne ab hoste circumueniri possent. In subsidijs Agriani equites erant, qui Alexandrum in acie ab hostibus circumuentum seruarunt, vt cap. 36. infra cognosces. Plura de Agrianis lib. 3. c. 18.

ATTALVS.) Arrianus hunc Amyntæ fratrem cum Polydamante & Simmia facit à Philota iussu Alexandri postea occisum, cuius cædem Clitus Alexandro in conuiuio obiecit. Sed Arrianus cum Amynta primùm post occisum Philotam in iudicium productum affirmat, ita fortasse de alio Attalo est hic & ibi sermo, aut certè diuersa historici tradunt.

CRETENSIBVS.) Creta & Cretenses notiores sunt, quàm vt interprete, aut iudice egeant. De origine tamen vocis Cretæ insulæ, vnde Cretenses, docebit te Ioannes Auennarius in lexico Hebraico, qui vocem natam ait ex Hebræo כרתה Creta siue Cureta nomen est insulæ, in qua fortissimi milites dicti Curetes. Hinc Græcè Κρήτη Creta regio & insula. Hinc & κρατύνω firmo, roboro, & latinum certo, metathesi literarum. tu plura ibidem cognosces.

VLTIMOS ORDINES AVERTIT A FRONTE.) Ita totam aciem composuit, vt ad omnes partes respiceret, Orientem, Occidentem, Meridiem, & Arctum.

ILLYRII HI ERANT.) Quos armis primum sibi subiecerat Alexander, priusquam in Asiam moueret. Illyricum continet Vopisco quicquid à Lanatico sinu vsque ad Peloponnesum, Istriam,


Macedoniam, Epirum, Pannoniam, Dalmatiam. adeas licet Notitiam Imperij & Pancirolam; præter antiquos Strabonem, Eustathium, Plinium lib. 2. c. 21. toto.

μισθοφόροι. MERCEDE CONDVCTO.) * Ex varijs gentibus, nec Thraces qui sequuntur sunt ignoti, cuius metropolis & regia hodie Constantinopolis, olim Bizantium ad Hellespontum & Bosphorum.

ACIEM VERSABILEM.) *Versatilem*, cuius cornua, latera, tergum à se auersa in omnem partem prospiciunt. De acie versatili seu versabili tractat copiosè Aelianus in Tacticis c. 38. vocatque φάλαγγα ἀμφίστομον, & Sixtus Arcerius ad eundem locum. Breuiter expoluit Frontinus de hac ipsa lib. 2. c. 3. Alexandri acie ordinata locutus, quid sit versabilis acies, quando ait: *Alexander ad Arbela, cum hostium multitudinem vereretur, virtuti autem suorum fideret, aciem in omnem partem spectantem ordinauit, vt circumuenti, vndique pugnare possent.* Arrianus de eadem.

Proinde pater eius Philippus Illyrios vicit, quod latera infirmiora in illis animaduertisset, quæ inuasit, turbauit, profligauit. Itaque Alexander ita aciem disposuit, vt in omnem partem verti posset, nec cornua essent munitiora, quàm latera, nec latera, quàm terga.

Acies Alexandri Magni Macedonis versatilis.



Sed Alexandri acies non fuit tantum ἀμφίστομος, cuius figura hæc est, apud Aelianum. p. 65.

FALCATOS CVRRVS.) De his sup. c. 22. largiùs dictum. Romani aliam rationem aduersus falcatos currus pugnandi habuerunt, vt docet Vegetius l. 3. c. 24. Frontinus l. 2. c. 3. Macedonas autem primos vsos esse non persuadet Aelianus.

LAXATIS ORDINIBVS) In duas partes diuisis, vt per mediam phalangem decurrerent, Ordines verterent, hastas in quadrigas instar echini, vt nusquam nisi per medium euadere possent, dirigerent. quod consilium optime cessit Alexandro, vt infrà c. 36. apparebit, plus enim ipsis Persis detrimenti attulere currus, quàm Alexandro.

QVI CORNIBVS PRAEERANT.) Dextro ipse Alexander, sinistro Parmenio, vt mox ipse subijcit Curtius. Hic de minoribus loquitur ducibus Clito, Philota, Meleagro, Nicanore, Cœno, Polypercone, * Philago, qui in dextro cornu ordines ducebat, in sinistro, Craterus, Philippus, Thessalis; Agrianis Attalus præerat. * Phaligus.

EXTENDERE IVSSI.) Ita in latum protensus exercitus longitudinem exhaurit, nisi multitudo relarciat. Hinc Darius in adhortatione ad militem suum de acie Alexandri: *Videtis ordines raros, cornua extenta, mediam aciem vacuam, exhaustam.* Sed Alexander ita extendi cornua iussit, vt mediam aciem non exinaniret, sed singuli militum latius spacium in sua quisque statione occuparent, ne den-

densiùs & artiùs comprimerentur & circumuenirentur. e. c. miles, qui prius tres pedes occuparat, sex occupare iussus, manente eodem ordine & numero, in latum & longum, ita fiebat, vt media acies non exhauriretur, sed par vbique esset spacium, quamuis latiùs starent.

IMPEDIMENTA.) Sarcinæ, calones, fœminæ, pueri captiui, carri & currus, iumenta dorsuaria, seruitia. De his Aelianus c. 50. Leo imperator, tacticis c. 4. Onasander c. 6. Vegetius l. 3. c. 6. sed hi potissimum agunt de loco impedimentorum in itinere ducendorum. Inter prælia in castris seruabantur, aut loco tutiore custodiebantur, vt hic in collem subducta.

HAVD PROCVL ACIEM.) Acidalius lapsum operarum censet apud Modium, *aciem* & *acie* rescribit, vulgò *ab acie* legitur. Pro scriptura Modiana exempla ex Liuio, & Plinio *a* & Curtio *a* lib. 17. ab recentioribus Grammaticis adferuntur: sed testimonia sunt intestabilia, nullus veterum ita locutus, nec Priscianus annotauit, nec vllus priscorum. Dicamus ergo *procul acie*, nō *aciem*. Apud Liuium *procul muros*, rescribendum *procul muro*, vt emendatiores codices docent, vt & apud Plinium *procul Neapoli*, non Neapolim. Grammatici recentiores etiam hunc Curtij locum addunt, & mendum mendo confirmant.

LAEVVM CORNV SICVT ALIAS PARMENIONI TVENDVM DATVM.) l. 7. c. 1. semper alterum in acie cornu defenderat.

IPSE IN DEXTRO.) aduersus cornu Darij læuum, in quo Darius pugnabat.

CAPVT XXXIII.

ARGVMENTVM.

Ante prælium Bion transfuga nunciat Alexandro tribulos ab hoste esse humi defossos contra equitatum. Alexander interequitat ordines, & singulos hortatur ad prælium.



Ondum ad tali iactum peruenerant, cum Bion quidam transfuga, quanto maximo cursu potuerat, ad regem peruenit, nuncians murices ferreos in terram defodisse Darium, quà hostem equites emissurum esse credebat; notatumq́ certo signo locum, vt fraus euitari à suis posset. Asseruari trāsfuga iusso, duces conuocat, expositoq́ quod nunciatum erat, monet vt regionē monstratam declinent, equitemq́ periculum edoceant. Cæterùm hoc tātus exercitus exaudire non poterat, vsum aurium intercipiēte fremitu duorum agminū. Sed in conspectu omnium duces & proximum quemque interequitans alloquebatur. Emensis tot terras, in spem victoriæ, de qua dimicandum foret, hoc vnū superesse discrimē. Granicum hic amnem, Ciliciaq́ montes, & Syriam Aegyptumq́ præter euntibus raptas, ingentia spei gloriæq́ incitamēta referebat: reprehensos ex fuga versos pugnaturos, quia fugere nō possent: tertium diem iam metu exangues, armis suis oneratos, in eodē vestigio hærere: nullum desperationis illorū maius indicium esse, quam quod vrbes, quod agros suos vrerent, quicquid non corrupissent hostium esse confessi. Nomina modò vana gentium ignotarūne extimescerent. neq; enim ad belli discrimen pertinere, qui ex his Scythæ, quive Cadusij appellētur. ob idipsum, quod ignoti essent, ignobiles esse. nunquā ignorari viros fortes, at imbelles ex latebris suis erutos, nihil præter nomina afferre. Macedones virtute assecutos ne quis toto orbe locus esset, qui tales viros ignoraret. Intuerētur Barbarorū inconditum agmen alium nihil præter iaculū habere, aliū fundā saxa librare, paucis iusta arma esse: itaq́ illinc plures stare. hinc plures dimicaturos. nec postulare se vt fortiter capesserent praliū, ni ipse cæteris fortitudinis fuisset exemplum: se ante prima signa dimicaturum: pro se spondere quot cicatrices, totidem corporis decora. scire ipsos, vnum pænè se prædæ cōmunis exortē, in illis colendis ornandisq́ vsurpare victoriæ præmia. hæc se fortibus viris dicere. si qui dissimiles eorum essent, illa fuisse dicturum, peruenisse eos, vnde fugere non possent: tot terrarū spacia emensis, tot amnibus montibusq́ post tergum obiectis, iter in patriam & penates manu esse faciendum. Sic duces, sic proximos militum instincti sunt.

NONDUM AD TELI IACTVM.) Vt se mutuò sagittis attingerent.

BION TRANSFVGA.) Ex nomine videtur Græcus, in Darij prius castris versatus, nec enim facilè Persæ transfugiebant.

lib. 3. c. 24. MVRICES FERREOS.) Tribulos appellat Vegetius: *Tribulis, inquit, & quatuor palis confixum propugnaculū, quomodo abieceru tribus radijs stat, & erecto quarto infestum est.* Hos Romani, contra quadrigas falcatas & camelos spargebant, Persæ contra Alexandri equitatum. Plura Stevvechius ex Herodiano, Curtio, Val. Maximo, Leone Imperatore. Arrianum vide. Ad hoc genus referuntur etiam cippi, lilia, stimuli, stili cæci, & hoc genus pestes equitum & peditum in terra latentes.

ASSERVARI TRANSFVGA IVSSO.) Vt si falleret, puniretur; si verū proderet, donis coleretur, & simul vt præsens ipse locum demonstraret. Mira passim transfugarum facinora leguntur: fidi aliqui, plures perfidi & proditores. Alij ab ipsis imperatoribus tanquam exploratores, missi; alij spontè ad hostes profugere soliti. E priore numero fuit Chusaius Arachites, quem submisit Dauid ad Absolonem, cuius consilio perijt Absolon & Absolonem secuti. Fuere & illi apud Liuium quadringenti, quos velut transfugas Hannibal ad Cannas pugnaturus, Romanis inseruit, qui prælii hora Romanos à tergo sunt adorti. Et vix bellum vllum describitur, vbi non fiat mentio transfugarum, eorum que vel præmia, vel supplicia referantur.

REGIONEM.) Locum. Eodem significatu dicuntur vrbium regiones & viæ in ipsa ciuitate, exempli caussa, omnis Roma in quatuordecim regiones diuisa erat, vti & Constantinopolis noua Roma. ponitur vox etiam pro climate cœli & mudi. Hic pro certo & designato loco, qui inter castra Darij & Alexandri situs erat.

FREMITV AGMINVM.) In quibus equi, viri, tubæ, tympana fremitū augent, vt poeta dixerit,

It clamor cælo——

Et Marius negauit se inter fremitum tubarum leges exaudire potuisse. Hic tamen non intelligendus clamor, quem toti simul exercitus: vel applaudendo ducibus, vel terrendo hostes, tollere solent.

EMENSIS TOT TERRAS.) Ante prælium ab rerum scriptoribus plerunque adhortationes Imperatorum traduntur, nunc obliqua oratione, vt hic Curtius Alexandri orationem exprimit, & sæpè Cæsar vsurpat, nunc directa, vt mox Darius. Existimauit Trogus Pompeius non conuenire historico orationem in recto casu positam, illam enim esse eorum, qui dialogos componunt, & prosopopæiam instituunt, ac personas, vt in comœdijs & tragœdijs introducunt, & faciūt loquentes. Sed vsus contrarius est apud nobilissimos scriptores: Liuium, Sallustium, Cæsarem, Curtium, Tacitum, & omnes posteriores.

Cæterùm synopsis & artificium huius obliquæ parænesеos, hoc est. Primò conciliat Alexander sibi beneuolentiam ducum & exercitus ab laude & victorijs antè partis ad Granicum, inquā, ad Issum, ad Tyrum, Gazam, occupata cursim etiam tota Syria & Aegypto. Mox hortatur militem ad vltimum cum Dario prælium, cuius timorem & desperationé redarguit, vires extenuat, numerum sine robore esse, malè tectum militem illius, maleque armatum, gentes inconditas, ignotas, rei militaris expertes: postremò præmia victoribus amplissima, opes immensas, totam Asiā & Persiden in præmium cessuras: Imitentur demum ipsum ducem, se in prima acie dimicaturū, quod ipsum cernerent facere, auderent & ipsi. Timidos etiam extimulat omni spe fugæ sublata, intra flumina & montes conclusos, viam in patriam fugientibus inuiam.

GRANICVM HIC AMNEM) desideratur in Curtio hæc pugna ad Granicum, cuius synopsin infirmum quidem tibicinem pro iusta columna subieci ante initium libri tertij.

CILICIAE QVE MONTES) Taurum, Amanum, & qui in ipsa Cilicia sunt, quæ parum plana est. pugnam ad Issam intelligit.

SYRIAM) in qua Tyrus, Gaza, Palæstina, Ierosolyma.

PRAETEREVNTIBVS) vltrò, sine prælio dedita.

INCITAMENTA GLORIAE) vt clades & strages debilitant animos militis, ita victoriæ augent & confirmant: sæpè etiam præsidentes & insolentes reddunt, nam: *Victoria expers nulla alibi superbia est.* & victoriam ipsa victoria corrumpit, quod non rarò factum legimus, vti contrà vulgo dicitur,

Victoria vti honestè, alia est victoria.

REPREHENSOS EX FVGA) victus etiam ad Issum Darius vltra Tigrim refugit, iamque hærente in tergo Alexandro, non potest vlterius progredi, adeoque quasi ex fuga reprehensus & retractus est. Elegans vsus huius vocis *reprehensus*, cum pro retractus ponitur: vulgo *reprehēdere* pro *obiurgare* vsurpatur.

AGROS VRERENT) Ne Alexander, fame enectus, posset sequi.

lib. 3. c. 4. NOMINA VANA GENTIVM) suprà: *ignota etiam ipsi gentium nomina ante neglecta*, hic, vndique excita, vt paullò antè: *Hos aliæ gentes ne socijs quidem satis nota sequebantur.*

Ex

EX HIS SCYTHAE) Non immeritò Acidalius ſuſpectam habet in vocem *Scytha*, quomodo enim Macedonibus ignoti Scythæ, gens Græcis auctoribus, iiſque antiquiſsimis celebratiſsima, Scylaci, Herodoto, aliis, qui ante Alexandrum vixerunt & ſcripſerunt. Nota fuere Scytharum cū Perſis prælia, illi Cyrum cum ducentis ante millibus per Scythiam graſſantem deleuêre, vt ne nuncius quidem cladis ſupereſſet, illi Darium inde ſubmouêre, & hæc omnia ante Alexandrum M. geſſere, quæ illorum famam longe lateq; propagarunt. mox ipſius Alexandri ducem Zopyrionem cum triginta millibus ad internecionē occiderunt, quamuis Alexander poſtea traiecto Tanai, vt exiſtimabat, illos vicerit, vt & pater eius ad Iſtrum viginti millibus puerorum puellarumq; cum totidem nobilis indolis equabus, vti tradit Iuſtinus. Non fuerunt ergo ignoti Macedonibus. Itaque pro Scythis alia vox, ſiue *Sacæ*, ſiue Dahæ, ſiue Bilthæ, aliaue gens ſufficienda eſt Scythis. Lib. 4. c. 27.

CADVSII) de quibus ſupra c. 27.

NIHIL PRAETER NOMINA) ſupra: nomina verius, quam auxilia. Vt rubri maris accolæ, Cataones, Belitæ, Suſiani, Arachoſij, Dahæ. c. 27.

NIHIL PRAETER IACVLVM HABERE) quibus armis inconditæ illæ gentes, quas Perſarū reges in caſtra redegerunt, vſæ ſint in bello, oſtendit Herodotus in Polymnia, vbi deſcribit in Dorilco copias à Xerxe luſtratas, ſingulisque ſua tela, iacula, haſtas, arcus aſsignat.

FVNDA) fundam deſcribit Steuvechius ad 1. Vegetij c. 16. vbi multa ex Hieronymo Mercuriali, & alijs de inuentoribus fundæ, vi & impetu ſaxorum inde emiſſorum, de Balearibus. Plura Lipſius de re militari, vbi & componit bombardas cum fundis, & antiquam militiam cum noſtrate. De funda ex fundamento optimè idem Poliorcet. c. 2. lib. 4. 188. quem videbis. Quos hic Alexander contemnit funditores, his infra ipſe vtitur.

IVSTA ARMA) loricas, galeas, thoraces, haſtas, gladios, ſagittas, ſariſſas. Li. 8. c. 12.

IPSE FORTITVDINIS EXEMPLVM) Ita Darius: *nec recuſo quo minus imitemini me, ſiue fortitudinis exemplum, ſiue ignauiæ ſua* Ita Senarius:

Exempla quiſque regis æmulus ſui eſt.

Et Iuuenalis:

---totus componitur orbis
Regis ad exemplum-----

Quanquam poeta non de bellicis ibi ſtudijs, ſed moribus loquatur.

QVOT CICATRICES) tot decora, quot vulnera. Fuit qui Auguſto oſtentaret frontis cicatrices bello acceptas, cui Auguſtus, *quando fugis, ne reſpicias*. Apud Petronium: *Hæc vulnera pro libertate publica accepi, hunc oculum pro vobis impendi, date mihi ducem, qui me ducat ad liberos meos, nā ſucciſi poplites membra non ſuſtinent*. Quintil. l. 6. c. 1. De milite cicatrices in fronte ſæpius Auguſto oſtentante Macrobius. Marij totum corpus conciſum vulneribus erat. Ipſe Alexander à vertice ad talos cicatricibus inſignis erat, Plutarchus de Fort, lib. 2. Vide Apophtheg. Auguſti.

TOT TERRARVM SPATIA) Troadem, Phrygiam, Lyciam, Cariam, Pamphyliam, Lydiam, Cappadociam, Ciliciam, Syriam, Aegyptum, Aſſyriam.

TOT AMNIVM) Tigrim, Euphraten, Nilum, Lydum, Cydnum, Granicum, & alios. maria etiam Helleſpontum, Pamphylium.

MONTIBVS) Tauro, Amano, Gordyæis.

INSTINCTI) à ſtingo, ſeu ſtinguo, *inſtingo* iam exoletis, nomen & participium inſtinctus, Inſtinctus, & inſtinctus, inſtincta, inſtinctum, inſtinctor etiam. Oratio Alexandri Apud Arrianū ad duces planè diuerſa eſt ab hac Curtij adhortatione, vt ſuam quiſque ſcriptor finxiſſe videri poſsit. Darius apud Arrianum nullā habet omnino. Siculus neutri parænesim tribuit. Plutarchus tamen ait Theſſalos longa oratione ab Alexandro ad prælium inflammatos, itemq; alios Græcos, ſed argumentum non prodit.

CAPVT XXXIV.

ARGVMENTVM.

Darius ſublimis curru prolixa oratione hortatur ſuos ad prǫlium, contemnit paucitatem hoſtis, omnia ſibi fauere, locum, ęquitatum, copias inſtructiſsimas, fugę quoque hoſti (non ſibi) præcluſos aditus. Rogat poſtremò Indigetes Deos, vt adeſſe præliantibus velint, & Perſarum regnum tueri.

DArius in læuo cornu erat, magno suorum agmine, delectu equitum peditũque stipatus: contempserat q; paucitatem hostis, vanam aciem esse extentis cornibus ratus. Ceterum sicut curru eminebat, dextra læuaq; ad circũstantium agmina oculos manusq; circumferens, Terrarum, inquit, quas Oceanus hinc alluit, illinc claudit Hellespontus paullo ante domini, iã non de gloria, sed de salute, & (quod saluti præponitis) libertate pugnandum est, hic dies imperium, quo nulla amplius vidit ætas, aut constituet, aut finiet, apud Granicũ minima virium parte cum hoste certauimus. In Cilicia victos Syria poterat excipere. Magna munimenta regni Tigris & Euphrates erant. Ventum est eo, vnde pulsis ne fuga quidẽ locus est. Omnia tam diutino bello exhausta post tergum sunt. Non incolas suos vrbes, nõ cultores habent terræ. Coniuges quoq; & liberi sequũtur hanc aciem; parata hostibus præda, nisi pro charissimis pignoribus corpora opponimus. Quod mearum fuit partium, exercitũ, quem penè immensa planities vix caperet, comparaui: equos, arma distribui: commeatus, ne tantæ multitudini deessent, prouidi: locum in quo acies explicari posset, elegi. Cetera in vestra potestate sunt. Audete modo vincere famamq; infirmissimum aduersus fortes viros telum, contemnite. Temeritas est, quam adhuc pro virtute timuistis: quæ vbi primum impetum effudit, velut quædam animalia amisso aculeo, torpet. Hi verò campi deprehendẽre paucitatẽ, quam Ciliciæ montes absconderant. Videtis ordines raros, cornua extenta, mediã aciem vanã, exhaustam. nam vltimi, quos locauit auersos, terga iam præbent. obteri me hercule, equorum vngulis possunt, etiamsi nil præter falcatos currus emisero. & bello vicerimus, si vincimus prælio. Nam ne illis quidẽ ad fugam locus est Hinc Euphrates illinc Tigris prohibet inclusos: & quæ antea pro illis erant, in contrarium versa sunt. Nostrũ mobile & expeditum agmen est, illud præda graue. Implicatos ergo spolijs nostris trucidabimus, eademque res & causa erit victoriæ & fructus. Quod si quem è vobis nomen gentis mouet, cogitet Macedonũ illinc arma esse, non corpora. Multũ enim sanguinem inuicem hausimus, & semper grauior in paucitate iactura est. Nã Alexander quantuscunq; ignauis & timidis videri potest, vnũ animal est, & si quid mihi creditis, temerarium & vecors, adhuc nostro pauore quàm sua virtute felicius. Nihil autem potest esse diuturnũ, cui nõ subest ratio. Licet felicitas aspirare videatur, tamen ad vltimũ temeritati non sufficit. Præterea breues & mutabiles vices rerũ sunt, & fortuna nunquam simpliciter indulget. Forsitan ita Deorum fata ordinauerunt, vt Persarum imperium, quod secundo cursu per CCxxx. annos ad summũ fastigium euexerant, magno motu concuterent magis, quam affligerent, admonerentq; nos fragilitatis humanæ. cuius nimia in prosperis rebus obliuio est. Modò Græcis vltro bellum inferebamus, nũc in sedibus nostris propulsamus illatũ, iactamur inuicem varietate fortunæ. Videlicet imperiũ, quia mutuò affectamus, vna gens non capit. Ceterum etiãsi spes non subesset, necessitas tamen simulare deberet. ad extrema peruentum est. Matrem meã, duas filias, Ochum in spem huius imperij genitum, illos principes, illam sobolem regiæ stirpis, duces vestros regũ instar, vinctos habet: nisi quid in vobis, ipse ego maiore mei parte captiuus sũ. Eripite viscera mea ex vinculis, restituite mihi pignora, pro quibus ipsi mori nõ recusatis. Parentem, liberos (nam coniugem illo carcere amisi) credite nunc omnes tendere ad vos manus, implorare patrios deos: opem vestram, misericordiam, fidem exposcere, vt compedibus, vt seruitute, vt precario victu ipsos liberetis. An creditis æquo animo ijs seruire, quorum reges esse fastidiunt? Video admoueri hostium aciem: sed quo propius discrimen accedo, hoc minus his quæ dixi possum esse contentus. Per ego vos deos patrios, æternumq; ignem qui præfertur altaribus, fulgoremq; solis intra fines regni mei orientis, per æternam memoriam Cyri, qui ademptum Medis Lydisq; imperium primus in Persidem intulit, vindicate ab vltimo dedecore nomen gentemq; Persarum. Ite alacres, & spiritu pleni, vt quam gloriam accepistis à maioribus vestris, posteris relinquatis. In dextris vestris iam libertatem, opem spem futuri temporis geritis. Effugit mortem quisquis contempserit, timidissimum quemque consequitur. Ipse non patrio more solum, sed etiam vt conspici possim, curru vehor: nec recuso quominus imitemini me, siue fortitudinis exemplum, siue ignauiæ fuere.

VANAM ACIEM) vetus verbum est, *Nullum hostem contemnendũ.* Darius numerũ suorũ, nõ vim hostiũ æstimauit, & perijt. Vanam, vacuam, raram, vt ipse interpretatur Curtius. *Vanas a enas,* dixit Virgilius, vacuas pabulo, granis, aristas.

CVRRV EMINEBAT) Caussam infrà ostendit Darius, quare currum in prælio ascenderit. *Ipse*, inquit, *non patrio more solùm, sed etiam vt conspici possim, curru vehor.* Eodem modo in Illiea

pugna

pugna curru sublimis vehebatur. Describitur currus lib.3.c.7.

TERRARVM, INQVIT) Primò necessitatem prælij demonstrat, cum dicit, non pro gloria, sed regno, libertate & salute & vita pugnandum. Deinde, eandem necessitatem ostendit ratione locorum & regionum, dum dicit nullum reliquum fore locum, quod regiones illæ, quà fugiendum esset, sint exhaustæ sumtibus belli & populis castra secutis. Docet præterea, quis status exercitus vtriusque: locum pugnæ opportuniorem abs se occupatum, copias maximas, hostis minimas: hortatur interim, vt prælium constanter ineant, famam Alexandri contemnant, componantque vtriusque exercitum, suum laudat, Alexandri extenuat, cui nec locus etiam effugij sit, deprehensam velut in cauea feram: ipsum Alexandrum temerarium iuuenem, fortuna magis, quam virtute exultantem. Epilogum totum ad effectum componit, matrem, filium, liberos captos, tendere ad exercitum manus, implorare Deûm hominumque fidem. Ipse demum, per deos patrios rogat omnes, vt regnum Persarum ab vltimo dedecore vendicent. Tota oratio dictis & sententijs abundat. Postremo seipsum exempli loco proponit imitandum, quem ex acie fugientem sui sinè strenuè sunt secuti. Laudat hanc Caussinus * & inter grauissimas orationes collocat militares, cuius œconomiam non multum ab hac diuersam instituit. Primo proponitur necessitas pugnæ, &c. *In Parallelis eloquentiæ lib.13.

OCEANVS HINC ALLVIT) Oceanus Indicus, ad quem demum penetrauit Alexander l.9.c.18. quemque hodie nauigant quotidie Lusitani & Hispani, Batavi, Britanni, multò longius progressi, quam Alexander, qui auream Chersonesum seu Malacam, Molucas & Iapones & Sinas nunquam vel vidit, vel auditione percepit.

Cæterùm, veteres cùm Poetæ, tum Geographi, vt ex Orpheo, Homero, Dionysio Alexandrino, Periegete, Eratosthene, Posidonio, Herodoto, Strabone, Eustathio, Plinio, Mela, Solino constat, terram totam velut insulam fuisse cinctam existimarunt, ita vt terra vel tanquam pila aquis exiret, vel funda vel coni duo in diuersa tendentes. Dionysium Periegetem cum suo scholiasta hic consule.

* Oceanus autem Indicus quia maximus, per antonomasiam appellatur, Oceanus, & nomen à claritate accepit. Inde varia nomina sortitus à prouincijs, mare Asiaticum & Phœnicium dicitur: ab Insulis Carpathium, Aegæum, Icarium, Balearicum, Cyprium: à gentibus, Ausonium, Dalmaticum, Liguflicum, Tuscum: ab oppidis Adriaticum, Argolicum, Corinthium, Tyrium: à casibus hominum, Myrtoum, vel Hellesponticum: Icarium: à memoria regis, Ionium: à Boui-transitu, vel angustijs etiam meatibus boum peruijs, Bosporus: à moribus accolarum Euxinus, Ἄξενος ante appellatus ab ordine fluenti, Propontis. Aegyptium Pelagus Asiæ datur, Gallicum Europæ: Africum Libyæ: his vt quæque proxima sunt, venerunt in partes partium. Hæc in gremijs terrarum. Oras autem extimas Oceanus amplectitur: qui à littoribus suis Arabicus, Persicus, Indicus, Eous, Sericus, Hircanus, Caspium, Scythicus, Germanicus, Gallicus, Atlanticus, Libycus Aegyptius dicitur. cuius accessus incrementa circa litora Indiæ vehementissimè proruunt, maximosque ibi exitus faciunt: siue quod impensius sustollatur vi caloris, seu quod in ea parte orbis fontium & fluminum copia sit effusior. *Apud Solin. p.59.

TERRARVM) Asiam totam minorem & maiorem, proprieque dictam, quæ est pars prima terrarum, continetque Medos, Persas, Armenios, Cappadoces, Cilices, Pamphylios, Cares, Lydos, Lycios, Phryges, à Strabone, Plinio, Solino & alijs enumeratas centum denique & viginti septem prouincias, vt est apud Esterem c.1.

HELLESPONTVS) de quo lib priore c.3.

IAM NON DE GLORIA) Fortior omnis pro salute quàm pro gloria. Xenophon Ἀναβάσεως III. ἢ τότε μὲν ἐκ περὶ τῆς τῦ Κύρυ &c.

QVO NVLLA AMPLIVS VIDIT AETAS) Illa quidem tempestate sacris etiam literis suffragantibus; mox ipsius Alexandri amplius fuit, deinde Romanorum, nunc Hispaniarum, quę totum pęne orbem hodie sua ditione complectuntur, præsertim si maritimum imperium spectes.

APVD GRANICVM MINIMA PARTE VIRIVM INQVIT, CERTAVIMVS) Atqui sexcenta millia Persarum ibi fuêre.

VICTOS SYRIA) Babylonem è Cilicia fugit Darius, ibique exercitum nouum ex toto Oriente collegit.

POST TERGVM) Darij, non Alexandri, nam à fronte iam omnia amiserat Darius.

DIVTINO BELLO) quadriennali. Nam Olymp. c XI. anno 3. ad Granicum pugnauit, sequenti ad Issum, tertio Tyrum, Gazam, Palæstinam, Aegyptum occupauit: quarto ad Gaugamela.

NON INCOLAS) ciues & agricolæ cum liberis & coniugibus castra mea sequuntur.

QVEM IMMENSA PLANICIES NON CAPERET) decies nempe centena millia planicies, quam, vbi colles extabant, complanari iusserat, vt omnis campus esset equitabilis.

FAMAM CONTEMNITE) Opinionem ex fama de Alexandro conceptam. fama quippe, non vi nixa vitreæ est potentiæ.

Dictum vulgò *Famâ bellum constare*, refutatum, sed parum verè.

Suffra-

Suffragatur dicto Iambus.

In prælijs momentum fama maximum.
Iacet omnis virtus, nisi latè fama patet.

INFIRMISSIMVM TELVM) *Forti viro telum fama infirmissimum est*, Fama hostilium copiarum, quam Iulius Cæsar etiam augere solebat. Et Curtius l.9.c.66. *Olim hercle fugi, emus ex Asia, si nos fabulæ debellare potuissent.*

TEMERITAS EST) quæ paucis bono, multis malo fuit. Nihil temere agendum τὸ μηδὲν εἰκῆ, πανταχοῦ ἐστὶ χρήσιμον. Proinde Annibal Alexandrum est admiratus apud Liuium, quod parua manu innumerabiles copias fudisset.

VELVT QVAEDAM ANIMALIA AMISSO ACVLEO) e.c. Apes amisso aculeo mori, vel certè torpere, & nihil amplius operis facere dicuntur. & Aristoteles testatur, apiculam si percutiat & infigat aculeum alteri, vel illi euellatur, mori, cui Menander aceinit:

Κέντρον γὰρ πληγῇ περὶ καλλιστι ἱμματίσασα,
Κέντρον δὲ ζωήν τε φέρει θανατόντε μελίσσης.
Mordentes siquidem linquere proboscida fixam,
Quæ vita & mortis caussa est, mirabile dictu.

Alij negant mori, sed torpere, & fucos fieri. Plinium consule lib.11.c.17.

PAVCITATEM) Inde gnoma: *Multitudini hostium impar, stultè certat prælio.* Sed Alexander cōscius sibi & suorum virtuti semper contempsit hostium multitudinē. non ignarus eius quod dicitur:

In prælijs virtus valet, non copia.
Amplius iuuat virtus, quam multitudo.

CILICIAE MONTES) montosam Ciliciam omnes Geographi norunt, & quædam Ciliciæ pars ab asperitate montium & rupium τραχεῖα dicitur.

ORDINES RAROS) non densos, paucos in ordinibus collocatos propter paucitatem exercitus.

EXTENTA) ne circumueniretur à multitudine Persarum.

VANAM) vacuam, inanem, quo sensu locutus est Curtius nōn semel.

NAM VLTIMI) vel ex hoc loco pateat, orationes pleraque ducum fictas à Curtio, quamuis subinde dicat summam orationis eius, ab Græcis non traditam, ac proinde non referat, vt aliarum argumenta ab illis accepisse credi possit. Sed reapse hic deprehensus inficiari vix possit ab ipsomet excogitatam hanc forasse omnem parænesin. nec immeritò Acidalius Idem suspicatur, cum subijcit: *Oratorium videatur hoc, & imprudenti Curtio excidisse, dum ingenio indulget in oratione fingenda. Sanè suspectum ea dubitatio facit, qui Darius scire potuerit de ordinibus auersis. Bonis enim oculis & vix humanis necesse est fuisse, qui totam aciem visu penetraretur, & ad vltimos ordines ita penetraret, vt discrimina etiam agminum & positus eorum peruideret. Nisi à transfugu accepisse credemus, quod solum excusando Curtio dici possit. Ac in eadem planè caussa superius etiam illud est:* Et profectò si qua diuinæ opis auguria humana mente concipi possent, deos stare secum: illos nuper Macedonum animis subitam incussisse formidinem: adhuc lymphatos ferri agique arma iacientes. *Dubites enim & ibi, vnde ideus tam citò de formidine hostium cognouerit. Sed esto apud transfugas & exploratores Curtio perfugium. Ita tamen omnia debebant temperari, vt nihil nisi verisimile dicatur, nihil admittatur: quod vel minimam excitare suspicionem queat dubia veritatis.*

TERGA IAM PRAEBENT) quasi ad fugam intenti. Sed longè alia mens militi Alexandrino, quod mox sensit Darius: Quare verò terga præbuerint vltimi, versabilis acies effecit Alexandri, de qua suprà: non sanè vt fugerent, sed vt circumuenientem exciperent.

VNGVLIS EQVORVM POSSVNT) sed non est factum, nisi in paucis.

BELLO VICERIMVS) Liu. l.9. de hoc ipso Alexandro: *Vno prælio victus Alexander, bello victus esset.* Prælium & bellum, hoc differunt, quod bellum contineat multa sæpè prælia, multos duret in annos, vti decennale ad Troiam, Hannibal cum Romanis annos totos sede. im in Italia bellum gessit, tandem à Scipione victus in Africa fassus est, se non solum prælio, sed bello etiam victum esse. Et primum bellum Punicum nauale annis durauit quatuor & viginti: & quadriennale hoc iam Persicum, & hodie Hollandicum & Hispanicum ad annos sexaginta. Prælium sæpè vno die aut hora etiam conficitur. In bello sunt impedimenta, lixæ, calones, seruitia, fœminæ, pueri, infantes, castra: In prælio stat tantum miles armatus, & pugnat. Bellum continet expeditiones, itinera, apparatum bellicum, inducias: In prælio nullæ induciæ. Sæpè tamen fieri potest, vt vno prælio bellum conficiatur, vbi hostis ad internecionem prima pugna deletur. Bellum cum Dario Persicum tribus prælijs perpetratum est, Granico, Issico, Gaugamelico,

NEC ILLIS AD FVGAM LOCVS EST) Fassus est hoc & Alexander in extrema sua oratione, sed hoc ipso segniores ad fortiter pugnandum excitauit: non enim vt fugeret, venit, sed vt vinceret.

PRAEDA GRAVE) Sed prædam Alexander & sarcinas & impedimenta ab acie remouerat, & in valle cum præsidio modico collocarat. Argumenta parum firma ad persuasionem.

VIC-

VICTORIAE ET FRVCTVS) victoriæ, quam ab implicatis ſpolijs facilè extorquebimus; fructus, quia ſpolia victis detrahemus. in aere oidos ponit Darius.

ARMA ESSE, NON CORPORA) Macedones omnes bellis prioribus attritos, præſentem Alexandri militem peregrinum eſſe, non Macedonicũ. Sed Alexander noua ſemper ſupplementa ex Macedonia accepit, *nam ſecundis etiam prælijs*, inquit Curtius, *copia atterebantur.* Quin multas Macedonum legiones ex India ſecum Babylonem poſt omnia prælia reduxit. Aliter ſenſit Darius, quam dixit; imo Curtius finxit.

ALEXANDER VNVM ANIMAL EST) Liuius de eod. Alex. *Quantalibet magnitudo hominis, cõcipiatur animo, vnius tamen ea magnitudo hominis erit.* Animal per contemtum appellat Darius: ſed hircus iſte Græcus, arietem Perſam in terram diceret *hircauit*, ſi fas; Curtius, *arietauit*, dixit. Lib 9.

TEMERARIVM) quod cum tantis copijs congredi non veritus ſit, nec vereatur cum multo nũc maioribus conſerere manus. Gnome rurſum Curtiana, ab alijs in ſenarium redacta:

Nil eſt diuturnum, ratio cui ſua non ſubeſt.

Et: *Felix temeritas haud facile inuenit modum.*

Cap 24. lib. 8. Curtius de Hegeſimacho & Nicanore: *Cæterum in Macedonum exercitu temeritate atq; audacia inſignes fuere Hegeſimachus & Nicanor, nobiles iuuenes, & perpetua partium felicitate ad ſpernendum omne periculum accenſi. Quis ducibus promptiſſimi iuuenum lanceis armati modo tranauêre in Inſulam quam frequens hoſtis tenebat, multoſq; Indorum nulla re melius quam audacia armati interemerunt. Abire cum gloria poterant, ſi vnquam temeritas felix inuenerit modum. Sed dum ſuperuenientes cõtẽtim & ſuperbè quoſq; expectãt, circũuenti ab his qui occulti euaserãt, eminus obruti telis ſunt.* Sed enim:

Felicitatis nulla ratio redditur.

Niſi quod: *Felicitas vbi eſt, ibi & ſapientia eſt.*

FORTVNA NVNQVAM SIMPLICITER INDVLGET) perpetuò loquitur ſententias Darius, qui regionibus & locis propè ſuis omnibus amiſſis vertitur ad communes locos. *Captatum venit fortuna*, vt Publius Syrus teſtatur, & amans varietatum, prope eſt ſemper inimica iuſtitiæ, vt apud Vopiſcum quæritur Carus, vel Vopiſcus in Caro.

ANNOS CCXXX) Addunt nonnulli vnum ad XXX. ſed hiſtorici plenum plerunque numerum ſequuntur. Ducenti porrò anni & XXX. hoc modo colliguntur.

Primus Rex Perſarum	Cyrus annos		30
II.	Cambyſes		8
III.	Magi	menſes 7	
IV.	Darius Hyſtaſpis F.		36
V.	Xerxes		20
VI.	Artabanus	menſes 7	
VII.	Artaxerxes μακρόχειρ		40
VIII.	Xerxes	menſes 2	
IX.	Sogdianus	menſes 7	
X.	Darius Νόθος		19
XI.	Artaxerxes Μνήμων		40
XII.	Artaxerxes Ὦχος		26
XIII.	Arſes		4
XIV.	Darius		6

Qui menſibus tribus & viginti adiunctis efficiunt annos 230. menſes vndecim, quos neglexit Darius, quod annum non ſolidum efficiant.

SECVNDO CVRSV) Haud ſcio quàm ſecundo, Cyrus cum omnibus copijs ſimul ab Scythis & Scytharum regina Tomyri deletus. Herodotus Iuſtinus alij.

Cambyſes obruto & ſepulto arenis exercitu poſtmodum ipſe ſibi manus intulit.

Magi ab coniuratis Perſis interfecti.

Darius bella cum Scythis & Græcis infeliciter geſſit.

Xerxes ab Græcis victus ab Artabano præfecto occiſus eſt.

Nec alij multum his feliciores. Sed omnium infeliciſſimus fuit Darius hic vltimus, qui vitã cum toto regno amiſit. Itaq; parum ſecundo curſu ad ſummũ faſtigium reges Perſarum ad imperium euecti ſunt.

MODO GRAECIS BELLVM VLTRO INFEREBAMVS) Darius Hyſtaſpis primus Græcos bello petijt, & Macedoniam domuit. Deinde Xerxes totam Græciam milite barbaro inundauit, & quinquagies centena millia, vel (vt alij) ſeptuagies centena per Helleſpontum in Græciam deportauit. Curtius ipſe ſupra: *Cum adierat Græcos, admonebat, ab ijs gentibus illata Græciæ bella: Darij prius, deinde Xerxis inſolentia, aquam ipſam, terramque populantium, vt neque fontium hauſtum, nec ſolitos cibos relinquerent. dedita deis templa ruinis & ignibus eſſe deleta: vrbes eorum expugnatas, fœdera diuini humanique iuris violata referebat.* Senianus apud Senecam declamatorem: *Terras armis obſidet* (de Xerxe loquitur) *cælum ſagittis, maria vinculis:* Herodot. Iuſtin. Li. 3. c. 19. Suas. 2 p. 16.

Laco-

Cap. 1. *Lacones nisi succurritis, mundus captus est* Rursum Curtius c. 1. lib. hoc quarto: *Ille cuius nomen sumpsisti Darius, Græcos, qui oram Hellesponti tenent, coloniasque Græcorum Ionias omni clade vastauit. cum magno deinde exercitu mare traiecit, illato Macedoniæ & Græciæ bello.* &c. Sed de his iam suprà dictum.

IMPERIVM, QVIA MVTVO AFFECTAMVS, VNA GENS NON CAPIT) Quod de Alexandro Philippus pater, *Aliud regnum quære, Macedonia te non capit*. hoc vicissim Darius de se & Alexandro, & generatim de omnibus pronunciat Imperium nostrum & animum imperandi nostrum vna gens nobis subiecta non capit, quia alter alterius regnum affectat: tanta est libido regnandi. quod potissimum de Alexandro etiam poeta dixit:

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis.

Regno potentes plura quam fas est, petunt, inquit Iambus: Senecam ad Hippolitum consule v. 213.

SI SPES NON SVBESSET) qua excitandi sumus. Spes animos ad facinora illustria excitat.

NECESSITAS TAMEN) Necessitudo vel timidos fortes facit, vt Catilina apud Sallustium loquitur, Δεινῆς ἀνάγκης οὐδὲν ἰσχυρότερον *Vrgente necessitate nihil potentius*. Ita Valerius testatur, *Humanæ imbecillitatis efficacissimum duramentum est, necessitas.* Lib. 2. c. 7.

MATREM) Sisygambem.

DVAS FILIAS) Saptinam & Statiram, quam postea duxit Alexander.

OCHVM) filium.

DVCES VESTROS) quos iam tum pro regibus & reginis habebatis.

CAPTIVVS SVM) in matre & liberis.

EX VINCVLIS) Has nunquam vinxerat Alexander, sed in libera custodia liberaliter semper habuit.

PRO QVIBVS MORI NON RECVSATIS) si mori non recusant, quid opus adhortatione? Equidem legendum censeam: *mori non recuso*. vt Iunianum habet exemplar & Coloniense.

CONIVGEM) Statiram, quam nullo carcere conclusit Alexander: Sed quia captiua, quasi carcere detentam καταχρηστικῶς dixit.

PATRIOS DEOS) qui sint Dij patrij ipse exponit, cum solem & æternum ignem appellat.

REGES FASTIDIVNT) Darij mater, filius, & filiæ ita oderunt Græcos, vt nec imperare quidē ipsis velint. oratoriè hoc, non historicè. Minus contentus ijs quæ dixit, admouet vltimos arietes & machinas ad animos militum, vt prælium constanter ineant, excitandos & inflammandos, preces inquā, perque deos patrios rogat, & Cyrum conditorem regni Persarum. Dij patrij Persarum fuere Iupiter, sol sub Mithræ nomine, Oromazus, seu Oromasdus Arimanes, Luna, Venus, Ignis, Aqua, Flumina, Tellus, Venti.

EFFVGIT MORTEM QVISQVIS CONTEMPSERIT) *Mortem effugit miles qui mortem non timet.*

Audaces fortuna iuuat timidosq; repellit.

Maximum in pugna periculum maxime timentibus.

Aude eia, audere principium victoria est.
Aude tantum, Deus forsque audacem iuuant.
Audendo virtus crescit, tardando timor.
Timidi nullius pensi sunt.
Ἄρης γὰρ οὐδὲν τῶν κακῶν λογίζεται.

IMITEMINI ME) vt supra Alexander c. 33. Exercitus sequitur sui morem ducis.

CAPVT XXXV.

ARGVMENTVM.

Alexander in Darium, hic in Alexandrum ducit agmen, in quem simul & falcatos currus non sine strage immittit. Mazæus Persa Alexandri impedimenta inuadit, quæ negligenda Alexander in præsens edicit. Prudentia Sysigambis laudatur.

Inte-

*Nterim Alexander vt & demonstratum à transfuga insidiarum locum circuiret, & Dario, qui læuum cornu tuebatur, occurreret, obliquum agmen incedere iubet. Darius quoque eodem suum obuertit Besso admonito, vt* * *Massagetes equites in læuum Alexandri cornu à latere inuehi iuberet. Ipse ante se falcatos currus habebat, quos signo dato vniuersos in hostem effudit. Ruebant laxatis habenis aurigæ, quo plures nondum satis prouiso impetu obtererent. Alios ergo hastæ multum vltra temonem eminentes, alios ab vtroque latere dimissæ falces lacerauere. Nec sensim Macedones cedebant, sed effusa fuga turbauerant ordines. Mazæus quoque perculsis metum incussit mille equitibus ad diripienda hostis impedimenta circumuehi iussis, ratus captiuos quoque, qui semel asseruabantur, rupturos vincula, cum suos appropinquantes vidissent. Non fefellerat Parmenionem, qui in læuo cornu erat. Properè igitur Polydamanta mittit ad regem, qui & periculum ostenderet, & quid fieri iuberet consuleret. Ille audito Polydamante, Abi nuncia, inquit, Parmenioni, si acie vicerimus, non nostra solum nos recuperaturos, sed etiam quæ hostium sunt, occupaturos. Proinde non est quod virium quicquam subducat ex acie: sed vt me, vt Philippo patre dignum, contemto sarcinarum damno fortiter dimicet. Interim barbari impedimenta turbauerant, cæsisque plerisque custodum, captiui vinculis ruptis, quicquid obuium erat quo armari possent, corripiunt, & aggregati suorum equitibus, Macedones ancipiti circumuentos malo inuadunt, lætique circa Sysigambim, vicisse Darium, ingenti cæde prostratos hostes, ad vltimum etiam impedimentis exutos nūtiant: quippe eandem fortunā vbique esse credebant, & victores Persas ad prædam discurrisse. Sysigambis hortantibus captiuis vt animum à mœrore alleuaret, in eodem quo antea fuit perseuerauit. Non vox vlla excidit ei, non oris color vultusve mutatus est, sed sedit immobilis, credo præcoqui gaudio verita irritare fortunam, adeo vt, quid mallet, intuentibus eam fuerit incertum.*

*Massagetæ.

OBLIQVVM AGMEN) λοξὴ δὲ, Inquit Aelianus, ἡ τὸ μὲν κέρας ὁπότερον ἂν προαιρῆται, πλησίον τῶν πολεμίων ἔχουσα, καὶ ἐν αὐτῷ τὸν ἀγῶνα ποιουμένη, τὸ δὲ ἕτερον ἐν ἀποστάσει δι' ὑπομονῆς ἔχουσα. *Obliqua phalanx dicitur, quæ è cornibus alterutrum, quodcunque visum fuerit hostibus, proximè obijcit, in eoque certamen facit, alterum vero quasi subsidium aliquo interuallo detinet, euentum expectans.* Vegetius. *Secunda depugnatio est obliqua, quæ plurimis melior. In quasi paucos strenuos loco idoneo ordinaueris, etiamsi multitudine hostium & virtute turberis, tamen poteris reportare victoriam. Huius talis est modus: Cum instructæ acies ad congressum veniunt, tunc tu sinistram alam tuam à dextra aduersarii longius separabis, ne vel missilia ad eam, vel sagittæ perueniant. Dextram autem alam tuam sinistræ alæ illius iunge, & ibi primum inchoa prælium: ita vt cum equitibus optimis, & probatissimis peditibus sinistram partem illius, ad quam te iunxeris, aggrediaris atque circumeas, & detrudendo atque supercurrendo, ad hostium terga peruenias. Quod si semel aduersarios exinde pellere cœperis, accedentibus tuis indubitatam victoriam consequeris, & pars exercitus tui, quam ab hoste submoueris, secura durabit. Ad similitudinem autem A literæ, vel libellæ fabrilis, acies in hoc dimicandi genere constituitur.*

Aelia. c. 29

Lib. 3. c. 20. v. 7. à fine.

IN LAEVVM ALEXANDRI) Alexandri dextrum erat læuum Dario, Darij dextrum erat læuum Alexandro.



FALCATOS CVRRVS EFFVDIT) Arrianus quadrigas falcatas innoxias per equites & phalāgem Macedonum transiisse docet. Plutarchus omnem curruum falcatorum mentionem intermisit. Siculus omnino cum Curtio sentit non paruam stragem per currus editam. Et Curtius mox infrà: *Pauca tamen euaserunt*, & quæ hoc ipso capite sequuntur. Cæterum formam & figuram falcatarum quadrigarum suprà ostendimus.

Diod. Siculus p. 533. 534.

TVRBAVERANT ORDINES) primus terror curruum nonnullos terruit & turbauit, sed phalanx interrita excepit.

POLYDAMANTA MITTIT) qui ipsum postea Parmenionem opera Cleandri interfecit.

ABI NVNCIA) valdè laudat hoc consilium Alexandri Curtius infra: *Magno*, inquit, *consilio iacturam sarcinarum impedimentorumque contemsit*. Apud Plutarchum vehementer

exa-

Plut. in vita p. 21. f. exagitatur Parmenio, quod impedimentorum caussa turbaretur in conflictu: *Mazæusq́, turmas aliquot equitum aciem circumuectas inuadere iussisset impedimenta. Ita vtraque re consternatus Parmenio, misit ad Alexandrum nuncios, qui significarent ei transactum esse de castris & impedimentis, ni properè firmum subsidium ex prima acie nouissimis submisisset. Eodem articulo dederat signum pugnæ: verùm vt Parmenionis mandata audiuit, negauit eum sanum esse, neque constare mente, sed præ consternatione oblitum, acquirere victores etiam hostium opes, victis verò laborandum esse non de sarcinis, neque de mancipijs, verùm vt pugnantes cadant, quàm honestissimè & fortiss:mè.*

IMPEDIMENTA TVRBAVERANT.) Hæc referunt & Siculus, & Arrianus, & Plutarchus. de Sisygambe Arrianus & Plutarchus tacent. Siculus illam multùm commendat.

SISYGAMBIS.) Admiranda prudentia grauissimæ matronæ, cuius laus infrà redit, præsertim in morte Alexandri. non credidit, vt vulgus, primis rumoribus quantumuis lætis, non ignara, aleam belli & prælij incertam, ante perpetratum bellum mobili fortunæ non fidendum. Itaque mansit eodem habitu, vultu, ore, ne præcoci & præcipiti gaudio fortunam concitaret. Ausonius. Quamuis philosophorum & poetarum gnomas ignoraret, *fortunam reuerenter habendam*, ostendit facto ipso, quid in tali temporis articulo fieri decéret. Nam si ad nuncium lætiorem exilijsset, Alexandrum diris deuouisset, Darium laudasset, omnia ad victorem fuissent delata, & pristinam victoris gratiam, beneuolentiam, clementiamq́ue corrupisset. Accinit Curtio Siculus, vel potiùs huic ille: *Tum captiua quidem aliæ ad barbaros se recipiunt. At Darij mater Sisygambis à cæteris (ad discessum) inuitata non assentitur, sed beneuola quadam affectione, quietè se loco continet: dum nec dubijs fortunæ casibus fidem habet, nec grata erga Alexandrum mentis officium deferendum arbitratur.* Siculus p. 5:3, ante med.

COLOR VVLTVSQVE MVTATVS EST.) Frons, oculi, color vultus, sunt indices animi certissimi. Et in oculis est sedes animi, omneq́ue affectus prodit. Est tamen cùm mentiuntur, Cic. *Frons, oculi, vultus, persæpè mentiuntur*, præsertim apud Iaponas.

CAPVT XXXVI.

ARGVMENTVM.

Ad impedimenta Alexandri, ingens certamen est, Menidas à Scythis fugatur, cui Aretes succurrit. Falcati currus cum aurigis præter paucos superati, vltimam tamen aciem Alexandri lacerant. Aretes à Bactrianis in fugam vertitur, qui triumphum ante victoriam canunt. Alexander dextrum cornu Darij inuadit, propè circumuentus, defenditur ab Agrianis, pugnatur vtrinque summa ope, summis viribus. Alexandro felix omen aquilæ obijcitur. Auriga Darij occiditur, læuo eius cornu in fuga verso, & ipse deliberat de fuga, aut nece sibi inferenda: quam imminente Alexandro, fugæ

fugæ postponit, quem persequitur Macedo, nec assequitur.



Nter hæc Menidas præfectus equitum Alexandri, cum paucis turmis opem impedimentis laturus aduenerat, & incertum suóne consilio an regis imperio. Sed non sustinuit Caucasiorum Scytharumq́ impetum: quippe vix tentato certamine refugit ad regem, amissorum impedimentorum testis magis quàm vindex. Iam consilium Alexandri vicerat dolor: & ne cura recuperandi sua, militem à prælio auerteret, non immeritò verebatur. Itaque Aretem ducem hastatorum, Sarissophoros vocabant, aduersus Scythas mittit. Inter hæc currus, qui circa prima signa turbauerant aciem, in phalangem inuecti erant. Macedones confirmatis animis in medium agmen accipiunt. Vallo similis acies erat. iunxerant hastas, & ab vtroque latere temere incurrentium ilia suffodiebant. circuire deinde currus, & propugnatores præcipitare cœperunt. Ingens ruina equorum aurigarumque aciem compleuerat. Hi territos regere non poterant. equi crebra iactatione ceruicum non iugum modò excusserant, sed etiam currus euerterant. vulnerati interfectos trahebant. nec consistere territi, nec progredi debiles poterant. Paucæ tamen euasere quadrigæ in vltimam aciem, ijs quibus inciderunt miserabili morte consumptis. quippe amputata virorum membra humi iacebant, & quia calidis adhuc vulneribus aberat dolor, trunci quoque & debiles arma tamen non omittebant, donec multo sanguine effuso exanimati procumberent. Interim Aretes, Scytharum qui impedimenta diripiebant, duce occiso, grauius territis instabat. Superuenere deinde à Dario Bactriani, pugnaq́ vertere fortunam. Multi ergo Macedonum primo impetu obtriti sunt, plures ad Alexandrum refugerunt. Tum Persæ clamore sublato, qualem victores solent edere, ferociter in hostem quasi profligatum incurrunt. Alexander territos castigare, adhortari, prælium quod iam elanguerat, solus accendere: confirmatisque tandem animis ire in hostem iubet. Rarior acies erat in dextero cornu Persarum. namque inde Bactriani decesserant ad opprimenda impedimenta. Itaque Alexander laxatos ordines inuadit, & multa cæde hostium inuehitur. At qui in læuo cornu erant Persæ, spe posse eum includi, agmen suum à tergo dimicantis opponunt. Ingensquè periculum in medio hærens adisset, ni equites Agriani calcaribus subditis circumfusos regi barbaros adorti essent, auersosq́ cædendo in se obuerti coegissent. Turbata erat vtraque acies. Alexander & à fronte, & à tergo hostem habebat; qui auerso ei instabant, ab Agrianis equitibus premebantur. Bactriani impedimentis hostium direptis reuersi, ordines suos recuperare non poterant. plura simul abrupta à cæteris agmina. vbicumque alium alijs fors miscuerat, dimicabat. duo reges iunctis propè agminibus prælium accendebant. Plures Persæ cadebant, par fermè vtrinque numerus vulnerabatur. Curru Darius, Alexander equo vehebatur. Vtrunque delecti tuebantur, sui immemores: quippe amisso rege nec volebant salui esse, nec poterant: ante oculos sui quisque regis mortem occumbere ducebant egregium. Maximum tamen periculum adibant, qui maximè tuebantur: quippe sibi quisque cæsi regis expetebat decus. Cæterum siue ludibrium oculorum, siue vera species fuit, qui circa Alexandrum vidisse se crediderunt paullum super caput regis placidè volantem aquilam, non sonitu armorum, non gemitu morientium territam: diuq́ circa equum Alexandri pendenti magis quàm volanti similis apparuit. Certè vates Aristander alba veste indutus, & dextera præferens lauream, militibus in pugnam intentis auem monstrabat, haud dubium victoriæ auspicium. Ingens ergo alacritas ac fiducia paulò antè territos accendit ad pugnam, vtique postquam auriga Darij, qui ante ipsum sedens equos regebat, hasta transfixus est. Nec aut Persæ, aut Macedones dubitauere, quin ipse rex esset occisus. Lugubri ergo vlulatu & incondito clamore gemituq́ totam ferè aciem adhuc æquo Marte pugnantium turbauere, cogniti Darij & armigeri læuam tuentes in fugam effusi destituerant currum, quem à dextera parte stipati in medium agmen receperunt. Dicitur acinace stricto Darius dubitasse, an fuga dedecus honesta morte vitaret. Sed eminens curru nondum omnem suorum aciem prælio excedentem destituere erubescebat: dum inter spem & desperationē hæsitat, sensim Persæ cedebant, & laxauerunt ordines. Alexander mutato equo, quippe plu-

pe plures fatigauerat, resistentium ora fodiebat, fugientium terga: iamque non pugna, sed cædes erat, cum Darius quoque currum suum in fugam vertit, hærebat in tergis fugientium victor, sed prospectum oculorum nubes pulueris, quæ ad cælum ferebatur, abstulerat. Ergo haud secus quàm in tenebris errabant, ad sonum notæ vocis, vt signum, subinde coeuntes. Exaudiebant tamen strepitus habenarum, quibus equi currum vehentes identidem verberabantur: hæc sola fugientis vestigia excepta sunt.

INTER HAEC MENIDAS.) De hoc suprà cap. 27. & infrà lib. 7. cap. 24. Arrianus peregrini & mercenarij militis ductorem suprà fecit. libri omnes habent Amyntam pro Menida, qui vicarius Amyntæ fuit.

SVO, AN REGIS CONSILIO.) Videtur regis: nam Parmenio Polydamanta miserat ad regem, vt periculum de impedimentis doceret. Sed duces tamen minores in ardore prælij non semper expectabant regum imperia, sed quod vsus & necessitas monebat, quodque fieri velle imperatorem credebant, exequebantur.

CAVCASIORVM.) Horum tamen suprà cap. 27. vbi omnes Darium secutæ gentes memorantur, mentio nulla est. Occurrit *Cadusiorum* rescribendum; quod apud Siculum disertè duo millia Cadusiorum, & totidem Scytharum ad diripienda impedimenta à Mazæo sint immissa. Iuniana Curtij editio exertè Cadusiorum præfert; in ora verò Caucasiorum.

CONSILIVM VICERAT DOLOR.) Quod consilium? quod ante Parmenioni dederat, vt impedimenta negligeret, ex acie nullum subduceret, qui impedimentis succurreret. Sed postquam Menidas alter nuncius & quidem victus accessit, veritusne miles, qui in acie stabat, si resciret impedimentorum direptionem, ex acie ad recipienda impedimenta concurreret, de quo periculo doluit Alexander, quod cogeretur impedimentis succurrere.

ARETEM) Præfectum equitum Sarrissophorum.

INTER HAEC.) vides has voces Curtio millies iteratas, vt Sigonio omnibus paginis *Instituit, & instruit*, nec semper Latino significatu.

CVRRVS.) Falcati, de quibus supra.

lib. 15. de munit. VALLO SIMILIS ACIES.) Vallum, inquit Isidorus, est, quod mole terræ erigitur, vt custodia prætendatur. dictum autem vallum à *vallis*. Nam valli fustes sunt, quibus vallum munitur. consule Lips. de mil. Romana. Stevvech. ad 4. Vegetij cap. 28. Phalanx ergo Macedonica in duas diuisa partes falcatis quadrigis spacium medium transcurrendi, dedit, & vtrinque sarissas longas in modum valli composuit, vt si currus in latus conarentur declinare, in aciem valli & præfixas hastis cuspides & spicula, quæ velut tergum echini efficiebant & horrebant, incurrerent.

PROPVGNATORES.) Ex ipso curru vnà cum aurigis pugnantes.

ARETES SCYTHARVM DVCE OCCISO.) Nouum certamen ad impedimenta Alexandri. Suprà à Cadusijs & Scythis Menidas repulsus erat, nunc Scythæ ab Arete vrgentur, suumque ducem amittunt. Aretes rursus à Bactrianis oppressus est, alternante fortuna, vt nunc hi, nunc illi vincerent aut succumberent, ita vt victores rursum Dariani triumphum (ante plenam tamen victoriam, mox ipsi victi) canerent.

MVLTI MACEDONVM OBTRITI.) Ex hoc sanè loco apparet Alexandrum non in fœminas, quod auunculus eius Epirota Alexander à Brutijs & Lucanis ad Acherusium occisus dixerat, sed in viros & martiales illos, præsertim Bactrianos incidisse. Atque hęc est sors alioqui Martis, vt nunc hi, nunc illi vincant: vt proinde non immeritò dicatur Homero ἄρης ἀλλοπρόσαλλος.

ἀλλοπρόσαλλον vocauit Homerus Martem, propter ipsius Martis inconstantiam, qui nunc huic, nunc illi gratificatur.

ALEXANDER TERRITOS CASTIGARE.) Viden', quantum in duce & imperatore situm sit? Alius fugam spectasset, Alexander nunquam magis decertauit, omnesque suo exemplo ad præliandum accendit, vt verum sit vulgò dictum: *In ducis exemplo & consilio virtutem militum esse sitam.*

In Curt. lib. 4. Animad. p. 48. f. 2. BACTRIANI DECESSERANT AD OPPRIMENDA IMPEDIMENTA.) Acidalius pro *opprimendis* scribit *obtinendis*: *siccine*, inquit, *nunc demum ad opprimenda, quin alii iam oppresserant, id est, inuaserant. Nam eam vim id verbi habet, vt sit improuisò adoriri. Malim igitur hic* obtinenda. *Res ita est. Venerant Bactriani subsidio Scythis, qui cum impedimenta diriperent, occiso ipsorum duce, iam territi erant, ac penè profligati. His inquam subsidio venerant illi tantum, vt quæ ab aliis occupata, cum amittendi periculum esset, obtinerent. Liquet ex præcedentibus his maxime:* Interim Aretes, Scytharum, qui impedimenta diripiebant, duce occiso, grauius territis instabat. Superuenêre deinde à Dario Bactriani, pugnæque vertere fortunam.] Sed cum omnes membranæ & editiones alteram scripturam præferant, religioni fuit Acidalium sequi, præsertim cum etiam auctori, veteri quoque scriptura retenta, iusta sententia constet. Aretæ

enim

enim inexpectatus erat Bactrianorum aduentus, sicut Scythis Aretæ. Cæterùm Bactrianos non omnes qui cum Dario erat, ad impedimenta excurrisse existimo, sed illud mille quod in læuo cornu Darij erat, de quo cap. 27. Erant in acie Bactriani admodum nouem equitum millia, octo ducebat Bessus, mille separata erant, quæ missa Scythis suppetias credo, quando de Besso hic nulla est mentio: & Darius seipsum nimis nudasset, amissis abs se omnibus Bactrianis.

NI EQVITES AGRIANI.) Qui in subsidijs cornuum à latere collocati, ad omnes subitos euentus parati erant.

TVRBATA ERAT VTRAQVE ACIES.) Non malè distinxit Acidalius, *Turbata erat vtraque acies. Alexander & à fronte, & à tergo hostem habebat. Qui auerso ei instabant, ab Agrianis equitibus premebantur. Bactriani.* Verborum intellectus non est obscurus, Agriani Alexandrum à tergo defendebant, ipse seipsum à fronte.

BACTRIANI DIREPTIS IMPEDIMENTIS.) Ipsis enim aduenientibus contra Aretem, fors fortunæ vei si est, abactus, multis suorum amissis, Aretes.

RECVPERARE ORDINES NON POTERANT.) Quia Agriani intercesserant, eorumque locum & ordinem occuparant.

MORTEM OCCVMBERE.) Ita Iambus diuerbio lactatus testatur.

Mortem oppetere ante oculos regis, pulcherrimum est.

Hoc fusius exponit Siculus.

MAXIME TVEBANTVR.) Non se, sed regem suum.

VOLANTEM AQVILAM.) Eandem historiam Plutarchus quoque memorat, sed id ait contigisse antequam Alexander prælium iniret. ὁ δὲ μάντις Ἀρίστανδρος, χλανίδα λευκὴν ἔχων καὶ χρυσοῦν στέφανον ἐπεδείκνυτο παριππεύων ἀετὸν ὑπὲρ κεφαλῆς Ἀλεξάνδρου συνεπαιωρούμενον, καὶ κατευθύνοντα τῇ πτήσει ὄρθιον ἐπὶ τοὺς πολεμίους· ὥστε πολὺ μὲν θάρσος ἐγγενέσθαι τοῖς ὁρῶσιν, ἐκ δὲ τοῦ θαρρεῖν καὶ παρακαλεῖν ἀλλήλους δρόμῳ τοῖς ἱππεῦσιν ἱεμένοις ἐπὶ τοὺς πολεμίους ἐπικυμαίνειν τὴν φάλαγγα. *Vates Aristander candida lana amictus, coronamq́ auream gestans, qui iuxta Alexandrum vehebatur, ostendit super verticem eius aquilam sublimem volare, cursumq́ rectà dirigere in hostes. Vnde ingens spectantes incessit alacritas: ex alacritate autem & mutua adhortatione, admisso in hostem equitatu, instar fluctus ingruit phalanx.*

ALBA VESTE.) De more, vbi vel publicè sacrificandum, vel quid agendum erat.

LAVREAM. Victoriæ signum & auspicium.

HASTA TRANSFIXVS.) Ab ipso Alexandro, vt auctor est Siculus. Dumq; Imperator Imperatorem infesto animo petit, misso in Darium iaculo Alexander, ipsum quidem non contingit, sed aurigam illi adsistentem feriens prosternit.

LVGVBRI ERGO VLVLATV.) Nec MSS. cum editis, nec editi & MSS. cum Criticorum censura conueniunt. Vulgati antiquiores ita leguntur, *Lugubri ergo vlulatu & incondito clamore gemituq́, totam ferè aciem adhuc aquo Marte pugnantium turbauere. Cognati Darij, & armigeri, lanumq́, tuentes cornu in fugam effusum destituerant currum, quem à dextra parte stipati in medium agmen receperunt.* Constat huic vulgatæ qualicunque scripturæ sua tamen sententia, in hunc modum: Persæ (quos priori versu nominarat) lugubri vlulatu & incondito clamore gemituque totam ferè aciem adhuc æquo Marte pugnantium turbauêre. Cognati verò Darij, & armigeri, & illi qui sinistrum cornu, in quo Darius erat, tuebantur, in fugam effusi currum destituerant, quem ij qui à dextra parte pugnabant, in mediam aciem receperunt. Chartæ & membranæ eundem locum his verbis consignant: *Lugubri ergo vlulatu & incondito clamore gemituq́, totam ferè aciem adhuc aquo Marte pugnantium turbauere, cognati Darij & armigeri, læuoq́ cornu in fugam effuso, destituerant currum,* &c. Paulò meliùs & expeditiùs hæc scriptura habet. Acidalius optimè, quamuis nulla auctoritate nixus, sed è re præsenti & ingenio: *Turbauerant cognati Darij: & armigeri læuum tuentes in fugam effusi destituerant cornu, quem à dextra stipati in medium agmen acceperunt.* Armigeri, inquit, ad læuum Darij latus positi, occisum eum nunciati, in fugam se dabant, curru destituto, quem alij ad dextram stabiles & firmi, in agmen suum recipiunt, vndique circumfusi. Sæpè perbene Acidalius, nisi quod à Curtio longiùs abeat, cuius ego syllabas retinendas arbitror tolerabili, & verò sensu non obnitente. Alioqui nemo negat, sæpè mutatis aut sublatis voculis nunc his, nunc alijs, aut etiam suffectis clariorem sensum effici posse: sed id est explanare Curtium, non illius verba recensere: præsertim quando codex suffragatur. Cæterùm sententiam & emendationem Acidalij etiam Siculus affirmat cùm dicit, Latus alterum læuum vtique fuisse nudatum.

DICITVR DVBITASSE AN FVGAE DEDECVS HONESTA MORTE VITARET.) Iustinus: *Darius cum vinci suos videret, voluit & ipse mori: sed à proximis fugere compulsus est.* Suetonius Cæsarem quoque vltimo prælio in Hispania de consciscenda sibi nece cogitasse refert, de quo Lucianus. lib. 11. Suet. c. 36.

Vltima funesta concurrunt prælia Munda.

Multi alij in extremis sæpè periculis sibi ipsi omnino violentas manus intulerunt, M. Brutus, Otho, alij, vt omittam oppida & ciuitates; castra tota apud Cæsarem.

CVRRVM IN FVGAM VERTIT.) Eadem narrat Siculus, vt Curtius transtulisse quasi metaphra-

cap.21.lib.3. taphrastes totum hunc locum videatur. tute locum planè Curtio geminum lib.17. pellege. Plutarchus non curru, sed equa recens edito fœtu abrepta Darium euasisse tradit, quod Curtius in pugna Issica factum narrauit.

CAPVT XXXVII.

ARGVMENTVM.

Parmenionis læuum cornu à Mazæo adeò vrgetur, vti fugam iam circumspectet, petit auxilium ab Alexandro, qui Darium fugientem persequebatur. Sistit agmen indignabundus. Mazæus intellecto Darium fugere, mittit pugnam, & ipse perculsus metu, tergum vertit. Darius media nocte Arbela peruenit. Describitur inde clades & strages cadentium, fugientium, persequentium, & immensa hostium sitis.



T in læuo Macedonum cornu, quod Parmenio (sicut ante dictum est) tuebatur, longè alia fortuna vtriusque partis res gerebatur. Mazæus cum omni suorum equitatu vehementer inuectus, vrgebat Macedonum alas. Iamq; abundans multitudine aciem circumuehi cœperat. Tum Parmenio equites nunciare iubet Alexandro, in quo discrimine ipsi essent: ni maturè subueniretur, nō posse sisti fugam. Iam multum viæ præceperat rex imminens fugientiū tergis, cùm à Parmenione tristis nuncius venit: refrenare equos iussi, qui vehebantur, agmenq; constitit: frendente Alexandro eripi sibi victoriā è manibus, & Darium felicius fugere quam sequi se. interim ad Mazæum superati regis fama peruenerat. Itaque quanquam validior erat, tamen fortunâ partium territus, perculsis languidius instabat. Parmenio ignorabat quidem causam sua spōte pugnæ remissæ, sed occasione vincendi strenuè est vsus. Thessalos equites ad se vocari iubet: Ecquid videtis, inquit, istos qui ferociter modò instabant, pedem referre, subito pauore perterritos? Nimirū nobis quoque regis nostri fortuna vicit: omnia Persarum cæde strata sunt. quid cessatis? anne fugientibus quidem pares estis? Vera dicere videbatur, & spes languentes quoque erexerat: subditis calcaribus proruere in hostem: & illi iam non sensim, sed citato gradu recedebant; nec quicquā fugæ, nisi quod terga nōdum verterāt, deerat. Parmenio tamē ignarus quanā in dextero cornu fortuna regis esset, repressit suos. Mazæus dato fugæ spatio, nō recto itinere, sed maiore, & ob id tutiore circuitu Tigrim superat, & Babylonem cum reliquijs deuicti exercitus intrat. Darius paucis fugæ comitibus ad Lycum amnem contenderat: quo traiecto dubitauit an solueret pontem: quippe hostem iam affore nunciabatur. Sed tot millia suorum, quæ nondum ad amnem peruenerant, ponte reciso prædam hostis fore videbat. Abeuntem cùm intactum sineret pontem dixisse constat, Malle insequentibus iter dare, quàm auferre fugientibus. Ipse ingens spatium fuga emensus, media ferè nocte Arbela peruenit. Quis tot ludibria fortunæ, ducum, agminum, cædem multiplicem, deuictorum fugam, clades nunc singulorum, nunc vniuersorum, aut animo assequi queat, aut oratione complecti? Propemodum seculi res in vnum illum diem fortuna cumulauit. Alij qua breuissimum patebat iter, alij diuersos saltus & ignotos sequentibus calles petebant. Eques pedesq; confusi sine duce, armatis inermes, integris debiles implicabantur. Deinde misericordia in metum versa, qui sequi non poterant, inter mutuos gemitus deserebantur. Sitis præcipuè fatigatos & saucios exurebat, passimq; omnibus riuis prostrauerant corpora, præterfluentem aquam hianti ore captan-

*captantes: quàm cum auidè turbidam hausissent, tendebantur extemplo præcordia premente limo, resolutisq; & torpentibus membris, cum superuenisset hostis, nouis vulneribus excitabantur. Quidam occupatis proximis riuis deuerterant longius, vt quidquid occulti humoris vsquam manaret, exciperent. Nec vlla adeo auida * & sicca lacuna erat vt vestigantiū sitim falleret. E proximis verò itineri vicis vlulatus senum fœminarumq; exaudiebantur, barbaro ritu Darium adhuc regem clamantium.* *arida.

AT IN LAEVO MACEDONVM CORNV) Hanc narrationem testantur triumuiri quoque Græci, Siculus, Plutarchus & Arrianus, nisi quod Parmenionem carpat Plutarchus ex Callisthenis sententia, perinde quasi optasset vinci Alexandrum. Curtius tamen ab omni Parmenionem suspicione absoluit, qui per Thessalos Mazæum quoque vicit, priusquam Alexander à persequendo Dario suis succurreret. In vita p. 22.

FORTVNA PARTIVM) fausta Alexandri, infelici Darij, quem iam in fugam actum cognorat, quod animum Mazæi propè iam victoris debilitauit. Quod vbi Parmenio sensit, hoc acrius hostem vrgere cœpit.

CITATO GRADV) nondum solutis ordinibus, quasi recepturi se aliquò recedebant.

DATO FVGAE SPATIO) sapienter hoc Parmenio, ne fortè in insidias præcipitarent, vt aliàs; hosti fugienti pons sternendus aureus: cuius exempla haud pauca habes toto capite 6. lib. 2. apud Frontinum.

TIGRIM SVPERAT) quà vadari poterat, versus septentrionem, vnde existit os eius, cum tamen Babylon esset meridiem versus, si fontes Tigris respicias.

DARIVS AD LYCVM AMNEM) tres cognomines Lycos reperio. In Armenia primum & maximum, qui in Phrygiam vsque transit, & in mare Euxinum exoneratur: alterum in Cicilia: tertium apud Augustam Vindeliciam, qui Sueuiam à Bauaria diuidit, quem hic missum facimus. Lyci illius Asiatici mentio etiam aliàs apud Curtium lib. 1. c. 1. lib. 4. c. 32. & c. 38. Strabo: Capnus & Lycus Armeniæ flumina in Menandrum incidunt. Plura passim de hoc idem Geographus, Plinius, Eustathius, & alij. Sed quid Orosio in mentem fuit, cum vltimum prælium cum Dario in Cilicia ad Tarsum commissum ait? Immò quid Iustino, quem secutus est Orosius, vti & Marcoduranus ad cap. 17. l. 3. testatur. Commissum fuit hoc præliū in Assyria trans Lycum in Aturiæ campis ad vicum nomine Gaugamela, Auctore Strabone l. 16. Quāquā enim Dionysius Halicarnasseus ad Ammęū hanc pugnā τὴν ἐν ἀρβήλοις μάχην, Curtius pręliū apud Arbela nominet, & Diodorus narrationē eius ita cōcludat. ἡ μὲν οὖν περὶ ἄρβηλα γενομένη παράταξις τοιοῦτον ἔσχε τὸ πέρας: Plutarchi tamē in Alexādro verba sunt, τὴν δὲ μεγάλην μάχην πρὸς δαρεῖον οὐκ ἐν ἀρβήλοις ὥσπερ οἱ πολλοὶ γράφουσιν, ἀλλ' ἐν γαυγαμήλοις γενέσθαι συνέπεσεν, *id est, accidit vt magnum illud prælium cum Dario non in Arbelis, sicut plerique scribunt, sed in Gaugamelis committeretur*. Cum Strabone & Plutarcho facit Arrianus lib. 3. vbi tradit Darium castra in Gaugamelis ad Bumadum fluuium ab Arbelis oppido stadia circiter LX. posuisse.

AN SOLVERET PONTEM) Iustinus: *Suadentibus deinde quibusdam, vt pons Cydni fluminis ad iter hostium impediendum.* (Lyci debebat scripsisse) *intercideretur* (ita cum Acidalio lego, non vt vulgò, *intercluderetur*) *non ita saluti sua velle consultum, ait, vt tot millia sociorum hostibus obijciat, debere & alijs fuga viam patere, qua patuerit sibi.* De ponte eleganter etiam Gualterus proæuo suo, sed omnia ex Curtio. De Lyco & Arbelis etiam Arrianus affirmat, cum enim Darium narret Arbela peruenisse, debuit vtique & Lycum, vt Alexander Darium insecutus, transisse. Lib. 9 sub finem.

MEDIA FERE NOCTE ARBELA PERVENIT) Alexander sub mediam noctem à Lyco mouit, interim elapsus est Darius, vt Arrianus docet.

SAECVLI RES) res vix intra centum annos tam multæ gestæ sunt, quam illo die ad Gaugamela.

DIVISI) certè *diuersos* scribendum.

QVIS TOT LVDIBRIA) perelegans bellicæ cladis descriptio, & amplificatio.

DEINDE MISERICORDIA IN METVM VERSA) talis infra libro 9. c. 17 locus de ipsius exercitu Alexandri. *Ergo sæpius reuocati ne respicere quidem suos sustinebant, misericordia in formidinem versa. illi relicti deos testes & sacra communia, regisque implorabant opem.* & quæ ibid. miseranda sequuntur.

AVIA ET SICCA LACVNA) Ita Constantiensis codex: Modianus *auida*. Acidalio placet *arida*.

SITIS PRAECIPVE) Quia ad illam accendendam multa concurrebant, prælium, fuga, metus, cursus, regio etiam in hieme calens. Gualterum audi:

Curritur ad pontem, sed & intolerabilis æstus,
Et cursu duplicata sitis: languentia torrent
Viscera, & exhaustos sudor sibi vendicat artus,
Pulmonisq; vagas agitant suspiria cellas:
Vnde inopes vnda nemorum per deuia docti

Occulti laticis salientes, quærere venas,
Omnibus incumbunt riuis, haustaq; gulosè
Cœnosi torrentis aqua, præcordia limo
Tensa rigent -----

Iam quæ sequuntur ingeniosè:

---- prægnantem vterum simulare coactus
Triste parit funus concepto flumine venter.

Et quæ ibidem plura. Sed poeta subinde Prisciani immemor offendit in syllabis, vt cum subijcit,

Obstruit occurrens vitales vnda meatus
Aeràq; in cæcis occlusum suffocat antris.

Extant passim apud historicos & poetas in sacris & politicis paginis exempla sitientium in bello copiarum, per inuia & auia sæpe ductarum. De quibus infrà lib. 7. cap. 9.

CAPVT XXXVIII.

ARGVMENTVM.

Persæ per fugam Lyco mersi, tantum aquæ hauserunt, vti plerique nunquam amplius sitirent. Alexander suos cohibet porrò insequi volentes, parcerent ferro, seruarent vires meliori fortunæ; vertitque aciem ad Parmenionem, quem laborare acceperat. ipse in ipso reditu vltimum incurrit periculum, quod sola virtute, fusis hostibus qui se conglobauerant, euasit. Parmenio interim & ipse vicit. numerantur vtrinque cæsi, laudatur Alexander, & soli propè victoria tribuitur, nec tacentur præcipui duces, Hephæstio, Cænos, Perdiccas, Menides. additur epiphonema, Regem dignum tali milite, & militem tali rege.



Lexander (vt suprà dictum est) inhibito suorum impetu, ad Lycum amnem peruenerat, vbi ingens multitudo fugientium onerauerat pontem, & plerique, cum hostis vrgeret, in flumen se præcipitauerant, grauesq; armis, & prælio ac fuga defatigati, gurgitibus hauriebantur. Iamq; non pons modò fugientes, sed ne amnis quidem capiebat agmina sua improuidè subinde cumulantes: quippe vbi intrauit animos pauor, id solum metuunt, quod primum formidare cœperunt. Alexander instantibus suis, impunè abeuntem hostem permitteret sequi: hebetia esse tela, & manus fatigatas, tantoq; cursu corpora exhausta, & præceps in noctem diei tempus causatus est: reuera de læuo cornu, quod adhuc in acie stare credebat, sollicitus, reuerti ad ferendam opem suis statuit. Iamque signa conuerterat, cum equites à Parmenione missi illius quoque partis victoriam nunciant. Sed nullum eo die maius periculum adijt, quàm dum copias reducit in castra. Pauci eum & incompositi sequebantur ouantes victoria: quippe omnes hostes aut in fugam effusos, aut in acie cecidisse credebant: cum repentè ex aduerso apparuit agmen equitum, qui primò inhibuere cursum, deinde Macedonum paucitate conspecta, turmas in obuios concitauerunt. Ante signa rex ibat dissimulato magis periculo quàm spreto. Nec defuit ei perpetua in du-

bijs

bijs rebus felicitas. nam q; præfectū equitatus auidū certaminis, & ob idipsum incautius in se ruentem, hasta transfixit. Quo ex equo lapso, proximum, ac deinde plures eodem telo confodit. Inuasere turbatos amici quoq; nec Persæ inulti cadebant, quippe non vniuersæ acies, quàm hæ tumultuariæ manus vehementius iniere certamen. Tandem barbari cum obscura luce fuga tutior videretur esse, quàm pugna, diuersis agminibus abiere. Rex extraordinario periculo defunctus incolumes suos reduxit in castra. Cecidere Persarum, quorum numerum victores inire potuerunt, millia XL. Macedonum minus quàm CCC. desiderati sunt. Cæterum hanc victoriam rex maiore ex parte virtuti suæ debuit animo, non (vt antea) loco vicit. Nam & aciem peritissimè instruxit, & promptissimè ipse pugnauit, & magno consilio iacturam sarcinarum impedimentorumq; contempsit, cum in ipsa acie summa rei videret esse discrimen: dubioq; adhuc pugnæ euentu, pro victore se gessit: perculsos deinde hostes fudit: fugientes, quod in illo ardore animi vix credi potest, prudentius quàm auidius persecutus est. Nam si parte exercitus adhuc acie stante, instare cedentibus perseuerasset, aut sua culpa victus esset, aut aliena virtute vicisset. Iam si multitudinem equitum occurrentium extimuisset, victori aut fœdè fugiendum, aut miserabiliter cadendum fuit. Ne duces quidem copiarum sua laude fraudandi sunt, quippe vulnera quæ quisque excepit, indicia virtutis sunt. Hephæstionis brachium hasta ictum est. Perdiccas ac Cœnos & Menides sagittis propè occisi. Et si verè æstimare Macedones, qui tunc erant, volumus, fatebimur & regem talibus ministris, & illos tanto rege fuisse dignissimos.

PAVOR INTRAT) nihil enim amplius prouidet, sed proxima arripit. verè enim Ennius apud Ciceronem: *Pauor sapientiam omnem ex animo expectorat*. Pauoris enim & consilij propè nulla est copula.

QVOD PRIMVM FORMIDARE COEPERVNT) primum erat quod metuebant, imminentem à tergo hostem; & à fronte Lupum seu Lycum amnem agmina simul tota haurientem non metuebant.

IMPROVIDE) al. *improuida fuga*, al. *improuida fuga*. seruo MSS. lectionem *improuidè subinde cumulantes*.

ALEXANDER INSTANTIBVS SVIS) Hoc dicit Curtius. Alexander cum ad Lycum peruenisset, constitit, non vlterius hostem certatim fugitantem insecuturus, quod Ipsius miles auidus cędis ægrè tulisse videtur, quando ita vrsit regem, vti *sibi*, hostem sequi & in fuga ad internecionem delere, pateretur; adeoque non prælium, sed bellum etiam perpetraretur. Sed Alexander, nuncio per equites à Parmenione missos accepto, læuum cornu Macedonum in acie stare, & à Mazæo vehementer premi, ægreque à fuga contineri, solicitus de suis, dissimulata vera caussa respondit suis, hebetia esse tela, & multa cæde & sanguine retusa, parcerent ferro, parcerent etiam sibiipsi prælio, cursu, cæde fatigatis, noctem etiam imminere: interim reuera de Parmenione solicitus, cui statuit opem ferre.

NVLLVM EO DIE MAIVS PERICVLVM ADIIT) Quia vicissatim sæpe voluitur victoria, vt qui modò vicit, repentè vincatur, quod propemodum hic vsu venit Alexandro. Dum enim converteret signa, per equites alios à Parmenione submissos in ipso reditu intellexit debellatum esse. Itaque miles Alexandri velut vbique victor, sine ordine, cura, metu, exultabundus incedens velut omni periculo defunctus in extremum periculū cum suo rege incidit, quod rex virtute superauit.

Præfectum equitatus) Gualterus,

——— rex ante Quiritum

More sue gradiens vexilla, pericula Martis
Dissimulans potius quam spernens illud ab hoste
Concussum toties sed inexpugnabile castrum
Pectoris opposuit Persis: nec defuit illi
Perpetua in dubijs rebus fortuna, cohortis
Præfectum mortisq; & Martis amore furentem
Excipit, & celeri rimatur viscera ferro.

En Curtij Interpretem Gualterum, & ipsa prope Curtij subinde verba vsurpantem.

De eodem Alexandri extraordinario periculo & prælio vide Arrianum: Arrian. li. 3. pag. 121.

ANTE SIGNA IBAT REX) more suo. suprà c. 33. *ante prima signa dimicaturum*. primus Duci in pugna assignatur locus. Iustinus. *Alexander autem periculosissima quaque aggrediebatur: & vbi confertissimos hostes acerrimè conspexisset, eò se semper ingerebat, periculosaque sua esse, non militum volebat.* in 8.

LVCE OBSCVRA) dedecus etiam fugæ nox tegit.

CE-

CECIDERE PERSARVM XL. MILLIA) miris modis dissentiunt scriptores rerum, in numero cæsorum. Arrianus CCC. millia cæsa refert, multò plures captos. Orosius tribus prælijs cecidisse ait quinquies decies centena millia. Siculus de Persis hoc prælio amplius nonaginta millia cæsa narrat. Arria. l. 3.

MACEDONVM MINVS QVAM TRECENTI) Nec in hoc consentiunt auctores. Arrianus equites non plus centum ait desideratos. Siculus vniuersè ex Macedonibus cæsos quingentos. Ex ducibus vulneratos Hephæstionem, Perdiccam, Cœnum, Menidam. De die, mense, anno prælij, mox infrà.

VICTORIAM VIRTVTI SVAE DEBVIT) Plutarchus de fortuna Alexandri duobus voluminibus ostendit, Alexandrum semper aduersa vsum fortuna, quam sola virtute vbique superarit, contra, quàm multi, non benè, senserunt. Nec verum est quod vulgo iactatur, fortunam quauis virtute esse efficaciorem, fortunamque in pugnis plus quam virtutem posse. Proinde verè scripsit, victoriam Alexandrum virtuti suæ, non fortunæ debuisse, quod sequentibus confirmat argumentis. Primò non loci angustijs, vt antea ad Issum vicisse, sed animo: vincit enim sæpe animus, vincit sæpè etiam locus, vt est in parœmia. Deinde à peritissima aciei instructione, quam versatilé fecerat, vt in omnem partem spectaret. Præterea, quod ipse suos pugnando ad prælium accenderit, quod sarcinarum iacturam contempserit, quod dubio euentu iam pro victore se gesserit, & hostes terrore ad fugam impulerit, quod fugientes etiam cautè insecutus sit. Aelianus stratagemate Alexandri superatum ait Darium. *Alexander*, inquit, *cum Dario signa collaturus, præceptum dedit Macedonibus: vbi in Persarum conspectum veneritis, procidentes in genua terram manibus conterite. Vbi vero tuba signum dederit, tum consurgentes strenuè & fortiter impetum in hostes facite. Macedones ita fecerunt. Persæ formam adorationis conspicati, incitatum ad bellum impetum remiserunt, animisq; facti sunt molliores. Darius gloriabatur & gaudebat se absque prælio victoriam obtinere. Macedones ad signum tubæ exilientes vehementi impetu in hostes feruntur, & rupta phalange in fugam conuertunt.*

SVA CVLPA) quod alterum cornu auxilio destituisset, aut aliena virtute, Parmenionis nempe, & læuo cornu militum. Quod in reditu nec occurrentes quantumuis multos extimuerit. De ducibus sigillatim etiam Diodorus testatur, vt supra demonstraui. Sequitur totius libri elegantissimum epiphonema & acclamatio, qua simul & prælij narrationem, & librum finit, cum & Imperatorem simul & militem celebrat, alterumque alteri auxilio, honori, famæ & gloriæ sempiternæ fuisse, *Dignum regem tali milite, & militem tali rege.* Hæc optima libri clausula. proinde non consultò faciunt, qui aliter libros Curtij distribuerunt.

Codex Constant. Q. Curtij Rufi historiarum lib. 4. explicit.

ANNVS

ANNVS ET TEMPVS *pralij.*

Tom 5. Annal. Eccleſ. p. 557. & ſeq. at p. 283. & ſeq. edit. Col.

FINIS IMPERII PERSARVM ex noſtro Saliano.

Annus mundi 3724. ſextæ ætatis, & imperij Perſarum 208. & vltimus Darij 9. & vltimus Iaddi Pontificis 35. Alexandri 7. & imperij primus, olympiadis 92. anno 3. Archonte Ariſtophonte. Vrbis conditæ 425. Coſſ. L. Papyrio Craſſo II. & L. Plautio Venoce.

Annus ante Chriſtum natum 329.

Prælium ad Arbelam, quo acciſæ ſunt Perſarum vires Ariſtophonte prætore, contigiſſe teſtis eſt Dionyſius Halicarnaſſeus ad Ammæum: ſub cuius etiam magiſtratu Darii mors ex communi ſententia multis poſt menſibus contigit, quot ſcilicet inter Octobrem & Iunium intercedunt.

Ducentos ergo & octo annos, inquit idem Salianus, cum dimidio, imperium Perſarum ſtetit: quæ planè communis eſſet omnium recentiorum ſententia, niſi iam nonnulli ab eius principio decepti eſſent, dum idem faciunt initium regni Cyri atque imperii eiuſdem, cum tamen regnum eius viginti tribus annis diuturnius fuerit imperio eiuſdem. Regnum quippe anno 1. Olymp. 55. ſumſit exordium, Imperium autem, quod ſeptem tantum annorum fuit, Olymp. 60. anno 4. ex quo ad præſentem annum Olympiades 52. id eſt, ducenti & octo anni numerantur. Quæ videtur Dionyſij fuiſſe ſententia, cum ait Perſas non multum vltra ducentos annos ſtetiſſe in rerum faſtigio. Itaque cum Curtius 230. annos Perſarum imperio tribuit, videtur & ipſe imperium Perſarum à Cyri regno, non ab imperio, & à deuicta Babylone inchoaſſe. Idem ſuprà: Calendis Octobris commiſſa pugna dicitur, decem diebus ab eclipſi lunæ, vt putant *Scaliger & Temporarius; vel duodecimo, vt Buntingus; vel vndecimo vt Plutarchus. Valdeque fallitur interpres Arriani, qui eo tempore Ariſtophanem in magiſtratu retinet, cum menſem Pyanepſionem, Iulium vertit, nec minus Arrianus, qui eo tempore Ariſtophanem in magiſtratu retinet, nec de menſe cum * Plutarcho aliiſque conſentit.

*Immo Scaliger vndecim dies numerat.

*Plutarch. etiam Scaliger erroris conuincit.

Lunæ autem defectio fuit xx. Septembris, hora octaua.

Comment. ad Lib. IV. Q. Curtij, Finis.



Q. CVR-



Q. CVRTII RVFI

HISTORIARVM ALEXANDRI MAGNI MACEDONIS

LIBER QVINTVS.

SYNOPSIS HVIVS LIBRI.

*DArius in Mediam cum suis profugit: Alexander Arbelis potitur, Babylonem à Mazæo deditam cum Mazæo in fidem accipit, vrbemq; cum triumpho ingreditur. Babylon & ciuium mores describuntur. Amyntas Andromenis, supplementum militum ex Græcia adducit. Rex ludos militares committit. Susa deduntur, vbi thesaurus Darij exhaustus, tricies millies centena millia Philippæorum: vt Barbari vocant, triginta milliones talentorum. Rex Sysigambem solatur, & illius deprecatu victis Vxys parcit. Persidem intrare conatus ab Aribarzane Satrapa repellitur, vbi Alexandri deprehensa hæsit felicitas. Duce tamen Lycio per inuia & auia penetrat. Araxem amnem superat, supplices Græcos & captiuos liberat, captam Persepolim exhaurit, septuagies bis millies centena millia aureorum in ærarium redigit, quibus ex Parsagadis tricies sexies centena millia addit. * summa totius prædæ ex toto Oriẽte captæ suo loco edemus. Inde Mardos subit; redit Persepolim, vrbemq; cum regia, suasu Thaidis, incendio delet. Hinc Mediam accepto supplemento intrat. Darius Ecbatanis pugnæ se rursum accingit, ad quam suos hortatur, Nabarzanes & Bessus in Darij exitium coniurant. Græcus miles regem tueri conatur, capitur Rex, vulneratur, destituitur à suis, à Macedone spirans reperitur, extinguitur, quod in Curtio deletum est.*

* centum & triginta octo milliones.

GA-

CAPVT I.

ARGVMENTVM.

Dilata rerum in Europa gestarum narratione, fugam & consilia Darij explicat.



Va interim ductu imperioque Alexandri, vel in Græcia, vel Illyrijs ac Thracia gesta sunt, si suis quæque temporibus reddere voluero, interrumpendæ sunt res Asiæ, quas vtique ad fugam, mortemque Darij vniuersas in conspectum dari, & sicut inter se cohærent, ita opere ipso coniungi, haud paullò aptiùs videri potest. Igitur quæ prælio apud Arbela coniuncta sunt ordiar dicere. Darius media ferè nocte Arbela peruenerat, eodemque magnæ partis amicorum eius ac militum fugam fortuna compulerat: quibus conuocatis exponit, haud dubitare se, quin Alexander celeberrimas vrbes agrosque omni copia rerum abundantes petiturus esset, prædam opimam paratamque ipsum & milites eius spectare. Id suis rebus tali in statu saluti fore, quippe se deserta cum expedita manu petiturum. Vltima regni adhuc intacta esse, inde bello vires haud ægrè reparaturum. Occuparet sanè Gazam auidissima gens, & ex longa fame satiaret se auro, mox futura præda sibi: vsu se didicisse preciosam supellectilem, pellicesque, & spadonum agmina nihil aliud fuisse, quàm onera & impedimenta. Eadem trahentem Alexandrum, quibus rebus antea vicisset, inferiorem fore. Plena omnibus desperatione videbatur oratio: quippe Babylonem vrbem opulentissimam dedi, iam Susa, iam cetera ornamenta regni, causamque belli victorem occupaturum. At ille docere pergit, non speciosa dictu, sed vsu necessaria in rebus aduersis sequenda esse. Ferro geri bella, non auro: viris, non vrbium tectis: omnia sequi armatos. Sic maiores suos perculsos in principio rerum celeriter pristinam reparasse fortunam. Igitur siue confirmatis eorum animis, siue imperium magis quàm consilium sequentibus Mediæ fines ingressus est.

IN GRAECIA) In Europæ partibus, Thracia, cuius caput Bizantium, hodie Constantinopolis. De Illyrico supra dictum. Bellū Antipatri proregis Macedoniæ, cum Agide Lacedæmoniorū gestū, Curtius initio libri 6. describit, quamuis ante victoriam Alexādri ad Arbela illud factum sit. Cuius rei caussam hic commemorat, quod non videretur narratio rerum Asiaticarū interrumpenda. Itaq; & nos hoc loco de Agide & Antipatro plura non commemorabimus, suo loco exequenda. Persequitur ergò fugam hic Darij Curtius, & quæ fugam comitabantur.

APVD ARBELA) Iam suprà dictum, ad Gaugamela prælium factum.

DARIVS MEDIA NOCTE AD ARBELA PERVENERAT) Ingens certè spacium intra paucas horas emensus, milliaria Germanica decem & octo, cum triente; sexcentis quippe stadijs Arbela distant à Gaugamelis, vbi prælium est factum, vti suprà docuimus. Alexander, auctore Arriano, ad Lycum vsque Darium insecutus castra trans Lycum posuit, & post mediam noctem Arbela contendit; sed Darium inde in Mediam volantem potius quàm properantem non offendit. Itaque porrò insequi in præsens destitit, & caput interim Assyriorum Babylona occupauit, vti mox videbimus. Curtius autem Alexandrum primo ad suos regressum, deinde Arbela & Babylona cum exercitu petijsse, regnique Persarum possessionem adijsse docet. Darius Arbelis ad duces suos & fugæ comites orationem instituit, qua spiritus suorum non auxit, sed propè omninò extinxit, quod desertis omnibus vrbium munitionibus vellet loca Mediæ deserta petere, & inde ex vltimis regni finibus auxilia accersere, copias instruere & reparare, serum auxilium.

GAZAM) Persica vox, sed iam olim Græca & Latio donata: vnde & *gazophylacium*, vt & aliæ nonnuliæ *parasanga, satrapa, Cydoris.*

FVTVRA PRAEDA SIBI) Ah quàm aliud clausum corde gerebat Darius, & aliud in ore ferebat! an etiam prædas ex suo agit? certè ante ab hoste occupatas.

INFERIOREM FORE) vt Hannibal per hiberna Capuæ delicijs fregit exercitum, nec enim quicquam rei magnæ ab illo tempore gessit: hebescit enim virtus delicatius habita.

PLENA DESPERATIONIS ORATIO) Interlocutos satrapas & duces, ex sequenti Darij oratione constat, qua illorum rationes frustra diluere conatur.

BABYLONEM ET SVSA) quas vrbes munitissima propugnacula regnorum insidere debebat Darius, & bellum inde defendere. Sed Darius nihil tam munitum credebat quod ab Alexandro expugnari non posset.

CAVSSAM BELLI). propter vrbes, pecuniam, gazam, opes, prouincias, bella geruntur.

FERRO GERI BELLA) credidisset antea Charidemo, quem occiderat Darius.

MAIORES SVOS PERCVLSOS) Cyrum conditorem gentis ab Scythis cum exercitu deletum, vt ne nuncius quidem superesset, Cambysen propè cum toto exercitu arenis obrutum. Darium Hystaspis turpiter à Scythis fugatum, Xerxem è Græcia ægrè fuga elapsum. Herodotus, Diodorus, Iustinus legantur.

CAPVT II.

ARGVMENTVM.

Prædæ bello captæ, & Tigris & Euphratæ fluminum descriptio.



PAullò pòst Alexandro Arbela traduntur regia supellectili ditique gaza repleta. quatuor millia talentûm fuêre, præterea preciosa vestes, totius (vt supra dictum est) exercitus opibus in illam sedem congestis. Ingruentibus deinde morbis, quos odor cadauerum totis iacentium campis vulgauerat, maturius castra mouit. Euntibus aperit se à laeua Arabia odorum fertilitate nobilis regio, campestre iter est inter Tigrim & Euphratem tam vberis & pinguis soli, vt à pastu repelli pecora dicantur, ne satietas perimat. Caussa fertilitatis est humor, qui ex vtroque amne manat, toto ferè solo propter venas aquarum resudante. Ipsi amnes ex Armeniæ montibus profluunt, ac magno deinde aquarum diuortio iter quod capêre percurrunt. Duo millia & D. stadia mensi sunt, qui amplissimum interuallum circa Armeniæ montes notauerunt. Iidem cum Media & Cordiæorum terras secare cæperunt, paulatim in arctius coeunt: & quo longiùs manant, hoc angustiùs inter se spacium terræ relinquunt. Vicini maximè sunt his campis, quos incolæ Mesopotamiam appellant. Mediam namque ab vtroque latere cludunt. Iidem per Babyloniorum fines in rubrum mare irrumpunt. Alexander quartis castris ad Mennin vrbem peruenit. Cauerna ibi est, ex qua fons ingentem vim bituminis effundit, adeò vt satis constet Babylonios muros ingentis operis, huius fontis bitumine interlitos fuisse.

QVATVOR MILLIA TALENTA) Bis millies quadringenta millia Philippæorum seu coronatorum, vt singuli, viginti victoriatis æstimentur: talentum enim sexcentos aureos seu coronatos efficit. duos milliones & quatuor thunnos barbari vocant.

ODOR VVLGAVERAT) Odor aerem infecerat, haustus aer viscera: ita propagata lues, vt solet in pestilitate, proinde magna semper ratio habita est, vt castra à sordibus essent pura. quod in sacris paginis à Domino exercituum Mosi præceptum est. Et * Vegetius, *si autumnali æstiuoque tempore diutius in iisdem locis militum multitudo consistat, ex contagione aquarum & odoris ipsius fœditate vitiatis haustibus, & aere corrupto perniciosissimus nascitur morbus, qui prohiberi non potest aliter, nisi frequenti mutatione castrorum.* Ad quem locum Stevvechium consule.

* lib. 3. c. 2.

APERIT SE A LAEVA ARABIA) Huius loci primum germana lectio constituenda est, deinde res ipsa explananda est. in vtroque variant libri & critici sciptores. Vetus editorum scriptura erat: *Euntibus à parte laua, Arabia odorum fertilitate nobilis regio, campestre iter est. Inter Tigrim & Euphratem iacentia tam vberi & pingui solo sunt, vt à pastu repelli pecora dicantur, ne satietas perimat.* Ita impressi ante Modianum castigationem, omnes

quos

quos vidi . Membranæ quas Modius laudat , ita habent . *Euntibus à parte laua Arabia odorum fertilitate nobilis regio . Campestre iter est inter Tigrim & Euphratem iacens , tam vberis & pinguis soli* &cæt . Sed quos ego vidi MSS. cum vulgatis antiquioribus consentiunt. Modius ergò & vulgatos, & manu exaratos hunc in modum emendat : *Euntibus aperit se laua Arabia odorum fertilitate nobilis regio , campestre est iter inter Tigrim & Euphratem tam vber & pinguis soli, vt à partu* &c. Arrisit hæc Modij emendatio , nec malè tamen illa traducit: Campestre iter est inter Tigrim & Euphratem, *& vber* tam pinguis soli . Glareanus verò omnia relinquit vt in editis leguntur, nisi quod vox *Arabia* illum vehementer offendat, pro qua *Aturia* rescribendum putat. *Mirabilis est*, inquit, *huius profectionis descriptio. Ego quantum coniectura consequi possum, Alexandri exercitum è Gaugamelis neutiquam motum credo, cum Alexander Arbela ad regis thesaurum piscandum isset: quod ex cadauerum odore satu clarè ostenditur . Euntibus autem è Gaugamelis Babylonem, quomodo à parte laua Arabia iter sit (vt hic author scribit) vix credo abs quoquam geographiæ perito intelligi: etiamsi non sum nescius, Arabes Syris, Chaldæis ac Babyloniis permixtos dici ab authoribus. In eo tamen tractu non temerè Arabas reperias. Lector etiam atque etiam consideret , num pro Arabia legendum Aturia, nomen celeberrimum apud Strabonem libro sexto, ab initio.* Laudat pro sua castigatione Henricus libri sexti initium apud Strabonem : atqui Geographus libro sexto toto de varijs Italiæ regionibus, Lucania, Brutijs, & hisce vicinis tractat, de Aturia nullam syllabam . Emendo ego primùm Glareanum, & pro libro sexto, repono librum sextum decimum, vbi de Aturia Strabo. Coniectura Glareani speciem habet veritatis aut certè probabilitatis. Nam in Aturiæ campis prælium est commissum . Strabonem audi etiam alio loco nobis * laudatum , ita narrantem: * *Aturia similis est ijs locis, quæ circa Arbela sunt, & Lycum flumen intermedium haber. Arbela enim ad Babyloniam pertinent, & iuxta eam sunt . Trans Lycum verò Aturiæ campi , Niuum circumiacent. In Aturia quoque pagus est nomine Gaugamela , apud quem Darius superatus amisit imperium : quare hic locus insignis est, vt & nomen. Cameli enim domus interpretatur.* Dissimularunt hanc Glareani dubitationem & emendationem Modius & Acidasius, & retinuerunt omnium codicum editorum, ineditorum fidem & scripturam, & bona venia Glareani retineri potest . Nam euntibus è Cilicia Babylonem per Mesopotamiam læua Septentrionem & montes Armeniæ spectat . Continet autem Mesopotamia Armenios Syros & Arabes, vti docet Strabo: *Nam Armeniorum, Syrorum, & Arabum multum cognationis præ se ferunt nationes, sermone, vita, corporum forma , maximè vbi degunt in vicinia. idque ostendit Mesopotamia ex tribus his conflata populis : maximè enim in his similitudo est illustris: quod si qua est varietas , pro eo atque aliæ partes alijs magis ad Septentrionem aut meridiem vergunt, aut in medio sunt sitæ: nihilominus tamen communis affectio obtinet* . Arabes ergo in Mesopotamia. Quod si Alexandrum à Gaugamelis & Arbelis Babylonem deducas, à læua quoque Arabiam habebit felicem, sed extra Mesopotamiam . Arabibus porrò Alexander statuerat bellum facere, quod nullos ad se legatos misissent , vti Strabo est auctor . Sed Curtius de Arabiæ parte, quæ in Mesopotamia est , disseruit (non satis planè dirimens Arabiam odoriferam ab Arabia, quæ est in Mesopotamia) Mesopotamiæ fertilitatem & soli vbertatem describit , cuius caussam reddit, quod tellus illis duobus fluminibus Euphrate & Tigri inundetur . Et sanè de fœcundo Mesopotamiæ solo suffragatur, Dionysius Periegetes, & Eustathius ad eundem, Ego vtrumq;, quod prolixiores sint, prætereo.

Glarean. annot. in l. 6. Curtij.

*supra Li. 4. c. 22.

*Strabo lib. 16. initio.

Li. 1. p. 28.

A PASTV REPELLI PECORA DICANTVR) Negat hoc Glareanus, omnesque pecudes naturali modo contentas, aliam satietatem nescire. *Cæterum ridere , sanè liber, quoties authores Latini terræ facunditatem commendant, quod à pastu pecora repelli dicantur , ne satietas perimat : quasi pecora per se ipsa nesciant cibi modum , in quantumuis pingui regione . Vtinam multi mortales tam probè nossent sibi temperare. Pomponius Mela de Hybernia simile quiddam scripsit* . Quod de Hibernia subiungit hoc est Melæ: *Iuuernia*, (ita Hiberniam , seu Irlandiam vt hodie Germanis appellatur, vocat) *est panè par spacio , sed vtrinque æqualis , tractu littorum oblonga , cœli ad maturanda semina iniqui: verum adeò luxuriosa herbis non lætis modò, sed etiam dulcibus , vt se exigua parte diei pecora impleant: & nisi pabulo prohibeantur, diutius pasta dissiliant*. Quod autem ridiculum videatur Glareano pecudes satietate perimi , generatim verum est . Draco tamen Elephantis sanguine ebrius opprimitur, & commoritur. Et tanta pabuli dulcedo & pinguedo est, vt naturam gula vincat etiam in animantibus, hirundines quoque possint esse exemplo.

In lib. 6. Curtij nu. 64.

Li. 3. c. 6.

Plin. l. 8. cap. 12.

FERTILITATIS) quà ad Septentrionem & Armeniam vergit, est fertilior.

AMNES EX ARMENIAE MONTIBVS PROFLVVNT.) Idem testantur omnes Geographi. Scripsere de vtroque flumine præter literarum sacrarum interpretes, veteres & nouos, Græcos & Latinos, Herodotus, Diodorus Siculus, Dionysius Periegetes , & Eustathius ad eundem, Strabo, Ptolemæus, Arrianus, Plutarchus de fluminibus, si tamen non Pseudepigraphe est illius libri περὶ ποταμῶν: Sallustius Frag. Plinius, Solinus, Curtius, & multi recentiores. præclara sanè multa de his fluminibus referuntur, sed quæ parum ad rem nostram faciunt; proinde indicis munere defuncti redimus ad Curtium.

AQVARVM DIVORTIO) Eodem enim fonte ſcaturientes poſtea diuortium faciunt, quod nemo poteſt, niſi qui antea vnà fuerunt. Diuortium eſt interuallum amnium profluentium. Sallu-
Seruius ad 3. Aen. Iſid. l. 14. ſtius apud Seruium diſertè Euphraten & Tigrim iiſdem fontibus exiſtere docet. *Salluſtius*, inquit Seruius, *certiſſimus auctor aſſerit Tigrim & Euphratem vno fonte manare in Armenia, qui per diuerſa euntes longius diuidātur, ſpacio medio relicto multorum millium, quæ tamen terra, quæ ab ipſis alluitur, Meſopotamia dicitur.*

CIƆ.CIƆ.IƆ.STADIA) Efficiunt noſtratia milliaria octo & ſeptuaginta, cum beſſe. Magnoperè vereor, ne hic quoque labes ſit, & numerus per notarios & operas altero milleſimo creuerit. Diodorus enim mille quingentis ſtadijs ab ſe diuertere dicit, hoc eſt, milliaribus germanicis XL-
li. 11. p. 363. Solin. c. 40. VII. minus beſſe. Plura Strabo. Diuerſis tamen fontibus naſci plerique alij tradidere. Solinus de Euphrate.

Ad Peric. ſuprà laudatum. Euſthathius: *Fontes autem horum duorum fluminum aiunt inter ſe diſtare mille quingentis ſtadiis.* En & Euſtathius mille quingentorū ſtadiorum interuallum ponit, vt haud dubiè apud noſtrum Curtium pro *duobus millibus, mille* ſit legendum.

IIDEM CVM MEDIAE ET CORDIENORVM) Glareanus vtramque vocem caſtigat, & pro *Media* reponit *Armenia*, pro *Cordienorum*, *Gordyæorum*. Nam ita loquitur Glareanus.

Tigris & Eufrates Mediam nuſquam attingunt, tantum abeſt vt ſecent. Ergo pro Media legam Armenia, & pro Gordianorum, Gordiæorum. Neq; id temerè, ſiquidem præcipuos in Geographicis viros audire voluerimus. In hoc ſanè auctore multa temerè corrupta videntur, maximè verò in Geographicis Sero nimis, docti ei adhibuêre manus. Porrò cum paullò poſt de his duobus fluuiis dicat. Vicini maximè ſunt his campis, quos incolæ Meſopotamiam vocant, Mediam namque ab vtroq; latere concludunt. Mediam hic adiectiuum eſt, non ſubſtantiuum: vt intelligatur, terra hiſce incluſa fluminibus.

Sic equidem credebam animo, rectè ſentire Glareanum, & ipſe iam vocem *Media* mutaram in *medias terras*, nempe Gordyæorum. ſed cùm locum diligentius inſpicerem, & reuoluerem auctores, diſpiceremque, falli Glareanum deprehendi, qui nuſquam ab Euphrate & Tigri Mediam attingi putat. Diodorum Siculum audiat ſcriptorem antiquiſſimum & doctiſſimum, qui ſecundo Biblio-
Siculus p. 99. thecæ hiſtoricæ de Euphratis & Tigridis fontibus ita tradit. *Cæterum Semiramis alias etiam vrbes ad Euphratem & Tigrim condidit, vbi emporia illis conſtituit, qui merces è Media & Paratacene, totaq; vicinia important. Nam poſt Nilum & Gangem, totius propè Aſiæ nobiliſſimi amnes ſunt Euphrates & Tigris, ac fontes ſuos habent ex Armeniæ montibus: diſtantq; à ſe inuicem ſtadia CIƆ IƆ. Ac per Mediam Parætacenamq; delati, Meſopotamiam ingrediuntur: quam quia in medio includunt, regioni id nominis indiderunt.*

VICINI MAXIME) Ita lego, ſcribe, doce, non vt Modius, *vicina*, nam de amnibus agitur, & perpetuatur oratio, vt verè notauit Acidalius, vt & quod ſequitur: *Iidem per Bab. f. i. m. r. erumpunt.*

MESOPOTAMIAM) hodie Halapiam dicunt. ποταμὸς Græcis eſt amnis, μέσος medius. Terra ergo inter duos amnes media dicitur Meſopotamia, ita Germania vetus Danubio & Rheno definiebatur: Nunc vtrinque Germani fines & Danubij & Rheni latè transcenderunt. Meſopotamiam fusè deſcribit Plinius lib. 6. c. 26. Strabo, alii, etiam literarum ſacrarum interpretes.

Hoc interim obſeruandum, quod hic dicit Curtius, flumina hæc duo, quo longius manant, hoc anguſtius terræ quam includunt ſpacium facere, magiſque coire, ita vt ad Babylonem omnino conueniant, & ſimul in mare Erythræum erumpant. Proinde nauigio ſimilem terram efficere, præſertim ſi vtrumque flumen ab eodem fonte cum Salluſtio promanare dixerimus. Ita enim Meſopotamiæ terra proram à fontibus, ventrem in medio, puppim in fine referet. Ad Tapſacum quà traiecit Alexander vſque ad Tigrim, mille quadringenta ſtadia numerantur apud Strabonem, ita vt iam centum ſtadijs ſit anguſtior Meſopotamia, quam ſuprà. Vitioſè emenda-
Lib. 2. p. 54. uit, qui in ora ad Strabonem ſcripſit legendum pro χιλίοις σταδίοις, δισχιλίοις bis mille, aut certè apud Curtium etiam retinenda duo millia quingenta ſtadia.

ALEXANDER QVARTIS CASTRIS AD MEMNIN VRBEM PERVENIT) Quartis caſtris, quater caſtra metatus in itinere, ſeu quater caſtra poſuit, hoc eſt, quatuor diebus.

MEMNIN) hic alii legunt Memnium, alii Memnonium, MSS. Mennin. Aſſyriæ ciuitas eſt, vbi ſunt fontes butiminis.

BITVMINIS) Græcis νάφθα, ἄσφαλτος, καὶ τῆς ἀσφάλτου περίθημα, πετρέλαιον μύρον τῦ ἀγίυ βαρβά-
Suidas ρυ, καὶ Κυρίνυ· Μηδείας φάρμακον μηδείας ἔλαιον. Suidas voce Adiabene: Ἐν αὐτῇ δὲ ἐστι καὶ ἡ ἄσφαλτος ἡ λεγομένη νάφθα. τοσαύτην δὲ ἀσφάλειαν ποιεῖ τοῖς κλίσμασιν ἡ ἄσφαλτος, ὥστε ταῖς ὀπταῖς πλίνθοις καὶ τοῖς λεπτοῖς λίθοις συμμιγεῖσα, ἰσχυροτέρα γίνεται παντὸς σιδήρου. *In ipſa*, inquit Suidas, *eſt aſphaltus ſeu bitumen, quod & naphtha dicitur, cuius eſt tanta firmitas ſeu tenacitas, vti coctis lateribus & minutis mixta lapillis*
Li. 35. c. 15. *durior fiat omni ferro.* Vide Plinium

lib. 8. ca. 3. Ioſephus 1. Antiq. *Coctis lateribus ad firmitatem butimine ferruminatis.* Vitruuius: *Babylone*, inquit, *lacus eſt ampliſſima magnitudine, habens ſuperuatans liquidum bitumen, quo bitumine & latere teſtaceo conſtructum murum Semiramis Babyloni circumdedit.*

Bi-

Bitumen, inquit Rabanus, est feruentissimum & violentissimum gluten, cuius hæc est virtus, vt ligna, quæ eo lita fuerint, nec vermibus exedi, nec solis ardore, nec ventorum flatibus, nec aquarum possint violentia dissolui. Vide descriptionem Butiminis apud Strabonem li. 16 pag. 525. post med.

Sed præ omnibus est, quod Plutarchus in Alexandro, quando illum ad hunc locum deducit, de naphtha hac memorię prodidit. Tu si placet lege, quę ibidem de eadem naphtha Plutarchus subiungit. Diodorus alia quædam mira addit: In vita Alex. p 23. ante m. Diod l. 2. pag. 71.

Multa sanè Babylonia continet spectatu digna & admiranda: sed inter hæc non minimum admiratio-nis meretur butiminis copia illic exsudantis, quæ tanta est, vt non modò tot & tantis ædificijs sufficiat, verum etiam profusè à populo collectum, pro lignis siccatum crematur. Et licet ab innumerabili hominum multitudine, vtpote ex fonte amplissimo, hauriatur, integra tamen eius manet vbertas. Prope fontem istum scaturigo est haud ita magna, sed mirè efficax. vaporem enim sulfureum & grauem emittit, quo quicquid animantium accedit, subita nec opinata morte correptum extinguitur. Anhelitu enim diutius compresso & respirandi facultate, per vim exhalationis interclusa, præfocatur. Et continuo turgescens cadauer inflammatur, locis circa pulmones maximè. Hæc de bitumine hic dicta sunto. Hoc tantum obserua, Non hic de Ecbatanis regia Mediorum mentionem fieri à Plutarcho, sed cognomine loco ad Babylonem.

CAPVT III.

ARGVMENTVM.

Alexander Babylonem vltrò se dedentem ingreditur, & ab tota ciuitate effusa, lætus excipitur.



Ceterùm Babylonem procedenti Alexandro, Mazæus, qui ex acie in eam vrbem confugerat, cum adultis liberis supplex occurrit, vrbem, seque dedens. Gratus aduentus eius regi fuit, quippe magni operis futura obsidio tam munitæ vrbis. Ad hoc vir illustris & manu promptus, famaque etiam proximo prælio celebris, & ceteros ad deditionem sui incitaturus exemplo videbatur. Igitur hunc quidem benignè cum liberis excepit. Ceterum quadrato agmine, quod ipse ducebat, velut in aciem irent, ingredi suos iubet. Magna pars Babyloniorum constiterat in muris, auida cognoscendi nouum regem. Plures obuiam egressi sunt: inter quos Bagophanes arcis & regiæ pecuniæ custos, ne studio à Mazæo vinceretur, totum iter floribus coronisque constrauerat, argenteis altaribus vtroque latere dispositis, quæ non thure modò, sed omnibus odoribus cumulauerat. Dona eum sequebantur, greges pecorum, equorumque: leones quoque & pardales caueis præferebantur. Magi deinde suo more carmen canentes post hos Chaldæi Babyloniorumque non vates modò, sed etiam artifices cum fidibus sui generis ibant. Laudes ij regum canere soliti. Chaldæi siderum motus, & statas vices temporum ostendere. Equites deinde Babylonij suo equorumque cultu ad luxuriam magis, quam ad magnificentiam exacto, vltimi ibant. Rex armatis stipatus, oppidanorum turbam post vltimos pedites ire iussit. Ipse cum curru vrbem, ac deinde regiam intrauit. Postero die supellectilem Darij, & omnem pecuniam recognouit.

MAZAEVS QVI EX ACIE IN EAM VRBEM CONFVGERAT) De hoc supra Curtius: *Mazæus dato fugæ spatio non recto itinere* (quia incidisset in Alexandrum) *Sed maiore, & ob id tutiore circuitu Tigrim superat, & Babylonem cum reliquijs deuicti exercitus intrat*. Et passim multa supra de eodem: infra etiam de morte audies. Sed laus hic singularis cum elogio. Atqui fides exigebat, vt regem suum sequeretur in vltima fortuna non destituendum. fides enim extremum est vinculum mortalium: & *fidem qui perdit, perdere vltrà nil potest*. Sed Mazæus tribus maximis prælijs victum regem suum frustra secuturum se vidit; Iam enim omnis spes decollâ-rat, vt seruaret se, & suos, ad Alexandri fidem confugit, quam ad mortem vsque custodiuit.

Proximo praelio) in quo aduersus Parmenionem steterat, quem penè iam superarat, & impedimenta diripuerat regis, vt suprà cognouisti.

Qvadrato acmine) τετραπλεύρῳ quadrilatero, de quo Aelianus c.35. quando agmen ita incedit, vt ex omni parte paratum sit ad pugnam, cum quatuor latera continet exercitus.

In mvris) qui totam etiam ciuitatem capiebant, tam lati erant, vt infrà mox demonstrabimus.

Bacophanes) præfectus arcis & turris Babylonicæ, idemque, vt hodie appellant, thesaurarius, custos thesauri, gazæ & pecuniæ regiæ.

Iter floribvs coronisqve) Totius ferè Orientis hic mos, vt etiam Christo Hierosolymam ingredienti vestes, quasi hypostromata subijcerent, & palmis frondibusque vias consternerent. Et hodie totus orbis Christianus in festo sanctissimi & augustissimi corporis Christi conditoris & imperatoris orbis θριαμβεύοντος, vias omnes qua sacratissima pompa incedit, flore virentique herba conspergit, altaria ponit, ædes peristromatis vestit, symphonia, tubis, tibijs, organis, tympanis omnes festo concentu vrbes & aerem implet. Sed hic mos primum à regibus Persarum profluxisse videri potest, omnemque post in orbem propagatus. Herodotus mihi dux & index moris, cuius verba sunt de Xerxe,

Herod. l. 7. cum Hellespontum ponte iunxit & traiecit. θυμιήματά τε παντοῖα ἐπὶ τῶν γεφυρέων καταγίζοντες, καὶ μυρσίνῃσι στορνῦντες τὴν ὁδὸν, *omnis generis odores in pontibus congerentes, ac myrto iter consternentes.* Alexander ipse apud Curtium, Liberi triumphum æmulatus vicos omnes,

Cur. l. 9. c. vlt. per quos pompa ingressura erat, floribus coronisque sterni iussit. Neque in triumphis & regibus locum ingredientibus, hoc duntaxat fieri solitum. Etiam in communi vrbium lætitia, id factitatum docet Herodotus. Nam cum nuncius Susa de captis ab Xerxe Athenis esset allatus: Ἔτερψε, inquit, οὕτω δή τι Περσέων, τοὺς ὑπολειφθέντας, ὥς τάς τε ὁδοὺς μυρσίνῃσι πάσας ἐστόρεσαν καὶ ἐθυμίων θυμιήματα, καὶ αὐτοὶ ἦσαν ἐν θυσίῃσί τε καὶ εὐπαθείῃσι. *Adeo*, inquit, *nuncius relictos ibi Persas affecit, vt vias omnes myrto consternerent, ac per eas odores incenderant, & ipsi in sacrificijs & gaudijs versarentur.* Id in Olympiacis ludis nonnunquam factitatum, vt floribus & coronis per viam gratulationis caussa aspergerentur. Pausaniam in Eliacis audi, vbi affir-

Pausanias l. 6. Eliacorum. mat Diagoram patrem Acusilai & Damageti à filijs Olympionicis, humeris in media arena circumlatum, & rosis coronisque cum faustis acclamationibus aspersum. Διαγόραν δὲ καὶ ὁμοῦ τοῖς παισὶν Ἀκουσιλάῳ καὶ Δαμαγήτῳ ὀλέγουσιν ἐς Ὀλυμπίαν ἐλθεῖν, νικήσαντες δὲ οἱ νεανίσκοι, διὰ τῆς πανηγύρεως τὸν πατέρα ἔφερον βαλλόμενόν τε ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων ἄνθεσι καὶ εὐδαίμονα ἐπὶ τοῖς παισὶ καλούμενον. Sed hoc quasi priuatum: ille Persicus & publicus transijt. Ouidius de Tiberio Cæsare Liuiæ F.

Li. 4. de Trist.

Hoc super incurru Cæsar victore veheris
Purpureus populi ritè per ora tui.
Quoq; tibi manibus circum plaudere tuorum,
Vndique iactato flore tegente vias.

Liuius de Q. Flaminio, Ludis verò dimissis, cursu propè omnes tendere ad Imperatorem Romanum, vt ruente turba in vnum adire, contingere dextram cupientium coronas, lemniscosque iacientium haud procul periculo fuerit. Ouidius ad eum morem de Cupidine alludit:

Lib. 1. de Amor.

Læta triumphanti de summo mater Olympo
Plaudet, & appositas sparget in ora rosas.

Tacitus, *Octauiæ imagines gestant humeris, spargunt floribus.* Et hæc extra triumphos, vt & illud a-

Lib. 24. pud Capitolinum de M. Antonino, Coronas in puluinar de more iacientibus. Herodianus de ingressu Commodi in vrbem: τοιοῦτον δὲ θεασάμενοι τὸν βασιλέα οἱ Ῥωμαῖοι, εὐφημίαις τε καὶ παντοδαπαῖς καὶ στεφάνων καὶ ἀνθέων βολαῖς ὑπεδέχοντο. *Talem igitur imperatorem faustis ominibus, acclamationibus, varijsq; omnium & coronarum florūq; sparsionibus exceperunt.* De triumpho rursus verò Tiberij, quem de Illyrico perdomito retulit, spargit iterum rosas Ouidius:

2. eleg. 2. de Ponto. *zoratis.

Quaq; ierit felix adiectum plausibus omen,
Saxaq; *iactatis erubuisse rosis.*

Sed de hoc Curtij loco & more veterum Assyriorum, Persarum, Palæstinorum, Romanorum, & totius propè mundi plus satis. Nihil tamen illustrius fuit hoc Alexandri triumpho, quo à Babylonijs, paulo antè hostibus, exceptus est, quem leones quoque & pardales, immanissimæ feræ occurrentes, quantumuis clausæ caueis augebant.

Eustath. ad Diony. p. 125. Magi deniqve svo more.) De Magis Persarum suprà lib. 3 dictum. Erāt Persarum honoratissimi & sapientiæ laude incliti, non pharmacis aut veneficijs, & malis artibus, vt hodie, infames. Ταύτην (Μαγικὴν) ἐφεῦρον, inquit Suidas, Μῆδοι καὶ Πέρσαι· ἡ διαφέρει τῆς γοητείας καὶ αὐτῆς φαρμακείας. *Hanc Magicam inuenerunt, Medi & Persæ, quæ differt à præstigijs & veneficijs.*

Brisson. fuse de his l. 2. p. 178. & seq. Cæterùm cantus, symphonias, instrumentum musicum omnis generis, in triumphis omnibus propè gentibus vsitata fuisse docent literæ sacræ & profanæ. Pharaone Aegyptio cum omnibus copijs

pijs Erythræi măris fluctibus obruto & deleto, cecinit Moses & Maria epinicion. Dauide post deiectam sunda molem gigantæam, regresso, chori virginum Hebræarum egressi cum tympanis & sistris cecinerūt, *Percussit Saul mille, & David decem millia.* Ipse Dauid in triumpho receptæ & reductæ arcæ sacræ, cum toto populo *lusit coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis, & sistris & cymbalis.* In triumphis Rom. Onuphrius Panuuinus tubicines, tibicines, phonascos, cytharœdos describit & depinxit. Ex quo tantùm hic subscribā, quæ ad hûc locum illustrandū pertinent. *Primò senatus vniuersus Capitolium versus praibat: post senatum tibicines cum tubis classicum resonantibus, fertisq, redimiti, currus spolijs refertos præcedebant.* Et infrà: *Post alij tibicines aderant, non mitæ aut suaue, sed bellicum praclinentes.* Rursum subijcit Onuphrius, *Sequebatur deinceps dux ipse seu pop. Rom. Imperator, &c. Circum currum verò citharœdorum ac tibicinum turba veniebat modulis elegantissimis concinentes. Hi succincti, coronisq, aureis redimiti suo quisque ordine psallentes canentesq, prodibant. Denique de ipsis militibus laureatis carmina patria saltibus & risu permixta canentibus, quibus ducis laudes* (aut vitia etiam) *complectebantur.* Exod. 15. 1 Reg. 18. 2. Reg. 6. Onuph. Pan. de triump. Rom. p. 6. & 7.

Quæras iam fortasse, quod fuerit carmen à Magis Alexandro dictum? nusquam editum memini, hypothesin tamen illius & argumentum Curtius non obscurè indicat, quando subiungit, *Laudes regem canere soliti.* Nini, credo, Semiramidis, Darij Medi, Cyri, & ipsius Alexandri trigesimam aduersus Darium victoriam, clementiam, fortitudinem, continentiam, liberalitatem.

CHALDAEI.) Populus infrà confluentem Euphratis & Tigris situs, læua fluminis Chaldæi obtinent, dextra Nomades Scenitæ, inquit Plinius. Eustathius ad Periegetem docet, Chaldæos dictos à quodam Chaldæo nomine rege Babyloniorum quarto decimo post Ninum, eumque Babylonem posuisse, & conuenas à se dixisse Chaldæos. Sed quod genus hoc hominum Chaldæorum & Vatum, & Mathematicorum, accuratè docet in sextodecimo geographiæ Strabo. Plin. l. 6. c. 25. Strab. l. 12. p. 505. v. 3. à fin.

Constituta est habitatio peculiaris in Babylonia philosophis indigenis, plurimum astronomiam tractantibus, qui Chaldæi appellantur. Sunt ex ijs, qui è natalibus hominum euentura ijs vaticinari se profiteantur: sed à cæteris non probantur. Est & Chaldæorum natio & Babylonia regio ab eis habitata, Arabibus & mari proxima, quod Persicum appellatur. Chaldæorum astronomicorum genera sunt aliquot. Nam quidam Orcheni dicuntur, quidam Borsippeni, & alij complures, qui (vt in sectarum fieri solet diuersitate) eisdem de rebus aliter atque aliter statuunt. Mathematici quoque nonnullos eorum commemorant: vt Cidenam, & Naburianum, & Sudinum, & Seleucus ex Seleucia Chaldæus est, atque alij complures illustres viri.

STATAS VICES TEMPORVM.) Annum enim in 365. dies distribuêre, Lunæ & Solis desfectiones & siderum errantium vices, astrorumque motus & conuersiones, accessus ad solem & recessus docuêre. Ad quos etiam Græci philosophi discendi caussa profecti sunt. Quod multis testibus comprobat Brissonius, *Atque hos Persarum,* inquit, *Magos Pythagoras adijsse fertur, beata vita comparanda causa, cuius cupiditate incredibili ardebat, vt Cicero lib. 5. de Finib. scribit.* Plinius lib. 30. c. 1. in Magices commendatione. *Certè Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato, ad hanc discendā nauigauere, exiliis verius quàm peregrinationibus susceptis. Hanc reuersi prædicauêre, hanc in arcanis habuêre. Democritus, Apollonicem, Captidenem, & Dardanum è Phœnice illustrauit, voluminibus Dardani in sepulchrum eius petitis, suis verò ex disciplina eorum editis.* Democritum vtique post Pythagoram, *Magorum studiosissimum,* idem Plinius lib. 34. cap 17. vocat. Apollonius etiam Tyanæus, hanc sibi in Perside morandi, cum ad Indos iter haberet, caussam fuisse aiebat, cum vt regem intueretur, tum, σοφίαν ἥκει ἐπὶ Πέρσας ἐπιχώριον, μελετωμένη Μάγοις ἀνδράσι, κατιδεῖν δεόμενος, εἰ τὰ θεῖα, ὡς λέγονται, σοφοί εἰσιν. Idemque aliquando cum ijs conuersatus post multa, bis in die, videlicet meridie, & circa medias noctes habita colloquia; cum esset ex eo quæsitum, quid de ijs sentiret, respondisse fertur, Σοφοὶ μέν, ἀλλ' οὐ πάντα. Vtrumque Philostrat. lib. 5. de Vita Apollonij scribit. Brisson. l. 11. p. 186.

EQVITES DEINDE) Redit ad intermissam narrationem de ingressu Alexandri in Babylonem.

AD LVXVRIAM MAGIS, QVAM AD MAGNIFICENTIAM) Nimius ornatus luxuriam redarguit; sobrius, modestus, grauis, maiestatem & magnificentiam auget. Totam hanc pompam non inelegantes carmine Gualterus cum eximio Alexandri encomio cecinit. lib. 5. extremo.

ARMATIS STIPATVS suis Macedonibus, non Persis Babylonijs, quos omnes in vltimum agmen reiecit, suis enim fidere, al enis non item poterat, quantumuis manifesta beneuolentiæ signa præferrent. Quicquid enim coactum est, fidum non est.

CVM CVRRV) triumphantis ritu.

SVPELLECTILEM ET PECVNIAM RECOGNOVIT) Iustinus XXXI. continuis diebus prædam recognouit: Orosius XXXIV. d ex pomtualij quadraginta; Curtus XXXIV. dies in vrbe moratum scribit. Quod autem apud Iustinum sequitur: *In vrbe deinde clausa* XL. *millia talentorum inuenit,* censeo legendum, *In vrbe deinde Susa.* nam ibi tradunt alij illa XL. seu L. millia talentorum reperta, vt Curtius infra docet. Quanta porrò pecunia fuerit, non editur à scriptoribus. Nam illa apud Iustinum XL. millia talentorum ad Susa referuntur: magnam tamen inde fuisse constat, cùm infrà Curtius narret, equitibus singulis Macedonibus sexcenos denarios, peregrinis quingenos, peditibus ducenos datos. Erant equitum, Arriano auctore, millia septem, peditum millia XL. De his plenius infra c. 6. Plutarch.

CAPVT IV.

ARGVMENTVM.

Babylonis descriptio.



AEterum ipsius urbis pulchritudo ac vetustas non regis modò, sed etiam omnium oculos in semet haud immeritò conuertit. Semiramis eam condiderat, vel (vt plerique credidere) Belus, cuius regia ostenditur. Murus laterculo coctili: bitumine interlitus, spacium 30. & ducrum pedum latitudinem amplectitur, quadrigæ inter se occurrentes sine periculo commeare dicuntur. Altitudo muri L. cubitorum eminet spacio. Turres denis pedibus, quàm murus, altiores sunt. Totius operis ambitus CCCLXVIII. stadia complectitur, singulorum stadiorum structuram singulis diebus perfectam esse memoriæ proditum est. Aedificia non sunt admota muris, sed ferè spacium iugeri vnius absunt. Ac ne totam quidem vrbem tectis occupauerunt: per 80. stadia habitabatur, nec omnia continua sunt, credo, quia tutius visum est pluribus locis spargi. Cætera serunt coluntq́, vt si externa vis ingruat, obsessis alimenta ex ipsius vrbis solo subministrent. Euphrates interfluit, magnaq́ molis crepidinibus coercetur. Sed omnium operum magnitudinem circumueniūt cauernæ ingentes in altitudinem pressa ad accipiendum impetum fluminis: quod vbi appositæ crepidinis fastigium excessit, vrbis tecta corriperet, nisi essent specus lacusq́ qui exciperent, Coctili laterculo structi sunt; totum opus bitumine astringitur. Pons lapideus flumini impositus iungit vrbem. hic quoque inter mirabilia Orientis opera numeratus est: quippe Euphrates altum limum vehit, quo penitus ad fundamenta iacienda egesto, vix fulciendo operi firmum reperiunt solum. Arena autem subinde cumulata, & saxis quibus pons sustinetur, annexa, morantur amnem, qui retentus, acrius quàm si libero cursu mearet, illiditur. Arcem quoque ambitu 20. stadia complexam habet: 30. pedes in terram turrium fundamenta demissa sunt: ad 80. summum munimenti fastigium peruenit. Super arcem, vulgatum Græcorum fabulis miraculum, pensiles horti sunt, summam murorum altitudinem æquantes, multarumq́ arborum umbra & proceritate amæni. Saxeæ pilæ, quæ totum onus sustinent, instructa sunt. Super pilas lapide quadrato solum stratum est, patiens terræ, quam altam iniiciunt, & humoris quo rigant. adeoq́ validas arborum sustinent moles, vt stipites earum 8. cubitorum spacium crassitudine æquent, in 50. pedum altitudinem emineant, & frugiferæ æquè sint, ac si terra sua alerentur. Et cùm vetustas non opera solum manufacta, sed etiam ipsam naturam paulatim excedendo perimat, hæc moles, quæ tot arborum radicibus premitur, tantiq́ nemoris pondere onerata est, inuiolata durat: quippe 20. lati parietes sustinent, 11. pedum interuallo distantis, vt procul visentibus siluæ montibus suis imminere videantur. Syriæ regem Babylone regnantem hoc opus esse molitum memoriæ proditum est, amore coniugis victum, quæ desiderio nemorum siluarumq́ in campestribus locis, virum compulit naturæ genium amænitate huius operis imitari.

IPSIVS VRBIS PVLCHRITVDO.) Etsi nobis ad primum Val. Martialis epigramma non pauca de Babylone, & Babylonis conditoribus dicta sint, quæ huc transcribi queant; iuuat tamen enucleatiùs hic singula dispicere, quando Curtius quoque ad singula ferè descendit, idemque & quæ intra, & quæ extra vrbis mœnia visenda sunt, describit. Placet ante omnia edere nomina scriptorum, qui Babylonem calamo suo elegantiùs depinxére. Primus omnium & antiquissimus scriptorum est Moses. Secutus Mosen post multa seculorum interualla Herodotus, Herodotum Ctesias, Ctesiam Berosus verus ille, non qui hodie spurius extat Annij Viterbiensis, Diodorus Siculus, Strabo, Dionysius Periegetes cum suo interprete Eustathio diu post nato; Iosephus, Plinius, Philostratus, Iustinus, Orosius, Tzetzes, & ante haud multos annos noster Pererius ad 11. Gen. copiosissimè. Atque hi potissimum laudandi sunt scriptores de Babylone. Prætereo alios: ad Curtij descriptionem venio. Pulchritudinem vrbis cum Curtio ex scriptoribus antiquis laudat D. Hieronymus: Describit ibi templa marmorea, aureas statuas, plateas lapidibus auroque refulgentes, & multa alia, quæ

quæ pænè incredibilia videntur. Sed longè planiùs de pulchritudine Babylonis Philostratus. Philostratus lib. 1. c. 18. vitæ Apollonij.

Regia etiam ære adopertæ fulgent: thalami verò & conclauia virorum, porticus atque atria cum argenteis, tum etiam aureis texturis, atque ipso auro tanquam picturis nitent. Peplorum autem seu stragulorum variegationes ex Græcorum fabulis originem trahunt: Itaque Andromeda, Amymona & Orpheus plerisque locis cernebantur: plurimum namque incolæ Orpheo gaudent, tiaram forsitan & feminalia admirati: nam musicæ disciplinam, quæ in eo fuit, aut illecebrosa eius carmina in precio non habent. Visebatur quoque & Datis intextus Naxum insulam ex mari diuellens, & Artaphernes Eretriam obsidens, & omnes Xerxis regis victoria. Neque procul aberant Athenæ, & Thermopylæ, & quæcunque à Medis parata sunt, & flumina à terra sublata, & maris Hellespontiaci iugum, contraq; perfossus Athos. Ferunt tamen & in porticum venisse, cuius suprema pars in formam clypei fabricata cæli faciem imitabatur, Sapphiro lapide extrinsecus adoperta, qui lapis maximè caeruleum cæli colorem refert, vbi eorum quos ipsi deos habent, imagines ex auro, tanquam ætheris colorem imitantes sculptæ erant. Is autem locus est vbi rex ius dicere consueuit.

Herodotus tribus verbis: ἐκόσμητο δὲ ὡς οὐδὲν ἄλλο πόλισμα τῶν ἡμεῖς ἴδμεν. Sed de his infrà mox plura.

Semiramis avt Belvs.) Conditores Babylonis quinque vel sex lego apud rerum scriptores: Nembrodum, Babylonem, Belum, Ninum, Semiramidem, Nabuchodonosorem. De Nemrodo loquuntur *a* literæ diuinæ. De Belo Nini patre Curtius, & apud Eusebium, *b* Alphæus, & alij. Mercator Nembrotum putat eundem fuisse cum Nino; quem refutat *c* Pererius. Babylonem Medi filiũ laudat *d* Stephanus de vrbibus: Βαβυλὼν, inquit, περσικὴ πόλις μητρόπολις Σελευκεία κεκλημένη Βαβυλῶνος ἀνδρὸς κτίσμα παλαιότατον σοφωτάτου παιδὸς Μήδου. οὐχ ὡς Ἡρόδοτος ὑπὸ Σεμιράμιδος· ταύτης γὰρ ἦν ἀρχαιοτέρα ἔτεσι χιλίοις δύο, ὡς Ἑρέννιος: *Babylon Persica vrbs caput regni, Seleucia dicta, Babylonis antiquissimum opus viri sapientissimi Medi filij: non vt Herodotus vult, Semiramidis, qua duobus millibus annorum Babylon fuit antiquior, vt Ereanius ait.*

a Gen. 10. *b* Alphæus apud Eusebium. *c* Perer. l. 15. ad cap. 10. Gen. disp. 3. *d* Stephan. de vrbibus.

Sed Stephanus nugas agit cum suo Erranio de duobus millibus annorum. * Alexander Polyhistor testimonio Eupolemi confirmat à gigantibus post diluuium esse ædificatam. Abydenus antiquissimus scriptor, & Dionysius Periegetes Belum Nini patrem, socerum Semiramidis faciunt conditorem Babylonis, quanquam apud Dionysium de Belo non vt conditore, sed velut Deo mentio, cuius carmina hæc sunt de Babylone.

* Alexand. Polyhistor.

Πρὸς δὲ Νότον Βαβυλὼν, ἱερὴ πόλις ἥν ῥά τε πᾶσαν
Τείχεσιν ἀρρήκτοισι Σεμίραμις ἐστεφάνωσεν·
Αὐτὰρ ἐπ' ἀκροπόληι μέγαν δόμον εἵσατο Βήλῳ
Χρυσῷ τ' ἠδ' ἐλέφαντι καὶ ἀργύρῳ ἀσκήσασα.
Ad partes Austri Babylon, quam mœnibus olim
Mirandis posuit, firmisq; Semiramis vrbem,
Cuius in arce domum splendentem fecerat auro,
Quam simul argentum variè decorauit, eburq;.

Perieg. Eustathij p. 126.

Nabuchodonosor apud Danielem iactat se de condita Babylone: *Nónne hæc,* inquit, *est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Daniel ca. 4. v. 27.

Semiramidem tamen plerique conditricem vrbis, aut certè mœnium faciunt scriptores. * Propertius:

Persarum statuit Babylona Semiramis vrbem,
Vt solidum cocto tolleret aggere opus,
Et duo in aduersum misit per mœnia currus,
Ne possent tacto stringere ab axe latus.

* Herodotus lib. 1. Diodorus lib. 2. Strabo lib. 16. Mela lib. 1. cap. 2.

Strabo. ὧν ὁ μὲν Νῖνος ὁ τὴν Νίνον ἐν τῇ Ἀτουρίᾳ κτίσας, ἡ δὲ τούτου γυνὴ ἥπερ καὶ διεδέξατο τὸν ἄνδρα Σεμίραμις, ἧς ἐστι κτίσμα ἡ Βαβυλών. *Quorum Ninus Ninum vrbem in Aturia condidit. Huius autem vxor, quæ & marito successit in regno, Semiramis, cuius opus est Babylon.*

Cum Strabone docet idem Diodorus, qui & vrbem accuratè cum toto opere describit. lib. 2. Bibl.

Quæras iam quid de conditore sentiam, quemque parentem vrbis & auctorem nominem? Dicam apertè & disertè, proscripto ficto Stephani Babylone Medi filio (quem tamen etiam totidem verbis cum Stephano Eustathius celebrat & annis) & Nemrodum, & Belum, & Semiramidem, & Nabuchodonosorem ordine fuisse omnes conditores, excepto Mercatoris Nino, id factum hoc modò, vt verè ostendit Pererius noster his verbis. *Ego,* inquit, *ita sentio. Primum omnium conditorem Babylonis fuisse Nemrod, vt suprà probatum est: sed hunc Nemrod non fuisse alium quàm Belum patrem Nini, paulò antè ostensum est. Quare qui Belum faciunt conditorem Babylonis, à nobis minimè discordant, quemadmodum Eupolemus aiens ædificatam esse à gigantibus, id ipsum, quod nos sentimus, significare voluit. Sed quia eam vrbem exiguam, & inundationibus Euphratis penè dirutam & vastatam, postea Semiramis amplissimam, munitissimam & ornatissimam fecit, propterea non immeritò ædificatrix eius vrbis celebratur.*

Conditores Babylonis veri qui? Perer. ad ad cap. 10. Gen. l. 15. & ad cap. 4. Danielis.

Sed enim cum post Semiramidem, qui consecuti sunt reges Assyriorum, posthabita Babylone, coluerint Niniue, eamque fecerint Regiam, id est, sedem caputq; imperij Assyriorum, (vt narrat Diodorus lib. 3.) hinc acci-

accidit, vt Babylon à regibus deserta, & insuper Euphratis eluuionibus, & hostium incursionibus vastata, diu obscura & ignobilis fuerit: quoad post euersa Niniue, rex Nabuchodonosor Babylonem de integro instaurauerit, & latißimè amplificatam magnificentißimis operibus adornauerit, eoq; sedem imperij, vt quondam fuerat, restituerit. Ex his apparet, si quis rem ipsam benè perpendat, non esse discordes scriptores, licet diuersa de Babylonis conditore scripsisse videantur.

Habes ergo tres ordine conditores: Nemrodum, qui idem cum Belo, habes Semiramidem & Nabuchodonosorem.

CVIVS REGIA OSTENDITVR.) Duæ regiæ erant, de quibus Philostratus, quem suprà adduximus. Sed longè clariùs Diodorus: *Regias etiam duas ex vtraque pontis regione ad fluuium ædificauit: vnde in totam vrbem prospectum & quasi claues ad loca eius opportunißima habitura esset. Cumq; mediam Euphrates Babylonem intersecet, ad meridiem festinans, castellorum aliud ad ortum, aliud ad occasum vergebat. Magnis vtrunque impendijs extructum. Nam quod ad Occidentem iacet, primum ambitum 60 stadiorum altis & sumptuosis mœnibus, ex cocto latere constructum habuit. Alter intrinsecus in orbem ductus, in crudis adhuc lateribus omnis generis animantia, colorum artificio ad veritatis similitudinem efficta, continebat; Is (auctore Ctesia) 40 stadia longus, lateres trecentos latus, & 50. Orgyiarum altus erat. Turres ad 70. Orgyias surgebant. Tertius tandem murus & intimus arcem circumdedit, qui 30. stadia complexus, tum longitudine, tum latitudine intermedij structuram operis superabat. Turres & mœnia bestias omnis generis coloribus & figuris ad viuum expressas, repræsentabant. In primis venatio illic erat variorum plena animantium, quæ magnitudine quatuor cubitos excedebant: & inter hæc Semiramis conspiciebatur ex equo pardalim iaculans, & propè vir eius Ninus, lancea cominus feriens leonem. Tres quoque portas erexerat. Sub quibus cœnacula ex ære, quæ machina aperirentur. Hoc palatium, tum magnitudine, tum ornatu, alteri ex aduersa fluuij ripa longè præcellebat. Nam extimus illius murus, ex cocto latere factus, 30. tantum stadia obtinebat. Loco bestiarum arte effictarum ænea Nini & Semiramidis, præfectorumq;, & Iouis, quem Belum Babylonij nominant, imagines; nec non instructa acies, & venationes multifariæ ad variam spectantium voluptatem proposita erant.*

Sicul. l. 2. p. 56. 4. à f.

De Beli verò templo, & ipse multa Diodorus, cuius tamen ætate iam corruerat: sed & Herodotus, cuius verba adscribo, qui turrim quoque erigit, alteramque alteri velut Ossam Olympo, vt ex hoc loco Poetæ fingendi occasionem sumserint. *In altero verò* (muro) inquit Herodotus, *Iouis Beli templum æreis portis, id quod mea etiam nunc ætate existit, duorum vndecumque stadiorum amplitudine, figura quadrata. In sacri medio turris solida, craßitudine simul & altitudine stadij, cui alia rursus superimposita turris, & huic subinde alia ad octauam vsque. His forinsecus scalæ sunt in circuitu adhibitæ, per quas ad singulas conscenditur turres. In medijs gradibus ductus, sellæq; in hoc factæ, in quibus ascensuros liceat sedere ac conquiescere. In postrema turri sacellum est aliud, in quo lectus est splendidè stratus, & apposita mensa aurea. Statua tamen in hoc sacello nulla est: neque hic noctu cubat hominum aliquis præter mulierem vnam ex indigenis, quam ex omnibus Deus delegerit, vti narrant Chaldæi huius Dei sacerdotes, &c.*

Hero. lib. 1. p. 33.

MVRVS LATERCVLO COCTILI B. I. S. XXX. ET DVORVM PEDVM LATITVDINEM AMPLECTITVR.) Mirum est, quod apud neminem, nisi Eustathium ad Periegetem in Commentario nondum Latinè vnquam reddito, memini legere, quod contra omnium scriptorum fidem est & auctoritatem, muros Babylonis à Semiramide circumdatos, fuisse æreos totos: Hocque affirmat Eustathius ex aliorum quoque sententia se scribere, qui ad id credendum fuerint inducti versu Dionysij Periegetæ.

———ἥν ῥά τε πᾶσαν
Τείχεσιν ἀῤῥήκτοισι Σεμίραμις ἐστεφάνωσε.
Quam mœnibus non infringendis totam cinxit Semiramis.

Iam Eustathius, Βαβυλὼν ἱερὰ πόλις τεῖχος περιβεβλημένη χαλκοῦν κατά τινας καὶ ποταμῷ περιῤῥεομένη. ταύτην φησὶ πᾶσαν τείχεσιν ἀῤῥήκτοισι Σεμίραμις ἐστεφάνωσεν. ὅπου γὰρ τινες ὡς εἴρηται καὶ χαλκοῦν αὐτῇ τεῖχος ἱστόρησαν. καὶ ἄλλα πολλὰ θαυμάσια. *Babylon sacra vrbs muro aheneo circumdata, vt quorundam est sententia, & flumine circumfusa. Hanc,* inquit Dionysius, *irruptis muris coronauit Semiramis. Vnde quidam, vti dictum, murum vrbi aheneum circumdatum scripsere.* Ast ego facilius inducar vt credam, quod in Menæis Macario Romano narratur à cœlite, Paradisi hortum duplici muro cinctum à Deo, qui potest omnia, fuisse ferreo & aheneo, quàm mœnia Babylonis fuisse ærea. In Menæis tamen ita leges. Διὰ νυκτὸς ἐφάνη μοί τις λέγων, μὴ θελήσῃς πειράσασθαι πλάσαι τοῦτο, οὐ δύνασαι γὰρ πλέον διελθεῖν τοῦ τόπου τούτου. καὶ εἶπον, διατί, κύριέ μου; ὁ δὲ εἶπεν, ἀπὸ μιλίων εἴκοσι τῶν ὧδε ἐστὶ τεῖχος σιδηροῦν καὶ ἐνδότερον τούτου τεῖχος χαλκοῦν, &c. Hæc in vita Macarij Romani Menæa, & nunc in Vitis PP. alia omnia & plura etiam. hæc tamen de muris ferreis & aheneis desiderantur.

23. Octobr. Rosvveid. vitæ patr. Vol. 1. p. 228.

Cæterùm quod ad Babylonem attinet, cum vrbs centum habuerit portas, & fores aheneæ essent omnes, quales Virgilius de Carthaginensis ædis, quam Dido moliebatur, cardinibus cecinit:

Virg. l. 1. Æn. v. 450.

Hic templum Iunoni ingens Sidonia Dido
Condebat, donis opulentum, & numine Diuæ:
Aerea cui gradibus surgebant limina, nexæq;
Aere trabes: foribus cardo stridebat ahenis.

Ita

Ita teorà parte mœnium, portarum, inquam, nonnulli tota mœnia ærea dixêre. *Porta verò vrbis Belides dicebantur*, vt docet Eustathius: *Belus*, inquit, *erat filius Iouis (à quo & porta Belides dictæ) aut ipse potius Iupiter, vt quorundam est sententia.* Belus verò cùm idem cum Nemrodo fuerit, stirpem illius apud Pererium reperies; impius certè & tyrannus fuit, & auctor idololatriæ. Iam de germanis Babylonis mœnibus, ex veris scriptoribus tradamus.

Curtius ergò murum vrbis non ære fusum, non lapide & saxo cæmentoque structum, sed laterculo igne cocto & bitumine seu naphtha, omni cæmento firmiore interlitum & adstrictum, duos & triginta pedes (non triginta & duos seu triginta & duorum, vt mendosi libri præferunt) fuisse latum.

Hic primus rursum obstrepit Eustathius ad Periegesin Dionysij, & ex aliorum sententia scribit mœnia non tantum ex coctili laterculo, sed ingentibus saxis, cæsis etiam & politis tricubitalibus, quà latitudinem tanto altero longis exædificata & surrecta. in cæteris ferè cùm Curtio conuenit. *Huius*, inquit, *vxor, vt virum suum Ninum* (qui Ninum seu Niniuem condidit) *superatura, Babylonem in campo latere coctili & lapidibus politis singulis tres cubitos latis, sex longis molitur, cuius ambitus continebat stadia trecenta octoginta quinque* (duodecim milliaria Germanica minus besse) *murum autem extulit ad quinquaginta cubitos, latum cubitos triginta, vt quadrigæ sibi è contrario occurrentes transeundo non offenderent.*

In altitudine quinquaginta cubitorum omnes consentiunt. Turres ex mœnibus surgentes denis pedibus altiores erant muro: ita vt mœnia essent alta pedes septuaginta quinque, turres octoginta quinque. Brissonius pro denis pedibus, *denis cubitis* rescribendum putat.

TOTIVS OPERIS AMBITVS CCCLXVIII. STADIA COMPLECTITVR.) Lege CCCLXV. tot enim sunt dies anni. vndecim ergò milliaria nostratia & semis, mœnium ambitus continebat.

Herodotus auget rem, & murum fuisse quadratum, singulaque latera continuisse centum viginti stadia: vniuersim ergo quadringenta octoginta stadia quindecim milliaria Germanica cōficiunt. lib. 1. c. 178.

Iuuat etiam Diodorum cognoscere, apud quem est mira laus Semiramidis, quæ cum de Babylone condenda deliberasset, vicies centena millia hominum coegit, & murum trecentorum sexaginta stadiorum vrbi circumdedit, mediam interfluente Euphrate. *Erat tanta operis magnificentia, vt mœnium latitudo sex iuxta curribus vehendis sufficeret. Altitudo verò omnium qui audirent fidem, vt Ctesias ait, excederet. Vt verò Clitarchus, & qui cum Alexandro in Asiam postea traiecerunt, literis prodiderunt, ambitus 365. stadiorum, quot anni dies, stadiorum numero æquare studuisset. Murum lateribus bitumine adstrictis coagmentauit. 50. orgyias teste Ctesia altū, vel vt alij 50. cubitos tantum, vt latitudo aliquanto plus, quàm duobus curribus satis esset, spacij obtineret.* Hæc Diodorus de ipsis mœnibus, qui mox subijcit de turribus, vti dicam. Cæterùm orgyiam accipiunt alij pro vlna, hoc est, quatuor cubitorum longitudine, alij pro passu vno, qui quinos continet pedes. quatuor cubiti sex pedibus constant. Vlnam porrò extendunt ab extremis vtriusque manus digitis cum brachis extentis vna cum pectore, quę, vt dixi, quatuor cubitos complectuntur. Iam de turribus, Turres, inquit Siculus, ducentos quinquaginta adiecit, quarum altitudo & latitudo operis magnitudini responderet. Strabo latum facit murum pedes 32. altum cubitos quinquaginta seu pedes 75. Plinij sententiâ, Babylon sexaginta millia passuum muris amplectebatur, ducenos pedes altis, quinquagenos latis, in singulos pedes ternis digitis mensura ampliore, quam Romana.

Pa. 45. v. 9. Diod. lib. 2. li. 11. pa. 68. Capellum vide. Strabo l. 16. Plin. lib. 6. cap. 26.

Solinus Plinium secutus vrbem sexaginta millia passuum circuitu patuisse scribit, murisque circumdatam, quorum altitudo ducentos pedes detinebat, latitudo 50. in singulos pedes ternis digitis vltra quàm mensura Romana erat altioribus.

Iustinus sine dimensione: *Hæc* Semiramis *Babylonem condidit, murumque vrbis cocto latere circumdedit arena, pice, bitumine interstrato.* lib. 1.

Orosius: *Hæc campi planicie vndique conspicua, natura loci lætissima, castrorum facie mœnibus paribus per quadrum disposita, murorum eius vix credibilis relatu firmitas & magnitudo, id est, latitudine cubitorum quinquaginta, altitudine quater tanta. Cæterum ambitus eius 480. stadijs circumuenitur. Murus coctili latere, atque interfuso bitumine compactus, fossa extrinsecus latè patens, vice amnis circumfluit. A fronte murorum 100. portæ æreæ. Ipsa autem latitudo in consummatione pinnarum vtroque latere habitaculis defensorum æquè dispositis, media intercapedine sui citas quadrigas capit.* Oros. lib. 2. cap. 6. p. 84.

Ita variant scriptorum sententiæ, suntque diuersæ quà ambitu, altitudine, & crassitie, quod & Tzetzes disertè canit, & caussam probabilem auctorum diuersa sentientium & scribentium adiungit; quem videbis. Tzetz. p. 416. v. 4. Chil. 9.

Brissonius, qui Tzetzis nullam facit in describenda Babylone mentionem, auctores reconciliare conatur: quem si vacabit, ipse adibis.

SINGVLORVM STADIORVM STRVCTVRAM SINGVLIS DIEBVS PERFECTAM.) Tzetzes singulis stadijs singulos ait fuisse præfectos magnates ex consilio Semiramidis: *Vt autem celeriùs opus consummaretur, cuilibet ex amicis stadium, cùm impensis ad id necessarijs, attribuit, & anni spacio negotium peragere iussit.*

AEDI-

CECIDERE PERSARVM XL. MILLIA) miris modis dissentiunt scriptores rerum, in numero cæsorum: Arrianus CCC. millia cæsa refert, multò plures captos. Orosius tribus prælijs cecidisse ait quinquies decies centena millia. Siculus de Persis hoc prælio amplius nonaginta millia cæsa narrat.

Arria. l. 3.

MACEDONVM MINVS QVAM TRECENTI) Nec in hoc consentiunt auctores. Arrianus equites non plus centum ait desideratos. Siculus vniuersè ex Macedonibus cæsos quingentos. Ex ducibus vulneratos Hephæstionem, Perdiccam, Cœnum, Menidam. De die, mense, anno prælij, mox infrà.

VICTORIAM VIRTVTI SVAE DEBVIT) Plutarchus de fortuna Alexandri duobus voluminibus ostendit, Alexandrum semper aduersa vsum fortuna, quam sola virtute vbique superarit, contra, quàm multi, non benè, senserunt. Nec verum est quod vulgo iactatur, fortunam quauis virtute esse efficaciorem, fortunamque in pugnis plus quam virtutem posse. Proinde verè scripsit, victoriam Alexandrum virtuti suæ, non fortunæ debuisse, quod sequentibus confirmat argumentis. Primò non loci angustijs, vt antea ad Issum vicisse, sed animo: vincit enim sæpe animus, vincit sæpè etiam locus, vt est in parœmiâ. Deinde à peritissima aciei instructione, quam versatilē fecerat, vt in omnem partem spectaret. Præterea, quod ipse suos pugnando ad prælium accenderit, quod sarcinarum iacturam contempserit, quod dubio euentu iam pro victore se gesserit, & hostes terrore ad fugam impulerit, quod fugientes etiam cautè insecutus sit. Aelianus stratagemate Alexandri superatum ait Darium. *Alexander, inquit, cum Dario signa collaturus, præceptum dedit Macedonibus: vbi in Persarum conspectum veneritis, procidentes in genua terram manibus conterite. Vbi vero tuba signum dederit, tum consurgentes strenuè & fortiter impetum in hostes facite. Macedones ita fecerunt. Persæ formam adorationis conspicati, incitatum ad bellum impetum remiserunt, animisq; facti sunt molliores. Darius gloriabatur & gaudebat se absque prælio victoriam obtinere. Macedones ad signum tubæ exilientes vehementi impetu in hostes feruntur, & rupta phalange in fugam conuertunt.*

SVA CVLPA) quod alterum cornu auxilio destituisset, aut aliena virtute, Parmenionis nempe, & læuo cornu militum. Quod in reditu nec occurrentes quantumuis multos extimuerit. De ducibus singillatim etiam Diodorus testatur, vt supra demonstraui. Sequitur totius libri elegantissimum epiphonema & acclamatio, qua simul & prælij narrationem, & librum finit, cum & Imperatorem simul & militem celebrat, alterumque alteri auxilio, honori, famæ & gloriæ sempiternæ fuisse, *Dignum regem tali milite, & militem tali rege.* Hæc optima libri clausula. proinde non consultò faciunt, qui aliter libros Curtij distribuerunt.

Codex Constant. Q. Curtij
Rufi historiarum lib. 4.
explicit.

ANNVS

ANNVS ET TEMPVS prælij.

Tom. 5. Annal. Ecclef. p. 557. & feq. at p. 283. & feq. edit. Col.

FINIS IMPERII PERSARVM ex noftro Saliano.

Annus mundi 3724. fextæ ætatis, & imperij Perfarum 208. & vltimus Darij 9. & vltimus Iaddi Pontificis 35. Alexandri 7. & imperij primus, olympiadis 92. anno 3. Archonte Ariftophonte. Vrbis conditæ 423. Cofl. L. Papyrio Craffo II. & L. Plautio Venoce.

Annus ante Chriftum natum 329.

Prælium ad Arbelam, quo accifæ funt Perfarum vires Ariftophonte prætore, contigiffe teftis eft Dionyfius Halicarnaffeus ad Ammæum: fub cuius etiam magiftratu Darii mors ex communi fententia multis poft menfibus contigit, quot fcilicet inter Octobrem & Iunium intercedunt.

Ducentos ergo & octo annos, inquit idem Salianus, cum dimidio, imperium Perfarum ftetit: quæ planè communis effet omnium recentiorum fententia, nifi iam nonnulli ab eius principio decepti effent, dum idem faciunt initium regni Cyri atque imperii eiufdem, cum tamen regnum eius viginti tribus annis diuturnius fuerit imperio eiufdem. Regnum quippe anno 1. Olymp. 55. fumfit exordium, Imperium autem, quod feptem tantum annorum fuit, Olymp. 60. anno 4. ex quo ad præfentem annum Olympiades 52. ideft, ducenti & octo anni numerantur. Quæ videtur Dionyfij fuiffe fententia, cum ait Perfas non multum vltra ducentos annos fetiffe in rerum faftigio. Itaque cum Curtius 230. annos Perfarum imperio tribuit, videtur & ipfe imperium Perfarum à Cyri regno, non ab imperio, & à deuicta Babylone inchoaffe. Idem fuprà: Calendis Octobris commiffa pugna dicitur, decem diebus ab eclipfi lunæ, vt putant *Scaliger & Temporarius; vel duodecimo, vt Buntingus; vel vndecimo vt Plutarchus. Valdeque fallitur interpres Arriani, qui eo tempore Ariftophanem in magiftratu retinet, cum menfem Pyanepfionem, Iulium vertit, nec minus Arrianus, qui eo tempore Ariftophanem in magiftratu retinet, nec de menfe cum * Plutarcho aliifque confentit.

*Immo Scaliger vndecim dies numerat.

*Plutarch. etiam Scaliger erroris conuincit.

Lunæ autem defectio fuit x x. Septembris, hora octaua.

Comment. ad Lib. IV. Q. Curtij, Finis.



CVR-



Q. CVRTII RVFI

HISTORIARVM ALEXANDRI MAGNI MACEDONIS

LIBER QVINTVS.

SYNOPSIS HVIVS LIBRI.

*DArius in Mediam cum ſuis profugit: Alexander Arbelis potitur, Babylonem à Mazæo deditam cum Mazæo in fidem accipit, vrbemq́ cum triumpho ingreditur. Babylon & ciuium mores deſcribuntur. Amyntas Andromenis, ſupplementum militum ex Græcia adducit. Rex ludos militares committit. Suſa deduntur, vbi theſaurus Darij exhauſtus, tricies millies centena millia Philippæorum: vt Barbari vocant, triginta milliones talentorum. Rex Syſigambem ſolatur, & illius deprecatu victis Vxys parcit. Perſidem intrare conatus ab Aribarzane Satrapa repellitur, vbi Alexandri deprehenſa hæſit felicitas. Duce tamen Lycio per inuia & auia penetrat. Araxem amnem ſuperat, ſupplices Græcos & captiuos liberat, captam Perſepolim exhaurit, ſeptuagies bis millies centena millia aureorum in ærarium redigit, quibus ex Parſagadis tricies ſexies centena millia addit. * ſumma totius prædæ ex toto Oriẽte captæ ſuo loco edemus. Inde Mardos ſubit: redit Perſepolim, vrbemq́ cum regia, ſuaſu Thaidis, incendio delet. Hinc Mediam accepto ſupplemento intrat. Darius Ecbatanis pugnæ ſe rurſum accingit, ad quam ſuos hortatur, Nabarzanes & Beſſus in Darij exitium coniurant. Græcus miles regem tueri conatur, capitur Rex, vulneratur, deſtituitur à ſuis, à Macedone ſpirans reperitur, extinguitur, quod in Curtio deletum eſt.*

GA-

CAPVT I.

ARGVMENTVM.

Dilata rerum in Europa gestarum narratione, fugam & consilia Darij explicat.



Va interim ductu imperioque Alexandri, vel in Græcia, vel Illyrijs ac Thracia gesta sunt, si suis quæque temporibus reddere voluero, interrumpendæ sunt res Asiæ, quas vtique ad fugam, mortemque Dary vniuersas in conspectum dari, & sicut inter se cohærent, ita opere ipso coniungi, haud paullò aptiùs videri potest. Igitur quæ prælio apud Arbela coniuncta sunt ordiar dicere. Darius media ferè nocte Arbela peruenerat, eodemque magnæ partis amicorum eius ac militum fugam fortuna compulerat: quibus conuocatis exponit, haud dubitare se, quin Alexander celeberrimas vrbes agrosque omni copia rerum abundantes petiturus esset, prædam opimam paratamque ipsum & milites eius spectare. Id suis rebus tali in statu saluti fore, quippe se deserta cum expedita manu petiturum. Vltima regni adhuc intacta esse, inde bello vires haud ægrè reparaturum. Occuparet sanè Gazam auidissima gens, & ex longa fame satiaret se auro, mox futura præda sibi: vsu se didicisse preciosam supellectilem, pellicesque, & spadonum agmina nihil aliud fuisse, quàm onera & impedimenta. Eadem trahentem Alexandrum, quibus rebus antea vicisset, inferiorem fore. Plena omnibus desperatione videbatur oratio: quippe Babylonem vrbem opulentissimam dedi, iam Susa, iam cetera ornamenta regni, causamque belli victorem occupaturum. At ille docere pergit, non speciosa dictu, sed vsu necessaria in rebus aduersis sequenda esse. Ferro geri bella, non auro: viris, non vrbium tectis: omnia sequi armatos. Sic maiores suos perculsos in principio rerum celeriter pristinam reparasse fortunam. Igitur siue confirmatis eorum animis, siue imperium magis quàm consilium sequentibus Mediæ fines ingressus est.

IN GRAECIA) In Europæ partibus, Thracia, cuius caput Bizantium, hodie Constantinopolis. De Illyrico supra dictum. Bellũ Antipatri proregis Macedoniæ, cum Agide Lacedemoniorũ gestũ, Curtius initio libri 6. describit, quamuis ante victoriam Alexãdri ad Arbela illud factum sit. Cuius rei caussam hic commemorat, quod non videretur narratio rerum Asiaticarũ interrumpenda. Itaq; & nos hoc loco de Agide & Antipatro plura non commemorabimus, suo loco exequenda. Persequitur ergò fugam hic Darij Curtius, & quæ fugam comitabantur.

APVD ARBELA) Iam suprà dictum, ad Gaugamela prælium factum.

DARIVS MEDIA NOCTE AD ARBELA PERVENERAT) Ingens certè spacium intra paucas horas emensus, milliaria Germanica decem & octo, cum triente; sexcentis quippe stadijs Arbela distantà Gaugamelis, vbi prælium est factum, vti suprà docuimus. Alexander, auctore Arriano, ad Lycum vsque Darium insecutus castra trans Lycum posuit, & post mediam noctem Arbela contendit; sed Darium inde in Mediam volantem potius quàm properantem non offendit. Itaque porrò insequi in præsens destitit, & caput interim Assyriorum Babylona occupauit, vti mox videbimus. Curtius autem Alexandrum primo ad suos regressum, deinde Arbela & Babylona cum exercitu petijsse, regnique Persarum possessionem adijsse docet. Darius Arbelis ad duces suos & fugæ comites orationem instituit, qua spiritus suorum non auxit, sed propè omninò extinxit, quod desertis omnibus vrbium munitionibus vellet loca Mediæ deserta petere, & inde ex vltimis regni finibus auxilia accersere, copias instruere & reparare, serum auxilium.

GAZAM) Persica vox, sed iam olim Græca & Latio donata: vnde & *gazophylacium*, vt & aliæ nonnullæ *parasanga, satrapa, Cydoris*.

FVTVRA PRAEDA SIBI) Ah quàm aliud clausum corde gerebat Darius, & aliud in ore ferebat! an etiam prædas ex suo agit? certè ante ab hoste occupatas.

INFERIOREM FORE) vt Hannibal per hiberna Capuæ delicijs fregit exercitum, nec enim quicquam rei magnæ ab illo tempore gessit: hebescit enim virtus delicatius habita.

PLENA DESPERATIONIS ORATIO) Interlocutos satrapas & duces, ex sequenti Darij oratione constat, qua illorum rationes frustra diluere conatur.

BABYLONEM ET SVSA) quas vrbes muniti[s]sima propugnacula regnorum insidere debebat Darius, & bellum inde defendere. Sed Darius nihil tam munitum credebat quod ab Alexandro expugnari non posset.

CAVSSAM BELLI). propter vrbes, pecuniam, gazam, opes, prouincias, bella geruntur.

FERRO GERI BELLA) credidisset antea Charidemo, quem occiderat Darius.

MAIORES SVOS PERCVLSOS) Cyrum conditorem gentis ab Scythis cum exercitu deletum, vt ne nuncius quidem superesset, Cambysen propè eum toto exercitu arenis obrutum. Darium Hystaspis turpiter à Scythis fugatum, Xerxem è Græcia ægrè fuga elapsum. Herodotus, Diodorus, Iustinus legantur.

CAPVT II.

ARGVMENTVM.

Prædæ bello captæ, & Tigris & Euphratæ fluminum descriptio.



PAullò pòst Alexandro Arbela traduntur regia supellectili ditique gazà repleta. quatuor millia talentûm fuere, præterea preciosæ vestes, totius (vt supra dictum est) exercitus opibus in illam sedem congestis. Ingruentibus deinde morbis, quos odor cadauerum totis iacentium campis vulgauerat, maturius castra mouit. Euntibus aperit se à læua Arabia odorum fertilitate nobilis regio, campestre iter est inter Tigrim & Euphratem tam vberis & pinguis soli, vt à pastu repelli pecora dicantur, ne satietas perimat. Caussa fertilitatis est humor, qui ex vtroque amne manat, toto ferè solo propter venas aquarum resudante. Ipsi amnes ex Armeniæ montibus profluunt, ac magno deinde aquarum diuortio iter quod capère percurrunt. Duo millia & D. stadia mensi sunt, qui amplissimum interuallum circa Armeniæ montes notauerunt. Iidem cum Mediæ & Cordiæorum terras secare cœperunt, paulatim in arctius coeunt: & quo longiùs manant, hoc angustiùs inter se spacium terræ relinquunt. Vicini maximè sunt his campis, quos incolæ Mesopotamiam appellant. Mediam namque ab vtroque latere cludunt. Iidem per Babyloniorum fines in rubrum mare irrumpunt. Alexander quartis castris ad Mennin vrbem peruenit. Cauerna ibi est, ex qua fons ingentem vim bituminis effundit, adeò vt satis constet Babylonios muros ingentis operis, huius fontis bitumine interlitos fuisse.

QVATVOR MILLIA TALENTA) Bis millies quadringenta millia Philippæorum seu coronatorum, vt singuli, viginti victoriatis æstimentur: talentum enim sexcentos aureos seu coronatos efficit. duos milliones & quatuor thunnos barbari vocant.

ODOR VVLGAVERAT) Odor aerem infecerat, haustus aer viscera: ita propagata lues, vt
* lib. 5. c. 2. solet in pestilitate, proinde magna semper ratio habita est, vt castra à sordibus essent pura. quod in sacris paginis à Domino exercituum Mosi præceptum est. Et * Vegetius, *si autumnali æstiuoque tempore diutius in ijsdem locis militum multitudo consistat, ex contagione aquarum & odoris ipsius fœditate vitiatis haustibus, & aere corrupto perniciosissimus nascitur morbus, qui prohiberi non potest aliter, nisi frequenti mutatione castrorum.* Ad quem locum Stevvechium consule.

APERIT SE A LAEVA ARABIA) Huius loci primum germana lectio constituenda est, deinde res ipsa explananda est. in vtroque variant libri & critici sciptores. Vetus editorum scriptura erat: *Euntibus à parte laua, Arabia odorum fertilitate nobilis regio, campestre iter est. Inter Tigrim & Euphratem iacentia tam vberi & pingui solo sunt, vt à pastu repelli pecora dicantur, ne satietas perimat.* Ita impressi ante Modianum castigationem, omnes

quos

quos vidi . Membranæ quas Modius laudat , ita habent . *Euntibus à parte læua Arabia odorum fertilitate nobilis regio . Campestre iter est inter Tigrim & Euphratem iacens , tam v-beris & pinguis soli* &cæt . Sed quos ego vidi MSS. cum vulgatis antiquioribus consentiunt. Modius ergò & vulgatos, & manu exaratos hunc in modum emendat : *Euntibus aperit se læua Arabia odorum fertilitate nobilis regio , campestre est iter inter Tigrim & Euphratem tam vber & pinguis soli, vt à partu* &c. Arrisit hæc Modij emendatio , nec malè tamen illa traducit: Campestre iter est inter Tigrim & Euphratem, *& vber* tam pinguis soli . Glareanus verò omnia relinquit vt in editis leguntur, nisi quod vox *Arabia* illum vehementer offendat, pro qua *Aturia* rescribendum putat. *Mirabilis est*, inquit, *huius profectionis descriptio. Ego quantum coniectura consequi possum, Alexandri exercitum è Gaugamelis nentiquam motum credo, cum Alexander Arbela ad regis thesaurum piscandum isset: quod ex cadauerum odore satis clarè ostenditur . Euntibus autem è Gaugamelis Babylonem, quomodo à parte læua Arabia iter fit (vt hic author scribit) vix credo abs quoquam geographia perito intelligi: etiamsi non sum nescius, Arabes Syris, Chaldæis ac Babylonijs permixtos dici ab authoribus. In eo tamen tractu non temerè Arabas reperias. Lector etiam atque etiam consideret , num pro Arabia legendum Aturia, nomen celeberrimum apud Strabonem libro sexto, ab initio.* Laudat pro sua castigatione Henricus libri sexti initium apud Strabonem : atqui Geographus libro sexto toto de varijs Italiæ regionibus, Lucania, Brutijs, & hisce vicinis tractat, de Aturia nullam syllabam . Emendo ego primùm Glareanum, & pro libro sexto, repono librum sextum decimum, vbi de Aturia Strabo. Coniectura Glareani speciem habet veritatis aut certè probabilitatis. Nam in Aturiæ campis prælium est commissum . Strabonem audi etiam alio loco nobis * laudatum , ita narrantem: * *Aturia similis est ijs locis, quæ circa Arbela sunt, & Lycum flumen intermedium habet. Arbela enim ad Babyloniam pertinent, & iuxta eam sunt . Trans Lycum verò Aturia campi , Ninum circumiacent. In Aturia quoque pagus est nomine Gangamela , apud quem Darius superatus amisit imperium : quare hic locus insignis est, vt & nomen. Cameli enim domus interpretatur.* Dissimularunt hanc Glareani dubitationem & emendationem Modius & Acidalius, & retinuerunt omnium codicum editorum, ineditorum fidem & scripturam, & bona venia Glareani retineri potest . Nam euntibus è Cilicia Babylonem per Mesopotamiam læua Septentrionem & montes Armeniæ spectat . Cootinet autem Mesopotamia Armenios Syros & Arabes, vti docet Strabo: *Nam Armeniorum, Syrorum, & Arabum multum cognationis præ se ferunt nationes, sermone, vita, corporum forma , maximè vbi degunt in vicinia. idque ostendit Mesopotamia ex tribus his conflata populis : maximè enim in his similitudo est illustris: quod si qua est varietas , pro eo atque aliæ partes alijs magis ad Septentrionem aut meridiem vergunt, aut in medio sunt sita: nihilominus tamen communis affectio obtinet* , Arabes ergo in Mesopotamia. Quod si Alexandrum à Gaugamelis & Arbelis Babylonem deducas, à læua quoque Arabiam habebit felicem, sed extra Mesopotamiam . Arabibus porrò Alexander statuerat bellum facere, quod nullos ad se legatos misissent , vti Strabo est auctor . Sed Curtius de Arabiæ parte, quæ in Mesopotamia est , disseruit (non satis planè dirimens Arabiam odoriferam ab Arabia, quæ est in Mesopotamia) Mesopotamiæ fertilitatem & soli vbertatem describit , cuius caussam reddit, quod tellus illis duobus fluminibus Euphrate & Tigri inundetur . Et sanè de fœcundo Mesopotamiæ solo suffragatur, Dionysius Periegetes, & Eustathius ad eundem, Ego vtrumq;, quod prolixiores sint, prætereo.

Glarean. annot. in l. 6. Curtij.

*supra Li. 4. c. 22.

*Strabo lib. 16. initio.

Li. 1. p. 28.

A PASTV REBELLI PECORA DICANTVR) Negat hoc Glareanus, omnesque pecudes naturali modo contentas, aliam satietatem nescire. *Cæterum ridere , sanè libet, quoties authores Latini terræ fæcunditatem commendant, quod à pastu pecora repelli dicantur , ne satietas perimat : quasi pecora per se ipsa nesciant cibi modum , in quantumuis pingui regione . Vtinam multi mortales tam probè nossent sibi temperare. Pomponius Mela de Hybernia simile quiddam scripsit* . Quod de Hibernia subiungit hoc est Melæ: *Iuuernia*, (ita Hiberniam , seu Irlandiam vt hodie Germanis appellatur, vocat) *est panè par spacio , sed vtrinque æqualis , tractu littorum oblonga , cæli ad maturanda semina iniqui: verùm adeò luxuriosa herbis non lætis modò, sed etiam dulcibus , vt se exigua parte diei pecora impleant: & nisi pabulo prohibeantur, diutius pasta dissiliant* . Quod autem ridiculum videatur Glareano pecudes satietate perimi , generatim verum est . Draco tamen Elephantis sanguine ebrius opprimitur, & commoritur. Et tanta pabuli dulcedo & pinguedo est, vt naturam gula vincat etiam in animantibus, hirundines quoque possint esse exemplo.

In lib. 6. Curtij nu. 64.

Li. 3. c. 6.

Plin. l. 8. cap. 12.

FERTILITATIS) quà ad Septentrionem & Armeniam vergit, est fertilior.

AMNES EX ARMENIAE MONTIBVS PROFLVVNT.) Idem testantur omnes Geographi. Scripsare de vtroque flumine præter literarum sacrarum interpretes, veteres & nouos, Græcos & Latinos, Herodotus, Diodorus Siculus, Dionysius Periegetes , & Eustathius ad eundem, Strabo, Ptolemæus, Arrianus , Plutarchus de fluminibus , si tamen non Pseudepigraphe est illius libri περὶ ποταμῶν: Sallustius Frag. Plinius, Solinus, Curtius , & multi recentiores. præclara sanè multa de his fluminibus referuntur, sed quæ parum ad rem nostram faciunt; proinde indicis munere defuncti redimus ad Curtium.

AQVARVM DIVORTIO) Eodem enim fonte scaturientes postea diuortium faciunt, quod nemo potest, nisi qui antea vnà fuerunt. Diuortium est interuallum amnium profluentium. Sallustius apud Seruium disertè Euphraten & Tigrim ijsdem fontibus existere docet. *Sallustius*, inquit Seruius, *certißimus auctor asserit Tigrim & Euphratem vno fonte manare in Armenia, qui per diuersa euntes longius diuidãtur, spacio medio relicto multorum millium, quæ tamen terra, quæ ab ipsis alluitur, Mesopotamia dicitur.*

CIↃ.CIↃ.IↃ.STADIA) Efficiunt nostratia milliaria octo & septuaginta, cum besse. Magnoperè vereor, ne hic quoque labes sit, & numerus per notarios & operas altero millesimo creuerit. Diodorus enim mille quingentis stadijs ab se diuertere dicit, hoc est, milliaribus germanicis XLVII. minus besse. Plura Strabo. Diuersis tamen fontibus nasci plerique alij tradidere. Solinus de Euphrate.

Eusthathius: *Fontes autem horum duorum fluminum aiunt inter se distare mille quingentis stadiis.* En & Eustathius mille quingentorũ stadiorum interuallum ponit, vt haud dubiè apud nostrum Curtium pro *duobus millibus, mille* sit legendum.

IIDEM CVM MEDIAE ET CORDIENORVM) Glareanus vtramque vocem castigat, & pro *Media* reponit *Armenia*, pro *Cordienorum, Gordyaorum*. Nam ita loquitur Glareanus.

Tigris & Eufrates Mediam nusquam attingunt, tantum abest vt secent. Ergo pro Media legam Armenia, & pro Gordianorum, Gordiaorum. Neq; id temerè, siquidem præcipuos in Geographicis viros audire voluerimus In hoc sanè auctore multa temerè corrupta videntur, maximè verò in Geographicis Sero nimis, docti ei adhibuêre manus. Porrò cum paullò post de his duobus fluuiis dicat. Vicini maximè sunt his campis, quos incolæ Mesopotamiam vocant, Mediam namque ab vtroq; latere concludunt. Mediam hic adiectiuum est, non substantiuum: vt intelligatur, terra hisce inclusa fluminibus.

Sic equidem credebam animo, rectè sentire Glareanum, & ipse iam vocem *Media* mutaram in *medias terras*, nempe Gordyæorum. sed cùm locum diligentius inspicerem, & reuoluerem auctores, dispiceremque, falli Glareanum deprehendi, qui nusquam ab Euphrate & Tigri Mediam attingi putat. Diodorum Siculum audiat scriptorem antiquissimum & doctissimum, qui secundo Bibliothecæ historicæ de Euphratis & Tigridis fontibus ita tradit. *Cæterum Semiramis alias etiam vrbes ad Euphratem & Tigrim condidit, vbi emporia illis constituit, qui merces è Media & Paratacene, totaq; vicinia important. Nam post Nilum & Gangem, totius propè Asiæ nobilißimi amnes sunt Euphrates & Tigris, ac fontes suos habent ex Armenia montibus: distantq; à se inuicem stadia* CIↃ IↃ. *Ac per Mediam Paratacenamq; delati, Mesopotamiam ingrediuntur: quam quia in medio includunt, regioni id nominis indiderunt.*

VICINI MAXIME) Ita lege, scribe, doce, non vt Modius, *vicina*, nam de amnibus agitur, & perpetuatur oratio, vt verè notauit Acidalius, vt & quod sequitur: *Iidem per Bab. f. s. m. t. irrumpunt.*

MESOPOTAMIAM) hodie Halapiam dicunt. ποταμὸς Græcis est amnis, μέσος medius. Terra ergo inter duos amnes media dicitur Mesopotamia, ita Germania vetus Danubio & Rheno definiebatur: Nunc vtrinque Germani fines & Danubij & Rheni latè transcenderunt. Mesopotamiam fusè describit Plinius lib. 6. c. 26. Strabo, alii, etiam literarum sacrarum interpretes.

Hoc interim obseruandum, quod hic dicit Curtius, flumina hæc duo, quo longius manant, hoc angustius terræ quam includunt spacium facere, magisque coire, ita vt ad Babylonem omnino conueniant, & simul in mare Erythræum erumpant. Proinde nauigio similem terram efficere, præsertim si vtrumque flumen ab eodem fonte cum Sallustio promanare dixerimus. Ita enim Mesopotamiæ terra proram à fontibus, ventrem in medio, puppim in fine referet. Ad Tapsacum quà traiecit Alexander vsque ad Tigrim, mille quadringenta stadia numerantur apud Strabonem, ita vt iam centum stadijs sit angustior Mesopotamia, quam suprà. Vitiosè emendauit, qui in ora ad Strabonem scripsit legendum pro χιλίους σταδίους, δισχιλίους bis mille, aut certè apud Curtium etiam retinenda duo millia quingenta stadia.

ALEXANDER QVARTIS CASTRIS AD MEMNIN VRBEM PERVENIT) Quartis castris, quater castra metatus in itinere, seu quater castra posuit, hoc est, quatuor diebus.

MEMNIN) hic alii legunt Memnium, alii Memnonium, MSS. Mennin. Assyriæ ciuitas est, vbi sunt fontes butiminis.

BITVMINIS) Græcis νάφθα, ἄσφαλτος, καὶ τῆς ἀσφάλτου περίθημα, πετρέλαιον μύρον τοῦ ἁγίου βαρβάρου, καὶ Κυρίου· Μηδείας φάρμακον μηδείας ἔλαιον. Suidas voce Adiabene: Ἐν αὐτῇ δὲ ἐστι καὶ ἡ ἄσφαλτος ἡ λεγομένη νάφθα. τοσαύτην δὲ ἀσφάλειαν ποιεῖ τοῖς κλίσμασιν ἡ ἄσφαλτος, ὥστε τὰς ὀπτὰς πλίνθους καὶ τοῖς λεπτοῖς λίθοις συμμιγεῖσα, ἰσχυροτέρα γίνεται παντὸς σιδήρου. *In ipsa*, inquit Suidas, *est asphaltus seu bitumen, quod & naphtha dicitur, cuius est tanta firmitas seu tenacitas, vti coctis lateribus & minutis mixta lapillis durior fiat omni ferro.* Vide Plinium Iosephus I. antiq. *Coctis lateribus ad firmitatem butimine ferruminatis.* Vitruuius: *Babylone*, inquit, *lacus est amplißima magnitudine, habens supernatans liquidum bitumen, quo bitumine & latere testaceo constructum murum Semiramis Babyloni circumdedit.*

Bi-

Bitumen, inquit Rabanus, est feruentissimum & violentissimum gluten, cuius hæc est virtus, vt ligna, quæ eo lita fuerint, nec vermibus exedi, nec solis ardore, nec ventorum flatibus, nec aquarum possint violentia dissolui. Vide descriptionem Butiminis apud Strabonem li. 16 pag. 525. post med.

Sed præ omnibus est, quod Plutarchus in Alexandro, quando illum ad hunc locum deducit, de naphtha hac memoriȩ prodidit. Tu si placet lege, quȩ ibidem de eadem naphtha Plutarchus subiungit. Diodorus alia quædam mira addit: In vita Alex. p 23. ante m. Diod l. 2. pag. 71.

Multa sanè Babylonia continet spectatu digna & admiranda: sed inter hac non minimum admirationis meretur butiminis copia illic exsudantis, qua tanta est, vt non modò tot & tantis ædificijs sufficiat, verum etiam profusè à populo collectum, pro lignis siccatum cremetur. Et licet ab innumerabili hominum multitudine, vtpote ex fonte amplissimo, hauriatur, integra tamen eius manet vbertas. Prope fontem istum scaturigo est haud ita magna, sed mirè efficax. vaporem enim sulfureum & grauem emittit, quo quicquid animantium accedit, subita nec opinata morte correptum extinguitur. Anhelitu enim diutius compresso & respirandi facultate, per vim exhalationis interclusa, præfocatur. Et continuo turgescens cadauer inflammatur, locis circa pulmones maximè. Hæc de bitumine hic dicta sunto. Hoc tantum obserua, Non hic de Ecbatanis regia Mediorum mentionem fieri à Plutarcho, sed cognomine loco ad Babylonem.

CAPVT III.

ARGVMENTVM.

Alexander Babylonem vltrò se dedentem ingreditur, & ab tota ciuitate effusa, lætus excipitur.



Ceterùm Babylonem procedenti Alexandro, Mazæus, qui ex acie in eam vrbem confugerat, cum adultis liberis supplex occurrit, vrbem, seque dedens. Gratus aduentus eius regi fuit, quippe magni operis futura obsidio tam munitæ vrbis. Ad hoc vir illustris & manu promptus, famaque etiam proximo prælio celebris, & ceteros ad deditionem sui inuitaturus exemplo videbatur. Igitur hunc quidem benignè cum liberis excepit. Ceterum quadrato agmine, quod ipse ducebat, velut in aciem irent, ingredi suos iubet. Magna pars Babyloniorum constiterat in muris, auida cognoscendi nouum regem. Plures obuiam egressi sunt: inter quos Bagophanes arcis & regiæ pecuniæ custos, ne studio à Mazæo vinceretur, totum iter floribus coronisque constrauerat, argenteis altaribus vtroque latere dispositis, quæ non thure modò, sed omnibus odoribus cumulauerat. Dona eum sequebantur, greges pecorum, equorumque: leones quoque & pardales caueis præferebantur. Magi deinde suo more carmen canentes post hos Chaldæi Babyloniorumque non vates modò, sed etiam artifices cum fidibus sui generis ibant. Laudes ij regum canere soliti. Chaldæi siderum motus, & statas vices temporum ostendere. Equites deinde Babylonij suo equorumque cultu ad luxuriam magis, quam ad magnificentiam exacto, vltimi ibant. Rex armatis stipatus, oppidanorum turbam post vltimos pedites ire iussit. Ipse cum curru vrbem, ac deinde regiam intrauit. Postero die supellectilem Darij, & omnem pecuniam recognouit.

MAZAEVS QVI EX ACIE IN EAM VRBEM CONFVGERAT) De hoc supra Curtius: *Mazæus dato fugæ spacio non recto itinere* (quia incidisset in Alexandrum) *Sed maiore, & ob id tutiore circuitu Tigrim superat, & Babylonem cum reliquijs deuicti exercitus intrat.* Et passim multa supra de eodem: infra etiam de morte audies. Sed laus hic singularis cum elogio. Atqui fides exigebat, vt regem suum sequeretur in vltima fortuna non destituendum. fides enim extremum est vinculum mortalium: & *fidem qui perdit, perdere vltrà nil potest.* Sed Mazæus tribus maximis prælijs victum regem suum frustra secuturum se vidit; Iam enim omnis spes decollârat. vt seruaret se, & suos, ad Alexandri fidem confugit, quam ad mortem vsque custodiuit.

pe plures fatigauerat, resistentium ora fodiebat, fugientium terga: iamque non pugna, sed cædes erat, cum Darius quoque currum suũ in fugam vertit, hærebat in tergis fugientium victor, sed prospectum oculorum nubes pulueris, quæ ad cælum ferebatur, abstulerat. Ergo haud secus quàm in tenebris errabant, ad sonum notæ vocis, vt signum, subinde coeuntes. Exaudiebant tamen strepitus habenarum, quibus equi currum vehentes identidem verberabantur: hæc sola fugientis vestigia excepta sunt.

INTER HAEC MENIDAS.) De hoc suprà cap. 27. & infrà lib. 7. cap. 24. Arrianus peregrini & mercenarij militis ductorem suprà fecit. libri omnes habent Amyntam pro Menida, qui vicarius Amyntæ fuit.

SVO, AN REGIS CONSILIO.) Videtur regis. nam Parmenio Polydamanta miserat ad regem, vt periculum de impedimentis doceret. Sed duces tamen minores in ardore prælij non semper expectabant regum imperia, sed quod vsus & necessitas monebat, quodque fieri velle imperatorem credebant, exequebantur.

CAVCASIORVM.) Horum tamen suprà cap. 27. vbi omnes Darium secutæ gentes memorantur, mentio nulla est. Occurrit *Cadusiorum* rescribendum; quod apud Siculum disertè duo millia Cadusiorum, & totidem Scytharum ad diripienda impedimenta à Mazæo sint immissa. Iuniana Curtij editio exertè Cadusiorum præfert; in nra verò Caucasiorum.

CONSILIVM VICERAT DOLOR.) Quod consilium? quod ante Parmenioni dederat, vt impedimenta negligeret, ex acie nullum subduceret, qui impedimentis succurreret. Sed postquam Menidas alter nuncius & quidem victus accessit, veritus ne miles, qui in acie stabat, si resciret impedimentorum direptionem, ex acie ad recipienda impedimenta concurreret, de quo periculo doluit Alexander, quod cogeretur impedimentis succurrere.

ARETEM.) Præfectum equitum Sarrissophorum.

INTER HAEC.) vides has voces Curtio millies iteratas, vt Sigonio omnibus paginis *Instituit, & instuit*, nec semper Latino significatu.

CVRRVS.) Falcati, de quibus supra.

lib. 15. de munit. VALLO SIMILIS ACIES.) Vallum, inquit Isidorus, est, quod mole terræ erigitur, vt custodia prætendatur. dictum autem vallum à *vallis*. Nam valli fustes sunt, quibus vallum munitur. consule Lips. de mil. Romana. Stevvech. ad 4. Vegetij cap. 28. Phalanx ergo Macedonica in duas diuisa partes falcatis quadrigis spacium medium transcurrendi, dedit, & vtrinque sarissas longas in modum valli composuit, vt si currus in latus conarentur declinare, in aciem valli & præfixas hastis cuspides & spicula, quæ velut tergum echini efficiebant & horrebant, incurrerent.

PROPVGNATORES.) Ex ipso curru vnà cum aurigis pugnantes.

ARETES SCYTHARVM DVCE OCCISO.) Nouum certamen ad impedimenta Alexandri. Suprà à Cadusijs & Scythis Menidas repulsus erat, nunc Scythæ ab Arete vrgentur, suumque ducem amittunt. Aretes rursus à Bactrianis oppressus est, alternante fortuna, vt nunc hi, nunc illi vincerent aut succumberent, ita vt victores rursum Dariani triumphum (ante plenam tamen victoriam, mox ipsi victi) canerent.

MVLTI MACEDONVM OBTRITI.) Ex hoc sanè loco apparet Alexandrum non in fœminas, quod auunculus eius Epirota Alexander à Brutijs & Lucanis ad Acherusium occisus dixerat, sed in viros & martiales illos, præsertim Bactrianos incidisse. Atque hęc est fors alioqui Martis, vt nunc hi, nunc illi vincant: vt proinde non immeritò dicatur Homero ἄρης ἀλλοπρόσαλλος.

ἀλλοπρόσαλλον vocauit Homerus Martem, propter ipsius Martis inconstantiam, qui nunc huic, nunc illi gratificatur.

ALEXANDER TERRITOS CASTIGARE.) Viden', quantum in duce & imperatore situm sit? Alius fugam spectasset, Alexander nunquam magis decertauit, omnesque suo exemplo ad præliandum accendit, vt verum sit vulgò dictum: *In ducis exemplo & consilio virtutem militum esse sitam.*

In Curt. lib. 4. Animad. p. 48. f. a. BACTRIANI DECESSERANT AD OPPRIMENDA IMPEDIMENTA.) Acidalius pro *opprimendu* scribit *obtinendu*: *siccine*, inquit, *nunc demum ad opprimenda, quæ alii iam oppresserant, id est, inuaserant. Nam eam vim id verbi habet, vt sit improuisò adoriri. Malim igitur his* obtinenda. *Res ita est. Venerant Bactriani subsidio Scythis, qui cum impedimenta diriperent, occiso ipsorum duce, iam territi erant, ac pœnè profligati. His inquam subsidio venerant illi tantum, vt quæ ab aliis occupata, cum amittendi periculum esset, obtinerent. Liquet ex præcedentibus his maxime:* Interim Aretes, Scytharum, qui impedimenta diripiebant, duce occiso, grauius territis instabat. Superuenére deinde à Dario Bactriani, pugnæque vertere fortunam.] Sed cum omnes membranæ & editiones alteram scripturam præferant, religioni fuit Acidalium sequi, præsertim cum etiam auctori, veteri quoque scriptura retenta, iusta sententia constet. Aretæ enim

enim inexpectatus erat Bactrianorum aduentus, sicut Scythis Aretæ. Cæterùm Bactrianos non omnes qui cum Dario erãt, ad impedimenta excurrisse existimo, sed illud mille quod in læuo cornu Darij erat, de quo cap. 27. Erant in acie Bactriani admodum nouem equitum millia, octo ducebat Bessus, mille separata erant, quæ missa Scythis suppetias credo, quando de Besso hic nulla est mentio; & Darius seipsum nimis nudasset, amissis abs se omnibus Bactrianis.

NI EQVITES AGRIANI.) Qui in subsidijs cornuum à latere collocati, ad omnes subitos euentus parati erant.

TVRBATA ERAT VTRAQVE ACIES,) Non malè distinxit Acidalius, *Turbata erat vtraque acies. Alexander & à fronte, & à tergo hostem habebat. Qui auerso ei instabant, ab Agrianis equitibus premebantur. Bactriani.* Verborum intellectus non est obscurus, Agriani Alexandrum à tergo defendebant, ipse seipsum à fronte.

BACTRIANI DIREPTIS IMPEDIMENTIS.) Ipsis enim aduenientibus contra Aretem, sors fortunæ versa est, abactus, multis suorum amissis, Aretes.

RECVPERARE ORDINES NON POTERANT.) Quia Agriani intercesserant, eorumque locum & ordinem occuparant.

MORTEM OCCVMBERE.) Ita Iambus diuerbio iactatus testatur.

Mortem oppetere ante oculos regis, pulcherrimum est.

Hoc fusius exponit Siculus.

MAXIME TVEBANTVR.) Non se, sed regem suum.

VOLANTEM AQVILAM.) Eandem historiam Plutarchus quoque memorat, sed id ait contigisse antequam Alexander prælium iniret. ὁ δὲ μάντις Ἀρίστανδρος, χλανίδα λευκὴν ἔχων καὶ χρυσοῦν στέφανον ἐπεδείκνυτο παριππεύων ἀετὸν ὑπὲρ κεφαλῆς Ἀλεξάνδρου συνεπαιωρούμενον, καὶ κατευθύνοντα τῇ πτήσει ὄρθιον ἐπὶ τοὺς πολεμίους· ὥστε πολὺ μὲν θάρσος ἐγγενέσθαι τοῖς ὁρῶσιν, ἐκ δὲ τοῦ θαρρεῖν καὶ παρακαλεῖν ἀλλήλους δρόμῳ τοῖς ἱππεῦσιν ἱεμένοις ἐπὶ τοὺς πολεμίους ἐπικυμαίνειν τὴν φάλαγγα. *Vates Aristander candida lana amictus, coronamq; auream gestans, qui iuxta Alexandrum vehebatur, ostendit super verticem eius aquilam sublimem volare, cursumq; rectà dirigere in hostes. Vnde ingens spectantes incessit alacritas: ex alacritate autem & mutuà adhortatione, admisso in hostem equitatu, instar fluctus ingruit phalanx.*

ALBA VESTE.) De more, vbi vel publicè sacrificandum, vel quid agendum erat.

LAVREAM. Victoriæ signum & auspicium.

HASTA TRANSFIXVS.) Ab ipso Alexandro, vt auctor est Siculus. Dumq; Imperator Imperatorem infesto animo petit, misso in Darium iaculo Alexander, ipsum quidem non contingit, sed aurigam illi adsistentem feriens prosternit.

LVGVBRI ERGO VLVLATV.) Nec MSS. cum editis, nec editi & MSS. cum Criticorum censura conueniunt. Vulgati antiquiores ita leguntur, *Lugubri ergo vlulatu & incondito clamore gemituq; totam ferè aciem adhuc æquo Marte pugnantium turbauere. Cogniti Darij, & armigeri, læuumq; tuentes cornu in fugam effusum destituerant currum, quem à dextra parte stipati in medium agmen receperunt.* Constat huic vulgatæ qualicunque scripturæ sua tamen sententia, in hunc modum: Persæ (quos priori versu nominarat) lugubri vlulatu & incondito clamore gemituque totam ferè aciem adhuc æquo Marte pugnantium turbauêre. Cognati verò Darij, & armigeri, & illi qui sinistrum cornu, in quo Darius erat, tuebantur, in fugam effusi currum destituerant, quem ij qui à dextra parte pugnabant, in mediam aciem receperunt. Chartæ & membranæ eundem locum his verbis consignant: *Lugubri ergo vlulatu & incondito clamore gemituq; totam ferè aciem adhuc æquo Marte pugnantium turbauêre, cognati Darij & armigeri, læuoq; cornu in fugam effuso, destituerant currum,* &c. Paulò meliùs & expeditiùs hæc scriptura habet. Acidalius optimè, quamuis nulla auctoritate nixus, sed è re præsenti & ingenio: *Turbauerant cognati Darij: & armigeri læuam tuentes in fugam effusi destituerant cornu, quem à dextra stipati in medium agmen acceperunt.* Armigeri, inquit, ad læuum Darij latus positi, occisum eum nunc rati, in fugam se dabant, curru destituto, quem alij ad dextram stabiles & firmi, in agmen suum recipiunt, vndique circumfusi. Sæpè perbene Acidalius, nisi quod à Curtio longiùs abeat, cuius ego syllabas retinendas arbitror tolerabili, & verò sensu non obnitente. Alioqui nemo negat, sæpè mutatis aut sublatis voculis nunc his, nunc alijs, aut etiam suffectis clariorem sensum effici posse: sed id est explanare Curtium, non illius verba recensere: præsertim quando codex suffragatur. Cæterùm sententiam & emendationem Acidalij etiam Siculus affirmat cùm dicit, Latus alterum læuum vtique fuisse nudatum.

DICITVR DVBITASSE AN FVGAE DEDECVS HONESTA MORTE VITARET.) Iustinus: *Darius cum vinci suos videret, voluit & ipse mori: sed à proximis fugere compulsus est.* Suetonius Cæsarem quoque vltimo prælio in Hispania de consciscenda sibi nece cogitasse refert, de quo Lucianus. lib. 11. Suet. c. 36.

Vltima funesta concurrunt prælia Munda.

Multi alij in extremis sæpè periculis sibi ipsi omnino violentas manus intulerunt, M. Brutus, Otho, alij, vt omittam oppida & ciuitates; castra tota apud Cæsarem.

CVRRVM IN FVGAM VERTIT.) Eadem narrat Siculus, vt Curtius transtulisse quasi metaphra-

cap.21.lib.3. taphrastes totum hunc locum videatur. tute locum planè Curtio geminum lib.17. pellege. Plutarchus non curru, sed equa recens edito fœtu abrepta Darium euasisse tradit, quod Curtius in pugna Issica factum narrauit.

CAPVT XXXVII.

ARGVMENTVM.

Parmenionis læuum cornu à Mazæo adeò vrgetur, vti fugam iam circumspectet, petit auxilium ab Alexandro, qui Darium fugientem persequebatur. Sistit agmen indignabundus. Mazæus intellecto Darium fugere, mittit pugnam, & ipse perculsus metu, tergum vertit. Darius media nocte Arbela peruenit. Describitur inde clades & strages cadentium, fugientium, persequentium, & immensa hostium sitis.



AT in læuo Macedonum cornu, quod Parmenio (sicut ante dictum est) tuebatur, longè alia fortuna vtriusque partis res gerebatur. Mazæus cum omni suorum equitatu vehementer inuectus, vrgebat Macedonum alas. Iamq; abundans multitudine aciem circumuehi cœperat. tum Parmenio equites nunciare iubet Alexandro, in quo discrimine ipsi essent: ni maturè subueniretur, nō posse sisti fugam. Iam multum viæ præceperat rex imminens fugientiū tergis, cùm à Parmenione tristis nuncius venit: refrenare equos iussi, qui vehebantur, agmenq; constitit: frendente Alexandro eripi sibi victoriā è manibus, & Darium felicius fugere quam sequi se. interim ad Mazæum superati regis fama peruenerat. Itaque quanquam validior erat, tamen fortunā partium territus, perculsis languidius instabat. Parmenio ignorabat quidem causam sua spōte pugnæ remissæ, sed occasione vincendi strenuè est vsus. Thessalos equites ad se vocari iubet: Ecquid videtis, inquit, istos qui ferociter modò instabant, pedem referre, subito pauore perterritos? Nimirū nobis quoque regis nostri fortuna vicit; omnia Persarum cæde strata sunt. quid cessatis? anne fugientibus quidem pares estis? Vera dicere videbatur, & spes languentes quoque erexerat: subditis calcaribus proruere in hostem: & illi iam non sensim, sed citato gradu recedebant; nec quicquā fugæ, nisi quod terga nōdum verterāt, deerat. Parmenio tamē ignarus quanā in dextero cornu fortuna regis esset, repreßit suos. Mazæus dato fugæ spacio, nō recto itinere, sed maiore, & ob id tutiore circuitu Tigrim superat, & Babylonem cum reliquijs deuicti exercitus intrat. Darius paucis fugæ comitibus ad Lycum amnem contenderat quo traiecto dubitauit an solueret pontem: quippe hostem iam affore nunciabatur. Sed tot millia suorum, quæ nondum ad amnem peruenerant, ponte reciso prædam hostis fore videbat. Abeuntem cùm intactum sineret pontem dixisse constat, Malle insequentibus iter dare, quàm auferre fugientibus. Ipse ingens spatium fuga emensus, media ferè nocte Arbela peruenit. Quis tot ludibria fortunæ, ducum, agminum, cædem multiplicem, deuictorum fugam, clades nunc singulorum, nunc vniuersorum, aut animo assequi queat, aut oratione complecti? Propemodum seculi res in vnum illum diem fortuna cumulauit. Alij qua breuißimum patebat iter, alij diuersos saltus & ignotos sequentibus calles petebant. Eques pedesq; confusi sine duce, armatis inermes, integris debiles implicabantur. Deinde misericordia in metum versa, qui sequi non poterant, inter mutuos gemitus deserebantur. Sitis præcipuè fatigatos & saucios exurebat, passimq; se omnibus riuis prostrauerant corpora, præterfluentem aquam hianti ore ceptan-

captantes: quàm cum auidè turbidam hausissent, tendebantur extemplo præcordia premente limo, resolutisq́; & torpentibus membris, cum superuenisset hostis, nouis vulneribus excitabantur. Quidam occupatis proximis riuis deuerterant longius, vt quidquid occulti humoris vsquam manaret, exciperent. Nec vlla adeo auida * *& sicca lacuna erat vt vestigantiũ sitim falleret. E proximis verò itineri vicis vlulatus senum fœminarumq́; exaudiebantur, barbaro ritu Darium adhuc regem clamantium.* *arida.

AT IN LAEVO MACEDONVM CORNV) Hanc narrationem testantur triumuiri quoque Græci, Siculus, Plutarchus & Arrianus, nisi quod Parmenionem carpat Plutarchus ex Callisthenis sententia, perinde quasi optasset vinci Alexandrum. Curtius tamen ab omni Parmenionem suspicione absoluit, qui per Thessalos Mazæum quoque vicit, priusquam Alexander à persequendo Dario suis succurreret. In vita p. 22.

FORTVNA PARTIVM) fausta Alexandri, infelici Darij, quem iam in fugam actum cognorat, quod animum Mazæi propè iam victoris debilitauit. Quod vbi Parmenio sensit, hoc acrius hostem vrgere cœpit.

CITATO GRADV) nondum solutis ordinibus, quasi recepturi se aliquò recedebant.

DATO FVGAE SPATIO) sapienter hoc Parmenio, ne fortè in insidias præcipitarent, vt aliàs; hosti fugienti pons sternendus aureus: cuius exempla haud pauca habes toto capite 6. lib. 2. apud Frontinum.

TIGRIM SVPERAT) quà vadari poterat, versus septentrionem, vnde existit os eius, cum tamen Babylon esset meridiem versus, si fontes Tigris respicias.

DARIVS AD LYCVM AMNEM) tres cognomines Lycos reperio. In Armenia primum & maximum, qui in Phrygiam vsque transit, & in mare Euxinum exoneratur: alterum in Cicilia: tertium apud Augustam Vindeliciam, qui Sueuiam à Bauaria diuidit, quem hic missum facimus. Lyci illius Asiatici mentio etiam aliàs apud Curtium lib. 1. c. 1. lib. 4. c. 32. & c 38. Strabo: Capnus & Lycus Armeniæ flumina in Menandrum incidunt. Plura passim de hoc idem Geographus, Plinius, Eustathius, & alij. Sed quid Orosio in mentem fuit, cum vltimum prælium cum Dario in Cilicia ad Tarsum commissum ait? Immò quid Iustino, quem secutus est Orosius, vti & Marcoduranus ad cap. 17. l. 3. testatur. Commissum fuit hoc prœliũ in Assyria trans Lycum in Aturiæ campis ad vicum nomine Gaugamela, Auctore Strabone l. 16. Quãquã enim Dionysius Halicarnasseus ad Amineũ hanc pugnã τὴν ἐν ἀρβήλοις μάχην, Curtius prœliũ apud Arbela nominet, & Diodorus narrationẽ eius ita cõcludat. ἡ μὲν οὖν περὶ ἄρβηλα γενομένη παράταξις τοιοῦτον ἔσχε τὸ πέρας: Plutarchi tamẽ in Alexãdro verba sunt, τὴν δὲ μεγάλην μάχην πρὸς δαρεῖον οὐκ ἐν ἀρβήλοις ὥσπερ οἱ πολλοὶ γράφουσιν, ἀλλὰ ἐν γαυγαμήλοις γενέσθαι συνέπεσεν, *id est, accidit vt magnum illud prælium cum Dario non in Arbelis, sicut plerique scribunt, sed in Gaugamelis committeretur.* Cum Strabone & Plutarcho facit Arrianus lib. 3. vbi tradit Darium castra in Gaugamelis ad Bumadum fluuium ab Arbelis oppido stadia circiter L X. posuisse.

AN SOLVERET PONTEM) Iustinus: *Suadentibus deinde quibusdam, vt pons Cydni fluminis ad iter hostium impediendum.* (Lyci debebat scripsisse) *intercideretur* (ita cum Acidalio lego, non vt vulgò, *intercluderetur*) *non ita saluti sua velle consultum, ait, vt tot millia sociorum hostibus obijciat, debere & alijs fuga viam patere, qua patuerit sibi.* De ponte eleganter etiam Gualterus pro suo, sed omnia ex Curtio. De Lyco & Arbelis etiam Arrianus affirmat, cum enim Darium narret Arbela peruenisse, debuit vtique & Lycum, vt Alexander Darium insecutus, transisse. Lib. 9 sub finem.

MEDIA FERE NOCTE ARBELA PERVENIT) Alexander sub mediam noctem à Lyco mouit, interim elapsus est Darius, vt Arrianus docet.

SAECVLI RES) res vix intra centum annos tam multæ gestæ sunt, quam illo die ad Gaugamela.

DIVISI) certè *diuersos* scribendum.

QVIS TOT LVDIBRIA) perelegans bellicæ cladis descriptio, & amplificatio.

DEINDE MISERICORDIA IN METVM VERSA) talis infra libro 9. c. 17 locus de ipsius exercitu Alexandri. *Ergo sæpius reuocati ne respicere quidem suos sustinebant, misericordia in formidinem versa. illi relicti deos testes & sacra communia, regisque implorabant opem.* & quæ ibid. miseranda sequuntur.

AVIA ET SICCA LACVNA) Ita Constantiensis codex: Modianus *auida* Acidalio placet *arida*.

SITIS PRAECIPVE) Quia ad illam accendendam multa concurrebant, prælium, fuga, metus, cursus, regio etiam in hieme calens. Gualterum audi:

Curritur ad pontem, sed & intolerabilis æstus,
Et cursu duplicata sitis: languentia torrent
Viscera, & exhaustos sudor sibi vendicat artus,
Pulmonisq́; vagas agitant suspiria cellas:
Vnde inopes vnda nemorum per deuia docti

X 4 Occulti

Occulti laticis salientes, quærere venas,
Omnibus incumbunt riuis, haustaq́; gulosè
Cenosi torrentis aqua, præcordia limo
Tensa rigent ------

Iam quæ sequuntur ingeniosè:

---- prægnantem vterum simulare coactus
Triste parit funus concepto flumine venter.

Et quæ ibidem plura. Sed poeta subinde Prisciani immemor offendit in syllabis, vt cum subiicit,

Obstruit occurrens vitales vnda meatus
Aeràq; in cæcu occlusum suffocat antris.

Extant passim apud historicos & poetas in sacris & politicis paginis exempla sitientium in bello copiarum, per inuia & auia sæpe ductarum. De quibus infrà lib. 7. cap. 9.

CAPVT XXXVIII.

ARGVMENTVM.

Persæ per fugam Lyco mersi, tantum aquæ hauserunt, vti plerique nunquam amplius sitirent. Alexander suos cohibet porrò insequi volentes, parcerent ferro, seruarent vires meliori fortunæ; vertitque aciem ad Parmenionem, quem laborare acceperat. ipse in ipso reditu vltimum incurrit periculum, quod sola virtute, fusis hostibus qui se conglobauerant, euasit. Parmenio interim & ipse vicit. numerantur vtrinque cæsi, laudatur Alexander, & soli propè victoria tribuitur, nec tacentur præcipui duces, Hephæstio, Cænos, Perdiccas, Menides. additur epiphonema, Regem dignum tali milite, & militem tali rege.

ALexander (vt suprà dictum est) inhibito suorum impetu, ad Lycum amnem peruenerat, vbi ingens multitudo fugientium onerauerat pontem, & plerique, cum hostis vrgeret, in flumen se præcipitauerant, grauesq́; armis, & prælio ac fuga defatigati, gurgitibus hauriebantur. Iamq; non pons modò fugientes, sed ne amnis quidem capiebat agmina sua improuidè subinde cumulantes: quippe vbi intrauit animos pauor, id solum metuunt, quod primum formidare cœperunt. Alexander instantibus suis, impunè abeuntem hostem permitteret sequi: hebetia esse tela, & manus fatigatas, tantoq́; cursu corpora exhausta, & præceps in noctem diei tempus causatus est: reuera de læuo cornu, quod adhuc in acie stare credebat, sollicitus, reuerti ad ferendam opem suis statuit. Iamque signa conuerterat, cum equites à Parmenione missi illius quoque partis victoriam nunciant. Sed nullum eo die maius periculum adiit, quàm dum copias reducit in castra. Pauci eum & incompositi sequebantur ouantes victoria: quippe omnes hostes aut in fugam effusos, aut in acie cecidisse credebant: cum repentè ex aduerso apparuit agmen equitum, qui primò inhibuere cursum, deinde Macedonum paucitate conspecta, turmas in obuios concitauerunt. Ante signa rex ibat dissimulato magis periculo quàm spreto. Nec defuit ei perpetua in dubiis

bijs rebus felicitas. namq; præfectū equitatus auidū certaminis, & ob idipsum incautius in se ruentem, hasta transfixit. Quo ex equo lapso, proximum, ac dein plures eodem telo confodit. Inuasere turbatos amici quoq;, nec Persæ inulti cadebant. quippe non vniuersæ acies, quàm hæ tumultuaria manus vehementius inire certamen. Tandem barbari cum obscura luce fuga tutior videretur esse, quàm pugna, diuersi agminibus abiere. Rex extraordinario periculo defunctus incolumes suos reduxit in castra. Cecidere Persarum, quorum numerum victores inire potuerunt, millia XL. Macedonum minus quàm CCC. desiderati sunt. Cæterum hanc victoriam rex maiore ex parte virtuti suæ debuit. animo, non (vt antea) loco vicit. Nam & aciem peritissimè instruxit, & promptissimè ipse pugnauit, & magno consilio iacturam sarcinarum impedimentorumq; contempsit, cum in ipsa acie summa rei videret esse discrimen: dubioq; adhuc pugnæ euentu, pro victore se gessit: perculsos deinde hostes fudit: fugientes, quod in illo ardore animi vix credi potest, prudentius quàm auidius persecutus est. Nam si parte exercitus adhuc acie stante, instare cedentibus perseuerasset, aut sua culpa victus esset, aut aliena virtute vicisset. Iam si multitudinem equitum occurrentium extimuisset, victori aut fœdè fugiendum, aut miserabiliter cadendum fuit. Ne duces quidem copiarum sua laude fraudandi sunt, quippe vulnera quæ quisque excepit, indicia virtutis sunt. Hephæstionis brachium hasta ictum est. Perdiccas ac Cœnos & Menides sagittis propè occisi. Et si verè æstimare Macedones, qui tunc erant, volumus, fatebimur & regem talibus ministris, & illos tanto rege fuisse dignissimos.

PAVOR INTRAT) nihil enim amplius prouidet, sed proxima arripit. verè enim Ennius apud Ciceronem: *Pauor sapientiam omnem ex animo expectorat*. Pauoris enim & consilij propè nulla est copula.

QVOD PRIMVM FORMIDARE COEPERVNT) primum erat quod metuebant, imminentem à tergo hostem; & à fronte Lupum seu Lycum amnem agmina simul tota haurientem non metuebant.

IMPROVIDE) al. *improuida fuga*, al. *improuida fuga*. seruo MSS. lectionem *improuidè subinde cumulantes*.

ALEXANDER INSTANTIBVS SVIS) Hoc dicit Curtius. Alexander cum ad Lycum peruenisset, constitit, non vlterius hostem certatim fugitantem insecuturus, quod Ipsius miles auidus cædis ægrè tulisse videtur, quando ita vrsit regem, vt *sibi*, hostem sequi & in fuga ad internecionem delere, pateretur; adeoque non prælium, sed bellum etiam perpetraretur. Sed Alexander, nuncio per equites à Parmenione missos accepto, læuum cornu Macedonum in acie stare, & à Mazæo vehementer premi, ægreque à fuga contineri, solicitus de suis, dissimulata vera caussa respondit suis, hebetia esse tela, & multa cæde & sanguine retusa, parcerent ferro, parcerent etiam sibiipsi prælio, cursu, cæde fatigatis, noctem etiam imminere: interim reuera de Parmenione solicitus, cui statuit opem ferre.

NVLLVM EO DIE MAIVS PERICVLVM ADIIT) Quia vicissatim sæpe voluitur victoria, vt qui modò vicit, repentè vincatur, quod propemodum hic vsu venit Alexandro. Dum enim conuerteret signa, per equites alios à Parmenione submissos in ipso reditu intellexit debellatum esse. Itaque miles Alexandri velut vbique victor, sine ordine, cura, metu, exultabundus incedens velut omni periculo defunctus in extremum periculū cum suo rege incidit, quod rex virtute superauit.

Præfectum equitatus) Gualterus,

------ *rex ante Quiritum*

More suo gradiens vexilla, pericula Martis
Dissimulans potius quam spernens illud ab hoste
Concussum toties sed inexpugnabile castrum
Pectoru oppofuis Persis: nec defuit illi
Perpetua in dubijs rebus fortuna, cohortis
Præfectum mortisq; & Martis amore furentem
Excipit, & celeri rimatur viscera ferro.

En Curtij Interpretem Gualterum, & ipsa prope Curtij subinde verba vsurpantem.

De eodem Alexandri extraordinario periculo & prælio vide Arrianum: Arrian. li. 3. pag. 121.

ANTE SIGNA IBAT REX) more suo. suprà c. 33. *ante prima signa dimicaturum*. primus Duci in pugna assignatur locus. Iustinus. *Alexander autem periculosissima quaque aggrediebatur: & vbi confertissimos hostes acerrimè conspexisset, eò se semper ingerebat, periculosaque sua esse, non militum volebat*. in 8.

LVCE OBSCVRA) dedecus etiam fugæ nox tegit.

Ce-

ANNVS ET TEMPVS *pralij.*

Tom. 5. Annal. Ecclesi. p. 557. & seq. at p. 283. & seq. edit. Col.

FINIS IMPERII PERSARVM ex nostro Saliano.

Annus mundi 3724. sextæ ætatis, & imperij Persarum 208. & vltimus Darij 9. & vltimus Iaddi Pontificis 35. Alexandri 7. & imperij primus, olympiadis 92. anno 3. Archonte Aristophonte. Vrbis conditæ 423. Coss. L. Papyrio Crasso II. & L. Plautio Venoce.

Annus ante Christum natum 329.

Prælium ad Arbelam, quo accisæ sunt Persarum vires Aristophonte prætore, contigisse testis est Dionysius Halicarnasseus ad Ammæum: sub cuius etiam magistratu Darii mors ex communi sententia multis post mensibus contigit, quot scilicet inter Octobrem & Iunium intercedunt.

Ducentos ergo & octo annos, inquit idem Salianus, cum dimidio, imperium Persarum stetit: quæ planè communis esset omnium recentiorum sententia, nisi iam nonnulli ab eius principio decepti essent, dum idem faciunt initium regni Cyri atque imperii eiusdem, cum tamen regnum eius viginti tribus annis diuturnius fuerit imperio eiusdem. Regnum quippe anno 1. Olymp. 55. sumsit exordium, Imperium autem, quod septem tantum annorum fuit, Olymp. 60. anno 4. ex quo ad præsentem annum Olympiades 52. idest, ducenti & octo anni numerantur. Quæ videtur Dionysij fuisse sententia, cum ait Persas non multum vltra ducentos annos stetisse in rerum fastigio. Itaque cum Curtius 230. annos Persarum imperio tribuit, videtur & ipse imperium Persarum à Cyri regno, non ab imperio, & à deuicta Babylone inchoasse. Idem suprà: Calendis Octobris commissa pugna dicitur, decem diebus ab eclipsi lunæ, vt putant *Scaliger & Temporarius; vel duodecimo, vt Buntingus; vel vndecimo vt Plutarchus. Valdeque fallitur interpres Arriani, qui eo tempore Aristophanem in magistratu retinet, cum mensem Pyanepsionem, Iulium vertit, nec minus Arrianus, qui eo tempore Aristophanem in magistratu retinet, nec de mense cum * Plutarcho aliisque consentit.

*Immo Scaliger vndecim dies numerat.

*Plutarch. etiam Scaliger erroris conuincit.

Lunæ autem defectio fuit xx. Septembris, hora octaua.

Comment. ad Lib. IV. Q. Curtij, Finis.



Q. CVRTII RVFI

HISTORIARVM ALEXANDRI MAGNI MACEDONIS

LIBER QVINTVS.

SYNOPSIS HVIVS LIBRI.

*Darius in Mediam cum suis profugit: Alexander Arbelis potitur, Babylonem à Mazæo deditam cum Mazæo in fidem accipit, vrbemq; cum triumpho ingreditur. Babylon & ciuium mores describuntur. Amyntas Andromenis, supplementum militum ex Gracia adducit. Rex ludos militares committit. Susa deduntur, vbi thesaurus Darij exhaustus, tricies millies centena millia Philippaorum: vt Barbari vocant, triginta milliones talentorum. Rex Sysigambem solatur, & illius deprecatu victis Vxys parcit. Persidem intrare conatus ab Aribarzane Satrapa repellitur, vbi Alexandri deprehensa hæsit felicitas. Duce tamen Lycio per inuia & auia penetrat. Araxem amnem superat, supplices Græcos & captiuos liberat, captam Persepolim exhaurit, septuagies bis millies centena millia aureorum in ærarium redigit, quibus ex Parsagadis tricies sexies centena millia addit. * summa totius prædæ ex toto Oriête captæ suo loco edemus. Inde Mardos subit; redit Persepolim, vrbemq; cum regia, suasu Thaidis, incendio delet. Hinc Mediam accepto supplemento intrat. Darius Ecbatanis pugnæ se rursum accingit, ad quam suos hortatur, Nabarzanes & Bessus in Darij exitium coniurant. Græcus miles regem tueri conatur, capitur Rex, vulneratur, destituitur à suis, à Macedone spirans reperitur, extinguitur, quod in Curtio deletum est.*

* centum & triginta octo milliones.

GA-

CAPVT I.

ARGVMENTVM.

Dilata rerum in Europa gestarum narratione, fugam & consilia Darij explicat.



Ve interim ductu imperioque Alexandri, vel in Græcia, vel Illyrijs ac Thracia gesta sunt, si suis quæque temporibus reddere voluero, interrumpendæ sunt res Asiæ, quas vtique ad fugam, mortemque Darij vniuersas in conspectum dari, & sicut inter se cohærent, ita opere ipso coniungi, haud paullò aptiùs videri potest. Igitur quæ prælio apud Arbela coniuncta sunt ordiar dicere. Darius media ferè nocte Arbela peruenerat, eodemque magnæ partis amicorum eius ac militum fugam fortuna compulerat: quibus conuocatis exponit, haud dubitare se, quin Alexander celeberrimas vrbes agrosque omni copia rerum abundantes petiturus esset, prædam opimam paratamque ipsum & milites eius spectare. Id suis rebus tali in statu saluti fore, quippe se deserta cum expedita manu petiturum. Vltima regni adhuc intacta esse, inde bello vires haud ægrè reparaturum. Occuparet sanè Gazam auidissima gens, & ex longa fame satiaret se auro, mox futura præda sibi: vsu se didicisse preciosam supellectilem, pellicesque, & spadonum agmina nihil aliud fuisse, quàm onera & impedimenta. Eadem trahentem Alexandrum, quibus rebus antea vicisset, inferiorem fore. Plena omnibus desperatione videbatur oratio: quippe Babylonem vrbem opulentissimam dedi, iam Susa, iam cetera ornamenta regni, causamque belli victorem occupaturum. At ille docere pergit, non speciosa dictu, sed vsu necessaria in rebus aduersis sequenda esse. Ferro geri bella, non auro: viris, non vrbium tectis: omnia sequi armatos. Sic maiores suos perculsos in principio rerum celeriter pristinam reparasse fortunam. Igitur siue confirmatis eorum animis, siue imperium magis quàm consilium sequentibus Mediæ fines ingressus est.

IN GRAECIA) In Europæ partibus, Thracia, cuius caput Bizantium, hodie Constantinopolis. De Illyrico supra dictum. Bellũ Antipatri proregis Macedoniæ, cum Agide Lacedemoniorũ gestũ, Curtius initio libri 6. describit, quamuis ante victoriam Alexãdri ad Arbela illud factum sit. Cuius rei caussam hic commemorat, quod non videretur narratio rerum Asiaticarũ interrumpenda. itaq; & nos hoc loco de Agide & Antipatro plura non commemorabimus, suo loco exequenda. Persequitur ergò fugam hic Darij Curtius, & quæ fugam comitabantur.

APVD ARBELA) Iam suprà dictum, ad Gaugamela prælium factum.

DARIVS MEDIA NOCTE AD ARBELA PERVENERAT) ingens certè spacium intra paucas horas emensus, milliaria Germanica decem & octo, cum triente; sexcentis quippe stadijs Arbela distant à Gaugamelis, vbi prælium est factum, vti suprà docuimus. Alexander, auctore Arriano, ad Lycum vsque Darium insecutus castra trans Lycum posuit, & post mediam noctem Arbela contendit; sed Darium inde in Mediam volantem potius quàm properantem non offendit. Itaque porrò insequi in præsens destitit, & caput interim Assyriorum Babylona occupauit, vti mox videbimus. Curtius autem Alexandrum primo ad suos regressum, deinde Arbela & Babylona cum exercitu petijsse, regnique Persarum possessionem adijsse docet. Darius Arbelis ad duces suos & fugæ comites orationem instituit, qua spiritus suorum non auxit, sed propè omninò extinxit, quod desertis omnibus vrbium munitionibus vellet loca Mediæ deserta petere, & inde ex vltimis regni finibus auxilia accersere, copias instruere & reparare, serum auxilium.

GAZAM) Persica vox, sed iam olim Græca & Latio donata: vnde & *gazophylacium*, vt & aliæ nonnullæ *parasanga, satrapa, Cydoris*.

FVTVRA PRAEDA SIBI) Ah quàm aliud clausum corde gerebat Darius, & aliud in ore ferebat! an etiam prædas ex suo agit? certè ante ab hoste occupatas.

INFERIOREM FORE) vt Hannibal per hiberna Capuæ delicijs fregit exercitum, nec enim quicquam rei magnæ ab illo tempore gessit: hebescit enim virtus delicatius habita.

PLENA DESPERATIONIS ORATIO) Interlocutos satrapas & duces, ex frequenti Darij oratione constat, qua illorum rationes frustra diluere conatur.

BABYLONEM ET SVSA) quas vrbes munitissima propugnacula regnorum. Sed Darius nihil tam munitum credebat quod insidere debebat Darius, & bellum inde defendere.

CAVSSAM BELLI) propter vrbes, pecuniam, gazam, opes, prouincias, bella gerundi ab Alexandro expugnari non posset.

FERRO GERI BELLA) credidisset antea Charidemo, quem occiderat Darius.

MAIORES SVOS PERCVLSOS) Cyrum conditorem gentis ab Scythis cum exercitu deletum, vt ne nuncius quidem superesset, Cambysen propè cum toto exercitu arenis obrutum. Darium Hystaspis turpiter à Scythis fugatum, Xerxem è Græcia ægrè fuga elapsum. Herodotus, Diodorus, Iustinus legantur.

CAPVT II.

ARGVMENTVM.

Prædæ bello captæ, & Tigris & Euphratæ fluminum descriptio.



Paullò pòst Alexandro Arbela traduntur regia supellectili ditique gaza repleta. quatuor millia talentûm fuêre, præterea preciosæ vestes, totius (vt supra dictum est) exercitus opibus in illam sedem congestis. Ingruentibus deinde morbis, quos odor cadauerum totis iacentium campis vulgauerat, maturius castra mouit. Euntibus aperit se à laeua Arabia odorum fertilitate nobilis regio, campestre iter est inter Tigrim & Euphratem iacentia tam vberis & pinguis soli, vt à pastu repelli pecora dicantur, ne satietas perimat. Caussa fertilitatis est humor, qui ex vtroque amne manat, toto ferè solo propter venas aquarum resudante. Ipsi amnes ex Armeniæ montibus profluunt, ac magno deinde aquarum diuortio iter quod cæpêre percurrunt. Duo millia & D. stadia mensi sunt, qui amplissimum interuallum circa Armeniæ montes notauerunt. Iidem cum Mediæ & Cordianorum terras secare cœperunt, paulatim in arctius cocunt: & quo longiùs manant, hoc angustius inter se spacium terræ relinquunt. Vicini maximè sunt his campis, quos incolæ Mesopotamiam appellant. Mediam namque ab vtroque latere cludunt. Iidem per Babyloniorum fines in rubrum mare irrumpunt. Alexander quartis castris ad Mennin vrbem peruenit. Cauerna ibi est, ex qua fons ingentem vim bituminis effundit, adeò vt satis constet Babylonios muros ingentis operis, huius fontis bitumine interlitos fuisse.

QVATVOR MILLIA TALENTA) Bis millies quadringenta millia Philippæorum seu coronatorum, vt singuli, viginti victoriatis æstimentur: talentum enim sexcentos aureos seu coronatos efficit. duos milliones & quatuor thunnos barbari vocant.

ODOR VVLGAVERAT) Odor aerem infecerat, haustus aer viscera: ita propagata lues, vt solet in pestilitate, proinde magna semper ratio habita est, vt castra à sordibus essent pura. quod in sacris paginis à Domino exercituum Mosi præceptum est. Et * Vegetius, *si autumnali æstiuoque tempore diutius in ijsdem locis militum multitudo consistat, ex contagione aquarum & odoris ipsius fœditate vitiatis haustibus, & aere corrupto perniciosissimus nascitur morbus, qui prohiberi non potest aliter, nisi frequenti mutatione castrorum.* Ad quem locum Stevvechium consule.

* lib. 3. c. 2.

APERIT SE A LAEVA ARABIA) Huius loci primum germana lectio constituenda est, deinde res ipsa explananda est. in vtroque variant libri & critici sciptores. Vetus editorum scriptura erat: *Euntibus à parte laua, Arabia odorum fertilitate nobilis regio est. Inter Tigrim & Euphratem iacentia tam vberi & pingui solo sunt, campestre iter, vt à pastu repelli pecora dicantur, ne satietas perimat.* Ita impressi ante Modianum castigationem, omnes

quos

quos vidi . Membranæ quas Modius laudat , ita habent . *Euntibus à parte læua Arabia odorum fertilitate nobilis regio . Campestre iter est inter Tigrim & Euphratem iacens , tam vberis & pinguis soli* &cæt . Sed quos ego vidi MSS. cum vulgatis antiquioribus consentiunt. Modius ergò & vulgatos , & manu exaratos hunc in modum emendat : *Euntibus aperit se læua Arabia odorum fertilitate nobilis regio , campestre est iter inter Tigrim & Euphratem tam vber & pinguis soli, vt à partu* &c. Arrisit hæc Modij emendatio , nec malè tamen illa traducit: Campestre iter est inter Tigrim & Euphratem, *& vber* tam pinguis soli . Glareanus verò omnia relinquit vt in editis leguntur, nisi quod vox *Arabia* illum vehementer offendat, pro qua *Aturia*
rescribendum putat. *Mirabilis est*, inquit, *huius profectionis descriptio. Ego quantum coniectura consequi* Glarean.
possum, Alexandri exercitum è Gaugamelis neutiquam motum credo, cum Alexander Arbela ad regis the- annot. in l.
saurum piscandum isset: quod ex cadauerum odore satis clarè ostenditur . Euntibus autem è Gaugamelis 6. Curtij.
Babylonem, quomodo à parte læua Arabia iter fit (vt hic author scribit) vix credo abs quoquam geographia perito intelligi: etiamsi non sum nescius, Arabes Syris, Chaldæis ac Babylonijs permixtos dici ab authoribus. In eo tamen tractu non temerè Arabas reperias. Lector etiam atque etiam consideret , num pro Arabia legendum Aturia, nomen celeberrimum apud Strabonem libro sexto, ab initio. Laudat pro sua castigatione Henricus libri sexti initium apud Strabonem : atqui Geographus libro sexto toto de varijs Italiæ regionibus, Lucania, Brutijs, & hisce vicinis tractat, de Aturia nullam syllabam . Emendo ego primùm Glareanum, & pro libro sexto, repono librum sextum decimum, vbi de Aturia Strabo. Coniectura Glareani speciem habet veritatis aut certè probabilitatis. Nam in Aturiæ campis
prælium est commissum . Strabonem audi etiam alio loco nobis * laudatum , ita narrantem: *supra Li.
* *Aturia similis est ijs locis, quæ circa Arbela sunt, & Lycum flumen intermedium habet. Arbela enim ad* 4. c. 2a.
Babyloniam pertinent, & iuxta eam sunt . Trans Lycum verò Aturia campi , Ninum circumiacent. *Strabo
In Aturia quoque pagus est nomine Gaugamela , apud quem Darius superatus amisit imperium : quare lib. 16. ini-
hic locus insignis est, vt & nomen. Cameli enim domus interpretatur. Dissimularunt hanc Glareani du- tio.
bitationem & emendationem Modius & Acidalius, & retinuerunt omnium codicum editorum, ineditorum fidem & scripturam, & bona venia Glareani retineri potest . Nam euntibus è Cilicia Babylonem per Mesopotamiam læua Septentrionem & montes Armeniæ spectat . Continet
autem Mesopotamia Armenios Syros & Arabes, vti docet Strabo: *Nam Armeniorum, Syrorum, &* Li. 1. p. 28.
Arabum multum cognationis præ se ferunt nationes, sermone, vita, corporum forma , maximè vbi degunt in vicinia. idque ostendit Mesopotamia ex tribus his conflata populis : maximè enim in his similitudo est illustris: quod si qua est varietas , pro eo atque aliæ partes alijs magis ad Septentrionem aut meridiem vergunt, aut in medio sunt sitæ: nihilominus tamen communis affectio obtinet , . Arabes ergo in Mesopotamia. Quod si Alexandrum à Gaugamelis & Arbelis Babylonem deducas, à læua quoque Arabiam habebit felicem, sed extra Mesopotamiam . Arabibus porrò Alexander statuerat bellum facere, quod nullos ad se legatos misissent , vti Strabo est auctor . Sed Curtius de Arabiæ parte, quæ in Mesopotamia est , disseruit (non satis planè dirimens Arabiam odoriferam ab Arabia, quæ est in Mesopotamia) Mesopotamiæ fertilitatem & soli vbertatem describit , cuius caussam reddit, quod tellus illis duobus fluminibus Euphrate & Tigri inundetur . Et sanè de fœcundo Mesopotamiæ solo suffragatur, Dionysius Periegetes, & Eustathius ad eundem, Ego vtrumq; quod prolixiores sint, prætereo.

A PASTU REBELLI PECORA DICANTUR) Negat hoc Glareanus, omnesque pecudes na-
turali modo contentas, aliam satietatem nescire. *Cæterum ridere , sanè libet, quoties authores La-* In lib. 6.
tini terræ fœcunditatem commendant, quod à pastu pecora repelli dicantur, ne satietas perimat : quasi Curtij nu.
pecora per se ipsa nesciant cibi modum , in quantumuis pingui regione . Vtinam multi mortales tam 64.
probè nossent sibi temperare. Pomponius Mela de Hybernia simile quiddam scripsit . Quod de Hibernia
subiungit hoc est Melæ: *Iuuerna*, (ita Hiberniam , seu Irlandiam vt hodie Germanis appellatur, Li. 3. c. 6.
vocat) *est pauè par spacio , sed vtrinque æqualis , tractu littorum oblonga , cœli ad maturanda semina iniqui: verùm adeò luxuriosa herbis non lætis modò, sed etiam dulcibus , vt se exigua parte diei pecora im-*
pleant: & nisi pabulo prohibeantur, diutius pasta dissiliant . Quod autem ridiculum videatur Glarea- Plin. l. 8.
no pecudes satietate perimi , generatim verum est . Draco tamen Elephantis sanguine ebrius cap. 12.
opprimitur, & commoritur. Et tanta pabuli dulcedo & pinguedo est, vt naturam gula vincat etiam in animantibus, hirundines quoque possint esse exemplo.

FERTILITATIS) quà ad Septentrionem & Armeniam vergit, est fertilior.

AMNES EX ARMENIAE MONTIBUS PROFLUUNT) Idem testantur omnes Geographi. Scripsere de vtroque flumine præter literarum sacrarum interpretes, veteres & nouos, Græcos & Latinos, Herodotus, Diodorus Siculus, Dionysius Periegetes , & Eustathius ad eundem, Strabo, Ptolemæus, Arrianus, Plutarchus de fluminibus , si tamen non Pseudepigraphe est illius libri περὶ ποταμῶν: Sallustius Frag. Plinius, Solinus, Curtius , & multi recentiores. præclara sanè multa de his fluminibus referuntur, sed quæ parum ad rem nostram faciunt; proinde indicis munere defuncti redimus ad Curtium.

Bitumen, inquit Rabanus, est feruentissimum & violentissimum gluten, cuius hæc est virtus, vt ligna, quæ eo lita fuerint, nec vermibus exedi, nec solis ardore, nec ventorum flatibus, nec aquarum possint violentia dissolui. Vide descriptionem Butiminis apud Strabonem li.16 pag. 525. post med.

Sed præ omnibus est, quod Plutarchus in Alexandro, quando illum ad hunc locum deducit, de naphtha hac memoriæ prodidit. Tu si placet lege, quæ ibidem de eadem naphtha Plutarchus subiungit. Diodorus alia quædam mira addit: In vita Alex. p. 23. ante m. Diod l. 2. pag. 71.

Multa sanè Babylonia continet spectatu digna & admiranda: sed inter hæc non minimum admiratio-nis meretur bituminis copia illic exsudantis, quæ tanta est, vt non modò tot & tantis ædificiis sufficiat, verum etiam profusè à populo collectum, pro lignis siccatum crematur. Et licet ab innumerabili hominum multitudine, vtpote ex fonte amplissimo, hauriatur, integra tamen eius manet vbertas. Prope fontem istum scaturigo est haud ita magna, sed mirè efficax. vaporem enim sulfureum & grauem emittit, quo quicquid animantium accedit, subita nec opinata morte correptum extinguitur. Anhelitu enim diutius compresso & respirandi facultate, per vim exhalationis interclusa, præfocatur. Et continuo turgescens cadauer inflammatur, locis circa pulmones maximè. Hæc de bitumine hic dicta sunto. Hoc tantum obserua, Non hic de Ecbatanis regia Mediorum mentionem fieri à Plutarcho, sed cognomine loco ad Babylonem.

CAPVT III.

ARGVMENTVM.

Alexander Babylonem vltrò se dedentem ingreditur, & ab tota ciuitate effusa, lætus excipitur.



Ceterùm Babylonem procedenti Alexandro, Mazæus, qui ex acie in eam vrbem confugerat, cum adultis liberis supplex occurrit, vrbem, seque dedens. Gratus aduentus eius regi fuit, quippe magni operis futura obsidio tam munitæ vrbis. Ad hoc vir illustris & manu promptus, famaque etiam proximo prælio celebris, & ceteros ad deditionem sui incitaturus exemplo videbatur. Igitur hunc quidem benignè cum liberis excepit. Ceterum quadrato agmine, quod ipse ducebat, velut in aciem irent, ingredi suos iubet. Magna pars Babyloniorum constiterat in muris, auida cognoscendi nouum regem. Plures obuiam egressi sunt: inter quos Bagophanes arcis & regiæ pecuniæ custos, ne studio à Mazæo vinceretur, totum iter floribus coronisque constrauerat, argenteis altaribus vtroque latere dispositis, quæ non thure modò, sed omnibus odoribus cumulauerat. Dona eum sequebantur, greges pecorum, equorumque: leones quoque & pardales caueis præferebantur. Magi deinde suo more carmen canentes post hos Chaldæi Babyloniorumque non vates modò, sed etiam artifices cum fidibus sui generis ibant. Laudes hi regum canere soliti. Chaldæi siderum motus, & statas vices temporum ostendere. Equites deinde Babylonii suo equorumque cultu ad luxuriam magis, quam ad magnificentiam exacto, vltimi ibant. Rex armatis stipatus, oppidanorum turbam post vltimos pedites ire iussit. Ipse cum curru vrbem, ac deinde regiam intrauit. Postero die supellectilem Darii, & omnem pecuniam recognouit.

MAZÆVS QVI EX ACIE IN EAM VRBEM CONFVGERAT) De hoc supra Curtius: *Mazæu dato fuga spacio non recto itinere* (quia incidisset in Alexandrum) *Sed maiore, & ob id tutiore circuitu Tigrim superat, & Babylonem cum reliquiis deuicti exercitus intrat*. Et passim multa supra de eodem: infra etiam de morte audies. Sed laus hic singularis cum elogio. Atqui fides exigebat, vt regem suum sequeretur in vltima fortuna non destituendum. fides enim extremum est vinculum mortalium: & *fidem qui perdit, perdere vltrà nil potest*. Sed Mazæus tribus maximis prælijs victum regem suum frustra secuturum se vidit; Iam enim omnis spes decollata. vt seruaret se, & suos, ad Alexandri fidem confugit, quam ad mortem vsque custodiuit.

PROXIMO PRAELIO) in quo aduersus Parmenionem steterat, quem penè iam superarat, & impedimenta diripuerat regis, vt suprà cognouisti.

QVADRATO AGMINE) τετραπλεύρῳ quadrilatero, de quo Aelianus c.35. quando agmen ita incedit, vt ex omni parte paratum sit ad pugnam, cum quatuor latera continet exercitus.

IN MVRIS) qui totam etiam ciuitatem capiebant, tam lati erant, vt infrà mox demonstrabimus.

BAGOPHANES) præfectus arcis & turris Babylonicæ, idemque, vt hodie appellant, thesaurarius, custos thesauri, gazæ & pecuniæ regiæ.

ITER FLORIBVS CORONISQVE) Totius ferè Orientis hic mos, vt etiam Christo Hierosolymam ingredienti vestes, quasi hypostromata subijcerent, & palmis frondibusque vias consternerent. Et hodie totus orbis Christianus in festo sanctissimi & augustissimi corporis Christi conditoris & imperatoris orbis [illegible], vias omnes qua sacratissima pompa incedit, flore virentique herba conspergit, altaria ponit, ædes peristromatis vestit, symphonia, tubis, tibijs, organis, tympanis omnes festo concentu vrbes & aerem implet. Sed hic mos primum à regibus Persarum profluxisse videri potest, omnemque post in orbem propagatus. Herodotus mihi dux & index moris, cuios verba sunt de Xerxe, Herod.l.7. cum Hellespontum ponte iunxit & traiecit. θυμιάματά τε παντοῖα ἐπὶ τῶν γεφυρέων καταγίζοντες, καὶ μυρσίνῃσι στορνῦντες τὴν ὁδὸν, *omnis generis odores in pontibus congerentes, ac myrto iter consternentes*. Alexander ipse apud Curtium, Liberi triumphum æmulatus vicos omnes, Cur.l.9.c. vlt. per quos pompa ingressura erat, floribus coronisque sterni iussit. Neque in triumphis & regibus locum ingredientibus, hoc duntaxat fieri solitum. Etiam in communi vrbium lætitia, id factitatum docet Herodotus. Nam cum nuncius Susa de captis ab Xerxe Athenis esset allatus: ἔτερψε, inquit, οὕτω δή τι Περσέων, τοὺς ὑπολειφθέντας, ὥς τάς τε ὁδοὺς μυρσίνῃσι πάσας ἐστόρεσαν καὶ ἐθυμίων θυμιήματα, καὶ αὐτοὶ ἦσαν ἐν θυσίῃσί τε καὶ εὐπαθείῃσι. *Adeo*, inquit, *nuncius relictos ibi Persas affecit, vt vias omnes myrto consternerent, ac per eas odores incenderent, & ipsi in sacrificijs & gaudijs versarentur*. Id in Olympiacis ludis nonnunquam lactitatum, vt floribus & coronis per viam gratulationis caussa aspergerentur. Pausaniam in Eliacis audi, vbi affir- Pausanias l.6.Eliacorum. mat Diagoram patrem Acusilai & Damageti à filijs Olympionicis, humeris in media arena circumlatum, & rolis coronisque cum faustis acclamationibus aspersum. Διαγόραν δὲ καὶ ὁμοῦ τοῖς παισὶν Ἀκουσιλάῳ καὶ Δαμαγήτῳ ἐλθεῖν ἐς Ὀλυμπίαν ἐλθεῖν, νικήσαντες δὲ οἱ νεανίσκοι, διὰ τῆς πανηγύρεως τὸν πατέρα ἔφερον βαλλόμενόν τε ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων ἄνθεσι καὶ εὐδαίμονα ἐπὶ τοῖς παισὶ καλούμενον. Sed hoc quasi priuatum: ille Persicus & publicus transijt. Ouidius de Tiberio Cæsare Liuiæ F.

Li.4.de Trist.

Hoc super in curru Cæsar victore veheris
Purpureus populi ritè per ora tui.
Quaque ibis manibus circum plaudere tuorum,
Vndique iactato flore tegente vias.

Liuius de Q. Flaminio, Ludis verò dimissis, cursu propè omnes tendere ad Imperatorem Romanum, vt ruente turba in vnum adire, contingere dextram cupientium coronas, lemniscosque iacientium haud procul periculo fuerit. Ouidius ad eum morem de Cupidine alludit:

Lib.1.de Amor.

Læta triumphanti de summo mater Olympo
Plaudet, & appositas sparget in ora rosas.

Tacitus, *Octauiæ imagines gestant humeris, spargunt floribus*. Et hæc extra triumphos, vt & illud a- Lib.14. pud Capitolinum de M. Antonino, Coronas in puluinar de more iacientibus. Herodianus de ingressu Commodi in vrbem: τοιοῦτον δὴ διαθέμενοι τὸν βασιλέα οἱ Ῥωμαῖοι, εὐφημίαις τε καὶ παντοδαπαῖς καὶ στεφάνων καὶ ἀνθέων βολαῖς ὑπεδέχοντο. *Talem igitur imperatorem faustis ominibus, acclamationibus, varijsque omnium & coronarum floriumque sparsionibus exceperunt*. De triumpho rursus verò Tiberij, quem de Illyrico perdomito retulit, spargit iterum rosas Ouidius:

r.eleg.2.de Ponto. *roratis.

Quaque ierit felix adiectum plausibus omen,
Saxaque * *iactatis erubuisse rosis.*

Sed de hoc Curtij loco & more veterum Assyriorum, Persarum, Palæstinorum, Romanorum, & totius propè mundi plus satis. Nihil tamen illustrius fuit hoc Alexandri triumpho, quo à Babylonijs, paulo antè hostibus, exceptus est, quem leones quoque & pardales, immanissimæ feræ occurrentes, quantumuis clausæ caueis augebant.

Eustath. ad Diony. p.125. MAGI DENIQVE SVO MORE.) De Magis Persarum suprà lib.3 dictum. Erãt Persarum honoratissimi & sapientiæ laude inclyti, non pharmacis aut veneficijs, & malis artibus, vt hodie, infames. Ταύτην (Μαγικὴν) ἐφεῦρον, inquit Snidas, Μῆδοι καὶ Πέρσαι, ἣ διαφέρουσα τῆς γοητείας καὶ αὐτῆς φαρμακείας. *Hanc Magicam inuenerunt, Medi & Persæ, quæ differt à præstigijs & veneficijs.*

Brisson. fuse de his l. 2.p.178. & seq. Cæterùm cantus, symphonias, instrumentum musicum omnis generis, in triumphis omnibus propè gentibus vsitata fuisse docent literæ sacræ & profanæ. Pharaone Aegyptio cum omnibus copijs

pijs

pijs Erythræi maris fluctibus obruto & deleto, cecinit Moses & Maria epinicion. Dauide post deiectam lunda molem gigantæam, regresso, chori virginum Hebræarum egresii cum tympanis & sistris cecinerũt, *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.* Ipse Dauid in triumpho receptæ & reductæ arcæ sacræ, cum toto populo *lusit coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis, & sistris & cymbalis.* In triumphis Rom. Onuphrius Panuuinus tubicines, tibicines, phonascos, cytharædos descripsit & depinxit. Ex quo tantùm hic subscribã, quæ ad hũc locum illustrandũ pertinent. *Primò senatus vniuersus Capitolium versus præibat: post senatum tibicines cum tubis classicum resonantibus, ferculaq; redimiti, turris spolijs refertos præcedebant.* Et infrà: *Post alij tibicines aderant, non mite aut suaue, sed bellicum præcinentes.* Rursum subijcit Onuphrius, *Sequebatur deinceps dux ipse seu pop. Rom. Imperator, &c. Circum currum verò citharœdorum ac tibicinum turba veniebat modulis elegantissimis concinentes. Hi succincti, coronaq; aureis redimiti suo quisque ordine psallentes canentesq; prodibant. Denique de ipsis militibus laureatis carmina patria salibus & risu permixta canentibus, quibus ducis laudes* (aut vitia etiam) *complectebantur.* Exod. 15. 1 Reg. 18. 2. Reg. 6. Onuph. Pan. de triump. Rom. p. 6. & 7.

Quæras iam fortasse, quod fuerit carmen à Magis Alexandro dictum? nusquam editum memini, hypothesin tamen illius & argumentum Curtius non obscurè indicat, quando subiungit, *Laudes ij regum canere soliti.* Nini, credo, Semiramidis, Darij Medi, Cyri, & ipsius Alexandri trigesimam aduersus Darium victoriam, clementiam, fortitudinem, continentiam, liberalitatem.

CHALDAEI.) Populus infrà confluentem Euphratis & Tigris situs, læua fluminis Chaldæi obtinent, dextra Nomades Scenitæ, inquit Plinius. Eustathius ad Periegetem docet, Chaldæos dictos à quodam Chaldæo nomine rege Babyloniorum quarto decimo post Ninum, eumque Babylonem posuisse, & conuenas à se dixisse Chaldæos. Sed quod genus hoc hominum Chaldæorum & Vatum, & Mathematicorum, accuratè docet in sextodecimo geographiæ Strabo. Plin. l. 6. c. 28. Strab. l. 12. p. 508. v. 3. à fin.

Constituta est habitatio peculiaris in Babylonia philosophis indigenis, plurimum astronomiam tractantibus, qui Chaldæi appellantur. Sunt ex ijs, qui è natalibus hominum euentura ijs vaticinari se profiteantur: sed à cæteris non probantur. Est & Chaldæorum natio & Babyloniæ regio ab eis habitata, Arabibus & mari proxima, quod Persicum appellatur. Chaldæorum astronomicorum genera sunt aliquot. Nam quidam Orcheni dicuntur, quidam Borsippeni, & alij complures, qui (vt in sectarum fieri solet diuersitate) eisdem de rebus aliter atque aliter statuunt. Mathematici quoque nonnullos eorum commemorant: vt Cidenam, & Naburianum, & Sudinum, & Seleucus ex Seleucia Chaldæus est, atque alij complures illustres viri.

STATAS VICES TEMPORVM.) Annum enim in 365. dies distribuêre, Lunæ & Solis defectiones & siderum errantium vices, astrorumque motus & conuersiones, accessus ad solem & recessus docuêre. Ad quos etiam Græci philosophi discendi caussa profecti sunt. Quod multis testibus comprobat Brissonius, *Atque hos Persarum,* inquit, *Magos Pythagoras adijsse fertur, beatæ vitæ comparandæ causa, cuius cupiditate incredibili ardebat, vt Cicero lib. 5. de Finib. scribit.* Plinius lib. 30. c. 1. in Magices cõmendatione. *Certè Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato, ad hanc discendã nauigauêre, exiliis verius quàm peregrinationibus susceptis. Hanc reuersi prædicauêre, hanc in arcanis habuêre. Democritus, Apollonicem, Captidenem, & Dardanum è Phœnice illustrauit, voluminibus Dardani in sepulchrum eius petitis, suis verò ex disciplina eorum editis.* Democritum vtique post Pythagoram, *Magorum studiosissimum,* idem Plinius lib. 34. cap 17. vocat. Apollonius etiam Tyanæus, hanc sibi in Perside morandi, cum ad Indos iter haberet, caussam fuisse aiebat, cum vt regem intueretur, tum, σοφίαν ἥκειν ἐπὶ Πέρσαις ἐπιχώριον, μελετωμένην Μάγοις ἀνδράσιν, καὶ ἰδεῖν διώκοντα, εἰ τὰ θεῖα, ὡς λέγονται, σοφοὶ εἶεν. Idemque aliquando cum ijs conuersatus post multa, bis in die, videlicet meridie, & circa medias noctes habita colloquia; cum esset ex eo quæsitum, quid de ijs sentiret, respondisse fertur, Σοφοὶ μὲν, ἀλλ᾽ οὐ πάντα. Vtrumque Philostrat. lib 5. de Vita Apollonij scribit. Brisson. l. 11. p. 186.

EQVITES DEINDE) Redit ad intermissam narrationem de ingressu Alexandri in Babylonem.

AD LVXVRIAM MAGIS, QVAM AD MAGNIFICENTIAM) Nimius ornatus luxuriam redarguit; sobrius, modestus, grauis, maiestatem & magnificentiam auget. Totam hanc pompam non ineleganter carmine Gualterus cum eximio Alexandri encomio cecinit. lib. 5. extremo.

ARMATIS STIPATVS suis Macedonibus, non Persis Babylonijs, quos omnes in vltimum agmen reiecit; suis enim fidere, alienis non item poterat, quantumuis manifesta beneuolentiæ signa præferrent. Quicquid enim coactum est, fidum non est.

CVM CVRRV) triumphantis ritu.

SVPELLECTILEM ET PECVNIAM RECOGNOVIT) Iustinus XXXI. continuis diebus prædam recognoscit: Orosius XXXIV. d. exponit, alij quadraginta; Curtus XXXIV. dies in vrbe moratum scribit. Quod autem apud Iustinum sequitur: *In vrbe deinde clausa* XL. *millia talentorum inuenta,* censeo legendum, *In vrbe deinde Susa.* nam ibi tradunt alij illa XL. seu L. millia talentorum reperta; vt Curtius infra docet. Quanta porrò pecunia fuerit, non editurà scriptoribus. Nam illa apud Iustinum XL. millia talentorum ad Susa referuntur: magnam tamen inde fuisse constat, cùm infrà Curtius narret, equitibus singulis Macedonibus sexcenos denarios, peregrinis quingenos, peditibus ducenos datos. Erant equitum, Arriano auctore, millia septem, peditum millia XL. De his plenius infra c. 6. Plutarch.

CAPVT IV.

ARGVMENTVM.

Babylonis descriptio.



AEterum ipsius urbis pulchritudo ac vetustas non regis modò, sed etiam omnium oculos in semet haud immeritò conuertit. Semiramis eam condiderat, vel (vt plerique credidere) Belus, cuius regia ostenditur. Murus latercula coctili: bitumine interlitus, spacium 30. & ducrum pedum latitudinem amplectitur, quadrigæ inter se occurrentes sine periculo commeare dicuntur. Altitudo muri L. cubitorum eminet spacio. Turres denis pedibus, quàm murus, altiores sunt. Totius operis ambitus CCCLXVIII. stadia complectitur, singulorum stadiorum structuram singulis diebus perfectam esse memoriæ proditum est. Aedificia non sunt admota muris, sed ferè spacium iugeri vnius absunt. Ac ne totam quidem vrbem tectis occupauerunt: per 80. stadia habitabatur. nec omnia continua sunt, credo, quia tutius visum est pluribus locis spargi. Cætera serunt coluntq́, vt si externa vis ingruat, obsessis alimenta ex ipsius vrbis solo subministrent. Euphrates interfluit, magnæq́ molis crepidinibus coercetur. Sed omnium operum magnitudinem circumuenīūt cauernæ ingentes in altitudinem pressæ ad accipiendum impetum fluminis: quod vbi apposita crepidinis fastigium excessit, vrbis tecta corriperet, nisi essent specus lacusq́ qui exciperent, Coctili laterculo structi sunt; totum opus bitumine astringitur. Pons lapideus flumini impositus iungit vrbem. hic quoque inter mirabilia Orientis opera numeratus est: quippe Euphrates altum limum vehit, quo penitus ad fundamenta iacienda egesto, vix fulciendo operi firmum reperiunt solum. Arena autem subinde cumulata, & saxis quibus pons sustinetur, annexa, morantur amnem, qui retentus, acrius quàm si libero cursu mearet, illiditur. Arcem quoque ambitu 20. stadia complexam habet: 30. pedes in terram turrium fundamenta demissa sunt: ad 80. summum munimenti fastigium peruenit. Super arcem, vulgatum Græcorum fabulis miraculum, pensiles horti sunt, summam murorum altitudinem æquantes, multarumq́ arborum vmbra & proceritate amæni. Saxeæ pilæ, quæ totum onus sustinent, instructæ sunt. Super pilas lapide quadrato solum stratum est, patiens terræ, quam altam iniiciunt, & humoris quo rigant. adeoq́ validas arborum sustinent moles, vt stipites earum 8. cubitorum spacium crassitudine æquent, in 50. pedum altitudinem emineant, & frugiferæ æquè sint, ac si terra sua alerentur. Et cùm vetustas non opera solum manu facta, sed etiam ipsam naturam paulatim excedendo perimat, hæc moles, quæ tot arborum radicibus premitur, tantiq́ nemoris pondere onerata est, inuiolata durat: quippe 20. lati parietes sustinent, 11. pedum interuallo distantis, vt procul visentibus siluæ montibus suis imminere videantur. Syriæ regem Babylone regnantem hoc opus esse molitum memoriæ proditum est, amore coniugis victum, quæ desiderio nemorum siluarumq́ in campestribus locis, virum compulit naturæ genium amænitate huius operis imitari.

IPSIVS VRBIS PVLCHRITVDO.) Etsi nobis ad primum Val. Martialis epigramma non pauca de Babylone, & Babylonis conditoribus dicta sint, quæ huc transcribi queant; iuuat tamen enucleatiùs hic singula dispicere, quando Curtius quoque ad singula ferè descendit, idemq́ue & quæ intra, & quæ extra vrbis mœnia visenda sunt, describit. Placet ante omnia edere nomina scriptorum, qui Babylonem calamo suo elegantiùs depinxére. Primus omnium & antiquissimus scriptorum est Moses. Secutus Mosen post multa seculorum interualla Herodotus, Herodotum Ctesias, Ctesiam Berosus verus ille, non qui hodie spurius extat Annij Viterbiensis. Diodorus Siculus, Strabo, Dionysius Periegetes cum suo interprete Eustathio diu post nato; Iosephus, Plinius, Philostratus, Iustinus, Orosius, Tzetzes, & ante haud multos annos noster Pererius ad 11. Gen. copiosissimè. Atque hi potissimum laudandi sunt scriptores de Babylone. Prætereo alios: ad Curtij descriptionem venio. Pulchritudinem vrbis cum Curtio ex scriptoribus antiquis laudat D. Hieronymus: Describit ibi templa marmorea, aureas statuas, plateas lapidibus auroq́ue refulgentes, & multa alia, quæ

[Margin: Gen. 11. & 10.]

[Margin: D Hieron. lib. 5. Comment. ad Isa. c. 14.]

quæ pænè incredibilia videntur. Sed longè planiùs de pulchritudine Babylonis Philostratus. Philostratus lib. 1. c. 18. vitæ Apollonij.

Regia etiam ære adoperta fulget: thalami verò & conclauia virorum, porticus atque atria cum argenteis, tum etiam aureis texturis, atque ipso auro tanquam picturis nitent. Peplorum autem seu stragulorum variegationes ex Græcorum fabulis originem trahunt: Itaque Andromeda, Amymona & Orpheus plerisque locis cernebantur: plurimum namque incolæ Orpheo gaudent, tiaram forsitan & feminalia admirati: nam musicam disciplinam, quæ in eo fuit, aut illecebrosa eius carmina in precio non habent. Visebatur quoque & Datis intextus Naxum insulam ex mari diuellens, & Artaphernes Eretriam obsidens, & omnes Xerxis regis victoriæ. Neque procul aberant Athenæ, & Thermópylæ, & quæcunque à Medis parata sunt, & flumina à terra sublata, & maris Hellespontiaci iugum, contraq; perfossus Athos. Ferunt tamen & in porticum venisse, cuius suprema pars in formam clypei fabricata cæli faciem imitabatur, Sapphiro lapide extrinsecus adoperta, qui lapis maximè cæruleus cæli colorem refert, vbi eorum quos ipsi deos habent, imagines ex auro, tanquam ætheris colorem imitantes sculptæ erant. Is autem locus est vbi rex ius dicere consueuit.

Herodotus tribus verbis: ἐκόσμητο δὲ ὡς οὐδὲν ἄλλο πόλισμα τῶν ἡμεῖς ἴδμεν. Sed de his infrà mox plura.

SEMIRAMIS AVT BELVS.) Conditores Babylonis quinque vel sex lego apud rerum scriptores: Nembrodum, Babylonem, Belum, Ninum, Semiramidem, Nabuchodonosorem. De Nemrodo loquuntur *a* literæ diuinæ. De Belo Nini patre Curtius, & apud Eusebium, *b* Alphæus, & alij. Mercator Nembrotum putat eundem fuisse cum Nino; quem refutat *c* Pererius. Babylonem Medi filiũ laudat *d* Stephanus de vrbibus: Βαβυλὼν, inquit, περσικὴ πόλις μητρόπολις Σελευκία καλουμένη Βαβυλῶνος ἀνδρὸς κτίσμα παλαιότατον σοφωτάτου παιδὸς Μήδου. οὐχ ὡς Ἡρόδοτος ὑπὸ Σεμιράμιδος· ταύτης γὰρ ἦν ἀρχαιοτέρα ἔτεσι χιλίοις δύο, ὡς Ἑρέννιος: *Babylon Persica vrbs caput regni, Seleucia dicta, Babylonis antiquissimum opus viri sapientissimi Medi filij: non vt Herodotus vult, Semiramidis, qua duobus millibus annorum Babylon fuit antiquior, vt Erranius ait.* a Gen. 10. b Alphæus apud Eusebium. c Perer. l. 15 ad cap. 10. Gen. disp 3. d Stephan. de vrbibus.

Sed Stephanus nugas agit cum suo Erranio de duobus millibus annorum. * Alexander Polyhistor testimonio Eupolemi confirmat à gigantibus post diluuium esse ædificatam. Abydenus antiquissimus scriptor, & Dionysius Periegetes Belum Nini patrem, socerum Semiramidis faciunt conditorem Babylonis, quanquam apud Dionysium de Belo non vt conditore, sed velut Deo mentio, cuius carmina hæc sunt de Babylone. * Alexand. Polyistor.

Πρὸς δὲ Νότον Βαβυλὼν, ἱερὴ πόλις ἣν ῥά τε πᾶσαν
Τείχεσιν ἀρραγέεσσι Σεμίραμις ἐστεφάνωσεν·
Αὐτὰρ ἐπ' ἀκροπόληϊ μέγαν δόμον εἵσατο Βήλῳ
Χρυσῷ τ' ἠδ' ἐλέφαντι καὶ ἀργύρῳ ἀσκήσασα.
Ad partes Austri Babylon, quam mœnibus olim
Mirandis posuit, firmisq; Semiramis vrbem,
Cuius in arce domum splendentem fecerat auro,
Quam simul argentum variè decorauit, eburq;.

Perieg. Eustathij p. 126.

Nabuchodonosor apud Danielem iactat se de condita Babylone: *Nónne hæc,* inquit, *est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Daniel ca. 4. v. 27.

Semiramidem tamen plerique conditricem vrbis, aut certè mœnium faciunt scriptores. * Propertius: * Herodotus lib. 1. Diodorus lib. 2. Strabo lib. 16. Mela lib. 1. cap. 2.

Persarum statuit Babylona Semiramis vrbem,
Vt solidum coacto tolleret aggere opus,
Et duo in aduersum misit per mœnia currus,
Ne possent tacto stringere ab axe latus.

Strabo. ὧν ὁ μὲν Νῖνος τὴν Νίνον ἐν τῇ Ἀτουρίᾳ κτίσαι, ἡ δὲ τούτου γυνὴ ἥπερ καὶ διεδέξατο τὸν ἄνδρα Σεμίραμις ἧς ἐστι κτίσμα ἡ Βαβυλών. *Quorum Ninus Ninum vrbem in Aturia condidit. Huius autem vxor, quæ & marito successit in regno, Semiramis, cuius opus est Babylon.*

Cum Strabone docet idem Diodorus, qui & vrbem accuratè cum toto opere describit. lib. 2. Bibl.

Quæras iam quid de conditore sentiam, quemque parentem vrbis & auctorem nominem? Dicam apertè & disertè, proscripto ficto Stephani Babylone Medi filio (quem tamen etiam totidem verbis cum Stephano Eustathius celebrat & annis) & Nemrodum, & Belum, & Semiramidem, & Nabuchodonosorem ordine fuisse omnes conditores, excepto Mercatoris Nino, id factum hoc modo, vt verè ostendit Pererius noster his verbis. *Ego,* inquit, *ita sentio. Primum omnium conditorem Babylonis fuisse Nemrod, vt suprà probatum est: sed hunc Nemrod non fuisse alium quàm Belum patrem Nini, paulò antè ostensum est. Quare qui Belum faciunt conditorem Babylonis, à nobis minimè discordant, quemadmodum Eupolemus aiens ædificatam esse à gigantibus, id ipsum, quod nos sentimus, significare voluit. Sed quia eam vrbem exiguam, & inundationibus Euphratis penè dirutam & vastatam, postea Semiramis amplissimam, munitissimam & ornatissimam fecit, propterea non immeritò ædificatrix eius vrbis celebratur.* Conditores Babylonis veri qui? Perer. ad ad cap. 10. Gen. l. 15. & ad cap. 4. Danielis.

Sed enim cum post Semiramidem, qui consecuti sunt reges Assyriorum, posthabita Babylone, coluerint Niniue, eamque fecerint Regiam, id est, sedem caputq; imperij Assyriorum, (vt narrat Diodorus lib. 3.) hinc acci-

Ita reorà parte mœnium, portarum, inquam, nonnulli tota mœnia ærea dixêre. *Porta verò vrbis Belides dicebantur*, vt docet Eustathius: *Belus*, inquit, *erat filius Iouis (à quo & porta Belides dicta) aut ipse potius Iupiter, vt quorundam est sententia.* Belus verò cùm idem cum Nemrodo fuerit, stirpem illius apud Pererium reperies; impius certè & tyrannus fuit, & auctor idololatriæ. Iam de germanis Babylonis mœnibus, ex veris scriptoribus tradamus.

Curtius ergò murum vrbis non ære fusum, non lapide & saxo cæmentoque structum, sed laterculo igne cocto & bitumine seu naphtha, omni cæmento firmiore interlitum & adstrictum, duos & triginta pedes (non triginta & duos seu triginta & duorum, vt mendosi libri præferunt) fuisse latum.

Hic primus rursum obstrepit Eustathius ad Periegesin Dionysij, & ex aliorum sententia scribit mœnia non tantum ex coctili laterculo, sed ingentibus saxis, cælis etiam & politis tricubitalibus, quà latitudinem tanto altero longis exædificata & surrecta. in cæteris ferè cùm Curtio conuenit. *Huius*, inquit, *vxor, vt virum suum Ninum* (qui Ninum seu Niniuem condidit) *superatura, Babylonem in campo latere coctili & lapidibus politis singulis tres cubitos latis, sex longis molitur, cuius ambitus continebat stadia trecenta octoginta quinque* (duodecim milliaria Germanica minus besse) *murum autem extulit ad quinquaginta cubitos, latum cubitos triginta, vt quadrigæ sibi è contrario occurrentes transeundo non offenderent.*

In altitudine quinquaginta cubitorum omnes consentiunt. Turres ex mœnibus surgentes denis pedibus altiores erant muro: ita vt mœnia essent alta pedes septuaginta quinque, turres octoginta quinque, Brissonius pro denis pedibus, *denis cubitis* rescribendum putat.

TOTIVS OPERIS AMBITVS CCCLXVIII. STADIA COMPLECTITVR.) Lege CCCLXV. tot enim sunt dies anni. vndecim ergò milliaria nostratia & semis, mœnium ambitus continebat.

Herodotus auget rem, & murum fuisse quadratum, singulaque latera continuisse centum viginti stadia: vniuersim ergo quadringenta octoginta stadia quindecim milliaria Germanica cõficiunt. lib. 1. c. 178.

Iuuat etiam Diodorum cognoscere, apud quem est mira laus Semiramidis, quæ cum de Babylone condenda deliberasset, vicies centena millia hominum coegit, & murum trecentorum sexaginta stadiorum vrbi circumdedit, mediam interfluente Euphrate. *Erat tanta operis magnificentia, vt mœnium latitudo sex iuxta curribus vehendis sufficeret. Altitudo verò omnium qui audirent fidem, vt Ctesias ait, excederet. Vt verò Clitarchus, & qui cum Alexandro in Asiam postea traiecerunt, literis prodiderunt, ambitus 365. stadiorum, quot anni dies, stadiorum numero æquare studuisset. Murum lateribus bitumine adstrictis coagmentauit. 50. orgyias teste Ctesia altũ, vel vt alij 50. cubitos tantum, vt latitudo aliquanto plus, quàm duobus curribus satis esset, spacij obtineret.* Hæc Diodorus de ipsis mœnibus, qui mox subijcit de turribus, vti dicam. Cæterum orgyiam accipiunt alij pro vlna, hoc est, quatuor cubitorum longitudine, alij pro passu vno, qui quinos continet pedes. quatuor cubiti sex pedibus constant. Vlnam porrò extendunt ab extremis vtriusque manus digitis cum brachis extentis vna cum pectore, quę, vt dixi, quatuor cubitos complectuntur. Iam de turribus, Turres, inquit Siculus, ducentos quinquaginta adiecit, quarum altitudo & latitudo operis magnitudini responderet. Strabo latum facit murum pedes 32 altum cubitos quinquaginta seu pedes 75. Plinij sententiâ, Babylon sexaginta millia passuum muris amplectebatur, ducenos pedes altis, quinquagenos latis, in singulos pedes ternis digitis mensura ampliore, quam Romana. pa. 45. v. 9. Diod. lib. 2. li. 12. pa. 68. Capellum vide. Strabo li. 16. Plin. lib. 6. cap. 26.

Solinus Plinium secutus vrbem sexaginta millia passuum circuitu patuisse scribit, murisque circumdatam, quorum altitudo ducentos pedes detinebat, latitudo 50. in singulos pedes ternis digitis vltra quàm mensura Romana erat altioribus.

Iustinus sine dimensiõn: *Hæc Semiramis Babylonem condidit, murumq; vrbis cocto latere circumdedit arena, pice, bitumine interstrato.* lib. 1.

Orosius: *Hæc campi planicie vndique conspicua, natura loci lætissima, castrorum facie mœnibus paribus per quadrum disposita, murorum eius vix credibilis relatu firmitas & magnitudo, id est, latitudine cubitorum quinquaginta, altitudine quater tanta. Cæterum ambitus eius 480 stadijs circumuenitur. Murus coctili latere, atque interfuso bitumine compactus, fossa extrinsecus latè patens, vice amnis circumfluit. A fronte murorum 100. portæ æreæ. Ipsa autem latitudo in consummatione pinnarum vtroque latere habitacula defensorum æquè dispositis, media intercapedine sui citas quadrigas capit.* Oros. lib. 2. cap. 6. p. 84.

Ita variant scriptorum sententiæ, suntque diuersæ quà ambitu, altitudine, & crassitie, quod & Tzetzes disertè canit, & caussam probabilem auctorum diuersa sentientium & scribentium adiungit; quem videbis. Tzetz. p. 416. v. 4. Chil. 9.

Brissonius, qui Tzetzis nullam facit in describenda Babylone mentionem, auctores reconciliare conatur: quem si vacabit, ipse adibis.

SINGVLORVM STADIORVM STRVCTVRAM SINGVLIS DIEBVS PERFECTAM.) Tzetzes singulis stadijs singulos ait fuisse præfectos magnates ex consilio Semiramidis: *Vt autem celerius opus consummaretur, cuilibet ex amicis stadium, cum impensis ad id necessarijs, attribuit, & anni spacio negotium peragere iussit.*

AEDI-

AEDIFICIA NON SVNT AMOTA MVRIS.) Siculus duobus iugeris, non vno, ædes ab muro abfuisse tradidit: ἀνὰ μέσον δὲ οἰκιῶν καὶ τῶν τειχῶν ὁδὸς πάντη καταλέλειπτο δίπλεθρος. *Inter domicilia & mœnia via relicta erat duorum iugerum.*

AC NE TOTAM QVIDEM VRBEM TECTIS OCCVPAVERVNT.) Hoc etiam Siculus af-
Pag. 46. græc. in med. Pa. 13. Lat. v. 2. firmat, sed posteris demum id factum temporibus. De tectis cuiusmodi fuerint, docet plura Herodotus: *Ipsa vrbs plena domibus est ternarum quaternarumq́ contignationum, secta in viarum rectas, tum verò transuersas, quæ ad flumen pertingunt: ad quarum singulas pro numero vicorum portulæ factæ sunt in maceria, quæ flumen sepiebat, & ipsæ ærea, & ad flumen idem ferentes.*

pag. 95. B. LXXX. STADIA.) Per duo milliaria Germanica & semis, hoc posteriore æuo. Ita Siculus docet. Καὶ γὰρ αὐτῆς τῆς Βαβυλῶνος νῦν βραχύ τι μέρος οἰκεῖται, τὸ δὲ πλεῖστον ἐντὸς τείχους γεωργεῖται. *Nam & ipsius Babylonis exigua quædam portio nunc habitatur, maximaq́ intra muros pars agrorum cultui est exposita.*

ALIMENTA EX IPSIVS VRBIS SOLO.) Herodotus tamen affirmat, Babylonios cum Cyrum obsidionem moliri cognouissent, multorum annorum commeatum comportasse: quem ob eam caussam quod securi sibi viderentur, contempserunt. Et sanè fuissent inuicti, si vigilassent, quibus accidit quod Troianis *vino somnoq́ sepultis*. Nec à Dario capta Babylon esset, nisi per Zopyri fraudem & proditionem accidisset.

MAGNAE MOLIS CREPIDINIBVS COERCETVR.) Accinit Siculus: ἐκατέρωθεν δὲ μέρους τοῦ ποταμοῦ κρηπῖδα πολυτελῆ κατεσκεύασε παραπλησίαν κατὰ τὸ πλάτος τοῖς τείχεσιν, ἐπὶ στάδια ἑκατὸν ἑξήκοντα. *Tum ab vtroque fluminis latere crepidinem mœnibus latitudine parem, ad stadia centum magnis sumptibus eduxit.*

lib. 2. CAVERNAE INGENTES.) Intrà vel extra vrbem? Extra reor. Ita Herodotus: Τάφρος μὲν πρῶτα βαθέα τε καὶ εὐρέα καὶ πλέη ὕδατος περιθέει. *Fossa*, inquit, *primùm alta & lata, aqua plena ambit vrbem.* Siculus: Πολὺν γὰρ τόπον τῆς πόλεως ἕλει περιεχομένης. *Cùm multis in locis paludibus vrbs sit circumfusa.* Curtius tamen perinde loquitur atque si intra vrbem fuissent illi specus & ingentes cauernæ, iuxta crepidinem fluminis per mediam vrbem fluentis, vt si certis anni temporibus flumen auctis aquis deueheretur, & ripas ac crepidines excederet, specubus & cauernis exciperetur, ne tecta corriperet, quę sanè intra vrbē. Nam extra vrbē mœnia fossæ & paludes impetū fluminis retundebāt & hauriebāt.

An Nitocridis reginæ specus & lacus, de quibus Herodotus, intelligit? COCTILI LATERE.) Sicut mœnia, ita specus, cauernæ & lacus intra vrbem. quamquam ambiguè loquatur Curtius. nam *omnium*, inquit, *operum magnitudinem circumueniunt cauernæ.* Hic de extremis etiam mœnibus videtur loqui, quæ vrbem claudunt, sed quando addit, *apposita crepidinis fastigium excessit, vrbis tecta corriperet*, videtur de crepidine intra vrbem, iuxta flumen factā, loqui. Nullus tamen scriptorum aliorum, quod meminerim, cauernarum & lacuum in vrbe fossorum mentionem facit.

Philostr. lib. 1. c. 18. PONS LAPIDEVS.) Certatim hic pons ab priscis auctoribus celebratur, quem elegantissimè Philostratus describit:


p. 36. *Secat autem mediam Babyloniam Euphrates pari forma: cui pons mirabili arte compactus, domos regias in vtraque fluminis ripa mirabili opere fabricatas iungit, inuisibili quadam & incredibili penè iunctura. Fertur enim mulierem ex Medorum gente natam, & quandoque id regnum sortitam, pontem artificio prius ignoto supra flumen ædificasse. Lapides enim & æs, præterea bitumen & quæcunque conglutinationi, quæ in aqua fieri consueuit ab hominibus inuenta sunt, ad fluminis ripas congregauit, deinde fluminis aquas in paludes proximas deriuauit: tum iam exsiccato fluminis alueo, duorum passuum fossam effodit, quam super iniecta testudine cooperuit, vt ad regias, quæ vtrinque fluminis ripis adiacent, per eam quam diximus foueam, non secus ac per aridam terram, aditus intercederet: ita vt fornicis altitudo fluuiali alueo adæquaretur, quin etiam fossæ quidem fundamenta parietesq́, ac superior fornix, in vnum quasi lapidem conglutinati obduruerint: quando bitumine aqua ad consolidationem egente, Euphrates in humidam testudinem immissus est: itaque pons constitit.*

Herod. l. 1. p. 47. in Græco. L. 1. 2. p. 68. Eundem describit Herodotus, cuius iconem cum ipsa Babylone, turri & regia infrà subijciam. Et Siculus aliquanto planiùs: *Pontem, qua fluuius angustissimus erat, 5. stadiorum longitudine construxit, columnis duodenum pedum interstitio, mira in profundum arte iactis. Lapides vt firmius inter se connecterentur, vncis ferreis distrinxit; & plumbo compages illiquato expleuit. Columnis verò antequam latera fluuium exciperent, angulos, qui rotundum & paulatim vsque ad columnæ latitudinem refrænatum haberent aquarum decursum, præstruxit: quorum acies impetum refringeret & rotunditas sensim concedens vehementiam defluxus mitigaret. Pons itaque ille cedrinis & cypressinis trabibus, palmarumq́ caudicibus & ramis prægrandibus obtectus, & XXX. pedes latus, nulli Semiramidis operum solertia concedebat.*

IVNGIT VRBEM) qua fluuius angustissimus est, quinque stadiorum pontem ædificauit regina, per quam ad regiam & turrim vltrò citroque commeari posset. quinque stadia efficiunt pedes ternos millenos, ad quos se pons extendit. Vrbem cis & trans Euphratem, qui mediam vrbem secat.

INTER MIRABILIA ORIENTIS OPERA) De his, & horum numero planissimè & plenissimè disputatum nobis commentario ad primum Epigramma Val. Martialis. Vbi tamen pons hic non ponitur inter orbis spectacula, quamuis quatuordecim memorentur, quibus si amphitheatrum Titi seu Domitiani, seu Vespasiani, & pontem hunc addas, erunt sedecim.

QVIP-


SEPTE
OCCIDENS
MERI


TRIO
BA BY LON
ORIEN
DIES

QVIPPE EVPHRATES.) Quasi redderet admirandi pontis, quem ex hoc ostendit firmum & artificiolum, quod & ingentem vim limi, arenæ, & aquarum illisarum sustinere posit.

SAXIS.) Pilis, columnis lapideis, quæ ferunt molem pontis.

ACRIVS.) Quia cumulata aquarum, limi, & arenarum moles omnia perrumpere conantur.

ARCEM QVOQVE.) Aggreditur describere aliud orbis miraculum, quod est Babylone, pensiles, inquam, hortos, De quibus a Iosephus, b Diodorus Siculus, Eustathius ad Periegetem, Plutarchus 2. de fortuna Alex. Dio Chrysostomus, qui Susis hos per errorem collocat, Strabo 14. vol. quanquam & Thebis in Aegypto c Plinio auctore fuerint alij.

a 16. Antiq. ca p. 11. b li. 2 p. 70. c li. 30. c. 14.

XX. STADIA AMBITV COMPLEXAM.) Ambitus autem tetragonos quadrato, inquam, schemate & figura, ita vt singula ambitus latera, tria continerent plethra, hoc est, trecentos pedes, adeoque quatuor latera efficiebant pedum duodecim millia, qui numerus iustè 20. stadia explet, vnum quippe stadium pedibus sexcentis definitur, & plethrum vnum, pedibus centum: sed alij quatuor plethra vni lateri assignant, ita, vt 16. millia pedum, arcis ambitus contineat. Si Curtius 800. pedes stadio tribuit, salua res. Nec idem plethron quod iugerum; illud Græcum centum pedes continet, hoc quà longum ducentos 40. quà latum centum 20. quod qui non obseruarunt, procul à vero repulsi sunt. Vide Comment. ad Martial p. 19. secundæ edit.

Plin. lib. 19. c. 5. auctore vel Semiramidem vel Cyrum facto.

XXX. PEDES DEMISSA.) Quamobrem tam alte, cum fastigium totius fabricæ non superaret octoginta pedes? Quia *Euphrates altum limum vehebat, quo penitus ad fundamenta facienda egesto*, inquit Curtius, *vix fulciendo operi firmum reperiebant solum.*

SVPER ARCAM V. C. F. MIRACVLVM PENSILES HORTI.) Græcorum, inquit, fabulis, miraculum, certe non fabulis, sed veris historijs celebratum Strabonis nobilissimi geographi, Diodori Siculi laudatissimi scriptoris, Philostrati clarissimi auctoris, Iosephi Iudæi celeberrimi historici, Suidæ, Eustathij, & aliorum: Nec eo fallum, quod etiam Poetæ epigrammatis idem decantarint.

SVMMAM MVRORVM ALTITVDINEM AEQVANTES.) Area hortorum æquabat muros arcis, è quibus tamen arbores quinquaginta pedes altæ eminebant. Poteras in his regina, in cuius gratiam rex hortos suspenderat, nulli spectabilis, animi causa inambulare & prospectare omnia.

SAXEAE PILAE.) Columnæ totum opus sustinebant. Solum, inquam, seu pauimentum quadrato lapide stratum, vna cum iniecta ad iustam altitudinem terra, quæ non floribus & herbis, sed arborum radicibus & locum & succum daret.

HVMORIS. Ex Euphrate enim subiecto hauriebatur aqua, machinâ quæ foris nusquam appareret, nusquam cerneretur.

VIII. CVBITORVM.) Duodecim pedum, quos vix duo viri manibus iunctis amplecterentur.

ET CVM VETVSTAS.) χρόνος ἀμαυρῶ καὶ ἀναιρεῖ πάντα. *Tempore marcescunt & corrumpuntur omnia.* proinde Poetis non immerito *Tempus edax* dicitur, quod *consumit omnia.*

XX. LATI PARIETES.) Parietes viginti, seu columnæ viginti pedes latæ; intelligo parietes viginti, qui 11. pedibus inter se distabant; an quas pilas suprà dixit? non reor, sed fornices qui parietibus constant.

PROCVL VISENTIBVS.) Adeò suprà totam ciuitatem eminent horti, vt nemora, montes & siluæ è longinquo appareant.

SYRIAE REGEM.) Iosephus & Suidas Nabuchodonosorem hortorum pensilium faciunt auctorem. Plinius Cyrum vel Semiramidem, cui & Eustathius in Semiramide subscribit. Verba Iosephi sunt: *In hac regia moles saxeas fornicibus suspendit, montium speciem referentes. supernè consitas varijs arborum generibus, atque ita celebratos illos pensiles hortos absoluit, eo, quòd vxor educata in Media concupisset quandam patriæ suæ similitudinem. Horum hortorum etiam Megasthenes in quarto rerum Indicarum volumine meminit.*

Plin. l. 19. c. 5. Iof. ant. l. 13 p. 339. vit.

Suidas: *Nabuchodonosor rex Babylonis cum condidisset Babylonem vrbem magnam, & cisternam, & supra eam hortum pensilem fecisset, omnibus stirpium generibus consitum, in eo vixit: & vxor eius, quæ hortum eum frequentaret, omnem regionem illam intuens, gaudebat se à nemine conspici. Nabuchodonosor autem illum perambulans, cum fastu & iactantia, An non hæc, inquit, est Babylon illa magna, quam ego in domum regiam potentia virium mearum, ad honorem meum ædificaui?*

DESCRIPTIO BABYLONIS.

Ex sententia Herodoti cum quibusdam additionibus Diodori Siculi.

NOtandum in primis cubitum regium continere 27. partes, quos vulgò digitos vocamus: & pedem 16. digitos; & stadium, 600 pedes. quas mensuras seruare in tam exiguo spacio non erat possibile.

Nitocris * regina foderat in campo extra mœnia ad Occidentē, fossam quadratam, cuius quodlibet latus ad centum stadia R Q, R S, S T, T Q, porrigebatur. Erat eadem profunda pedes 35. cincta muro lateritio, cæmentata bitumine: in hanc ipsam iunctura ponte ciuitatem regina psillmo dum 186. distraxit Euphratem: idem eius exemplo edoctus Cyrus fecit, cùm obsidione premeret vrbem, eandem siccato flumine capturus.

Herod. lib. 1. c. 181. & 186.

* Nitocris.

Cana xefe.

Canalis fluuij ad fossam vsque v v v.

Claustrum lateritium x.

Mœnia vrbis erant quadrata, & tota ex latere coctili; quodlibet eorum latus stadijs 120. absoluebatur, A B, B C, C D, D A.

Altitudo murorum 200. cubitorum, E. B.

Crassities 50. cubit. B. F.

In ipsis muris frequentes vnius solùm contignationis visebantur domunculæ, vna contra alteram apertæ, tantumque spacij interiacebat, quantum curru transituro opus erat.

Euphrates ex æquo diuidebat Babylonem in duas partes, latus duo stadia, & in ingressu & in egressu.

Fossæ latæ & profundæ ante muros.

Murus humilior flumen vtrinque coegit.

Pons ligneus in transuersum meabilem reddidit Euphratem, cuius descriptionem habes apud
* lib. II. pag. 68. Diodorum * Siculum.

Omnes plateæ rectissimæ quasi ad regulam constructæ, quæ sese propterea scindebant ad angulos rectos, quamuis plures fuerint transuersæ quàm alterius ordinis, quæ ad flumen tendebant, nempè ad terram vsque eleuatiorem (ein erhobens ting) quæ domus vtrinque contra fluuium defendebat. K.

Ad singulos terminos eius plateæ, quæ ad illud opus eleuatum desinebat, stetit porta ex ære formâ plana L.


Turris surgebat in altera vrbis parte, M.

Palatium regium ex altera parte, N.

Horti pensiles, O.

Vrbs 100. portas ex æquo dissitas numerabat, quas inter vna fuerat rarissimi operis Nitocris reginæ sepulcro nobilis, hanc præ se ferente inscriptionem: *Si regi opus est pecunia, aperiat me, & inde sapiat, quantum voluerit.* P.

DESCRIPTIO PONTIS *Babylonici.*



Hic pons longus duo stadia, latus 30. pedes G. H. erat sic extructus: Nulli ibi arcus, sed immissæ in aquam crassæ quædam moles ex lapidibus ferro plumboque colligatis, in angulos acutos ex parte inferiori ad facilius findendam aquam, paulatim in rotundum vsque ad superficiem quadratam desinebant F. C.

Hæ machinæ duodecim solùm pedibus inter se distabant D. E.

His porrò in longum superpositæ erant crassæ quædam trabes, & istis asseres transuersi A.


DESCRI-

DESCRIPTIO ARCIS *Semiramidis.*

SEmiramis construxerat ex altera ciuitatis parte, opposita illi quam turris celebrauit, palatium valde magnificum, hoc modo à Diod. Siculo descriptum. Hoc palatium cingebant ternæ coronæ (ad verbum drey einfång) operis figulini, vt vides. Prima continebat 60. stadia, eius verò altitudo in 50. quadricubitos surgebat A, D. Crassitudo erat 300. laterum coctilium D, E. munita turribus 70. quadricubitis (ad verbum Klaffter) altis F. G.

Secunda 40. stadijs æquabatur; in cæteris primæ gemina, nisi quod lateribus priùs quàm coquerentur, figuræ diuersarum bestiarum ad viuum expressæ imprimerentur B.

Tertia notata C. 30. stadiorum, de cætero altior & crassior prioribus, exornata opere statuario cum primis excellenti, venationem maximè variam repræsentante: inter venatores autem Ninus rex & maritus Semiramidis leonem venabulo induens H. & Semiramis Pardum sagitta traijciens I. videbatur. Aedificij interior pars pro ipsius pictoris lubentia (cum eius nec Herodotus nec Diodorus meminerit) exhibetur.





DESCRIPTIO turris Babylonicæ.

TVrris iſta tam decantata, in plano duorum ſtadiorum ſita ex altera vrbis parte, ita apud Herodotum deſcripta reperitur.

Totum opus octo turribus ſibi cum proportione ſubiectis conſtabat, quas ſuis diſtinximus numeris 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. templum Bel omnes has premebat.

Prima & infima in orbem continebat ſtadium, id eſt, 600. pedes C D. & tantundem in altũ; aliç deficiebant pro ædificij proportione.

Scalæ extrà moli hærebant, vt ex pictura hac patet, à prima ſenſim aſcendendo ad poſtremam, à G. ſcilicet ad O. Sub medium cuuslibet ſcalæ locus erat vbi interquieſceres. E. F.

DESCRI-

DESCRIPTIO HORTORVM SEMIRAMIDIS QVOS PENSILES INDIGETABANT.

EX vno ciuitatis latere horti pensiles Euphrati contermini spectabantur, quos inter septem mundi miracula antiqui numerabant, quorum faciem ex mente Diodori Siculi subijciam.

Horũ ambitus erat quadratus, & ex omni latere ad 400. pedes sese extẽdebat A B. A C, quibus respondent alia duo.

Interius quatuor iacebant areæ 400. passus longæ, & 100. latæ vna alteri supereminente E F. G H.

Prima distabat elatior à terra 12. cubitis: & semi E. Secunda 25 cubitis F. Tertie 37. cubitis & semi G.

Quarta Euphrati respondens 50. cubitis: & isthinc equæ ad aspergendum hortum H. ex Euphrate certis instrumentis hauriebantur.

Vniuersum hoc opus fornicibus lateritijs, quæ totam peruadebant, eleuatis ad proportionem arearum superius indicatam, sustinebantur: singularum verò diameter ad 12. pedes excurrebat N O. ipsi verò fornices interuallo 22. pedum distabant, tum vt fornices hinc atque hinc fulcirent, tum vt interius certis habitationibus deseruirent.

Superior fornicum facies, quam in hanc rem vides quadrifariam, magnis primo saxis 16. pedes longis, 4 latis erat onerata, vt prima area monstrat E.


Totum deinde erat opertum arundine multa, vt secunda area F exhibet.

Rursum istæ arundines ingentibus laminis ex plumbo tectæ erant, ne fortæ ex terræ humiditate vitium contraherent fornices, vt videre est in tertia area G.

Deinde plurima terra fuerat congesta, per quam pinguis omni plantarum exquisitissimarum genere varia, & quarta area H. demonstrat.

Gradus quibus ex vna in alteram conscendebatur à Diodoro non describuntur, ex arte tamen architectonica sunt extructi I K L. M.

Fenestræ litera R. notatæ, ex hac in illam aream despecturis erant accommodæ.



CAPVT V.

ARGVMENTVM.

Mores Babyloniorum corruptissimos exponit.

Diutius in hac urbe, quàm usquā constitit rex, nec ullus locus disciplinæ militari magis nocuit. Nihil urbis eius corruptius moribus, nihil ad irritandas illiciendasque immodicas cupiditates instructius. Liberos coniugesque cum hospitibus stupro coire, modò pretium flagitij detur, parentes maritique patiuntur. Conuiuales ludi tota Perside regibus purpuratisque cordi sunt. Babylonij maximè in vinū, & quæ ebrietatem sequuntur, effusi sunt. Fœminarum conuiuia ineuntium in principio modestus est habitus: dein summa quæque amicula exuunt, paulatimque pudorem profanant. Ad ultimum (honos auribus sit) ima corporum velamenta proijciunt; nec meretricum hoc dedecus est, sed matronarum virorumque, apud quos comitas habetur vulgati corporis vilitas. Inter hæc flagitia exercitus ille domitor Asiæ per 34 dies saginatus, ad ea quæ sequebantur discrimina haud dubiè debilior futurus fuit, si hostem habuisset.

DIVTIVS.) Quatuor & triginta dies infrà Curtius ponit moræ in Babylone actæ, quo tempore corruptum, ait, militem, quod Capuæ copijs Hannibalicis postea in Europa vsu venit, sed hic nullus Marcellus, nullus hostis, qui otium interpolaret, profligato iam Dario, apparuit; quæ Alexandri fortunā & felicitas fuit.

CVM HOSPITIBVS.) De hisce Babyloniorum cum hospitibus improbis commercijs & nequitijs, copiosè vt omnia, Herodotus in Euterpe.

Herod. l. 2. p. 51. in Græco Laur. Valle. PATIVNTVR.) Imò plebeij cogunt. *Vnusquisque plebeius,* inquit Herodotus, *qui victus inopia premitur, filias suas adigit ad quæstum corpore faciendum.*

CONVIVALES LVDI TOTA PERSIDE REGIBVS PVRPVRATISQVE CORDI SVNT.) Brissonium adi de regno Persarum.

*lib. 13. pag. 62. §. 1. *Regum verò in has* μουσουργοὺς *propensam animi affectionē testatur Athenæus, cuius verba ipsa ponam:* Κατεσπούδαστοι δ' ἦσαν καὶ οἱ βασιλεῖς περὶ τὰς μουσουργούς, ὡς δῆλον ποιεῖ Παρμενίων ἐν τῇ πρὸς Ἀλέξανδρον ἐπιστολῇ, ἣν ἐπέστειλεν αὐτῷ μετὰ τὸ Δαμασκὸν ἑλεῖν, καὶ τῆς ἀποσκευῆς τῆς Δαρείου ἐγκρατὴς γενέσθαι, Καταριθμησάμενος οὖν τὰ αἰχμάλωτα, γράφει καὶ ταῦτα· Παλλακίδας εὗρον μουσουργοὺς τοῦ βασιλέως τριακοσίας εἰκοσιεννέα. *Xenophon quoque in extremo lib. 4.* Παιδ. Κυρ. *Cyro è præda selectas* μουσουργοὺς δύο, τὰς κρατίστας, *narrat. Athenæus lib. 12. pellices totam noctem vocis ac fidium cantu traducentes somnum regi conciliasse, ex Heraclide*

* cap. 3. *Cumano refert. Eodemque libro * ex Ctesia, de Annaro Babyloniæ præside hæc transcripsit.* αὐτῷ εἰς δεῖπνον εἰσῄεσαν πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν ψάλλουσαι καὶ ᾄδουσαι γυναῖκες. ἔψαλλον δὲ αὗται καὶ ᾖδον ἕως ἐδείπνει ἐκεῖνος. Ad eum cœnantem introductæ sunt centum quinquaginta mulieres, quæ canerent & saltarent. *Harū mulierū, vt Suidas scribit, aliæ tibia canebant, aliæ psallebāt psalterio, tum pentachordo, tum heptachordo. Eadem fidium cantui accinebant. Fidium autem cantus non ad cantilenam accommodatū habebat melos, sonum ac canorem, vti apud Græcos fieri consueuerat: sed erat veluti cantilenæ præludium. Simulatque autem mensa remouebatur, desinebant canere. Cùm verò fundi sibi merum Rex iubebat, ex integro canere & psallere occipiebant. Quæ de re Suidæ verba sunt hæc:* Μουσουργοὶ ψάλτριαι. αἱ δὲ μουσουργοὶ βάρβαροι ἦσαν· γένος καὶ ὄνομα αὐταῖς ἐπιχώριον, Βάκχαι. καὶ τούτων αἱ μὲν αὐλοῦσιν, αἱ δὲ ψάλλουσι πενταχόρδῳ, αἱ δὲ ἑπταχόρδῳ ψαλτηρίῳ· αἱ αὐταὶ δὲ καὶ προσᾴδουσι τῷ ψαλμῷ. ὁ ψαλμὸς δὲ οὐ πρὸς τὴν ᾠδὴν ἔχει πεποιημένον τὸ μέλος, γέγραπται δὲ παρ' Ἕλλησιν. ἀλλ' ἔστιν οἷος ἰδιώσιμος εἶναι τῇ ᾠδῇ. Καὶ λήγουσι μὲν τῆς ᾠδῆς ὅτε ὁ βασιλεὺς καὶ ἡ ᾠδὴ ξυνεπαύσατο· ὁπότε δὲ ἐγχέας κελεύσειεν αὖθις, ἤρχοντο ᾄδειν, καὶ ψάλλειν. *Quem locum vel ea potissimum gratia adduxi, vt inde mendum tollam. Vitiosum est enim quod legitur,* οἷος ἰδιώσιμος εἶναι: *emendandumque,* οἷος ἐνδόσιμος εἶναι. *Idque non scriptorū tantum codicum fide, sed & alio ipsius Suidæ loco ita esse planum faciam. Sic enim in voce* ἐνδόσιμον *scriptum lector inueniet.* ὁ δὲ ψαλμὸς, οἷος ἐνδόσιμος εἶναι τῇ ᾠδῇ. *Psalmus autem vt interpres Aristophanis in Auibus explicat, propriè* τὸν τῶν χορδῶν ἦχον, *id sonum seu pulsum fidiū significat: vt psallere est fides pulsare. Apud Persas igitur cantum præcedebat pulsus fidiū, qui præludij loco præmittebatur, non ille quidem ad numeros, vel verba cātilenæ accommodatus: sed pro arbitrio citharistriæ. Enimuerò Parthis quoque Persarum luxuriæ successoribus & æmulis, muliebrem hanc musicam placuisse, ostendit Plutarchus in Crasso, quo loco actum de illis cadè triumphum narrans ait:* Κατόπιν δὲ

ἀκόντ-

ἑκόντο Σιδωνιάδας ἐταίρας Μιλησίας, πολλὰ βωμολόχα καὶ γελοῖα, δι' ἀσμάτων, ὡς ἐπὶ ὄργια καὶ ἀναιδείαν τοῦ Κεδαρῶ λέγοντας. Ibidemq́, consentiente Appiano in Parthicis, *Parthos plerunque choreis & cantibus, noctem cum id genus mulieribus insomnem transegisse memorat. Alias quoque gentes fœminis quæ tibias inflarent, cithara personarent, fides pulsarent, & psallerent, vsas inuenio. De Halyatte quidem rege Lydiæ, Herodot. lib. 1. scribit*, ἐστρατεύετο δὲ ὑπὸ συρίγγων τε, καὶ πηκτίδων, καὶ αὐλοῦ γυναικηΐου τε καὶ ἀνδρηΐου. *A quo loco caliginem Latinus interpres non depulit, qui verbum verbo reddens, Halyattem in expeditionem processisse scribit*, ad cantū fistularum fidiumq́, ac tibiæ tam muliebris, quā virilis. *Verùm postrema hac verba in tenebris iacere non sinit Agellius, qui eorum sententiam, & Herodoti mentem perspicuè li. 1. noct. attic. cap. 11. expressit. Eius igitur ore Herodotus non minus dilucidè quàm Latinè, ita loquitur:* Halyattes autem rex terræ Lydiæ, more atq; luxu barbarico præditus, cū bellū Milesijs faceret, cōcinētes habuit fistulatores & fidicines: atq; fœminas etiā tibicinas in exercitu, atq; in procinctu habuit, lasciuientiū delicias conuiuiorū. Tibicinas etiam nuptijs epulis & conuiuijs adhibitas; docent Plautus Aulular. Act. 2. scen. 1. & Act. 3. sc. 3 Mostellar. Act. 4. sc. 7. Horat. lib. 1. Oda 14. *Nec meretrix Tibicina cuius ad strepitus salias terra grauis*. Fidicinarum etiam fit mentio apud Plaut. Epidico Act. 2. s. 3. & Act. 3. sc 3. Puellam quoque citharistriam, quæ lenoni turpissimo seruiebat, prædicat Terent. Phormio: Act. 1. sc. 2. Idem Psaltriæ meminit Adelph. Act. 4. sc. 7. vt & Cicero lib 3. Tusc. quæst. & pro Sestio. Horat. Ode 13. lib. 4 *docta psallere fœmina*. Ab exercitu Asiano luxuriam peregrinam in vrbem inuectam Liuius lib. 39. narrans, *Tunc*, ait, *Psaltriæ (sic enim emendo) Sambucistriaque, & conuiualia ludionum oblectamenta, addita epulis*. Plutar. ἐν ἐρωτικῷ: αὐλητρίδας δὲ Σάμιαι, καὶ ὀρχηστρίδες, Ἀριστόνικα, καὶ τύμπανον ἔχουσα Οἰνάνθη καὶ Ἀγαθόκλεια διαδήμασι βασιλέων ἐπέβησαν. Charem quoque Atheniensem in expeditione militari dixisse αὐλητρίδας, καὶ ψαλτρίας, καὶ πεζὰς ἑταίρας. Athenæus lib. 12. narrat. Ibidem de Stratone Sidoniorum rege talia refert.

Sed vt ad propositum reuertamur, Persarum reges ita viuebant, vt nulla tam exquisita posset inueniri volupras, qua non abundarent. Vsque adeo autem luxus & delicijs diffluebant, vt artifices haberent conquirendarum & comparandarum voluptatum: Quin etiam ijs qui nouum aliquod edulij voluptatisue genus excogitassent, publicè præmia proponerent, quemadmodum Athenæus lib. 12. Dipnosophist. testatur his verbis: τοῖς γοῦν πορίζουσι τι αὐτῷ, de Persarum rege loquens, ἡδὺ βρῶμα, δίδωσιν ἆθλα τοῦ πορισθέντος. Idem lib. 4. Dipnosophist. ex Theophrasti lib. περὶ βασιλείας, τοὺς, ait, περσῶν βασιλεῖς ὑπὸ τρυφῆς προκηρύττειν τοῖς ἐπινοοῦσιν τινὰ καινὴν ἡδονὴν, ἀργυρίου πλῆθος. Cicero lib. 5. Tusculanar. Quæst. *Nam Xerxes quidem refertus omnibus præmijs donisque fortunæ, non equitatu, non pedestribus copijs, non nauium multitudine, non infinito pondere auri contentus, præmium proposuit, qui inuenisset nouam voluptatem, qua ipse non fuit contentus*. Valer. Max. lib. 9. cap. 2. *Xerxes opum regiarum ostentatione eximia, eo vsque luxuria gaudebat, vt edicto præmium ei proponeret qui nouum voluptatis genus reperisset*. Quam regum miseram & anxiam luxuriam, quā efficiebatur, vt eorum regnum omni esset voluptatum genere inferius, Athenæus lib. 12. hoc epilogo denotat, ὁ περσῶν βασιλεὺς ἆθλα τοῖς τὰς ἡδονὰς αὐτῷ πορίζουσιν, ὑπὸ πάντων τῶν ἡδέων ἐν ἐλάττονι ἐποίησε τὴν βασιλείαν. Ideoque non iniuria Diogenes, vt Cicero lib. 5. Tusculan. quæst. scribit, disputare solebat, quanto regem Persarum vita fortunaque superaret, sibi nihil deesse: illi nihil satis vnquam satiari ille posset: suas eum consequi nullo modo posse. Sed & in Gorgia Socrates, cum esset ex eo quæsitum, *Tu igitur ne de Persarum quidem rege magno potes dicere, beatusne sit? An ego respondit, possim, cum ignorem quàm vir doctus, quàm vir bonus? Quid? tune in eo sitam beatam vitam putas?* Sic enim Græca Platonis verba Cic. lib. 5. Tuscul. quæst. in Latinum conuertit. Quæ fusius Dio Chrysost. Orat. 2. persequitur.

Subiungit idem de purpuratis ab regibus inuitatis: Quandoque etiam reges magnifico & lauto conuiuio Satrapas, purpuratosque suos excipiebant. Et ita Artaxerxem epulum Satrapis Prætoribusque sui apparasse, historiarum monumentis proditum est. Cuius magnificentissimum apparatum qui studet nosse, is librum Esther, cap. 1. & Ioseph. lib. 11. antiquit. cap. 6. adeat. Mihi namque breuitatis studioso, digitum in fontes intendisse visum est satis. Similiterque Darius Mediæ & Persidis prædicibus, omnibusque præfectis cœnam dedisse narratur lib. 3. Esdræ cap 3. Cuiusmodi Epulas septuaginta interpretes, vtrobique δοχὴν vocant. Erant & Persarum regibus solemnes epulæ, ad quas soli cognati vocabantur: συγγενικὸν δεῖπνον Athenæus lib. 2. appellat. Nam vt Romani solenne (quemadmodum Valer. Max. lib. 2. cap. 1. scribit) conuiuium instituerant, quod Charistia appellabant, cui præter cognatos & adfines nemo interponebatur: ita Persarum reges ad hoc conuiuium cognatos solos admittentes, Græcos, aliosue Barbaros minimè adhibebant. Itaque honore eximio & propè singulari ad eam cognatorum cœnam, Artaxerxes Timagoram Cretensem (vel, vt alijs placet, Enthymium Gortynium) inuitauit, eum is æmulatione Themistoclis incensus, ad Artaxerxē sese contulisset: Qui honor Græcorum nulli antea contigerat, nec præter eum, alij cuiquam postea concessus fertur. Atque hæc ferè generatim de regum conuiuijs & ludis Brissonius.

Sed Diodorus Siculus sigillatim nequitias regum reginarumque describit: Incipit ab Semiramidis delitijs, quas sibi in prægrandi horto, haud procul Chaone Mediæ vrbe instruxerat, pararat, omnesq; quibuscum consuerat, interfecit. Ἐν τούτῳ δὲ τόπῳ, inquit Siculus, συχνὸν ἐνδιατρίψασα χρόνον καὶ πάντων τῶν εἰς τρυφὴν ἀνηκόντων ἀπολαύουσα. *Hoc in loco omni genere delitiarum perfruens, non* Li. 2. p. 101.

paruū

patuit temporis absumsit. Subijcit deinde de Ninya filio Nini & Semiramidis, in omni quoque genere voluptatum inter concubinas & eunuchos volutato. Ad eumque modum omnes deinceps reges ad triginta hominum ætates ad Sardanapalum vsque, regnum administrarunt, vt putarent regere nil aliud esse, quam voluptatibus indulgere. Sardanapalus vltimus Assyriorum rex demum

L. 2 p. 109 v. 10. à f. imperij iacturam fecit, per Arbacem & Belesin ad Medos translati. De quo ita Siculus: *Sardanapalus ergo trigesimus à Nino Monarchia auctore & postremus Assyriorum rex, omnes suos maiores luxuria atque ignauia supergressus fuit. Nam præterquam quod à nemine extra familiam conspiciebatur, vitam quoque duxit muliebrem: Inter concubinarum enim greges se volutans, purpuram lanasque mollissimas tractare stola muliebri indui, faciem & totũ corpus fuco alijsque scortorũ lenocinijs componere, qualis delicata muliere lasciuius, solebat Fœmineam quoque vocem imitari, nec tantum cibo & potu ad voluptates titillandas accommodatissimo iugiter vti: sed ad Venereas oblectationes marium simul & fœminarum concubitus appetere: vtroque sexu propudiosissimè abutens, & turpitudinem, fœdè actionis omittens, nec flocci pendens. Eoque tandem deliciarum & turpissimæ voluptatis ac intemperantiæ processit, vt carmen hoc funebre sibi ipse componeret, & successoribus sepulcro suo post mortem inscribendum mandarit. Id autem è lingua Barbarica à Græco aliquo translatum ita se habet:*

Quæ mihi grata dedit gula, amor, petulantia, vino,
Mortuus hæc habeo, Bona cætera cuncta reliqui.

Cum igitur tam corruptis moribus esset, non tantum ipse fœdum nactus est vitæ exitum: sed Assyriorum quoque Imperium præ cæteris, quæ memorantur, diutissimè florens, funditus euertit.

BABYLONII MAXIME IN VINVM ET QVAE EBRIETATEM SEQVVNTVR, EFFVSI SVNT) Ebrietatem sequuntur voluptates corporis, stupra, nequitiæ, omnisque generis libidines, quas ipse Curtius modestis sanè verbis attingit potius quàm exponit.

PVDOREM PROFANANT) eleganter hoc dictum de profano & improbo facto; exuunt, prostituunt, profligant.

HONOS AVRIBVS) En modestiam scriptoris obseruandam, cum aliquid profanius aut obscœnius narrandum, vt id non sine præfatione fiat. Habent hunc morem Germani, nec dubito de alijs gentibus honestis, cum quid vel vilius vel absurdius proferunt præfari solent: mit ehren zu melden, die füß waschen/schüch bützen/Kepßweiber/Hüren vnd Büben, quales erant ciues Babylonici.

Liu. l. 1. VVLGATI CORPORIS) prostituti, de lupis, prostibulis, meretricibus propriè dicitur. Liuius de Laurentia Faustuli vxore, *Sunt*, inquit, *qui Laurentiam vulgato corpore lupam inter pastores vocatam putent, inde locum fabulæ ac miraculo datum*, Romulum nempe & Remum à lupa nutritos.

VILITAS) quid enim vilius prostibulo, quod literæ sacræ quoque vile appellitant.

COMITAS HABETVR) Ex poeta hoc Curtius, vel ex Curtio poeta: *Vulgare corpus, vilitas non comita st*

DEBILIOR FVTVRVS, SI HOSTEM HABVISSET) Liuius de Hannibalico exercitu Capuæ hibernante. Prorsus ita Capua altera Babylon militem & Romanum & Hannibalicum corrupit: de qua re * Liuius: Ad quem haud dubie Curtius respexit. Sed hostis aberat: quæ fuit fælicitas & Alexandri & copiarum eius. Habent imperatores & belli duces, quomodo per hiemem tractandus sit miles, ne vires & nerui omnes militares per luxum soluantur & elidantur.

*Liu. li. 7. p. 272. fol. & l. 23 p. 386. fol. & p. 394.

Sed quis finis fuit Babylonis? quem Hieremias sanctissimus Vates cap. 50. & 51. grauissimis verbis prædixit. funditus demum euersa anno Iudaico 4797. Christiano CIↃXXXVII. vti docet Scaliger ad Euseb. animaduers p. 120. Quæ autem S. Ioannes Apocal. c. 18. de Babylone vaticinatur, μυστικῶς vel de Roma, vel potius de statu impiorum toto mundo sparsorum futuro accipienda sunt.

CAPVT VI.

ARGVMENTVM.

Copias auget, regnum Babylonis Satrapis & prætoribus administrandum committit, chiliarchas creat, militarem disciplinam mutat.

Cæte-



Ceterùm, quo minus damnum sentiret, identidem incremento renouabatur. Namque Amyntas Andromenis ab Antipatro Macedonum peditum sex millia adduxit, DC. praeterea eiusdē generis equites; cum his DC. Thracas, adiunctis peditibus suae gentis III. millibus & D. & ex Peloponneso mercenarius miles ad quatuor millia aduenerat cum CCCLXXX. equitibus. Idem Amyntas adduxerat L. principum Macedoniae liberos adultos, ad custodiam corporis: quippe inter epulas hi sunt regis ministri, ijdemque equos ineunti praelium admouent, venantemque comitantur, & vigiliarum vices ante cubiculi fores seruant, magnorumque praefectorum & ducum haec incrementa sunt & rudimenta. Igitur rex arci Babylonis Agathone praesidere iusso, cum DCC. Macedonum CCC. q. mercede conductis, praetores, qui regioni Babyloniae & ciuitati praeessent, Menetem & Apollodorū reliquit. duo his millia peditū cum mille talentis data. Vtrique praeceptum, vt in supplementum milites legerent. Mazaeum transfugam Satrapia Babylonia donat, Bagophanem, qui arcem tradiderat, sequi iussit. Armenia Mythrenī Sardium proditori data est. Ex pecunia deinde Babylonia Macedonibus equitibus sexceni denarij tributi peregrinus eques quingenos accepit. Ducenos pedestrium stipendium mensium. His ita compositis in regionem quae Satrapene vocatur, peruenit, fertilis terra, copia rerum & omni commeatu abundans. Itaque diutius ibi subsistit: ac ne desides otio * demitterent animos, iudices dedit, praemiaque proposuit de virtute militari certantibus. Octo, qui fortissimi iudicati essent, singulis militum millibus praefuturi erant. Chiliarchas vocabant, tum primum in hunc numerum copijs distributis, namque antea quingenariae cohortes fuerant, nec fortitudinis praemia * gesserant. Ingens militum turba conuenerat, egregio interfutura certamini, testis eadem cuiusque factorum, & de iudicibus latura sententiam: quippe verône an falso honos cuique haberetur, ignorari non poterat. Primus omnium virtutis causa donatus est Adarchias senior, qui omissum apud Alicarnasson à iunioribus praelium vnus maximè accenderat. Proximus ei Antigenes visus est. Tertium locum Philotas Angaeus obtinuit, quartus Amyntae datus. Post hos Antigonus, & ab eo Lyncestes Amyntas fuit: septimum locum Theodotus, vltimum obtinuit Hellanicus. In disciplina quoque militaris rei pleraque à maioribus sumta vtiliter mutauit. Nam cùm ante equites suam quisque gentem describerentur; seorsum à caeteris exempto nationum discrimine, praefectos non vtique suarum gentium, sed delectos attribuit. Tuba, cum castra mouere vellet, signum dabat: cuius sonus plerumque tumultuantium fremitu exoriente, haud satis exaudiebatur. Ergo perticam, quae vndique conspici posset, supra praetorium statuit, ex qua signum eminebat pariter omnibus conspicuum, obseruabatur ignis noctu, fumus interdiu.

*remittebant.

*cessarant.

DAMNVM SENTIRET) ex milite Babylonicis delicijs corrupto.

INCREMENTO RENOVABATVR) supplemento incorruptorum è Graecia adductorum, qui venerunt Alexandro iam Susis versanti, vt Arriano placet: Siculus intra Babylonem & Susa in[?] cum Alexandri copijs iunctas scripsit nouas.

AMYNTAS) de hoc & alijs Amyntis cognominibus suprà. ca. 12. li. 4.

ANTIPATRO) praetore Macedoniae.

SEX MILLIA) si colligas, equites mille quingenti triginta, Inter quos quinquaginta principum milites tredecim millia quingenti. omnes iunctim 15030. Diodorus quatuordecim millia peditum recenset è Graecia submissorum, equitum quatuor millia sexcentos quinquaginta. Et hoc quod Curtius dixerit damnum non sensisse Alexandrum, quod quasi nouum ex Graecia exercitum accepisset.

QVINQVAGINTA PRINCIPVM MACEDONIAE LIBEROS) Hunc locum nemo melius [explicat quam] ipso Curtio lib. 8. quem adibis. Ex hac cohorte regia fuit Hermolaus, qui postea coniurauit in Alexandrum, & deprehensus, lapidum imbre obrutus est. Suffragatur Curtio Arrianus. Est et à Philippo institutum, vti Macedonum, qui in aliqua dignitate constituti essent filij, cum adolescerent regium ministerium deligerentur, & cum ad alia quae ad regij corporis curam pertinerent, praeterea eo cubante, custodias agerent. Hi equos cum rex ascensurus esset, ab equisonibus acceptos adducebant: eum, Persico more, in equum imponebant, & venationi studentem comitabantur. Haec quod sanè cautè & sapienter à Philippo institutum est, ita enim praetores puerorum fide retinuit, quando illorum filios secum quasi obsides habebat, eosdemque simul omnibus

cap. 13. Arrian. li. 4. de Hermolao narrans.

nibus

nibus liberalibus disciplinis & artibus ault cis studijsque militaribus institui curauit, qui parenti-bus æuo defectis succederent. Sed de hoc Philippi instituto multo clarius in varijs Aelianus, cuius verba apponam ex Interprete, ne longior sim. Philippus clarissimorum Macedonum liberis assum-tis, sui curam ministeriumque ipsis impoiuit: non per iniuriam aut contemptum, sed vt patientes eos laborum, & ad ea quæ fieri opus esset, peragenda promptos atque paratos redderet. Eis verò ex ipsis, qui vel luxui studerent, vel segniter pigreque iussa facerent, his infestissimus fuisse dicitur. Aphthonetum igitur flagris cecidit, quod, cum sitiuisset, acie deserta, à via deflectens ad publicum hospitium diuertisset. Archedamum verò morte mulctauit, quod cum eum perseuerare cum armis iussisset, ille depoiuisset. Existimabat enim se blanditijs & assentatione nullo negotio regem sibi placaturum esse.

L.14. Varia c.29.

AD CVSTODIAM CORPORIS) Inter quos præter alios tamen erant Ptolomæus & Leonnatus, Eurylochus, Epimenes, Sostratus, Hermolaus princeps postea coniurationis, Nicostratus, Antipater non ille Macedoniæ prætor, Asclepiodorus, Philotas quidam, Auticles, Elaptonius, Epimenes.

MAGNORVMQVE PRAEFECTORVM ET DVCVM INCREMENTVM ET SEMINARIVM) ideò etiam post Alexandri mortem, regum, & prouinciarum rectores, vti Ptolomæus & Leonnatus regia stirpe oriundi, Lysimachus, Antigonus, Cassander, alij

AGATHONE) Eosdem recenset & plures etiam Siculus: Μετὰ δὲ ταῦτα, inquit, τὴν μὲν ἄκραν παρέδωκεν τηρεῖν Ἀγάθωνι τῷ Πυδναίῳ συστήσας αὐτῷ Μακεδόνας στρατιώτας ἑπτακοσίους. Sed Curtius hisaddit etiam trecentos mercede conductos. Agatho postea propter atrocia facinora cum Cleandro, Sitalce, & alijs occisus est. Sequitur in Curtio: *Pratores qui regioni Babyloniæ & ciuitati præessent, Menetem & Apollodorum reliquit.* Diodorus: *Apollodoro verò Amphipolitano, & Meneti Pellæo Babylonis & Satrapiarum seu prouinciarum ad Ciliciam vsque administrationem commisit.* Mazæi Diodorus mentionem prætermittit, cum & Curtius & Arrianus satrapia, hoc est, prouincia Babyloniæ donatum & præfectum esse scribant.

D.10.c.5.

MILLE TALENTIS) sexcenta millia philippæorum.

MAZAEVM TRANSFVGAM) qui à Dario victo ad Alexandrum defecit, vt suprà dictum.

BAGOPHANEM QVI ARCEM TRADIDERAT) cum pecunia, (de quo suprà) sequi castra iussit, ne si duo Persæ summæ rerum præessent, rursus per occasionem ad Darium deficerent, vel prouinciam & arcem sibi retinerent.

MITHRENI) Mithrinæ scripsit Diodorus, & eodem flexu Arrianus.

SARDIVM PRODITORI) Sardis Lydiæ arx & caput. Non præfecit Mithrenem Lydiæ, quia proditores iousi popularibus, & fides etiam incerta. vti vulgo dicatur: *Proditionem amo, proditorem non amo.*

EX PECVNIA DEINDE) numerauit Alexander sub signis equitum septem millia, peditum quadraginta millia, quando dimicauit cum Dario. demus ergo equitum Macedonum fuisse tria millia quingentos, toti demque peregrinorum. Denarius decem assibus, vnde & nomen accepit, permutabatur, hoc est, quatuor sestertijs numis, siue duobus victoriatis, quos barbari Bazios dicunt. Erit ergo denarius ex primo Romanorum precio, octo cruciferis. Tribus millibus & quingentis singulis sexceni denarij, alijs quingeni, peditibus duceni dati, quæ est sors & summa, si colligas?

Singulis ergo Macedonibus equo bellantibus cedebant 80. aurei germani, qui in tria millia quingentos ducti, efficiunt viginti octo millia, peregrinis sexaginta quinque, quæ in sorte excrescunt ad septendecim millia quingentos. summa equitibus data quadraginta quinque millia quingenti. peditibus singulis viginti quinque aurei, qui in quadraginta millia ducti, summam reddunt decies centena millia, tota summa equitibus & peditibus data, decies centena quadraginta quinque millia aureorum fuit. Quantum verò auri è gazophylacio Babylonico exhauserit ipse rex, prodidit nemo.

HIS ITA COMPOSITIS) Arrianus narrat consultos ab Alexandro etiam Chaldæos, quorum monitu, & fana instaurauit, & Belo fecit.

SATRAPENEM) Etsi nec apud Marcianum Heracleotem, nec Scylacem Carlandensem, nec Strabonem, nec Ptolomæum, nec Dionysium Alexandrinum, nec Plinium, nec Stephanum, nec Suidam, Melam, Solinum, aut quenquam alium legam, vt illam prouinciam omnino extra solis vias, ipsumque mundum in Vtopia Morisitam possis arbitrari: & Glareanus omnino Sitacinem (quam regionem plerique omnes laudant, & hic Siculus pro Satrapene ponit) putet rescribendum: Satrapenem tamen apud Polybium a & Plutarchum in vita Luculli legi putant, quos Satrapenes appellat Plutarchus, Polybius Satrapeios à Satrapene haud dubiè. Est Mediæ regio, cuius cultorea pro Tigrane contra Lucullum propugnarunt, sed eos fugauit. Eadem regio *Sitacene*, recentioribus dicitur Apolliniatis, vt docet Strabo. de Satrapene nihil: nisi dicas legendum Sagapenem, de qua Strabo lib.16. & est in illa vicinia, vide p.512.

a Polyb. l.5. Plutarch. locum nõ dũ reperi, quem Ortel. laudat.

Certè

Certè quæ de copia rerum & abundanti commeatu affirmantur à Curtio in Satrapene, eadem de Sitacine Siculus narrat, ὁ δὲ βασιλεὺς, inquit, τούτους παραλαβὼν προῆγε ... εἰς τὴν Σιττακηνὴν χώραν. τὴν δὲ χώραν ταύτης πολλὴν ἀφθονίαν ἔχουσαν τῶν ἐπιτηδείων πάντων, ἐν ταύτῃ πλείους ἡμέρας ἔμεινε. *Hos, inquit, nouis militibus secum assumptis processit, & sextis castris in Sitacinem peruenit, complures dies propter rerum omnium copiam commoratus est.* Interpres Polybij vocem Σαταπηνοὺς vertit Atropazios, quorum regio est Atropatene etiam Plinio; sed hi, proximi sunt populis qui ad pontum Euxinum colunt, pars Medorum, nihilque huc faciunt. Vel ergò ijdem fuere Satrapeni & Sitaceni, vel Curtiana vertenda. lib. 17.

Ne desides otio dimitterent animos.) Nulla re minus vti potest miles quàm otio; nam hostis cùm deest, hostis fit ipse sibi, seditiones monet, aut in principem coniurat, aut proditiones concinnat. *Sed ne otium,* inquit infrà lib. 8. Curtius, *serendis rumoribus natum aleret, in Indiam mouit.* cap. 17.

De virtute militari certantibus.) Non instituit hic Alexander certamina noua inter duces aut milites, sed virtutem singulorum præteritis prælijs obseruatam ornare donis & nouis dignitatibus & magistratibus bellicis voluit. Itaque cum octo chiliarchas, qui singulis millibus præessent, creare vellet, exercitum ipsum adhibuit iudicem & testem virtutis singulorum, quibus meritò honos is omnium iudicio esset deferendus. Itaque singulorum facinora bellica publicè proponebantur, & dispiciebantur.

Adarchias senior.) Quæ de Halicarnasso hic tanguntur, in Curtio à principio desiderantur, è Siculo, Arriano, Plutarcho, Strabone resarciri possunt. Nam supplementi auctor tantum mentionem facit, non exponit. Et Arrianus quidem totam Halicarnassi oppugnationem, expugnationem, & euersionem prolixè & accuratè lib. 1. describit. Sed de pugna à tironibus intermissa, & senioribus accensa & instaurata, nullam, quod sciam, vocē mittit. At Siculus longè clarius rem aperit, à quo plerunque sua Curtius depromit, quanquam Adarchiam, neque Siculus, neque quisquam alius exprimat. Res, ab Siculo hoc modo describitur. *Immenso vtrinq; clamor simul excitatur, tubisque classicum insonantibus, grande certamen initur, dum ad summam gloriæ assequendæ cupiditatem nihil facerent reliquum. Ignem quidem ne vlterius grassetur, facilè Macedones impediunt. At in conflictu Ephialtes agmen hostis præpollebat, Is enim viribus corporis longè alijs præstans, quotquot manus conferrent, omnes interemit. Quique in muro recens extructo stationem habebant, continuo telorum iactu plurimos confecerunt. In eo namque turris ad centum cubitorum altitudinem educta fuerat, catapultis mucronatis referta. Cùm autem Macedonum plurimi caderent, & reliqui multitudine telorum fatigati pedem referrent, Memnonque cum longè maiore militum numero subueniret, ipse etiam rex consilij perquam dubius erat. Iamque præualentibus oppidanis, subitam rerum mutationem conflictus sortitur. Macedones enim veterani, qui tunc quidem ob ingrauescentem ætatem vacationem à pugna habebant, sed Philippo quondam militantes conflictibus non paucis victores extiterant, hoc temporis momento ad strenuitatem pristinam excitantur. Cùmque animorum firmitudine, ac rei militaris peritia, longè alijs præstarent, tironibus, iam pugnam detrectantibus, acerbissimis ignauiam verbis exprobrant: mox vnum in agmen coeuntes, ipsi consertis inter se clypeis hostem iam se vicisse arbitrantem obuij excipiunt. Ac tandem Ephialte, multisque alijs neci traditis reliquum vulgus in vrbem refugere compellunt. Vnaq; Macedones cum fugientibus permixti intra mœnia sub noctis initium proruunt. Cùm Rex tamen receptui canere iussisset in castra se receperunt.* lib. 17. pag. 507. m.

Plutarchus, vno verbo, captam & subactam dicit, reliqua omnia tacet. Strabo primùm vrbem describit cum Mausoleo, & captam vsque ad arcem, arcemque non diu post occupatam tradit: ad singularia certamina, vt Siculus, non descendit; Iam de Adarchia nulla apud vllum mentio, nisi Curtium qui libro octauo eundem per Clitum celebrat, vbi tamen Athariam nominat, vt vel hic, vel illic in nomine mendum sit oportet: *Philippi* (inquit Clitus apud Curtium) *milites spernis, oblitus, nisi hic Atharias senex iuniores pugnam detrectantes reuocasset, adhuc circa Halicarnassum hæsuros fuisse.* Quæ reliqui septem facinora in prælijs ediderint, non exponitur: Antigenes, inquam, Philotas Augæus, non ille Parmenionis F. nec ephœbus ille, qui libro 8. cum Hermolao coniurauit, Amyntas, non ductor ille copiarum Andromenis F. sed εἷς ἐκ πολλῶν antehac: Antigonus, nec ille ex claris ducibus, de quo sæpius infrà: Lyncestes Amyntas. Iam suprà tres vel quatuor Amyntas cognomines retuli; hic quintus videtur. Theodotus, nulla quod sciam huius alibi mentio; vti nec Hellanici. Itaque esto isti heroes chiliarchæ sint creati, quod deinceps mille præfuturi essent, χίλιοι enim Græcis mille significat, ἀρχὴ, magistratum, imperium, principatum. Sed quæras peditibus, an equitibus, cohortibus an turmis & alis præfuerint? Chiliarchæ peditibus præfecti, quia Curtius antè quingenarias fuisse cohortes affirmat, cohortes autē, peditum sunt, sicut turmæ & alæ, equitum. Octo autē chiliarchæ rectè phalangē simplicē, quæ octo millibus constabat, efficiebant. De equitibus etiā subijcit Curtius, & disertius Arrianus· Κατέστησε δὲ καὶ λόχους δύο ἐν ἑκάστῃ ἴλῃ, οὐ πρόσθεν ὄντας λόχους ἱππικούς. *Instituit autem in singulis turmis decurias duas, cùm antè nullæ essent decuriæ.* Hæc ita vt verba Arriani sonat interpretatus sum, vt mirer quamobrē Facius & Vulcanius, Plut. Strab. l. 14.

vocent

vocem λόχους alter *decuriones*, alter *tribunos* verterit, cùm λόχος nec decurionem, nec tribunum significet, sed verè & propriè decuriam, vt Aelianus in Tacticis cap. 4. disertè docet. Alter eorumdem error, quod confundant λόχους καὶ ἴλας, cùm λόχος propriè tantum decuriam, ἴλη turmam sonet. Propriè loquendum erat hic, cum Arrianus dicat ab Alexandro singulas ἴλας seu turmas, εἰς δύο λόχους in duas decurias diuisas esse Sequitur in Arriano: Καὶ λοχαγοὺς ἐπέστησε τοὺς κατ' ἀρετὴν προκριθέντας ἐκ τῶν ἑταίρων. Vulcanius interpretatur *Ad hoc munus ex socijs eos, qui virtute bellica præstitissent, elegit* non propriè. melius Facius: *Quarum ductores delegit ex amicorum numero lectis, qui maximè virtute præstarent.* Verius tamen transtulisset etiam Facius, si λοχαγοὺς decuriones propriè dixisset. quamuis λοχαγοὶ ductores sint, nomen Ductoris generale est, & vocem λοχαγοὺς non exprimit, qui sunt propriè decuriones, sicut λόχος est decuria.

PRAEMIA GESSERANT) Lipsius rectè coniectat legendum *cesserant*, cohortes enim præfectis suis præmia fortitudinis non cesserant, quæ postea chiliarchis tanquam præmia fortitudinis subiectæ cesserunt.

NAM CVM ANTEA EQVITES) A peditibus transit ad equites, quibus hoc nouum accessit ab Alexandro, & cum antè Thessali equites Thessalum præfectum, Macedones Macedonem, Peloponenses Peloponensem, Achæi Achæum, Locrenses Locrensem, atque deinceps reliquæ nationes suum singulæ ex sua gente haberent, iam sublato nationum discrimine singulis gentibus electus aliquis assignaretur, cuiuscunque esset nationis. Curtij verba, vt sensus constet, ita cum Acidalio interpunge. *Nam cum antè equites in suam quisque gentem describerentur seorsum à cæteris, exemto nationum discrimine, præfectos, non vtique suarum gentium, sed delectos attribuit.* Itaque equites quidem Thessali inter suos Thessalos manebant, Peloponenses inter Peloponenses, sed diuersæ gentis præfectum deinceps sortiti sunt, quod eo pertinebat, vt omnes cum summo duce & rege magis conspirarent, ac minus inter se discordias seminarent, aut secessionem facerent, aut cum alijs nationi-
Sicul. p. 389. bus contenderent. Ita factum est quod narrat Siculus: *Nec mora, quæ decreuerat perfecit: initaque de optimis quibusque censura quam diligentissimè, cum multos ab amplis magisterijs ad sublimiorem potestatis gradum promouisset, hac ratione factum est, vt omnes tandem præfectos ad maiorem dignitatem & amorem simul erga se firmissimum proueheret. Gregarij quoque militis tectius ordinandi curam suscepit, multisque ad commodiorem vsum inuentis, etiam hunc ad meliorem statum redegit. Cum denique effecisset, vt exercitus totus beneuolentia eximia imperatorem complecteretur, & imperiis quàm obsequentissimum se præberet, fortitudine etiam nullis cederet: ad quæ restabant certamina deinceps contendit.*

TVBA SIGNVM) De hac re nihil Siculus, nihil Arrianus, nihil reliqui Græci: at Literæ sacræ.
Num. 10. dum Hebræus duce Mose ex Aegypto repeteret Palæstinam, tuba signum accepit: *Fac tibi duas tubas argenteas.* De tuba, lituo, classico, cornibus, buccina, & alijs militaribus signis copiosè Lips. dial. 10. lib. 4. Nec pluribus hic opus, Curtius ipse caussam mutati signi & tubæ claram adfert.

ERGO PERTICAM) De signis pugnæ Lipsius dial. 4. c. 12. vbi hunc Curtij locum adducit. *Nec*, inquit, *huic rei aliud legi, nisi si fortè in Curtio de Alexandro, qui cum Tubæ sonus haud pariter ab omnibus exaudiretur cum castra mouenda essent Perticam quæ vndique conspici posset, supra prætorium statuit, ex qua signum eminebat pariter omnibus conspicuum. Sed id quale fuerit*, inquit Lipsius, *non dicit.* Imò dicit, & statim sequenti versu. *Obseruabatur ignis noctu, fumus interdiu.* Hoc erat ergò signum profectionis: quemadmodum Israelitis castra mouentibus per diem nubes, per noctem ignis præcedebat, signa à Deo assignata, & nunquam à castris recedentia. *Igitur die qua erectum est tabernaculum, ope-*
Num. 10. v. 15. *ruit illud nubes: à vespere autem super tentorium erat quasi species ignis vsque mane.* Cum ergò vel nubes vel ignis tollebatur in altum, & a tabernaculo recedebant, proficiscendum erat: quando incubabat, quiescendum. De signis aliarum gentium & Romanorum, Lipsius vbertim

---

CAPVT VII.

ARGVMENTVM.

Susa cum thesauro traduntur.



Iamque Susa adituro Abulites regionis eius præfectus, siue Darij iussu, vt Alexandrum præda retineret, siue sua sponte, filium obuiam misit, traditurum se vrbem promittens. Benignè iuuenem excepit Rex, & eodem duce ad Choaspen amnem peruenit, delicatam (vt fama est) vehentem aquam. Hic Abulites cum donis regalis opulentiæ occurrit Dromades cameli inter dona erant, velocitatis eximiæ. XII. Elephanti à Dario ex India acciti, iam non

terror

terror (vt sperauerat) Macedonum, sed auxilium, ope victi ad victorem transferente fortuna. vt verò vrbem intrauit, incredibilem ex thesauris summam pecuniæ egessit, L. millia talentûm argenti non signati forma, sed rudi pondere. Multi reges tantas opes longa ætate cumulauerant liberis posterisque, vt arbitrabantur: quas vna hora in externi regis manus intulit. Consedit deinde in regia sella multo excelsiore, quàm pro habitu corporis. Itaque cum pedes imum gradum non contingerent, vnus ex regiis pueris mensam subdidit pedibus: & cum spadonem, qui Darij fuerat, ingemiscentem conspexisset rex, caussam mæstitiæ requisiuit. Ille indicat, Darium vesci in ea solitum, seque sacram eius mensam ad ludibrium recidentem sine lachrymis conspicere non posse. Subijt ergo regem verecundia violandi hospitales deos: iamque subduci iubebat, cum Philotas, Minimè verò feceris, rex, sed omen quoque accipe, mensam ex qua libauit hostis epulas tuis pedibus esse subiectam.

IAMQVE SVSA ADITVRO.) Quinque fuêre fama inclitæ regiæ in Oriente. Babylon & Ninus Assyriorum; Ecbatana, & Susa, & Persepolis Medorum & Persarum. Hic de Susis. Susa ciuitas sita est inter Babylonem & Persidem, à qua regio circumiecta Susiana, & Susis Susidos. nomen accepit à lilijs, quæ Persis patria lingua Susa dicuntur, quorum ijs locis ingens est copia. Plura Eustathius ad Periegeten. Ortum est nomen ab Hebræis —— Susan, quod lilium seu rosam valet. Memnonion * Strabo
dicitur à Memnone conditore principe Susorum, quod Strabo * docuit. l. 15. pag. 500. v. 12. à f.

Alluitur Choaspe flumine. De nominis originatione multa Serarius noster ad cap. 1. Esteris, quæst. 11. nec ab lilijs abit. De conditore quæritur. Plinius à Dario Hystaspis F. conditam affirmat, Ser. p. 449.
cui adstipulatur Aelianus. Sed Darius iam antè positam nouis ædificijs exornauit, F. altero tanto Plin. l. 6.
pulchriorem reddidit, vt alter conditor haberi posit. sed in Memnonem primum eius parentem & cap 27.
molitorem consentiunt Herodotus (qui à Tithono patre Memnonis conditam dicit) Strabo l. 15. Aelian li.
Cassiodorus lib. 7. epist. 17. Aelianus de hist. animal. l. 13. c. 18. De regia Susorum Diodorus docet toto 13. de Animal. c. 56.
orbe celebratissimam fuisse εἰς δὲ τὴν Σουσιανὴν καταντήσας ἀκινδύνως παρέλαβε τὰ περιβόητα ἐν Σούσοις βα- Herod. l. 6.
σίλεια. *Cum in Susianam peruenisset* (Alexander) *regiam vbique decantatam sine certamine & periculo occupauit.* a Herodotus, b Strabo, c Ptolemæus, d Plinius, e Athenæus testantur, nobilissimam Susis a l. 5.
fuisse Cyri regiam, candido marmore, columnis aureis, ingentique gemmarum copia exornatâ, cu- b l. 15.
ius lacunaria cælum micantibus stellis refulgens æmulabantur. c l b. c 3. d l. 6 c. 7.

ABVLITES REGIONIS PRAEFECTVS.) Hæc omnia ex Diodoro non solùm expressa sed pro- e l 12 c. 3.
pemodum etiam translata: ἑκουσίως Ἀβουλήτου τοῦ σατράπου παραδόντος αὐτῷ τὴν πόλιν. ὡς μέν ἔνιοι γε- Diod. l. 17.
γράφασι, προστάξαντος Δαρείου τοῖς πεπιστευμένοις ὑπ' αὐτοῦ. τοῦτο δὲ πρᾶξαι τὸν βασιλέα τῶν περσῶν ὅπως p. 5 9. v. 4. à f.
ὁ μὲν Ἀλέξανδρος εἰς περισπασμοὺς ἀξιολόγους καὶ παραλήψεις ἐπιφανεστάτας τῶν πόλεων καὶ θησαυρῶν μεγάλων ἐμπεσὼν, ἐν ἀσχολίαις ὑπάρχῃ. ὁ δὲ Δαρεῖος τῇ φυγῇ λαμβάνῃ χρόνον εἰς τὴν τοῦ πολέμου παρασκευήν. *Abulete vrbem sponte sua tradente. literis à quibusdam est proditum iussisse hoc Darium illos, quorum fides ei spectata erat. Idque in hunc finem à rege Persarum esse factum, vt rebus arduis districto Alexandro, dum vrbes clarissimas thesaurósque maximos reciperet, ocium subtraheretur, Dariúsque interim ad instaurandum bellum sat temporis haberet.* Abuletem etiam Arrianus nominat, cui discedens Alexander prouinciam commisit. Hunc tamen postea Alexander eum ex Indis reuerteretur, & inopia pabuli laboraret, quod non cum commeatu necessario occurrisset, in vincula compegit, vti Plutarchus testatur. Arrianus * vna cum filio occisum tradit, quod res Susiorum malè administras- * lib. 7. p.
sent. 148.

FILIVM MISIT.) Oxoathrem, vt ex Arriano constat. Hunc Alexander, Plutarcho teste, postea hasta traiecit. Plutarcho Oxyartes dicitur. Arriano Oxanthes.

AD HYDASPEN AMNEM.) Hydaspen? amnem Indiæ? quid hic in Suside Hydaspes, mille parasangis ab hac prouincia dissitus? Scribe sine omni dubitatione *Choaspen*, quod Curtij sequentia verba docent, *Delicatam, vt fama est, vehentem aquam.* Quis hoc vnquam de Hydaspe? De Choaspe Herod. l. 1.
audi Herodotum: στρατεύεται δὲ ὁ βασιλεὺς ὁ μέγας καὶ σιτίοισι εὖ ἐσκευασμένοισι ἐξ οἴκου, καὶ προβάτοισι. καὶ δὴ Cho c. 188.
καὶ ὕδωρ ἀπὸ τοῦ Χοάσπεω ποταμοῦ ἅμα ἄγεται τοῦ παρὰ Σοῦσα, τοῦ μούνου πίνει βασιλεύς, καὶ ἄλλου οὐδενὸς ποτα- pag. 78.
μοῦ. τούτου δὲ τοῦ Χοάσπεω τοῦ ὕδατος ἀπεψημένου πολλαὶ κάρτα ἅμαξαι τετράκυκλοι ἡμιόνειαι κομίζουσαι ἐν ἀγγηΐοισι ἀργυρέοισι, ἕπονται ὅκοι ἂν ἐλαύνῃ ἑκάστοτε. *Ducit autem rex magnum exercitum, probè domi comparata re frumentaria atque pecuaria. Portatur etiam aqua ex flumine Choaspe, Susa præterfluente, ex quo vno ex omnibus fluminibus rex potat. Cuius Choaspis aquam decoctam, & in argentea vasa diffusam, ferentes permulta sarracæ quatuor rotarum, mulis trahentibus, assiduè comitantur, quocunque ille proficiscitur.* Siue eam Choaspes ex Indo haurit, quod docet Periegetes, siue ex ijsdem fontibus natus, vt Euphrates & Tigris.

Eustathius ad Periegetæ versum:

* χοάσπης

--- χωρὶς δὲ χόασπις *
ἕλκων ἰνδὸν ὕδωρ ---

Eustath. p. 132.

ἔτι δὲ καὶ χοάσπης ἰνδὸν μὲν ὕδωρ ἕλκων, ὡς ἐκ τοῦ ἰνδοῦ σχιζόμενος ποταμοῦ παραῤῥέων δὲ καὶ τὰ Σοῦσα. ἀφ' οὗ καὶ μόνου ἔπινεν ὁ τῶν Περσῶν βασιλεύς. καὶ ἦν βασιλικὸν ὕδωρ τὸ χοάσπειον. περὶ οὗ φησὶ καὶ Ἡρόδοτος, ὅτι τοῦ ὕδατος τοῦ χοάσπου ἀφεψημένου πολλαὶ ἅμαξαι ἡμιόνειοι τετράκυκλοι ἕπονται κομίζουσαι ἐν ἀγγείοις ἀργυρέοις.

Adhuc & Choaspes vehens Indam aquam, ab Indo enim diuertit (aliquandiu cum illo mixtus) Strabo Choaspen in Vxijs existere, non ex Indo docet in xv. *Susa alluit, ex quo solo rex Persarum bibebat. Et aqua Choaspia regia dicebatur. de quo Herodotus ait, aquam Choaspis decoctam multis carris quatuor rotarum regem sequentibus argenteis vasis ferunt muli.* Plura Strabo, sed hęc sufficiant. Dices: Si Choaspes ex Indo aquas vehit, ergo in India natus, Mediam & Susa transijt? quod & de Hydaspe dici posset. Certè Ortelius dubitat idemne sit Hydaspes & Choaspes. Sed frustra est & Ortelius, & auctor lexici geographici & poetici, qui Hydaspen per Susa & Mediam fluere scripserunt. Nam Hydaspes in India existit, cum Acesine miscetur, & vterque Indo, cum quo in Oceanum euoluuntur, vt infrà lib. 8. docebimus. Nec nullus fuit Hydaspes, quod nonnemo crederet ab Horatio inductus, qui fabulosum appellat:

Horat. li. 1. car. ode 22.

--- Seu qua loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

Fabulosum dicit, non quod fluminis confictum sit nomen, sed quod poetæ fabulosa de illo multa tradant, quod inibi ostendemus. Ceterum, quod de delicata Choaspis aqua refertur, idem ferè de Nilo & Istro traditur, quorum fluminum aquas reges Assyriorum in thesauris suis reponebant, vt ad primum epigramma Martialis docuimus, & Plutarchus in Alexandro ostendit.

Mart. p. 32. edit. 2.

DROMADES CAMELI ERANT) Dromadum effigiem habes apud Gesnerum lib. de historia animalium, in Camelo dromade. distinguuntur à ditylis, quibus gemini gibbi in tergo surgunt: dromadibus duntaxat vnus. Diodorum audi, vbi de Debis Arabibus loquitur: οὗτοι δὲ (Δέβαι) καμηλοτροφοῦντες πρὸς ἅπαντα χρῶνται τὰ μέγιστα τῶν κατὰ τὸν βίον τῇ τοῦ ζώου τούτου χρείᾳ· πρὸς μὲν γὰρ τοὺς πολεμίους ἀπὸ τούτων μάχονται, τὰς δὲ κομιδὰς τῶν φορτίων ἐπὶ τούτων νωτοφοροῦντες, ῥᾳδίως ἅπαντα συντελοῦσι. τὸ δὲ γάλα πίνοντες, ἀπὸ τούτων διατρέφονται, καὶ τὴν ὅλην χώραν περιπολοῦσιν ἐπὶ τῶν δρομάδων καμήλων. *Camelorum armentis hi* (Debæ) *pascendis vacant: quorum vsus ad maxima vitæ negotia illis paratus est. Ex his contra hostem pugnant. Horum tergis onera vectant, & expeditè cuncta peragunt. Horum lac bibunt, hi nutrimenta eis præstant. Dromedarijs quoque camelis totam regionem percursitant.*

Li. 3. bibl. p. 178.

Plura & admiranda de velocitate & cursu eorum apud Gesnerum leges.

Latini quandocunque loquuntur de dromade, semper adiungunt camelum: ita vt dromades cameli, dromadas camelos, dromadum camelorum dicant ad discrimen camelorum, non dromadum. Dromades sunt minores quàm iusti Cameli.

EXIMIAE VELOCITATIS) à cursu nomen inuenerunt, δρόμος Græcis cursus est, centum & amplius vno die milliaria conficiunt, Isidoro teste, milliaria Italica accipe, quorum quatuor aut quinque cum vno Germanico comparantur, ita viginti Germanica vno die decurrerent. Gesnerus l. 1. p. 173. multa de Camelis etiam Plinius; Solinus etiam ex Plinio.

Solin. c. 52. p. 91. post m. Plin. lib. 8. cap. vlt. Lipsius epistola 50. cent. 1. miscel. * li. 2. p. 70.

ELEPHANTI EX INDIA) quia illic generosissimi. Plura de elephanti docilitate, ingenio, sensu propè humano, præter Plinium, complures alij narrant; Lipsius singulari epistola omnes dotes beluæ exponit. Sed nos vbi ad Indos & Porum veniemus, ex Philostrato mitiora trademus præsertim de Aiace Alexandri.

Quæras quanta pecuniæ sors sit L. milliā talenta, & quanta * Straboni signata: 180 millia talentum. Quinquaginta millia talentûm efficiunt tricies millies centena millia Philippæorum, hoc est, vt vulgò loquuntur, triginta milliones. Strabonis verò centum & octoginta millia talentûm, excrescunt in centies octies centena millia, siue centum & octo milliones. Abripuerunt ante hostes quadragies octies centena millia Philippæorum, hoc est, quatuor milliones & octoginta millia Philippæorum. Diodorus in Susiana gaza numerat amplius XL. millia talentum rudis argenti, IX. millia signati. Arrianus Curtio suffragatur, sed non exprimit signatumne fuerit, an rude pondus argenti. addit, reliquum apparatum regium & spolia quæ Xerxes è Græcia attulerat, inter quæ fuere Hermodij & Aristogitonis æneæ statuæ ab Alexandro Atheniensibus remissæ, & in Ceramico collocatæ. locus est apud Herodotum in Terpsichore de Aristagora affirmante eum qui Susa cepisset, posse cum Ioue de opibus certare. Absurdius adulatur * Martialis Domitiano, quem ditiorem Ioue facit:

Herod. l. 5.

* Mart. l. 9. ep. 4.

Qualis fides paganorum, talis calamus, & lingua, & cælum. Plutarchus in Alexandro præter quadraginta millia talentûm signati argenti, regium instrumentum & res pretiosas innumerabiles, etiā purpurę Hermionicæ talentûm quinq; millia narrat reperta, annos centum nonaginta seruatæ, quæ florem adhuc recentem ac primum retinebat, cuius ibidem caussam adiungit.

CONSEDIT DEINDE IN REGIA SELLA) Sellam hanc auream paucis Athenæus describit lib.

lib.12.*Solium, in quo residens caussas cognoscebat, aureum erat, quod quatuor columellæ cingebant è pretioso lapide & auro coagmentatæ, varia veste & purpura ornabantur*. De hoc Curtij loco & sella regia copiosissimè disputat Brissonius lib.1.p.50.lib.1.de regno Persarum, quem consules.

HOSPITALES DEOS) Mensæ enim (quæ Persis aureæ & argenteæ) Dijs sacræ, quibus statuæ deorum inferebantur, veluti tutelæ mensarum & conululorum. Martialis de sigillo Herculis in mensa Alexandri I I.

Hoc habuit numen Pellæi mensa tyranni,
Qui citò perdomito victor in orbe iacet.

Et Statius de eod.

----- Castu genius tutelaq; mensæ
---- Pellæus habebat
Regnator latis numen venerabile mensis.

Hospitales Deos vocat, quod velut conuiuæ & hospites ad mensam inuitarentur, & in ipsa mensa eorum statuæ collocarentur. Subiectam pedibus Alexandri, mensam apud Diodorum fuisse magno honore cultam à Dario, eunuchus lachrymans testatus est. Diod.Sic. p.54.

In regia is sella considerat, quæ cum excelsior, quàm pro habitu corporis esset, vnus ex regijs pueris pedes imum solij gradum non contingere videns, allatam Darij mensam pedibus ita suspensis subdidit. Hac vbi quàm aptissimè conuenit, Rex quidem facti solertiam probat, sed ex Eunuchis sellæ astantibus quidam hac fortis mutatione vehementius animo commotus, lacrymas profundit. Id animaduertens Alexander, quid mali accidere vidisti, vt ita fleas? rogat. Cui ille, Nunc tuus quidem seruus sum, vt antea Darij: sed quia naturali quadam propensione Dominum amo, mensam, ab eo summo in honore habitam, nunc eo contemtus deiectam, absque singulari mæstitia intueri haud possum. Hoc responso ad considerationem, quanta imperium Persicum mutatio excepisset, rex adactus, insolens à se facinus commissum, & ab humanitate, qua erga captiuos vtendum esset, alienum reputare cœpit. Aduocatum ergo qui mensam collocarat, remouere illam iubet, sed astans illi Philotas, Non insolentia hoc est, ô rex, ait, iniussu tuo factum: sed boni cuiusdam genii prouidentia & voluntate id euenit. Quod pro dextro omine rex accipiens, mensam regiæ sellæ suppositam loco permanere iussit.

CAPVT VIII.

ARGVMENTVM.

Sisygambim cum præsidio Susis relinquit, eique vestes Macedonicas cum tela donat, qua filias occuparet, Mæstam ex dono & dicto, seruitutis indice præsens solatur.



Ex Persidis fines aditurus Susa vrbem Archelao, & præsidium III. millium tradidit. Xenophilo arcis cura mandata est. Mille Macedonum ætate grauibus præsidere arcis custodiæ iussis. Thesaurorum Callicrati tutela permissa, Satrapea regionis Susianæ restituta Abulitæ. Matrem quoque Darij & liberos in eadem vrbe deponit. Ac fortè Macedonicas vestes multamque purpuram dona ex Macedonia sibi missa cum ijs qui confecerant, tradi Sysigambi iubet. Omni namq; honore eam, & filij quoq; pietate prosequebatur. Admonerique iussit, vt si cordi quoque vestis esset, cõficere eam neptes suas assuefaceret, donoque doceret dare. Ad hanc vocem lacrymæ obortæ prodidere animum aspernantis id munus: quippe nõ aliud magis in contumeliam Persarũ fœminæ accipiũt, quã admouere lanæ manus. Nunciãt, qui dona tulerant, tristẽ esse Sysigãbim. dignaq; res & excusatione & solatio visa. Ipse ergo peruenit ad eam, &, Mater (inquit) hãc vestẽ, qua indutus sũ, sororum non donũ solũ, sed etiam opus vides: nostri decepere me mores. Caue obsecro,

ne in contumeliam acceperis ignorationem meam. Qua tui moris esse cognoui (vt spero) abunde seruata sunt. Scio apud vos filio in conspectu matris nefas esse considere, nisi cum illa permisit. Quotiescunque ad te veni, donec, vt considerem, annueres, restiti. Procumbens venerari me sapè voluisti, inhibui. Dulcissima matri Olympiadi nomen debitum tibi reddo. Mitigato animo eius rex quartis castris peruenit ad Tigrim fluuium.

PERSIDIS FINES) Susa ergo extrà Persidem, & prouincia singularis.

ARCHELAO) Arrianus Archelaum Theodori & Mazæum præfectos arcis & præsidij nominat, Xenophili & Callicratis nulla nec apud Arrianum, nec Siculum mentio: decerpsit enim sua Curtius ex pluribus. Sed ex Arriano & Plutarcho æuo posterioribus non potuit. De Abulite seu Abulete iam suprà mentio fuit.

MATREM QVOQVE DARII) Sysigambim cum liberis, Susis, velut in patriam reductos in regia posuit, illisque Macedonico more, telam texendam & purpuram & vestem multam è Macedonia missam donauit, vt filias & gynæceum ad Penelopes exemplum occuparet, quod verebatur, ne otium regijs feminis esset molestum, vt esse reuera debebat. Siculus de veste quidem & purpura tacet, sed magistros ijs datos affirmat, à quibus Græcam linguam discerent. Iam tum enim Alexander de nuptijs videtur cogitasse filiarum Darij, quarum alteram sibi postea iunxit, alteram Hephæstioni, alteri quasi Alexandro, in matrimonium tradidit.

FILII PIETATE) Rarò exemplum tantæ lenitatis, officij, & clementiæ ab vllo victore in hostes reperies. quod intellexit Sysigambis, quæ mortuo post Alexandro superesse non sustinuit.

DONOQVE DOCERET DARE) Ne cogitarent sibi opera sua victum deinceps parandum, sed tantum vt tempus commodè exigerent.

ADMOVERE MANVM LANAE) Nemo alius, quod meminerim, hoc de Persis monet. nec Brissonius quidem, cætera curiosus rerum & morum Persicorum indagator, nisi quod ex II. Herodoti doceat, omnia opificum, qui manus precio viuerent, studia fuisse contemta, opifices ipsos inter vilissima mancipia recensos: inde credas, manum lanæ admouere, ancillarum infimarum & mediastinarum fuisse occupationes, seruitutis indicium & argumentum. Sed hoc postquam luxus & superbia in Persidem immigrauit; Priscos enim Persas αὐτουργοὺς fuisse Xenophon prodidit.

Brissonius lib. II. pag. 241.

In 7. παιδείας.

IPSE PERVENIT AD EAM) vxorem Darij semel duntaxat vidit; qua ipsa re sibi immortalem comparauit gloriam, quod etiam ab aspectu reginæ, quam omnium pulcherrimam ferebant, abstinuerit. Matrem sæpius inuisit, vbi consolanda videbatur.

RESTITI) steti, non consedi, nisi te iubente, & demiror hanc consuetudinem gentis à Brissonio, cum omnia alia narret, præteritam; sicut & illam de lana. Sed hæc humanitas & vrbanitas, Alexandrum apud omnes, & posteritatem omnem commendauit.

CAPVT IX.

ARGVMENTVM.

Pasi-tigrim describit, Alexander Vxios subigit, Madati prætori Vxiorum, deprecante Sysigambe, ignoscit.



PAsi-tigrim incolæ vocant, oritur in montibus Vxiorum, & per M. stadia siluestribus ripis praeceps inter saxa deuoluitur. Accipiunt deinde eum campi, quos clementiore alueo praterit; iam nauium patiens DC. stadia sunt mollioris soli, per quod leni tractu aquarum Persico mari se insinuat. Alexander amne superato cum IX. millibus peditum & Agrianis Satriainisque Græcorum mercenariorum III. millibus, additis M. Thracum, in regionem Vxiorum peruenit. Finitima Susis est, & in primam Persidem excurrit, arctum inter se & Susianos aditum relinquens. Madates erat regionis præfectus, haud sanè temporis ho-

*homo;quippe vltima pro fide experiri decreuerat . Sed periti locorum Alexandrum docent occultum iter esse per calles,& auersum ab vrbe. Si paucos misisset leuiter armatos, super copias hostium euasuros. Cum consilium placuisset , iidem itinerum fuerunt duces M. & D. mercede conducti,& Agriani ferè mille Tauroni præfecto dati, ac post solis occasum iter ingredi iussit. Ipse tertia vigilia castris motis circa lucis ortum superat angustias, cæsaque materia cratibus & pluteis faciendis, vt qui turres admouerent , extra teli iactum essent, vrbem obsidere cœpit. Prærupta erant omnia saxis & cotibus. Multis ergo vulneribus depulsi, vt quibus non cum hoste solum, sed etiam cum loco dimicandum esset, subibant tamen, quia rex inter primos constiterat, interrogans, an tot vrbium victores non erubescerent hærere in obsidione castelli exigui & ignobilis: simul iam * inter hæc eminus petebatur , cum testudine obiecta milites, quem, vt inde cederet, propellere nequiuerant, tuebantur. Tandem Tauron super arcem vrbis se cum suo agmine ostendit; ad cuius conspectum & animi hostium labare, & Macedones acrius prælium inire cœperunt. Anceps oppidanos malum vrgebat, nec sisti vis hostium poterat. Paucis ad moriendum, pluribus ad fugam animus fuit. Magna pars in arcem concessit. Inde XXX. oratoribus missis ad deprecandum , triste responsum à rege redditur, non esse veniæ locum. Itaque suppliciorum quoque metu perculsi , ad Sysigambim Darij matrem occulto itinere, ignotoque hostibus mittunt , qui peterent vt ipsa regem mitigaret, haud ignari parentis etiam loco diligi colique. Et Madates sororis eius filiam secum matrimonio iunxerat, Darium propinqua cognatione contingens . Diu Sysigambis supplicum precibus repugnauit , abnuens deprecationem pro illis conuenire fortunæ in qua esset: adiecitque metuere sese ne victoris indulgentiam fatigaret : sæpiusque cogitare captiuam esse se, quàm reginam fuisse. Ad vltimum victa, literis Alexandrum ita deprecata est, vt idipsum excusaret, quod deprecaretur, petere se vt illis quoque, si minus, sibi ignosceret: pro necessario ac propinquo suo iam non hoste, sed supplice tantum vitam precari. Moderationem clementiamque regis quæ tunc fuit, vel vna hæc res possit ostendere. non Madati modo ignouit, sed omnes & deditos & captiuos libertate atque immunitate donauit , vrbem reliquit intactam, agros sine tributo colere permisit. A victore Dario plura mater non impetrasset.*

*admonēs.

PASI-TIGRIM) Pasitigrim appellat Arrianus ne fallare, non est Tigris ille suprà descriptus, qui cum Euphrate Mesopotamiam efficit, quemque traiecit Alexander cum Darium insequeretur, & ad Gaugamela trans Tigrim acie decertauit . Quamuis nonnulli imperitiores confundant cum Tigri, qui ex Armenijs montibus oritur, cum Pasitigris ab Vxiorum rupibus exiliat. proinde Curtius lib. VI. de industria addit, vocari Pasitigrim ab incolis, ad discrimen alterius . Plinius tamen videtur ab aliorum stare sententia, qui eundem Tigrim dictum Pasitigrim existimat , quod post varia diuerticula aquarum , collectis rursus omnibus riuis, & ad eundem alueum remeantibus, dicatur Pasitigris, quasi tu dicas totus in se collectus Tigris. Strabo de hoc plura . Sed miror, quid Glareanus de mille stadijs Siculi, & quingentis Curtij somniet , cum vterque ad amussim conueniat in cursu Pasi-tigris describendo.

*Strabo li. 15. p. 501. Et Diodorus Siculus p. 540. & 665. qui itũ Tigrim, non Pasitigrim appellat. Arrian. l. 5.

MONTIBVS VXIORVM) Vxiorum duplex est genus; alij plana, alij montana colunt : qui in campis degunt, Persarum Satrapis parent; qui in montibus, libera gens est, & à regibus è Susis in Persidem tendentibus mercedem exigunt. Strabo vectigalia à regibus exacta tradit. Nearchus quatuor populos prædando victitantes numerat, Mardos, Vxios, Elymæos, & Cossæos etiam munera à regibus flagitantes, quorum audaciam Alexander fregit.

Vxij vbi de profectione Alexandri cognouerunt, campestres quidem se statim ei dediderunt, sed montani miserunt qui dicerent, nunquam se passuros ipsum angustias penetrare , nisi penderet ipsis, quantum Persarum reges dependissent: quibus Alexander renunciari iussit, irent & fauces, quas consuessent, insiderent, pecuniamque ibi pendi solitam expectarent . Itaque rectà in illos mouit.

SATRIANI) Satræ Thraciæ populus Hecatæo & Stephano ; vnde Satriani. Est & Satria Italiæ ciuitas, cuius incolæ quoque Satriani , sed hi nihil ad Alexandrum . Dices: Atqui Curtius distinguit Satrianos à Thracibus; sequitur enim , *Additis mille Thracum* . Diuersi ergò Thraces à Satrianis. Sed Mela nodum explicat. *Thraces*, inquit, *vna gens habitans , alijs alijsque præditi nominibus & moribus*. Thrax ergo genus, forma Satrianus: sicut Deasclatæ, Dolongi, Catizi, Thyni , Corpilij, & alij complures, de Agrianis iam suprà dictum.

ARTVM INTER SE ET SVSIANOS ADITVM RELINQVENS) Strabo, Παρεμπίπτει γάρ τις ὀρεινὴ τραχεῖα δυσπαρόδα καὶ ἀνθρώπους λῃστάς . *Nam* inter Susa ac Persidem *montana quadam aspera & prærupta interiacent, & homines latrones.*

MADATES REG. PRAEFECTVS HAVD SANE TEMPORVM HOMO) Planè diuersa narrat Arrianus. Diodorus etiam nihil de Sysigambe deprecante. Ptolemæus tamen Lagi, Arriano teste, mentionem Sysigambis deprecatricis fecit, sed is negauit gratiam tributorum Vxijs factam. Madatem autem Vxiorum prætorem à fide erga Darium egregiè commendat Curtius, quod Dario, quamuis iam tertium profligato, non defecerit, non seruierit tempori, non foro, non fortunæ, sed, quoad potuit, vltima pro fide tentarit. de quo nihil vel Diodorus, vel Arrianus, quamuis ille nomen Madatis edat, & propinquitatem etiam sanguinis cum Dario prædicet.

PERITI LOCORVM) Susij iam in fidem recepti.

PER CALLES) Callis, est semita quasi callo pedum trita & durata, via non regia, non popularis, non publica. nec est quod loco vocis *calles*, *colles* rescribas, quamuis & illa scriptum non sit absurda, sed hæc germana.

AVERSVM AB VRBE) Vxia, vnde Vxij & Vxiani & Vxiana regio.

MERCEDE CONDVCTI) μισθοφόροι, mercenarij.

TAVRONI) Taurohic seu Tauron cætera ignotus, nisi quod infrà lib. 8. cap. 25. rursus huius mentio. Erat inter duces Alexandri.

TERTIA VIGILIA) De vigilijs dictum lib. 3. Tertia vigilia incipiebat media nocte. a.c. hora 12. noctis apud nos, quæ desinebat in secunda exeunte.

*p. 64. SVPERAT ANGVSTIAS) quæ ad vrbem ferebant. Quanquam aliter * Arrianus rem narret, Alexandrum superatis angustijs primo die in Vxiorum vicos venisse, & plerosque Vxiorum adhuc

Siculus p. 541. v. 8. somno pressos ab rege oppressos, alios in montes refugisse. Curtius propius ad Diodorum accedit, qui videndus.

VRBEM) Nemo vrbem præter Curtium appellat, vt legisti apud Arrianum & Diodorum. Strabo Vxiam vocat, nisi per vocem Vxiam regionem intelligat.

COTIBVS) cautibus, ita plostrum & plaustrum, Clodius, & Claudius, copo & caupo, plodere & plaudere, clodere & claudere, aula & olla dicitur; sed non vt Vespasianus Imperator iocatus apud Suetonium Florus, & Flaurus dixit.

SIMVL IAM INTER HAEC) Hunc locum ita emendat Acidalius, Simul admonens iam eminus petebatur; *Quæ præcedunt, hæc, inquit, benè à Modio restituta, hæc ipsa non sanè optimè. Eiecit vocem* admonens *non necessariam, vt ait, ac totam periodum turbantem. Bona verba verò & clementer, ne qua iniuria misero fiat. Eam scioli commentum esse mihi non sit verisimile, glossam potius ista arbitrer* inter hæc. *Nam* simul admonens iam *valet, interea dum admonet, etiam dum milites adhuc instigat. Is particula iam vsus apud Curtium etiam lib. 9.* Ille vt, antequam vltimus spiritus deficeret, dimicans iam extingueretur, clypeo se alleuare conatus est. *pro, dum etiam dimicaret, inter ipsum dimicandum. Apuleius ferè consimiliter lib 6.* Et simul *dicens libellum ei porrigit. Porrò hic artem melius perpellere deinceps sit, etsi nec alterum omnino malum. Sed non quod ferri quoquo modo, verùm quod probari maximè potest, nobis amplectendum.* Optimè hoc vltimum Acidalius *perpellere*, quid enim hic propellere sit, an ad hostem? contra mentem Curtij est, an *repellere*? ἄκυρος. verè *perpellere*; cum enim illum milites hortando, vt retrocederet, dum eminus impeteretur, perpellere non possent, testudine obiecta tuebantur.

Vitr. l. 10. c. 19. TESTVDINE OBIECTA) Testudo duplex est in re militari, altera arietaria, de qua Vitruuius, cuius figuram expressit Stevvechius ad lib. 4. Vegetij cap. 114. Atque de hac machina bellica

Stevv. p. 295. hic non agimus. Altera est, cum miles confertus & scutis vndique tectus vel muros subit, vel tela

Isid. l. 19. Cap. de fundis. sparsa excipit. de qua hic sermo. quam Isiodorus ita definit: *Testudo series armorum vmbonibus inter se connexorum.* Et Idem: *Est & testudo scutorum connexio curuata in testudinis morem.* Et onomasticon, *Testudo connexio scutorum.* nomen ab animali sumtum reor, quod illius similitudinem exprimit testudo militaris, Græcis συνασπισμὸν, quasi diceres *conscutatio*. Enimuerò testudinis militaris

Cap. de Clypeis. L. 1. dial. 5. p. 25. iconismos varios & accuratam descriptionem apud Lipsium spectabis in Poliorcetico. Stevvech. 2. c. 14. ad Veget.

TVEBANTVR) Regem ita Persarum testudine defensum à balistarum ictibus, & sagittarum procella, & imbre, tradit Ammianus lib. 20.

INTERROGANS AN NON ERVBESCERENT) acerba interrogatio, qua rex segnius pugnantem incitabat, cum ipse inter primos dimicaret.

TOT VRBIVM) In Græcia, Caria, Phrygia, Palæstina, Syria, Aegypto, Assyria.

TAVRON) hic præter expectationem capiti hostium imminens, fregit Vxios vel desperarent defensionem, ergo priusquam se dederent, triginta primum oratores mittunt ad regem, quibus, re infecta, redeuntibus, mox per Sysigambim expugnant Alexandrum, iam vt videbatur implacabilem & inexorabilem, cum negaret vllum veniæ locum superesse.

XXX ORATORIBVS) Legatis, quos optimi scriptores Oratores appellant. Virgilius, *Centum Oratores* &c. Sæpius tamen legati, quàm oratores audiunt. Curtius vtrumque nomen vsurpat, sæpius, legatorum.

AD SYSIGAMBIM) Hæc quidem speciosè & magnificè Curtius de liberalitate & clementia

vla erga victos Vxios, quos & vita donatos, & libertate, & immunitate tributorum in gratiam Sysigambis ab Alexandro facta prædicat. Sed contrà Arrianus narrat tributum annuum impositum equos centum, iumenta quingenta, pecudum triginta millia imposita, quod moneta carerent. Diodorus tantùm fugam Vxiorum, & regionis ab rege occupationem memorat, nulla Sysigambis facta mentione. Arrian p. 64.

A VICTORE DARIO PLVRA MATER NON IMPETRASSET.) Imò nec tantùm. Nobile Curtij epiphonema in laudem Alexandri, quod sæpè solet sub finem illustrioris narrationis annectere, quemadmodum poetæ, præsertim epigrammatographi, nec non epici quoque:

Tanta molis erat Romanam condere gentem.

qualia passim occurrunt in Virgilio.

CAPVT X.

ARGVMENTVM.

Persidem petit, regredi cum clade cogitur, alia via intrat. Persidis descriptio, ingressus in regionem, cædes Ariobarzanis.



Xiorum deinde gentem subactam Susianorum satrapæ contribuit; diuisisque cum Parmenione copijs illum campestri itinere procedere iubet, ipse cum expedito agmine iugum montium cepit, quorum perpetuum dorsum in Persidem excurrit. Omni hac regione vastata, tertio die Persidem, quinto angustias (quas illi Susidas Pylas vocant) intrat. Artobarzanes has cum 20. millibus peditum occupauerat rupes abscissas & vndique præruptas: in quarum cacuminibus extra teli iactum Barbari stabant, de industria quieti, pauentibus similes; donec in arctissimas fauces penetraret agmen. Quod vbi contemptu sui pergere vident: tum verò ingentis magnitudinis saxa per montium prona deuoluunt, quæ incussa sæpius subiacentibus petris maiore vi incidebant, nec singulos modò, sed agmina proterebant. Fundis quoque excussi lapides, & sagittæ vndique ingerebantur. Nec id miserrimum fortibus viris erat, sed quod inulti in fouea deprehensi caederentur. Ira igitur in rabiem versa, eminentia saxa complexi, vt ad hostem peruenirent, alius alium leuantes conabantur ascendere. ea ipsa multorum simul manibus conuulsa, in eos qui commouerant, recidebant. Nec stare ergo poterant, nec niti, nec testudine quidem protegi, cum tantæ molis onera propellerent barbari. Regem non dolor modò, sed etiam pudor temerè in illas angustias coniecti exercitus angebat. Inuictus ante eam diē fuerat, nihil frustra ausus: impune Ciliciæ fauces intrauerat: mari quoque nouum iter in Pamphiliam aperuerat: tunc hæsitabat deprehensa felicitas nec aliud remedium erat, quàm reuerti quà venerat. Itaque signo receptui dato densatis ordinibus, scutisque super capita consertis, retro euadere ex angustijs iubet, 30. fuere stadia quæ remensi sunt. Tum castris vndique aperto loco positis, non consultare modò quid agendum esset sed vates quoque adhibere cœpit à superstitione animi. Sed quid tunc prædicere Aristander, cui tum plurimum credebatur ex vatibus, poterat? Itaque damnatis intempestiuis sacrificijs. peritos locorum conuocare iubet. medium iter ostendebant, tutum, apertumque. Sed rex deserere milites insepultos erubescebat, ita tradito more, vt vix vllum militiæ tam solenne esset munus, quàm humandi suos. Captiuos ergò quos nuper exceperat, vocari iubet: inter quos erat quidam Græcæ Persicæque linguæ peritus, qui frustra eum in Persidem montium dorso exercitum ducere affirmat; syluestres esse calles, vix singulis peruios, omnia contegi frondibus, implexosque arborum ramos siluas committere. Namque Persis ab altero latere perpetua montium iugis cluditur, quod in longitudinem M.DC. stadia, in latitudinem CLXX. procurrit. Hoc dorsum à Caucaso monte ad rubrum mare pertinet, quaque deficit mons, aliud munimentum fretum obiectum est. Planicies deinde sub radicibus montium spatiosa procumbit, fertilis terra, multisque vicis atque vrbibus frequens. Araxes amnis per hos campos

campos multorum aquas torrentium euoluit in Medum. Medus à mare ad meridiem
sus, minor amnis eo quem accipit, euehitur. gignendæq; herba non alius est aptior,
alluit floribus vestiens. Platani quoque & populi contegunt ripas, ita vt procul
continuata videantur montibus nemora riparum: quippe obumbratus amnis pro
dilabitur alueo, imminentq; colles ipsi quoque frondibus læti, radices humore sub
non alia tota Asia salubrior temperat cælum: hinc perpetuum iugum opacum & umbros
quod æstus leuat: illinc mare adiunctum, quod modico tepore terras fouet. His captiuus
situ, interrogatur à rege, auditúne an oculis comperta haberet, quæ diceret; pastorem se fu
se, & omnes eas calles percurrisse respondit: bis captum, semel à Persis in Lycia, iterum
ipso. Subit animum regis memoria oraculo editæ sortis: quippe consulenti responsum erat,
cem in Persidem ferentis viæ Lycium ciuem fore. Igitur promissis quanta & præsens nece
sitas exigebat, & ipsius fortuna capiebat oneratum, armari iubet Macedonum more, & quod
bene verteret, monstraret iter, quamuis arduum & præceps, euasurum se esse cum paucis: nisi
fortè crederet, qua ipse pecoris caussa isset, Alexandrum pro gloria & perpetua laude ire
non posse, etiam atque etiam docere captiuus, quàm difficile iter esset, maximè armatis. Tum
rex, Prædem me, inquit, accipe, neminem meorum qui sequuntur, recusaturum ire quà duces.
Cratero igitur ad custodiam castrorum relicto, cum peditibus quis assueuerat, & iis copiis
quas Meleager ducebat, & sagittariis equitibus CIↃ. præcepit, ut castrorum specie manen
te, plures de industria ignes fieri imperaret, quò magis barbari crederent ipsum regem in ca
stris esse. Cæterùm si forte Ariobarzanes cognouisset per callium anfractus intrare, & ad
occupandum iter suum partem copiarum tentasset opponere, Craterus eum illato terrore re
tineret, ad propius periculum conuersurum agmen. Sin autem ipse hostem fefellisset, & sal
*persequi. tum occupasset, cùm trepidantium barbarorum tumultum exaudisset, *relegere id ipsum iter
quod pridie pulsi fuerant, ne dubitaret: quippe vacuum fore hostibus in semet auersis. Ipse
tertia vigilia silenti agmine, ac ne tuba quidem dato signo, pergit ad demonstratum iter cal
lium. Tridui alimenta portare militem iusserat leuiter armatum, sed præter inuias rupes, ac
prærupta saxa vestigium subinde fallentia, nix cumulata vento ingredientes fatigabat:
quippe velut in foueas delati hauriebantur, & cum à commilitonibus alleuarentur, trahe
bant magis adiuuantes, quam sequebantur. Nox quoque & ignota regio, ac dux incertum
an satis fidus multiplicabant metum. Si custodes fefellissent, quasi feras bestias ipsos posse de
prehendi. Ex vnius captiui, vel fide, vel anima, pendere & regis salutem & suam. Tandem
venere in iugum. A dextera iter ad ipsum Ariobarzanem erat. hic Pilotam & Cœnon cum
Amynta & Polypercone expeditam habentes manum reliquit, monitos, vt quia eques pediti
erat mixtus, quà pinguissimum esset salum, & pabuli fertile, sensim procederent. Duces iti
neris de captiuis dati. Ipse cum armigeris & ala quam agema appellabant, ardua semita, sed
longius à stationibus hostium remota, multa cum vexatione processit. Medius erat dies, &
fatigatis necessaria quies; quippe tantundem itineris supererat, quantum emensi erant, sed
minus præcipitis atque ardui. Itaque refectis cibo, somnoq; militibus, secunda vigilia surgit,
& cætera quidem haud ægrè præterit, cæterum quà se montium iugum paulatim demittit, in
genti vorago concursu cauata torrentium iter ruperat. Ad hoc arborum rami alius alio impli
cati & cohærentes, vt perpetuam obiecerant sepẽ. Desperatio igitur ingens, adeò vt vix lacry
mis abstinerẽt, incesserat: præcipuè obscuritas terrori erat. Nam etiã si qua sidera internite
bant, continenti fronde arbores conspicere prohibebant. Ne aurium quidẽ vsus supererat siluas
quatiente vento, quæ concurrentibus ramis maiorẽ quàm pro flatu sonũ edebant. Tandẽ ex
pectata lux, omnia quæ terribiliora nox fecerat, minuit. circuiri breui spacio poterat eluuies,
& sibi quisq; dux itineris cœperat fieri. Euadũt ergo in editũ verticẽ, ex quo hostium statione
conspecta, strenuè armati à tergo se ostendũt, nihil tale metuentibus; quorũ pauci, qui cõgre
di ausi erant, cæsi sunt. Itaque hinc morientium gemitus hinc ad suos recurrentium misera
bilis facies, integros quoq; antea quàm discrimen experirentur, in fugam auertit. Fremitu
deinde in castris quis Craterus præsidebat, illato ad occupandas angustias, in quibus pridie
hæsitarat, miles educitur. Simul & Philotas cum Polypercone Amyntaq; & Cœno diuer
sum iter ingredi iussus, alium terrorem intulit barbaris. Vndique ergo Macedonum armis
fulgentibus, ancipiti malo oppressi, memorabile tamen prælium edunt: vt opinor, ignauiam
quoque necessitas acuit, & sæpè desperatio spei causa est. Nudi complectebantur armatos, &
ingen-

ingenti corporum mole secum ad terram detrahentes, ipsorum telis plerosque fodiebant. Ariobarzanes tamen 40. ferme equitibus, & 5. peditum millibus stipatus, per mediam aciem Macedonum cum multo suorum atque hostium sanguine erupit. Persepolim vrbem caput regionis occupare festinans. Sed à custodibus vrbis exclusus consecutis strenuè hostibus cum omnibus fuga comitibus renouato prælio cecidit. Craterus quoque raptim agmine acto superuenit.

SVSIANORVM SATRAPAE.) Abulitæ, vt suprà.

DIVISIS CVM PARMENIONE COPIIS.) Arrianus diuidit clarius & enucleatius: *Posthac Alexander sarcinas & impedimenta, Thessalosq́ equites, ac socios, & mercenarios exteros, reliquumq́ exercitum grauioris armaturæ cum Parmenione mittit, qui eos in Persam via curribus apta, ducat. Ipse peditatu Macedonum secum sumpto, equitatuq́ sociorum atque equitibus antecursoribus, simulq́ Agrianis & sagittarijs, per montana citatim iter facit.* Arrian p. 65. l. 3.

IVGVM MONTIVM CEPIT.) Inexpugnabilem propè labyrinthum ingressus cum exercitu Alexander, progredi non potuit, regredi non sine rubore, nec sine clade coactus, quod in tota Asiatica & Indica expeditione nunquam illi vsu venit, nisi in his Persidis & Susidis angustijs, faucibus, petris, & pylis vt appellabantur: *hic*, inquit Curtius, *deprehensa illius hæsit felicitas.* Omnia planè & accuratè describit auctor ipse, cuius vestigia legemus & sequemur, & sicubi scrobes, cotes, rupésue occurrent, complanabimus.

QVORVM PERPETVVM DORSVM IN PERSIDEM EXCVRRIT.) Taurum montem potissimum intelligit, qui demum Caucaso committitur. Ita ipse Curtius: *Taurus secunda magnitudinis mons committitur Caucaso, à Cappadocia se attollens Ciliciam præterit, Armeniaq́ montibus iungitur, sic inter se tot iuga velut serie cohærentia perpetuum habent dorsum, ex quo Asia omnia ferè flumina alia in mare rubrum, alia in Caspium mare, alia in Hyrcanium & Ponticum decidunt.* Hæc Curtius. lib 7. c. 5.

Quod flumina ex eodem monte, alia in mare rubrũ, alia in Caspium, Hyrcanicum, & Ponticum incidere dicat, id eò fit, quod alia ex parte Tauri auersa Septentrionem versus oriantur, alia versus Meridiem: Versus Septentrionem omnia in Caspium & cognata maria deuoluuntur; Meridiem versus in mare rubrum, & sinum Persicum Orientem versus incidunt.

OMNI HAC REGIONE VASTATA.) Quæ est inter Vxios & Persidem.

TERTIO DIE PERSIDEM, QVINTO ANGVSTIAS, QVAS ILLI SVSIDAS PYLAS VOCANT, INTRAT.) Duobus ergò diebus per primam Persidem profectus neminem sensit hostem inter obsidentem. Iam quales eæ fuerint angustiæ, fauces & portæ, Curtius duobus verbis ostendit, cùm dicit fuisse *rupes abscissas & vndique præruptas*; duo nempe scopuli prælti haud procul inter se dissiti erant, qui quasi portam per montes efficiebant. Arrianus haud paullò clariùs has portas aperit, docetque qua rupes vtrinque intermissæ erant, portamq́ue aperiebant, fuisse ab Ariobarzane etiam murum ductum, qui rupes committeret. Bartholomæus Facius interpres Arriani, pro quatuor millibus peditum, posuit quadraginta millia, cùm in Græco sit Τετρακισχιλίοις non Τεσσαρακοντακισχιλίοις: veriùs ergo Bonauentura Vulcanius transtulit *quatuor millia.* Deinde intelligis quantum inter se abeant Curtius & Arrianus, cùm hic quatuor millia duntaxat, ille 20. millia peditum Alexandro obiecta ab Ariobarzane scribat. Diodorus 25. millia peditum, equites trecentos Ariobarzanis recenset. Curtius plerunque sequitur Diodorum, Arriano ipse prior.

IN QVARVM CACVMINIBVS.) Petrarum, rupium & scopulo[illegible].totus hic locus è Siculo expressus, *Rex*, inquit Siculus, *portam illam vi se occupaturum existimans, per angusta impeditaq́ loca, nemine molestiam facessente, cum agmine contendit, barbariq́ ad tempus transitum permittunt. Simulac verò postquam ad medias loci difficultates & angustias peruenit, illi cò vires suas expediunt, crebraq́ ingenti pondere saxa deuoluunt: quæ in Macedones præcipitata magnam stragem faciunt. Nec exigua illorum pars, saculu rem desuper è rupibus agere, semperq́ in turba conferta vbicunque tela intenderent, aliquos ferire. Alij missu è manu lapidibus, Macedones, vi perrumpere conantes retropellere. Et quia locorum asperitate aduersi præualebant, magnum numerum occidere, nec minorem sauciauere. Alexander ergo cum tanta cladis atrocitati obsistere non posset, videretq́ ex hostibus non modò non cadere quenquam, sed nec vulnerari: de suis verò plurimos interire, ac fermè omnes in prima acie vulneribus confectos, tubâ receptui signum dedit. Et è faucibus illis retrogressus ad 300. stadia castris locum dedit.* Diod. l. 17. p. 541.

Sed quid est, quod Siculus trecenta stadia regressum, Curtius tantũm triginta remensum dicat? longa locorum intercapedo est trecentorum stadiorum. Trecenta stadia efficiunt nouem milliaria Germanica cum sesquiquadrante; triginta autem, non plenum milliarium. Nullum tamen reor mendum intercedere, eo, quod Curtius tantùm de angustijs loquatur, per quas ad vnum propè milliare est Alexander ingressus; Siculus verò de toto itinere & loco castris in campo delectis.

CILICIAE FAVCES INTRAVERAT.) De his Ciliciæ portis per Taurum montem superatis Curtius lib. 3. c. 9.

MARI QVOQVE NOVVM ITER IN PAMPHILIAM.) De hoc mari Pamphilio & exercitu per id traducto lib.3.c.1.copiosè dictum.

SCVTIS SVPRA CAPITA CONSERTIS.) Facta testudine militari, ne tela ex editiore incidentia læderent exercitum.

ARISTANDER.) Multa passim mentio suprà & infrà huius Aristandri Telmissensis, iam apud Plutarchum & alios.

DEPREHENSA EIT FELICITAI.) Verum, quod iactari solet;

Felicitatis gnata est infelicitas.

Et mirum, non sæpius hæsisse, cum felix eius temeritas vix inueniret modum.

A SVPERSTITIONE ANIMI.) Ergo non vulgus tantùm superstitione regitur, vt est in parœmia. De superstitione plura lib.4.c.24.

MEDIVM ITER.) Per campos & regiam popularemque viam, Græcis λεωφόρον.

——*Medio tutissimus ibis.*

inquit Phœbus apud Nasonem.

SED REX DEIERERE MILITES INSEPVLTOS ERVBESCEBAT.) Vel ex hoc mortalium sensu intelligas παλιγγενεσίαν & corporum ἀνάστασιν futuram, quòd auctor omnis naturæ Deus tantam humano generi curam emortualium, & corporum condendorum ingenerarit. nam vt taceam literarum sacrarum cùm veteris, tùm noui Instrumenti oracula, historiam omnium propè gentium politieam recognoscas licet, omnes gentes, nisi, quæ omnem humanitatem exuerunt, ipsasque immanitate feras superarunt, intelligas cadauerum sepeliendorum, seruandorum, condiendorum, condendorum, cremandorum, cinerum colendorum morem, & habuisse, & retinuisse. De quo hic non declamabo, tantum id ago, quod ad militiam attinet, quanto studio Græci, Latini, Troiani, aliæque nationes eos, qui bello pro patria ciciderant, curarint, funerarint, & coluerint. quod apud Homerum. Iliad. ψ' & ώ. Alexandrum Neap. l.3.c.3. Plutarchum in vita Demosthenis, Panormitanum l.1. de rebus Alphonsi regis, Virgilium 11. Aen. disces. Et hoc est, quod Curtius hic docet, Alexandrum erubuisse insepultos milites deserere, quos tamen repetere non audebat ne hostibus victoriam tribuisse videretur. Sed cùm non ignoraret, nullum tam solenne militiæ munus esse, quam humandi suos, quæsiuit aliam viam corpora suorum recuperandi, per nouam nempe vi-

lib.11. ctoriam alia ratione pariendam. Cæterum Alexander, vt ad Curtium redeamus, ingenti studio suorum semper funera curabat, vt reliquos, inquit Diodorus, ad discrimina faceret huiusmodi honestamentis promptiores.

Hoc autem loco Diodorus planè cum Curtio facit, qui sua ex Diodoro descripsisse videri potest: *Turpe ratus insepultos relinquere mortuos, cùm videret interim si repeteret ab hostibus cadauera, quasi professurum se ab illis victum, omnes captiuos ad se adduci imperauit.*

QVI GRAECAE PERSICAEQVE LINGVAE PERITVS.) Alexander damnatis prioribus consilijs & infelici penetrandi in Persidem conatu, & captiuis viarum peritis non imperitè quærit, qua ratione angustias & Pylas Persidis superare posset; de his enim Aristander vates non plus quam Dauus ad ænigmata Sphyngis poterat respondere. Oblatus est illi Hibrida quidam inter captiuos, cognomento Lycius, patre nempe Lycio, matre Perside natus, vnde & bilinguis, qui Alexandro viam expediuit, quod vti factum est, enarrat ipse Curtius, cuius vestigia legemus.

SYLVEITES ESSE CALLEI.) Eosdemque ita arborum & ramorum inter se implexorum contextu impedito-, vt per explicari nullo modo posit.

Strabo l.15. p.500. NAMQVE PERSIS AB ALTERO LATERE.) Persidem Strabo quoque descripsit, & post hunc

Plin. l.6. c.27. Plinius, Solinus, Ammianus Marcellinus lib.3 Sed parum inter se, & cum Curtio consentiunt. Quicquid est terrarum & montium inter mare Caspium à Septentrione, & sinum Persicum, seu mare rubrum à Meridie, Persidi assignatur. Hodie tractus ille, qui est inter Tigrim, sinum Persicum, Mare Indicum, seu rubrum Indum & Iaxartem, & Caspium mare à Sophis Persiæ regibus possidetur, quam terrarum portionem Agrippa Medis, Parthis, & Persis attribuit.

AB ALTERO LATERE.) à quo? arctico vel meridiano? arctico. Septentrionem versus.

MONTIVM IVGIS.) Tauri & Caucasi.

CIↃIↃ STADIA.) milliaria Germanica propè octo suprà quadraginta.

Astrum. CLXX) Quinque milliaria eoque amplius.

RVBRVM.) Quod hodie Indicum & sinus Persicus & Arabicus dicitur. Strabo triplicem Persi-

* 8000. dis regionem facit, æstuosam & sterilem mare versus; alteram mediam vberem, tertiam montanam & frigidam ad septentrionem. Longitudo ex Eratosthenis sententia ad Caspias portas * IIC. CIↃ. stadiorum est, milliaria nostratia ducenta quinquaginta. Reliqua non est supra duo millia stadiorū, nostratia 62. & semis. Longitudo in mediterranea à Susis Persepolim stadiorum CIↃ. CIↃ. CIↃ. CIↃ. CC. milliaria nostratia centum & vnum supra trigiota. Hinc vsque ad Carmaniæ fines CIↃ. IↃC. milliaria nostratia quinquaginta, & hanc postremam dimensionem accepit Curtius tantùm, quà regio porrigitur in longum.

Hoc

HOC DORSVM.) Ab Occidente ergo ad Orientem per iuga & dorsa montium tendamus; Susis ascendamus, per Persidem transeamus, Carmaniam superemus, Drangianam percurramus, ac tandem in Paropanisum altissimum & asperrimum montem enitamur; qui Ptolemæo Caucasus est, totius Asiæ eminentissimus, glacialis & caluus, de quo infra copiosius. Ad hunc, Larnacem Noachi applicitam ait Goropius in Indo-Scythicis. Hanc montium catenam intelligit hic, quam dorsum appellat Curtius, per quod post terrarum inundationem reliquiæ humani generis in larnace seruatæ paulatim ex Oriente & Paropaniso seu Caucaso ad Babylonem sunt profectæ, seseque tandem in campos demisere & Babylonem condidere. Est enim Caucasus mons Goropio exantiquis id docenti tam longè extensus, vt * Taurum etiam, qui à Pamphylia surgit, ab eodem deriuari dicant, & alios quamplurimos montes ingentes, qui pro diuersitate gentium diuersas sortiuntur appellationes. quos * Plinius vnius Tauri nomine complexus est. Idem Plinius breuius de Persarum regnis, *Namque Persarum regna quæ nunc Parthorum intelligimus, inter duo maria Persicum & Hircanum Caucasijs iugis attolluntur.* Gorop. p. 473. * Taurus ab India ad Pamphiliã vsque pertinet. * Plin. lib. 5. c. 26. p. 205. v. 30.

Strabo clarissimè: *Taurus eam continentem* (Asiam) *mediam ferè cingulis in morem diuidit ab occasu ad ortum porrectus, vnamque eius partem versus meridiem relinquens.* Latus est Taurus sæpè etiam tria stadiorum millia, longitudine (quanta etiam Asiæ est) 45. millium à continente quæ Rhodo opposita est, vsque ad extremitates Indiæ & Scythiæ Orientales. Strabo lib. 11 p. 3. 1.

FRETVM OBIECTVM EST.) Sinus Persicus seu mare rubrum, quod & Sinus Arabicus, mare Indicum.

PLANICIES DEINDE.) Hanc Persidis regionem Strabo mediam & campestrem appellat: *Regio verò vlterior campestris est omnium ferax, & optima pecorum nutrix, fluminibus & lacubus plena.*

ARAXES AMNIS.) Auctor de fluminibus (siue is Plutarchus cui vulgo adscribitur, siue alius) quem ita Latinè intelligo & verto.

Araxes Armeniæ fluuius nomen ab Araxe Pyli filio accepit, qui bellum Arbelo auo super regno fecit, quem cum sagitta traiecisset, furijs agitatus seipsum in Bactrum flumen abiecit, cui (Ctesiphonte lib. 1. Persicarum rerum, teste) nomen dedit. Fuit Araxes Armeniorum rex. Quæ porrò fabulæ de eodem apud Plutarchũ sequuntur, poetis relinquo. Strabo Araxen è Parætanis deducit, & excepto Medo (contrà quã Curtius scribit) per conuallem omnium rerum feracem, & Carmaniæ iunctam defertur. Eustathius ad Dionysij περιήγησιν * Araxen dicit appellatum, quod continuam illic montium terram abrumpat, seu diuidat, vt Peneius amnis Ossan ab Olympo. Obseruandum tamen ab Herodoto Araxen nunc Istro maiorem, nunc etiam minorem dici. Nam Ister Araxe haud dubiè maior est circa ostia, minor circa fontes. Mela graphicè nobis fontes, cursum, & ostia Araxis proponit: *Ex Ceraunijs montibus vno alueo descendit, duobus exit in Caspium Araxes Tauri latere demissus, quoad campos Armeniæ secat, labitur placidus & silens, neque in vtram partem eat, quanquam intuearis, manifestum. Cùm in asperiora deuenit, hinc atque illinc rupibus pressus, & quanto angustior, tanto magis pernix, frangit se subinde ad opposita cautium. Atque ob id ingenti cum murmure sonansque deuoluitur adeò citus, vt quà ex præcipiti casurus est, in subiectam non statim declinet vndam, sed vltra quam canalem habet, euehat plus iugeri spacio sublimis, & aquis pendentibus semetipsum sine alueo ferens, deinde vbi incuruus arcuatoque amne descendit, fit tranquillus, iterumque per campos tacitus & vix fluens, in id littus elabitur.* Hæc Mela, qui nihil de Medo. Solinus cum * Plinio fontes Araxis ex Heniochorum montibus, breuibus ab Euphrate interuallis deriuat, atque in Caspium mare exonerat. Strab. l. 15. ἀράσσω abrumpo. Mela lib. 3. cap. 5. * lib. 6. c. 9.

MEDVS A MARI.) Rara Medi fluminis apud alios scriptores & geographos mentio. Strabo tamen non præterit, quem Araxe excipi affirmat, non Arexen Medo, vt Curtius tradit. Ferri à mari, ait Curtius, ad Meridiem, à Septentrione ergò & Caspio mari. *Minor amnis, inquit, eo quem accipit, Araxes enim maior.* Sed cum à mari in Meridiem fluat, quomodo rursus in Septentrionem versus in Caspium exoneratur? cum enim Araxen excipiat, & Araxes in Caspium delabatur, vbi hæret Medus? Strabonem sequamur, qui Medum in Araxen decidere docet, per quem rursus ad Septentrionem in Caspium deuehitur. Quæ sequuntur apud Curtium de Medo apto ad herbas gignendas, vestiendas ripas, platanos & populos creandos, & quæ ibidem ad Medi laudem ponuntur, omnia rectiùs Araxi adscribuntur.

A MARE.) Etsi reclamantibus ferè Grammaticis in sexto casu Curtius dixerit à *mare*, non à mari seseque tueri possit maiorum authoritate, nam ita Ouidius cecinit in Ibin:

Et summam Lybico de mare carpet aquam.

Ita Atacinus:

Cingitur Oceano, Lybico mare, flumine Nilo,

Ita Plautus:

Dicant in mare Commani captos.

Ego tamen cum Constantiensi MS. & priscis editionibus malim, *Medus ad mare meridiem versus,* &c. Medus enim in montibus Septentrionalibus ortus ad mare Persicum, quod è regione Caspij est, versus, iterumque flexus in Caspium demum delabitur.

PLA-

PLATANVS.) à foliorum latitudine dicta, de quâ mira Plinius lib. 12. cap. 1. vbi vmbram Platani vectigalem fuisse scribit, quemadmodum Michael Paphlago etiam pro cælo & [illegible] gal, teste Harmenopolo, exigebat. Amant fontes, & fluminum ripas, & vina etiam.

* Plin. lib. 37. cap. 2. circa med. POPVLO.) Et populus aquas sitit, & ripas amat, de qua multa Poetæ, qui inde electri lachrymas eliciunt, quas, vt fabulosas, abstersit * Plinius. Græcis λεύκη dicitur, de cuius viribus Dioscorides l. 1. quamuis & nigra sit, vt idem * docet.

* lib. 12. cap. 23. HINC IVGVM OPACVM ET VMBROSVM, ILLINC MARE.) Persis enim & Asia [illegible] tes & mare, quibus vapor solis accensus temperatur. Iugum opacum è Tauro monte, [illegible] percurrente, mare Persicum meridiem versus, Hircanum ad Septentrionem.

Plutarch. p. 2.. cum Arriano. DVCEM VIAE LYCIVM CIVEM FORE.) Idem tradidit Diodorus, qui tamen nihil de Oraculo, sed Plutarcus disertè. Τῆς δὲ Περσίδος οὔσης διὰ τραχύτητα δυσεμβόλου, καὶ φυλαττομένης ὑπὸ γενναιοτάτων Περσῶν (Δαρεῖος μὲν γὰρ ἐπεφεύγει) γίγνεται τινὸς περιόδου κύκλον ἐχούσης οὐ πολλὴν ἡγεμὼν ... δίγλωσσος ἄνθρωπος, ἐκ πατρὸς Λυκίου, μητρὸς δὲ Περσίδος γεγονώς· ὅν φασιν ἔτι παιδὸς ὄντος Ἀλέξανδρον ... Πυθίαν προειπεῖν, ὡς Λύκιος ἔσται καθηγεμὼν Ἀλεξάνδρῳ τῆς ἐπὶ Πέρσας πορείας. *Quum autem Persis ob asperitatem esset aditu difficilis, præsidiumq; haberet delectissimorum Persarum (namque Darius [illegible]) quidam vtriusque linguæ peritus, qui patre Lycio, Perside matre ortus erat (quem Puero etiamnum Alexandro præcinuisse perhibent Pythiam, nempe Lycium ducem Alexandro itineris in Persas fore) modico circuitu duxit in Persidem.*

ORACVLO EDITAE SORTIS.) Plutarchus, vt iam legisti, Pythiam respondisse prodidit. Iam de Pythia, quæ fuerit, quæris? Delphis anicula tripodi insidens, & afflatu dæmonis instincta consulentibus respondebat. de cuius origine copiosè Diodorus lib. 16. Bibliothecæ ἐπεὶ δὲ τοῦ χρηστηρίου

pag. 524. ad lib. oram. μνήσθην, &c. locus est prolixus, ad quem te remitto. Planius tamen & plenius omnia de eadem

Aliàs pag. 417. Pythia ex plurimis sacris & prosanis scriptoribus Gyraldus syntagmate 7. historia Deorum. Hic nihil attinet hæc iterare, cum strictim ex Plutarcho tantum Pythiam attigerim. cæterum historia

p. 522. de Pythia est permira.

ARMARI MACEDONVM MORE.) Galeâ ex crudo bouis corio, thorace seu lorica trilici, ocreis, scuto, gladio, pugione, hastâ, vti leuis armaturæ miles solebat, ad iter præsertim accinctus. Phalangitæ etiam sarissas ferebant; sed illæ ad calles syluestres & impeditos ineptæ. Stevvechius leuis armaturæ nomine tantum gladium & pugionem interpretatur. Sed armatos fuisse Macedones, qui cum rege per auia & inuia incesserunt, ostendit ipse Curtius, quando infrà subijcit: *Strenuè armati se à tergo ostendunt nihil tale metuentibus.* & de Philippo Lysimachi fratre, *Nobiles iuuenes comitari eum soliti defecerant, præter Philippum; Lysimachi erat frater tum primum adulescens, & quod facilè appareret, indolis raræ. Is pedes, incredibile dictu, per quingenta stadia vectum regem comitatus est, sæpè equum suum offerente Lysimacho, nec tamen vt digrederetur à rege effici potuit, cum lorica indutus arma gestaret.* Audin? loricatus pedes Alexandrum equitem per quindecim milliaria Germanica & amplius, semis, per arduum & impeditum saxis iter, alijs propè omnibus iam defectis, secutus est. Ita & per Sulidas petras Macedonico more armati Alexandrum comitati sunt, & nouus etiam ex pastore miles Macedonico ornatu armatus.

ALEXANDRVM PRO GLORIA) *Inuia, nempè, virtuti nulla est via.* Et:

Virtute quamuis res sit expugnabilis:

gloria virtutis.

Τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν.

Ardua petit iuxta virtus & gloria.

PRAEDEM ACCIPE.) Ineptè vulgò, *præsidem me accipe.* Cæterùm aliud præs est, aliud vas, aliud fideiussor, aliud sponsor, aliud manceps, de quibus Iureconsultos consulas. Præs à prædijs, quæ pro altero oppignerat, dictus; est propriè qui satisdat Reipubl. se præstiturum pro altero, si fallat. Hic impropriè pro sponsore generarim accipitur.

CRATERO.) Princeps inter principes & carissimos Alexandro, ita vt Hephæstio diceretur φιλαλέξανδρος, Craterus φιλοβασιλεύς. Multa de hoc infrà suo loco.

QVAS MELEAGER DVCEBAT,) Pedestres intellige. Et hic inter magnos duces Alexandri, qui Perdiccæ postea fraude perijt, vt extremo libro docebitur.

PLVRES IGNES.) Hoc consilium Alexandri Frontinus contulit in librum secundum stratagematum cap. 5. quod est de insidijs. Huius generis stratagemata plura apud Liuium & Romanis in historijs leges, vt de Crasso contra fugitiuos pugnante, ex ipso Liuio Frontinus quoque eodem cap. ostendit.

SAGITTARIIS EQVITIBVS.) ἱπποτοξότας appellat Arrianus, qui ex equis sagittas iaciant.

PER CALLIVM ANFRACTVS INTRARE.) Editiones veteres, *per callium anfractus eum intrare,* MSS. *eum* expungunt. sed oratio plena non est, Cæterùm, si forte Ariobarzanes cognouisset per callium anfractus intrare? quem? inquies; Alexandrum vtique, sed Alexander ipse hic loquitur, & quamuis seipsum intellexerit, non est ita locutus. nec dixit *se* Curtius, quod esset ambigua oratio, vox enim *se* de Ariobarzane & Alexandro accipi poterat. Nec *eum* conuenit, si, inquit Alexander, Ari-

Ariobarzanem, hoc est *se*, Alexandrum inquam, intrare. quis talis loquatur eum pro se. Itaque recte sublatum iudico, quod de Alexandro satis intelligi ex praecedentibus cernis, & mox subiectis, *& ad occupandum iter suum*, & quae sequuntur.

CVM TREPIDANTIVM BARBARORVM TVMVLTVM EXAVDISSET.) Benè Modius castigauit, & quae in vulgaribus sequuntur, *persequentium regem* sustulit, est enim verè ineptum glossema, quamuis etiam MSS. ead. inculcent.

RELEGERE IDIPSVM ITER.) Veteres editi: *id ipsum iter quo pridie pulsi fuerant, ne dubitaret ingredi*. Acidalius locum hunc totum ita emaculat: *cum trepidantium barbarorum tumultum exaudisset, relegere idipsum iter, quo pridiè pulsi fuerant, ne dubitaret*. placet illud *relegere*, sed nec Modianum *persequi*, nec vulgare *ingredi* reijciendum, cum non constet quod posuerit Curtius.

DEMONSTRATVM ITER CALLIVM.) Ab Lycio duce itineris.

TRIDVI ALIMENTA.) Nihil hoc est, tridui alimenta portare militem, Stevvechium ad capitis 19. libri primi illa Vegetij verba consule: *Necessitas imminet, annonam pariter & arma portandi. Vtrumque onus*, inquit, *subeundum militibus fuit in expeditionibus arduis, sed Ciceronem audi: Nostri exercitus vnde nomen habeant, vides. deinde qui labor, quantus agminis, ferre plus dimidiati mensis cibaria, ferre, si quid ad vsum velint, ferre vallum. nam scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant, quàm humeros, lacertos, manus; arma, etiam membra milites esse ducunt. quae quidem ita geruntur aptè, vt si vsus foret, abiectis oneribus, expeditis armis, vt membris pugnare possint*; Tusculana secunda. *Si quis vero Ciceroni, quasi in scholis philosophicis hac de re disputanti fidem derogare ausit; aliud testimonium ex ipsa historia accipiat. Ammianum historiarum lib. 17. Tutum*, inquit, *ex annona decem & septem dierum, quam in expeditionem pergens vehebat ceruicibus miles*. Veger. lib. 1. cap. 19.

Sed enim nec hoc mirandum. vsu venit vt triginta dierum, & totius mensis cibaria suis humeris ferre cogerentur, quod plurium auctoritate confirmat Lips. Dial. 11. lib. 5. de militia Romana, vbi super hac re plurima cum iconibus, militum arma, vallum, armorum ferentium cognoscis.

NISI CVSTODES FEFELLISSENT.) In editione Modiana contra Modij & Curtij mentem apparet haec scriptura, *Si custodes*, pro *nisi*. *Vt istos typographicos operas*, inquit Modius, *magnus perdat Iupiter, qui tam negligentes sunt in exprimendo ad eum modum libro, qui ipsis praeitur. eccere, correxeram huic locum hoc modo, Nisi custodes fefellissent, quasi feras bestias ipsos posse deprehendi. hic illi mihi si dis placet, pro nisi, si excuderunt, contraria planè sententia ab eo, quod ducere vult Curtius, & res postulat*. Sed enim exclamat hic Priscianus, & se graue vulnus à Modio accepisse quiritatur, aitque ita persanandus aliorum vulnera, ne ipse interim grauiter vulneretur, negatque typographicos, sed typographicas muliebri genere *operas* dici contestatur. nisi & hic Modius lapsum hunc duplicem miseris etiam & laboriosis grammatothetis velit assignare.

NISI CVSTODES FEFELLISSENT.) Custodes, Ariobarzanis excubias in saltu & aditu positas.

INVIAS RVPES.) Summam saltus superandi difficultatem à multis peristasibus explicat, cautes sine calle & nullius tritas solo, saxa, praecipites scopulos, in quibus ne pes quidem figi poterat, foueas, scrobes, noctem, ignota & senta loca, ducem incertae fidei, tacet interim Curtius arma, onera, cibaria, quae omnia tantum non in vltimam desperationem conieccre militem.

QVASI FERAS BESTIAS POSSE DEPREHENDI.) Suprà hoc ipso capite: *Sed quod multi ferarum ritu veluti in fouea deprehensi caderentur*. Vna rem vix hic capio: cùm pedites aegerrimè ex his locorum tesquis & rupibus eniterentur, quomodo equites fuerint hic vsui. Videtur Curtius non sine auxeli inuium iter prorsus inexplicabile reddidisse, praesertim equiti, qui mixtus erat pediti; vt ipse Curtius mox ostendit.

TANDEM VENERE IN IVGVM.) Tandem euasere ex angustijs in dorsum montis, è cuius regione dextra, Ariobarzanes armatus fauces obsidebat.

DVCES ERANT ITINERIS.) Vocem *erant* veluti redundantem inductam vellet Acidalius, sed non videtur otiosa, & libri omnes editi, inediti seruant.

QVAM AGEMA APPELLABANT.) Regredere ad cap. 32. lib. 4. illa verba, *quos agema appellabant*, vbi de agemate exertè disputatum.

IPSE) Alexander inter primos semper asperrima quaeque secutus alijs exemplum praeibat, vt nemo auderet tergiuersari, aut regem deserere.

SECVNDA VIGILIA) hora noctis quarta ineunte.

INGENS VORAGO ITER RVPERAT.) Interpolarat, abraserat, vt esset planè inuium, eoque circumeundum, sed id per noctem fieri non poterat, cum caeca omnia, si progrederentur, in ipsam eluuiem & voraginem deferendi erant. Interim obseruanda elegans haec itineris inexplicabilis descriptio, quales non paucas habet Curtius.

ARBORVM RAMI ALIVS ALIO IMPLICATI.) Hoc Lycius prædixerat supr... *calles, vix singulis peruios, omnia contegi frondibus, & implexos, arborum ramos siluas continuent*...

EVADVNT ERGO.) Tandem superatis omnibus difficultatibus victores locorum... uiùs quàm ab vllo hoste vexabantur, verticem obtinuére, & simul hostem vicére. Alexand... pum, seu arcum, seu absidem erexit, in qua victorem secuturum admonuit de læuo... quendo, dextro velut inuio vitando. Extat inscriptio in vita S. Macarij Romani apud Ro... vitæ Patrum p. 226. ABSIDAM ISTAM FECIT ALEXANDER PHILIPPI MACEDO... PERATOR, QVANDO PERSECVTVS EST DARIVM REGEM PERSARVM. QVI TE... HANC INGREDI VOLVERIT, AD MANVM SINISTRAM VADAT. AD DEXTER... ENIM TERRA INVIA ET RVPIBVS ET ANGVSTIIS EST PLENA. Hanc e Græco... latam nemo dubitabit, qui auctores vitæ, nō interpretes legerit. Demiror Græcos scriptores... Alexandri cum scopulis & rupibus lucta præ Curtio fuisse tam steriles, siccos, & ieiunos. Ac... Diodorum quem potissimùm imitari solet, imò plerunque superare Curtius: ὁ δὲ βασιλεὺς μεγάλαις δωρεαῖς ἐκεῖνον ἐπαγγειλάμενος τὸν ἄνδρα, τοῦτον ἡγεμόνα λαβὼν διῆλθε ... πολλὴν μὲν κατανίφας χιόνα, πάσας δὲ κρημνώδη χώραν περιελθὼν, χαράδραις βαθείαις καὶ πολλαῖς ... μένων. *Res ingentia viro præmia pollicitus, duce illo, per noctem montium iuga, quamuis magno cum labore superat. Ingens enim copia niuium calcanda fuit, & per regionem saxis præruptis, voraginibusq; profundis & crebris vallibus interruptam, transeundum fuit.*

Arrianus vno propè versu rem absoluit; αὐτὸς δὲ ἤει ὁδὸν χαλεπὴν καὶ τραχεῖαν, καὶ ταύτην δρόμῳ τὸ πολὺ ἦγε. *Ipse viam difficilem asperamq; persequitur, eamque magna ex parte cursu peregit.* Plutarchus etiam tantùm viam difficilem affirmat, non explicat.

HOSTIVM STATIONE.) Diodorus & Arrianus triplicem numerant stationem hostium... alteramque, post alteram expugnatam.

IN CASTRA.) Tribus simul locis Ariobarzanes oppugnatus est à tergo ab Alexandro, à Cratero à fronte, à Philota, Polyperconte, Amynta, & Cœno ab latere, quo factum vt territus ipse quoque Ariobarzanes fugæ locum quæsierit, qui tamen mox redintegrato prælio interemptus est.

IGNAVIAM QVOQVE NECESSITAS ACVIT.) Verus est Iambus:

Necessitudo vel timidos fortes facit.

petitus è Sallustio, apud quem ita Catilina ad deploratam suam manum: *Cùm vos considero, milites, & cum facta vestra æstimo, magna me spes victoriæ tenet, animus, ætas, virtus vestra, quæ etiam timidos fortes facit.* Verus etiam Euripides:

cap. 59.

Δεινῆς ἀνάγκης οὐδὲν ἰσχύειν πλέον.

Dura necessitate nihil est fortius.

DESPERATIO SPEI CAVSSA EST.) Virgilius:

Vna salus victis, nullam sperare salutem.

Qui nihil sperat, nihil desperat.

2. Æn.

Vegetius: *Clausis ex desperatione crescit audacia.* in quàm sententiam multa militaria facinora collegit Frontinus.

NVDI COMPLECTEBANTVR ARMATOS. (quod verbo dixerat, ostendit exemplo, desperatis summam inesse audaciam. Ita Persæ multos ex hostibus, ipsorum telis conficiebant.

Veg. l. 3. c. 21.

ARIOBARZANES XL. FERME EQVITIBVS.) Diodorus & Arrianus numerum non exprimunt, nisi quod Diodorus maximam partem exercitus Ariobarzanis cæsam, & Arrianus eundem cum paucis in montes refugisse dicat. de cæde ipsius neuter.

Front. lib. 2. c. 6.

PERSEPOLIM VRBEM.) Hæc est illa inclita & toto orbe decantata Persepolis, regia Persidis, Cyri opus & sedes regum Persarum, qua nulla fuit infestior Græcis & omni Europæ. Hinc immensa copiarum agmina in Græciam effusa, hinc Darius Hystaspis, deinde Xerxes Europæ bellum impium intulit. Fuit Ciuitas ipsa & ædificiorum magnificentia, & diuitiarum copia, & ciuium splendore nobilissima & clarissima. Sed nihil supra arcem & regiam fuit, quam infra capit. 15. ex Diodoro describemus.

CA-

CAPVT XI.

ARGVMENTVM.

Persepolim properat Alexander, cuius mira celeritas ab auctore prædicatur.



Rex eodem in loco, quo hostium copias fuderat, castra communit. Quamquam enim vndique fugati hostes victoriam concesserant, tamen præalta præcipitesque fossæ pluribus locis obiectæ abruperant iter, sensimque & caute progrediendum erat, iam non hostium, sed locorum fraude suspecta. Procedenti ei literæ redduntur à Tyridate custode pecuniæ regiæ, indicantes eos, qui in vrbe essent, audito eius aduentu diripere velle thesauros: properaret occupare thesauros ditissimos, expeditum iter esse, quamquam Araxes amnis interfluat. Nullam virtutem regis istius, quàm celeritatem laudauerim: relictis pedestribus copiis, tota nocte cum equitibus itineris tanto spacio fatigatis ad Araxem prima luce peruenit. Vici erant in propinquo, quibus dirutis, pontem ex materia eorum subditis saxis strenuè induxit.

LOCORVM FRAVDE.) hostium ἀποφθέγματα. fraus enim non cadit, nisi in hominem, & humani generis hostes Stygios genios: nam cælestes non fallunt. Poterant tamen & loca esse suspecta ab hostibus ad perniciem aliorum comparata & instructa, cum sæpè in pontibus, siluis, campis, montibus fiunt, quando scrobes fodiuntur, murices & stimuli, tribulique & pali defodiuntur.

A TYRIDATE.) Gazophylace, quem præfectum ærario, tribunum ærarium, vulgò thesaurarium appellant; huic gratiam retulit infrà Alexander. Diodorus eundem celebrat Tyridatem. Est & alterius cuiusdam Tyridatis mentio apud Curtium, diuersi opinor ab isto.

ARAXES.) Dictum de hoc suprà. abfuit ab vrbe Persepoli non nisi XX. stadijs paulò plus dimidio milliario Germanico. cap. 4

NVLLAM VIRTVTEM REGIS ISTIVS, QVAM CELERITATEM LAVDAVERIM.) Ita MSS. vulgò, nullam virtutem regis istius *magis*, quam, &c. Illud *magis* imperiti glossema est meritò ab Modio inductum. Cæterùm in celeritate itinerum conficiendorum nullum ex omni memoria antiquitatis & posteritatis Alexander habuit parem, præter Iulium Cæsarem, cui plerunque etiam celeritas peperit victoriam, vt verum sit, quod Vegetius pro oraculo dixit, *quia in rebus bellicis celeritas amplius solet prodesse, quàm virtus*. Cicero in epistolis, Cæsaris commendat celeritatem, quando dicit rigas illud est incredibili celeritate. Vnde eius dictum Veni, vidi, vici. hostis contrà; Veni, vidi, fugi.

Cum mora non tuta est totis incumbere remis
Vtile, & admisso subdere calcar equo. Ouid. de arte.

Lucanus:

Pelle moras, semper nocuit differre paratis. lib. 1. Parsal.

Celebrat & Arrianus incredibilem Alexandri celeritatem lib. 3. Aelianus eandem prædicat: Ἀλέξανδρος ὁ Φιλίππου τετρακοσίους σταδίους ἐφεξῆς μεθ' ὅπλων ὁ δορυφόρης συμβαλὼν τοῖς πολεμίοις πρὶν ἀναπαῦσαι τὸ στράτευμα ἐκράτησε τῶν ἐχθρῶν: *Alexander Philippi ter quadringenta stadia continuo itinere armatus confecit, & antequam quietem caperet exercitus, cum hostibus congressus eosdē vicit.* Hæc lib. 10. c. 4 Ael. quadringenta stadia conficiunt nouem nostratia milliaria fermè cum triente. Illud Sixtus ter, accipe pro diuersis temporibus. Extat Alciati emblema 3. in Alce & Alexandri celeritate:

Alciata gentis insignia sustinet Alce,
Vnguibus & μηδὲν fert ἀναβαλλόμενος.

Constat Alexandrum sic respondisse roganti,

Qui tot obiisset tempore gesta breui?
Numquam inquit, differre volens, quod & indicat Alce:
Fortior hac dubites, ocyor anne siet.

Ad quem locum plurima Claudius Minos, quem videbis.

INDVXIT.) Ponte iunxit, strauit Araxen.

MATERIA.) Materiam vbique scriptores veteres vsurpant pro lignis ad ædificia, pontes, turres, adhibitis, cuiusmodi sunt arbores trabes, tigna, trunci.

CAPVT XII.

ARGVMENTVM.

Græci mutili & captiui petunt agrum ab Alexandro.



*Amque haud procul vrbe erant, cùm miserabile agmen inter pauca fortunæ exempla memorandum regi occurrit. Captiui erant Græci ad quatuor ferè millia, quos Persæ vario suppliciorum modo affecerant. Alios pedibus, quosdam manibus auribusq; amputatis inustisq; barbararum literarum notis in longum sui ludibrium reseruauerant, & cùm se quoque alienæ ditionis esse cernerent, volentes regi occurrere, non prohibuerant. Inusitata simulacra, non homines videbantur, nec quicquam in illis præter vocem poterat agnosci. Plures igitur lacrymas commouere, quàm profuderant ipsi: quippe in tam multiplici variaq; fortuna singulorum intuentibus similes quidem, sed tamen dispares pœnas, quis maximè miserabilis esset, liquere non poterat: omnes pars supplicio affecti sibi videbantur. Vt verò Iouem illi tandem Græciæ vltorem, aperuisse oculos conclamauere, rex abstersis quas profuderat lacrymis, bonum habere animum iubet, visuros vrbes suas coniugesq;: & castra inde duo ab vrbe stadia communit. Græci excesserant vallo, deliberaturi quid potissimum à rege peterent. cumque alijs sedes in Asia rogare, alijs reuerti domos placeret, Euctemon ita locutus ad eos fertur: Nos, qui modò etiam ad opem petendam ex tenebris & carcere procedere erubuimus, vt nunc est, supplicia nostra, quorum nos pudeat magis an pœniteat, incertum est, ostentare Græciæ velut lætum spectaculum cupimus? Atqui optimè miserias ferunt, qui abscondunt: nec vlla est tam familiaris infelicibus patria, quàm solitudo & status prioris obliuio. Nam qui multum in suorum misericordia ponunt, ignorant, quàm celeriter lacrymæ inarescant. Nemo fideliter diligit, quem fastidit. nam & calamitas querela est, & superba felicitas. Ita suam quisque fortunam in consilio habet, cùm de aliena deliberat: nisi mutuò miseri essemus, olim alius alij potuissemus esse fastidio. Quid mirum est, fortunatos * semper parem quærere? Obsecro vos, olim vita defuncti, quæramus locum in quo hæc semesa membra obruamus. Ingrati prorsus coniugibus quas iuuenes duximus, reuertemur. Liberi in flore & ætatis & rerũ patresq; agnoscent ergastuli * detrimenta? & quota pars nostri tot obire terras potest? Procul Europa in vltima Orientis relegati, senes, debiles, maiore membrorum parte multati, tolerabimus scilicet, quæ armatos & victores fatigarunt. Coniuges deinde quas captis fors & necessitas vnicum solatium applicuit, paruosq; liberos trahimus nobiscum an relinquimus? Cùm his venientes nemo agnoscere volet. Relinquemus ergò præsentia pignora, cùm incertum sit an visuri simus illa quæ petimus? Inter hos latendum est, qui nos miseros esse cœperunt. Hæc Euctemon: contrà Thætetus Atheniensis orsus est dicere: Neminem pium habitu corporis suos æstimaturum, vtique sæuitia hostis, non naturæ calamitosos. Dignum esse omni malo, qui erubesceret fortuita. tristem eum de mortalitate ferre sententiam, & desperare misericordiam, quia ipse alteri denegaturus sit. deos (quod ipsi nunquam ausi forent optare) offerre patriam, coniuges, liberos, & quicquid hominès vel vita æstimant, vel morte redimunt: quin illi ex hoc carcere erumperent. Alium domi esse cæli haustum, alium lucis aspectum. Mores, sacra, linguæ commercium, etiam à barbaris expetita, quæ ingentia ipsi omissuri sint sua sponte, non ob aliud iam calamitosi, quàm quòd illis carere coacti essent; se certè rediturum ad penates, & in patriam, tantoque beneficio regis vsurum. si quos contubernij liberorumq;, quos seruitus coëgisset agnoscere, amor detineret, manerent: reliquis quibus nihil patria carius est. Pauci huius sententiæ fuere: cæteros consuetudo natura potentior vicit. Consenserunt petendũ esse à rege, vt aliquam ipsis attribueret sedem, Centum ad hoc lecti sunt, quos Alexander ratus, quod ipse præstare cogitabat, petituros, Iumenta inquit assignaui, quæ vos veherẽt, & singulis vestrũ mille denarium dare iussi. Cùm redieritis in Græciam, præstabo, ne quis statum suum, si hæc calamitas absit, vestro credat esse meliorem.*

* sibimet.

* detrimenta.

Illi

Illi oberius lubrisque terram intuebantur, nec aut erigere vultus, aut loqui audebant. Tandem regem tristitia causa mexigente, Euctemon similis ijs qui in consilio dixerat, respondit. Atque ille non fortuna solum eorum, sed etiam pænitentia. compertus, terna millia denarium singulis dari iussit. Denae vestes adiectæ sunt, & armenta cum pecoribus ac frumento data, vt coli serique attributus ijs ager posset.

Hoc caput totum ex Diodoro petitum videri potest, nisi quod more suo omnia amplificat Curtius. Siculum lector ipse, quia longior, hic consulere potest.

FORTVNAE.) Status vitæ humanæ & casus miserandi, fortunæ aduersæ & afflictæ.

QVATVOR MILLIA.) Siculus non nisi octingentos recenset. Magnum discrimen inter quatuor millia & octingentos. Apud Plutarchum & Arrianum nulla horum mentio. Iustinus cum Diodoro octingentos numerat.

ALIOS PEDIBVS.) Fermè solenne hoc Persis corpora captiuorum truncare, extremaque præcidere. supra lib. 3.* noster Curtius de Darij immanitate, cum Græcos quosdam in Cilicia excepisset. *Nam etiam saucij quidam & inualidi, qui agmen (Alexandri) non poterant persequi, excepti erant, quos omnes instinctu purpuratorum barbara feritate sæuientium, præcisis adustisque manibus circumduci, vt copias suas noscerent; satisque, omnibus spectatis nunciare, qua vidissent, regi suo iussit.* Diodorus ἠκρωτηριασμένοι δὲ πάντες, οἱ μὲν χεῖρας, οἱ δὲ πόδας, οἱ δὲ ὦτα καὶ ῥῖνας. *Omnes mutilati ita, vt alijs manus, alijs pedes, nonnullis aures & nares amputatæ essent.* * cap. 14. Diod. l. 17. pag. 542.

INVSTISQVE BARBARARVM LITERARVM NOTIS.) Mos notandi frontes & inurendi non Persis tantum & barbaris vsurpatis, sed Græcis etiam & Romanis vsitatus. Multa nos passim de stigmatijs ad Martialem. Lipsius Electorum lib. 2. c. 15. plurima de eodem argumento.

ALIENAE DITIONIS.) Obserua & disce latinè loqui. Abutuntur barbari hac voce, & pro loco, regione, prouincia adhibent; cùm qui eleganter loquuntur, intelligant ius & iurisdictionem. alienæ enim hic ditionis, valet, quod dicunt non sui iuris, sed alijs subiectus. Ita dicimus prouinciam, regnum, suæ ditionis fecit, sibi subiecit, in suam potestatem redegit. Græci ergo captiui, cum in Persarum potestate essent, Alexandri tamen adeundi copiam impetrarunt.

INVSITATA SIMVLACRA.) Monstra hominum, non homines, laruæ, vmbræ, spectra, ob deformatam faciem auribus naribusque carentem & stigmatis fœdatam.

PLVRES LACRYMAS COMMOVERE.) Quia ipsi iam diu suam calamitatem tulerant, spectarant, deplorarant, alios ad lacrymas commouere, quibus primùm illa corporum prodigia ad spectaculum oblata.

SIMILES QVIDEM, SED TAMEN DISPARES POENAS.) Omnes deformes & mutilati, sed alius alio modo, cùm hic pedibus, ille manibus, alius naribus, auribus alter multatus esset, omnes tamen pari sibi supplicio affecti videbantur. Huc enim illa Curtij verba infrà post illud *conclamanere posita, iudicio etiam Acidalij* pertinent, quæ ibi nullum habent locum.

Siculus: Τῶν δὲ ἐπιστήμας ἢ τέχνας εἰδότων, καὶ ἐν παιδείᾳ προκεκοφότων τὰ μὲν ἄλλα τῶν ἀκρωτηρίων ἀπολωλότα, αὐτὰ δὲ μόνα τὰ συνεργοῦντα πρὸς τὰς ἐπιστήμας ἀπολελοιπότα, ὥστε πάντας ὁρῶντας τὰ τῆς ἡλικίας ἀξιώματα, καὶ τὰς περικοπὰς τὰ σώματα συμφορᾶς, ἐλεεῖν τὰς ψυχὰς τῶν ἀκληρούντων. *Si qui scientiam aut artem aliquam callerent, inque disciplina progressus fecerant, cætera membrorum extremorum resecta, ea tantum reliquerant, qua ad exercendam artem fecerent. Omnes igitur qui & prouecta ætatis dignitatem & corporum supplicia intuebantur, afflictissimorum hominum animas misericordia prosequebantur.* Siculus pag. 543.

IOVEM GRAECIAE VLTOREM.) Ἀμύντωρ Vltor Iupiter dictus, quod sceleratorum impia facta vlcisceretur, sicut & Mars vltor. Tradit Plinius ab Agrippa fanum Pantheon Ioui vltori coo-ditum. Plin. l. 36. c. 15.

APERVISSE OCVLOS.) Cùm tot annis cœcus videretur, cùm tam diu Græcos à Persis vinci, premi, cruciari passus est. Tum aperit numen oculos, cum flagitia hominum per supplicia punit, terram quatit, sidera crinita & minacia per cœlum ostendit, aquarum eleuiones, bella, famem, pestilitatem immittit. *Aspiciunt oculis superi mortalia iustis.*

ἔχει δίκης ὀφθαλμὸς, ὃς τὰ πάνθ' ὁρᾷ.

ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα.

Vbi tardiùs punit, tarditatem grauitate supplicij compensat, vt Iulius Cæsar & scripsit, & sensit.

REX ABSTERSIS, QVAS PROFVDERAT, LACRYMIS.) Diodorus. ὥστε μάλιστα δὲ αὐτὸν τὸν Ἀλέξανδρον συμπαθῆ γενέσθαι τοῖς ἀτυχήκόσι, καὶ μὴ δύνασθαι κατασχεῖν τὰ δάκρυα. *Maximè verò Alexander vicem miserorum doluit, vt nec lacrymas continere potuerit.* pag. 543.

DVO STADIA.) Proximè vrbem Persepolim superato iam Araxe, vix extra teli ictum, ducentis nempe quinquaginta passibus ab vrbe.

GRAECI EXCESSERANT VALLO.) Captiui Græci, vt in medium ponerent consilia, excastris tantisper egressi sunt. Promiserat enim rex se illos in patriam ad coniuges & liberos remissurum; qua super re, quid sibi potissimum expediret, consultandum putarunt, quod extra castra commodius

modius erant facturi. Extrema sententia fuit, plurium, adeoque propè omnium, agrum in P
petendum, nec domum remigrandum, quod ob fœda corporum vulnera, semesa membra
turi viderentur coniugibus & cognatis. Deliberationis consilia sunt plena optimis & acutis
dictis, & sententijs. Hypothesis est, redeundumne sit cum Alexandro, an in Perside remanendum
Euctemon dissuadet reditionem, Theætetus suadet. Euctemonis oratiuncula est artificiosa,
cuius argumenta hæc sunt: Qui erubuimus hic ad Alexandrum in publicum prodire, quomodo
erubescemus coràm tota Græcia apparere, pudet nos & pœnitet multatorum suis membris
rum, quod nos capi passi simus, & non potius in acie fortiter pugnando ceciderimus. Pulchrum
enim fuisset pulchram per vulnera mortem oppetere, quàm cum tanta ignominia superstites viuere.
Præterea, infelicibus & miseris adeoque fœdatis & mutilatis nihil gratius est, quam latere & obl
uisci prioris fortunæ. Misericordia deinde aliorum statim consumitur. Semicadauera sunt fastid
fœlicibus, miseri semper quiritantur, felices miseros fastidiunt, pares cum paribus congregantur,
felices cum felicibus, integri cum integris, pulchri cum pulchris, formosi cum formosis; nos mōst
& prodigia hominum, auribus, naribus, pedibus, manibus truncatos nemo diu feret. Et nos ipsi nisi
omnes miseri essemus, alius alium non ferret. Itaque qui partem corporum nostrorum iam ante hac
sepeliuimus, sepeliamus etiam reliquam. Dicet: coniuges nos & liberi desiderant. Quomodo hoc?
Illæ alios maritos, filij coniuges, nos ipsi alias vxores duximus, & liberos alios creauimus. Vtrique
odio erimus, his quos relinquemus, & illis qui iam alienis nuptijs illigati, neque nos admittent, nec
ob oris aut corporum fœditatem agnoscent: isti ægrè carebunt. maneamus ergo in Perside.

Omne solum forti patria est, vt piscibus æquor.

PVDEAT MAGIS AN POENITEAT.) Pudet enim nos simul & pœnitet truncorum corporum
& deformis formæ; sed vtrum magis, incertum est, sunt enim æquè pœnitenda, quàm pudenda.

OSTENTARE.) Fortasse præstitisset nos in acie magis cadere, quàm tali fortuna & calamitate
vti, & viuere, id quod nobis obijci à popularibus posset, mortem præoptandam tali fuisse vitæ.

QVI ABSCONDVNT.) gnome, cuius in promptu caussa est. ... οὐ βίος, ἀλλὰ μόρος.
Talis vita, non vita, sed mors. Calamitatem autem quis ostentat?

LACRYMAE INARESCVNT.) Cicero: *Nibil citiùs arescit lacrymâ.* Sequuntur perpetuæ gno-
mæ & optima dicta, quæ nullis explanationis egent, sed retinenda sunt, & loco vsurpanda.

VITA OLIM DEFVNCTI.) Pares iam olim mortuis, cadauera enim semiuiua circumferimus,
maior pars etiam vitæ defuncta est, quando iam senes ægrè vitam trahimus.

ERGASTVLI DETRIMENTA.) *Retrimenta* fortasse, emendatiùs ergastuli ludibria, purga-
menta, vt Apuleius *fortunæ detrimina*, hoc est, *recrementa*. De ergastulis Lips. l. 2. Elect.

CONIVGES, PARVOSQVE LIBEROS.) Maximum argumentum, perseuerandum esse in exilio
nouo coniuges, & noui liberi.

Theæteti aliquot in Epigrammatis Græcis, nullus hic.

Theæteti oratio facilè dilui potest. Nam pietas in calamitosos rara, nec diuturna est homi-
num. nec verum est, omni malo dignū qui fortuita erubesceret. quis enim aut fœdè claudus, aut sine
naribus, aut auribus natus etiam, aut maculosus, aut distortus, aut strumosus non erubescat ad prin-
cipum & populi aspectum? Nec tamen ob id omni malo dignus est. Neque tristis est sententia, nec
misericordia miseris negata, quando is miserorum status est, vt malint in exilio mori, quàm domi
cum fastidio & ludibrio viuere. si pedes, manus, nares, aures in pugna & prælio amisissent, fuissent
honestamenta virtutis, nec pudenda vulnera, sed capi velle, cum possis mori, & arbitrio te hostis ac
ludibrio & libidini permittere, virtutis non est, sed ignauiæ; nisi cum extra prælium victor præda-
bundus, in agris & vicis desertos excipit, illi enim verè sunt miseratione digni.

OFFERRE DEOS PATRIAM.) Quæ ipsa vita sit carior, & per mortem etiam quæratur. Hoc
quidem argumentum vim haberet, nisi ratio obstaret, quam Euctemon suprà attulit.

A BARBARIS EXPETI.) Græciam, inquam, Perside meliorem, quod an verum sit, haud scias.
Ouidius:

Quid melius Roma, Scythico quid frigore peius?
Huc tamen ex illa barbarus Vrbe fugit.

Perlege elegiam quartam primi de Ponto, *cuique sua dulcis patria.*

NON OB ALIVD CALAMITOSI.) Certè etiam deformia & truncata membris corpora.

RELINQVERENT.) Abire sinerent domum patriæ amatores & cultores; manerent ipsi in æter-
no exilio. De patriæ desiderio, & charitate multa passim oratores & poetæ, etiam pueris obuia, quæ
hic non obtrudo.

CONSVETVDO NATVRA POTENTIOR.) Consuetudo altera natura. sed Curtius etiam
potentiorem natura credidit.

MILLE DENARIVM.) Singulis centum Philippæos, captiuorum fuére quatuor millia ferè, de-
mus iuste fuisse quatuor millia, summa philippæorum excrescet ad quadraginta millia.

TERRAM INTVEBANTVR) pudebat illos fortunæ suæ, nec oblatam à rege fælicitatem aude-
bant reijcere, nec admittere volebant: itaque pro responso lacrimas reponebant, quarum
caussam rogati responderunt per Euctemonem, quæ ipse antea suaserat, malle omnes in
Perside

Perside attep igro, emori. Diodorus veram quoque causā sufficit, nec ab Euctemonis rationibus abhorrentem. At illi inter se congressi, habito consilio, illic permanere satius esse, quam in patriam reuerti, indicant. Restitutos enim se, huc illuc dispersum, & quamdiu superfuerint, ignominiosi ob hanc fortunæ iniquitatem ludibrius affectum iri. At si in communi versantes calamitate simul degant, ex similitudine alienæ infortunii suæ miseriæ percepturos solatium, arbitrantur. Denuò ergo regem adeunt, & quid decretum habeant, exponunt, vtque conueniens statui præsenti adiumentum exhibeat, deprecantur. Diod p. 543. B.

Verissima ratio Diodori. nam diuisi & seiuncti singuli portenta quædam videri poterant, iuncti, alter alterum solabatur similitudine clamitatis & deformitatis. Iustinus hanc quoque rem enarrat paucis. *Inter hæc IↃCCCC. admodum Græci occurrunt Alexandro, qui pœnam captiuitatis truncata parte corporum tulerant, rogantes, vt sicuti Græciam, se quoque ab hostis crudelitate vindicaret. Data potestate redeundi, agros recipere maluerunt, ne non tam gaudium parentibus, quàm detestandum sui conspectum reportarent.* Iustin. lib. 11. sub fine m.

TERNA MILLIA) singulis trecentos philippæos, summa duodecies centena millia Philippæorum, siue decies sexies centena millia florenorum. Ein million oder sechsmal hundert tausent gülden.

DENAE VESTES) singulis decem vestes, hinc dicit, *denæ vestes adiectæ*, sicut terna millia denariorum. si vni duntaxat donasset & soli, non pluribus, dixisset *tria millia*, nō *terna*. Prorsus idem Diodorus, nisi quod singula enucleatius exponat. Ὁ δὲ Ἀλέξανδρος συγκαταθέμενος τοῖς δεδογμένοις τρισχιλίας μὲν ἑκάστῳ δραχμὰς ἐδωρήσατο, καὶ στολὰς ἀνδρείας πέντε, καὶ γυναικείας ἴσας, ζεύγη δὲ βοεικὰ δύο, καὶ πρόβατα πεντήκοντα, καὶ πυρῶν μεδίμνους πεντήκοντα. ἐποίησε δὲ καὶ ἀτελεῖς αὐτοὺς παντὸς βασιλικοῦ φόρου, καὶ τοῖς ἐπιστάταις προσέταξε φροντίζειν ὅπως μηδ᾽ ὑφ᾽ ἑνὸς ἀδικῶνται. Ἀλέξανδρος μὲν οὖν, ἀκολούθως τῇ καθ᾽ αὐτὸν ἐπιεικείᾳ, τοιαύταις εὐεργεσίαις τὰς τῶν ἠτυχηκότων συμφορὰς διωρθώσατο. *Is decretis ipsorum comprobatis, ter millenas vnicuique drachmas, quinasq; stolas viriles, & totidem fœmineas, bina insuper boum paria, & oues quinquagenas, totidemque medimnos tritici, donat. Immunes etiam ab omnibus tributis Regi persoluendis facit, ac curatoribus mandat, vt ne à quoquam iniuria afficiantur, diligenter prouideant. Hac beneficentia Alexander, prout liberali eius indole atque humanitate dignum erat, infelicissimam hominum calamitatem subleuauit.* Diod. p. 543.

Drachmæ Græcorum ad vnguem respondent denarijs Latinorum, ex quibus eadem sors & summa conficitur. Denarius duobus victoriatis æstimatur, sicut & Drachma zwen batzen.

CAPVT XIII.

ARGVMENTVM.

Capta Persepolis, prædæ magnitudo, hostium cædes, euersa vrbs, excepta regia seu *arce. *arcem incensam ait Diodorus.

POstero die conuocatos duces copiarum docet nullam infestiorem vrbem Græcis esse quam regiam veterum Persidis regum. Hinc illa immensa agmina infusa, hinc Darium prius, deinde Xerxem Europæ impium intulisse bellum. Excidio illius parentandum esse maioribus. Iamq; barbari deserto oppido, qua quemq; metus agebat, diffugerant, cùm rex phalangem nil cunctatus inducit. Multas vrbes refertas opulentia regia partim expugnauerat, partim in fidem acceperat: sed vrbis huius diuitiæ vicere præterita. in hanc totius Persidis opes congesserant barbari. aurum argentumq; cumulatum erat: vestis ingens modus: supellex non ad vsum, sed ad ostentationem luxus comparata. itaq; inter ipsos victores ferro dimicabatur: pro hoste erat, qui preciosiorem occupauerat prædam, & cùm omnia quæ reperiebantur, capere non possent (iam res non occupabantur, sed æstimabantur) lacerabant regias vestes, ad se quisq; partem trahentes: dolabris pretiosæ artis vasa cædebant. nihil neque intactum erat, nec integrum ferebatur. Abrupta simulacrorum membra, vt quisque auellerat, trahebat. neque auaritia solum, sed etiam crudelitas in capta vrbe grassata est. Auro argentoq; onusti, vilia captiuorum corpora trucidabant, passimq; obuij cædebantur, quos antea precium sui miserabiles fecerat. Multi ergo hostium manum voluntaria morte occupauerunt, preciosissima vestium induti è muris semetipsos cum coniugibus ac liberis in præceps iactantes. Quidam ignes, quod paulò post facturus hostis videbatur, subiecerant ædibus

bus, vt cum suis viui cremarentur. Tandem suis rex, corporibus & cultu feminarum nere iussit. Ingens pecunia captiua modus traditur, prope vt fidem excedat. Ceterum alijs quoq; dubitabimus, aut credemus in huius vrbis gaza fuisse C. & XX. millia talentum quæ vehenda (namq; ad vsus belli secum portare decreuerat) iumenta & camelos & à Babylone contrahi iussit.

Virgil l. 2. Aeneid, v. 361.

POST EO DIE) *Quis cladem illius noctis, quis funera fando*
Explicet, aut possit lacrymis æquare labores?
Non mihi si linguæ centum sint oraq; centum,
Ferrea vox.
Vrbs antiqua ruit multos dominata per annos.

Omnes rerum scriptores, qui res Persicas post Herodotum & Ctesiam attingunt, deletam Persepolim regiam Cyri nobilissimam queruntur, nec ipse Arrianus, qui pleraque omnia Alexandri facinora eleuat & excusat, factum hoc laudat. Sed nos ad singula descendamus. Plutarchus etiam ipsum Alexandrum facti pœnituisse tradit.

CONVOCATOS DVCES COPIARVM) causas proponit præfectis copiarum & tribunis, cur excindenda videatur Persepolis, quod inde olim Græciæ & Europæ bellum sit illatum ab Dario Hystaspis & Xerxe, quod Athenę incensæ, quod templa Deorum violata & spoliata. Huic Alexandri voluntati & consilio Parmenio ducum princeps intercedere conatus, seruare vrbem & regiam suadebat, hoc Persis, quibus ipse deinceps imperaturus erat, gratū, sed frustra fuit. Arrianū audiamus.

Arrian. p. 66.

Regiam autem Cyri incendit, suadente interim Parmenione, vt intactam eam seruaret, tum quod pulchrum non esset, possessiones virtute sua partas disperdere: tum quod Asiaticos minus beneuolos obid factum esse habiturus existimaturos, illum Asiam retinere nolle, sed eâ debellata recessurum. Alexander, se Persarum facinus vlcisci velle respondit, quod cùm in Græciam venissent, Athenas subuerterant, templaque incenderāt, aliáque multa in Græcos perpetrarant. Cæterùm, neque mihi prudenter hoc ab Alexandro factum videri potest, neque vlla de veteribus Persis hac ratione vltio sumta fuisse.

HINC DARIVM PRIVS, DEINDE XERXEM) De his duobus regibus & copijs in Græciam ductis, cladibus illatis suprà lib. 4. c. 1. copiosius dictum, ad illa Curtij verba: *Ille cuius nomen sumsisti à Darius*, & quæ sequuntur.

EXCIDIO ILLIVS PARENTANOVM MAIORIBVS) Græcorum intellige, quas vexarant, sicut incensa olim Troia Græci.

PHALANGEM) Phalangem Macedonicam, qua nihil firmius docuit Polybius, iam suprà descripsimus lib. 3. c. 18.

Diod. l. 17. pag. 513. * Persepolis.

IN HANC TOTIVS PERSIDIS OPES CONGESSERANT BARBARI) Diodorus totius orbis ditissimam fuisse his verbis testatur. Πλουσιωτάτη δ' οὖσα τῶν ὑπὸ τὸν ἥλιον, καὶ τῶν ἰδιωτικῶν οἰκιῶν πεπληρωμένων ἐκ πολλῶν χρόνων παντοίας εὐδαιμονίας. *Vrbs hæc * omnium sub sole ditissima erat, priuatis quoque domibus per multas ætates omni felicitatis genere refertis.* Accinit huic Dionysius Alexandrinus Periegetes:

Μοῦνοι δ' ἄσπετον ὄλβον ἐνὶ μεγάροισιν ἔθεντο,
Ὁππότε Μηονίην καὶ Σάρδιας ἐξαλάπαξαν,
Χρύσεά τοι κείνων ἐπὶ χροῒ τεύχεα φωτῶν,
Χρύσεα δ' αὖθ' ἵπποισιν ἐπὶ στομάτεσσι χαλινά,
Χρυσῷ δ' ἀμφὶ πόδεσσιν ἐκοσμήσαντο πέδιλα.
Τόσσος γὰρ σφισιν ὄλβος ἀπείριτος -----
Soli item grandes diuitias in domibus reposuerunt,
Quando Mæoniam & Sardias depopulati sunt,
Aurea sanè illorum quidem in corpore arma hominum,
Aurea etiam equis in oribus frena,
Auro item circa pedes ornant calceamenta
Tanta ipsis diuitiæ immensa -----

Ad quem locum etiam Eustathius consuli poterit.

INTER IPSOS VICTORES FERRO DIMICABATVR) Quia locum hunc penè totum Curtius ex Diodoro transtulit, non ingratum erit vtrumque conferre. Ita ergo Diodorus: *Incursu ergo in illam facto Macedones, viros omnes trucidant, & facultates copia redundantes, & varia supellectile ornamentisque refertas, diripiunt. Ibi magna vis argenti, nec minor auri huc illuc dissipati; preciosissimæ vestes, aliæ purpura infectæ, aliæ texturis aureis variegatæ, ingenti numero victoribus in præmium cedebant. Et magna totoque orbe famigerata Persarum regia ludibrio & extremæ vastationi exponi. Macedones attamen, tametsi præda vndique circumfluerent, cupiditatem tamen, subinde pluribus inhiantem, explere non poterant. Et eo vsque insolentiæ processerat inter diripiendum auaritia, vt inter se ferro dimicarent, & multi, quod maiorem prædæ partem occuparent, interimerentur. Aliqui de inuentis magna æstimationis rebus*

..., partem quisque sibi auferebant. Nonnulli etiam manus alijs abreptas ..., ipsa pretiosa, quas rebus controuersis iniecerant, in perniciem amputabant. Fœminas cum ornatu suo ad stuprum abreptas seruituti tandem addicebant. Ita factum, vt Persepolis, quò magis vrbes alias fœlicitate antecesserat, plus calamitatum mole eas superaret.

Habes cladem vrbis, ab vtroque pari ferè modo descriptam.

RES NON OCCVPABANTVR, SED AESTIMABANTVR) vilia negligebantur, preciosa æstimabantur, diripiebantur.

DOLAARES) securibus, nam dolabra, securis genus est, possis hic etiam pro parazonio accipere.

QVOS ANTEA PRECIVM SVI MISERABILES FECERAT) captiuos antea, vel precio emptos vel precio vendendos, post aurum & argentum & preciosiora reperta, occiderunt.

MISERABILES) quia captiuos fecerat, & precio vendendos exposuerat precium.

MANV VOLVNTARIAM) emenda cum Acidalio & priscis editionibus, *manum voluntaria morte occupauerunt*. ita sensus constat.

VIVI CREMARENTVR) extant & alia huius calamitatis exempla de Sagunto, Numantia, Phocensibus, & illorum decreto, quod φωκικὴν ἀπόνοιαν appellarunt, Astapa vrbe Hispaniæ, hodie Ascho.

CENTVM VIGINTI MILLIA TALENTA) Eundem prorsus numerum Diodorus expressit. lib.17.p.
Εὑρέθησαν γὰρ ἐν αὐτοῖς δώδεκα μυριάδες ταλάντων. quæ sortem efficit septuagies bis millies centena 144.
millia, quibus si addas quinquaginta millia talenta Susis exhausta, prodibunt centies bis millies 72. milliones.
centena millia, hoc est, vt hodie vulgus loquitur duo supra centum milliones, vt taceam prædam 72000000.
Babylone & Damasci captam. Addas licet & sex millia ex Parsagadis 3600000. summam supra ex varijs prædis posuimus centum & octo milliones.

Obserua talentum legi ab Acidalio, quod alias βαρβαρίζει oratio, non videtur.

Sed hoc parum est ad prædam Cyri, quam deuicta Asia reportauit, vt auctor Plinius lib.36.ca.3. nam argenti talentûm quingenta millia exhausit, quæ tercenties millies millia reddunt, hoc est, 30000000.
trecentos milliones.

PRECIOSISSIMA VESTIVM INDVTI.) Rectè hic Acidalius: Atque hic, inquit, morem nota Priscorum ornandi se in mortem, suprema necessitate, quo maximo cultu possent. Exempla quædam iam nota, Romanorum patrum capta à Gallis vrbe apud Liuium lib.5. Quinctilij Vari apud Velleium lib.2. Cleopatræ apud Florum lib.4. & Dionem; Olympiadis Alexandri matris apud Iustinum lib.14. aliorum pulrimorum apud alios multos. Vnum nouiter obseruamus, etiam militares viros, cùm in aciem ad extremum discrimen exirent, ritum eundem obseruasse. Nec ad alios te ducam: in nostro vide, & hoc ipso libro, neque longè ab hoc loco: *Nos verò*, inquit Artabazus, *preciosissimas vestium induti, armisque quanto maximo cultu possumus adornati, regem in aciem sequemur, eadem quidem mente, vt victoriam speremus, mortem non recusemus.*

TANDEM SVIS REX.) *Suos* emendat Acidalius: legitur tamen etiam cum tertio casu.

IVMENTA ET CAMELOS.) Camelorum tria millia Diodorus signauit, iumenta seu mulos, non numerauit; sed alibi Curtius a triginta millia expressit. Plutarchus, Reliquum instrumentum regium & opes, decem millibus iugorum mularum & quinque millibus camelorum, egestæ. a lib.8.c.15.

Attulit, inquit Hermolaus, *triginta millia mulorum captiuum aurum vehunt, cum milites nihil domum, præter gratuitas cicatrices, relaturi sint.*

CAPVT XIV.

ARGVMENTVM.

Captæ Pasargadæ, præda noua reperta, excursio & vastatio Persidis, Mardi subacti.

ACcessere ad hanc pecuniæ summam captis Parsagatis 6. millia talentum. Cyrus Parsagadam vrbem condiderat, quam Alexandro Præfectus eius Globaris tradidit. Rex arcem Persepolis 3. millibus Macedonum præsidio relictis, Nicarchiden tueri iubet. Tyridati quoque qui gazam tradiderat, seruatus est honos, quem apud Darium habuerat: magnaque exercitus parte & impedimentis ibi relictis, Parmenionem Craterúmque præfecit. Ipse

Ipse cum mille equitibus peditumque expedita manu interiorem Persidis regionem [illegible] sub ipsum Vergiliarum sidus petijt multisque imbribus, & propè intolerabili tempestate [illegible] procedere tamen quo intenderat, perseuerauit. Ventum erat ad iter perpetuis [illegible] bus, quas frigoris vis gelu astrinxerat: locorumque squalor, & solitudines inuiae [illegible] militem terrebant, humanarum rerum terminos se videre credentem. Omnia vasta [illegible] sine vllo humani cultus vestigiò attoniti intuebantur: & antequam lux quoque [illegible] ipsos deficeret, reuerti iubebant. Rex castigare territos supersedit. Caeterum ipse [illegible] lijs, pedesque per niuem & concretam glaciem ingredi coepit. Erubuerunt non sequi primum [illegible] amici, deinde copiarum duces, ad vltimum milites: primusque rex dolabra glaciem [illegible] gens iter sibi fecit. Exemplum regis ceteri imitati sunt. Tandem propemodum inuias [illegible] emensi, humani cultus rara vestigia, & passim errantes, pecorum greges reperere: & in [illegible] sparsis tugurijs habitabant, cùm se callibus inuijs septos esse credidissent, vt conspexere [illegible] agmen, interfectis, qui fugientes comitari non poterant, deuios montes & obsitos niuibus [illegible] tiuerunt. Inde per colloquia captiuorum paulatim feritate mitigata, tradidere se regi: nec [illegible] deditos grauius consultum. Vastatis deinde agris Persidis, vicisque compluribus redactis in potestatem ventum est in Mardorum gentem bellicosam, & multum à ceteris Persis cultu vitae abhorrentem. Specus in montibus fodiunt, in quos seque ac coniuges & liberos condunt: pecorum aut ferarum carne vescuntur. Nec feminis quidem pro naturae habitu molliora ingenia sunt. Coma prominent hirta, vestis super genua est, funda vinciunt frontem: hoc & ornamentum capitis & telum est. sed hanc quoque gentem idem fortunae impetus domuit. Itaque trigesimo die postquam à Persepoli profectus erat eodem redijt. Dona deinde amicis caeterisque pro cuiusque merito dedit. propemodum omnia quae in ea vrbe ceperat, distributa.

Captis Pasargadis.) Variam huius loci scripturam cognoui. Stephano Πασαργάδαι, vti & Solino, Arriano, Straboni, Dionysio, plerisque alijs Πασαργάδαι, alicubi mendosè Parsagadae & Persagadae, est ciuitatis & gentis nomen, vox sonat *castra Persarum*. Pasargadas Herodotus optimos Persarum ἀρίστους πάντων dixit. Hic conditorium erat Cyri, de quo copiosè lib. 10. c. 3. docebimus, vrbem Ipse posuerat. Causa vrbis condendae fuit victoria id loci ab Astyage Medorum rege relata, vt est in quintodecimo Strabonis.

Globaris.) Nulla alibi huius mentio, vti nec Nicarchidae.

Arcem.) Hanc enim incensa vrbe seruari iusserat, quam tamen postea instinctu Thaidis deleuit.

Tyrioati.) De hoc, cap. 11. suprà, custos regiae pecuniae fuerat Persepoli & mansit, quamquam thesaurum omnem Strabo tradat Susa deportatum.

Interiorem Persidis regionem.) Ad barbaras & inconditas atque anonymas gentes debellandas, donec ad Mardos, quos infrà describit, peruenit.

Sub ipsum Vergiliarum sidus.) Graeci, imò & Latini saepè (Virg. lib. 1. Georg. v. 138. Manilius lib. 5. Seneca in Medea) hoc sidus & astrum, Pleiadas appellant. Hesiodus ἐν ἔργοις καὶ ἡμέραις.

Πληϊάδων Ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων
Ἄρχεσθ' ἀμητοῦ, ἀρότοιο δὲ δυσομενάων
Αἳ δή τοι νύκτας τε καὶ ἤματα τεσσαράκοντα
Κεκρύφαται, αὖτις δὲ περιπλομένου ἐνιαυτοῦ
Φαίνονται τὰ πρῶτα χαρασσομένοιο σιδήρου.
Pleiadas cernens orientes demete frugem,
Vomere verte solum cum submerguntur in vndas.
At hae vicenas latitant noctesque diesque,
Hinc iterum apparent impletis mensibus anni
Tempore, quo primum incipiunt splendescere falces.

Quibus versibus Hesiodus ortum & occasum Vergiliarum accuratè describit, & quando sit metendum, quando arandum. Ad quos versus multa Moschopulus, plura Proclus, plurima Tzetzes, omnes tres Hesiodi Scholiastae Graeci.

Tzetzes, quod maximè huc facit, ita explicat: ἡ ἐπιτολὴ δὲ τῶν πλειάδων γίνεται ἀπὸ Μαΐου μηνὸς ὀγδόης, μέχρι Ἰουνίου ις'. ἡ δὲ τούτων ἑσπερία δύσις ἀπὸ ὀκτωβρίου η', μέχρι Δεκεμβρίου θ'. *Oriuntur Pleiades à nono Maij vsque ad 16. Iunij: Occidunt occasu vespertino ab octauo Octobris, vsque ad nonum Decembris.*

Caeterùm, Virgiliae dicuntur, quod quasi virgae quaedam extendantur: Vergiliae, quòd sub veris finem oriantur: Pleiades, quasi πλείονες, quòd plures sint, proinde Manilius lib. 4. sidus glomerabile vocauit: velà πλέω, quòd nauigandi tempus aperiant: Atlantides à patre Atlante. Septem sunt stellae in Tauri cauda. Manilius:

Taurus

Taurus in auersos praeceps vt tollitur ortus
Sexta parte sui, certantes lucis ad oras
Pleiades ducit--- Manil. l. 5.

Ad quem locum ita Scaliger. *Taurus oritur posteriore sui parte; hoc est, τῷ ἀποτομῷ. Itaque Pleiades oriuntur tunc. Nam Virgiliarum sidus constituit ἀποτομὴν Tauri. Propterea dicitur auersus oriri: quia non τὸ ἡμίσυ, sed posteriore parte oritur. Deinde, praeceps dicitur oriri: quia nimirum προηγουμένως situs est in zodiaco. quo nomine προτεταγμένα Aratus dixit, vt & alibi monemus. At minus prudenter Vitruuius hæc de Tauro scribit: Cum progreditur ad caudam Tauri, sidusque Vergiliarum, è quibus eminet dimidia pars prior Tauri. Contradicit sibi: Nam si dimidia pars Tauri finitur in Vergilijs, vnde illi cauda dimidiato?*

Ad Curtium vt redeamus, qui de occasu Pleiadum seu Vergiliarum intelligendus: nam quando sol cum scorpione ascendit, Taurus cum Pleiadibus suis & Suculis descendit, & hiemem inchoat: est enim Taurus Scorpioni oppositus. Plinius.* Virgiliarum occasus hyemem inchoat, quod tempus in III. Idus Nouembris incidere consueuit. Et cum Curtio mirè facit hæc explanatio Vergiliarum occidentium. Quæ enim hic ab Alexandro gesta narrantur per hyemem facta, sequentia mox verba testantur. *multisque imbribus & propè intolerabili tempestate vexatus, procedere tamen, quo intenderat, perseuerauit. Ventum erat ad iter perpetuis obsitum niuibus, quas frigoris vis gelu astrinxerat.* Et mox infrà: *Cæterum ipse equo desilijt, pedesque per niuem & concretam glaciem ingredi cœpit.* Vide hiemem, niues, glaciem. Et sicut occasus Vergiliarum, hiemem; ita exortus, æstatem nunciabat. Plinius: *Datus est autem huic* (Fauonio) *exortus Vergiliarum in totidem partibus Tauri, sex diebus ante Idus Maias.* * l. 2. c. 47. Ibid.

Quæ porrò Moschopulus, Proclus, & Tzetzes de matutino, & vespertino. itemque de Cosmico, Chronico, Achronico, & Heliaco Pleiadum, vel &* Ioannes de Sacro Bosco, & Clauius ad eundem tractant, hic & lectorem μαθηματικώτερον ad eosdem remitto. Volestamen nomina Vergiliarum, seu Pleiadum nosse. Accipe ex Tzetze Hesiodi Scholiaste, ab Arato expressas, quamuis sex duntaxat afferuntur adspectabiles, quarum hæc nomina, Halcynoe, Merope, Celæno, Electra, Sterope, Taygete, Maia, patre Atlante, matre Pleone Oceani filia natę, quas Aratus his versibus complexus est: Ad lib. 2. ἔργ. κ. ἡμ. * cap. 3.

— ἑπτὰ δ' ἐκεῖναι ἐπιῤῥήδην καλέονται
Ἑξαὶ αἴπερ ἐοῦσαι ἐπόψιαι ὀφθαλμοῖσιν
Ἀλκυόνη, Μερόπη τε, Κελαινώ τ' Ἠλέκτρη τε,
Καὶ Στερόπη, καὶ Ταϋγέτη, καὶ πότνια Μαῖα.
---- *Septem illa esse feruntur,*
Quamuis sint oculis hominum sex obuia signa,
Alcyone, Meropeque, Electraque, diua Celæno,
Taygete, Sterope, præclaro lumine Maia.

Sunt qui duodecim nominent vnà cum filio Hyante, quem draco in Lybia interfecit à quinque sororibus defletum, quas lacrimis extinctas Iupiter cælo inseruit, & inter astra lucere iussit hyadas dictas, quarum nomina apud Hesiodum *in libro de Astris*; hæc sunt, Phæole, Coronis, Cleia, Phæo, Eudora; hoc carmine comprehensa:

Φαισύλη ἠδὲ Κορωνὶς ἐϋστέφανός τε Κλέεια,
Φαιώ θ' ἱμερόεσσα, καὶ Εὐδώρη τανύπεπλος,
Νύμφαι ἃς Ὑάδας καλέουσι φῦλ' ἀνθρώπων.
Phæola, siue Coronis, & hinc formosa Cleia,
Phæoque, Eudoreque implexis crinibus auro,
Quas nymphas, Hyadas, mortales nomine dicunt.

Hæc Tzetzes ex Arato & Hesiodo, plura ex alijs Natalis Comes. Sed hæc ad hunc Curtij locum plus satis.

REVERTI IVBEBANT) Squalor, inuia, & horrida tesqua, omnia deserta, inculta, reuerti iubebant, suadebant, perinde quasi extra solis vias progressi essent, & mox in confusum sine Sole & cælo chaos essent ingressuri.

SVPERSEDIT) veritus, ne id frustra faceret, plus exemplo profecturus. Et cum sciret omnia labore vinci, primus manum admouit, & inuia peruia fecit.

ERVBVERVNT) quid enim turpius amicis regijs, laborante rege, cessare. Et cum amici, omnes essent principes, erubuerunt & duces belli; & postremo miles ipse. Ita nihil ooo exemplo regis, quem orbis sequitur, excepto cælo, expugnabile.

SPARSIS TVGVRIIS) eleganter hoc, seiunctis inter se, non in morem vrbis aut oppidi, aut vici, vnum in locum intra mœnia & muros collectis & clausis, sed per agros, & siluas, & solitudines passim sparsis.

IN MARDORVM GENTEM) Non ineptam hic dubitationem ponit Glareanus, habetque suspectam hanc Alexandri excursionem, cum nulla eius nec apud Diodorum, nec Arrianum mentio sit. Sed enim Curtius sua non tantum ex Diodoro hausit, sed multis alijs Græcis, qui hodie desiderantur, multaque sæpè alia passim apud Curtium leges, quæ apud Diodorum nusquam leguntur. De Mardis hic sanè etiam vehementer addubito, cum infrà demum lib. 6. cap 9. Mardorum gentem Hirca-

Hircanis confinem ponat, & Mardos hic domitos scribat, ibi illam solam gentem nullos misisse legatos, qui Alexandrum salutarent, seseque illi dederent, doceat, regemque indignatum, *si vna gens posset efficere, ne inuictus esset*, exceptum etiam ab ijs Bucephalum equum Alexandri, vt illo loco cognosces? Quid dicemus? an gentem hanc illi cognominem fuisse? vbi auctoritas testium? An hanc gentem eo vsque pertinuisse? sed ibi tanquam de diuersa gente Hircanis vicina, valde ab hac quæ in Perside fuit remota, narrat:

Non hac arbitrio sunt dirimenda meo.

Nec placet coniectura Glareani, qui alteribi censet legendum *Margi*, cum Margiana longè diuersa fuerit à Mardorum terra; illa ferax, hæc sterilis; illa viribus consita & ad miraculum felix, hæc vnus quidam & perpetuus saltus, in quo incolæ ritu ferarum degebant. Suidam audi: Μάρδοι ἔθνος τὸ πᾶν λῃσταί. καὶ οὔτ' ἂν εὖ ποιοῦντες αὐτοὺς πιστοὺς κέκτηντο, οὔτ' ἂν δυνηθῶσιν ἐς τόπον δὲ καταστρέψειαν ὡς εἰ φόβου ἀπαλλαχθεῖεν, μὴ οὐ παραυτίκα ἐπιθέσθαι οἷς πάλαι ὑπέδυσαν. *Mardi, inquit, tota gens latrocinijs dedita, adeoque fera vt nullis beneficijs tibi fidos reddas, nec si victos opprimas, cedunt, nam simulac metu liberati fuerint, rursus impetum facient in eos, quibus antea paruerunt.* Subijcit dein rursus Suidas, quales alios Mardos, qui valdè conueniunt cum primis his Curtianis, adeò, vt reuera, quod conieci, fuerint cognomines voce, sed terris longè inter se diremti. Μάρδοι, inquit, ἔθνος πολυάνθρωπον, τραχεῖαν γῆν ἐπονοῦντες καὶ μόλις ἀφ' ὧν γεωργοῦσι τρεφόμενοι ἄνιπποι καὶ πένητες ὡς καὶ τὴν κρείττω ἀπεστάλθαι τύχην. *Mardi gens populosa asperam colit terram, & ægrè ex agrorum cultu sibi victum parat, caret iumentis & equis, tenuisque est, ita vt ne aspiret quidem ad meliorem fortunam.* Duo ergo Mardorum genera Persicum alterū, de quo hic Curtius: Hyrcanum alterum, de quo idem infrà lib. 6. cap. 9. Itaque expedita ratio & dubitatio est Glareani contra Glareanum. Modius & Acidalius huiusmodi scopulos taciti transiliunt.

HIRTAE PROMINENT COMAE) impexæ ergò & incultæ Mænadum ritu, & inter feras ipsæ propemodum feræ, aut etiam feriores.

SVPRA GENV) sicut Amazones & Indæ.

TELVM EST) In duplicem vsum fundæ prò capitis redimiculo, & saxorum iaciendorum instrumento. dictum de fundis suprà.

TRICESIMO DIE) subacta per mensem tota Perside.

DONA DEINDE AMICIS) Multas secum Alexander & præclaras virtûtes è Macedonia & officina Aristotelis secum detulit in Asiam; morum verecundiam, castimoniam, victoriam sui, fortitudinem, interitum & inuictum animum, tolerantiam laborum, summam scientiam militarem, celeritatem incredibilem, constantiam, iustitiam, fidem, clementiam in victos, fœlicitatem & planè regiam magnificentiam atque liberalitatem: ex quibus tamen paucas secum deuicto orbe terrarum retulit Babylonem, adeoque plus perdidit, quam acquisiuit, cum virtus bonis omnibus præstet. sed de his suo quoque loco. Hic de liberalitate, quę tanta fuit, vt Curtius tradiderit totum propè thesaurum Persepoli captum in amicos distributum, hoc est, septuagies bis millies millia Philippæorum, siue, vt cum vulgo loquar, septuaginta duos milliones. Subijcit Plutarchus hoc loco plura liberalis & munifici animi exempla, quę Græcè adscriberem, nisi lectoris fastidium reformidarem. Edam tantum latina iucundissima & dignissima lectu. *Munificentia verò quæ insita ei erat, multo magis excitata est rerum incremento. Adiuncta erat comitas, cuius vnius accessione sanè sunt munera grata. Huius pauca exempla recensebo. Paonia præfectus Aristo, quum hostem obtruncasset, ostendissetque ei caput, Hoc donum rex, inquit, apud nos poculo aureo pensatur. Arridens Alexander, Nempe vacuo, inquit, ego verò plenum mero propino. Gregarius quidam Macedo mulum onustum auro regio agebat. Defesso iumento sarcinam ipse in humeros sublatam portabat. Vidit rex onere oppressum, ac re intellecta, quum ille id depositurus esset. Ne defatigeris, inquit, sed absolue reliquum itineris, atque in tentorium tuum hoc defer. Omnino succensebat magis, si non acciperes, quam si posceres. Phocioni per literas mandauit, si non admitteret dona sua, renunciare ei se amicitiam. Serapioni vni ex grege eorum qui secum lusitabant pila, quia nihil petebat, nihil largiebatur. Quum autem ad ludum accessisset Serapion, adiecit pilam alijs: cui vbi dixit rex, Quin mihi das? Non petis, inquit. Risit rex, atque ampla largitione est eum prosecutus. Prothea cuidam in dicterijs inter pocula non infestiuo videbatur infensus. Quum deprecarentur amici pro eo, atque ille lachrymas profunderet, redire dixit se cum eo in gratiam. Tum ille, Igitur rex, inquit, pignus primum mihi aliquod dato. Atque huic quinque talenta iussit numerari. In ditandis amicis & stipatoribus suis quam fuerit prolixus declarat Olympias epistola quam ad eum scripsit: Benè merere aliàs, inquit, de amicis & splendore viere. Enimuero nunc omnes regi effecis pares, multosq́; amicos eis paras, temetipsum vero reddis solitarium. Ea cum identidem ad illum scriberet Olympias, seruabat in abdito epistolas, nisi semel Hephastion, (vt assueuerat) solutā epistolam secum legenti non retinuit: verum detracto digito anulo sigillum ori illius admouit. Mazæi cuius apud Darium summa fuerat gratia filio Satrapia præfecto, alteram adiecit ampliorem. At ille recusans, ait, Tunc è rex vnus erat Darius, nunc tu multos effecisti Alexandros. Parmenioni donauit Bagoæ domum, in qua ad cultum pertinentium vestiarum mille talentum inuenit. Antipatro per literas mandauit, vt custodes corporis aduersus insidias adhiberet. Matri dona multa misit.*

Plut. in vita Alex.

CAPVT

CAPVT XV.

ARGVMENTVM.

Rex ebrius ab ebrio scorto impulsus Persepolim incendio delet. Serò cum Phrygibus sapit, & dolet factum, quod infectum fieri non potuit.



Eterum ingentia animi bona illam indolem, qua omnes reges antecessit illam in subeundis periculis constantiam, in rebus moliendis efficiendisque velocitatem, in deditos fidem, in captiuos clementiam, in voluptatibus permissis quoque & vsitatis temperantiam haud tolerabili vini cupiditate fœdauit. Hoste & æmulo regni reparante tum cum maximè bellum; nuper subactis, nouum imperium aspernantibus, de die inibat conuiuia, quibus fœminæ intererant, non quidem quas violare nefas esset: quippe pellices licentius quàm decebat cum armato viuere assuetæ. Ex his vna Thais, & ipsa temulenta, maximam apud omnes Græcos initurum gratiam affirmat, si regiam Persarum iussisset incendi: expectare hoc eos, quorum vrbes Barbari delessent. Ebrio scorto de tanta re referenti sententiam vnus & alter, & ipsi mero onerati assentiuntur. Rex quoque fuit auidior, quàm patientior. Quin igitur vlciscimur Græciam, & vrbi faces subdimus? Omnes incaluerant mero: itaque surgunt temulenti ad incendendam vrbem, cui armati pepercerant. Primus rex ignem regiæ iniecit, tum conuiuæ & ministri pellicesque. Multa cedro ædificata erat regia, quæ celeriter igne concepto latè fudit incendium. Quod vbi exercitus, qui haud procul vrbe tendebat, conspexit, fortuitum ratus, ad opem ferendam concurrit. Sed vt ad vestibulum regiæ ventum est, vident regem ipsum adhuc aggerentem faces. Omissa igitur quam portauerant aqua, aridam materiam in incendium iacere cœperunt. Hunc exitum habuit regia totius Orientis, vnde tot gentes ante iura petebant, patria tot regum, vnicus quondam Græciæ terror, molita mille nauium classem, & exercitus quibus Europa inundata est contabulato mari molibus, perfossisque montibus, in quorum specus fretum immissum est. Ac ne tam longa quidem ætate quæ excidium eius secuta est, resurrexit. Alias vrbes habuere Macedonum reges quas nunc habent Parthi. Huius vestigium non inueniretur, nisi Araxes amnis ostenderet. Haud procul mœnibus fluxerat. Inde vrbem fuisse viginti stadijs distantem credunt magis quam sciunt accolæ. Pudebat Macedones tam præclaram vrbem à comessabundo rege deletam esse. Itaque res in serium versa est, & imperauerunt sibi, vt crederent illo potissimum modo fuisse delendam. Ipsum vt primum grauatam ebrietate mentem quies reddidit, pœnituisse constat, & dixisse, maiores pœnas Græcis Persas daturos fuisse, si ipsum in solio regiaque Xerxis conspicere coacti essent. Postero die Lycio itineris quo Persidem intrauerat, duci triginta talenta dono dedit.

Quod hoc capite Curtius tradit, omnes rerum scriptores, qui facta Alexandri exequuti sunt, non sine indignatione & stomacho denarrant, & damnant: fuitque hæc prima labes & lapsus regis, cuius illum mox, sed post factum, pœnituit. Atque ita initium Alexandro fuit omnium, in quæ postmodum incidit, malorum, temulentia: quanquam superbia temulentiæ illius nihil concesseris, qua primum elatus se Iouis filium credi voluit.

ILLAM INDOLEM) Nemo hunc locum melius explicauit, quàm ipse Curtius, qui lib. 10. c. 9. *Et hercle*, inquit, *iustè æstimantibus regem liquet bona naturæ eius fuisse, vitia vel fortunæ, vel ætatis. Vis incredibilis animi, laboris patientia propemodum nimia. Fortitudo non inter reges modo excellens, sed inter illos quoque, quorum hæc sola virtus fuit: liberalitas sæpè maiora tribuentis, quam à dijs petuntur: clementia in deuictos: tot regna aut reddita, quibus ea demserat bello, aut dono data: mortis, cuius metus cæteros exanimat, perpetua contemtio: gloria laudumque, vt iusto maior cupido, ita vt iuueni & in tantis admittenda rebus. Iam pietas erga parentes, quorum Olympiada immortalitati consecrare decreuerat, Philippum vltus erat: iam in omnes ferè amicos benignitas, erga milites beneuolentia, consilium par magnitudini animi, & quantum vix poterat ætas eius capere solertia: modus immodicarum cupiditatum, Veneris intra naturale desiderium vsus: nec vlla nisi ex permisso voluptas: ingentes profectò dotes erant.*

HAVD TOLERABILI VINI CVPIDITATE FOEDAVIT) De hac laude bibendi, leges plura in prolusionibus ad Curtium è Seneca, Athenæo, Aeliano & alijs, capite de Alexandro magistibus.

ctrianorum. his Bessus praerat Bactrianæ regionis præfectus. Cum hoc agmine Darius paullum declinauit via militari, iussis præcedere lixis impedimentorum custodibus.

Mediae) Mediam breuissimè & planissimè Polybius his verbis describit, Casauboni tralatione vtor. *Media sita illa quidem in Asiæ meditullio: verum si hanc partem cum cæteris contendas, & amplitudine spacij, & altitudine montium quibus cingitur, omnibus Asiæ locis eam præstare deprehendes. eadem porrò fortissimis maximisq; populis imminet. Prætacet namque illi ab aurora, & Orientis partibus planities eius deserti, quod Persidi & Parasiæ est interiectum. imminet etiam habetque adeo in potestate Caspias quas vocant Pylas: Tapyrorum quoque montes, qui non longè absunt ab Hyrcania, contingit. qua vergit in meridiem ad Mesopotamiam & regionem Apolloniatidem pertinet. adsidet etiam Persidi, tegiturque ab ea parte monte Zagro, cuius ascensus stadiorum est fermè centum. cæterum mons Zagrus multa diuersa iuga intra suum ambitum includens, varijs distinctus est voraginum hiatibus: & alicubi etiam cauis vallibus quas Cossæi colunt, & Corbrenæ & Carchi, pluraque alia barbarorum genera, ad bellorum vsus præcipuè commendata. quà occasum respicit, populos tangit quos vocant Atropatios: qui non longè distant ab illis populis qui ad Pontum Euxinum pertingunt. Latus Mediæ ad Septemtriones conuersum prætexunt Elymæi, Aniaracæ, Caddusij & Matiani: habet autem subiectam illam Ponti partem, quæ Mæoti cohæret. Eadem Media montibus multis ab ortu ad occasum porrectis diuiditur, inter quos iacent campi vrbibus ac vicis referti.*

Polyb. l. 5. p. 388. & seq. v. 3. à f.

Describunt eandem Strabo, Ptolemæus, Plinius, alij. Nomen à Medo Medeæ filio, vel ab ipsa Medea accepit, vt auctor est Geographus, & ex illo Eustathius ad illos Dionysij versus:

Πρὸς δὲ νότον ναίουσιν ἀγαυῶν ἔθνεα Μήδων,
Κείνης τοι γενεῆς ἱερῆς ἐκγεγαῶτες
Αἰήταο θυγατρὸς ἀμύμονος ἡρωίνης.
Ad Austrum autem habitant illustrium gentes Medorũ,
Ex illa scilicet stirpe illustri prognati
Aetæ filiæ inculpatæ heroinæ

Obserua, *inculpatam* vocari Medeam, quam absoluit etiam Pausanias: Didoni quoque nota à poetis impressa, quam Ausonius purgat. Nos olim de vtraque:

Nescio reginis cur tam sit iniquus Apollo,
Sancta fuit Colchis, sancta & Elisa fuit.

Aelianus quoque lib. 5. c. 21. innocentem scribit, & Corinthijs cædem assignat, sed hæc extra chorũ.

Iustinus lib 42. *Post mortem Iasonis, Medus æmulus virtutis eius, in honorem matris Medeæ, Medeam vrbem condidit, regnumque ex nomine suo Medorum constituit, sub cuius maiestate Orientis postea imperiũ fuit.*

E Cilicia) Quia in Cilicia erant conscripti, vbi primum ipsum Darium Alexander ad Issum prælio superarat.

Plato Atheniensis) Ne tu mihi hic Platonem Philosophum somnia, qui non fuit Atheniensis, sed Aeginensis, vixitque ante Alexandrum.

Ecbatana pervenerat) Darius, vbi viribus iam reparatis statuerat extremo prælio experiri. Ecbatana porrò, caput Mediæ, nobilissima & amplissima ciuitas, quam Ctesias in Persicis, semper Agbatana appellat. Demetrius gemina facit Ecbatana seu Agbatana, aliud Syriæ opidum, aliam Mediæ ciuitatem: sed apud priscos semper Egbatana seu Ecbatana dicebatu. Herodianus maluit Ecbatana.

Plura super hac voce Stephanus in verbo Ἀγβάτανα & Ἐκβάτανα hodie Achatana Esbahan vocitari tradunt. Conditorem *a* alij Deiocem faciunt, alij *b* Seleucum, alij *c* ante Semiramidem iam

a Herod. l. 1. extitisse tradunt. Literæ sacræ *d* Arphaxadem vrbis parentem narrant. *Ipse ædificauit ciuitatem potẽ-*
b Plin. l. 6. c. 14. *tissimam, quam appellauit Ecbatanis*, vbi in Septuaginta est ᾠκοδόμησεν ἐπ' Ἐκβατάνοις, *ædificauit super*
c Diod. l. 2. *Ecbatana*, Sed vti de Babylone suprà docuimus, alios fuisse conditores primos, alios instauratores,
d Lib. Iudith c. 1. alios amplificatores: ita de Ecbatanis quoque sentiendum. Ante Seleucum, Alexandrum & Semiramidem extitisse certis auctoribus constat. Est cum etiam accipitur nomen pro parte Mediæ. Iam de eius amplitudine aliquid dicamus: ac primum oracula sacra profanis scriptoribus præponamus. Auctor historiæ Iudithæ, siue is Ioachimus summus Hebræorũ pontifex Iesu Archiereos filius, siue quis alius fuit, his verbis vrbis molitionem describit. *Arphaxad ædificauit ciuitatem potentissimam,*
Iudith. c. 1. pr. *quam appellauit Ecbatanis, ex lapidibus quadratis & sectis: fecit muros eius in latitudinem cubitorum septuaginta, & in altitudinem cubitorum triginta, turres verò eius posuit in altitudinem cubitorum centum. Per quadrum verò earum latus vtrumq; vicenorum pedum spacio tendebatur, posuitque portas eius in altitudinem turrium.* Videnda hic interpretatio septuaginta Hebræorum, quæ nonnihil differt à vulgari versione Latina, cùm verborum copia, tùm notis numerorum. Videndus & noster Serarius ad c. 1. Iudith. p. 227. vbi præfert Græcam proportionem Septuaginta interpretum proportioni Latinæ vulgati ex Hebraico translatæ.

Hanc

Hanc vrbem Herodotus in Clio eleganter describit, cuius principium duntaxat ponam Græcè, cui latina in Lectoris gratiam subijciam. Ηεροδότου δὲ ταῦτα τῶν Μήδων. &c. Quæ Laurentius Valla ita vertit. *Obsequentibus quoque in hac re Medis, mœnia construit ampla simul & valida, quæ nunc Ecbatana appellantur, in quibus murus vnus alteri veluti confinis erat: sic vtrumque constitutis mœnibus, a vt ambitu singuli alteris gradatim essent sublimiores, solisque pinnis prominerent. Adiuuabat hoc loci b ipsius commoditas, vt quis collis instar esset eleuatus, sed accessit etiam manu quiddam data opera factum. Siquidem ambitus isti numero erant septem contigui, in quorum postremo regia est & thesauri. Hæc mœnia cum amplissima sint magnitudine, prorsus illum Atheniensium æquant ambitum. Atque singula quidem pinnæ suis atque hunc in modum distinctis fulgent coloribus. Nempe primi ambitus pinnæ colore sunt albicanti, secundi nigro, tertij purpureo, quarti cæsio, quinti sandaracino, postremi verò duo, alter argentatas, alter inauratas habet pinnas. Et his quidem monumentis Deioces se suamque regiam circumsepsit, ac reliquum populum seorsum circumquaque habitare iussit.*

Quæras, quis ambitus fuerit Ecbatanorum? Herodotus parem esse ambitum Athenarum, Dio porrò Brusæus Athenas in ambitu ducenta stadia duntaxat complexas, & regijs Babylonicis & alijs angustiores tradit. Diodorus Siculus disertè ponit Ecbatanorum amplitudinem, docetque in ambitum continuisse ducenta quinquaginta stadia, quæ Germanica milliaria efficiunt (minus sex stadijs) octo, vnde magnitudo vrbis facilè æstimari potest. Nullo modo tacenda, quæ de eisdem Ecbatanis refert nobilissimus iuxta atq; antiquissimus scriptor * Polybius. Atque vt rem paulò altius auspicer, omissis Græcis latina duntaxat adducam. *E dynastiarum Asiæ prouincijs omnium maximè idonea stabiliendo imperio est Media, cum propter regionis magnitudinem, tum propter numerum ingentem & præstantiam quà virorum, quà equorum. hoc quippe animantium genus vniuersa propè Asiæ Media suppeditat. Nam quæ varijs locis constituta habent reges equorum armenta, ea Medorum curæ ob soli vbertatem sunt commissa eademque vt præsidium ne deesset aduersus conterminos Barbaros, ex Alexandri instituto Græcanicis vrbibus vndique cingitur, si Ecbatana duntaxat excipias quæ vrbs in ea Mediæ condita est parte, quæ Aquiloni vento est opposita: imminet autem ijs regionibus Asiæ, quæ secundum Mæotim & Pontum Euxinum porriguntur. Regia Medorum ibi quondam fuit, ac videtur sanè ciuitas hæc vrbes omnes alias opibus & operum magnificentia superasse longo interuallo. sita est in montana regione, quæ radicibus Orontis subiacet, mœnibus caret: sed arcem habet manu factam, & ad firmitatem ad miraculum vsque munitam egregiè. arci regia subiacet: de qua satiusne sit cuncta sigillatim exequi, an penitus silere, iure aliquis dubitet. Nam vt ijs qui portentosas narrationes in medium afferre amant, quique res quas commemorant exaggerare supra modum consueuerunt, pulcherrimam dicta vrbs materiam præbet: ita illis, qui ad ea omnia cautè & cunctanter accedunt, quæ præter communem sensum dicuntur, difficultatem & inopiam consilij eadem affert. Verumenimuero, regia hæc eius amplitudinis est, vt stadia in circuitu habeat septem: operum & ornamentorum tantam in singulis partibus magnificentiam præ se fert, vt quanta rerum omnium copia abundarent, qui ab initio fundarunt, facilè sit æstimatu. Nam cum materia vniuersa esset è cedro aut cupresso, nihilominus tamen haud quidquam illius nudum à tegumento cerneres: sed erant trabes, lacunaria, & columnæ siue in porticibus, siue in peristylijs, laminis partim argenteis, partim aureis circúmamicta. Omnes item tegulæ fuere argenteæ. laminarum porrò istarum pleraque in aduentu Alexandri & Macedonum sunt detracta: cætera cum Antigonus & Seleucus Nicanor rerum potiebantur. Adhuc tamen quo tempore eo venit Antiochus, fanum solum, quod Aenæ indigetant, columnas circa habuit deauratas: & tegulæ quoque argenteæ plures ibidem erant congestæ. lateres quin etiam restabant, aurei quidem nonnulli, argentei verò multi. ex quibus omnibus pecunia illa est conflata, quæ regia imagine cernitur signata: ad talentorum ferè 4000 summam accedens.*

Lib.1.p.1.

a Ita vt ambitus alter alterum amplectatur.

b Adiuuabat ipso loci situ, vt qui collis esset. Sed accessit maior etiã ars & industria. factis septẽ ambitibus inter se contiguis, in quorũ postrema regia est & thesauri. Eorum autem amplissimus ambitus magnitudine plus minus circuitũ Athenarum exequat. Suntque primi omnibus pinnæ albæ: secundi, nigræ: tertij, puniceæ: quarti, cærulee: quinti sandaracenæ.

* Lib.10.p.397.

EAQVE AESTIVA GENTIBVS, legerem hic *regibus* pro *gentibus*. Editio nupera Allobrogica pro *gentibus* reposuit *agentibus*, non placet, nisi intelligas *regibus*, alij aliter edidere. Acidalius: *eaque æstiua gentis sedes*. tota ergo Media per æstatem Ecbatana commigrauit οἰχ ἤδαν ἑωμῶ. & quare æstiua? quia Ecbatana Aquiloni obuersa, per æstatem friget, cum in Asia passim vapor solis omnia accendat. Athenæus Rhagas æstiuam regum sedem ponit, quæ & ipsa in M. dia. Κᾶι οἱ Περσῶν βασιλεῖς, inquit, ἐαρίζουσι μὲν ἐν Ῥαγαῖς χειμάζουσι δὲ ἐν Βαβυλῶνι, Quia Babylon per hyemem calet, Rhagæ frigent sicut Ecbatana. Cum Curtio facit Strabo, qui de Ctesiphonte pago locutus: ἐνθάδε, inquit, ἐνταῦθα τὸν χειμῶνα διάγουσι οἱ βασιλεῖς ... τὸ θέρος δ᾽ ἐν ἐκβατάνοις. *Ibi Parthorum reges in hyeme propter aeris temperiem, degere solebant, Ecbatanis in æstate agunt.*

Lib.11.

Dio Brusæus oratione 6. de Diogene Sinopæo: Διογένης ὁ Σινωπεὺς, ὅτε ἔφυγεν ἐκ Σινώπης, ἀφικόμενος εἰς τὴν Ἑλλάδα, διῆγε ποτὲ μὲν ἐν Κορίνθῳ, ποτὲ δ᾽ Ἀθήνησιν· ἔφη δὲ μιμεῖσθαι τὴν Περσῶν βασιλέως τὴν δίαιταν· καὶ γὰρ ἐκεῖνος τοῦ μὲν χειμῶνος ἐν Βαβυλῶνι καὶ Σούσοις, ἐνίοτε δ᾽ ἐν Βάκτροις διῆγεν, ἐν τοῖς ἀλεεινοτάτοις τῆς Ἀσίας· τοῦ δὲ θέρους ἐν Ἐκβατάνοις τῆς Μηδικῆς, ὅπου ψυχρότατος ὁ ἀὴρ ἀεί ποτέ ἐστι, καὶ τοῦ περὶ Βαβυλῶνα χειμῶνος, τελέως ὅμοιον. οὕτω δὲ καὶ αὐτὸς μεταλλάττειν τὴν διατριβὴν, κατὰ τὰς ὥρας τοῦ ἔτους. *Diogenes Sinopensis, postquam fugit ex Sinope, perueniens in Græciam, viuebat nunc quidem Corinthi, nunc autem Athenis. Dicebat autem se imitari regis Persarum viuendi rationem. Quippe vt ille hyeme quidem in Babylone & Susis, interdum autem in Bactris, in serenissimis totius Asiæ* loci

Pag.86. principio orationis.

loci: æstate autem in Ecbatanis Medicæ prouinciæ viueret, vbi ferè semper aer frigidissimus est, similisque æstas hyemi circa Babylonem: ita etiam se mutare habitationem iuxta anni tempora.

Lib. 10 p. 5 97. NVNC TENENT PARTHI) Arsaces Parthorum regnum instituit. Polybius: Ἀντιόχου στρατεία κατὰ Ἀρσάκου τοῦ τὴν τῶν Πάρθων ἀρχὴν συστησαμένου ἐν τοῖς πρώτοις. *Antiochi expeditio aduersus Arsacem, qui Parthorum imperium inter primos fundauit.* Mithridates dein prior Medos bello victos Parthis
Lib. 41. adiecit. Iustinus: *Erat eo tempore Arsaces vir sicut incertæ originis, ita virtutis expertæ. Hic solitus latrocinijs & rapto viuere, accepta opinione Seleucum à Gallis in Asia victum, solutus regis metu, cum prædonum manu Parthos ingressus, præfectum eorum Andragoram oppressit, sublatoque eo, imperium gentis inuasit. Non magno deinde post tempore, Hyrcanorum quoque regnum occupauit, atque ita duarum ciuitatum imperio præditus grandem exercitum parat, metu Seleuci & Theodoti Bactrianorum regis. Sed citò morte Theodoti, metu liberatus, cum filio eius & ipso Theodoto fœdus ac pacem fecit: nec multò post cum Seleuco rege ad defectores persequendos veniente, congressus, victor fuit: quem diem Parthi exinde solennem, velut initium libertatis, obseruant. Reuocato dein Seleuco, nouis motibus in Asiam dato laxamento, regnum Parthicum format, militem legit, castella munit, ciuitates firmat, vrbem quoque nomine Claram, in monte Thaborreno condit: Cuius loci ea conditio est, vt neque munitius, quicquam esse, neque amœnius possit. Ita enim & præruptis rupibus vndique cingitur, vt tutela loci nullis defensoribus egeat, & soli circumiacentis tanta vbertas est, vt proprijs opibus expleatur. Iam fontium ac siluarum ea copia est, vt & aquarum abundantia irrigetur, & venationum voluptatibus exornetur.* Primus ergo à Regibus Syriæ, qui Alexandro successerunt, Arsaces defecit, Arsacis filius & ipse Arsaces nomine patris successit, Arsaci filio Pompacius, Pompacio Pharnaces, Pompacij F. qui Mardos subegit, Pharnaci frater Mithridates, qui Medos Parthis ingenti bello victos adiunxit, apud quos regnum vsque ad sera postea tempora permansit. vnde Curtius dicit: *Nunc Parthi tenent.* Mithridates porrò primus non fuit is qui cum Romanis decertauit, sed Arbano natus cognomento Magnus, nomen ab rerum gestarum magnitudine, vt Alexander & alij, adeptus.

*lib. 8 c. 7. BACTRA) de Bactris, & Bactrianis, suprà lib. 4. c. 18. dictum, sed infrà * suo loco, cum Alexander in Bactrianos mouerit, plenius dicetur.

Lib. 17. p. 346. CONSILIVM MVTAVIT) Darius rursus experiri cum Alexandro paratus. Siculus contra Darium Bactra perfugisse tradit, ibique à Besso interfectum.

M. D. STADIA) quadraginta septem, (stadijs minus quatuor) milliaria germanica, Italica centum & octoginta septem, eoque amplius.

XXX MILLIA PEDITVM) triginta millia peditum, tria millia equitum supra trecentos ægrè ex omni fuga & reliquijs gentium collegerat, exiguum numerum aduersus Alexandrum victorem, copijs etiam superiorem.

Li. 4. c. 18. BESSVS) Iam suprà huius mentio fuit, & suspecta fides.

DECLINAVIT VIA MILITARI) Via plana, lata publica, regia, popularis, equestris, curulis est, per quā plures simul incedere possint, & pedites, & equites, & currus. Græci λεωφόρους, ἁμαξιτοὺς ἁμαξηλάτους, ἱππηλάτους τὰς ἐυθυτέρας ὁδοὺς appellāt. In Pythagoræ præceptis λεωφόρους ὁδοὺς μὴ βαδίζειν *vulgi sententiā non esse sequendam.* Sed hæc alterius loci. Declinauit autem à via regia Darius, ne subito deprehenderetur & opprimeretur ab Alexandro, qui volare per regiones, non ambulare videbatur.

CAPVT XVII.

ARGVMENTVM.

Oratio Darij qua Satrapas suos ad extremum prælium adhortatur.



Oncilio deinde aduocato, Si me cum ignauis, inquit, & pluris qualemcunque vitam honesta morte æstimantibus fortuna iunxisset, tacerem potius, quam frustra verba consumerem: sed maiore quàm vellem documento, & virtutem vestram, & fidem expertus, magis etiam conniti debeo, vt dignus talibus amicis sim, quàm dubitare an vestri similes adhuc sitis. Ex tot millibus, quæ sub imperio fuerunt meo; bis victum me, bis fugientem persecuti estis. Fides vestra & constantia vt regem me esse credā, facit. Proditores & trāsfugæ in vrbibus meis regnant, non, Hercule, quia tanto honore digni habentur, sed vt præmijs eorum vestri solicitentur animi. Meam fortunā tamen

quam

quam victoris maluistis sequi, dignissimi quibus, si ego non possim, dij pro me gratiam referant: & me Hercule, referent. Nulla erit tam surda posteritas, nulla tam ingrata fama, quæ non in cælum vos debitis laudibus ferat. Itaque etiamsi consilium fugæ, à qua multum abhorret animus, agitassem; vestra tamen virtute fretus obuiam issem hosti. Quousque enim in regno exulabo, & per fines imperij mei fugiam externum & aduenam regem, cum liceat experto belli fortunam, aut reparare quæ amisi, aut honesta morte defungi? nisi fortè satius est expectare victoris arbitrium, & Mazæi & Methrenis exemplo precarium accipere regnum nationis vnius, vt iam malit ille gloriæ suæ, quam iræ obsequi. Nec dij siuerint, vt hoc decus mei capitis, aut demere mihi quisquam, aut condonare possit; nec hoc imperium viuus amittam. idem erit regni mei, qui & spiritus finis. Si hic animus, si hæc lex, nulli non parta libertas est: nemo è vobis fastidium Macedonum, nemo vultum superbum ferre cogetur. Sua cuique dextera aut vltionem tot malorum pariet, aut finem. Equidem quàm versabilis fortuna sit, documentum ipse sum. Nec immeritò mitiores vices eius expecto. Sed si iusta ac pia bella dij auersantur, fortibus tamen viris licebit honestè mori. Per ego vos decora maiorum, qui totius Orientis regna cum memorabili laude tenuerunt, per illos viros quibus stipendium Macedonia quondam tulit, per tot nauium classes in Græciam missas, per tot trophæa regum oro & obtestor, vt nobilitate vestra gentisque dignos spiritus capiatis, vt eadem constantia animorum, qua præterita tolerastis, experiamini quicquid deinde fors tulerit. Me certè in perpetuum aut victoria egregia nobilitabit aut pugna.

PRODITORES.) Mizæus Babylonem, Mithrenes Sardes, Abulites Susa, Tyridates cum Thesauro Persepolim prodiderat, Damasci præfectus iam interfectus erat. Amices prætor Aegypti & Mempheos cessit Alexandro Aegyptum.

TRANSFVGAE.) Bagophanes arcis Damascenæ proditor.

BIS VICTVM.) imò ter, ad Granicum absentem: præsentem ad Issum & Gaugamela.

ME HERCVLE.) Hercle, Hercule, Hercules, Aedepol, Aecastor, Per Iouem, Mediusfidius, *μὰ τὸν Ἡρακλέα, τὸν Δία, τὴν Ἥραν*, & hoc genus aliæ iurandi & affirmandi formulæ paganorum fuère.

PRAEMIIS EORVM.) quando res tam benè cessit ijs, qui se Alexandro permiserunt, etiam nobis non malè cedet, illorum exemplum secutis. Ita poterāt qui Darium adhuc sequebantur, cogitare, & ad defectionem inuitari: sed fides vicit fortunam, quamuis aduersam.

IN REGNO EXVLABO.) domi exul ero. rex enim vbique in regno suo, domi est. sed iam domum & regnum penè totum amiserat, nullo loco tutus, nusquam amplius domi.

HONESTA MORTE DEFVNGI.) Pulchrius enim est regi liberè mori, quàm precario viuere & regnare.

MAZAEI.) Babyloniæ Satrapæ, Mithrenis Sardium & Lydiæ prætoris, qui sunt quasi reges, sed fiduciarij seu potius vicarij: rex enim verè non est, qui ab altero regitur aut alteri paret.

DECVS CAPITIS MEI.) fascia regia, diadema, insigne regium, cidarim suprà vocarat Curtius.* Lib 3.c.7.

REGNI ET SPIRITVS FINIS.) regiè hoc, & ex indole regia, qua tamen Darium carere suprà dixerat. *Quam vellem*, inquit, Ochum complexus, *Darius aliquid ex hac indole hausisset*.

QVAM VERSABILIS FORTVNA SIT.) verè proinde à pictoribus & poetis rotæ versabili imponitur, *quæ solum constans in leuitate sua est*. Nec vnquam eodem diu stat vestigio. Quin & fragilis & vitrea est, & tum cum maximè splendet, frangitur.

MITIORES VICES) multos abiecit, abiectos rursus extulit, quod passim barbarorum, Græcorum, & Romanorum historiæ narrant, nec est quod chartas exemplis impleam, pleraque in promtu sunt, caput vltimum Valer. Max. lib. 6. consule, de morum & fortunæ varietate & mutatione.

PER EGO VOS DECORA.) peroratio.

STIPENDIA MACEDONICA TVLIT.) Dario Hydaspis Xerxi. Tota hæc Darij oratio ita plana & expedita est, vt interprete longiore, vel Scholiaste non indigeat. Doctor tamen politioris literaturæ auditoribus suis propinabit orationis Curtianæ elegantiam, gnomas nobiles, & concinnos periodorum ambitus.

CAPVT XVIII.

ARGVMENTVM.

Desperatio cum horrore Ducum ex oratione Darij concepta. Artabazi fides, Nabarzanis & Bessi coniuratio.



Aec dicente Dario præsentis periculi species omnium simul corda animosq; horrore perstrinxerat, nec aut consilium suppetebat, aut vox, cum Artabazus vetustissimus amicorum, quem hospitem fuisse Philippi sæpè diximus, Nos verò, inquit, preciosissimam vestem induti, armisq; quanto maximo cultu possumus adornati, regem in aciem sequemur, ea quidem mente, vt victoriam speremus, mortem non recusemus. Assensu excepere ceteri hanc vocem. Sed Nabarzanes qui in eodem consilio erat, cum Besso inauditi ante facinoris societate inita regem suum per milites, quibus ambo præerant, comprehendere & vincire decreuerant, ea mente, vt si Alexander ipsos insecutus foret, tradito rege viuo inirent gratiam victoris, magno profecto cepisse Darium æstimaturi: sin autem eum effugere potuissent interfecto Dario, regnum ipsi occuparent, bellumq; renouarent. Hoc parricidium cum diu voluta ssent, Nabarzanes aditum nefariæ spei præparans: Scio me, inquit, sententiam esse dicturum prima specie haud quaquam auribus tuis gratam: sed medici quoque grauiores morbos asperis remedijs curant, & gubernator, vbi naufragium timet, iactura quicquid seruari potest, redimit. Ego tamen non vt damnum quidem facias suadeo, sed vt te ac regnum tuum salubri ratione conserues. Dijs auersis bellum inimus, & pertinax fortuna Persas vrgere non desinit. Nouis initijs & ominibus opus est. Auspicium & imperium alij interim trade qui tamdiu rex appelletur, donec Asia decedat hostis: victor deinde regnum tibi reddat. hoc autem breui futurum ratio promittit. Bactra intacta sunt, Indi & Sagæ in tua potestate, tot populos, tot exercitus, tot equitum peditumque millia ad renouandas vires parata habes, vt maior belli moles supersit, quàm exhausta sit. Quid ruimus belluarum ritu in perniciem non necessariam? Fortium virorum est magis mortem contemnere, quàm odisse vitam. Sæpè tædio laboris ad vilitatem sui compelluntur ignaui, at virtus nihil inexpertum omittit. Itaque vltimum omnium mors est, ad quam non pigrè ire satis est. Proinde si Bactra, quod tutissimum receptaculum est, petimus, præfectum regionis eius Bessum regem temporis gratia statuamus. Compositis rebus iusto regi tibi fiduciarum restituet imperium.

NEC AVT CONSILIVM AVT VOX SVPPETEBAT.) Attonitis nempè omnibus, cum præsentem omnibus omnia mortem intentarent.

ARTABAZVS.) Vbi fides, laus, prudentia, constantia huius principis à Curtio commendatur. suprà lib. 3. appellatur *princeps purpuratorum*; infrà, desperanti Dario optima consilia suggerit, ipse
cap. 25. vices regis in castris Persarum agit, donec potentiores coniurati regem oppressere. Hospitem au-
lib. 6. c. 8. tem Philippi fuisse infrà rursus docet, cum se Alexandro cum filijs & familia sua, Græcoque milite
Arrian. p. 68. dedidit, quem & amantissimè excepit, & auxit honoribus. Eundem à fide celebrat Arrianus. *De Dario certior factus est captiuum illum in curru vectari, Bessum loco Darij imperium obtinere, & à Bactrianis equitibus alijsq; barbaris, qui cum Dario fugerant, ducem nominari, præterquam ab Artabazo & Artabazi filijs Græcisq; mercenarijs. Hos fidos perpetuò in Darium fuisse, neque ea quæ acciderant impedire potuisse. eosq; à publica via deflexos, montes petere, nec cum Besso consilia communicare.*

PRECIOSISSIMAM VESTEM INDVTI.) More gentis. suprà de Persepoli capta: *Multi ergo hostium manum voluntaria morte occupauerunt, preciosissima vestium induti è muro seipsos cum coniugibus ac liberis in præceps iacientes.* Iustinus lib. 14. de Olympiade occidenda. *Sed Olympias, vbi obstinatos venire ad se armatos vidit, veste regali, duabus ancillis innixa vltro obuiam procedit.*

CAETERI.) Præter Nabarzanem, Bessum, Bratam, Arachotorum prætorem, Satibarzanem & Barzaentem cum suis coniuratis.

INAV-

INAVDITI ANTEA FACINORIS.) ἀγριώτερον hoc & ὑπερβολικώτερον, grauiora & hoc atrociora facinora memini, quando filij parentes reges, & fratres se mutuo regnandi caussa interfecerunt. Ninyos ex matrem Semiramidem sustulit. Cambyses Cyri F. Comarim seu Praxaspem trucidauit. Notum ex Iustino, & alijs, quomodo Xerxes perierit, quomodo Darius puer ab Artaxerxe fratre fraudibus Artabani interemptus sit: Quæ omnia ante Darium vltimum accidere. Nihil dicam de sacra historia, quando Absolonus ipsum Dauidem, quo nihil sanctius erat, impio bello persecutus est. Ipse Alexander infrà lib. 9. c. 12. *Philippus in acie tutior, quàm in theatro fuit, hostium manus sæpè vitauit, suorum effugere non valuit.* Aliorum quoque regum exitus si reputaueritis, plures à suis quàm ab hoste interemptos numerabis. Verbum non amplius addo, *Inauditi* ergò *facinoris*, exponerari, crudelis, atrocis, immanis.

INIRENT GRATIAM VICTORIS.) Næ illi procul vero aberrarunt; nunquam Alexander patricidia regum suorum laudauit, qui Bessum in crucem egit.

BELLVM RENOVARENT.) Quod Bessus, qui se pro rege gessit, necquicquam conatus est.

SCIO ME.) Elegantissima & sententiosissima, quamuis impia, improba, ab impio prolatâ oratio, qua suadet Dario differendum prælium, & abdicandum imperium. Huius apud Caussinum in Parallelis eloquentiæ, hæc est œconomia lib 13 pag. 563.

1. Insinuatione vtitur vulpes (Nabarzanes) in re ambigua, proponens se austera quidem, sed salubria dicturum, ducto à medicis exemplo. Hanc similitudinem fusè prosequitur Augustinus Epist. 48. ad Vincentium, & Epist. 1. ad Bonifacium, & ser. 59. de verbis Domini. Cæsarius Arelatensis hom. 8. Philo Iudæus de sacrificijs.

2. Primo opponit religionem, & infelicitatem ad deterrendum Darium, quo prætextu ambitiosi & improbi, vt videre est in varijs historijs, sæpè abuti solent: quippe nil efficacius multitudinē regit, & vt ait Iustinus, lib. 8. *Iure ille à Dijs proximus habetur, per quem Deorum maiestas vindicatur.* Verùm huiusmodi homines prætexti cælo, captant terras.

3. Addit suæ fraudi delineamenta, & spes præclaras in posterum colligit ex adiunctis, si Darius tantisper huic infelicium rerum velut effuso torrenti se subtrahat.

4. Quod vafræ artis est, etiam sententiosus est insidiator, quò sincerius loqui videatur, & facilius in errorem inducat. Sed χρυσοῖν κυλλιέπτων, suspecta prudentibus oratio.

5. Ad summum, rem de compacto gerunt perfidiosi, vt in Velabro Olearij.

Sic multi animum, quorum atroci iunctus malitia est,
Composita dicta ex pectore voluunt suo,
Quæ cum componas dicta factis discrepant. Accius in Emmonidibus.

MEDICI QVOQVE.) Nobilis comparatio ex Iatrica petita, quam affirmat senarius:

Medicus loco demum vltimo, ferro vtitur.

Plutarchus de Scipione Minore: ὁρῶν δὲ τὴν ἀπόνοιαν τῶν πολεμίων, ἔλεγεν ὠνεῖσθαι τῷ χρόνῳ τὴν ἀσφάλειαν. τὸν γὰρ ἀγαθὸν στρατηγὸν ὥσπερ ἰατρὸν ἐσχάτης δεῖσθαι τῆς διὰ τοῦ σιδήρου θεραπείας. οὐ μὴν ἀλλ' ἐπιθέμενος ἐν καιρῷ τοὺς Νομαντίνους ἐξέψατο *Videns coniunctam cum insania hostium temeritatem, dicebat se tempore redimere securitatem. Bonum enim imperatorem itidem, vt medicum, ad malum curandum vltimo demum loco ferrum adhibere. Nihilominus tempore tamen suo adortus Numantinos fudit.* Plutarchus in apophtheg. Scip. Numantini

NAVARCHVS.) Altera similitudo à nauarcho petita. Elegans est, super qua re iocus, nisi fallor, apud Tomam Morum, qui narrat, imperatum vectoribus in tempestate à gubernatore, vt grauissimum quisque onus & sarcinam in mare iactaret; à quodam vxorem arreptam & eiectam, quod negaret se grauius onus habere. *Damnum facere in tempore lucrum est, non damnum.*

DSIS AVERSIS BELLVM INIMVS.) quàm cautè sibi viam munit ad abrogandum Dario regnum perduellis! per sententias incedit, vt salutaria suadere videatur, dum exitium parat.

PERTINAX FORTVNA.) Irata nobis, & quò maior, hoc pertinacior & iracundior.

OMINIBVS.) Tandem aperit, sed sensim, quod molitur. Opus est nouis initijs, nouis ominibus, nouo duce, nouo rege, tu non es aptus ad regni gubernacula.

IMPERIVM ALTERI TRADE.) Hic tandem apertè parricidale consilium nudat.

RATIO PROMITTIT.) Nam, si tu regnum alteri fiduciarium commiseris, interim ad Bactrianos, Sagas, Indos te conferes, ibique totum Orientem contra Alexandrum mouebis, fortiorque redibis victus, quàm victor ad te accedet.

Sed qui sunt isti Sagæ? infrà quoque horum mentio est. Venturos autem Chorasmios, & Dahas, lib. 7. c. 6.
Sagasque, & Indos, & Tanaim amnem colentes Scythas. Et lib. 8. c. 10. rex illorum regionem populatur. Sed tu hoc, inquis, age, dic qui sint Sagæ, quando plerique Geographi etiam tacent. Loquitur tamen doctissimus Mela: *Inde Asiæ confinia (nisi vbi perpetuæ hiemes sedent, & intolerabilis rigor) Scythici populi incolunt, ferè omnes etiam in vnum Sagæ appellati.* Sunt, qui eosdem Sagas & Sacas existiment, nec multum falluntur, cum vtraque gens, seu vna potius, Scythica fuerit, & Mela testetur, communi nomine omnes Scythas, dictos Sagas. Plura de his infrà ex Goropio, Indicem vide. lib. 1. c. 2.

QVID RVIMVS BELLVARVM RSTV.) Dio Brusæus, seu Chrysostomus hom. 29. *Quod si quis aliter sentit, hic cogitet, apros & ceruos, quandiu quidem illis vis & robur adest, nec cum hominibus,*

ribus, nec canibus congredi. Quando autem vis elanguit & victa est, tum communiter persequentes aggrediuntur, maluntque vulnerari & mori, quam fugere & sustinere insequentes.

FORTIVM VIRORVM EST MAGIS MORTEM CONTEMNERE.) Exposito consilio agitati sceleris, redit ad locos communes & sententias, quibus mitiget rei atrocitatem. Seneca.

Theb v. 190. & seq.

——Non est, vt putas, virtus, pater,
Timere vitam, sed malis ingentibus
Obstare, nec vertere ac retrò dare.

Orat. 19. Dio Brutus: οὕτω τόγε θανατᾶν καταφρονεῖν οὐκ ἀνδρείας ἐστὶν ἀλλὰ τολμηρίας. *Ita vulnera contemnere non fortitudinis, sed ignauiæ.* Critognatus apud Cæsarem: *Animi est ista mollities, non virtus, inopiam paulisper ferre non posse. Qui se vltrò morti offerant facilius reperiuntur, quam qui dolorem patienter ferant.* * Plotius Firmius docet, *maiore animo tolerari aduersa, quam relinqui: Fortes & strenuos etiam contra fortunam insistere spei, timidos & ignauos ad desperationem formidine properare.*

Lib 7. de bello Gal. cap. 77.

* Tacitus lib. 2 hist.

VLTIMVM OMNIVM MORS EST) Ita Senarius docet:

Mors vltimum est, ad quam ire non pigrè est satis.

PROINDE SI BACTRA. Epilogus; Dario in Bactrianam prouinciam refugiendum, Bessum proregem instituendum, quoad belli tempestas deseuiat, & serena tempora redeant, tum fore vt Bessus regnum interim in fidem receptum restituat Dario. Sentit insidias Darius, proinde vindicare ferro conatus, inhibetur.

CAPVT XIX.

ARGVMENTVM.

Darius sentit insidias quas exire tamen non potuit. Artabazi & Græcorum cum Patrone fides in eundem. Artabazus pro rege administrat castra.



Aud mirum est Darium non temperasse animo, quanquam tam impiæ voci quantum nefas subesset, latebat. Itaque, Pessimum, inquit, mancipium, reperisti exoptatum tibi tempus, quo parricidium aperires? strictoq; acinace interfecturus eum videbatur, ni properè Bessus Bactrianique tristium specie, ceterum si perseuerarct, vincturi circumstetissent. Nabarzanes interim elapsus, mox & Bessus consecutus copias quibus præerant, à cætero exercitu secedere iubent, secretum inituri consilium. Artabazus conuenientem præsenti fortunæ sententiam orsus mitigare Darium, temporum identidem admonens cœpit. Ferret æquo animo qualiumcunq; suorum tamen, vel stultitiam, vel errorem. Instare Alexandrum grauem, etiam si omnes præstò essent. Quid futurum si persecuti fugam ipsius, alienentur à rege? Aegrè paruit Artabazo, & quamquam mouere castra statuerat, turbatus tamen omnium animis eodem in loco substitit. Sed attonitus mæstitia simul & desperatione, tabernaculo se inclusit. Ergò in castris, quæ nullius regebantur imperio varij animorum motus erant, nec in commune, vt antè, consulebatur. Dux Græcorum militum Patron arma capere suos iubet, paratosq; esse ad exequendum imperium. Persæ secesserant. Bessus cum Bactrianis erat tentabatq; Persas abducere, Bactra & intacta regionis opulenta, simulq; quæ manentibus instarent pericula ostentans. Persarum omnium eadem ferè fuit vox, nefas esse deseri regem. Inter hæc Artabazus omnibus imperatorijs fungebatur officijs. Ille Persarum tabernacula circuire, hortari, monere nunc singulos, nunc vniuersos, nec ante destitit, quàm satis constaret imperata facturos. Idem ægrè à Dario impetrauit, vt cibum caperet, animumq; regis.

NON TEMPERASSE ANIMO.) Sentit enim quorsum oratio Nabarzanis tenderet, quamuis nesciret, quæ clam consilia inter se Bessus & Nabarzanes loquerent.

L. ff ad L. Pomp de parricidijs. PARRICIDIVM. Itáne parricidium? Atqui Cæsar, Rex, Princeps, magistratus non continentur lege Pompeia de parricidijs, quæ ita habet: *Lege Pompeia de parricidijs cauetur, vt si quis patrem, matrem, auum, auiam, fratrem, sororem, patruelem, matruelem, patruum, auunculum, amitam, consobrinum,*

num, consobrinam, vxorem, virum, generum, socrum, vitricum, priuignum, priuignam patronum, patronam occiderit, cuiusue dolo malo id factum erit, vt pœna ea teneatur, quæ est legis Corneliæ de sicarijs. Sed & mater, quæ filium filiamue occiderit, eius legis pœna adficitur, & auus qui nepotem occiderit, & præterea qui emit venenum, vt patri daret, quamuis non potuerit dare

Si paullò latiùs verbum accipias, etiam ex Iureconsultorum decretis comprehendes hac voce, qui Dominum, principem, magistratus, Papam occidunt, & alios his pares, vel suppares: inter quos primus Cæsar, Rex, Dux, patria, ciuitas. Barthol. in L. vtrum ff. ad L. Pompeiam de parricidijs.

BESSVS BACTRIANIQVE TRISTIVM SPECIE.) Quasi deprecabundi circumstetissent, deterruissentque Darium ferrum Nabarzani minitantem.

A CAETERO EXERCITV.) Persarum & Græcorum.

SECRETVM CONSILIVM.) Quomodo regem vincirent, aut omninò mactarent.

ARTABAZVS.) Semper fidus Dario, & regis officio interim defungens.

QVALIVMCVNQVE, SVORVM TAMEN.) Qualiumcunque, seu improborum, seu stultorum, suorum tamen subiectorum & popularium: quos vindicandi negauit tempus esse. (Leni verbo stultitiam & errorem interpretatur scelus Bessi & Nabarzanis Artabazus) supra caput esse cogitaret Alexandrum, cui, si Bessus & Bactriani deficerent, resistere nullo modo posset.

ATTONITVS.) Omni consilio destitutus, resisteret an fugeret, an ad pugnam se pararet dubius.

DVX GRAECORVM PATRON.) Qui quatuor millia ex quinquaginta millibus habebat reliqua, mercede ex Græcia conductorum, vsque ad necem Dario fida. Persæ quoque negabant fas esse deseri regem, quamuis à Besso solicitarentur. Sed Artabazus omnes præter Bactrianos in fide retinuit.

Darius interim inedia se conficere statuerat, quem Artabazus ad animi æquitatem erexit, & vt cibum caperet, persuasit. En fortunam regum, vbi semel hærere, labi, & ruere incipiunt.

CAPVT XX.

ARGVMENTVM.

Coniurati artes quærunt quibus Darium comprehendant, simulant pœnitentiam, recipiuntur in gratiam.

AT Bessus & Nabarzanes olim agitatum scelus exsequi statuunt, regni cupiditate accensi. Dario autem incolumi tantas opes sperare non poterant: quippe in illis gentibus regum eximia maiestas est: ad nomen quoque Barbari conueniunt, & pristina veneratio fortunam sequitur aduersam. Inflabat impios animas regio cui præerant, armis, virisq; & spacia locorum nulli gentium secunda: tertiam partem Asiæ tenet, multitudo iuniorum, exercitus, quos amiserat Darius, æquabat. Itaque non illum modò, sed etiam Alexandrum spernebant: inde vires imperij repetituri, si regionis potiri contigisset. Diu omnibus cogitatis, placuit per milites Bactrianos ad omne obsequium destinatos regem comprehendere, mittiq; nunciũ ad Alexandrum, qui indicarent viuum asseruari. Si, id quod timebant, proditionem aspernatus esset, occisuri Dariũ & Bactra cum suarum gentiũ manu petituri. Cæterùm, propalã cõprehendi Darius non poterat, tot Persarum millibus laturis opem regi. Græcorum quoque fides timebatur. Itaque quod non poterant vi, fraude assequi tentant. Pœnitentiam secessionis simulare decreuerant, & excusare apud regem consternationem suam. Interim qui Persas solicitarent, mittuntur: hinc spe, hinc metu militares animas versant. ruinæ rerum subdere illos capita in perniciem trahi, cùm Bactra pateant, exceptura eos donis & opulentia quantam animis concipere non possint. Hæc agitantibus Artabazus superuenit, siue regis iussu, siue sua sponte, affirmans mitigatum esse Darium, & eundem illis amicitiæ gradum patere apud regem. Illi lachrymantes nunc purgare se, nunc Artabazum orare, vt causam ipsorum tueretur, precesq; perferret. Sic peracta nocte, sub lucis exortu Nabarzanes cum Bactrianis militibus in vestibulo prætorij aderat, titulum solennis officij occulto sceleri præferens: Darius

signo

Ipse cum mille equitibus peditúmque expedita manu interiorem Persidis regionem sub ipsum Vergiliarum sidus petijt. multisque imbribus, & propè intolerabili tempestate vexatus, procedere tamen quo intenderat, perseuerauit. Ventum erat ad iter perpetuis obsitum niuibus, quas frigoris vis gelu astrinxerat: locorumque squalor, & solitudines inuiæ fatigatum militem terrebant, humanarum rerum terminos se videre credentem. Omnia vasta, atque sine vllo humani cultus vestigiò attoniti intuebantur: & antequam lux quoque & cælum ipsos deficerent, reuerti iubebant. Rex castigare territos supersedit. Cæterum ipse equo desilijt, pedesque per niuem & concretam glaciem ingredi cœpit. Erubuerunt non sequi primum amici, deinde copiarum duces, ad vltimum milites: primusque rex dolabra glaciem perfringens iter sibi fecit. Exemplum regis cæteri imitati sunt. Tandem propemodum inuias siluas emensi, humani cultus rara vestigia, & passim errantes, pecorum greges reperere: & incolæ sparsis tugurijs habitabant, cùm se callibus inuijs septos esse credidissent, vt conspexere hostiũ agmen, interfectis, qui fugientes comitari non poterant, deuios montes & obsitos niuibus petiuerunt. Inde per colloquia captiuorum paulatim feritate mitigata, tradidere se regi: nec in deditos grauius consultum. Vastatis deinde agris Persidis, vicisque compluribus redactis in potestatem ventum est in Mardorum gentem bellicosam, & multum à cæteris Persis cultu vitæ abhorrentem. specus in montibus fodiunt, in quos seq́ ac coniuges & liberos condunt: pecorum aut ferarum carne vescuntur. Nec feminis quidem pro natura habitu molliora ingenia sunt. Coma prominent hirta, vestis super genua est, funda vinciunt frontem: hoc & ornamentum capitis & telum est. sed hanc quoque gentem idem fortunæ impetus domuit. Itaque trigesimo die postquam à Persepoli profectus erat eodem redit. Dona deinde amicis cæterisque pro cuiusque merito dedit. propemodum omnia quæ in ea vrbe ceperat, distributa.

Captis Pasargadis.) Variam huius loci scripturam cognoui. Stephano Πασαργάδαι vti & Solino, Arriano, Straboni, Dionysio, plerisque alijs Πασαργάδαι, alicubi mendosè Parsagadæ & Persagadæ, est ciuitatis & gentis nomen, vox sonat *castra Persarũ*. Pasargadas Herodotus optimos Persarum ἀρίστους Περσῶν dixit. Hic conditorium erat Cyri, de quo copiosè lib. 10. c. 3. docebimus, vrbem ipse posuerat. Causa vrbis condendæ fuit victoria id loci ab Astyage Medorum rege relata, vt est in quintodecimo Strabonis.

Globaris.) Nulla alibi huius mentio, vti nec Nicarchidæ.

Arcem.) Hanc enim incensa vrbe seruari iusserat, quam tamen postea instinctu Thaidis deleuit.

Tyridati.) De hoc, cap. 11. suprà, custos regiæ pecuniæ fuerat Persepoli & mansit, quamquam thesaurum omnem Strabo tradat Susa deportatum.

Interiorem Persidis regionem.) Ad barbaras & inconditas atque anonymas gentes debellandas, donec ad Mardos, quos infrà describit, perueniret.

Svb ipsvm Vergiliarvm sidvs.) Græci, imò & Latini sæpè (Virg. lib. 1. Georg. v. 138. Manilius lib. 5. Seneca in Medea) hoc sidus & astrum, Pleiadas appellant. Hesiodus ἐν ἔργοις καὶ ἡμέραις.

Πληϊάδων Ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων
Ἄρχεσθ' ἀμητοῦ, ἀρότοιο δὲ δυσομενάων.
Αἳ δή τοι νύκτας τε καὶ ἤματα τεσσαράκοντα
Κεκρύφαται, αὖτις δὲ περιπλομένου ἐνιαυτοῦ
Φαίνονται τὰ πρῶτα χαρασσομένοιο σιδήρου.
Pleiadas cernens orientes demete frugem,
Vomere verte solum cùm submerguntur in vndas.
At hæ vicenas latitant noctesq; diesq;,
Hinc iterum apparent impletis mensibus, anni
Tempore, quo primùm incipiunt splendescere falces.

Quibus versibus Hesiodus ortum & occasum Vergiliarum accuratè describit, & quando sit metendum, quando arandum. Ad quos versus multa Moschopulus, plura Proclus, plurima Tzetzes, omnes tres Hesiodi Scholiastæ Græci.

Tzetzes, quod maximè huc facit, ita explicat: ἡ ἐπιτολὴ δὲ τῶν πλειάδων γίνεται ἀπὸ Μαΐου μηνὸς ὀγδόης, μέχρι Ἰουνίου ιϛ΄. ἡ δὲ τούτων ἑσπερία δύσις ἀπὸ Ὀκτωβρίου ή, μέχρι Δεκεμβρίου θ΄. *Oriuntur Pleiades à nono Maij vsque ad 16. Iunij: Occidunt occasu vespertino ab octauo Octobris, vsque ad nonum Decembris.*

Cæterùm, Virgiliæ dicuntur, quod quasi virgæ quædam extendantur: Vergiliæ, quòd sub veris finem oriantur: Pleiades, quasi πλείονες, quòd plures sint, proinde Manilius lib. 4. sidus glomerabile vocauit: velà πλέω, quòd nauigandi tempus aperiant: Atlantides à patre Atlante. Septem sunt: stellæ in Tauri cauda. Manilius:

Taurus

Taurus in auersos praeceps vt tollitur ortus Manil. l. 5.
sexta parte sui, certantes lucis ad oras
Pleiades ducit----

Ad quem locum ita Scaliger. *Taurus oritur posteriore sui parte, hoc est, τὰ ἀποτομῇ. Itaque Pleiades oriuntur tunc. Nam Vergiliarum sidus constituit ἀποτομὴν ταύρου. Propterea dicitur auersus oriri: quia non τοῖς ἐμπροσθίοις, sed posteriore parte oritur. Deinde, praeceps dicitur oriri: quia nimirum πρηνὴς situs est in zodiaco. quo nomine πεπτηῶτα Aratus dixit, vt & alibi monemus. At minus prudenter Vitruuius haec de Tauro scribit: Cum progreditur ad caudam Tauri, sidusque Vergiliarum , è quibus eminet dimidia pars prior Tauri. Contradicit sibi: Nam si dimidia pars Tauri finitur in Vergilijs, vnde illi cauda dimidiato?*

Ad Curtium vt redeamus, qui de occasu Pleiadum seu Vergiliarum intelligendus: nam quando sol cum Scorpione ascendit, Taurus cum Pleiadibus suis & Suculis descendit, & hiemem inchoat: est enim Taurus Scorpioni oppositus. Plinius.* *Virgiliarum occasus hyemem inchoat, quod tempus* in III. Idus Nouembris incidere consueuit. Et cum Curtio mirè facit haec explanatio Vergiliarum occidentium. Quae enim hic ab Alexandro gesta narrantur per hyemem facta, sequentia mox verba testantur. *multisque imbribus & propè intolerabili tempestate vexatus, procedere tamen, quo intenderat, perseuerauit. Ventum erat ad iter perpetuis obsitum niuibus, quas frigoris vis gelu astrinxerat.* Et mox intrà: *Caeterum ipse equo desilijt, pedesque per niuem & concretam glaciem ingredi coepit.* Vide hiemem, niues, glaciem. Et sicut occasus Vergiliarum, hiemem; ita exortus, aestatem nunciabat. Plinius: *Datus est autem huic (Fauonio) exortus Vergiliarum in totidem partibus Tauri, sex diebus ante Idus Maias.* Quae porrò Moschopulus, Proclus, & Tzetzes de matutino, & vespertino. itemque de Cosmico, Chronico, Achronico, & Heliaco Pleiadum, vti &* Ioannes de Sacro Bosco, & Clauius ad eundem tractant, hic & lectorem μαθηματικώτερον ad eosdem remitto. Voles tamen nomina Vergiliarum, seu Pleiadum nosse. Accipe ex Tzetze Hesiodi Scholiaste, ab Arato expressas, quamuis sex duntaxat affirmet adspectabiles, quarum haec nomina, Halcynoe, Merope, Celaeno, Electra, Sterope, Taygete, Maia, patre Atlante, matre Pleone Oceani filia natae, quas Aratus his versibus complexus est:

* l. 2. c. 47.

Ibid.

Ad lib. α. ἔργ. καὶ ἡμ.

* cap. 3.

--- ἑπτὰ δ' ἐκεῖναι ἐπιῤῥήδην καλέονται,
Ἓξ οἴαι περ ἐοῦσαι ἐπόψιαι ὀφθαλμοῖσιν,
Ἀλκυόνη, Μερόπη τε, Κελαινώ τ' Ἠλέκτρη τε,
Καὶ Στερόπη καὶ Ταϋγέτη καὶ πότνια Μαῖα.
----Septem illa esse feruntur,
Quamuis sint oculis hominum sex obuia signa,
Alcyone, Meropeque, Electraque, diua Celaeno,
Taygete, Sterope, praeclaro lumine Maia.

Sunt qui duodecim nominent vnà cum filio Hyante, quem draco in Lybia interfecit à quinque sororibus defletum, quas lacrimis extinctas Iupiter caelo inseruit, & inter astra lucere iussit hyadas dictas, quarum nomina apud Hesiodum *in libro de Astris*; haec sunt, Phaeole, Coronis, Cleia, Phaea, Eudora, hoc carmine comprehensa:

Φαισύλη ἠδὲ Κορωνὶς ἐϋστέφανός τε Κλέεια,
Φαιώ θ' ἱμερόεσσα καὶ Εὐδώρη τανύπεπλος,
Νύμφαι ἃς Ὑάδας καλέουσιν φῦλ' ἀνθρώπων,
Phaola, siue Coronis, & hinc formosa Cleia,
Phaeoque, Eudoreque implexis crinibus auro,
Quas nymphas, Hyadas, mortales nomine dicunt.

Haec Tzetzes ex Arato & Heliodo, plura ex alijs Natalis Comes. Sed haec ad hunc Curtij locum plus satis.

REVERTI IVBEBANT) Squalor, inuia, & horrida tesqua; omnia deserta, inculta, reuerti iubebant, suadebant, perinde quasi extra solis vias progressi essent, & mox in confusum sine Sole & caelo chaos essent ingressuri.

SVPERSEDIT) veritus, ne id frustra faceret, plus exemplo profecturus. Et cum sciret omnia labore vinci, primus manum admouit, & inuia peruia fecit.

ERVBVERVNT) quid enim turpius amicis regijs, laborante rege, cessare. Et cum amici, omnes essent principes, erubuerunt & duces belli; & postremo miles ipse. Ita nihil non exemplo regis, quem orbis sequitur, excepto caelo, expugnabile.

SPARSIS TVGVRIIS) eleganter hoc, seiunctis inter se, non in morem vrbis aut oppidi , aut vici, vnum in locum intra moenia & muros collectis & clausis, sed per agros, & siluas, & solitudines passim sparsis.

IN MARDORVM GENTEM) Non ineptam hic dubitationem ponit Glareanus, habetque suspectam hanc Alexandri excursionem, cum nulla eius nec apud Diodorum , nec Arrianum mentio sit. Sed enim Curtius sua non tantum ex Diodoro hausit, sed multis alijs Graecis, qui hodie desiderantur, multaque saepè alia passim apud Curtium leges , quae apud Diodorum nusquam leguntur. De Mardis hic sanè etiam vehementer addubito, cum infrà demum lib. 6. cap 9. Mardorum gentem

Hirca-

Hircanis confinem ponat, & Mardos hic domitos scribat, ibi illam solam gentem nullos misisse legatos, qui Alexandrum salutarent, seseque illi dederent, doceat, regemque indignatum, *si vna gens posset efficere, ne inuictus esset*, exceptum etiam ab ijs Bucephalum equum Alexandri, vt illo loco cognosces? Quid dicemus? an gentem hanc illi cognominem fuisse? vbi auctoritas testium? An hanc gentem eo vsque pertinuisse? sed ibi tanquam de diuersa gente Hircanis vicina, valde ab hac quæ in Perside fuit remota, narrat:

Non hæc arbitrio sunt dirimenda meo.

Nec placet coniectura Glareani, qui alteribi censet legendum *Margi*, cum Margiana longè diuersa fuerit à Mardorum terra; illa ferax, hæc sterilis; illa viribus consita & ad miraculum felix, hæc vnus quidam & perpetuus saltus, in quo incolæ ritu ferarum degebant. Suidam audi: Μάρδοι ἔθνος τὸ πᾶν λῃσταί. καὶ οὔτ' ἂν εὖ ποιῶν τις αὐτοὺς πιστοὺς κτήσαιτο, οὔτ' ἂν κακώσας ἐς τόσον δὲ ταπεινώσειεν ὡς εἰ φόβου ἀπαλλαχθεῖεν, μὴ ἂν παραυτίκα ἐπιθέσθαι οἷς πάλαι ὑπείξαντο. *Mardi*, inquit, *tota gens latrocinijs dedita, adeoque fera vt nullis beneficijs tibi fidos reddas, nec si victos opprimas, cedunt, nam simulac metu liberati fuerint, rursus impetum facient in eos, quibus antea paruerunt.* Subijcit dein rursus Suidas, quasi alios Mardos, qui valdè conueniunt cum primis his Curtianis, adeò, vt reuera, quod conieci, fuerint cognomines voce, sed terris longè inter se diremti. Μάρδοι, inquit, ἔθνος πολυάνθρωπον, τραχεῖαν γῆν ἐκπονοῦντες καὶ μόλις ἀφ' ὧν γεωργοῦσι τρεφόμενοι ἄνιπποι καὶ πένητες. ὡς καὶ τὴν κρείττω ἀπεσεῖσθαι τύχην. *Mardi gens populosa asperam colit terram, & agrè ex agrorum cultu sibi victum parat, caret iumentis & equis, tenuisque est, ita vt ne aspiret quidem ad meliorem fortunam.* Duo ergo Mardorum genera Persicum alterũ, de quo hic Curtius: Hyrcanum alterum, de quo idem infrà lib. 6. cap. 9. Itaque expedita ratio & dubitatio est Glareani contra Glareanum. Modius & Acidalius huiusmodi scopulos taciti transiliunt.

HIRTAE PROMINENT COMAE) impexæ ergò & incultæ Mænadum ritu, & inter feras ipsæ propemodum feræ, aut etiam feriores.

SVPRA GENV) sicut Amazones & Indæ.

TELVM EST) In duplicem vsum fundæ prò capitis redimiculo, & saxorum iaciendorum instrumento. dictum de fundis suprà.

TRICESIMO DIE) subacta per mensem tota Perside.

DONA DEINDE AMICIS) Multas secum Alexander & præclaras virtutes è Macedonia & officina Aristotelis secum detulit in Asiam; morum verecundiam, castimoniam, victoriam sui, fortitudinem, interitum & inuictum animum, tolerantiam laborum, summam scientiam militarem, celeritatem incredibilem, constantiam, iustitiam, fidem, clementiam in victos, fœlicitatem & planè regiam magnificentiam atque liberalitatem: ex quibus tamen paucas secum deuicto orbe terrarum retulit Babylonem, adeoque plus perdidit, quam acquisiuit, cum virtus bonis omnibus præstet. sed de his suo quoque loco. Hic de liberalitate, quę tanta fuit, vt Curtius tradiderit totum propè thesaurum Persepoli captum in amicos distributum, hoc est, septuagies bis millies millia Philippæorum, siue, vt cum vulgo loquar, septuaginta duos milliones. Subijcit Plutarchus hoc loco plura liberalis & munificianimi exempla, quę Græcè adscriberem, nisi lectoris

Plut. in vita Alex. fastidium reformidarem. Edam tantum latina iucundissima & dignissima lectu. *Munificentia verò qua insita ei erat, multo magis excitata est rerum incremento. Adiuncta erat comitas, cuius vnius accessione sanè sunt munera grata. Huius pauca exempla recensebo. Paonia præfectus Aristo, quum hostem obtruncasset, ostendissetque ei caput, Hoc donum rex, inquit, apud nos poculo aureo pensatur. Arridens Alexander, Nempe vacuo, inquit, ego verò plenum mero propino. Gregarius quidam Macedo mulum onustum auro regio agebat. Defesso iumento sarcinam ipse in humeros sublatam portabat. Vidit rex onere oppressum, ac re intellecta, quum ille id depositurus esset. Ne defatigeris, inquit, sed absolue reliquum itineris, atque in tentorium tuum hoc defer. Omnino succensebat magis si non acciperes, quam si posceres. Phocioni per literas mandauit, si non admitteret dona sua, renunciare ei se amicitiam. Serapioni vni ex grege totum qui secum lusitabant pila, quia nihil petebat, nihil largiebatur. Quum autem ad ludum accessisset Serapion, adiecit pilam alijs: cui vbi dixit rex, Quin mihi das? Non petis, inquit. Risit rex, atque ampla largitione est eum prosecutus. Prothea cuidam in dicterijs inter pocula non infestiuo videbatur infensus. Quum deprecarentur amici pro eo, atque ille lachrymas profunderet, redire dixit se cum eo in gratiam. Tum ille, igitur rex, inquit, pignus primum mihi aliquod dato. Atque huic quinque talenta iussit numerari. In ditandis amicis & stipatoribus suis quam fuerit prolixus declarat Olympias epistola quam ad eum scripsit: Benè merere aliàs, inquit, de amicis & splendore vtere. Enimuero nunc omnes regi efficis pares, multosq; amicos eis paras, temetipsum vero reddis solitarium. Ea cum identidem ad illum scriberet Olympias, seruabat in abdito epistolas, nisi semel Hephæstioni, (vt assueuerat) solutã epistolam secum legenti non vetuit: verum detracto digito annulo sigillum ori illius admouit. Mazei cuius apud Darium summa fuerat gratia filio Satrapiæ præfecto, alteram adiecit ampliorem. At ille recusans, ait, Tunc ô rex vnus erat Darius, nunc tu multos effecisti Alexandros. Parmenioni donauit Bagoæ domum, in qua ad cultum pertinentium vestiarum mille talentum inuenit. Antipatro per literas mandauit, vt custodes corporis aduersus insidias adhiberet. Matri dona multa misit.*

CAPVT

CAPVT XV.

ARGVMENTVM.

Rex ebrius ab ebrio ſcorto impulſus Perſepolim incendio delet. Serò cum Phrygibus ſapit, & dolet factum, quod infectum fieri non potuit.



Ceterum ingentia animi bona illam indolem, qua omnes reges anteceſſit, illam in ſubeundis periculis conſtantiam, in rebus moliendis efficiendiſque velocitatem, in deditos fidem, in captiuos clementiam, in voluptatibus permiſſis quoque & vſitatis temperantiam haud tolerabili vini cupiditate fœdauit. Hoſte & æmulo regni reparante tum cum maximè bellum, nuper ſubactis, nouum imperium aſpernantibus, de die inibat conuiuia, quibus fœminæ intererant, non quidem quas violare nefas eſſet: quippe pellices licentius quàm decebat cum armato viuere aſſuetæ. Ex his vna Thais, & ipſa temulenta maximam apud omnes Græcos initurum gratiam affirmat, ſi regiam Perſarum iuſſiſſet incendi: expectare hoc eos, quorum vrbes Barbari deleſſent. Ebrio ſcorto de tanta re referenti ſententiam vnus & alter, & ipſi mero onerati aſſentiuntur. Rex quoque fuit auidior, quàm patientior. Quin igitur vlciſcimur Græciam, & vrbi faces ſubdimus? Omnes incaluerant mero: itaque ſurgunt temulenti ad incendendam vrbem, cui armati pepercerant. Primus rex ignem regiæ iniecit, tum conuiuæ & miniſtri pellicesq. Multa cedro ædificata erat regia, quæ celeriter igne concepto latè fudit incendium. Quod vbi exercitus, qui haud procul vrbe tendebat, conſpexit, fortuitum ratus, ad opem ferendam concurrit. Sed vt ad veſtibulum regiæ ventum eſt, vident regem ipſum adhuc aggerentem faces. Omiſſa igitur quam portauerant aqua, aridam materiam in incendium iacere cœperunt. Hunc exitum habuit regia totius Orientis, vnde tot gentes ante iura petebant, patria tot regum, vnicus quondam Græciæ terror, molita mille nauium claſſem, & exercitus quibus Europa inundata eſt contabulato mari molibus, perfoſſiſque montibus, in quorum ſpecus fretum immiſſum eſt. Ac ne tam longa quidem ætate quæ excidium eius ſecuta eſt, reſurrexit. Alias vrbes habuere Macedonum reges quas nunc habent Parthi. Huius veſtigium non inueniretur, niſi Araxes amnis oſtenderet. Haud procul mœnibus fluxerat. inde vrbem fuiſſe viginti ſtadijs diſtantem credunt magis quam ſciunt accolæ. Pudebat Macedones tam præclaram vrbem à comeſſabundo rege deletam eſſe. Itaque res in ſerium verſa eſt. & imperauerunt ſibi, vt crederent illo potiſſimum modo fuiſſe delendam. Ipſum vt primum grauatam ebrietate mentem quies reddidit, pœnituiſſe conſtat, & dixiſſe, maiores pœnas Græcis Perſas daturos fuiſſe, ſi ipſum in ſolio regiaque Xerxis conſpicere coacti eſſent. Poſtero die Lycio itineris quo Perſidem intrauerat, duci triginta talenta dono dedit.

Quod hoc capite Curtius tradit, omnes rerum ſcriptores, qui facta Alexandri exequuti ſunt, non ſine indignatione & ſtomacho denarrant, & damnant. fuitque hæc prima labes & lapſus regis, cuius illum mox, ſed poſt factum, pœnituit. Atque ita initium Alexandro fuit omnium, in quæ poſtmodum incidit, malorum, temulentia: quanquam ſuperbia temulentiæ illius nihil conceſſerit, qua primum elatus ſe Iouis filium credi voluit.

ILLAM INDOLEM) Nemo hunc locum melius explicauit, quàm ipſe Curtius, qui lib. 10. c. 9. *Et herclè,* inquit, *iuſtè æſtimantibus regem liquet bona naturæ eius fuiſſe, vitia vel fortunæ, vel ætatis. Vis incredibilis animi, laboris patientia propemodum nimia. Fortitudo non inter reges modo excellens, ſed inter illos quoq., quorum hæc ſola virtus fuit: liberalitas ſæpe maiora tribuentis, quam à dijs petuntur: clementia in deuictos: tot regna aut reddita, quibus ea demſerat bello, aut dono data: mortis, cuius metus cæteros exanimat, perpetua contemtio: gloriæ laudisq., vt iuſto maior cupido, ita vt iuueni & in tantis admittenda rebus. Iam pietas erga parentes, quorum Olympiada immortalitati conſecrare decreuerat, Philippum vltus erat: iam in omnes ferè amicos benignitas, erga milites beneuolentia, conſilium par magnitudini animi, & quantum vix poterat ætas eius capere ſolertia: modus immodicarum cupiditatum, Veneris intra naturale deſiderium vſus: nec vlla niſi ex permiſſo voluptas: ingentes profectò dotes erant.*

HAVD TOLERABILI VINI CVPIDITATE FOEDAVIT) De hac laude bibendi, leges plura in proluſionibus ad Curtium è Seneca, Athenæo, Aeliano & alijs, cap. te de Alexandro magiſtibus.

G 1 HOSTE

HOSTE AEMVLO REGNI.) Imo Alexander potius fuit æmulus Darij, cuius imperium appetiuit, non Darius Alexandri. Sed quia iam Alexander Asiam & regnum Darij occupârat, versa fortuna factus est æmulus Alexandri, qui tanquam securus regni, quamuis alter maximè tum repararet vires, & instauraret bellum, tamen etiam de die, quo laborandum erat, intempestiua inibat conuiuia. quod signatè dixit Curtius. Nec hic stetit intemperantia, etiam fæminas & lupas infamia Græcorum prostibula, Thaidas & Laidas adhibuit, inter quas princeps illa Attica pellex, cuius suasu, regia Cyri toto orbe clarissima incensa, & quæ seculo non vno steterat, intra horam flammis exhausta, in cinerem, puluerem, & ventos abije, vt nec vestigium vrbis extaret, nec sciretur vbi stetisset, nisi vicinus Araxes locum signasset.

Descriptio Persepolis. Siculus li. 17. p. 544. REGIA PERSARVM) Non descripsit hanc Curtius, nisi quod multa cedro ædificatam dicat. Diodorus ergo succurrat, & quæ, qualis, quantaq; fuerit, ostēdat. *De cuius regia propter magnificentiam operum pauca quadam recensere non alienum arbitramur. Ars memoratu dignißima triplici muro circumdata est. Quorum primus structuræ sumtuosißimis eductus erat, & altitudinem habebat* XVI. *cubitorum, propugnaculis suis exornatus. Secundus cæteris quidem operibus primo similis, sed bis tanto altior extitit. Tertius formam habet quadratam, & ad* LX. *cubitorum altitudinem exurgit: ex lapide durißimo & ad durationem perpetuam accommodè coagmentatus. In vnoquoque laterum ænea sunt portæ, & ænei iuxta valli* XX. *cubitorum: quorum hi ad terrorem adspectu inijciendum, illæ ad firmiorem loci munitionem constructæ erant. In orientali arcis plaga mons est* IV. *inde plethra (id est* CCCC. *pedibus) distans, quem regium vocant. In hoc enim regum sepulchra inerant. Nam excisa illic petra erat, complura in medio domicilia complectens. In quibus conditoria defunctorum nullum quidem aditum manu factum præbebant: sed instrumentis quibusdam, arte magistra fabricatis, sublatos mortuorum loculos, excipiebant. In hac arce regibus & militibus excipiendis sumtuosi operis diuersoria erant, & thesauri ad pecunias asseruandas percommodum extructi.*

VRBEM CVI ARMATI PEPERCERANT) Et ipsi ciues incenderant. Sed quomodo armati pepercerant, cum Alexander conuocatis ducibus, iam ante dixerit excidio vrbis parentandum esse maioribus? Excidium ergo interpretabimur direptionem? ἁρπαγὰς. Incendisset etiam miles exhaustam, nisi rex suos iussisset parcere corporibus, & cultu fæminarum abstinere. quomodo pepercissent, si incendissent. Iam ergo nouum hoc, *subditas faces* vrbi & regiæ, vt penitus deleretur.

QVIN IGITVR) verba Alexandri sunt, sed temulenti & à Thaide instincti, non regis, aut certè non regiè facientis.

Siculus p. 545. PRIMVS REX IGNEM REGIAE SVBIECIT) Nec sine cerimonia & pompa, quasi vel ad sacrificium, vel nuptias iret. Diodorus: *Extemplò ingens facum numerus coit, & assumtis, quæ tunc aderant, fæminis musicis, Rex duce Thaide meretricula, cum cantu, tibijsque & fistulis ad saltationem processit. Illa verò à rege prima faculam ardentem regiæ inijcit. Cæteris exemplum imitantibus, celeriter totus circumquaque locus vi flammarum in cinerem consedit. Admirationem præcipuè meretur, quod sacrilegum Xerxis Persarum regis facinus in arcem Atheniensium designatum, vnica muliercula, violata vrbis ciuis, post multos tandem annos per lusum, eodem cladis genere vlta fuit.*

Narrat idem Plutarchus, quem ipsum etiam erit iucundum legere, sed cum plerunque Curtio sit annexus, lector ipse consulat.

HVNC EXITVM) nobile epiphonema Curtij, quasi epicedium sepulturæ arcis & vrbis & orientis regiæ, vnde tot gentes, centum inquam & viginti septem prouinciæ, vt est in primo Esthëris, iura petebant, regi Persarum subiectæ.

PATRIA TOT REGVM) non quod omnes reges Persarum essent Persepoli nati, sunt enim & Susijs, & Ecbatanis, & alijs regijs nati, sed quod Persepolis esset caput totius Orientis, & omnium regiarum regia, vbi Alexander quatuor menses mansit.

GRAECIAE TERROR) Inde enim Xerxes mille nauium classem eduxit, & minimum quinquagies centena millia hominum sub signis habuit, quibus Græciam inuasit, Hellespontum strauit, & continuo ponte iunxit, Atho perfodit, eique mare immisit, de quibus omnibus ex instituto Herodotus, Iustinus, alij, nobis iam sæpè cantata.

LONGA AETATE) quadringentorum circiter annorum ab Alexandro ad Curtium.

*Liuius lib. 1. RESVRREXIT) nunquam resurrexit, æternum sepulta, ex Curtij sententia, quam Serarius refutat, vti mox docebimus. Ita apud Liuium * quadringentorum annorum opus Alba in vna hora deleuit.

Sed hic minimè dissimulanda quæstio existit, quomodo verum esse iudicetur, quod hoc loco Curtius affirmat, Persepolim nunquam resurrexisse, cum auctor librorum, qui de Machabæis sunt, exertè tradat, Antiochum Epiphanem ingressurum Persepolim, voluisse templum & ciuitatem illic spoliare, vt 2. Machab. 9. Serarius noster eandem mouet quæstionem, eamque ita diluit, vt Curtium fama deceptum putet. *At dices*, inquit, *Persepolis ab Alexandro diruta, vt ait Plinius lib. 6. cap. 26. & combusta fuit, neque longa ætate post rursus erecta, vt ait lib. 5. Curtius, adeò,* pag. 665. *inquit, vt eius vestigium non inueniretur, nisi Araxes amnis ostenderet, à quo 20. stadijs distitisse creduntur*

ma

magis, quàm sciunt accolæ. Mouerunt hæc Curtij verba Pererium lib. 9. in Danielem, vt Persepolim non proprium alicuius nomen putarit, sed commune Persidis vrbium: quod & de Elymaide dici posset, cum à Porphyrio & D. Hieronymo regio *vocetur, itemque à Stephano. ab ipso Daniele initio cap.* 8. medinach. *à Septuaginta idem vertatur* regio, *à Symmacho* ciuitas. *quòd Latinum nomen sicuti & Græcum* πόλις *non vrbem tantum, sed multitudinem etiam & quandam communitatem interdum significat, vt infra patebit.* Propria *tamen esse* nomina *nihil impedit, primò quia quemadmodum eiusdem vrbis diuersa interdum nomina sunt, sic diuersarum idem quandoque nomen est, vt Ecbatana, Babylon, Antiochia, Salamine, Tiberia, Massilia, Neapolis. Deinde videtur Persepolis postea restituta fuisse, ex Diodoro lib. 19 Athenæo 12.* * *Quemadmodũ de Heraclea vrbe scribit lib. 6. Plinius c. 16. Et de Charace seu Alexandria, Pellæoque pago ad sinum Persicum cap. 26 vbi & Durinem regiam, Alexandri temporibus interijsse scribit, fierique potuit, vt rumore quodam deceptus sit Curtius, sicuti etiam dum ad Araxem illam fuisse ait, cum sic in Perside propriè non esset, & à Ptolemeo ad Rhogomanem fluuium statuatur, & quidem ita, vt ipsius adhuc tempore stetisse videatur, imò & floruisse, inquit in Strabonis lib. 15. Casaubonus. Certè ipse Strabo & Arrianus lib 3. Cyri tantum, quæ ea in vrbe fuerant palatia, combusta tradit.* *sicut & Thebæ sunt restitutæ.

CEDRO) quæ non sentit cariem nec vetustatem, vt & cupressus, ebenus, lotos, buxum, taxus, iuniperus, oleaster, & olea. Plinio teste, proinde classes quoque è cedro in Aegypto & Syria ædificatæ. *Memorabile*, inquit Plinius, *& Vticæ templum Apollinis, vbi Numidicarum cedrorum trabes durant, vt positæ fuerunt prima vrbis eius origine annis mille, centum octoginta octo.* Ingens est arbor, Dioscoride etiam teste, maxima verò in Cypro, vbi ad Demetrij classem succisa centum triginta pedum crassitudinis ad trium hominum complexum Salomon etiam, vt est in 3. Regum, multam cedrum ad templi molitionem & laquearia domumque regiam adhibuit. ita vt vix nobilior cedro materia fuisse videatur. Plin. l. 16. c. 40.

HAVD PROCVL VRBE TENDEBAT) castra habebat. Virgilius: --- *hic sæuus tendebat Achilles.* ita cum bonis scriptoribus locutus.

ALIAS VRBES HABVERE MACEDONES) Polybius docet in decimo, totam Mediam cinctam fuisse Græcanicis vrbibus, in finibus nempe Persidis & Mediæ, Ctesiphonte, Seleucia, & alijs.

SI IPSVM IN SOLIO XERXIS) quod iam semel occupauerat ante incendium. Plutarchus: *Fama est, quum primum sub aurea testudine Alexander in solio regio consideret, Corinthium Demaratum Alexandri familiarem & amicum paternum, senili more illacrymasse ac dixisse, fraudatos magna voluptate Græcos, qui ante quam in Darij solio Alexandrum spectassent sedentem, vita essent functi.* Edit. min. p. 333.

TRIGINTA TALENTA) Octodecim millia Philippæorum, grande munus pro opilione & pastore.

CAPVT XVI.

ARGVMENTVM.

Mediam intrat, supplementum accipit. Darius Ecbatanis se ad vltimum prælium parat. Syllabus copiarum eius.



Hinc in regionem Mediæ transijt, vbi supplementum nouorum militum e Cilicia occurrit. Peditum erant quinque millia, equites mille: vtrisque Plato Atheniensis præerat. his copijs auctus, Darium persequi statuit. ille iam Ecbatana peruenerat, caput Mediæ. Vrbem hanc nunc tenent Parthi: eaque æstiua gentis sedes. Adire deinde Bactra decreuerat, sed veritus ne celeritate Alexandri occuparetur, consilium iterque mutauit. Aberat ab eo Alexander stadia M.D. *sed iam nullum internallum aduersus velocitatem eius satis longũ videbatur. Itaq; prælio magis quã fugæ se præparabat,* XXX. *millia peditũ sequebantur, in quibus Græcorũ erãt* IV *millia, fide erga regẽ ad vltimũ inuicta funditorũ quoq; & sagittariorum manus* IV. *millia expleuerat. præter hos* III. *millia &* CCC. *equites erant, maximè Ba-*

ctrianorum. his Bessus praerat Bactrianæ regionis præfectus. Cum hoc agmine **Darius paullum** *declinauit via militari, iussis præcedere lixis impedimentorum custodibus.*

MEDIAE) Mediam breuissimè & planissimè Polybius his verbis describit, Casauboni tralatione vtor. *Media sita illa quidem in Asia meditullio: verum si hanc partem cum cæteris contendas, & amplitudine spacij, & altitudine montium quibus cingitur, omnibus Asiæ locis eam præstare deprehendes. eadem porrò fortissimis maximisq; populis imminet. Præiacet namque illi ab aurora, & Orientis partibus planities eius deserti, quod Persidi & Parthiæ est interiectum. imminet etiam habetque adeo in potestate Caspias quas vocant Pylas: Tapyrorum quoque montes, qui non longè absunt ab Hyrcania, contingit. quà vergit in meridiem ad Mesopotamiam & regionem Apolloniatidem pertinet. adsidet etiam Persidi, tegiturque ab ea parte monte Zagro, cuius ascensus stadiorum est fermè centum. cæterum mons Zagrus multa diuersa iuga intra suum ambitum includens, varijs distinctus est voraginum hiatibus: & alicubi etiam cauis vallibus quas Cossæi colunt, & Corbrena & Carchi, pluraque alia barbarorum genera, ad bellorum vsus præcipuè commendata. quà occasum respicit, populos tangit quos vocant Atropatios: qui non longè distant ab illis populis qui ad Pontum Euxinum pertingunt. Latus Mediæ ad Septentriones conuersum prætexunt Elymæi, Artaraca, Caddusij & Matiani. habet autem subiectam illam Ponti partem, quæ Mæoti cohæret. Eadem Media montibus multis ab ortu ad occasum porrectis diuiditur, inter quos iacent campi vrbibus ac vicis referti.*

Polyb. l. 5. p. 382. & seq v. 3. à f.

Describunt eandem Strabo, Ptolemæus, Plinius, alij. Nomen à Medo Medeæ filio, vel ab ipsa Medea accepit, vt auctor est Geographus, & ex illo Eustathius ad illos Dionysij versus:

Προς δὲ νότον ναίουσιν ἀγαυῶν ἔθνεα Μήδων,
Κείνης τοι γενεῆς ἐρικυδέος ἐκγεγαῶτες
Αἰήταο θυγατρὸς ἀμύμονος ἡρωΐνης.
Ad Austrum autem habitant illustrium gentes Medorũ,
Ex illa scilicet stirpe illustri prognati
Aetæ filiæ inculpatæ heroinæ

Obserua, *inculpatam* vocari Medeam, quam absoluit etiam Pausanias: Didoni quoque nota à poetis impressa, quam Ausonius purgat. Nos olim de vtraque:

Nescio reginis cur tam sit iniquus Apollo,
Sancta fuit Colchis sancta & Elissa fuit.

Aelianus quoque lib. 5. c. 21. innocentem scribit, & Corinthijs cædem assignat, sed hæc extra chorũ.

Iustinus lib 42. *Post mortem Iasonis, Medus æmulus virtutis eius, in honorem matris Medeæ, Medam vrbem condidit, regnumque ex nomine suo Medorum constituit, sub cuius maiestate Orientis postea imperiũ fuit.*

E CILICIA) Quia in Cilicia erant conscripti, vbi primum ipsum Darium Alexander ad Issum prælio superarat.

PLATO ATHENIENSIS) Ne tu mihi hic Platonem Philosophum somnia, qui non fuit Atheniensis, sed Aeginensis, vixitque ante Alexandrum.

ECBATANA PERVENERAT) Darius, vbi viribus iam reparatis statuerat extremo prælio experiri. Ecbatana porrò, caput Mediæ, nobilissima & amplissima ciuitas, quam Ctesias in Persicis, semper Agbatana appellat. Demetrius gemina facit Ecbatana seu Agbatana, aliud Syriæ opidum, aliam Mediæ ciuitatem: sed apud priscos semper Egbatana seu Ecbatana dicebatu. Herodianus maluit Ecbatana.

Plura super hac voce Stephanus in verbo Ἀγβάτανα & Ἐκβάτανα hodie Achatana Esbahan vocitari tradunt. Conditorem *a* alij Deiocem faciunt, alij *b* Seleucum, alij *c* ante Semiramidem iam extitisse tradunt. Literæ sacræ *d* Arphaxadem vrbis parentem narrant. *Ipse ædificauit ciuitatem potentissimam, quam appellauit Ecbatanis*, vbi in Septuaginta est ᾠκοδόμησεν ἐπ' Ἐκβατάνων, *ædificauit super Ecbatana*. Sed vti de Babylone suprà docuimus, alios fuisse conditores primos, alios instauratores, alios amplificatores: ita de Ecbatanis quoque sentiendum. Ante Seleucum, Alexandrum & Semiramidem extitisse certis auctoribus constat. Est cum etiam accipitur nomen pro parte Mediæ. Iam de eius amplitudine aliquid dicamus: ac primum oracula sacra profanis scriptoribus præponamus. Auctor historiæ Iudithæ, siue is Ioachimus summus Hebræorũ pontifex Iesu Archiereos filius, siue quis alius fuit, his verbis vrbis molitionem describit. *Arphaxad ædificauit ciuitatem potentissimam, quam appellauit Ecbatanis, ex lapidibus quadratis & sectis: fecit muros eius in latitudinem cubitorum septuaginta, & in altitudinem cubitorum triginta, turres verò eius posuit in altitudinem cubitorum centum. Per quadrum verò earum latus vtrumq; vicenorum pedum spacio tendebatur, posuitque portas eius in altitudinem turrium.* Videnda hic interpretatio septuaginta Hebræorum, quæ non nihil differt à vulgari versione Latina, cùm verborum copia, tùm notis numerorum. Videndus & noster Serarius ad c. 1. Iudith. p. 227. vbi præfert Græcam proportionem Septuaginta interpretum proportioni Latinæ vulgari ex Hebraico translatæ.

a Herod. l. 1. *b* Plin. l. 6. c. 14. *c* Diod. l. 2. *d* Lib. Iudith. c. 1.

Iudith. c. 1 pr.

Hanc

Hanc vrbem Herodotus in Clio eleganter describit, cuius principium duntaxat ponam Græcè, cui latina in Lectoris gratiam subijciam. Πειθομένων δὲ ταῦτα τῶν Μήδων. &c. Quæ Laurentius Valla ita vertit. *Obsequentibus quoque in hac re Medis, mœnia construit ampla simul & valida, quæ nunc Ecbatana appellantur, in quibus murus vnus alteri veluti conclusus erat: sic nimirum constitutis mœnibus, a vt ambitus singuli alteris gradatim essent sublimiores, solisque pinnis prominerent. Adiuuabat huc loci b ipsius commoditas, vt qui collis instar esset eleuatus, sed accessit etiam maius quiddam data opera factum. Atquidem ambitus isti numero erant septem contigui, in quorum postremo regia est & thesauri. Hæc mœnia cum amplissima sint magnitudine, prorsus illum Atheniensium æquant ambitum. Atque singulo quidem pinnis suis atque hunc in modum distinctis fulgent coloribus. Nempe primi ambitus pinnæ colore sunt albicanti, secundi nigro, tertij purpureo, quarti cæsio, quinti sandaracino, postremi verò duo, alter argentatas, alter inauratas habet pinnas. Et his quidem monumentis Deioces se suamque regiam circumsepsit, ac reliquum populum seorsum circumquoque habitare iussit.*

Quæras, quis ambitus fuerit Ecbatanorum? Herodotus parem esse ambitum Athenarum, Dio porrò Brusæus Athenas in ambitu ducenta stadia duntaxat complexas, & regijs Babylonicis & alijs angustiores tradit. Diodorus Siculus disertè ponit Ecbatanorum amplitudinem, docetque in ambitum continuisse ducenta quinquaginta stadia, quæ Germanica milliaria efficiunt (minus sex stadijs) octo, vnde magnitudo vrbis facilè æstimari potest. Nullo modo tacenda, quæ de eisdem Ecbatanis refert nobilissimus iuxta atq; antiquissimus scriptor * Polybius. Atque vt rem paullò altius auspicer, omissis Græcis latina duntaxat adducam. *Edynastarum Asiæ prouincijs omnium maximè idonea stabiliendo imperio est Media, cum propter regionis magnitudinem, tum propter numerum ingentem & præstantiam quà virorum, quà equorum. hoc quippe animantium genus vniuersæ propè Asiæ Media suppeditat. Nam quæ varijs locis constituta habent reges equorum armenta, ea Medorum curæ ob soli vbertatem sunt commissa eademque vt præsidium ne deesset aduersus conterminos Barbaros, ex Alexandri instituto Græcanicis vrbibus vndique cingitur, si Ecbatana duntaxat excipias quæ vrbs in ea Mediæ condita est parte, quæ Aquiloni vento est opposita: imminet autem ijs regionibus Asiæ, quæ secundum Mæotim & Pontum Euxinum porriguntur. Regia Medorum ibi quondam fuit, ac videtur sanè ciuitas hæc vrbes omnes alias opibus & operum magnificentia superasse longo interuallo. sita est in montana regione, quæ radicibus Orontis subiacet, mænibus caret: sed arcem habet manu factam, & adfirmitatem ad miraculum vsque munitam egregiè. arci regia subiacet: de qua satiusne sit cuncta sigillatim exequi, an penitus silere, iure aliquis dubitet. Nam vt ij qui portentosas narrationes in medium afferre amant, quique res quas commemorant exaggerare supra modum consueuerunt, pulcherrimam dicta vrbs materiam præbet: ita illis, qui od ea omnia cautè & cunctanter accedunt, quæ præter communem sensum dicuntur, difficultatem & inopiam consilij eadem affert. Veruntamenuero, regia hæc eius amplitudinis est, vt stadia in circuitu habeat septem: operum & ornamentorum tantam in singulis partibus magnificentiam præ se fert, vt quanta rerum omnium copia abundarent, qui ab initio fundarunt, facilè sit æstimatu. Nam cum materia vniuersa esset è cedro aut cupresso, nihilominus tamen haud quidquam illius nudum à tegumento cerneres: sed erant trabes, lacunaria, & columnæ siue in porticibus, siue in peristylijs, laminis partim argenteis, partim aureis circumamictæ. Omnes item tegulæ fuere argenteæ. laminarum porrò istarum pleraque in aduentu Alexandri & Macedonum sunt detracta: cætera cum Antigonus & Seleucus Nicanor rerum potiebantur. Adhuc tamen quo tempore eo venit Antiochus, fanum saltem, quod Aena indigerant, columnas circa habuit deauratas: & tegulæ quoque argenteæ plures ibidem erant congestæ. lateres quin etiam restabant, aurei quidem nonnulli, argentei verò multi. ex quibus omnibus pecunia illa est conflata, quæ regia imagine cernitur signata: ad talentorum ferè 4000 summam accedens.*

a Ita vt ambitus alter alterum amplectatur. b Adiuuabat ipso loci situ, vt qui collis esset. Sed accessit maior etiã ars & industria. Factis septẽ ambitibus inter se contiguis, in quorũ postrema regia est & thesauri. Eorum autem amplissimus ambitus magnitudine plus minus circuitũ Athenarum exequat. Suntque primi ambitus pinnæ albæ: secundi, nigræ: tertij, puniceæ: quarti, cæruleæ: quinti sandaracenæ.

Lib. 1. p. 11

* Lib. 10 p. 597.

EAQVE AESTIVA GENTIBVS, legerem hic *regibus* pro *gentibus*. Editio nupera Allobrogica pro *gentibus* reposuit *agentibus*, non placet, nisi intelligis *regibus*, alij aliter edidere. Acidalius: *eaque æstiua gentis sedes*. tota ergo Media per æstatem Ecbatana commigrauit οὐχ ἥδαν θυμῷ. & quare æstiua? quia Ecbatana Aquiloni obuersa, per æstatem friget, cum in Asia passim vapor solis omnia accendat. Athenæus Rhagas æstiuam regum sedem ponit, quæ & ipsa in Media. Καὶ οἱ Περσῶν βασιλεῖς, inquit, ἐαρίζουσι μὲν ἐν Ραγαῖς, χειμάζουσι δὲ ἐν Βαβυλῶνι, Quia Babylon per hyemem calet, Rhagæ frigent sicut Ecbatana. Cum Curtio facit Strabo, qui de Ctesiphonte pago locutus: εἰώθασι, inquit, ἐνταῦθα τοῦ χειμῶνος διάγειν οἱ βασιλεῖς διὰ τὸ εὐάερον, τοῦ θέρους δ' ἐν Ἐκβατάνοις. *Ibi Parthorum reges in hyeme propter aeris temperiem, degere solebant, Ecbatanis in æstate agunt.*

Lib. 11.

Dio Brusæus oratione 6. de Diogene Sinopæo: Διογένης ὁ Σινωπεὺς, ὅτε ἔφυγεν ἐκ Σινώπης, ἀφικόμενος εἰς τὴν Ἑλλάδα, διῆγε ποτὲ μὲν ἐν Κορίνθῳ, ποτὲ δὲ Ἀθήνησιν· ἔφη δὲ μιμεῖσθαι τὸν Περσῶν βασιλέως τὴν δίαιταν· καὶ γὰρ ἐκεῖνος τοῦ μὲν χειμῶνος ἐν Βαβυλῶνι καὶ Σούσοις, ἐνίοτε δ' ἐν Βάκτροις διῆγεν, ἐν τοῖς εὐδιεινοτάτοις τῆς Ἀσίας· τοῦ δὲ θέρους ἐν Ἐκβατάνοις τῆς Μηδικῆς, ὅπου ψυχρότατος ὁ ἀὴρ ἀεί ποτέ ἐστι, καὶ τοῦ περὶ Βαβυλῶνα χειμῶνος, τὸ θέρος ὅμοιον. οὕτω δὴ καὶ αὐτὸς μεταλλάττειν τὴν οἴκησιν, κατὰ τὰς ὥρας τοῦ ἔτους. *Diogenes Sinopensis, postquam fugit ex Sinope, perueniens in Græciam, viuebat nunc quidem Corinthi, nunc autem Athenis. Dicebat autem se imitari regis Persarum viuendi rationem. Quippe vt ille hyeme quidem in Babylone & Susis, interdum autem in Bactris, in serenissimis totius Asiæ*

Pag. 86. principio orationis.

 locis

locis: æstate autem in Ecbatanis Medicæ prouinciæ viueret, vbi ferè semper aer frigidissimus est, similisque æstas hyemi circa Babylonem: ita etiam se mutare habitationem iuxta anni tempora.

Lib 10. p. 597. NVNC TENENT PARTHI) Arsaces Parthorum regnum instituit. Polybius: Ἀντιόχου στρατεία κατὰ Ἀρσάκου τοῦ πρώτου τῶν Πάρθων ἀρχὴν συστήσαντος ἐν τοῖς πρώτοις. *Antiochi expeditio aduersus Arsacem, qui Parthorum imperium inter primos fundauit.* Mithridates dein prior Medos bello victos Parthis

Lib 41. adiecit. Iustinus: *Erat eo tempore Arsaces vir sicut incertæ originis, ita virtutis expertæ. Hic solitus latrociniis & rapto viuere, accepta opinione Seleucum à Gallis in Asia victum, solutus regis metu, cum prædonum manu Parthos ingressus, præfectum eorum Andragoram oppressit, sublatoq; eo, imperium gentis inuasit. Non magno deinde pòst tempore, Hyrcanorum quoque regnum occupauit, atq; ita duarum ciuitatum imperio præditus grandem exercitum parat, metu Seleuci & Theodoti Bactrianorum regis. Sed cito morte Theodoti, metu liberatus, cum filio eius & ipso Theodoto fœdus ac pacem fecit: nec multò post cum Seleuco rege ad defectores persequendos veniente, congressus, victor fuit: quem diem Parthi exinde solennem, velut initium libertatis, obseruant. Reuocato dein Seleuco, nouis motibus in Asiam dato laxamento, regnum Parthicum format, militem legit, castella munit, ciuitates firmat, vrbem quoq; nomine Claram, in monte Thaborreno condit: Cum loci ea conditio est, vt neque munitus, quicquam esse, neque amœnius possit. Ita enim & præruptis rupibus vndique cingitur, vt tutela loci nullis defensoribus egeat, & soli circumiacentis tanta vbertas est, vt propriis opibus expleatur. Iam fontium ac siluarum ea copia est, vt & aquarum abundantia irrigetur, & venationum voluptatibus exornetur.* Primus ergo à Regibus Syriæ, qui Alexandro successerunt, Arsaces defecit, Arsacis filius & ipse Arsaces nomine patris successit, Arsaci filio Pompacius, Pompacio Pharnaces, Pompacii F. qui Mardos subegit, Pharnaci frater Mithridates, qui Medos Parthis ingenti bello victos adiunxit, apud quos regnum vsque ad sera postea tempora permansit. vnde Curtius dicit: *Nunc Parthi tenent*. Mithridates porrò primus non fuit is qui cum Romanis decertauit, sed Arbano natus cognomento Magnus, nomen ab rerum gestarum magnitudine, vt Alexander & alij, adeptus.

*lib. 8 c. 7. BACTRA) de Bactris, & Bactrianis, suprà lib. 4. c. 18. dictum, sed infrà * suo loco, cum Alexander in Bactrianos mouerit, plenius dicetur.

Lib. 17. p. 546. CONSILIVM MVTAVIT) Darius rursus experiri cum Alexandro paratus. Siculus contra Darium Bactra perfugisse tradit, ibique à Besso interfectum.

M. D. STADIA) quadraginta septem, (stadijs minus quatuor) milliaria germanica, Italica centum & octoginta septem, eoque amplius.

XXX MILLIA PEDITVM) triginta millia peditum, tria millia equitum supra trecentos ægrè ex omni fuga & reliquijs gentium collegerat, exiguum numerum aduersus Alexandrum victorem, & opijs etiam superiorem.

Li. 4. c. 18. BESSVS) Iam suprà huius mentio fuit, & suspecta fides.

DECLINAVIT VIA MILITARI) Via plana, lata publica, regia, popularis, equestris, curulis est, per quā plures simul incedere possint, & pedites, & equites, & currus. Græci λεωφόρους, ἁμαξιτοὺς ἁμαξηλάτους, ἱππηλάτους τὰς τοιαύτας ὁδοὺς appellāt. In Pythagoræ præcepto λεωφόρους ὁδοὺς μὴ βαδίζειν *vulgi sententiā non esse sequendam*. Sed hæc alterius loci. Declinauit autem à via regia Darius, ne subito deprehenderetur & opprimeretur ab Alexandro, qui volare per regiones, non ambulare videbatur.

CAPVT XVII.

ARGVMENTVM.

Oratio Darij qua Satrapas suos ad extremum prælium adhortatur.



Oncilio deinde aduocato, Si me cum ignauis, inquit, & pluris qualemcunque vitam honesta morte æstimantibus fortuna iunxisset, tacerem potius, quam frustra verba consumerem: sed maiore quàm vellem documento, & virtutem vestram, & fidem expertus, magis etiam conniti debeo, vt dignus talibus amicis sim, quàm dubitare an vestri similes adhuc sitis. Ex tot millibus, quæ sub imperio fuerunt meo: bis victum me, bis fugientem persecuti estis. Fides vestra & constantia vt regem me esse credā, facit. Proditores & trāsfugæ in vrbibus meis regnant, non, Hercule, quia tanto honore digni habentur, sed vt præmijs eorum vestri solicitentur animi. Meam fortunā tamen

quam

quam victoris maluistis sequi; dignissimi quibus si ego non possim, dij pro me gratiam referant: & me Hercule, referent. Nulla erit tam surda posteritas, nulla tam ingrata fama, quæ non in cælum vos debitis laudibus ferat. Itaque etiamsi consilium fugæ, à qua multum abhorret animus, agitassem; vestra tamen virtute fretus obuiam issem hosti. Quousque enim in regno exulabo, & per fines imperij mei fugiam externum & aduenam regem, cum liceat experto belli fortunam, aut reparare quæ amisi, aut honesta morte defungi? nisi fortè satius est expectare victoris arbitrium, & Mazæi & Mithrenis exemplo precarium accipere regnum nationis vnius, ut iam malit ille gloriæ suæ, quam iræ obsequi. Nec dij sciuerint, ut hoc decus meicapitis, aut demere mihi quisquam aut condonare possit; nec hoc imperium viuus amittam. idem erit regni mei, qui & spiritus finis. Si hic animus, si hæc lex, nulli non parta libertas est: nemo è vobis fastidium Macedonum, nemo vultum superbum ferre cogetur. Sua cuique dextera aut vltionem tot malorum pariet, aut finem. Equidem quàm versabilis fortuna sit, documentum ipse sum. Nec immeritò mitiores vices eius expecto. Sed si iusta ac pia bella dij auersantur, fortibus tamen viris licebit honestè mori. Per ego vos decora maiorum, qui totius Orientis regna cũ memorabili laude tenuerunt, per illos viros quibus stipendiũ Macedonia quondã tulit, per tot nauiũ classes in Græciam missas, per tot trophæa regum oro & obtestor, ut nobilitate vestra gentisque dignos spiritus capiatis, ut eadem constantia animorum, qua præterita tolerastis, experiamini quicquid deinde fors tulerit. Me certè in perpetuum aut victoria egregia nobilitabit aut pugna.

PRODITORES.) Mazæus Babylonem, Mithrenes Sardes, Abulites Susa, Tyridates cum Thesauro Persepolim Prodiderat, Damasci præfectus iam interfectus erat. Astaces prætor Aegypti & Mempheos cessit Alexandro Aegyptum.

TRANSFVGAE.) Bagophanes arcis Damascenæ proditor.

BIS VICTVM.) imò ter, ad Granicum absentem: præsentem ad Issum & Gaugamela.

ME HERCVLE.) Hercle, Hercule, Hercules, Aedepol, Aecastor, Per Iouem, Mediusfidius, μὰ τὸν Δία, τὴν Ἥραν, & hoc genus aliæ iurandi & affirmandi formulæ paganorum fuêre.

PRAEMIIS EORVM.) quando res tam benè cessit ijs, qui se Alexandro permiserunt, etiam nobis illorum exemplum secutis Ita poterât qui Darium adhuc sequebantur, cogitare, & non malè ceder... ad defectionem inuitari: sed fides vicit fortunam, quamuis aduersam.

IN REGNO EXVLABO.) domi exul ero, rex enim vbique in regno suo, domi est. sed iam donum & regnum... benè totum amiserat, nullo loco tutus, nusquam amplius domi.

HONESTA MORTE DEFVNCI.) Pulchrius enim est regi liberè mori, quàm precario viuere regnare.

MAZAEI.) Babyloniæ Satrapæ, Mithrenis Sardium & Lydiæ prætoris, qui sunt quasi reges, sed potius vicarij: rex enim verè non est, qui ab altero regitur aut alteri paret.

CAPITIS MEI.) fascia regia, diadema, insigne regium, cidarim suprà vocarat Curtius. Lib. 3. c. 7.

SPIRITVS FINIS.) regiè hoc, & ex indole regia, qua tamen Darium carere suprà diuers...

QVAM Vellem, inquit, Ochum complexus, Darius aliquid ex hac indole hausisset.

QVAM VERSABILIS FORTVNA SIT.) verè proinde à pictoribus & poetis rotæ versabili imponitur, quæ solum constans in leuitate sua est. Nec vnquam eodem diu stat vestigio. Quin & fragilis, vitrea est, & tum cum maximè splendet, frangitur.

MITIORES VICES) multos abiecit, abiectos rursus extulit, quod passim barbarorum, Græcorum, & Romanorum historiæ narrant, nec est quod chartas exemplis impleam, pleraque in promtu sunt, caput vltimum Valer. Max. lib. 6. consule, de morum & fortunæ varietate & mutatione.

PER EGO VOS DECORA.) peroratio.

STIPENDIA MACEDONICA TVLIT.) Dario Hydaspis Xerxi. Tota hæc Darij oratio ita plana & expedita est, vt interprete longiore, vel Scholiaste non indigeat. Doctor tamen politioris literaturæ auditoribus suis propinabit orationis Curtianæ elegantiam, gnomas nobiles, & concinnos periodorum ambitus.

CA-

CAPVT XVIII.

ARGVMENTVM.

Desperatio cum horrore Ducum ex oratione Darij concepta. Artabazi fides, Nabarzanis & Bessi coniuratio.



Aec dicente Dario præsentis periculi species omnium simul corda animosq; horrore perstrinxerat, nec aut consilium suppetebat, aut vox, cum Artabazus vetustissimus amicorum, quem hospitem fuisse Philippi sæpè diximus, Nos verò, inquit, preciosissimam vestem induti, armisq; quanto maximo cultu possumus adornati, regem in aciem sequemur, ea quidem mente, vt victoriam speremus, mortem non recusemus. Assensu excepere cæteri hanc vocem. Sed Nabarzanes qui in eodem consilio erat, cum Besso inauditi antea facinoris societate inita regem suum per milites, quibus ambo præerant, comprehendere & vincire decreuerant, ea mente, vt si Alexander ipsos insecutus foret, tradito rege viuo, inirent gratiam victoris, magno profectò cepisse Darium æstimaturi: sin autem eum effugere potuissent, interfecto Dario, regnum ipsi occuparent, bellumq; renouarent. Hoc parricidium cum diu voluta ssent, Nabarzanes aditum nefariæ spei præparans: Scio me, inquit, sententiam esse dicturum prima specie haudquaquam auribus tuis gratam: sed medici quoque grauiores morbos asperis remedijs curant, & gubernator, vbi naufragium timet, iactura quicquid seruari potest, redimit. Ego tamen non vt damnum quidem facias suadeo, sed vt te ac regnum tuum salubri ratione conserues. Dijs auersis bellum inimus, & pertinax fortuna Persas vrgere non desinit. Nouis initijs & ominibus opus est. Auspicium & imperium alij interim trade qui tamdiu rex appelletur, donec Asia decedat hostis: victor deinde regnum tibi reddat. hoc autem breui futurum ratio promittit. Bactra intacta sunt, Indi & Sagæ in tua potestate, tot populos, tot exercitus, tot equitum peditumque millia ad renouādas vires paratа habes, vt maior belli moles supersit, quàm exhausta sit. Quid ruimus belluarum ritu in perniciem non necessariam? Fortium virorum est magis mortem contemnere, quàm odisse vitam. Sæpè tædio laboris ad vilitatem sui compelluntur ignaui, at virtus nihil inexpertum omittit. Itaque vltimum omnium mors est, ad quam non pigrè ire satis est. Proinde si Bactra, quod tutissimum receptaculum est, petimus, præfectum regionis eius Bessum regem temporis gratia statuamus. Compositis rebus iusto regi tibi fiduciarum restituet imperium.

NEC AVT CONSILIVM AVT VOX SVPPETEBAT.) Attonitis nempè omnibus, cum præsentem omnibus omnia mortem intentarent.

ARTABAZVS.) Vbi fides, laus, prudentia, constantia huius principis à Curtio commendatur, suprà lib. 3. appellatur *princeps purpuratorum*; infrà, desperanti Dario optima consilia suggerit, ipse
cap. 25. vices regis in castris Persarum agit, donec potentiores coniurati regem oppressère. Hospitem autem Philippi fuisse infrà rursus docet, cum se Alexandro cum filijs & familia sua, Græcoque milite
lib. 6. c. 8. dedidit, quem & amantissimè excepit, & auxit honoribus. Eundem à fide celebrat Arrianus. *De Da-*
Arrian. p. 68. *rio certior factus est captiuum illum in curru portari, Bessum loco Darij imperium obtinere, & à Bactrianis equitibus alijsq; barbaris, qui cum Dario fugerant, ducem nominari, præterquam ab Artabazo & Artabazi filijs Græcisq; mercenarijs. Hos fidos perpetuò in Darium fuisse, neque ea quæ accidissent impedire potuisse, eosq; à publica via deflexos, montes petere, nec cum Besso consilia communicare.*

PRECIOSISSIMAM VESTEM INDVTI.) More gentis, suprà de Persepoli capta: *Multi ergo hostium manus voluntaria morte occupauerunt, preciosissima vestium induti è muris seipsos cum coniugibus ac liberis in præceps iacientes.* Iustinus lib. 14. de Olympiade occidenda. *Sed Olympias, vbi obstinatos venire ad se armatos vidit, veste regali, duabus ancillis innixa vltro obuiam procedit.*

CAETERI.) Præter Nabarzanem, Bessum, Brazam, Arachotorum prætorem, Satibarzanem & Barzaentem cum suis coniuratis.

IN AV-

INAVDITI ANTEA FACINORIS.) [Greek] hoc & [Greek], grauiorà & hoc atrociora facinora memini, quando filij parentes reges, & fratres se mutuo regnandi caussa interfecerunt. Ninyas rex matrem Semiramidem sustulit. Cambyses Cyri F. Comarim seu Praxalpem trucidauit. Notum ex Iustino, & alijs, quomodo Xerxes perierit, quomodo Darius puer ab Artaxerxe fratre fraudibus Artabani interemptus sit: Quæ omnia ante Darium vltimum accidere. Nihil dicam de sacra historia, quando Absolonus ipsum Dauidem, quo nihil sanctius erat, impio bello persecutus est. Ipse Alexander infrà lib. 9. c. 12. *Philippus in acie tutior, quàm in theatro fuit, hostium manus sæpe vitauit, suorum effugere non valuit.* Aliorum quoque regum exitus si reputaueritis, plures à suis quàm ab hoste interemptos numerabis. Verbum non amplius addo, *Inauditi* ergò *facinoris*, expone rari, crudelis, atrocis, immanis.

INIRENT GRATIAM VICTORIS.) Næ illi procul vero aberrarunt; nunquam Alexander Parricidia regum suorum laudauit, qui Bessum in crucem egit.

BELLVM RENOVARENT.) Quod Bessus, qui se pro rege gessit, nequicquam conatus est.

SCIO ME.) Elegantissima & sententiosissima, quamuis impia, improba, ab impio prolata oratio, qua suadet Dario differendum prælium, & abdicandum imperium. Huius apud Caussinum in Parallelis eloquentiæ, hæc est œconomia lib 13 pag. 563.

1. Insinuatione vtitur vulpes (Nabarzanes) in re ambigua, proponens se austera quidem, sed salubria dicturum, ducto à medicis exemplo. Hanc similitudinem fusè prosequitur Augustinus Epist. 48. ad Vincentium, & Epist. 1. ad Bonifacium, & ser. 59. de verbis Domini. Cæsarius Arelatensis hom. 8. Philo Iudæus de sacrificijs.

2. Primo opponit religionem, & infelicitatem ad deterrendum Darium, quo prætextu ambitiosi & improbi, vt videre est in varijs historijs, sæpè abuti soleot: quippe nil efficacius multitudiné regit, & vt aie Iustinus, lib. 8. *Iure ille à Dijs proximus habetur, per quem Deorum maiestas vindicatur.* Verùm huiusmodi homines prætexti cælo, captaot terras.

3. Addie suæ fraudi delineamenta, & spes præclaras in posterum colligit ex adiunctis, si Darius tantisper huic infelicium rerum velut effuso torrenti se subtrahat.

4. Quod vafræ artis est, etiam sententiosus est insidiator, quò sincerius loqui videatur, & facilius in errorem inducat. Sed [Greek], suspecta prudentibus oratio.

5. Ad summum, rem de compacto gerunt perfidiosi, vt in Velabro Olearij.

Sic multi animus, quorum atroci iunctus malitia est,
Composita dicta ex pectore voluunt suo,
Quæ cum componas dicta factis discrepant. Accius in Emmonidibus.

MEDICI QVOQVE.) Nobilis comparatio ex Iatrica petita, quam affirmat senarius:

Medicus loco demum vltimo, ferro vtitur.

Plutarchus de Scipione Minore: [Greek] Plutarchus in apophtheg. Scip. ... *Videns coniunctam cum insania hostium temeritatem, dicebat* ... *securitatem. Bonum enim imperatorem itidem, vt medicum, ad malum curandum vltimo loco ferrum adhibere. Nihilominus tempore tamen suo adortus Numantinos fudit.*

[illegible] ... VS.) Altera similitudo à nauarcho petita. Elegans est, super qua re iocus, nisi fallor, Morum, qui narrat, imperatum vectoribus in tempestate à gubernatore, vt grauius quisque onus & sarcinam in mare iactaret; à quodam vxorem arreptam & eiectam, quod negaret grauius onus habere. *Damnum facere in tempore lucrum est, non damnum.*

D... AVERSIS BELLVM INIMVS.) quàm cautè sibi viam munit ad abrogandum Dario regnum, perduellis per sententias incedit, vt salutaria suadere videatur, dum exitium parat.

PERTINAX FORTVNA.) Irata nobis, & quò maior, hoc pertinacior & iracundior.

OMINIBVS.) Tandem aperit, sed sensim, quod molitur. Opus est nouis initijs, nouis ominibus, nouo duce, nouo rege, tu non es aptus ad regni gubernacula.

IMPERIVM ALTERI TRADE.) Hic tandem apertè parricidale consilium nudat.

RATIO PROMITTIT.) Nam, si tu regnum alteri fiduciarium commiseris, interim ad Bactrianos, Sagas, Indos te conferes, ibique totum Orientem contra Alexandrum mouebis, fortiorque redibis victor, quàm victor ad te accedet.

Sed qui sunt isti Sagæ? infrà quoque horum mentio est. Veneuros autem Chorasmios, & Dahas, Sagasque, & Indos, & Tanaim amnem colentes Scythas. Et lib. 8. c. 10. rex illorum regionem populatur. Sed tu hoc, inquis, age, dic qui sint Sagæ, quando plerique Geographi etiam tacent. Loquitur tamen doctissimus Mela: *Inde Asiæ confinia (nisi vbi perpetuæ hiemes sedent, & intolerabilis rigor) Scythici populi incolunt, ferè omnes etiam in vnum Sagæ appellati.* Sunt, qui eosdem Sagas & Sacas existiment, nec multum falluntur, cum vtraque gens, seu vna potius, Scythica fuerit, & Mela testetur, communi nomine omnes Scythas, dictos Sagas. Plura de his infrà ex Goropio, Indicem vide.

lib. 7. c. 6.
lib. 3. c. 5.

QVID RVIMVS BELLVARVM RITV.) Dio Brusæus, seu Chrysostomus hom. 29. *Quod si quis aliter sentit, hic cogitet, apros & ceruos, quandiu quidem illis vis & robur adest.* ... *nec cum hominibus,*

nibus, nec canibus congredi. Quando autem vis elanguit & victa est, tum comminus persequentes aggrediuntur, maluntque vulnerari & mori, quam fugere & sustinere insequentes.

FORTIVM VIRORVM EST MAGIS MORTEM CONTEMNERE.) Exposito consilio agitati sceleris, redit ad locos communes & sententias, quibus mitiget rei atrocitatem. Seneca.

Theb. v. 190. & seq. *———Non est, vt putas, virtus, pater,*
Timere vitam, sed malis ingentibus
Obstare, nec vertere ac retrò dare.

Orat. 19. Dio Brusæus: οὕτω τὸ γὰρ θαυμάζειν καταφρονεῖν οὐκ ἀνδρείας ἐστὶν ἀλλὰ τοὐναντίον. *Ita vulnera contemnere non fortitudinis, sed ignauiæ.* Critognatus apud Cæsarem: *Animi est ista mollities, non virtus, inopiam paulisper ferre non posse. Qui se vltrò morti offerunt facilius reperiuntur, quam qui dolorem patienter ferant.** Plotius Firmius docet, *maiore animo tolerari aduersa quam relinqui: Fortes & strenuos etiam contra fortunam insistere spei, timidos & ignauos ad desperationem formidine properare.*

Lib. 7. de bello Gal. cap. 77. * Tacitus lib. 2. hist.

VLTIMVM OMNIVM MORS EST) ita Senarius docet:

Mors vltimum est, ad quam ire non pigrè est satis.

PROINDE SI BACTRA. Epilogus; Dario in Bactrianam prouinciam refugiendum, Bessum proregem instituendum, quoad belli tempestas deferuiat, & serena tempora redeant, tum fore vt Bessus regnum interim in fidem receptum restituat Dario. Sentit insidias Darius, proinde vindicare ferro conatus, inhibetur.

CAPVT XIX.

ARGVMENTVM.

Darius sentit insidias quas exire tamen non potuit. Artabazi & Græcorum cum Patrone fides in eundem. Artabazus pro rege administrat castra.



Haud mirum est Darium non temperasse animo, quanquam tam impiæ voci quantum nefas subesset, latebat. Itaque, Pessimum, inquit, mancipium, reperisti exoptatum tibi tempus, quo parricidium aperires? strictoque acinace interfecturus eum videbatur, ni properè Bessus Bactrianique tristium specie, ceterum si perseueraret, vincturi circumstetissent. Nabarzanes interim elapsus, mox & Bessus consecutus copias quibus præerant, à cætero exercitu secedere iubent, secretum inituri consilium. Artabazus conuenientem præsenti fortunæ sententiam orsus mitigare Darium, temporum identidem admonens cœpit. Ferret æquo animo qualiumcunque suorum tamen, vel stultitiam, vel errorem. Instare Alexandrum, grauem, etiam si omnes præstò essent. Quid futurum si persecuti fugam ipsius, alienentur à rege? Ægrè paruit Artabazo, & quamquam mouere castra statuerat, turbatis tamen omnium animis eodem in loco substitit. Sed attonitus mæstitia simul & desperatione, tabernaculo se inclusit. Ergò in castris, quæ nullius regebantur imperio varij animorum motus erant, nec in commune, vt antè, consulebatur. Dux Græcorum militum Patron arma capere suos iubet, paratosque esse ad exequendum imperium. Persæ secesserant. Bessus cum Bactrianis erat tentabatque Persas abducere, Bactra & intacta regionis opulenta, simulque quæ manentibus instarent pericula ostentans. Persarum omnium eadem ferè fuit vox, nefas esse deseri regem. Inter hæc Artabazus omnibus imperatorijs fungebatur officijs. Ille Persarum tabernacula circuire, hortari, monere nunc singulos, nunc vniuersos, nec ante destitit, quàm satis constaret imperata facturos. Idem ægrè à Dario impetrauit, vt cibum caperet, animumque regis.

NON TEMPERASSE ANIMO.) Sentit enim quorsum oratio Nabarzanis tenderet, quamuis nesciret, quæ clam consilia inter se Bessus & Nabarzanes coquerent.

L. ff. ad L. Pomp. de parricidijs. PARRICIDIVM. Itáne parricidium? Atqui Cæsar, Rex, Princeps, magistratus non continentur lege Pompeia de parricidijs, quæ ita habet: *Lege Pompeia de parricidijs cauetur, vt si quis patrem, matrem, auum, auiam, fratrem, sororem, patruelem, matruelem, patruum, auunculum, amitam, consobrinum,*

num, consobrinam, vxorem, virum, generum, socrum, vitricum, priuignum, priuignam patronum, patronam occiderit, cuiúsue dolo malo id factum erit, vt pœna ea teneatur, quæ est legis Corneliæ de sicarijs. Sed & mater, quæ filium filiamue occiderit, eius legis pœna adficitur, & auus qui nepotem occiderit, & præterea qui emit venenum, vt patri daret, quamuis non potuerit dare.

Si paullò latiùs verbum accipias, etiam ex Iureconsultorum decretis comprehendes hac voce, qui Dominum, principem, magistratus, Papam occidunt, & alios his pares, vel suppares: inter quos primus Cæsar, Rex, Dux, patria, ciuitas. Barthol. in L. verum ff ad l. Pompeiam de parricidijs.

BESSVS BACTRIANIQVE TRISTIVM SPECIE.) Quasi deprecabundi circumstetissent, deterruissentque Darium ferrum Nabarzani minitantem.

A CAETERO EXERCITV.) Persarum & Græcorum.

SECRETVM CONSILIVM.) Quomodo regem vincirent, aut omninò mactarent.

ARTABAZVS.) Semper fidus Dario, & regis officio interim defungens.

QVALIVMCVNQVE, SVORVM TAMEN.) Qualiumcunque, seu improborum, seu stultorum, suorum tamen subiectorum & popularium: quos vindicandi negauit tempus esse. (Leni verbo stultitiam & errorem interpretatur scelus Besſi & Nabarzanis Artabazus) supra caput esse cogitaret Alexandrum, cui, si Bessus & Bactriani deficerent, resistere nullo modo posset.

ATTONITVS.) Omni consilio destitutus, resisteret an fugeret, an ad pugnam se pararet dubius.

DVX GRAECORVM PATRON.) Qui quatuor millia ex quinquaginta millibus habebat reliqua, mercede ex Græcia conductorum, vsque ad necem Dario fida. Persæ quoque negabant fas esse deseri regem, quamuis à Besso solicitarentur. Sed Artabazus omnes præter Bactrianos in fide retinuit.

Darius interim inedia se conficere statuerat, quem Artabazus ad animi æquitatem erexit, & vt cibum caperet, persuasit. En fortunam regum, vbi semel hærere, labi, & ruere incipiunt.

CAPVT XX.

ARGVMENTVM.

Coniurati artes quærunt quibus Darium comprehendant, simulant Pœnitentiam, recipiuntur in gratiam.



T Bessus & Nabarzanes olim agitatum scelus exsequi statuunt, regni cupiditate accensi. Dario autem incolumi tantas opes sperare non poterant: quippe in illis gentibus regum eximia maiestas est: ad nomen quoque barbari conueniunt, & pristinæ veneratio fortunæ sequitur aduersam. Inflabat impios animos regio eius præerant, armis, virisque & spacio locorum nulli gentium secunda. tertiam partem Asiæ tenet, multitudo iuniorum, exercitus, quos amiserat Darius, æquabat. Itaque non illum modò, sed etiam Alexandrum spernebant: inde vires imperij repetituri, si regionis potiri contigisset. Diu omnibus cogitatis, placuit per milites Bactrianos ad omne obsequium destinatos regem comprehendere, mittique nunciū ad Alexandrum, qui indicarent viuum asseruari. Si, id quod timebant, proditionem aspernatus esset, occisuri Dariū & Bactra cum suarum gentiū manu petituri. Cæterùm propalā cōprehendi Darius non poterat, tot Persarum millibus laturis opem regi. Græcorum quoque fides timebatur. Itaque quod non poterant vi, fraude assequi tentant. Pœnitentiam secessionis simulare decreuerunt, & excusare apud regem consternationem suam. Interim qui Persas solicitarent mittuntur: hinc spe, hinc metu militares animos versant. ruinæ rerum subdere illos capita in perniciem trahi, cùm Bactra pateant, excepturæ eos donis & opulentia quantam animis concipere non possint. Hæc agitantibus Artabazus superuenit, siue regis iussu, siue sua sponte, affirmans mitigatum esse Darium, & eundem illis amicitiæ gradum patere apud regem. Illi lachrymantes nunc purgare se, nunc Artabazum orare, vt causam ipsorum tueretur, precesque perferret. Sic peracta nocte, sub lucis exortu Nabarzanes cum Bactrianis militibus in vestibulo prætorij aderat, titulum solennis officij occulto sceleri præferens: Darius signo

signo ad eundem dato, currum pristino more conscendit. Nabarzanes caeterique parricidae procumbentes humi, quem paulo post in vincula habituri erant, sustinuere venerari: lachrymas etiam poenitentiae indices profuderunt: adeo humanis ingenijs parata simulatio est. Preces deinde suppliciter admotae, Darium natura simplicem & mitem non credere modo, quae affirmabant, sed etiam flere coegerunt. At ne tum quidem cogitati sceleris poenituit, cum intuerentur qualem & regem, & virum fallerent. Ille quidem securus periculi, quod instabat, Alexandri manum, quas solas timebat, effugere properabat.

REGNI CVPIDITATE ACCENSI.) Omnia iura diuina & humana polluit ambitio, cui nihil sanctum, nec iusiurandum, nec sanguis, neque numen.

AD NOMEN QVOQVE BARBARI CONVENIVNT.) Mira fuit apud omnes prope gentes Regum & Imperatorum veneratio, quos velut viuas Dei imagines, adeoque vicarios Dei colebant; proin adorabant, omnique genere cultus venerabantur. Artabanus Darij praetor apud Plutarchum in Themistocle ita loquitur. ἡμῖν δὲ πολλῶν νόμων καὶ καλῶν ὄντων κάλλιστος οὗτός ἐστι ἡμῖν βασιλέα καὶ προσκυνεῖν εἰκόνα ἐμψύχου θεοῦ imaginem Dei viui appellauit, & Plinius: *Principem dat Deus, qui erga hominum genus vice sua fungatur.* Et Tertullianus quoque ex Christiana gente nobilissimus & antiquissimus scriptor, *Colimus imperatorem, sic quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, vt hominem à Deo secundum, & quicquid est, à Deo consecutum, & solo Deo minorem.* Itaque Persae reges suos non capite tantum inflexo, genuue posito, sed prostrato humi corpore venerabantur, cuius rei plura in ipso Curtio exempla extant, & testatur Val. Max. Auditoque eo sex reliqui summa potestatis candidati, continuo equis dilapsi (vt mos est Persarum) humi prostratis corporibus Darium regem salutauerunt. quam cerimoniam Liuius humi iacentium adulationes, Seneca Persicam seruitutem appellat. Alludit hos mores Bilbilitanus vates phaleucio de Traiano:

In Paneg. Traiani.

Cur. l. 3. s. 8. Val. l. 7. c. 3.

l. 10. ep. 72.

Frustra blanditiae venitis ad me,
Attritis miserabiles labellis.
Dicturus Dominum Deumque, non sum, (ita Domitianum appellabant)
Iam non est locus hac in vrbe vobis,
Ad Parthos procul ite pileatos,
Et turpes humilesque, supplicesque,
Pictorum sola basiate regum.
Non est hic dominus, sed Imperator.

In fragm. p. 205. Sallustius, *Se regibus deuouent, & post eos vitam refutant, adeo illis ingenita est sanctitas regij nominis.* Verè summa veneratio, cultus, amor erga reges suos erat Persarum, nec vlli nationi nomen sanctius augustiusque regum fuit, vnde summa quoque obedientia, & seruilis patientia sequebatur. Brissonium ex varijs scriptoribus loquentem consule.

Brisson li. 1. de regno Persarum p. 24 & 26.

INFLABAT IMPIOS ANIMOS REGNO.) Bactriana, quàm * infrà accuratè describit. Hanc primus omnium Ninus Babyloniorum rex, Semiramidis maritus victo Bactrianorum Oxyarte (suos enim reges prouincia habebat) expugnatam, suae ditionis fecit, postea Persis, subiecto Babyloniorum regno, paruit.

* lib. 7. c. 7.

Diod Bibl. 2. p. 64. ARMIS VIRISQVE) Oxoartes quadringenta millia armatorum contra Ninum eduxit. qui cum decies septies centenis millibus in vnam Bactrianam mouerat. ex quo gentis potentia aestimari potest. Oxyartes centum millia de Nini copijs prostrauerat, & nihilominus victus est. Ex quibus verum apparet, quod Curtius tradit multitudinem iuniorum gentis Bactrianae aequasse numerum in Darij exercitu varijs praelijs caesorum.

INDE VIRES IMPERII.) Totius Asiae, Persidis, Babyloniae, Mediae, & quicquid Dario paruisset recuperaturi, si Bactrianam regionem occupassent, sibique parere coegissent. Vel: Inde vires bello accisas instauraturi.

PRODITIONEM ASPERNATVS.) Parum enim tam glorioso regi, qui nil nisi laudem sitiebat, cuius immensa cupidine flagrabat, proditio honorifica futura erat, quod & postea in Besso ostendit, quem cruci destinauit.

BACTRA.) Quam nobilis haec vrbs, simulque regia Bactrianorum regum fuerit, docet his verbis in secundo Bibliothecae Siculus: ἡ γὰρ Βακτριανὴ χώρα πολλαῖς καὶ μεγάλαις οἰκουμένη πόλεσι, μίαν μὲν εἶχεν ἐπιφανεστάτην ἐν ᾗ συνέβαινεν εἶναι * τὰ βασίλεια. αὕτη δ' ἐκαλεῖτο μὲν Βάκτρα, μεγέθει δὲ καὶ τῇ κατὰ τὴν ἀκρόπολιν ὀχυρότητι πολὺ πασῶν διέφερε. *Bactriana regio multis, iisque magnis vrbibus abundat. Sed vna inter has est longe clarissima, Bactra nomine, in qua regum aula magnitudine & arcis firmitate longè omnibus antecellit.*

* τὸν βασίλεια.

TOT PERSARVM MILLIBVS) Erant minimum 26. millia Persarum, quatuor millia Graecorum. Bactrianorum autem tantum tria millia, trecenti equites. Itaque non ausi sunt coniurati regem palam aggredi. Atqui Arrianus in tertio tradit, non fuisse plures Darium secutos, quam tria millia equitum, sex millia peditum.

Non

Non vi.) Quo ipso se hostibus deteriores ostenderunt.

Poenitentiam simulare) Terentius:

Simulare certè est hominis, si re non dolet.

Hominis quidem est, sed improbi.

Malus vbi bonum se simulat, tunc est pessimus.

Secessionis.) Molliori verbo defectionem mitigat: manifesta enim secessio, defectionis signum erat.

Excusare.) *Noctem peccatis & fraudibus obijce nubem*, inquit Horatius. lib.1.ep.17.

Hinc spe, hinc metu.) Spe donorum, bonorum omnium. *Bactra, inquit, exceptura eos denis & opulentiis, quæ tanta animus concipere non possint. metu, nimia reorum subdere ipsos capita in perniciē trahi.*

Hac agitantibus.) Hæc inter se consiliantibus Artabazus renunciat, Darium sua opera illis reconciliatum esse. Nam superiore capite monuerat regem, vt æquo animo ferret siue stultitiam, siue errorem suorum, nec aliud in præsens curaret, quàm vt videret, quo pacto imminentem euaderet Alexandrum.

Illi lacrymantes.) Mirum, quomodo impij, velut mulierculæ in promptu habuerint lacrymas, indices aliàs vel veræ pœnitentiæ, vel testes innocentiæ.

Purgare se.) Excusare, & reclamante conscientia innocentiam testari.

Titulum.) Caussam præsentiæ, officium solenne & venerationem regis prætexens, cùm tamen adesset, vt si locus esset, vinciret per Bactrianos regem.

Pristino more.) Vt lib.3. & quarto cognouisti.

Procumbentes humi.) De hac Persarum consuetudine paullò antè ex Brissonio copiosè dictum, quem etiam hic locus affirmat.

Adeo humanis ingeniis parata simulatio est.) Epiphonema huius loci opportunissimum. Plane Catilinam te Sallustianum putes legere, aut Virgilianum Sinonem, nisi quòd hic artes suas & lacrymas in hostes, ille etiam in patriam, vt hic in regem suum, exprompserit.

Darium natura simplicem.) Minimè pellacem, callidum, versutum, πολύτροπον. lib.3.c.5. Idem suprà: *Erat Dario mite ac tractabile ingenium.*

Flere coegerunt.) Cum interim parricidæ, in sinum riderent, verum est quod vulgo dicitur: perfidia nam nullis beneficiis emendari, sicut & nullis lacrymis mitigatur. Plerunque perfidos tandem nomen ipsum prodit & perdit.

Alexandri manus fugere properabat.) Sed,

Incidit in Scyllam, dum vult vitare Charybdim.

CAPVT XXI.

ARGVMENTVM.

Patron Græci militis mercede conducti prætor, aperit Dario coniuratorum simulatam pœnitentiam, & certas insidias.



Atron autem Græcorum dux præcepit suis, vt arma, quæ in sarcinis antea ferebantur, induerent, ad omne imperium suum parati & intenti. Ipse currum regis sequebatur, occasioni imminens alloquendi eum, quippe Bessi facinus præsenserat. Sed Bessus idipsum metuens, custos verius quàm comes, à curru non recedebat. Diu ergo Patron cunctatus, ac sæpius sermone reuocatus inter fidem timoremque hæsitans, regē intuebatur. Qui vt tandē aduertit oculos Bessi in se: spadonem inter proximos currum sequentē percontari iubet, numquid ipse velit dicere. Patron se verò (sed remotis arbitris) loqui velle cum eo respondit: iussusque propius accedere, sine interprete (nam haud rudis Græcæ linguæ Darius erat) Rex, inquit, ex quinquaginta millibus Græcorum super sumus pauci, omnis fortunæ tuæ comites, & in hoc tuo statu idem qui florente te fuimus, quascunque terras elegeris, pro patria & domesticis rebus petituri. Secundæ aduersæque res tuæ copulauere nos tecum. Per hanc fidem inuictam oro & obtestor, in nostris castris tibi tabernaculum statue, nos corporis tui custodes esse patiaris. Omisimus Græciam: nulla Bactra sunt nobis, spes omnis in te. vtinam & cæteris esset. Plura dici non attinet, custodiam corporis tui externus & alienigena non deposcerem, si crederem alium posse præstare. Bessus quamquā erat Græci sermonis ignarus, tamen stimulante conscientia indicium

dictū profectò Patronē detulisse credebat: & interpretis Græci relato sermone, exempta dubitatio est. Darius aūt quantū ex vultu conspici poterat, haud sanè territus percontatus Patronis caussam consilij quod afferret. Ille non vltrà differendum ratus, Bessus, inquit, & Nabarzanes insidiantur tibi, in vltimo discrimine & fortuna tua & vita. Hic dies aut parricidis, aut tibi futurus vltimus. Et Patron quidem egregiam conseruati regis gloriam tulerat. Eludant licet quibus fortè ac temerè humana negotia volui agiq; persuasum est, equidem æterna constitutione crediderim nexuq; caussarum latentium, & multò antè destinatarum, suum quemque ordinem immutabili lege percurrere. Darius certe respondit. Quanquam sibi Græcorum militum fides nota sit, nunquam tamen à popularibus suis recessurum: difficilius sibi esse damnare, quàm decipi, quidquid fors tulisset, inter suos perpeti malle, quam transfugam fieri. Serò se perire, si saluum esse sui nollent. Patron desperata salute regis, ad eos quibus præerat, rediјt, omnia pro fide experiri paratus.

Patron) Nulla, quod equidem meminerim, apud alios scriptores huius Patronis mentio, quamuis non indignè publica propter insignem fidem in Darium nominis celebratione, nisi fidem hanc, perfidiam interpreteris, quod homo Græcus contra Græcos pro Barbaris arma tulerit, quæ fortasse caussa fuit, cur Græcorum nullus de illo meminisse voluerit, quem tantoperè laudat Curtius Romanus.

Custos verius, quam comes) Custos Darij, non vt corpus eius tueretur, sed ne quà elaberetur, quem vel capere, vel mactare cupiebat.

lib. 8. c. 11. Bubacen.) An è Bubacene natum? multi enim peregrini à patria nomen traxerunt. Est autem Bubacene Asiæ haud procul ab Indis a Polyperconte subacta, vt infrà Curtius docet.

Haud rudis Graecae linguae.) En & barbari reges Græcè discebant, quod hodie miraculum, si quis Principum, Regum, Cæsarum Græcè vel discat, vel sciat, quam tamen linguam Carolus Magnus omnis Germaniæ & Occidentis imperator optimè percalluit, cum Michaelis Rancabæ legatos Græcè perorantes humanissimè audiuit, & Cuspiniano teste, magnis muneribus prosecutus est. Mithridates seu Mithradates potius rex Ponti, duarum & viginti linguarum idiomata percalluerat, quot nempè gentibus imperitabat. Romani Cæsares omnes Græcè norant.

Lipsius exempl Polit. p. 65. Chosroes Persarum rex, Iustiniano & Romanis per suas clades notus, inquit Lipsius, & eloquentiam Græcam adamauit, & philosophiæ ipsius non limen, sed adyta penetrauit. Aristotelem totum percalluisse aiunt, Platonis lineas & numeros: sed & ipsa Græcorum opera in suam linguam multa transtulisse. Hæc aiunt: & demus famam aliquid adstruere: vel conatum ista, nonne magnum in magnis istis regum? De eodem mira* Agathias:

*Græcè pa. 62. Lat. 58. Cæterùm vbi paucula quædam de Chosroe commemorauero, statim ad priora redibo. Deprædicant enim illum atque admirantur supra ipsius meritum non tantum Persæ, sed & nonnulli Romanorum, veluti literarum amatorem, quique ad Philosophiæ nostræ culmen euaserit, quum ei Græcanica scripta ab interprete quopiam in Persicam linguam essent conuersa. Aiunt itaque, quod totum Aristotelem melius ebiberit, quàm Demosthenes Thucydidem, quodque Platonicis dogmatibus totus refertus fuerit, adeò vt ne Timæus quidem eius intelligentiam subterfugerit, tametsi lineari speculatione valdè sit argutus, & naturæ motus inuestiget; sed neque Phædon, neque Gorgias, neque alius quisquam ex elegantioribus & difficilioribus ipsius dialogis, qualis arbitror est Parmenides. Ego verò eum doctrina præditum fuisse, & quidem summa, nequaquam crediderim. Qui enim fieri poterat, vt puritas illa veterum nominum & natiua gratia, & prætetea rerum ipsarum naturæ congruens valdeque accommodata, in agresti quadam & ineptissima lingua conseruaretur? quo verò etiam pacto vir regio fastu à puero multaque assentatione delibutus, & barbarum inprimis vitæ genus sectatus, & bella semper præliaque spirans, quo pacto, inquam, qui ita vitam instituit, videatur aliquid magni ac memorabilis fructus ex hisce reportare disciplinis, & in ijs exercitatus esse posse? Quod si quis itaque eum idcirco laudauerit, quòd rex cùm esset & Persa, tantarumque gentium pariter ac rerum cura ei incumberet, nihilominus tamen etiam studia literarum degustare voluerit, & hac gloria se oblectarit: collaudauerim profectò hominem etiam ego, alijsque barbaris prætulerim. tulerim. Quotquot verò eum eximiè doctum vocant, & tantum non omnibus quotquot vspiam Philosophiæ cultores exstiterunt antecellentem, perinde ac si omnium artium ac scientiarum principia & causas pernouisset, qualem illum eximiè doctum Peripatetici statuunt; qui inquam ita sentiunt, quàm longissimè à vero aberrare deprehendi possunt, solam multitudinis famam sequentes.

Fridericus Secundus Imperator ille ingens, Italicè, Gallicè, Turcicè, Germanicè, Latinè, Græcè ad *miraculum* doctus erat.

Hodie pro literatore proclamaretur si quis Imperatorum Græcè legeret. Si quis etiam paullò *nobilior liberos* ad publicum gymnasium mittit, hoc primum est, vt eos à Græcis velit eximios, *quos immerentes* Atticâ totâ proscriptos vltrò volunt exulare. O infacetum sæculum!

Ex

EX QVINQVAGINTA MILLIBVS.) Ad Issum triginta millia habuerat, ex quibus duce Amynta quatuor millia in Aegypto periere, alij ad Arbela seu Gaugamela cum victis partim caesi, partim fuga elapsi ad quatuor millia redacti. Quanquam in acie Dariana ad Gaugamela ordinata; nulla Graecorum fiat mentio. Si tamen omnes ad Granicum, ad Issum, ad Gaugamela colligas, facile quinquaginta millia conficias.

OMISIMVS GRAECIAM.) Patriam nostram prae te, neglesimus, Bactra Besso relinquimus, abs te pendet vno spiritus omnium nostrum.

CAETERIS.) Bactrianis & Persis tuis.

ALIVM POSSE.) Poterant quidem, sed nolebant, imò prodebant.

STIMVLANTE CONSCIENTIA.) Quae omnia timet, omnia suspecta habet: Nusquam tuta consistit, furijs auernalibus agitata.

BESSVS ET NABARZANES.) Darius regiam hic indolem & constantiam vultu prae se ferebat, rogabatque Patrona Graecorum ducem, quamobrem sibi custodiam corporis sui deposceret? hic apertè Patron, quod antè significarat, indicat, Bessum & Nabarzanem insidiari ipsius vitae.

GLORIAM TVLERAT.) Imò laturus erat, si conseruasset, quia tamen quantum ipse potuit connixus est, pro conatu gloriam tulit.

ELVDANT LICET.) Periphrasis est fati & descriptio, de quo diuersas philosophantium sententias Curtius attingit, negantium & explodentium fatum, & affirmantium. Ex illo genere sunt Epicurij, pro quibus stetit in physicis carminibus impius Lucretius: Ex hoc Stoici & plerique alij omnes, ad quorum partes Curtius accedit.

Scripserunt de fato ex antiquis philosophis Chrysippus, qui omnia fato fieri docuit, Posidonius, Zeno, Boethus, Cicero. *Fatum definiuerunt, connexam rerum seriem siue rationem, qua mundus administratur.* idem his verbis describit: *Fatum autem id appello, quod Graeci εἱμαρμένην, id est, ordinem seriemque caussarum, cum caussa caussae nexa rem ex se gignat. Ea est ex omni aeternitate fluens veritas sempiterna. Fieri autem omnia fato ratio cogit fateri.* Sunt, qui tollunt omnem Dei prouidentiam è mundo: sunt, qui rebus omnibus necessitatem imponunt, ita vt & voluntati libertatem adimant, nec quicquam contingere, sed omnia necessario fieri credant, quorum damnata dogmata refutantur. Diog. Laertius in vita Zenonis. Cic. 1. de diuinat.

Nostrates Philosophi hodie de fato ita disputant, vt & fatum dari non inficientur, nec tamen suum cuique deliberandi, seligendique arbitratum libertatemque adimant, nec vllam rebus, quae ad perfectum, liberumque animi humani statum pertinent, necessitatem imponant, Diuosque Augustinum, Gregorium, & alios Patres fatum nihil esse testantium, fatuosque affirmantium, qui fatum credant, ita intelligendos aiunt, vt tantum de fato illi locuti sint, quod per errorem veterum ineuitabilem rebus contingentibus necessitatem adferre putabatur. *His ergo reiectis, &c.*

Conimbricenses ita fatum definiunt. *Est igitur fatum apud eos, qui rectè sentiunt, nihil aliud quàm inhaerens rebus mobilibus immobilis dispositio, per quam diuina prouidentia suis quaeque nectit ordinibus, vt definit Boetius lib. 5. de consolatione, prosa 6. Siue, Est ordo caussarum secundarum diuinam prouidentiam exequentium. Quam priorem definitionem hunc intelliges. Cùm Deus per caussas medias pleraque effecta exhibeat, potest eiusmodi caussarum ordinatio bifariam considerari: vno modo prout in ipso Deo est, sicque vocatur prouidentia; & definitur, ratio ordinis rerum in diuina mente existens. Altero prout est in caussis ordinatis, directisque à Deo, ad effecta producenda; atque ita praedicta ordinatio, fati rationem obtinet, diciturque dispositio, siue ordo rebus mobilibus inhaerens; mobilibus, inquam, quia caussae secundariae, in quibus fatum reperitur, in se spectatae mutationi sunt obnoxiae: & in hanc vel illam partem cadere possunt. Appellatur nihilominus idem ordo immobilis, quia stabilis est ac firmus, non in se vel absolutè, sed relatus ad diuinam prouidentiam, è cuius fonte descendit. Dicitur postremò prouidentia diuina per eiusmodi ordinem cuncta nectere, illa qua Deus facienda apud se statuit, illi interuentu re ipsa promit ac perficit.* Plura ibidem Conimbricenses, qui etiam ad obiectiones respondent. Conimbricenses ad ii. lib. Phys. Arist. art. 2. p. 234.

Sed enim Curtius in necessitatem fati ineuitabilem inclinare videtur, quando libro priore quoque scripsit. *Denunciato in illum diem periculo, vt (Alexander) arbitrabatur, ipse defunctus: sed, vt opinor, ineuitabile est fatum.* Acidalius huius loci sententiam Curtij, non auro comparandam, aurea verba appellat, vbi hunc locum cum illo è quarto componit. Atqui Curtius mox infrà hic de Dario locutus, *Destinatus sorti suae, & iam non in ipsius potestate quid vellet, quidue nollet, situm esse* subijcit: *Destinatum sorti* referas, quatenus in caussis ordinatis à Deo, & ad effectum producendum directis spectatur. Possunt tamen sane intelligi, & ita ad diuinam prouidentiam ... *nullius salubris consilij patiens.*

QVAM SIBI.) Nobilissima & sapientissima Darij ad Patronam oratiuncula, qua profitetur, se quidem de fide Graecorum nihil dubitare, sed turpius sibi futurum ad externorum opem transfugere, quàm in desperata fide suorum, perire: se sortem diuinam expectaturum. Patron tamen nihilominus à Dario non defecit.

CAPVT XXII.

ARGVMENTVM.

Besi parricidæ simulata excusatio.

AT Bessus occidendi protinus regis impetum ceperat: sed veritus ne gratiam Alexandri ni viuum eum tradidisset, inire non posset, dilato in proximam noctem sceleris consilio agere gratias incipit, quod perfidi hominis insidias iam Alexandri opes spectantis prudenter cauteq́ vitasset. donum eum hosti laturum fuisse regis caput, nec mirari hominem mercede conductum omnia habere venalia, sine pignore, sine lare, terrarum orbis exulem, ancipitem hostem, ad nutum licentium circumferri. Purganti deinde se, deosq́ patrios testes fidei suæ inuocanti Darius vultu assentiebatur, haud dubius, quin vera deferrentur à Græcis: sed eo rerum ventum erat, vt tam periculosum esset non credere suis, quàm decipi. triginta millia erant, quorum inclinata in scelus leuitas timebatur: quatuor millia Patron habebat, quibus si credidisset salutem suam, damnata popularium fide, parricidio excusationem videbat offerri. Itaque praoptabat immerito, quàm iure violari. Besso tamen insidiarum consilium purganti respondit; Alexandri sibi non minus iustitiam, quàm virtutem esse perspectam. Falli eos, qui proditionis ab eo præmium expectent. Violatæ fidei neminem acriorem fore vindicem, vltoremq́.

AT BESSVS OCCIDENDI PROTINVS REGIS.) Bessus cùm per interpretem cognouisset & quid Patron suasisset, & quid rex Patroni respondisset, veritus nihilominus ne mutato consilio transiret ad castra Græcorum, id quod & Artabazus cognita Patronis fide suasit, præcipiendam sibi Darij mortem, extemploque occidendum existimauit. Vnus tamen obstabat Alexander, cui nihil gratius futurum existimabat, quam si viuum illi hostem tradidisset. Proinde facinus in noctem distulit. Interim ne sibi elaberetur à curru nunquam discessit, & in speciem etiam gratulatus Dario, quod hominis Græci omnia Græca fide agentis insidias feliciter elusisset, quibus captum occisumque cupijsset victoris gratiam sibi redimere. Hæc Besso per summam simulationem & perfidiam oranti, deosque omnes testanti Darius quidem quasi credulus visus annuere, cùm interim nihil dubitaret vera à Patrone esse delata, sed si in fuga ad Græcos fuisset deprehensus, & occisus, iure cæsus poterat videri, quod suorum fidem perfidiæ Græcorum posthabuisset. Itaque perstitit apud suos, vt innocens potius quàm per speciem etiam nocens mactaretur.

AD NVTVM LICENTIVM.) Liceri, est augere precium in emptione, exempli causa: Bouem licetur Titius tribus Philippicis, accedit Caius dicit pecuario venditori, cede mihi bouem, ad tres, quartum aureum addam. Inde Cicero dicit, Liceri contra aliquem. Et hic obserua, Vallam falli,
Verrin. 5. dum docet verbum Liceri carere præterito. Nam Cicero dixit, *Digito licitus fit.* In auctione enim qui licitabantur, hoc est, precium augebant, digitum tollere solebant. Rursùm Cicero eadem Verrina 5. *Herbitenses cùm viderent, si ad Aeschrionem precium redisset, se ad arbitrium libidinosissimæ mulieris spoliatum iri, liciti sunt vsque eo quoad se efficere posse arbitrabantur. Suprà adiecit Aeschrio.* Cæterùm benè reliqua Valla, *Licere*, esse precium deferre in auctione facienda, hoc est, in venditione quæ publicè fit, *Ita qui licentur*, inquit, *aut licitantur, vltrò pro re emenda precium alius alio maius pollicentur, vt sibi potius quam alteri venalia addicantur.* Quamquam alij negent, quod affirmat Valla, idem esse
cap. 1. liceri & licitari: *Licere* enim esse semel augere precium, *Licitari*, sæpius. Curtius hic & lib. 4. Liceri vsurpat pro eo, quod est percussorem pecunia conducere, qui interficiat regem, & qui plus soluat ei parricidam operam polliceri: Et hoc est, quod hic dicit *ad nutum licentium*, siue liceantur hostes, siue amici, Patrona esse proditorem, cui si Alexander promittat aliquot talenta, facilè inductum iri vt Darium interficiat. Hæc ipse proditor & parricida Bessus de innocente Patrone. ancipitem appellat hostem, de quo non constat, à cuius parte stet occultè, Alexandri, an Darij?

Brisson. l. 2. pag. 158. & seq. DEOS PATRIOS.) Iouem, Solem (quem Mythræ nomine colebant.) Oremazum, Arimanem, Lunam, Venerem, Ignem.

TRIGINTA MILLIA ERANT.) Ergo etiam Persæ? nam suprà vniuersim triginta millia numerarat, & inter hos quatuor millia Græcorum, tria millia equitum Bactrianorum & trecentos.

PARRICIDIO EXCVSATIONEM.) Quasi Darius ad Græcos, hostes Persarum transfugere conatus sit.

ALEXANDRI SIBI NON MINVS IVSTITIAM.) Oratio ambigua, quæ æquè ad Patronem, quàm Bessum poterat referri. Sed Darij mens in Bessum ferebatur, quem sciebat esse proditorem. Interim obserua laudem Alexandro ab hoste tributam.

CA-

CAPVT XXIII.

ARGVMENTVM.

Darius vltimum salutato Artabazo, dilapsis custodibus, dimissis spadonibus per noctem à Besso vincitur, & captiuus à suis curru abducitur.

*IAmque nox appetebat, cum Persæ more solito armis positis, ad necessaria ex proximo vico ferenda discurrunt. At Bactriani (vt imperatum erat à Besso) armati stabant. Inter hæc Darius Artabazum acciri iubet, expositisq́; quæ Patron detulerat, haud dubitare Artabazus, quin transeundum esset in castra Græcorum: Persas quoque periculo vulgato secuturos. Destinatus sorti suæ, & iam nullius salubris consilij patiens, vnicam in illa fortuna opem Artabazum vltimum illum visurus amplectitur: perfususq́; mutuis lacrymis, inhærentem sibi auelli iubet. capite deinde velato ne inter gemitus digredientem velut à tergo intueretur, in humum pronum corpus abiecit. Tum verò custodiæ eius assueti, quos regis salutem vel periculo vitæ tueri oportebat, dilapsi sunt: armatis quos iam adventare credebant, haud rati se futuros pares. Ingens ergo in tabernaculo solitudo erat, paucis spadonibus, quia quò discederent non habebant, circumstantibus regem. At ille remotis arbitris, diu aliud atque aliud consilium animo volutabat. Iamq́; solitudinem, quam paulò antè pro solatio petiuerat, perosus, Bubacem vocari iubet: quem intuens, Ite, inquit, consulite vobis, ad vltimum regi vestro, vt decebat, fide exhibita. Ego hic legem fati mei expecto. Forsitan mireris, quòd vitam non finiam. alieno scelere, quam meo mori malo. Post hanc vocem spado gemitu non modo tabernaculum, sed etiam castra compleuit. Irrupere deinde alij, laceratisq́; vestibus, lugubri & barbaro vlulatu regem deplorare cœperunt. Persæ ad illos clamore perlato, attoniti metu, nec arma capere, ne in Bactrianos inciderēt, nec quiescere audebant, ne impiè deserere regem viderentur. Varius ac dissonus clamor sine duce, ac sine imperio totis castris referebatur. Besso & Nabarzani nunciauerant sui, regem à semetipso interemptum esse. planctus eos deceperat. Itaque citatis equis aduolant, sequentibus quos ad ministerium sceleris delegerant: & cum tabernaculum intrassent, quia regem viuere spadones indicabant, cōprehendi vincirique iusserunt. Rex curru paulò antè vectus, & deorum à suis honoribus cultus, nulla externa * ope admota, captiuus seruorum suorū, in sordidum vehiculum pellibus vndique contectum imponitur. Pecunia regis & supellex quasi iure belli diripitur, onustiq́; præda per scelus vltimum parta, fugam intendunt. Artabazus cum ijs qui imperio parebant Græcisq́; militibus Parthyenen petebat, omnia tutiora parricidarum contactu ratus. Persæ promissis Bessi onerati, maximè quia nemo alius erat quem sequerentur, coniunxere se Bactrianis, agmen eorum tertio assecuti die. ne tamen honos regi non haberetur, aureis compedibus Darium vinciunt, noua ludibria subinde excogitante fortuna. Et ne fortè cultu regio posset agnosci, sordidis pellibus vehiculum intexerant: ignoti iumenta agebant, ne percontantibus in agmine monstrari posset. custodes procul sequebantur.* * vi.

IAMQVE NOX APPETEBAT.) O noctem funestam & lamentabilem, quæ è domino seruum, è rege captiuum seruorum suorum fecit; ita feriunt celsos fulmina montes, ita fortuna ima summis, summa imis confundit & permiscet.

BACTRIANI ARMATI STABANT.) Ad omnem Besſi nutum parati, vt custodes Darij, ne quà euaderet. Iam enim rex curru in castra & tabernaculum regium descenderat.

ARTABAZVM ACCIRI IVBET.) Vltimum sequitur colloquium Artabazi cum Dario, quod ita describit Curtius, vt lectorem quoque communibus Darij & Artabazi lacrymis posſit irrigare. Suadet Artabazus fugam è tabernaculo ad Græcorum præsidium. Persas quoque hoc animaduertentes secuturos. non persuadet tamen; Darius enim mori inter suos voluit. Itaque in mutuum complexum ruunt, seseque mutuo lacrymarum flumine perfundunt, salutant, osculantur; cumque fidiſsimus amicorum non posset neque lacrymis satiari, neque à carissimo rege separari, illum per vim auelli, Darius iubet. Ipse desperabundus se humi abijcit, caput, velut destinata morti victima, obnubit, & fata sua expectat. Custodes corporis quamuis armati, quos cum rege emori oportebat, diffugiunt, regemque omni auxilio præsidioque destituunt. Adeò verè cecinit vates:

Donec eris felix multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

VELVT,

VELVT A ROGO INTVERETVR.) Certè placet emendatus Acidalij calamus: *digredientem velut è tergo intueretur.*

ALIENO SCELERE, QVAM MEO MORI MALO.) Piè hoc, & ex vera naturæ ratione atque instinctu, quicquid impia alioquin antiquitas contra obmurmuret, & hodie Iaponica barbaries obnitatur, digna cui hoc ipso nomine natura ventrem medium secet. Nefas enim vitam vi euitare, quàm tibi impartiri non potuisti, ne auferas. Scelus est innocentem occidere, te ipsum neque nocentem quidem, multo minus innocentem. Nec generosi animi est, propter metum mortis mortem præcipere. Senecam naturæ (quamuis non vbique iustum) interpretem audi. *Etiamsi certa mors instabit, & destinatum sibi supplicium sciet, non commodabit pœnæ suæ manum. Stultitia est timore mortis mori. Venit qui occidat. Expecta, quid occupas? quare suscipis alienæ crudelitatis procurationem? vtrum inuides carnifici tuo, an parcis?* Idem ferè Martialis:

li. 2. ep. 80.

Hostem cùm fugeret, se Fannius ipse peremit:
Hic, rogo, non furor est, ne moriare, mori?

Epist. 24.

Epicurus quoque apud Senecam obiurgat non minus eos, qui mortem concupiscunt, quam eos qui timent, & ait: *Ridiculum est currere ad mortem, tædio vitæ, cum genere vitæ, vt currendum esset ad mortem, effeceris.* Et: *Quid tam ridiculum, quam appetere mortem, cum vitam tibi inquietam feceris, metu mortis.* His adiicias & illud eiusdem notæ licet: *Tantam hominum impudentiam esse, imò dementiam, vt quidam timore mortis cogantur ad mortem.*

De bello Iudaico, seu excidio Hierosolymitano. Acidal. pag. 64.

Eleganter & ex naturæ sensu disputat Iosephus cum popularibus suis in antro deprehensus, cōtrà naturam esse suiipsius interemptorem: quem videbis. Interim non displicet Acidalius, qui emendat *metu meo. Non temerè damnem* (etiam hoc prudenter) *etsi suspectum. Neque enim sanè scelus illa αὐτοχειρία: & sic vt poterat, ne sic sceleste moreretur, aliena manu, vel huius ipsius Bubacis. Quod solenne quidem priscis: atque, vt Florus ait,* Viri fortes & sapientes in vltimis non suis manibus vsi, ne violarent manus, sed in abolitione sanctissimarum pientissimarumque animarum iudicio suo, alieno scelere vterentur. *At quid tamen hæsito, quin aut sententiam liberè, aut proferam quod sentio liberius? Cordato lectori non diffidam, cui soli probabo vocem excidisse, quam reponimus audacter:* Alieno scelere quam metu meo mori malo. *Id vnde? qua auctoritate? Exemplo Curtij ipsius aut Alexandri, qui lib. 3 sic quoque, cum de medici fide & periculo suo anxius deliberaret:* Damnémne medici fidem? in tabernaculo me opprimi patiar? Atqui satius est alieno me mori scelere, quàm metu meo. *Is viri fortis animus, nec Darij nunc minus quam Alexandri. Illius hæc etiam excusatio ad mollem spadonem. Denique Curtium qui nouit, imitationem in eo sui ipsius alibi solennem & hic agnoscet. Lubenter quidem & cum magna voluptate.*

SPADO.) Bubaces à Dario dimissus omnia lamentis impleuit, quo factum, vt alij quoque spadones & ministri regis proximi tabernaculum irruperint, & depositum regem, iuxtaque se ipsos deplorarint.

LACERATIS VESTIBVS.) Viri fœminæque Persarum, in graui luctu vestes lacerabant, quod ex Curtio alijsque historicis Græcis Brissonius cōfirmat. *Porrò,* inquit, *Persicæ mulieres in summo mœrore & luctu, vestes scindere, crinesque lacerare solebant. Indicat Diodorus Sicul. l. 17. vbi post Darium victum, mulieres, τὰς ἐσθῆτας περιρρηξάσας, μετ' ὀδυρμῶν, ἐκ τῆς σκηνῆς excessisse refert Curtius lib 3. Ingens circa eam nobilium fœminarum turba constiterat, laceratis crinibus, abscissaque veste, pristini decoris immemores reginas.*

Idemque confirmatur Ctesiæ verbis, quæ ab Hesychio in voce Σαράπις laudantur. Idem quoque, mœstitiæ suæ, planctusque documentum, viros dedisse, testatur Herodotus lib. 3. Πέρσαι δ', ὡς τὸν βασιλέα εἶδον ἀνακλαύσαντα, πάντες τά τε ἐσθῆτος ἐχόμενα εἶχον, ταῦτα κατηρείκοντο, καὶ οἰμωγῇ ἀφθόνῳ διεχρέωντο. Curtius lib. 5. *Post hanc vocem spado gemitu, non modò tabernaculum, sed etiam castra compleuit. Irrupere deinde alij, laceratisque vestibus, lugubri & barbaro vlulatu regem deplorare cœperunt.* Apud eundem lib. 4. *Spado Dario nuncium mortis vxoris suæ attulisse, gemens, veste lacerata, eoque habitu in Tabernaculum regis perductus esse, dicitur. Lugubria etiam induebant qui lugebant. Etenim πένθιμον ἐσθῆτα sumpsisse mulierem Persicam, narrat Diod. lib. 11. Curtius lib. 10. Ad Darij quoque matrem celeriter perlata est. Abscissa ergo veste qua induta erat, lugubrem sumpsit, laceratisque crinibus, humi corpus abiecit.*

Idem mos apud Iudæos ex vtriusque Instrumenti oraculis apparet.

Iustinus lib. 11.

SINE DVCE, AC SINE IMPERIO.) Militaris turba sine duce, corpus est, sine spiritu, inquit Perdicca, apud Curtium lib. 10.

Iustin. li. 5. Chrysost. Brus. orat. vlt. Bris. l. 1. p. 8.

COMPREHENDI VINCIRIQVE IVSSERVNT.) Et quidem aureis compedibus, noua ludibria subinde excogitante fortuna. Iustinus: *Interea Darius in gratiam victoris à cognatis suis aureis compedibus, catenisque, in vico Parthorum Tanea, vincitur.* Nec principi hoc Dario tantùm euenit, Astyagem Cyrus, Cyrum iuniorem Artaxerxes aureis vinculis constrinxit. vt Iustinus, & Chrysostomus Brusæus docent. Auctores fuêre Bessus, Nabarzanes, Braza.

* quadragies tercentena millia 4300000.

DEORVM HONORIBVS CVLTVS.) Hoc & suprà docuimus, & Brissonius multis ostendit.

quatuor milliones & tercenta millia aureorum.

PECVNIA REGIS.) Nam septē millia * talentum auctore Arriano secum Ecbatanis extulerat. Exercitus Darij dissipatus. Persæ & Bactriani Bessum sequebantur; Patron cum Græcis Artabazum. Darius in sordidum vehiculum, tanquam caueam, pellibus vndique tectum coniectus, & in fugam raptus, auriga quem veheret nesciebat, iussus Bessum sequi.

PAR-

PARTHYENEM) Parthiæ regio & prouincia Ptolemæo. Stephanus : Παρθυαῖοι, ἔθνος πάλαι μὲν Σκυθικὸν, ὕστερον δὲ φυγὸν ἢ μετοικίσαν ἐπὶ Μήδου. κληθῆν δ' οὕτω παρὰ Μήδοις διὰ τὴν φύσιν τῆς αὐτοῖς δεξαμένης γῆς ἑλώδους καὶ ὑγρώδους οὔσης, ἢ διὰ τὴν φυγὴν καθότι οἱ Σκύθαι τοὺς φυγάδας πάρθους καλοῦσι. λέγονται δὲ καὶ Πάρθοι καὶ Πάρθιοι, καὶ Παρθυαῖοι, καὶ Παρθυαία ἡ χώρα, καὶ Παρθυηνὴ καὶ Παρθυηνός. Parthyæi gens olim quidē Schytica: deinde cum exularet aut migraret ad Medum (Parthi dicti) dicta enim est apud Medos ita propter terram paluſtrem & vliginoſam, aut propter exilium & fugam, prout Scythæ, exules Parthos vocant. Appellantur autem Parthi & Parthij & Parthyæi. Regio verò Parthyæa & Parthyene & Parthyenus. Hunc populum Strabo ad montes collocat iuxta Medos. Hanc Parthyenem infrà lib. 6. c. 3. Curtius multò fuſius deſcribit. Strabo l. 2.

AGMEN EORVM TERTIO DIE ASSECVTI) Bactrianorum Alexandrum fugientium agmen, ſæpius, vt ſuprà & hic auditum, à Beſſo ſolicitati, & tunc duce & imperatore deſtituti, ſecuti ſunt, & tertio die aſſecuti.

CAPVT XXIV.

ARGVMENTVM

Alexander Darium perſequitur.

ALexander audito Darium mouiſſe ab Ecbatanis, omiſſo itinere, quod patebat in Mediam, fugientem inſequi pergit ſtrenuè. Tabas oppidum eſt in Paretacene vltima. ibi trāsfugæ nunciant præcipitem fuga Bactra petere Darium. Certiora deinde cognoſcit ex Meghiſtane Babyloniæ, non equidem vinctum regem, ſed in periculo eſſe aut mortis, aut vinculorum. Rex ducibus conuocatis; Maximum, inquit, opus, ſed labor breuiſſimus ſupereſt. Darius haud procul deſtitutus à ſuis, aut oppreſſus eſt. In illo corpore poſita eſt victoria ſtra, & tantæ res celeritatis eſt præmium. Omnes pariter conclamant paratos ipſum ſequi, nec labori, nec periculo parceret. Igitur raptim agmen curſus magis quàm itineris modo ducit, nec nocturna quidem quiete diurnum laborem relaxante. Itaque quingenta ſtadia proceſſit, perueneratq́; in vicum, in quo Darium Beſſus comprehenderat. Ibi Melon Darij interpres excipitur, corpore æger, non potuerat agmen aſſequi: & deprehenſus celeritate regis transfugam ſe eſſe ſimulabat. Ex hoc acta cognoſcit, ſed fatigatis neceſſaria quies erat. Itaque delectis equitum VI. millibus, trecentos quos Dimachas appellabant, adiungit: dorſo hi grauiora arma portabant: ceterum equis vehebantur: cum res locusque poſceret, pedeſtris acies erat. Hæc agentem Alexandrum adeunt Orſillos & Mythracenes, Beſſi parricidium exoſi erant, transfugerant, nunciabantque ſtadia 2. abeſſe Perſas, ipſos breuius iter monſtraturos. Grat[illegible] us regi aduentus transfugarum fuit. Itaque prima veſpera ducibus iiſdem cum expeditis equitem manu monſtratam viam ingreditur, phalange quantum feſtinare poſſet, ſequi iuſſa. Ipſe quadrato agmine incedens ita curſum regebat, vt primi conjungi vltimis poſſent. CCC. ſtadia abeſſe: exercitum, vtpote qui nihil præcaueret, incompoſitum inordinatumque procedere. Hyrcaniam videri petituros ſi feſtinaret ſequi, palantibus ſuperuenturum. Darium ad[illegible] huc viuere. Strenuo alioquin cupiditatem conſequendi transfugæ iniecerant. Itaque calcaribus ſubditis effuſo curſu eunt. Iamq; fremitus hoſtium iter ingredientium exaudiebatur, ſed conſpectum ademerat pulueris nubes. Pauliſper ergo inhibuit curſum, donec conſideret puluis.

O[illegible] ISSO ITINERE QVOD PATEBAT IN MEDIAM) Arrianus contrà, Alexandrum etiam Ecbatana veniſſe ſcribit. Ἐλθὼν δὲ ὡς ἐκβάτανα Ἀλέξανδρος, Alexander cum Ecbatana veniſſet. Poſſis tamen interpretari Ecbatana non ciuitatem ipſam, ſed regionem, quæ etiam Ecbatana appellabatur.

TABAS OPIDVM EST) Quæ, malum! hæ Tabæ hic in Media vel Peratacene? Nullæ Tabæ in hiſtoris. Tabas ego ternas lego apud Stephanum Vnæ ſunt Lydiæ, aliæ Cariæ, tertiæ Peraæ in Syria, nullæ in Media. Proinde verè Glareanus Ragas, non Tabas, ſuffragante etiam Arriano legit. Ragas etiam Stephanus laudat in voce Raga. Πόλις, inquit, ἐν Μηδίᾳ κτισμένη ὑπὸ Σελεύκου τοῦ Νικάτορος

ϛ@-, ἐκαλεῖτο δὲ πρότερον Μετεωνομάσθη δὲ καὶ Ἀρσάκη, ἀπὸ Ἀρσάκου βασιλέως Περσῶν. *Ciuitas est Media condita* (vel potius instaurata) *à Seleuco Nicatore. Appellabatur & Europus & Arsace, ab Arsace Persarum* (imo Parthorum) *rege*. Polybius tamen Tagas in Hircania ponit. Est Ragarum mentio in historia

Lib. 10. lib Tob. c. 3. Tobiæ. *Eadem itaque die contigit, vt soror filia Raguelis in Rages ciuitate Medorum, & ipsa audiret*, &c. Strabo, *Est & Apamea & Heraclea vrbes apud Ragas*. Dein subijcit nomenclaturam vocis: τοὔνομα

Strabo l. 2. δὲ ταῖς Ῥαγαῖς ἀπὸ τῶν γενομένων σεισμῶν γενέσθαι φασίν, ὑφ' ὧν πόλεις τε συχναὶ καὶ κῶμαι δισχίλιαι, ὥς φησι, Ποσειδώνι@- ἀνετράπησαν. *Nomẽ Ragis rupturas diceres, à terræ motibus factũ aiunt, quibus vrbes cõplures & bis mille pagos Posidonius subuersos scribit*. Ragas Alexander vndecimis castris, hoc est, XI. diebus peruenit, vti Arrianus tradit, & Plutarchus exposuit: vndecim, inquit, diebus tria millia trecenta stadia confecit, hoc est, milliaria nostratia tria suprà centum. Singulis diebus redduntur vndecim milliaria cum stadijs quaternis.

PARAETACENE) Παραίτακα, inquit Stephanus, πόλις Μηδική, τὸ ἐθνικὸν Παραιτακηνός. *Paratacæ*

Plb. 2. p 81. *vrbs Media, gentile Paratacenus*. Sicut & regio Parætacene. Eiusdem regionis mentio apud Strabonem,* qui παραιτακηνὴν appellitat. Ineptissimè quædam chartæ pro Parætacene præferunt Portæ Lacenæ: Morboniam petant hi calami. Arrianus Paritacas vocat ab Alexandro primo impetu captas.

MEGISTHANE BABYLONIAE) Varia huius nominis scriptura est, nam alij atque alij codices habent Bogisthene, Bagitthane, Bagistone Babylonio. Modij Meghistane Babyloniæ, quam ipse scripturam emendat, & *Bagistane Babylonio* rescribendum monet. Atqui Arrianus Bisthanem appellat: ὡς δ' ἀπεῖχεν ἐκ Βαταάνων ὅσον τριῶν ἡμερῶν ὁδὸν, ἐνταῦθα ἀπήντα αὐτῷ Βισθάνης ὁ Ὤχου παῖς τοῦ πρὸ Δαρείου βασιλεύσαντ@- Περσῶν. Cumque trium ferè dierum itinere abesset ab Ecbatanis, Bisthanes illi Ochi F. qui ante Darium Persis imperarat, occurrit. Bisthanes ergo dictus est, non Bagisthanes vel Bagolienes vel Bagisthenes vel Megisthanes.

NON EQVIDEM VINCTVM) contendunt nonnulli particulam *equidem* non nisi cum prima persona iungi. Curtius hic aliud docet, & accipitur pro affirmatione, Non equidem, non sanè vinctum esse Darium adhuc, sed in periculo esse ne vinciatur, aut occidatur. Hic autem Bisthanes nũciauit Alexandro, cum à Dario nondum vincto digresius esset.

IN ILLO CORPORE) Darij, nam si illo potiti fuerimus, rem factam habebimus, & totius Asiæ domini erimus.

IN VICVM IN QVO DARIVM BESSVS COMPREHENDERAT) Taneam appellat Iustinus vicum, vt suprà monui, locum, aliorum exprimit nemo.

MELON TRANSFVGAM SE SIMVLABAT) Melon interpres Darij, vt qui Persicè & Græcè sciret, & quamuis etiam Darius, vt supra ostensum est, Græcè nosset, nihilominus per interpretes, pro regum more, nisi aliud necessitas exigeret, respondebat. Et fieri potest Melonem etiam aliarũ linguarum interpretem egisse. Transfugam autem se simulauit, ne in numero hostium haberetur.

Li. 1. p. 117 Cæterùm, de interpretibus regum Persarum plura ex Herodoto Brissonius.

DIMACHAS APPELLABANT) vulgò Dimachas, mendosè. qui Dimachæ vocarentur & essent, Curtius subijcit, dicti, quod nunc pedestre, nunc equestre prælium inirent, ad vtrumque genus pugnæ eruditi, vt modo pedites, modo equites, prout vsus erat, dimicarent, vnde dimachæ, quasi tu diceres duplici arte pugnantes. O inopem linguam latinam! quæ multas Græcas voces exprimere nisi per ambages non potest, in quo genere est πολυπράγμων apud Agellium. Hoc genus militum nunc inter equites, nunc pedites, hoc est, inter vtrosque censum. Alexander maximus Impe-

Apud Sixtum Arcerium p. 156. not. ad Aelian. ratorum inuenit, vt Iulius Pollux testatur, cuius hæc verba sunt. *Erat & aliud equitum genus, Dimachæ dicti, ex inuentione Alexandri, armorum apparatu instructi leuiore, quam qui est peditum grauis armatura, grauiore verò, quam qui est equitum: exercitati in vtramque, & pedestrem, & equestrem pugnam. vt & in locis equitatui aptis equis vtantur: & vt ne si in loca deuenirent iniqua, & minus apta, omnino ad pugnandum inepti essent, idemque experirentur, quod Lydis quandoque accidit. Equum autem apprehendebat, ac custodiebat famulus aliquis, qui in solum eum vsum vna sequebatur. ita qui ex equo descenderat, confestim inter pedites armatos pugnabat.*

Annotauit etiam Arcerius ex Hesychio, eosdem dictos ἁμίππους, Διμάχαι οἱ λεγόμενοι ἅμιπποι. ὅτι ποτὲ μὲν πεζῇ, ποτὲ δὲ ἐφ' ἵππων μάχονται. *Dimachæ sunt. qui Hamippi dicti. qui quidem interdum pedites, interdum equites pugnant*. Hamippi autem, quasi dicas, pedes simul & eques. Non absimiles ab isto genere sunt equites, qui hodie in militia nostra Dragons nuncupantur, bombardas gestantes oblongas ex humeris dependentes.

ORSILLOS ET MYTHRACENES) Duo transfugæ, quorum nulla alibi, quod sciam, mentio.

STADIA QVINGENTA) aptius quindecim milliaria germanica.

VT PRIMI VLTIMIS CONIVNGI POSSENT) Ita vt non turmatim per interualla incederent, sed continuo agmine sine locorum intercapedine, ita enim primi vltimis, & vltimi primis iunguntur, sicut flumen perpetuum cum vnda vndam premit, & sibi mutuo succedit. quamuis in omnibus nihil omnino spacij intercedat. In agmine singuli versus sua iusta, aliquot pedum, habent

interualla. Hostem autem dispersis suis inconsultè sequi, est aduersario dare victoriã, quam ipse acceperat, inquit Vegetius.

TRECENTA STADIA PROCESSERANT) milliaria nouem, & mille quingentos passus. li. 3.5.26.

BROCVBELVS) Hic Mazæi filius, Syriæ, dum res Persarum antiqua maneret, prætor; non est secutus auctoritatem patris, cum se & Babylonem dederet Mazæus, de quo Curtius suprà: *Ceterùm Babylonem procedenti Alexandro Mazæus, qui ex acie in eam vrbem confugerat, cum adultis liberis supplex occurrit.* plures ergo & maturos iam filios habebat, ex quibus Brocubelus Alexandro tum non occurrit, Darium hactenus secutus. Nam hic demum à Dario iam captiuo transfugit ad Alexandrũ, ad vltimum regi suo fidus, frustrà enim ter victum, & vinctum à suis, vlterius sequebatur. Arrianus Antibelum vocat. Lib. 5. c. 3.

CC. STADIA) milliaria sex cum quadrante seu parte milliaris.

NIHIL PRÆCAVERET) rati procul abesse Alexandrum, nec fieri posse, vt ipsos assequeretur. Nihil est in bello securitate perniciosius. Nam summæ securitatis summum est periculum. Sed nihil celerius & laboriosius Alexandro:

Nulli (nempe) labores corpus lassant regium.

CAPVT XXV.

ARGVMENTVM.

Barbari cum Besso certatim fugiunt, Darius fugientes sequi recusat, vulneratus à suis relinquitur, à Polystrato Macedone reperitur, datis ad Alexandrum mandatis extinguitur.



IAmque conspecti à Barbaris erant, & abeuntium agmen conspexerant, nequaquam futuri pares, si Besso tantum animi fuisset ad prælium, quantum ad parricidium fuerat. Namque & numero Barbari præstabant & robore. Ad hoc refecti cum fatigatis certamen inituri erant. Sed nomen Alexandri, & fama, maximum in bello vtique momentum, pauidos in fugam auertit. Bessus verò & ceteri facinoris eius participes vehiculum Darij assecuti cœperunt hortari eum, conscendere equum, & se hosti fuga eriperet. Ille deos vltores adesse testatus, & Alexandri fidem implorans, negat se parricidas velle comitari. Tum verò ira quoque accensi tela coniiciunt in regem, multisque confossum vulneribus relinquunt. Iumenta quoque ne longius prosequi possent, conuulnerant, duobus seruis, qui regem comitabantur occisis. Hoc edito facinore, vt vestigia fugæ spargerent, Nabarzanes Hyrcaniam, Bessus Bactra paucis equitum comitantibus petebant. Barbari ducibus destituti, quà quemque aut spes ducebat aut pauor, dissipabantur. D. tantum equites congregauerant se, incerti adhuc resistere melius esset an fugere. Alexander hostium trepidatione comperta, Nicanorem cum equitum parte ad inhibendam fugam emittit. Ipse cum ceteris sequitur. III. fermè millia resistentium occisa sunt, reliquum agmen more pecudum intactum agebatur, iubente rege vt cædibus abstineretur. Nemo captiuorum erat, qui monstrare Darij vehiculum posset: singuli, vt quæque prehenderant, scrutabantur: nec tamen vllum vestigium fugæ regis extabat. Festinantem autem Alexandrum vix tria millia equitum persecuta sunt. At in eos qui lentius sequebantur, incidebant vniuersa fugientium agmina. Vix credibile dictu, plures captiui, quàm qui caperent erant; adeò omnem sensum territis fortuna penitus excusserat, vt nec hostium paucitatem, nec multitudinem suam satis cernerent. Interim iumenta quæ Darium vehebant, nullo regente decesserant militari via, & errore delata per IIII. stadia in quodam valle constiterant, æstuque simul & vulneribus fatigata. Haud procul erat fons, ad quem monstratum à peritis Polystratus Ma-

Macedo siti maceratus accessit. Ac dum galea haustam aquam sorbet, tela iumentorum deficientium corporibus infixa conspexit: miratusq́; confossa potius quam abacta esse, semiuiui

Quæ hic desiderantur possunt ex Diodoro, Plutarcho, Arriano, Iustino, Orosio, alijs peti, quorũ verba in commentariolo subijcio.

ABEVNTIVM AGMEN CONSPEXERANT) Persæ iam imminentis Alexandri antecursores conspexerant, & vicissim ipsi à Macedonibus conspecti erant, proinde prælium instare videbatur. Et Macedones quidem longè barbaris inferiores futuri erant, si suas barbari vires, numerum, copias, robur, hostiumque vicissim paucitatem, sitim, ex itinere præcipitato defatigationem æstimassent, & cum suis contendissent, sed Besso defuit animus, & Alexandri felicitas, celeritas, nomen, fama, victoriæ, hostium vires fregère, omnesque in fugam auertère.

FAMA MAXIMVM IN BELLO VTIQVE MOMENTVM) Hunc locum iam sæpè tractauimus, lib. 4. c. 12. & alibi, recurritque infrà lib. 8. c. 16.

VEHICVLVM EIVS ASSECVTI) præmiserant enim regem vinctum, velut sarcinam cum impedimentis.

ASCENDERET EQVVM) Hortabantur facinorosi parricidæ Darium, vt se fuga hosti eriperet, cum ipsi grauiores regi hostes incumberent, quàm Alexander, nec eo fine iusserunt eum fugere, vt seruaretur, sed vt precium gratiæ esset si illum Alexandro viuum traderent.

ILLE DEOS VLTORES ESSE TESTATVS) *Testatus* cum Acidalio lego, non vt vulgò *testatur*. Cæterùm, Dij vltores fuère Persis ipsi Cacodæmones. Agathiam audi : *Persæ duo prima rerum omnium principia statuère, vnum bonum, & optima quæque gignens, alterum perniciosum ac pessimum. ac bonum quidem Deum seu Creatorem Oromasdem, Cacodæmonem Arimanem appellauère.* Proinde spado Darij apud Plutarchum ita regem compellat. οὐδὲν ἔχεις αἰτιάσασθαι τὸν πονηρὸν δαίμονα Περσῶν. *Nihil est quod malum genium Persarum incuses.* Hos ergo malos genios, vltores Deos appellat Darius. Etsi nihil pugnat, etiam bonum Deum appellare vltorem scelerum. Punit enim Deus impiorum facinora, nec vllum scelus impunitum transmittit.

Lib. 2.

ALEXANDRI FIDEM IMPLORANS) Huc rerum deuenerat Darius, execratus suos, vt hostis fidem quamuis seriùs imploraret. Diodorus tamen prius Bactra fugisse atque sentientem Bessi insidias, inde regressum, & à Besso atque coniuratis occisum tradit.

TELA CONIICIVNT IN REGEM) Hi fuerunt apud Arrianum Satibarzanes & Barzaentes. Curtius indistinctè narrat, & reum ac parricidam Bessum ac Nabarzanem potius designat.

VT VESTIGIA FVGAE SPARGERENT) Ne occiso Dario, quem vnum Alexander videbatur petere, alios persequeretur, aut si vellet, & illos à se diuisos longeque disiunctos, anceps hæreret, Nabarzanem an Bessum prius insequeretur.

BARBARI DVCIBVS DESTITVTI) Persæ, Græci, Bactriani, Hyrcani, quorum Græci secum Artabazo coniunxerunt, sceleris & parricidij expertes. Persæ & Bactriani Bessum ducem suum nominarunt, & secuti sunt, quod Bessus & cognatione Darium attingeret, & in ipsius dynastia captus & vulneratus, atque pro deposito relictus esset.

NICANOREM) Scutatorum præfectum, Parmenionis filium: tres enim secum in aciem duxerat, Hectorem, qui in Aegypto Nili fluctibus haustus est; Philotam, qui postea ob coniurationem tortus & interfectus est: & hunc Nicanorem, cuius mors infrà paullò pòst defletur; quod esset Alexandro in paucis carus.

Pag. 68. f.

IPSE CVM CAETERIS SEQVITVR) Hunc locum accuratè tractat Arrianus: αὐτὸς δὲ ἀμφὶ δείλην ἄγειν ἀρξάμενος, δρόμῳ ἡγεῖτο. διελθὼν δὲ τῆς νυκτὸς σταδίους ἐς τετρακοσίους, ὑπὸ τὴν ἕω προστυγχάνει τοῖς βαρβάροις ἀτάκτως ἰοῦσι καὶ ἀνόπλοις, ὥστε ὀλίγοι μέν τινες αὐτῶν ὡς ἀμυνούμενοι ὥρμησαν, οἱ δὲ πολλοὶ εὐθὺς ὡς Ἀλέξανδρον αὐτὸν κατεῖδον, οὐδὲ ἐς χεῖρας ἐλθόντες ἔφευγον. καὶ οἱ τραπέντες ἐς ἀλκὴν ὀλίγων πεσόντων, καὶ οὗτοι ἔφυγον. *Ipse sub vesperum iter ingressus, citato agmine processit, confectisque per noctem quadringentis stadijs, sub lucem barbaros incompositè fugientes atque inermes assecutus est. pauci admodum ex ijs restitère: complures statim conspecto Alexandro, antequam discrimen experirentur, in fugam vertuntur: ex ijs verò qui ad arma confugerunt, cæsis nonnullis, reliqui terga verterunt.* Non nisi quingenti Alexandrum per compendia sequebantur, sed ex peditibus præstantissimi duces, quos in equos equitibus cedere iussis, sustulit.

NEMO CAPTIVORVM ERAT, QVI MONSTRARE DARII VEHICVLVM POSSET) Caussæ duæ, quia vile & pellibus tectum, & ab ignotis aurigis rex vehebatur, vt supra ostensum est: Deinde vulnerato rege & ministris occisis, iumenta quæ regem vehebant, aurigâ destituta, militari & regia via decesserant, & errore delata, in valle quadam constiterant, nam & ipsa telis confecta simul & æstu fatigata progredi non potuerant.

VIX TRIA MILLIA EQVITVM) In quibus illi quingenti erant, de quibus, vti dixi, Arrianus, aut certè diuersa inter se tradunt, vt & Plutarchus, qui cum trecentis duntaxat Alexandrum *hostes* assecutum affirmat.

HOSTIS

HOSTIS PAVCITATEM, NEC SVAM MVLTITVDINEM) Metus, pauor, & terror in fuga mentem eripiunt fugientibus, fugaque ipsa moratur fugam: in qua quis nouerit hostes, quis suos? cùm omnia sulquedeque feruntur, aguntur.

QVATVOR STADIA) sexcentos quinque & viginti passus, si quinquies mille passus tribuas milliari: si quatuor millia, erunt quingenti.

HAVD PROCVL ERAT FONS, AD QVEM POLYSTRATVS ACCESSIT) Hic Polystratus Darium adhuc spirantem inuenit, vt & Plutarchus * narrat, qui hunc ipsum, Polystratum indigerat. Siculus idem narrat: subijcit tamen à quibusdam annotatum ab Alexandro adhuc viuum repertum: ὡς δ' ἦλθεν Πολύστρατος ... ὑπὸ τῶν ... adhuc spiranti superueniens, indignissimam eius sortem deplorarit, rogatusque à Dario, ne cadem inultam pateretur, id se facturum promiserit. Traditur verò à quibusdam, quod

POLYSTRATVS SITI MACERATVS) Et Alexander, & miles illum secutus ingenti per hanc viam siti tolti & exhausti sunt, multique in medio cursu defecerunt, monuerant enim regionis Græci, vt Arrianus addit, loca sicca & arida esse, omnique humore carere. Sed rex nullis difficultatibus cessit, quin & illustre singularis patientiæ exemplum suis præbuit, cum nonnulli liberis quam ex reperto fonte adferrent, & in regem arentem incidissent, & ille aquam non suffecturam alijs se sequentibus iam vndam suspirantibus videret, non gustatam, ferentis reddidit, suis ferendã, quo facto maximos suis animos addidit, etiam in mortem paratos sequi. testem huius Plutarchum do, qui rem eleganter describit, sed quia locus prolixior est, omissis Græcis, haustum hunc ex interprete latinum propinabo.

Dum conse... Darium in itinere laborioso & prolixo (nam diebus vndecim tria millia trecenta stadia confecit) plerique lassitudine sunt confecti, & præsertim aquæ penuria. Ibi occurrerunt ei Macedones quidam, qui aquam in vtribus à flumine mulis portabant: conspicientesque Alexandrum medio iam die siti maceratum, impleuerunt confestim galeam, eique obtulêre. Requirente eo quibusnam aquam afferrent: Liberis nostris, respondêre. verũ te incolumi alios gignemus etiamsi hos amiserimus. sub quorum dicta accepit galeam. Cæterum circumspicatis oculis, vbi vidit qui ipsum comitabantur equites capite inclinato potum respicientes, reddidit illis aquam non gustatam, laudauitque eos. Nam ego, inquit, si solus bibero, hi elanguescent. Regis continentiam & magnitudinem animi; duceret & bono animo esset, vociferati sunt, & equos verberarunt: neque fatigari se, neque sitire, sed nec mortales ducere esse, quoad talem haberent regem. Alacritas erat quidem omnium par, sed solos sexaginta ferunt Alexandrum in castra hostium persecutos. Ibi vim magnam auri & argenti proiecti supergredientes, multa vehicula puerorum mulierumque aurigis destituta & vaganti a præteruecti, primorum tergis subeserunt, in illis rati Darium esse.

SEMIVIVI) Hæc vltima, inquit Modius, huius libri vox in membranis fuit, nisi quod quæ deesse videbãtur, à nescio quo, ex Iustino velut supplementum, adiecta erant. Sed hæc tala à fatius erit, apud ipsos autores legere, quàm Curtio temerè aliena, vt pannum purpura assuere.

Idem finis est in Constantiensi codice. Placet ergò quod hic Curtio deest, ex alijs scriptoribus lacunãque hanc qualẽ. unq; explere. Diodorus reliquis vetustior primus narret: οὗτος δ' &c. Siculus p. 546. v. 6. *Bessus iam è Bactriana, alijsque prouincijs militem cogere cœperat: sed celeritate hostis præpeditus, cum triginta millibus Persarum & Græcorum ærã merentium Bactra perfugerat Hic Bessus qui Bactris præerat, dolo, primæ, dum retrotendit, obtruncatur. Vix iam spiritum exhalarat, cum Alexander equitatu secum rapto assequitur, mortuumque vt inuenit, regio more sepeliendum curat.*

Quod hic Diodorus Darium Bactra profugisse ait, accipiendum est ita, vt non existimes, fugientem omnino Bactra peruenisse, sed in itinere exceptũ & interfectũ. Sequitur Plutarch. Μόλις δ' &c. Vix 690. pe. *tandem inuenitur, corpore multis confosso iaculis, in curru iacens propè iam moribundus, potum tamen postulauit. Vt frigidam hausit, illum qui porrexerat, Polystratum, affatus est, Hic mihi terminus, quicunque es, omnis est felicitatis, quod beneficium acceptum nequeam rependere. verùm referet Alexander tibi gratiam, Alexandro dij immortales, quod tam humanus in genetricem, vxorem & liberos meos fuerit, cui hanc dextram te interprete porrigo. Ita fatus, apprehensa Polystrati manu expirauit. Postquam superuenit Alexander, non obscurè indoluit huic misero casui, chlamydemque suam soluit eoque iniecto corpus inuoluit.* Lib. 8. c. 18.

Quæ Plutarchus de siti Alexandri hic tradit, Curtius etiam infrà alterum exemplũ addit. Arrianus vbi plura etiam audiendus: Βῆσσος δὲ &c. *Bessus autem eiusque comites, interea Darium curru auehebant. At cum Alexander eorum tergo instaret, Satibazanes & Barzaentes Darium grauiter vulneratum ibidem relinquunt. ipsi cum DC equitibus sese in præcipitem fugam dederunt. Darius ex acceptis vulneribus, priusquam ab Alexandro visus esset, interijt. Alexander Darij corpus ad Persas misit, vt in regijs mausoleis, more aliorum regum qui Darium antecesserant, conderetur. Post hæc Amminaspem Parthum, qui sibi vnà cum Mazace Aegyptum tradiderat, Parthorum & Hyrcanorum Satrapam constituit. Adiunxit autem illi Tlepolemum Pythophanis filium, vnum ex socijs, qui rerum Parthicarum & Hyrcanicarum simul curam gereret. Atque hic quidem Dario vitæ exitus fuit, archonte Athenis Aristophonte mense Iunio: vir, quod ad res bellicas attinet, languido parumque prudenti: quod ad cætera, qui nihil iniqui in suos commiserit, aut certè potestatem committendi non habuerit. Nam simulac regnare cœpit, statim à Macedonibus & Græ-*

*in vita Alexandri pag. 690. L. 17. p. 546 ante med.

Plutarch. in fol. p. 689. F.

Plut. pag. 690. pe.

Arrian. p. 68. v. vlt. & seq.

Græcis bello lacessitus est. Quocirca nevolenti quidem integrum erat subditos sibi iniuria afficere, quoniam ipse in maiore periculo quàm ipsi versaretur. Quam diu in viuis fuit, alia illum ex alijs calamitates exceperunt, neque vlla intermissio aut requies fuit, ex quo primum ad regnandum accessit. Nam statim initio equestris illa Satraparum ad Granicum amnem clades accidit: mox Ioniam & Aeoliam amisit, & vtranque Phrygiã, Lydiam quoque & Cariam præter Halicarnassenses: sed paullò post ipsa etiam Halicarnassus erepta est. deinde vniuersa regio maritima ad Ciliciam vsque. Posthac ingentem illam apud Issum cladem accepit, in qua mater, vxor, ac liberi eius capti sunt. deinde Phœnicia atq; Aegyptus imperio eius detracta. Postea ipse in Arbelis & quidem primus turpiter fugit, & ingentem exercitum ex omni barbarorum gente amisit. Inde profugus è suo regno errans, eodemque tempore & rex & captiuus à suis habitus, ac cum ignominia ductus, tandem, ab intimis sibi, proditus & casus interijt. Hæc quidem omnia viuenti Dario acciderunt: at contra mortuo, regia sepultura, filiorum perinde atque ipso regnante, educatio atque institutio ab Alexandro, & Alexander gener contigit. Mortuus est annos natus circiter quinquaginta. Hæc Arrianus, qui paullo suprà, Alexandrum narrat in hoc itinere ad Caspias partes venisse. Hinc eor (quamuis Curtius Alexandrum tradat post mortem primùm Darij in Hyrcaniam & Caspias venisse) fictum, vt fabula de Iudæis illic inclusis cuderetur. Iustinus ex Latinis vnicus hic Curtio deficienti potest suppetias ire: Alexander quoque citato, inquit, cursu postera die superuenit, ibique cognouit Darium clauso vehiculo per noctem exportatum. Iusso itaque exercitu subsequi, cum VII. millibus equitum fugientem insequitur: in itinere multa & periculosa prælia fecit. Emensus deinde multa millia passuum, cum nullum Darij indicium reperisset, respirandi equis data potestate, vnus ex militibus, dum ad fontem proximum pergit, in vehiculo Darium multis quidem vulneribus confossum, sed spirantem adhuc inuenit: qui applicito captiuo cum ciuem ex voce cognouisset, id saltē præsentis fortunæ solatium se habere dixit, quod apud intellecturum locuturus esset, nec incassum postremas voces emissurus. Perferri hæc Alexandro iubet, se nullis in eum meritorum officijs, maximorum illi debitorem mori, quod in matre, liberisq; suis regium eius, non hostilem animum expertus, feliciusq; hostem, quàm cognatos sortitus sit: quippe qui matri ac liberis suis ab eodem hoste vitam datam, sibi à cognatis ereptam, quibus & vitam & regna dederit. Quamobrem gratiam illi eam futuram, quam ipse victor volet. Alexandro referre se, quam solam moriens potest gratiam, precari supe[rum] & inferûm numina, & regales deos, vt illi terrarum omnium victori contingat imperium, pro se iustam magis, quam grauem sepulturæ veniam orare. Quod ad vltionem pertineat, iam non suam, sed exempli, communemq; omnium regum esse caussam, quam negligere, illi & indecorum esse & periculosum: quippe cum in altero iustitiæ eius, in altero etiam vtilitatis caussa versetur. In quam rem vnicum pignus fidei regiæ dexteram se ferendam Alexandro dare. Posthac porrecta manu expirauit. Quæ vbi Alexandro nunciata sunt, viso corpore defuncti, tam indignam illo fastigio mortem lacrymis prosecutus est, corpusq; regio more sepeliri, & reliquias eius maiorum tumulis inferri iussit. Contra reliquos & antiquos historicos Suidas contendit Darij caput à Besso allatum ad Alexandrum ὁ αὐτὸς, inquit, Δαρεῖος ὑπὸ τοῦ ἰδίου σατράπου ἀναιρεῖται,
Βέσσος est in Suida. ῳ Βῆσσος ὄνομα, καὶ προσάγει τὴν κεφαλὴν Ἀλεξάνδρῳ τῷ Μακεδόνι. Darius à suomet satrapa cui Besso nomen interemtus est. caputque ad Alexandrum Macedonem allatum. Dexippus breuissimè: καταλαβὼν δὲ Δαρεῖον ὑπὸ Βησσοῦ τινὸς τῶν ἀρχόντων ἀναιρεθέντα θάπτει μεγαλοπρεπῶς. Darium autem accipiens, à Besso
Oros. li. 3. c. 17. quodam, vno ex eius purpuraris occisum, magno apparatu sepeliuit. Orosius: Darium, inquit, cum à propinquis suis vinctum compedibus aureis teneri comperisset, persequi statuit. Itaque iusso vt subsequeretur exercitu, ipse cum sex millibus equitum profectus, inuenit in itinere solum relictum, multis confossum vulneribus, & extrema vita per vulnera efflantem. Hunc mortuum inani misericordia referri in sepulchra maiorum sepelirique præcepit: cuius non dicam matrem vel vxorem, sed etiam paruulas filias crudeli captiuitate retinebat. In tanta malorum multitudine, difficillima dictu fides, tribus prælijs tot idemque annis quinquies decies centena millia peditum equitumque consumpta sunt.

Quæ Zonaras narrat de Darij morte, ex Plutarcho desumpta sunt. Cæteri Græcorum siqui sunt è recentioribus, ex ijs sua, quos laudaui, hauserunt. Vnum hoc ex Aeliano de cane Darij addo:
li. 6. c. 25. Δαρείῳ δὲ τῷ τελευταίῳ Περσῶν βασιλεῖ ἐν τῇ πρὸς Ἀλέξανδρον μάχῃ ἁλόντι, ὑπὸ Βήσσου καὶ κειμένῳ, πάντων τῶν νεκρὸν ἀπολιπόντων ὁ κύων ὃν αὐτὸς ἔτρεφεν παρέμεινε μόνος πιστός, τὸν οὐκ ἔτι τροφέα προδοὺς ὡς ἐχθροῖς[illegible]. Dario, qui extremus regnauit apud Persas, in eo pugna quam contra Alexandrum suscepit & commisit, quum à Besso multis vulneribus confossus esset, & stratus iaceret, omnibus mortuum relinquentibus, canis ab eo educatus solus permansit fidelis, eumque tametsi non amplius sustentus altorem, sicut tamen adhuc
Cap. 8. viuentem seruauit. dignus qui cum Erigone inter astra numeretur. Atque hic Darij (de quo diuinissimus vates Daniel) & cum Dario Persarum regni & huius ἀποσ-βιβλίου finis.

FINIS LIBRI QVINTI.

Q. CVR-

Q. CVRTII RVFI

HISTORIARVM ALEXANDRI MAGNI MACEDONIS

LIBER SEXTVS.

SYNOPSIS HVIVS LIBRI.


AGIS Lacedæmoniorum rex ab Antipatro bello vincitur. Alexander hortatur militem ad reliquam Asiam subigendam. Fluuius Zyoberis describitur. Nabarzanes cum alijs Satrapis veniam impetrat, Alexander Græcis Darianis parcit; in mores Persarum abit: Bessum bello persequitur. Coniuratio Philotæ & aliorum detegitur. Philotas tortus cum coniuratis occiditur.

CAPVT I.

ARGVMENTVM.

Deest principium de bello Lacedæmoniorum cum Antipatro præside Macedoniæ gesto, in quo victor Antipater, cæsus Agis Rex Lacedæmoniorum. Victi Legatos mittunt ad Alexandrum. Antipater cautè & modestè vtitur victoria, ne se oneret inuidia apud Alexandrum.

HOC



Oc pugnæ discrimen immisit, obtruncatisque qui promptius resiste-bant, magnam partem hostium propulit. Cœperant fugere victores: & donec auidius sequentes in planum deduxêre, inulti cadebant; sed vt primum locus in quo stare possent, fuit, æquis viribus dimicatum est. Inter omnes tamen Lacedæmonios rex eminebat, non armorum modò & corporis specie, sed etiam magnitudine animi, quo vno vinci non potuit. Vndique nunc comminus, nunc eminus petebatur: diuque arma circumferens, alia tela clypeo excipiebat, corpore alia vitabat, donec hasta femina perfossa plurimo sanguine effuso destituere pugnantem. Ergo clypeo suo exceptum armigeri raptim in castra referebant, iactationem vulnerum haud facilè tolerantem. Non tamen omisere Lacedæmonij pugnam, & vt primum sibi quàm hosti æquiorem locum capere potuerunt, densatis ordinibus, effusè fluentem in se aciem excepere. non aliud discrimen vehementius fuisse memoriæ proditum est. Duarum nobilissimarum bello gentium exercitus pari Marte pugnabant. Lacedæmonij vetera, Macedones præsentia decora intuebantur. Illi pro libertate, hi pro dominatione pugnabant. Lacedæmonijs dux, Macedonibus locus deerat. Diei quoque vnius tam multiplex casus modò spem, modò metum vtriusque partis augebat, velut de industria inter fortissimos viros certamen æquante fortuna. Cæterum angustiæ loci in quo hæserat pugna, patiebantur totis congredi viribus. Spectabant ergò plures quam inierant prælium: & extra teli iactum erant, clamore inuicem suos accendebant. Tandem Laconum acies languescere, lubrica arma sudore vix sustinens: pedem deinde referre, ac vrgente hoste apertè fugere. Insequebatur dissipatos victor, & emensus omne spacium quod acies Laconum obtinuerat, ipsum Agim persequebatur. Ille vt fugam suorum & proximos hostium conspexit, deponi se iussit: expertusque membra an impetum animi sequi possent, postquam deficere sensit, poplitibus semet excepit, galeaque strenuè sumta, clypeo protegens corpus, hastam dextra vibrabat, vltro vocans hostem, si quis iacēti spolia demere auderet. nec quisquā fuit qui sustineret comminus congredi. Procul missilibus appetebatur, ea ipsa in hostem retorquens, donec lancea nudo pectori infixa est, quæ ex vulnere euulsa, inclinatum ac deficiens caput clypeo paulisper excepit. Dein linquente spiritu pariter ac sanguine, moribundus in arma procubuit. Cecidêre Lacedæmoniorum quinque millia & CCC. ex Macedonibus haud amplius M. Ceterùm vix quisquam nisi saucius reuertit in castra. Hæc victoria non Spartam modò, sociosque eius, sed etiam omnes qui fortunam belli spectauerant, fregit. Nec fallebat Antipatrum, dissentire ab animis gratulantium vultus; sed bellum finire cupienti opus erat decipi: & quanquam fortuna rerum placebat, inuidiam tamen quia maiores res erant quàm quas præfecti modus caperet, metuebat: quippe Alexander hostes vinci voluerat, Antipatrum vicisse, ne tacitus quidem indignabatur, suæ demptum gloriæ existimans, quicquid cessisset alienæ. Itaque Antipater, qui probè nosset spiritus eius, non est ausus ipse agere arbitria victoriæ; sed concilium Græcorum quid fieri placeret, consuluit: à quo Lacedæmonij nihil aliud quàm vt oratores mittere ad regem liceret, precati, non grauatè veniam defectionis præter authores impetrauerunt. Megalopolitanis, quorum vrbs obsessa erat à defectione Achæis & Aeleis CXX. talenta dare iussi. Hic fuit exitus belli, quod repentè ortum, prius tamen finitum est, quam Darium Alexander apud Arbela superaret.

HOC PVGNAE DISCRIMEN IMMISIT) Improba vetustas, sicut priori Curtij libro calcem elisit, ita sexto huic caput abstulit, quod Modius ex Arriano & Plutarcho, Diodoro & Iustino sarciendum dicit. Atqui nec Plutarchus, nec Arrianus vllum de hoc Antipatri & Lacedæmoniorum prælio verbum faciunt, nisi quod apud Plutarchum in Agesilao, Alexander nunciatam sibi pugnam inter Agidem & Antipatrum, per contemtum pugnam murium appellauit, quo videtur allusisse βατραχομυομαχίαν Homeri pugnam murium & ranarum.

Siculus p. 336. Diodorus rem exequitur: *Archon tunc Athenis erat Aristophon, & Romæ consulatū exceperant Cneius Domitius & Aulus Cornelius, cum didita per Græciā fama de conflictu ad Arbela, ciuitates multæ, quibus incrementa potentiæ Macedonum suspecta erant, pristinam tueri libertatem, dum aliquid adhuc Persis virium superesset, decreuerunt. Dariū enim, pecunias ad magnas exterorū militū copias conducendū subministratis, auxilio fore: Nec tātas opes Alexandrū, vt exercitū distrahere ausit, habiturū. Quod si Persas ab eo debellarā pari-*

patiantur, destitutis auxilio, vires sibi ad libertatem asserendam defuturas. Ad defectionem nuper exorta per Thraciam seditio illos inuitabat. Memnon enim Imperator in Thraciam missus, cum & militum & animorum satis haberet, concitatis barbaris, ab Alexandro defecit: magnoque ad se pertracto exercitu, in manifestum iam bellum incumbebat. Quam ob caussam omnibus hinc inde copijs accitis, Antipater per Macedoniam in Thraciam profectus, Memnoni bellum infert. Hoc ita districto, Lacedæmonij idoneum belli reparandi tempus se iam nactos arbitrati, Græcos ad ineundam pro libertate concordiam exhortantur. Tum Athenienses, præ Græcis alijs honoribus ab Alexandro affecti, quietè in officio se continebant. At Peloponesiorum plerique, & nonnulli ex alijs conspiratione inter se facta, in militiam hanc nomina profitebantur. Pro viribus igitur cuiusque ciuitatis habito iuuenum optimorum delectu, non minus XX. peditum, & ad duo equitum millia recensuerunt. Administratio totius belli erat penes Lacedæmonios. Qui totis viribus ad disceptandum de summa rerum, Agide summum obtinente imperium exibant. Antipater de concursu Græcorum certior factus, bellum in Thracia, qua potuit transactione composuit, & cum vniuersis copijs in Græciam mouit, acceptisque à confœderatis Græcorum auxilijs, non minus XL. millia coegit. Commisso igitur prælio, Agis rex strenuè pugnans cadit, & Lacedæmonij cum ad longum tempus in prælio fortiter perseuerassent, tandem socijs cedere coacti, etiam ipsi Spartam versus regressum instituunt. Occubuerunt in hac pugna de Lacedæmonijs, socijsque non minus V. M. & CCC. De Antipatri militibus III. M. D. Circa Agidis verò interitum singulare quippiam euenit. Cum præclarè dimicans multa in aduerso corpore vulnera accepisset, à militibus in patriam referendus portabatur. Sed ab hoste circumuentus, vbi nullam incolumitatis spem videt reliquam, suos quam citissimè abire, seque necessariis patriæ vsibus reseruare iubet, ipse armis suis instructus genuque subnixus hostes arcet, & cæsis aliquot, tandem confossus mortem oppetiit cum regno præfuisset annos IX. Idemque infrà: *In Europa verò, Lacedæmonios magno prælio victos, clades ea legatos ad Antipatrum mittere perpulit. Hic responsum ad Græciæ totius conuentum reiecit Qui senatu Corinthi habito, cum multa in vtramque partem disputassent, rem Alexandri iudicio submittendam esse decreuerunt. Antipater ergo L. Spartanorum nobilissimos obsides accepit: Et Lacedæmonii missis in Asiam legatis veniam delictorum expetiuère.* Sicul. p. 546.

Omitto Græca quia longiuscula. Iustinus etiam, sed breuiter, *Dum hæc*, inquit, *aguntur, epistolæ Antipatris à Macedonia redduntur, quibus bellum Agidis regis Spartanorum in Græcia, Alexandri regis Epiri in Italia, bellum Zopyrionis præfecti eius in Scythia continebatur. Quibus variè affectus, plus tamen lætitiæ cognitis mortibus duorum æmulorum regum, quam doloris amissi cum Zopyrione exercitus suscepit. Namque post profectionem Alexandri, Græcia fermè omnis in occasionem recuperandæ libertatis, ad arma concurrerat, autoritatem Lacedæmoniorum secuta, qui Philippi, Alexandrique pacem soli spreuerant, & leges respuerant. Dux huius belli Agis rex Lacedæmoniorum fuerat, quem motum Antipater contractis militibus, in ipso ortu oppressit. Magna tamen vtrinque cædes fuit. Agis rex cum suos terga dantes videret, dimissis satellitibus, vt Alexandro, si non felicitate par, virtute non inferior videretur, tantas strages hostium edidit, vt agmina interdum fugaret. Ad extremum etsi à multitudine victus, gloria tamen omnes vicit.* Iust. l. 12. circa princ.

De Agide cum Antipatro præliante breuiter etiam hæc Orosius: *Tunc etiam bellum Agidis Spartanorum regis in Græcia, Alexandri regis Epiri in Lucania, Zopyreonis præfecti in Scythia gerebatur: quorum Agis Lacedæmonius, excitata & rebellante secum vniuersa Græcia, cum Antipatri fortissimis copiis congressus, inter magnas vtrorumque strages & ipse procubuit.* Oros. l. 3. c. 18. v. 4. Quæ vterque de Alexandro Epirota & Zopyrione subijcit, nos infrà suo loco trademus. Laudatur etiam Pausanias in Laconicis, sed nihil admodum hic de illo bello. Anagraphe Olympiadum post vltimum prælium Darij annotauit, contra quàm Curtius memorat, qui hoc bellum Lacedæmoniorum antè gestum docet, quam Alexander cum Dario ad Gaugamela seu Arbela prælio concurreret. Nam Olymp. centesima duodecima, anno secundo ita habet anagraphe. Aristophane prætore ἡ πρὸς Ἄρβηλα μάχη καὶ Δαρεῖος ἡττᾶ: *Pugna ad Arbela qua victus est Darius.* Et anno sequenti qui tertius Olympiadis centesimæ duodecimæ Aristophonte Archonte. Ἆγις ὁ Λακεδαιμονίων βασιλεὺς παραταξάμενος πρὸς Ἀντίπατρον ἀνῃρέθη. *Agis Lacedæmoniorum rex cum Antipatro, prælio commisso, interfectus est.* Pausanias non nisi tria aut quatuor verba de hac pugna habet in Laconicis. *Huius Archidami natu maior filius Agis contra Macedoniæ regem Antipatrum pugnans occubuit.* Regem Pausanias Antipatrum καταχρηστικῶς appellat, vel per prochronismum. lib. 10. c. 4.

Hoc PVGNAE DISCRIMEN IMMISIT) Sententia imperfecta, desideratis quæ præcedunt. Nec pauca videntur deesse, nihil enim hic de loco pugnæ, nihil de ordinata vtrinque acie, ducibus belli, numero copiarũ, initio pugnæ traditur. Ex Plutarcho pugnæ locum deprehendo ad prælium Macedonibus iniquum, ex quo non sine cæde suorum Antipater in planum euasit, vbi mox plenam victoriam adeptus est. Itaque illa verba, *Hoc pugna discrimen immisit*, refero ad Antipatrum, qui quamuis sub initium pugnæ videretur superior fuisse, tamen ad angustias locorum redactus, videtur laborasse, adeoque circumuentus periclitari cœpisse, donec fuga simulata, in æquum campum descenderet, vbi redintegrato prælio Lacedæmonios cecidit. *Se ergo Antipater, quamuis antea propè victor, hærens tamen iniquo in loco, in periculum hoc immisit,*

sit, vt per medios hostes se reciperet, quod fieri non potuit, nisi promtius ex Lacedæmonijs resistentes obtruncaret, & magnam hostium partem, ad loca sibi æquiora, propelleret. Itaque fugam etiam simulauit, pedemque retulit, donec in patentem campum euadeset. Hæc potest huius esse huius loci sententia. Occurrit etiam contrarius huic sensus & intellectus, vt prima verba de Agide Lacedæmoniorum rege accipias hoste Antipatri, qui cum videret, suos laborantes & prope iam victos, immisit se ipse in medium pugnæ discrimen, hostem propulit, atque in fugam coniecit, resistentesque sibi acrius, occidit, quam tamen fugam Antipater pro se lubens arripuit, vt in plano cum Lacedæmonijs depugnaret. Interim obseruanon totam Græciam defecisse, quod aliqui tradunt, sed Lacedæmonios & Peloponnenses, vt ex Curtij 7.ca.8. constat.

Coeperant fugere victores)Macedones vrgente Agide, sed prudentes tamen fugerunt, vt è locorum angustijs hostem in campum protraherent, quod & factum est, & exitio fuit Lacedæmonijs.

Inulti cadebant)Nec pauci sanè, nam quamuis Antipater victoria potitus sit, mille tamé è suis amisit.

Aequis viribus)æquo Marte, ancipiti prælio, victoria adhuc post fugam in neutram parté inclinata.

Rex Agis)qui vnus maximè petebatur, vt caussa belli, totam enim Græciam ad defectionem sollicitarat, & vnus erat maximè timendus. cuius virtutem miris laudibus hic Curtius celebrat, Iustinus cum Alexandro etiam contendit, *vt si non felicitate par*, inquit, *saltem virtute non inferior deretur*.

Femina perfossa) femora & femina sunt pars pedum supra à genu vsque ad coxas, sic vt femora partem illam exteriorem, inquit Valla, significent; femina, interiorem mollioremque, quæ se contingunt, vel femora partem anteriorem, femina posteriorem, vnde femoralia & feminalia pro braccis seu caligis superioribus, rectus casus *femen*, vel non reperitur, vel raro. Ego sanè nunquam memini legere. Alij scribunt femina & femoralia simplici vocali, alij diphthongo.

Non tamen omisere pugnam Lacedaemonii)Excitati regis virtute, quamuis vulnerati, & extra aciem elati.

Aequiorem locum)Campus ijs iniquus, angustiæ opportunæ propter numerum reor inferiorem: hinc densarunt ordines, quibus effusam in se Macedonum aciem excepêre. Locum hunc ita cum Acidalio lego, & interpunctum emendo: *vt primum sibi quam hosti aquiorem locum capere potuerunt, densatis ordinibus, effusè fluentem in se aciem excepêre*. Antea erat, *densatis ordinibus effusè fluentem* &c. quomodo enim effusi, si densati?

Non aliud duarum gentium)Componit inter se Spartanos & Macedones, vtramque gentem nobilissimam, fortissimam, clarissimam commendat. Laconas maiorum decora excitabant. Macedones recentia, Spartani pro libertate sua & totius Græciæ, Macedones pro imperio & dominatione dimicabant: Illi regem iam vulneratum & in castra relatum desiderabant, hi non habebant commodum ad explicandam aciem locum propter angustias. Itaque toto ferè die æquo Marte, & fluctuante fortuna, nunc his, nunc illis vincentibus decertatum est.

Spectabant plures, quam inierant pugnam)Ita cum vulgatis ego, non vt Acidalius *inirent*, aut, si quid mutandum, dicerem *inibant*, vt dicas plures spectabant, non *pugnarent*, communis scripturaaptior. Quo minus omnes congrederentur, quam pugnæ angustiæ prohibebant. Itaque tanquam res in amphitheatro inter gladiatores & spectatores ageretur, pugnatum est, alijs spectantibus & acclamantibus: alijs præliantibus, aut cadentibus, aut demum fugientibus. Lacones enim primi fatigati cessere, pedem retulere, fugamque capessiuere, & secum Agim deportauere. Sed is ob regiam indolem fugere erubescens, se humi deponi iussit, & pugnans expirauit. Non fuit ergo μονομαχία, vt Alexander appellabat, sed acerrima inter duas acerrimas gentes pugna & dimicatio.

Si quis iacentis spolia demere auderet) Ita se gessit Alexander in opido hostili Oxydracarum, in quod solus desilierat. Elegans est locus, & cum hoc comparandus, quem lib.9.c.10. leges.

Cecidere Lacedaemoniorum)mira numerorum varietas in editionibus & MSS. Codex Constantiensis Lacedæmoniorum recenset quinque millia trecentos, Macedonum tantum decem. Coloniensis editio vetus, Lacedæmoniorum quinque millia trecentos sexaginta, Macedonum trecentos. Coloniensis Allobrogum ex Lacedæmonijs quinque millia trecentos quinquaginta, ex Macedonibus tria millia. Diodorus Siculus Lacedæmoniorum quinque millia trecentos, Macedonum tria millia quingentos. Curtius videtur pauciores ex Macedonibus cæsos affirmare, cum dicat Macedonum *haud amplius*, si tria millia cecidissent, satis ampla fuisset Macedonum cædes, & cruenta victoria. Argentinensis antiqua, Lacedæmoniorum quinque millia trecentos, sexaginta; Macedonum trecentos. Eundem numerum præfert Lugdunensis vetus. Ego cum in quinque

que millibus trecentis plerięꝫ conueniant, & Siculus suffragetur, non admodum mendosam eam scripturam existimo. Macedonum nec mille, multo minus tria millia, minimè omnium tres, sed trecentos censeo rescribi oportere, cum dicat Curtius, *Macedonum non amplius*: si mille, aut millia tria cecidissent, nõ dixisset *haud amplius*: cum amplus numerus fuisset seu mille, seu tria millia, & cruenta victoria. si tamen cum numero Lacedæmoniorũ comparentur, tolerabilis scriptura videri potest. *haud amplius mille*.

HAEC VICTORIA) composuit totam Græciam, ad libertatem antea suspirantem, vti deinceps nemo se auderet commouere, quoad Alexander fato defunctus est.

NEC FALLEBAT ANTIPATRVM) Locus hic lacunosus & hiulcus est. Quomodo enim vultus ab animis gratulantium dissentiebant? & quorum? cum de nulla legatione vel populorum, vel ciuitatum Græciæ prius mentio facta sit. Desiderantur ergo vel hæc, vel his potius similia verba: Reliqui Græciæ populi & ciuitates (præter Spartanos & fœderatos) euentum belli expectabant, missis legatis, Antipatro victoriam, quamuis illum vinci maluissent, gratulati sunt. Nec fallebat Antipatrum &c. Norat enim quod vulgò dicitur, *sæpè dissident ab animis vultus gratulantium*.

OPVS ERAT DECIPI) dissimulare: dissident à verbis, gratulantium mentes.

NE TACITVS QVIDEM INDIGNABATVR) Verba ambigua, si non verè interpungas. Quasi diceret, Alexandrum non indignatum fuisse, quod vicisset Antipater, nec vllum etiam signum indignationis prodidisse. Alienus hic à mente Curtij & Alexandri sensus. Ergo ita distingue & expone: Alexander hostes vinci voluerat, Antipatrum vicisse, ne tacitus quidem, indignabatur, hoc est, nec dissimulare quidem potuit inuidiam, sed palam etiam in voces erupit, quod ex eo apparuit, cũ non sine scommate per contemtum, vt est in Plutarchi Agesilao, μυομαχίαν appellauit, vt supra annotauimus.

SPIRITVS) animos, superbiam, ἢ φιλοδοξίαν gloriæ studium.

CONCILIVM GRAECORVM) Corinthum indixit conuentum Græcorum Antipater, vt suprà è Siculo cognouisti.

PRAETER AVCTORES) Nomina horum non extant, non dubito quin ex quinquaginta nobilissimis, quos inter obsides Antipater acceperat, aliqui fuerint reperti, nec enim omnes cum Agide occisi sunt, pro mortuis nemo veniam petit, qui culpam morte luerunt.

MEGALOPOLITANIS) Tota hæc periodus confusa, mendosa, impedita & inexplicata, in qua miror nihil acres Acidalij nares olfecisse. Multa Modius est conatus, sed non eluctatus. Nam ex illius editione dubites, an Achæi & Aelæi Megalopolitanis, an Megalopolitani Achæis & Aelæis iussi sint pendere centum XX. talenta. Constantiensis & Argentinensis vetus codex adhuc absurdiores sunt, & monstra verborum repræsentant. Sequor Glareani libros, & clarissimam & certissimam scripturam, quæ ita habet: *Megalopolytani, quorum vrbs obsessa erat, ad defectionis mulctam Achæis & Aetolis centum viginti talenta dare iussi sunt*. Nunc & sensum verborum accipe. Megalopolitani ab Achæis, Aetolis, & Macedonibus defecerant, & cum Agide senserant, Achæi & Aetoli illorum vrbem à defectione, hoc est, postquam defecerant, obsederunt. Confecto bello, & victis cum Agide Lacedæmonijs, pacem ab Antipatro petierunt: quibus in pœnam & mulctam à communi Græcorũ siue concilio, Corinthi imperatum est, vt Achæis & Aetolis qui in obsidione vrbis Megalopoleos impensas fecerant, vicissim ad damnum resarciendum centum viginti talenta penderentur, septuaginta nempe millia Philippæorum. Interim verba, *ad defectionis mulctam*, puto glossema fuisse, in contextum à librarijs præter mentem Curtij insertum.

Principio lib. 7. nam ita ille Curtium vt ante monui, dic. vidit.

PRIVS FINITVM, QVAM DARIVM ALEXANDER APVD ARBELA SVPERARET) Anagraphe Olympiadum, vt supra demonstraui, anno post pugnam ad Gaugamela factam, docet prælium ab Antipatro cum Agide commissum. Olympiadibus suffragatur etiam Diodurus, vt suprà cognouisti, Ex Plutarcho tamen eodem ferè tempore vtrumque accidisse intelligas, sed anagraphen certiorem credas. Curtius sibi constat, cũm in exordio libri 5. hoc ipsum moneat, iam tum in Græcia noui semina belli sparsa fuisse.

CA-

CAPVT II.

ARGVMENTVM

Alexander victor gentium, á suis ipse vitijs, ebrietate, superbia, libidine vincitur, regiæ tamen stirpis captiuis parcit. Fratrem Darij inter amicos re scribit, Oxidatem Mediæ præficit.

SEd vt primum instantibus curis laxatus est animus, militarium rerum quàm quietis otijque patientior, excepere eum voluptates: & quem arma Persarum non fregerant, vitia vicerunt. Intempestiua conuiuia & pe tandi peruigilandique insana dulcedo, ludique & greges pellicum, omn externum lapsa morem: quem æmulatus quasi potiorem suo, ita popular animos oculosque pariter offendit, vt à plerisque amicorum pro hoste h retur. Tenaces quippe disciplinæ suæ, solitosque parco ac parabili victu plenda natura desideria defungi, in peregrina & victarum gentium mala impulerat. saepius comparata in caput eius insidiæ, secessio militum, & liberior inter mutuas quer dolor. Ipsum deinde nunc ira, nunc suspiciones, quas excitabat inconsultus pauor, cæteraq his similia, quæ deinde dicentur. Igitur cum intempestiuis conuiuijs dies pariter noctesq consumeret, satietatem epularum ludis interpolabat, non contentus artificum, quos è Gr cia exciuerat turba, quippe captiuæ iubebantur suo ritu canere inconditum & abhorrens regrinis auribus carmen. Inter quas vnam rex ipse conspexit mæstiorem quam cæteras, producentibus eam verecunde reluctantem. Excellens erat forma, & formam pudor hone stabat. deiectis in terram oculis, & quantum licebat ore velato, suspicionem præbuit regi ne biliorem esse, quàm vt inter conuiuales ludos deberet ostendi. Ergo interrogata quænam e set, neptem se Ochi, qui nuper regnasset in Persis, filio eius genitam esse respondit; vxorem Hist aspis fuisse. Propinquus hic Darij fuerat, magni & ipse exercitus prætor. Adhuc in ani mo regis tenues reliquiæ pristini moris hærebant. Itaque fortunam regia stirpe genitæ, tam celebre nomen reueritus, non dimitti modo captiuam, sed etiam restitui ei suas opes ius sit: virum quoque requiri, vt reperto coniugem redderet. Postero autem die præcepit Hephæstioni, vt omnes captiuos in regiam iuberet adduci, vbi singulorum nobilitate spectata, secreuit à vulgo, quorum eminebat genus. Mille hi fuerunt, inter quos repertus est Oxatres Darij frater, non illius fortuna, quam indole animi sui clarior. Oxidates etiam nobilis Perses, à Dario capitali supplicio destinatus, cohibebatur in vinculis. Huic liberato Satrapeam Mediæ attribuit, fratremque Darij recepit in cohortem amicorum, omni vetustæ claritatis honore seruato. XXVI. millia talentûm proxima præda redacta erant, è queis XII. millia in congiarium militum absumta sunt. Par huic pecuniæ summa custodum fraude subtracta est.

MILITARIVM RERVM QVAM QVIETIS OTIIQVE PATIENTIOR) *Nescit quieto miles vti ter otio.*

Otium reges simul & beatas vrbes perdidit. Ita de ipso etiam Alexandro Curtius infrà: *Sed ne otium*
Lib. 8. c. 17. *serendis rumoribus natum alet, in Indiam mouit, semper bello, quam post victoriam clarior.*

EXCEPERE VOLVPTATES) *Franget voluptas, arma quem non vicerant:* inquit Comicus. antiduum generis humani malum, in Samsone, Dauide, Salomone magnis regibus vim suam iam pridem ostendit, vt profanos taceam principes, de quibus minus mireris: Quid Semiramidem fregit, Sardanapalum subegit, quid plerosque Imperatorum Romanorum perdidit?

IN-

INTEMPESTIVA CONVIVIA.) Vt virtus etiam hostes conciliat, ita vitium ex amicis hostes efficit. Quæ sequuntur in hoc capite pleraque facilem habent intellectum, quæ nihil moror, obscurior bus aut rarioribus immorari iuuat. Nam quis nesciat, intempestiua conuiuia appellari quæ extra iustum prandij & cœnæ tempus instituuntur, aut totos dies noctesque continuantur, aut cum præmia potantibus proponuntur? Qualia porrò facinora rex in conuiuijs designarit, infrà in Clito, Callisthene, & alijs apparebit. De insidijs hoc ipso libro cap. 14. vsque ad finem libri, & principium l. primi, rursumque octauo patebit in Dymno, Philota, Parmenione, Hermolao. nec secessiones in lutum innotæ lib. 9. c. 9. lib. 10. c. 6.

PARCO AC PARABILI VICTV.) quemadmodum copiosè libro 3. c. 5. Curtius, per Charidemum Atheniensem exposuit, quem Darius propter linguæ *παῤῥησίαν* occidi iussit.

QVOS E GRAECIA EXCIVERAT.) Citharœdos & Citharistrias, pugiles, symphoniacos, saltatores, fidicines, gladiatores, comœdos, ludiones, moriones, athletas, parasitos, gelatopæos, ridiculos, & hoc genus phalmata, qui conuiuis delicias faciunt.

CAPTIVAE IVBEBANTVR HORRIDVM CANERE CARMEN.) De conuiuijs regijs, & lud. conuiualibus lib. 5. c. 5. prolixè dictum.

MOESTIOREM.) Nihil magis commendat fœminas, præsertim regias, quàm verecundia. Verè Comicus dixit: *Pudica vita dos matronæ gemmea est.*

OCHI NEPTEM.) Suprà cum Damascus esset occupata, vxor Ochi cum tribus virginibus capta, hic etiam neptis: Ochus autem rex Persarum, qui antè Darium regnarat.

HISTASPIS.) Nobilissimus prætor & satrapa, non ille antiquus Histaspis, cuius filius Darius apud Persas imperitauit, de quo suprà. Huius autem nulla alibi mentio.

VIRVM QVOQVE REQVIRI.) Quod Alexandri exemplum Scipio Africanus est imitatus, vt suprà l. b. 3. expo ui nus.

ADHVC IN ANIMO REGIS TENVES RELIQVIAE PRISTINI MORIS HAEREBANT.) Nemo repentè fit malus.

OXATRES DARII FRATER.) Huius elogium & hic habes, & lib. 3. c. 11. Capta iam pridem erat huius quoque filia Damasci à Parmenione, cuius patrem Alexander in cohortem amicorum & custodes corporis recepit, quod speraret tam fidum sibi, quam fratri fore, quod & fuit Bactrianis prætor datus, & postea accusatus, sed non absolutus tantum, sed etiam iure amplioris imperij finibus donatus. Qui Bessum postea captum in crucem egit. lib. 9. c. 10.

OXIDATES.) Cui Mediæ prouincia commissa: de qua tamen postea iussus decedere, fortasse quod superbè & auarè imperitaret. Curtius videtur hoc infrà docere, *Ille maxima*, inquit, *præsentium cur artem parte liberatus, conuertit animum ad vindicandas iniurias eorum, quibus à prætoribus suis erat ac superbe imperabatur.* vbi Phradates, Arsames, Oxidates, suis satrapijs priuati sunt: Phradates etiam vinctus est. Quid autem commiserit, quod à Dario in neruum datus sit, non constat, fortasse suspectæ fidei fuit. Eadem cum Curtio narrat de Oxydate Arrianus. lib. 4. c. 4.

CAPVT III.

ARGVMENTVM.

Rex Parthienen, quam postea Scythæ occuparunt; ingressus, tumultuantem militem oratione sedat; & patriam spectantem, ad noua bella parat.



Inc in Parthienen peruentum est, tunc ignobilem gentem, nunc caput omnium, qui post Euphratem & Tigrim amnes siti rubro mari terminantur. Scythæ regionem campestrem ac fertilem occupauerunt, graues adhuc accolæ. sedes habent & in Europa, & in Asia. Qui super Bosphorum colunt, adscribuntur Asiæ: at qui in Europa sunt, à læuo Thraciæ latere ad Borysthenem, atque inde ad Tanaim alium amnem recta plaga pertinent. Tanais Europam & Asiam medius interfluit: nec dubitatur quin Scythæ qui Parthos condidere, non à Bosporo, sed ex Europæ regione penetrauerint. Vrbs erat ea tempestate clara Hecatompylos, condita à Græcis. Ibi statiua rex habuit commeatibus vndique aduectis. Itaque rumor ottosi militis vitium sine auctore percrebuit, regem contentum rebus quas gessisset, in Macedoniam protinus redire statuisse. Discurrunt lymphatis similes

similis in tabernacula, & itineri sarcinas aptant: signum datum, crederes, ut vasa colligerent. Totis castris tumultus hinc contubernales suos requirentium, hinc onerantium plaustra: perfertur ad regem. Fecerant fidem rumori temere vulgato Graeci milites reuerti iussi domos: quorum equitibus singulis denariorum sena millia dono dederat. Ipsis quoque finem militiae adesse credebant. Haud secus quam par erat, territus Alexander, qui Indos atque ultima Orientis peragrare statuisset, praefectos copiarum in praetorium contrahit, obortisq́ lacrymis, ex medio gloriae spacio reuocari se, victi magis quàm victoris fortunam in patriam relaturum conquestus est: nec sibi ignauiam militis obstare, sed deûm inuidiam, qui fortissimis viris subitum patriae desiderium admouissent, paullò pòst in eandem cum maiore laude famaque redituris. Tum verò pro se quisq́ operam suam offerre, difficillima quaque poscere, polliceri militum quoque obsequium, si animos eorum leni & apta oratione permulcere voluisset. Nunquam infractos & abiectos recessisse, quoties ipsius alacritatem & tanti animi spiritus haurire potuissent. ita se facturum esse respondet, illi modò aures praeparent sibi, satisq́ omnibus quae in rem videbantur compositis, vocari ad concionem exercitum iussit, apud quem talem orationem habuit.

PARTHIENEN.) De hac regione pauca suprà è Stephano attigimus: hic proprius eius locus est. Et sanè Curtius nobilissimus scriptor est ac varius, nec enim verum est, quod Lipsius censuit, Curtium nil nisi bella tractare. Est enim omni liberali doctrina imbutus; & nunc in caelum eniti, solis & lunae labores explicat, nunc siderum & vigiliarum rationem docet, nunc in physica, & naturalem philosophiam excurrit; rursus in terras descendit, & regiones, prouincias, regna, describit, nunc in politicam quoque rem ac de republ. disputat, mox in orationibus se Lysiam ostendit, vt pè nullum artium liberalium genus sit, quod non attingat. Hic Parthiae chorographiam nobis ponit, quam enim Curtius Parthienen vocat, plerique alij Parthiam dicunt, nec enim est diue... Ptolemaeus lib 6. in Parthiae descriptione: *Vocatur autem pars Parthia, quae iuxta Hyrcaniam est, Comisena, & quae sub hac est, Parthiene.* Parthiena ergo in Comisena, & Comisena pars Parthiae. Non igi... idem prorsus Parthiena & Parthia, cum Parthiena sit pars partis Parthiae.

TVNC IGNOBILEM GENTEM, NVNC CAPVT OMNIVM.) Parthos seu Parthiceos, ... Parthienos (omnes enim eosdem Stephanus facit) Alexandri aeuo docet gentem paruam, ac pro... ignotam fuisse, Caesarum temporibus Arsace auctore in maximam excreuisse. Strabo idem doce...

Strabo lib. 11. p. 354. & seq.

Parthia ampla non est, vt quae à Persis, atque etiam Macedonibus rerum potitis cum Hyrcania fuerit censa. Praeterquam quod parua, densa siluis est, montosa & inops: itaque reges suam cateruā cursu eam praeterueh iubebant, quod ne ad paruum quidem tempus alendo sufficeret. Nunc tamen aucta est. Partes sunt Camisena & Chorena: ferè etiam quicquid est vsque ad portas Caspias, & Aragos ac Tapyros, quae olim Media fuerunt. Est & Apamea & Heraclea, vrbes apud Ragas. A Caspijs portis ad Ragas stadia sunt ... *Apollodoro: ad Hecatompylon Parthorum regiam* CIↃ. CCLX. Subijcit rursum Strabo:

Caeterum rebus extra Taurum nouatis, quod Syriae & Mediae reges dissiderent, quibus istae regiones parebant: primum Euthydemus Bactrianam & omnem illi vicinam regionem, ad defectionem pertraxit. Deinde Arsaces Scytha, Daas quibusdam imperans cognomento Parnis Nomadibus, qui ad Ochum accolebant, Parthiam inuasit & occupauit. Atque ab initio quidem infirmus fuit, bellum continenter suis incolis aduersus quibus Parthiam ademerat: cùm ipse, tum successores eius: postea ita viribus aucti sunt, rem bello praeclarè gerentes, & subinde vicina sibi adijcientes, vt ad extremum quidquid est intra Euphratem ditionem in suam potestatem redegerint. Scythis quoque, & antè Eucratidi, vim fecerunt, ac partem Bactrianae ademerunt. Et hodie tantum possident terrae, totq́; gentium dominantur, vt ob imperij magnitudinem Romanorum potentiae quodammodo sint pares. In causa est vitae ratio & mores, in quibus multum est Barbaricum & Scythicum, plus tamen ad imperium conducentis, & rem bello rectè gerendam.

Habes ergo quomodo Parthia ex parua & ignobili, maxima sit effecta.

Arrianus Alexandrum in Parthos ante necem Darij mouisse disertè tradit, ac post mortem in Hyrcaniam. Idem Siculus affirmat.

SCYTHAE REGIONEM CAMPESTREM OCCVPARVNT.) Scythae enim Parthorum & Bactrianorum gentem & regnum condiderunt, vti Iustinus in secundo tradit: *Quippe cùm ipsi,* inquit, *Parthos Bactrianosq́, foemina autem eorum Amazonum regna condiderint.* Et mox infrà: *Mox Parthicum & Bactrianum imperium ipsi condiderunt.* Idem Strabo, Stephanus, Eustathius ad Dionysium Periegetem: Τοὺς δὲ Πάρθους καὶ Παρθυαίους καλοῦσι ... καὶ φῦλον εἶναι Σκυθικὸν ... διὸ καὶ οὕτω κληθῆναι. Πάρθους γὰρ Σκύθαι τοὺς φυγάδας φασίν. *Parthos autem seu Parthyaeos nonnulli Scythicam dicunt esse gentem, quae migrarit ad Medos, indeque nomen accepisse. Scythae enim, exules Parthos vocitant.*

GRAVES ADHVC ACCOLAE.) Romanis prouincijs vicini Parthi Crassum victum occiderunt Parthi etiam aeuo Neronis & sequentibus annis, Romanis infesti, horribiles arcubus & telis. Dionysius:

AAa

pag 119. & seq.

Ἀλλ' ἤτοι πυλέων μὲν ὑπαὶ πόδα Κασπιάδων
Πάρθοι ναιετάουσιν ἀρήιοι ἀγκυλότοξοι,
Παντοίης πολέμοιο δαήμονες. οὐ γὰρ ἀρότρῳ
Αὔλακ' ἐπιθύνουσι, διασχίζοντες ἀρούρας,
Οὐδὲ μὲν ἐν νήεσσιν ἅλα τμήγουσιν ἐρετμοῖς,
Οὐδὲ νομῷ φέρβουσι βοῶν γένος. ἐκ δὲ γενέθλης
Νηπίαχοι τόξοισι καὶ ἱπποσύνῃσι μέλονται.
Αἰεὶ δ' ἠχήεσσαν ἀνὰ χθόνα δοῦπος ἀκόντων,
Ἠδὲ βελῶν· πάντῃ δέ τ' ἀελλοπόδων δρόμος ἵππων
Θυνόντων. οὐ γάρ σφι θέμις δόρποιο πάσασθαι,
Πρὶν πολέμου μόχθοισι κάρη ἱδρῶτι παλῦναι·
Φέρβονται δ' αἰχμῇσι δοροκλήτου βιότοιο
Ἀλλ' ἔμπης κείνους περ ἀμαιμακέτους περ ἐόντας
Αὐσονίου βασιλῆος ἐπεπρήυνεν ἀκωκή.

At verò portarum quidem sub pede (ora) Caspiarum
Parthi degunt Martij, curuis arcubus vtentes,
Omnigeni belli periti. nec enim aratro
Sulcum dirigunt, findentes arua,
Neque in nauibus mare secant remis,
Nec item pabulo pascunt boum genus: sed à natiuitate
Pueri arcubus & equitationibus dediti sunt.
Semper autem strepitus per terram stridor iaculorum
Aut telorum; passim etiam alipedum cursus equorum
Ruentium non enim ipsis fas est cibum sumere,
Quin prius ex belli laboribus caput sudore perfuderint:
Viuunt autem præda hasta parti alimenti.
Veruntamen prælio indomitos (insuperabiles) quamuis essent,
Ausonij regis mansuefecit cuspis (hasta)

Neronis æuo, dum Imperator luderet in theatris, interim Parthus infestabat limites Romanos.

Dum tendit citharam noster, dum cornua Parthus
Noster erat Paean, ille Ἑκηβελέτης.

Legiones Romanæ ab ijsdem Parthis in Armenia sub iugum missæ, ægrè Syria retenta, Seuerus etiam coactus est Parthicam expeditionem suscipere, & Ctesiphonte occupata, regeq; fugato Parthici nomen adeptus est. Dictus etiam Verus imperator. Scripsit de bellis Parthicis Quadratus. Non Capitolinus in Vero. Suadet ergo Acidalius, cum pro graues, scripsit gnaui. *Non satis, inquit, fido isti verbo, graues adhuc nunc accolæ. Suspicor leuiter, gnaui adhuc agricolæ. vt commendet eos à peritia agricultura, qua excellant suo etiam tempore.* Certè studium & vita illis in illa maximè, qui propterea campestrem fertilemque, vt hic ait, regionem occuparint, & vt lib. 7. inter bona sua, præcipuè iugum boum numerent & aratrum.

Sueton. Nero. c. 39. Spartianus in Seuero.

SCYTHAE SEDES HABENT IN EVROPA ET ASIA.) Omnes Geographi Scythas alios faciunt Asiaticos, alios Europæos. Siculus lib. 2. Strabo, Ptolemæus, Plinius, Herodotus in Melpomene, Solinus c. 20. Mela c. 2. & 3. Iornandes de origine Getarum, alij. *Ex Herodoto,* inquit Glareanus, *Curtius hoc habet, qui quas Ptolemæus duas Sarmatias facit ad Tanaim, alteram in Europa, alteram in Asia: Ipse duas Scythias nominat in Melpomene. De reliquis, quas duas ad Imaum montem Ptolemæus scribit, nulla est, quod equidem sciam, apud veteres mentio. Quamuis Imai montis mentionem faciat Strabo. At de nationibus inter Tanaim & Iaxarten, nihil admodum sciebant veteres: vnde multi eundem crediderunt fluuium, Tanaim ac Iaxartem, multis millibus stadiorum distantes. In qua opinione & hic author videri potest libro sequente: & Plinius libro sexto, cap. 16. ad finem ait, Alexandrum atque ipsius milites Iaxartem vocasse Tanaim. Magis mirandum, quod hic author non ita multò pòst in hoc libro, quosdam opinantes inducit, qui in mare Caspium, siue Hyrcanum, Mæotida paludem cadere sunt opinati. Quod Strabo etiam libro vndecimo, hisce verbis testatur: εἰς ἓν οὖν συνῆγον τήν τε Μαιῶτιν λίμνην καὶ ταύτην χέοντες, καὶ συνάπτοντες πρὸς ἀλλήλας ἀμφοτέρας, ἑκατέραν δὲ εἶναι μέρος τῆς ἑτέρας. Multa alia addidit lectu dignissima. Vnde quod hic author prodit, Parthos à Scythis in Europa, hoc est, à Sarmatis ortos, non est mirum. Ipsum Caspium mare, plerique veterum Oceani partem esse crediderunt. In qua & Strabo ipse opinione fuisse videtur, libro vndecimo ab initio ferè.* Hæc Glareanus ex bonis scriptoribus verè monuit, & docuit.

QVI SVPER BOSPHORVM COLVNT.) Emendatiùs scriberes *Bosporus iter nempe bouis.* Bosphorus dicitur, quod fretum illud bouem tulerit, à φέρω, alterum à πόρος *transitus, traiectus.* *Bosporus* Thracius est fretum intercedens inter Chalcedonem & Byzantium, seu Constantinopolim, ita vt Chalcedo sit in Asia, Bizantium in Europa. Longus est stadia centum sexaginta, hoc est, milliaria Germanica tria cum besse, latus stadia quatuor, seu octauam partem milliaris Germanici, seu quingentos passus. Appellatur Thracius, quod ex Thracia per illum transeatur in Asiam, cuius

ius Thraciæ metropolis est Byzantiū. Obserua alias esse angustias seu fretum, seu Bosporum Thracium, alium Hellesponticum, alium Cimmerium. Per Thracium traiecit copias Darius rex Persarum Xerxis pater in Thraciam; per Hellespontum Xerxes. per Cimmerium, Mœotis palus transit in mare Euxinum. Bosphorus est limes Asiæ & Europæ. Finis ponti Euxini, qua se in Aegeum mare tanquam flumen exonerat, vocatur Hellespontus, medium Propontis, principium Bosporus, vnde tam multa traxit nomina, Græcè αὐλῶνα, Mela canalem, alij Euripum Thracium, Herodotus os ponti appellat, quasi diceres fauces ponti, Turci Bagazim, Liuius fauces, Græci etiam στενά. De Bosphoro Thracio iustum & eruditum volumen composuit Petrus Gyllius, vbi plurima & selectu dignissima de Bosphoro hoc cognosces. Hypotyposin huius loci spectabis apud Mercatorem. Clarius tamen hanc ex Parergis Ortelij tabula 27. quæ inscribitur *Pontus Euxinus*, & *Thraciæ* 28. cognosces.

* Mela l. 2. c. 1.
Sol. c. 20.

AD BORISTHENEM.) * *Boristhenes Scythia amnis nobilissimus & amœnissimus, turbidis alijs, liquidissimus defluit, placidior quàm cæteri, potariq; pulcherrimus: alit latissima pabula, magnosq; pisces, quibus & optimus sapor, & nulla ossa sunt. Longè venit, ignotiq; ortus è fontibus, quadraginta dierum iter alueo stringit, tantoq; spacio nauigabilis secundum Boristhenida & Olbiada Græca oppida egreditur.* De eodem Solinus, sed de piscibus tantum illius agit. Eustathius ex Herodoti quarto, & alijs, hæc de Boristhene tradit: Ὁ δὲ Βορυσθένης μέγιστος, &c. *Boristhenes maximus & vberrimus vndis è Scythicis fluminibus & gustu dulcissimus, liquidusque iuxta turbidos fluit, ad cuius os sal sua sponte concrescit, alit & immania cete, sine spinis quæ salsamentis seruiunt, quæ antacæos vocant. Amnis autem Panticapes ab Aquilone fluit, & denuum sub finem cum Boristhene miscetur. Inter hæc duo flumina colunt Scythæ, quos agricolas appellant. A Danubio autem ad Boristhenem decem dierum iter est, totidemq; à Boristhene ad Mœotidem paludem.*

AD TANAIM.) Dionysius Periegetes siue Alexandrinus: ——— ἧς διὰ μέσσης

Εὐρόμενος Τάναϊς Μαιώτιδος ἐς μυχὰ πίπτει
Ὅστε καὶ Εὐρώπην ἀποτέμνεται Ἀσίδος αἴης
Ἐς δύσιν Εὐρώπην, ἐς δ' αὐγὰς Ἀσίδα γαῖαν
Τοῦ δ' ἤτοι πηγαὶ μὲν ἐν οὔρεσι Καυκασίοισι
Τηλόθι μορμύρουσιν, ὁ δὲ πλατὺς ἔνθα καὶ ἔνθα
Ἑρπύμενος Σκυθικοῖσιν ἐπιτροχάει πεδίοισι.

Quæ vetustissimus Grammaticorum Rhemnius ita carmine vertit:

Inter quas Tanais Mœotidos intima pulsat,
Europen fluuio dirimens Asiamq; reflexo,
Europen zephyris, Asiam sub partibus ortus,
Caucasijs exit, cuius fons montibus altis
Murmure cum vasto Scythica per plana refusus.

* quod sicubi ego scripsi, emendetur.
Strabo p. 359.

Atque in hac quidem sententia fuit Periegetes, Tanaim è Caucasijs montibus nasci, sed Strabo (quem Eustathius plerunque Geographum κατ' ἀντονομασίαν, seu κατ' ἐξοχὴν appellat, cùm nonnulli censerent * Ptolemæum Geographum dici, cùm is potius Cosmographus sit) fontes Tanaidis ignotos esse his verbis affirmat. *Tanais à partibus defertur septentrionalibus quidem: non tamen ita, vt è regione ad lineam contra Nilum fluat, quæ fuit quorundam opinio. Tanais, quàm Nilus, magis est Orientalis, itidem incognitos habens fontes. Sed Nili magna pars nota est, cum regio per quam labitur, tota sit accessu facilis, & longas ipse habeat subuectiones. Tanaidis verò ostia quidem nouimus (duo autem sunt, quibus is in partes Mœotidis maximè septentrionales sese exonerat, stadijs 60. inter se distantia) quod autem supra ostia est, eius pars exigua est cognita, sit hoc ob frigus & incommoditates regionis: quas indigenæ possunt tolerare, carnibus & lacte viuentes Nomadum more: exteri sustinere non possunt. Alias etiam Nomades isti, à commercijs aliarum nationum alieni, multitudine ac viribus præpotentes, occluserunt itinera regionum: vbi ambulari poterat, & subuectiones si quas fluuius habuit. Hac de causa quidam censuerunt eum è Caucasijs montibus ortum magno alueo aduersus septentrionem ferri, indeq; retro labentem in Mæotin exire: his Theophanes quoque Mitylenæus adsentitur. Alij à superioribus Istri partibus ferri existimant. neque vllum adferunt signum tam longinqui & ex diuersis climatibus defluxus: quasi potuerit è vicina & à septentrione delabi.* Multa etiam auctio est eiusdem fluminis apud Herodotum. Sed mihi hoc velim obserues lector, à Macedonibus procul vero aberratum esse, cum ex eorum sententia infrà scripsit Curtius, Tanaim ad fines Bactrorum esse, cum innumeris parasangis inde absit. flumen autem quod Macedones existimarunt esse Tanaim, Iaxartes est. Solinum audi: *Vniuersi eius ductus duntaxat, ab illa terrarum parte Iaxartes fluuius secat fines: quem tamen Iaxarten soli vocant Bactri; nam alij Scythæ Silin nominant. Hunc eundem esse Tanain exercitus Alexandri Magni crediderunt: verùm Demodamas dux Seleuci & Antiochi, satis idoneus vero auctor, transuectus amnem istum, titulos omnium supergressus, alium esse, quàm Tanain deprehendit.*

Solin. p. 93. ante m.
Mela p. 2.

Mela de eodem: *Hoc mari* (Euxino) *& duobus inclitis amnibus, Tanai & Nilo, in tres partes vniuersum diuiditur. Tanais à septentrione ad meridiem vergens, in mediam ferè Mæotida defluit: & ex diuerso Nilus in pelagus. Quod terrarum iacet à freto ad ea flumina, ab altero latere Africam vocamus: ab altero Europen: ad Nilum, Africam: ad Tanaim, Europen. Vltra quicquid est, Asia est.* Plutarchus Oroxartem, alij Oxartem

Oxartem appellant amnem, Alexandro Tanaim. Sed ad Geographum reuertamur, qui in secundo contra Eratosthenem, de Tanai in hæc verba disputat: *Etenim, inquit, præterquam quod in rebus quæ explicatum habent faciles, se morosum præbet, falsum est Tanaim ab ortu æstiuo fluere: quicunque enim locorum periti sunt, eum à Septentrione aiunt defluere in Mæotidem: ita vt ostia fluuij, & ostium Mæotidis, ac ipse quantum eius notum est fluuius in eodem sint meridiano. Quidam relatu indigna perhibuerunt, alij eum oriri à locis Istro vicinis & ab occasu fluere, non animaduerso interea loci Tyram Borysthenem, & Hypanim magna flumina in Pontum defluere, alter iuxta Istrum, alter iuxta Tanaim æqualibus spacijs meantes. Et cum neque Tyræ fontes visi sint, neque Borysthenis, neque Hypanis, multo magis ignota erunt partes eorum septentrionales: adeò vt quæ per eos Tanaim ad Mæotidem deducit, ac deinde ad eam reuertitur (nam ostia perspicuè in septentrionalibus paludis partibus monstrantur, ijsq; maximè orientalibus) falsa est quædam & nihil concludens ratio. Non minus ineptum & hoc est, quod & ipsum dicitur à nonnullis, Tanaim per Caucasum labi versus septentrionem, inde ad Mæotidem reuerti. Ab ortu quidem nemo eum fluere dixit, hac enim ratione non aduersus Nilo iret, & quodammodo è regione ad lineam, quod de eo elegantiores autores affirmant, vt quasi in eodem meridiano vtriusque fluminis defluxus intelligeretur.* Pag. 72.

Ioannes Goropius Becanus, vir omni genere literarum excultus, ostendit vnde natus sit hic error de Tanai Græcorum & Scytharum. *Ortus, inquit, est hic error ex eorum adulatione, qui credi voluerunt, Alexãdrum ad Tanaim vsque penetrasse, non minore à veritate interuallo, quàm illud est, quod inter vtrumque fluuium continetur. Hinc de Aris Alexandri ad fictitios Riphaos montes sitis; hinc de legatione ab Europa à Scythis missa, hinc de Amazonibus commenta prodierunt.* In Indo Scythicis p. 499v. 12. à f.

Hoc demùm nomine flumina alia quoque reperio; apud Sallustium in Iugurtha cap. 90. *Sic cœpto suo occultato pergit ad flumen * Tanaim.* Aliud ad Bactrianos fines in Oriente, Arrianus enim hunc Tanaim diuersum facit ab illo, quod in Mœotidem excurrit. Est & quartum, quod minorem Tanaim Geographi dicunt, quem maior Tanais excipit, vt est apud Mercatorem. *Glareanus legit Tanam, sed Antuerpiana emendatior cum alijs Tanaim agnoscit.

NEC DVBITATVR, QVIN SCYTHAE QVI PARTHOS CONDIDERE.) Negat Curtius, & verè negat, Parthos à Scythis conditos, non qui per Bosporum Thracium in Asiam transierint, sed vel per Tanaim, vel portas Caspias, vel Euxinum pontum, vel Cimmerium Bosporum. Caussam addit, quod ij qui supra Bosporum sedes habuere, sint Asiatici, & valdè remotiâ Parthis: alij verò, qui ex Europa in Asiam transiere, propinquiores.

VRBS ERAT HECATOMPYLOS A GRAECIS CONDITA.) Vox ipsa Græca est, & è Græcia profectos conditores ostendit. vrbem significat, quæ centum habeat portas. Sed Polybius aliam etymi caussam adfert, dictamque ait Hecatompylon, quod ibi ex omni regione diuerticula tanquam ad cardinem cocant: Ὁ δὲ βασιλεύς, inquit, διανύσας τὴν ἔρημον ἧκε πρὸς τὴν Ἑκατόμπυλον προσαγορευομένην πόλιν. ἣ κεῖται μὲν ἐν μέσῃ τῇ Παρθυηνῇ, τῶν δ' ὁδῶν φερουσῶν ἐπὶ πάντας τοὺς πέριξ τόπους ἐνταῦθα συμπιπτουσῶν, ἀπὸ τοῦ συμβαίνοντος ὁ τόπος εἴληφε τὴν προσηγορίαν. *Rex solitudinem emensus ad opidum venit Hecatompylon dictum. In media Parthia hæc vrbs sita est: cùm autem diuerticula viarum ad omnes circa regiones ibidem coeant, ex euentu ipso centum portarum nomen locus inuenit.* Strabo à Caspijs portis ad Hecatompylon regiam Parthorum (ita appellat) mille ducenta sexaginta auctore Apollodoro stadia numerat, hoc est, duodecim stadia supra trigiota nouem milliaria Germanica. Diodorus quidem Hyrcaniæ assignat, sed Parthiam quoque Hyrcaniæ nomine complectitur. A quibus autem Græcis condita sit nondum legi. Vrbis Stephanus quoque mentionem habet, sed simplicem, vt & Ptolemæus. Lib. 10. Lib. 17.

IBI STATIVA REX HABVIT.) Cùm de Bessi longinqua fuga cognouisset, & in præsens cum exercitu reprehendi posse desperaret, Hecatompyli aliquamdiu ad colligendum & recreandum militem quieuit. Caussa sparsæ famæ erat, quod Græcum militem, mercenariũ opinor & per ætatem inualidum, legibusque militiæ solutum, domum remiserit. Hoc interpretati alij de totis castris, tumultuari cœperunt, vasaque certatim colligere. qui otiosus statim dedito rumore, regem cogitare patriam, cœpit concursare.

ITAQVE RVMOR OTIOSI MILITIS VITIVM.) Non viritim vt vulgò, Constantiensis codex vitium, quam scripturam suprà quam dici potest, commendat Acidalius: *Offendi*, inquit, iam olim vehementer ad vocem *viritim*, cuius insolens hic vsus, nec qui ferri posset, vt ego sentiebam. Itaque variè mutabam, nec ineptè quidquam: omnia tamen frustrà quando alia tandem scripta lectio reperta in Modij Sigebergensi bono sanè libro. Is pro ea *vitium* habet: sanè benè. Nec enim ferri modò potest, quod Modius ait, sed ferri vnà, & præferri omnibus debet ipsissima Curtii scriptura. *Rumor otiosi militis vitium*, verè. Sic libro 8. idem, *Otium serendis rumoribus natum*, ait. Et huc trahas illud è Taciti Annal. 14. ambiguæ adhuc lectionis: *Hæc more fama, credentium otio augebantur*: quod eo modo noster hic ipse Modius in Nouantiquis censuit emendandum, cum vulgò scribatur: *Hæc in ore fama credentium otio agebantur*. Sed de illo expecta nos ad ipsum Tacitum suo propriè loco. Curtij quidem etiam nostri istud ex 8. libro huc accommodaueris: *Seditiosasq; voces referebantur ad regem, quis ille haud sanè metus, setisq; prudens, otij vitia negotio discuti, edicit, vt omnes in vestibulo regiæ præstò sint*. Hæc Acidalius.

RVMOR.) *Rumor absque auctore proles otios. est pectoris*, inquit Comicus.

Macedo fiti maceratus accessit. Ac dum galea haustam aquam sorbet, tela iumentorum defi-cientum corporibus infixa conspexit: miratusq́ confossa potius quam abacta esse, semiustus

Quæ hic desiderantur possunt ex Diodoro, Plutarcho, Arriano, Iustino, Orosio, alijs peti, quorũ verba in commentario subijcio.

ABEVNTIVM AGMEN CONSPEXERANT) Persæ iam imminentis Alexandri antecursores conspexerant, & vicissim ipsi à Macedonibus conspecti erant, proinde prælium instare videbatur. Et Macedones quidem longè barbaris inferiores futuri erant, si suas barbari vires, numerum, copias, robur, hostiumque vicissim paucitatem, sitim, ex itinere præcipitato defatigationem æstimassent, & cum suis contendissent, sed Besso defuit animus, & Alexandri felicitas, celeritas, nomen, fama, victoriæ, hostium vires fregêre, omnesque in fugam auertêre.

FAMA MAXIMVM IN BELLO VTIQVE MOMENTVM) Hunc locum iam sæpè tractauimus, lib. 4. c. 12. & alibi, recurritque infrà lib. 8. c. 16.

VEHICVLVM EIVS ASSECVTI) præmiserant enim regem vinctum, velut sarcinam cum impedimentis.

ASCENDERET EQVVM) Hortabantur facinorosi patricidæ Darium, vt se fuga hosti eriperet, cum ipsi grauiores regi hostes incumberent, quàm Alexander, nec eo fine iusserunt eum fugere, vt seruaretur, sed vt precium gratiæ esset si illum Alexandro viuum traderent.

ILLE DEOS VLTORES ESSE TESTATVS) *Testatus* cum Acidalio lego, non vt vulgò *testatur*. Cæterùm, Dij vltores fuêre Persis ipsi Cacodæmones. Agathiam audi: *Persa duo prima rerum omnium principia statuêre, vnum bonum, & optima quæque gignens, alterum perniciosum ac pessimum. bonum quidem Deum seu Creatorem Oramasdem, Cacodæmonem Arimanem appellauêre.* Proinde spado Darij apud Plutarchum ita regem compellat. οὐδὲν ἔχεις αἰτιάσασθαι τὸν πονηρὸν δαίμονα Περσῶν. *Nihil est quod malum genium Persarum incuses.* Hos ergo malos genios, vltores Deos appellat Darius. Et nihil pugnat, etiam bonum Deum appellare vltorem scelerum. Punit enim Deus impiorum facinora, nec vllum scelus impunitum transmittit.

Lib. 2.

ALEXANDRI FIDEM IMPLORANS) Huc rerum deuenerat Darius, execratus suos, vt hostis fidem quamuis serius imploraret. Diodorus tamen prius Bactra fugisse atque sentientem Bessi insidias, inde regressum, & à Besso atque coniuratis occisum tradit.

TELA CONIICIVNT IN REGEM) Hi fuerunt apud Arrianum Satibarzanes & Barzaentes. Curtius indistinctè narrat, & reum ac parricidam Bessum ac Nabarzanem potius designat.

VT VESTIGIA FVGAE SPARGERENT) Ne occiso Dario, quem vnum Alexander videbatur petere, alios persequeretur, aut si vellet, & illos à se diuisos longeque disiunctos, anceps hæreret, Nabarzanem an Bessum prius insequeretur.

BARBARI DVCIBVS DESTITVTI) Persæ, Græci, Bactriani, Hyrcani, quorum Græci se cum Artabazo coniunxerunt, sceleris & parricidij expertes. Persæ & Bactriani Bessum ducem suum nominarunt, & secuti sunt, quod Bessus & cognatione Darium attingeret, & in ipsius dynastia captus & vulneratus, atque pro deposito relictus esset.

NICANOREM) Scutatorum præfectum, Parmenionis filium: tres enim secum in aciem duxerat, Hectorem, qui in Aegypto Nili fluctibus haustus est; Philotam, qui postea ob coniurationem tortus & interfectus est: & hunc Nicanorem, cuius mors infrà paullò pòst defletur, quod esset Alexandro in paucis carus.

Pag. 61. f.

IPSE CVM CAETERIS SEQVITVR) Hunc locum accuratè tractat Arrianus: αὐτὸς δὲ ἀμφὶ δείλην ἄγων ἀρξάμενος, δρόμῳ ἡγεῖτο. διελθὼν δὲ τῆς νυκτὸς σταδίους ἐς τετρακοσίους, ὑπὸ τὴν ἕω προσογχάνει τοῖς βαρβάροις ἀτάκτως ἰοῦσι καὶ ἀνόπλοις, ὥστε ὀλίγοι μέν τινες αὐτῶν ὡς ἀμυνούμενοι ὥρμησαν, οἱ δὲ πολλοὶ εὐθὺς ὡς Ἀλέξανδρον αὐτὸν κατεῖδον, οὐδὲ ἐς χεῖρας ἐλθόντες ἔφευγον. καὶ οἱ τραπέντες ἐς ἀλκὴν ὀλίγων πεσόντων, καὶ οὗτοι ἔφυγον. *Ipse sub vesperum iter ingressus, citato agmine processit, confectisque per noctem quadringentis stadijs, sub lucem barbaros incompositè fugientes atque inermes assecutus est. pauca admodum ex ijs restitêre, qui ad arma confugerunt, cæsis nonnullis, reliqui terga verterunt. Non nisi quingenti Alexandrum per compendia sequebantur, sed expeditibus præstantissimi duces, quos in equos equitibus cedere iussis, sustulit.* Cæteri, complures statim conspecto Alexandro, antequam discrimen experirentur, in fugam vertuntur: ex ijs verò

NEMO CAPTIVORVM ERAT, QVI MONSTRARE DARII VEHICVLVM POSSET) Caussa dux, quia vile & pellibus tectum, & ab ignotis aurigis rex vehebatur, vt supra ostensum est. Deinde vulnerato rege & ministris occisis, iumenta quæ regem vehebant, aurigâ destituta, militari & regia via decesserant, & errore delata, in valle quadam constiterant, nam & ipsa telis confecta simul & æstu fatigata progredi non potuerant.

VIX TRIA MILLIA EQVITVM) In quibus illi quingenti erant, de quibus, vti dixi, Arrianus, aut certè diuersa inter se tradunt, vt & Plutarchus, qui cum trecentis duntaxat Alexandrum hostes assecutum affirmat.

HOSTIS

HOSTIS PAVCITATEM, NEC SVAM MVLTITVDINEM) Metus, pauor, & terror in fuga mentem eripiunt fugientibus, fugaque ipsa moratur fugam: in qua quis nouerit hostes, quis suos? cùm omnia susque deque feruntur, aguntur.

QVATVOR STADIA) sexcentos quinque & viginti passus, si quinquies mille passus tribuas milliari: si quatuor millia, erunt quingenti.

HAVD PROCVL ERAT FONS, AD QVEM POLYSTRATVS ACCESSIT) Hic Polystratus Darium adhuc spirantem inuenit, ut & Plutarchus * narrat, qui hunc ipsum, Polystratum indigetat. Siculus idem narrat: subijcit tamen à quibusdam annotatum ab Alexandro adhuc viuum repertum: ὡς δ' ἔνιοι γεγράφασιν, ἔμπνουν ἔτι χειριλαβὼν, τοῖς μὲν ἀτυχήμασιν αὐτοῦ συναλγεῖ, παρακληθεὶς δὲ ὑπὸ τοῦ Δαρείου μετελθεῖν τὸν φόνον, καὶ καθομολογήσας, ἐδίωξε τὸν Βῆσσον. *Traditur verò à quibusdam, quod adhuc spiranti superueniens, indignissimam eius sortem deplorarit, rogatusque à Dario, ne cædem inultam pateretur, id se facturum promiserit.* * in vita Alexandri pag 690. Li.17.p. 546 ante med.

POLYSTRATVS SITI MACERATVS) Et Alexander, & miles illum secutus ingenti per hanc viam siti tosti & exhausti sunt, multique in medio cursu defecerunt, monuerant enim regionis Græci, ut Arrianus addit, loca sicca & arida esse, omnique humore carere. Sed rex nullis difficultatibus cessit, quin & illustre singularis patientiæ exemplum suis præbuit, cum nonnulli liberis aquam ex reperto fonte adferrent, & in regem arentem incidissent, & ille aquam non suffecturam alijs se sequentibus iam undam suspirantibus videret, non gustatam, ferentis reddidit, suis ferendã. quo facto maximos suis animos addidit, etiam in mortem paratos sequi. testem huius Plutarchum do, qui rem eleganter describit, sed quia locus prolixior est, omissis Græcis, haustum hunc ex interprete latinum propinabo.

Dum consectatur Darium in itinere laborioso & prolixe (nam diebus undecim tria millia trecenta stadia confecit) pleríque lassitudine sunt confecti, & præsertim aquæ penuria. Ibi occurrerunt ei Macedones quidam, qui aquam in utribus à flumine mulis portabant: conspicientesq́; Alexandrum medio iam die siti maceratum, impleuerunt confestim galeam, eiq́; obtulêre. Requirente eo quibusnam aquam afferrent: Liberis nostris respondêre. verũ te incolumi alios gignemus etiamsi hos amiserimus. Sub quorum dicta accepit galeam. Cæterum circumlatis oculis, ubi vidit qui ipsum comitabantur equites capite inclinato potum respicientes, reddidit illis aquam non gustatam, laudauitq́; eos. Nam ego, inquit, si solus bibero, hi elanguescent. Regis conspicati equites continentiam & magnitudinem animi; duceret & bono animo esset, vociferati sunt, & equos verberarunt: neque fatigari se, neque sitire, sed nec mortales ducere esse, quoad talem haberent regem. Alacritas erat quidem omnium par, sed solos sexaginta ferunt Alexandrum in castra hostium persecutos. Ibi vim magnam auri & argenti proiecti supergredientes, multa vehicula puerorum mulierumque aurigis destituta & vagantia prætervecti, primorum tergis inhæserunt, in illis rati Darium esse. Plutarch. in fol. p. 689. F.

SEMIVIVI) *Hæc ultima*, inquit Modius, *huius libri vox in membranis fuit, nisi quod quæ deesse videbantur, à nescioque, ex Iustino velut supplementum, adiecta erant. Sed hæc talia satius erit, apud ipsos auctores legere, quàm Curtio temerè aliena, ut pannum purpuræ assuere.*

Idem finis est in Constantiensi codice. Placet ergò quod hic Curtio deest, ex alijs scriptoribus sufficere, lacunãq; hanc qualẽ unq; explere. Diodorus reliquis vetustior primus narret: οὗτος δ' &c. *[illegible] tiam è Bactriana, alijsque prouincijs militem cogere cœperat: sed celeritate hostis præpeditus, cum triginta millibus Persarum & Græcorum ære merentium Bactra perfugerat. Hic Bessi, qui Bactris præerat, dolo, interea, dum retro tendit, obtruncatur. Vix iam spiritum exhalarat, cum Alexander equitatu secum rapto illum assequitur, mortuumque ut inuenit, regio more sepeliendum curat.* Siculus p. 546.v.6.

Quod hic Diodorus Darium Bactra profugisse ait, accipiendum est ita, ut non existimes, fugientẽ omnino Bactra peruenisse, sed in itinere exceptũ & interfectũ. Sequitur Plutarch. Μόλις δ' &c. *Vix tandem inuenitur, corpore multis confosso iaculis, in curru iacens prope iam moribundus, potum tamen postulauit. Ut frigidam hausit, illum qui porrexerat, Polystratum, affatus est, Hic mihi terminus, quicunque es, omnis est felicitatis, quod beneficium acceptum nequeam rependere. verùm referet Alexander tibi gratiam, Alexandro dij immortales, quod eam humanus in genetricem, uxorem & liberos meos fuerit, cui hanc dextram te interprete porrigo. Ita fatus, apprehensa Polystrati manu expirauit. Postquam superuenit Alexander, non obscurè indoluit huic misero casui, chlamydemq; suam soluit, eoque iniecto corpus inuoluit.* Plut. pag. 690. pr. Lib. 3. c. 21. ubi plura.

Quæ Plutarchus de siti Alexandri hic tradit, Curtius etiam infrà alterum exemplũ addit. Arrianus [illegible] dus: βῆσσος δὲ &c. *Bessus autem eiusque comites, interea Darium curru attrahebant. At cum etiam audi[illegible] Alexander eo[illegible]um tergo instaret, Satibazanes & Barzaentes Darium ab se grauiter vulneratum ibidem relinquunt. ip[illegible] cum DC equitibus sese in præcipitem fugam dederunt. Darius ex acceptis vulneribus, pri[illegible]quam ab Alexandro visus esset, interijt. Alexander Darij corpus ad Persas misit, ut in regijs mausoleis, more [illegible]orum regum qui Darium antecesserant, conderetur. Post hæc Ammynapem Parthum, qui sibi unà cum Mazace Aegyptum tradiderat, Parthorum & Hyrcanorum Satrapam constituit. Adiunxit autem illi Tlepolemum Pythophanis filium, unum ex socijs, qui rerum Parthicarum & Hyrcanicarum simul curam gereret. Atq; hic quidem Dario vitæ exitus fuit, archonte Athenis Aristophonte mense Iunio: viro, quod ad res bellicas attinet, languido parumq; prudenti: quod ad cætera, qui nihil iniqui in suos commiserit, aut certè potestatem committendi non habuerit. Nam simulac regnare cœpit, statim à Macedonibus & Græ-* Arrian. p. 68. v. ult. & seq.

Græcis bello lacessitus est. Quocirca nevolenti quidem integrum erat subditos sibi iniuria afficere, quum ipse in maiore periculo quàm ipsi versaretur. Quam diu in viuis fuit, alia illum ex alijs calamitates exceperunt, neque vlla intermissio aut requies fuit, ex quo primum ad regnandum accessit. Nam statim initio equestris illa Satraparum ad Granicum amnem clades accidit: mox Ioniam & Aeoliam amisit, & vtranque Phrygiã, Lydiam quoque & Cariam præter Halicarnassenses: sed paullò post ipsa etiam Halicarnassus erepta est. deinde vniuersa regio maritima ad Ciliciam vsque. Posthac ingentem illam apud Issum cladem accepit, in qua mater, vxor, ac liberi eius capti sunt. deinde Phœnicia atq; Aegyptus imperio eius detracta. Postea ipse in Arbelis & quidem primus turpiter fugit, & ingentem exercitum ex omni barbarorum gente amisit. Inde profugus è suo regno errans, eodemque tempore & rex & captiuus à suis habitus, ac cum ignominiæ ductus, tandem, ab intimis sibi, proditus & cæsus interijt. Hæc quidem omnia viuenti Dario acciderunt: at contra mortuo, regia sepultura, filiorum perinde atque ipso regnante, educatio atque institutio ab Alexandro, & Alexander gener contigit. Mortuus est annos natus circiter quinquaginta. Hæc Arrianus, qui paullo suprà, Alexandrum narrat in hoc itinere ad Caspias partes venisse. Hinc reor (quamuis Curtius Alexandrum tradat post mortem primùm Darij in Hircaniam & Caspias venisse) factum, vt fabula de Iudæis illic inclusis cuderetur. Iustinus ex Latinis vnicus hic Curtio deficienti potest suppe-

[l. i. 11. sub finem.] tias ire: *Alexander quoque citato*, inquit, *cursu postera die superuenit, ibique cognouit Darium clauso vehiculo per noctem exportatum. Iusso itaque exercitu subsequi, cum VII. millibus equitum fugientem insequitur: in itinere multa & periculosa prælia fecit. Emensus deinde multa millia passuum, cum nullum Darij indicium reperisset, respirandi equis data potestate, vnus ex militibus, dum ad fontem proximum pergit, in vehiculo Darium multis quidem vulneribus confossum, sed spirantem adhuc inuenit: qui applicito captiuo, cum ciuem ex voce cognouisset, id saltẽ præsentis fortunæ solatium se habere dixit, quod apud intellecturum locuturus esset, nec incassum postremas voces emissurus. Perferri hæc Alexandro iubet, se nullis in eum meritorum officijs, maximorum illi debitorem mori, quod in matre, liberisq; suis regium eius, non hostilem animum expertus, feliciusq; hostem, quàm cognatos sortitus sit: quippe qui matri ac liberis suis ab eodem hoste vitam datam, sibi à cognatis ereptam, quibus & vitam & regna dederit. Quamobrem gratiam illi eam futuram, quam ipse victor volet. Alexandro referre se, quam solam moriens potest gratiam, precari superûm & inferûm numina, & regales deos, vt illi terrarum omnium victori contingat imperium, pro se iustam magis, quam grauem sepulturæ veniam orare. Quod ad vltionem pertineat, iam non suam, sed exempli, communemq; omnium regum esse caussam, quam negligere, illi & indecorum esse & periculosum: quippe cum in altero iustitiæ, in altero etiam vtilitatis caussa versetur. In quam rem vnicum pignus fidei regiæ dexteram se ferendam Alexandro dare. Posthac porrecta manu expirauit. Quæ vbi Alexandro nunciata sunt, viso corpore defuncti, tam indignam illo fastigio mortem lacrymis prosecutus est, corpusq; regio more sepeliri & reliquias eius maiorum tumulis inferri iussit.* Contra reliquos & antiquos historicos Suidas contendit Darij caput à Besso allatum ad Alexandrum ὁ αὐτὸς, inquit, Δαρεῖος ὑπὸ τοῦ ἰδίου σατράπου ἀναιρεθεὶς,

[Βέσσος est in Suida.] ᾧ Βῆσσος ὄνομα, καὶ προσάγει τὴν κεφαλὴν Ἀλεξάνδρῳ τῷ Μακεδόνι. *Darius à suomet satrapa cui Besso nomen, interemtus est. caputque ad Alexandrum Macedonem allatum.* Dexippus breuissimè: καταλαβὼν δὲ Δαρεῖον ὑπὸ Βησσοῦ τινὸς τῶν ἀρχόντων ἀναιρεθέντα θάπτει μεγαλοπρεπῶς. *Darium autem accipiens, à Besso*

[Oros. li. 3. c. 17.] *quodam, vno ex eius purpuratis occisum, magno apparatu sepeliuit.* Orosius: *Darium*, inquit, *cum à propinquis suis vinctum compedibus aureis teneri comperisset, persequi statuit. Itaque iusso vt subsequeretur exercitu, ipse cum sex millibus equitum profectus, inuenit in itinere solum relictum, multis confossum vulneribus, & extrema vita per vulnera efflantem. Hunc mortuum inani misericordia referri in sepulcra maiorum sepelirique præcepit: cuius non dicam matrem vel vxorem, sed etiam paruulas filias crudeli captiuitate retinebat. In tanta malorum multitudine, difficillima dictu fides, tribus prælijs tot idemque annis quinquies decies centena millia peditum equitumque consumpta sunt.*

Quæ Zonaras narrat de Darij morte, ex Plutarcho desumpta sunt. Cæteri Græcorum siqui sunt è recentioribus, ex ijs sua, quos laudaui, hauserunt. Vnum hoc ex Aeliano de cane Darij addo:

[li. 6, c. 25.] Δαρείῳ δὲ τῷ τελευταίῳ Περσῶν βασιλεῖ ἐν τῇ πρὸς Ἀλέξανδρον μάχῃ ἡττηθέντι ὑπὸ Βήσσου καὶ κειμένῳ, πάντων τῶν νεκρὸν ἀπολιπόντων ὁμόσε ἐπ' αὐτοῦ τραφεὶς παρέμεινε μόνος πιστὸς, τὸν οὐκ ἔτι τροφέα, ὡς προδοὺς ὡς ἐξεζῶντα. *Dario, qui extremus regnauit apud Persas, in eo pugna quam contra Alexandrum suscepit & commisit, quum à Besso multis vulneribus confossus esset, & stratus iaceret, omnibus mortuum relinquentibus, canis ab eo educatus solus permansit fidelis, eumque tametsi non amplius sui temporis altorem, sicut tamen adhuc*

[Cap. 8.] *viuentem seruauit.* dignus qui cum Erigone inter astra numeretur. Atque hic Darij (de quo diuinissimus vates Daniel) & cum Dario Persarum regni & huius ἀποδόσεως βιβλίου finis.

FINIS LIBRI QVINTI.

Q. CVR-

Q. CVRTII RVFI

HISTORIARVM ALEXANDRI MAGNI MACEDONIS

LIBER SEXTVS.

SYNOPSIS HVIVS LIBRI.


AGIS Lacedæmoniorum rex ab Antipatro bello vincitur. Alexander hortatur militem ad reliquam Asiam subigendam. Fluuius Zyoberis describitur. Nabarzanes cum alijs Satrapis veniam impetrat, Alexander Græcis Darianis parcit: in mores Persarum abit: Bessum bello persequitur. Coniuratio Philotæ & aliorum detegitur. Philotas tortus cum coniuratis occiditur.

CAPVT I.

ARGVMENTVM.

Deest principium de bello Lacedæmoniorum cum Antipatro præside Macedoniæ gesto, in quo victor Antipater, cæsus Agis Rex Lacedæmoniorum. Victi Legatos mittunt ad Alexandrum. Antipater cautè & modestè vtitur victoria, ne se oneret inuidia apud Alexandrum.

HOC



*Oc pugnæ discrimen immisit, obtruncatisque qui promptius resiste-
bant, magnam partem hostium propulit. Cœperant fugere victores:
& donec auidiùs sequentes in planum deduxêre, multi cadebant; sed
vt primum locus in quo stare possent, fuit, æquis viribus dimicatum
est. Inter omnes tamen Lacedæmonios rex eminebat, non armorum
modò & corporis specie, sed etiam magnitudine animi, quo vno
vinci non potuit. Vndique nunc cominus, nunc eminus petebatur:
diuque arma circumferens, alia tela clypeo excipiebat, corpore alia
vitabat, donec hasta femina perfossa plurimo sanguine effuso destituere pugnantem. Ergo
clypeo suo exceptum armigeri raptim in castra referebant, iactationem vulnerum haud
facilè tolerantem. Non tamen omisêre Lacedæmonij pugnam, & vt primum sibi quàm
hosti æquiorem locum capere potuerunt, densatis ordinibus, effusè fluentem in se aciem
excepere. non aliud discrimen vehementius fuisse memoriæ proditum est. Duarum nobi-
lissimarum bello gentium exercitus pari Marte pugnabant. Lacedæmonij vetera, Ma-
cedones præsentia decora intuebantur. Illi pro libertate, hi pro dominatione pugnabant.
Lacedæmonijs dux, Macedonibus locus deerat. Dies quoque vnius tam multiplex ca-
sus modò spem, modò metum vtriusque partis augebat, velut de industria inter fortis-
simos viros certamen æquante fortuna. Cæterum angustiæ loci in quo hæserat pugna, n
patiebantur totis congredi viribus. Spectabant ergò plures quàm inierant prælium: & q
extra teli iactum erant, clamore inuicem suos accendebant. Tandem Laconum acies la
guescere, lubrica arma sudore vix sustinens: pedem deinde referre, ac vrgente hoste aper
fugere. Insequebatur dissipatos victor, & emensus omne spacium quod acies Laconum ob
tinuerat, ipsum Agim persequebatur. Ille vt fugam suorum & proximos hostium conspexi
deponi se iussit: expertusque membra an impetum animi sequi possent, postquam defice
sensit, poplitibus semet excepit, galeaque strenuè sumta, clypeo protegens corpus, hastam de
xtra vibrabat, vltro vocans hostem, si quis iacêtis spolia demere auderet. nec quisquã fuit qu
sustineret cominus congredi. Procul missilibus appetebatur, ea ipsa in hostem retorquens
donec lancea nudo pectori infixa est, quæ ex vulnere euulsa, inclinatum ac deficiens caput
clypeo paulisper excepit. Dein linquente spiritu pariter ac sanguine, moribundus in arma
procubuit. Cecidêre Lacedæmoniorum quinque millia & CCC. ex Macedonibus haud am-
plius M. Ceterùm vix quisquam nisi saucius reuertit in castra. Hæc victoria non Spartam
modò, sociosque eius, sed etiam omnes qui fortunam belli spectauerant, fregit. Nec fallebat
Antipatrum, dissentire ab animis gratulantium vultus; sed bellum finire cupienti opus erat
decipi: & quamquam fortuna rerum placebat, inuidiam tamen quia maiores res erant,
quàm quas præfecti modus caperet, metuebat: quippe Alexander hostes vinci voluerat, An-
tipatrum vicisse, ne tacitus quidem indignabatur, suæ demptum gloriæ existimans, quicquid
cessisset alienæ. Itaque Antipater, qui probè nosset spiritus eius, non est ausus ipse agere ar-
bitria victoriæ; sed concilium Græcorum quid fieri placeret, consuluit: à quo Lacedæmonij
nihil aliud quàm vt oratores mittere ad regem liceret, precati; non grauatè veniam de-
fectionis præter authores impetrauerunt. Megalopolitanis, quorum vrbs obsessa erat à
defectione Achæis & Aetolis CXX. talenta dare iussi. Hic fuit exitus belli, quod repentè or-
tum, prius tamen finitum est, quam Darium Alexander apud Arbela superaret.*

HOC PVGNAE DISCRIMEN IMMISIT) Improba vetustas, sicut priori Curtij libro calcem elisit, ita sexto huic caput abstulit, quod Modius ex Arriano & Plutarcho, Diodoro & Iustino farciendum dicit. Atqui nec Plutarchus, nec Arrianus vllum de hoc Antipatri & Lacedæmoniorum prælio verbum faciunt, nisi quod apud Plutarchum in Agesilao, Alexander nunciatam sibi pugnam inter Agidem & Antipatrum, per contemtum pugnam murium appellauit, quo videtur allusisse βατραχομυομαχίαν Homeri pugnam murium & ranarum.

Siculus p. 536. Diodorus rem exequitur: *Archon tunc Athenis erat Aristophon, & Romæ consulatũ exceperant Cneius Domitius & Aulus Cornelius, cum dedita per Græciã fama de conflictu ad Arbela, ciuitates multæ, quibus incrementa potentiæ Macedonum suspecta erant, pristinam tueri libertatem, dum aliquid adhuc Persis superesset, decreuerunt. Dariũ enim, pecunijs ad magnas exterorũ militũ copias conducendũ subministratis, auxilio fore: Nec tãtas opes Alexandrũ, vt exercitũ distrahere ausit, habiturũ. Quod si Persas ab eo debellarã*

pari-

patiantur, destitutis auxilio, vires sibi ad libertatem asserendam defuturas. Ad defectionem nuper exorta per Thraciam seditio illos inuitabat. Memnon enim Imperator in Thraciam missus, cum & militum & animorum satis haberet, concitatis barbaris, ab Alexandro defecit: magnoque ad se pertracto exercitu, in manifestum iam bellum incumbebat. Quam ob caussam omnibus hinc inde copijs accitis, Antipater per Macedoniam in Thraciam profectus, Memnoni bellum infert. Hoc ita districto, Lacedæmonij idoneum belli reparandi tempus se iam nactos arbitrati, Græcos ad ineundam pro libertate concordiam exhortantur. Tum Athenienses, præ Græcis alijs honoribus ab Alexandro affecti, quiete in officio se continebant. At Peloponesiorum plerique, & nonnulli ex alijs conspiratione inter se facta, in militiam hanc nomina profitebantur. Pro viribus igitur cuiusque ciuitatis habito iuuenum optimorum delectu, non minus XX. peditum, & ad duo equitum millia recensuerunt. Administratio totius belli erat penes Lacedæmonios. Qui totis viribus ad disceptandum de summa rerum, Agide summum obtinente imperium exibant. Antipater de concursu Græcorum certior factus, bellum in Thracia, qua potuit transactione composuit, & cum vniuersis copijs in Græciam mouit, acceptisque à confœderatis Græcorum auxilijs, non minus XL. millia coegit. Commisso igitur prælio, Agis rex strenuè pugnans cadit, & Lacedæmonij cum ad longum tempus in prælio fortiter perseuerassent, tandem socijs cedere coactis, etiam ipsi Spartam versus regressum instituunt. Occubuerunt in hac pugna de Lacedæmonijs, socijsque non minus V.M. & CCC. De Antipatri militibus III.M.IↃ. Circa Agidis verò interitum singulare quippiam euenit. Cum præclarè dimicans multa in aduerso corpore vulnera accepisset, à militibus in patriam referendus portabatur. Sed ab hoste circumuentus, vbi nullam incolumitatis spem videt reliquam, suos quam citissimè abire, seque necessarijs patriæ vsibus reseruare iubet, ipse armis suis instructus genuque subnixus hostes arcet, & cæsis aliquot, tandem confossus mortem oppetit cum regno præfuisset annos IX. Idemque infrà: *In Europa verò, Lacedæmonios magno prælio victos, clades ea legatos ad Antipatrum mittere perpulit. Hic responsum ad Græciæ totius conuentum reiecit. Qui sonaeu Corinthi habito, cum multa in vtramque partem disputasset, rem Alexandri iudicio submittendam esse decreuerunt. Antipater ergo L. Spartanorum nobilissimos obsides accepit: Et Lacedæmonij missis in Asiam legatis veniam delictorum expetiuere.* Omitto Græca quia longuscula. Iustinus etiam, sed breuiter, *Dum hæc,* inquit, *aguntur, epistolæ Antipatri à Macedonia redduntur, quibus bellum Agidis regis Spartanorum in Græcia, Alexandri regis Epiri in Italia, bellum Zopyrionis præfecti eius in Scythia continebatur. Quibus variè affectus, plus tamen lætitiæ cognitis mortibus duorum æmulorum regum, quam doloris amissi cum Zopyrione exercitus suscepit. Namque post profectionem Alexandri, Græcia fermè omnis in occasionem recuperandæ libertatis, ad arma concurrerat, autoritatem Lacedæmoniorum secuta, qui Philippi, Alexandrique pacem soli spreuerant, & leges respuerant. Dux huius belli Agis rex Lacedæmoniorum fuerat, quem motum Antipater contractis militibus, in ipso ortu oppressit. magna tamen vtrinque cædes fuit. Agis rex cum suos terga dantes videret, dimissis satellitibus, vt Alexandro, si non felicitate par, virtute non inferior videretur, tantas strages hostium edidit, vt agmina interdum fugaret. Ad extremum etsi à multitudine victus, gloria tamen omnes vicit.*

Sicul. p. 546.

Iust. l. 12. circa princ.

De Agide cum Antipatro præliante breuiter etiam hæc Orosius: *Tunc etiam bellum Agidis Spartanorum regis in Græcia, Alexandri regis Epiri in Lucania, Zopyrionis præfecti in Scythia gerebatur: quorum Agis Lacedæmonius, excitata & rebellante secum vniuersa Græcia, cum Antipatri fortissimis copijs congressus, inter magnas vtrorumque strages & ipse procubuit.* Quæ vterque de Alexandro Epirota & Zopyrione subijcit, nos infrà suo loco trademus. Laudatur etiam Pausanias in Laconicis, sed nihil admodum hic de illo bello. Anagraphe Olympiadum post vltimum prælium Darij annotauit, contra quàm Curtius memorat, qui hoc bellum Lacedæmonicum antè gestum docet, quam Alexander cum Dario ad Gaugamela seu Arbela prælio concurreret. Nam Olymp. centesima duodecima, anno secundo ita habet anagraphe. Ἡ πρὸς Ἄρβηλα μάχη καὶ Δαρείου ἧττα: *Pugna ad Arbela qua victus est Darius.* Et anno sequenti qui tertius Olympiadis centesimæ duodecimæ Aristophonte Archonte. Ἆγις ὁ Λακεδαιμονίων βασιλεὺς παραταξάμενος πρὸς Ἀντίπατρον ἀνῃρέθη. *Agis Lacedæmoniorum rex cum Antipatro, prælio commisso, interfectus est.* Pausanias non nisi tria aut quatuor verba de hac pugna habet in Laconicis. *Huius Archidami natu maior filius Agis contra Macedoniæ regem Antipatrum pugnans occubuit.* Regem Pausanias Antipatrum καταχρηστικῶς appellat, vel per prochronismum.

Oros. l. 3. c. 18. v. 4.

lib. 10. c. 4.

Hoc PVGNAE DISCRIMEN IMMISIT) Sententia imperfecta, desideratis quæ præcedunt. Nec pauca videntur deesse, nihil enim hic de loco pugnæ, nihil de ordinata vtrinque acie, ducibus belli, numero copiarũ, initio pugnæ traditur. Ex Plutarcho pugnæ locum deprehendo ad prælium Macedonibus iniquum, ex quo non sine cæde suorum Antipater in planum euasit, vbi mox plenam victoriam adeptus est. Itaque illa verba, *Hoc pugnæ discrimen immisit,* refero ad Antipatrum, qui quamuis sub initium pugnæ videretur superior fuisse, tamen ad angustias locorum redactus, videtur laborasse, adeoque circumuentus periclitari cœpisse, donec fuga simulata, in æquum campum descenderet, vbi redintegrato prælio Lacedæmonios cecidit. *Se ergo* Antipater, quamuis antea propè victor, hærens tamen iniquo in loco, *in periculum hoc immisit,*

que millibus trecentis plerique conueniant, & Siculus suffragetur, non admodum mendosam eam scri-
puram existimo. Macedonum nec mille, multo minus tria millia, minimè omnium tres,
sed trecentos censeo rescribi oportere, cum dicat Curtius, *Macedonum non amplius:* si mille, aut mil-
lia tria cecidissent, non dixisset *haud amplius:* cum amplus numerus fuisset seu mille, seu tria millia,
& cruenta victoria. si tamen eum numero Lacedæmoniorũ comparentur, tolerabilis scriptura vi-
deri potest. *haud amplius mille.*

HAEC VICTORIA) composuit totam Græciam, ad libertatem antea suspirantem, vti dein-
ceps nemo se auderet commouere, quoad Alexander fato defunctus est.

NEC FALLEBAT ANTIPATRVM) Locus hic lacunosus & hiulcus est. Quomodo enim vul-
tus ab animis gratulantium dissentiebant? & quorum? cum de nulla legatione vel populorum, vel
ciuitatum Græciæ prius mentio facta sit. Desiderantur ergo vel hæc, vel his potius similia verba:
Reliqui Græciæ populi & ciuitates (præter Spartanos & fœderatos) euentum belli expectabant, mis-
sis legatis, Antipatro victoriam, quamuis illum vinci maluissent, gratulati sunt. Nec fallebat Antipa-
trum &c. Norat enim quod vulgò dicitur, *sæpè dissident ab animis vultus gratulantium.*

OPVS ERAT DECIPI) dissimulare: dissident à verbis, gratulantium mentes.

NE TACITVS QVIDEM INDIGNABATVR) Verba ambigua, si non verè interpungas. Quasi
diceret, Alexandrum non indignatum fuisse, quod vicisset Antipater, nec vllum etiam signum in-
dignationis prodidisse. Alienus hic à mente Curtij & Alexandri sensus. Ergo ita distingue & expo-
ne: Alexander hostes vinci voluerat, Antipatrum vicisse, ne tacitus quidem, indignabatur, hoc est,
nec dissimulare quidem potuit inuidiam, sed palam etiam in voces erupit, quod ex eo apparuit, cũ
non sine scommate per contemtum, vt est in Plutarchi Agesilao, μυομαχίαν appellauit, vt supra
annotauimus.

SPIRITVS) animos, superbiam, & φιλοδοξίαν gloriæ studium.

CONCILIVM GRAECORVM) Corinthum indixit conuentum Græcorum Antipater, vt suprà
è Siculo cognouisti.

PRAETER AVCTORES) Nomina horum non extant, non dubito quin ex quinquaginta nobi-
bilissimis, quos inter obsides Antipater acceperat, aliqui fuerint reperti, nec enim omnes cum Agi-
de occisi sunt, pro mortuis nemo veniam petit, qui culpam morte luerunt.

MEGALOPOLITANIS) Tota hæc periodus confusa, mendosa, impedita & inexplicata, in qua
miror nihil acres Acidalij nares olfecisse. Multa Modius est conatus, sed non eluctatus. Nam ex il-
lius editione dubites, an Achæi & Aelæi Megalopolitanis, an Megalopolitani Achæis & Aelæis iul-
si sint pendere centum XX. talenta. Constantiensis & Argentinensis vetus codex adhuc absurdiores
sunt, & monstra verborum repræsentant. Sequor Glareani libros, & clarissimam & certissimam
scripturam, quæ ita habet: *Megalopolytani, quorum vrbs obsessa erat, ad defectionis mulctam Achæi &*
Aetolis centum viginti talenta dare iussi sunt. Nunc & sensum verborum accipe. Megalopolitani ab
Achæis, Aetolis, & Macedonibus defecerant, hoc est, postquam defecerant, & cum Agide senserant, Achæi & Aetoli illorum vr-
bem à defectione, hoc est, postquam defecerant, & cum Agide senserant, obsederunt. Confecto bello, & victis cum Agide
Lacedæmonijs, pacem ab Antipatro petierunt: quibus in pœnam & mulctam à communi Græcorũ
siue concilio, Corinthi imperatum est, vt Achæis & Aetolis qui in obsidione vrbis Megalopoleos
impensas fecerant, vicissim ad damnum resarciendum centum viginti talenta penderentur, septua-
ginta nempe millia Philippæorum. Interim verba, *ad defectionis mulctam,* puto glossema fuisse, in
contextum à librarijs præter mentem Curtij insertum.

Principio lib. 7 nam ita ille Curtium, vt ante monui, di-uidit.

PAVSFINITVM, QVAM DARIVM ALEXANDER APVD ARBELA SVPERARET) Ana-
graphe Olympiadum, vt supra demonstraui, anno post pugnam ad Gaugamela factam, docet præ-
lium ab Antipatro cum Agide commissum. Olympiadibus suffragatur etiam Diodorus, vt suprà
cognouisti. Ex Plutarcho tamen eodem ferè tempore vtrumque accidisse intelligas, sed
anagraphen certiorem credas. Curtius sibi constat, cùm in exordio li-
bri 5. hoc ipsum moneat, iam tum in Græcia
noui semina belli sparsa
fuisse.

CA-

CAPVT II.

ARGVMENTVM

Alexander victor gentium, à suis ipse vitijs, ebrietate, superbia, libidine vincitur. regiæ tamen stirpis captiuis parcit. Fratrem Darij inter amicos rescribit, Oxidatem Mediæ præficit.



Ed vt primùm instantibus curis laxatus est animus, militarium rerum quàm quietis otijque patientior, excepere eum voluptates: & quem arma Persarum non fregerant, vitia vicerunt. Intempestiua conuiuia & perpotandi peruigilandique insana dulcedo, ludique & greges pellicum, omnia in externum lapsa morem: quem æmulatus quasi potiorem suo, ita popularium animos oculosque pariter offendit, vt à plerisque amicorum pro hoste haberetur. Tenaces quippe disciplinæ suæ, solitosque parco ac parabili victu ad implenda naturæ desideria defungi, in peregrina & victarum gentium mala impulerat. Hinc sæpius comparatæ in caput eius insidiæ, secessio militum, & liberior inter mutuas querelas dolor. Ipsum deinde nunc ira, nunc suspiciones, quas excitabat inconsultus pauor, cæteraque his similia, quæ deinde dicentur. Igitur cum intempestiuis conuiuijs dies pariter noctesque consumeret, satietatem epularum ludis interpolabat, non contentus artificum, quos è Græcia exciuerat turba, quippe captiuæ iubebantur suo ritu canere inconditum & abhorrens peregrinis auribus carmen. Inter quas vnam rex ipse conspexit mæstiorem quam cæteras, & producentibus eam verecundè reluctantem. Excellens erat forma, & formam pudor honestabat. deiectis in terram oculis, & quantum licebat ore velato, suspicionem præbuit regi nobiliorem esse, quàm vt inter conuiuales ludos deberet ostendi. Ergo interrogata quænam esset, neptem se Ochi, qui nuper regnasset in Persis, filio eius genitam esse respondit; vxorem Histaspis fuisse. Propinquus hic Darij fuerat, magni & ipse exercitus prætor. Adhuc in animo regis tenues reliquiæ pristini moris hærebant. Itaque fortunam regia stirpe genitæ, & tam celebre nomen reueritus, non dimitti modo captiuam, sed etiam restitui ei suas opes iussit: virum quoque requiri, vt reperto coniugem redderet. Postero autem die præcepit Hephæstioni, vt omnes captiuos in regiam iuberet adduci, vbi singulorum nobilitate spectatâ, secreuit à vulgo, quorum eminebat genus: Mille hi fuerunt, inter quos repertus est Oxatres Darij frater, non illius fortuna, quam indole animi sui clarior. Oxidates etiam nobilis Perses, à Dario capitali supplicio destinatus, cohibebatur in vinculis. Huic liberato Satrapæam Mediæ attribuit, fratremque Darij recepit in cohortem amicorum, omni vetustæ claritatis honore seruata. XXVI. millia talentûm proximâ præda redacta erant, è queis XII. millia in congiarium militum absumta sunt. Par huic pecuniæ summa custodum fraude subtracta est.

MILITARIVM RERVM QVAM QVIETIS OTIIQVE PATIENTIOR) *Nescis quieto miles vtier otio.*

Lib. 8. c. 17. *Otium reges simul & beatas vrbes perdidit.* Ita de ipso etiam Alexandro Curtius infrà: *Sed ne otium serendis rumoribus natum alet, in Indiam mouit, semper bello, quam post victoriam clarior.*

EXCEPERE VOLVPTATES) *Franget voluptas, arma quem non vicerant:* inquit Comicus. antiquum generis humani malum, in Samsone, Dauide, Salomone magnis regibus vim suam iam pridem ostendit, vt profanos taceam principes, de quibus minus mireris: Quid Semiramidem fregit, Sardanapalum subegit, quid plerosque Imperatorum Romanorum perdidit?

IN-

INTEMPESTIVA CONVIVIA.) Vt virtus etiam hostes conciliat, ita vitium ex amicis hostes efficit. Quæ sequuntur in hoc capite pleraque facilem habent intellectum, quæ nihil moror, obscurioribus aut rarioribus immorari iuuat. Nam quis nesciat, intempestiua conuiuia appellari quæ extra iustum prandij & cœnæ tempus instituuntur, aut totos dies noctesque continuantur, aut cum præmia potantibus proponuntur? Qualia porrò facinora rex in conuiuijs designarit, infrà in Clito, Callisthene, & alijs apparebit. De insidijs hoc ipso libro cap. 14. vsque ad finem libri, & principium septimi, rursumque octauo patebit in Dymno, Philota, Parmenione, Hermolao. nec secessiones militum innotæ lib. 9. c. 9. lib. 10. c. 6.

PARCO AC PARABILI VICTV.) quemadmodum copiosè libro 3. c. 5. Curtius, per Charidemum Atheniensem exposuit, quem Darius propter linguæ *παῤῥησίαν* occidi iussit.

QVOS E GRAECIA EXCIVERAT.) Citharœdos & Citharistrias, pugiles, symphoniacos, saltatores fidicines, gladiatores, comœdos, ludiones, moriones, athletas, parasitos, gelatopæos, ridiculos, & hoc genus phasmata, qui conuiuijs delicias faciunt.

CAPTIVAE IVBEBANTVR HORRIDVM CANERE CARMEN.) De conuiuijs regijs, & ludi conuiualibus lib. 5 c 5. prolixè dictum.

MOESTIOREM.) Nihil magis commendat fœminas, præsertim regias, quàm verecundia. Verè Comicus dixit: *Pudica vita dos matronæ gemmea est.*

OCHI NEPTEM.) Suprà cum Damascus esset occupata, vxor Ochi cum tribus virginibus capta, hic etiam neptis: Ochus autem rex Persarum, qui antè Darium regnarat.

HISTASPIS.) Nobilissimus prætor & satrapa, non ille antiquus Histaspis, cuius filius Darius apud Persas imperitauit, de quo suprà. Huius autem nulla alibi mentio.

VIRVM QVOQVE REQVIRI.) Quod Alexandri exemplum Scipio Africanus est imitatus, vt suprà lib. 3. expo[s]uimus.

ADHVC IN ANIMO REGIS TENVES RELIQVIAE PRISTINI MORIS HAEREBANT.) Nemo repentè fit malus.


OXATRES DARII FRATER.) Huius elogium & hic habes, & lib. 3. c. 21. Capta iam pridem erat huius quoque filia Damasci à Parmenione, cuius patrem Alexander in cohortem amicorum & custodes corporis recepit, quod speraret tam fidum sibi, quam fratri fore, quod & fuit Bactrianis prætor datus, & postea accusatus, sed non absolutus tantum, sed etiam iure amplioris imperij finibus donatus. Qui Bessum postea captum in crucem egit. lib. 9. c. 15.

OXIOATES.) Cui Mediæ prouincia commissa: de qua tamen postea iussus decedere, fortasse quod superbè & auarè imperitaret. Curtius videtur hoc infrà docere, *Ille maxima*, inquit, *præsentium curarum parte liberatus, conuertit animum ad vindicandas iniurias eorum, quibus à prætoribus suis auarè ac superbe imperabatur.* vbi Phradates, Arsames, Oxidates, suis satrapijs priuati sunt: Phradates etiam vinctus est. Quid autem commiserit, quod à Dario in neruum datus sit, non constat, fortasse suspectæ fidei fuit. Eadem cum Curtio narrat de Oxydate Arrianus. lib. 8 c. 8.

CAPVT III.

ARGVMENTVM.

Rex Parthienen, quam postea Scythæ occuparunt, ingressus, tumultuantem militem oratione sedat; & patriam spectantem, ad noua bella parat.



Hinc in Parthienen peruentum est, tunc ignobilem gentem, nunc caput omnium, qui post Euphratem & Tigrim amnes siti rubro mari terminantur. Scythæ regionem campestrem ac fertilem occupauerunt, graues adhuc accolæ. sedes habent & in Europa, & in Asia. Qui super Bosphorum colunt, adscribuntur Asiæ: at qui in Europa sunt, à læuo Thraciæ latere ad Borysthenen, atque inde ad Tanaim alium amnem recta plaga pertinent. Tanais Europam & Asiam medius interfluit: nec dubitatur quin Scythæ qui Parthos condidere, non à Bosporo, sed ex Europæ regione penetrauerint. Vrbs erat ea tempestate clara Hecatompylos, condita à Græcis. Ibi statiua rex habuit commeatibus vndique aduectis. Itaque rumor otiosi militis vitium sine auctore percrebuit, regem contentum rebus quas gessisset, in Macedoniam protinus redire statuisse. Discurrunt lymphatis

 similes

similes in tabernacula, & itineri sarcinas aptant: signum datum, crederes, vt vasa colligerent. Totis castris tumultus hinc contubernales suos requirentium, hinc onerantium plaustra, perfertur ad regem. Fecerant fidem rumori temere vulgato Graeci milites redire iussi domos: quorum equitibus singulis denariorum sena millia dono dederat. Ipsis quoque finem militiae adesse credebant. Haud secus quam par erat, territus Alexander, qui Indos atque vltima Orientis peragrare statuisset, praefectos copiarum in praetorium contrahit, obortisque lacrymis, ex medio gloriae spacio reuocari se, victi magis quam victoris fortunam in patriam relaturum conquestus est: nec sibi ignauiam militis obstare, sed deûm inuidiam, qui fortissimis viris subitum patriae desiderium admouissent, paullò post in eandem cum maiore laude famaque redituris. Tum verò pro se quisque operam suam offerre, difficillima quaeque poscere polliceri militum quoque obsequium, si animos eorum leni & apta oratione permulcere voluisset. Nunquam infractos & abiectos recessisse, quoties ipsius alacritatem & tanti animi spiritus haurire potuissent. ita se facturum esse respondet, illi modò aures praeparent sibi, satisque omnibus quae in rem videbantur compositis, vocari ad concionem exercitum iussit, apud quem talem orationem habuit.

PARTHIENEN.) De hac regione pauca suprà è Stephano attigimus: hic proprius eius locus est. Et sanè Curtius nobilissimus scriptor est ac varius, nec enim verum est, quod Lipsius censuit, Curtium nil nisi bella tractare. Est enim omni liberali doctrina imbutus; & nunc in caelum enititur, ac solis & lunae labores explicat, nunc siderum & virgiliarum rationem docet, nunc in physica, & naturalem philosophiam excurrit; rursus in terras descendit, & regiones, prouincias, regna, describit, nunc in politicam quoque rem ac de republ. disputat, mox in orationibus se Lysiam ostendit, vt propè nullum artium liberalium genus sit, quod non attingat. Hic Parthiae chorographiam nobis proponit, quam enim Curtius Parthienen vocat, plerique alij Parthiam dicunt, nec enim est diuersa. Ptolemaeus lib. 6. in Parthiae descriptione: *Vocatur autem pars Parthiae, quae iuxta Hyrcaniam est, Comisena, & quae sub hac est, Parthiena.* Parthiena ergo in Comisena, & Comisena pars Parthiae. Non igitur idem prorsus Parthiena & Parthia, cum Parthiena sit pars partis Parthiae.

TVNC IGNOBILEM GENTEM, NVNC CAPVT OMNIVM.) Parthos seu Parthiceos, seu Parthienos (omnes enim eosdem Stephanus facit) Alexandri aeuo docet gentem paruam, ac propè ignotam fuisse, Caesarum temporibus Arsace auctore in maximam excreuisse. Strabo idem docet.

Strabo lib. 11. p. 354. & seq. *Parthia ampla non est, vt quae à Persis, atque etiam Macedonibus verum potitis cum Hyrcania fuerit censa. Praeterquam quod praeterea, densa siluis est, montosa & inops: itaque reges suam cateruâ cursitantes praeteruehi iubebant, quod ne ad paruum quidem tempus alendo sufficeret. Nunc tamen aucta est. Partes eius sunt Camisena & Chorena: ferè etiam quicquid est vsque ad portas Caspias, & Aragos ac Tapyros, quae olim Mediae fuerunt. Est & Apamea & Heraclea, vrbes apud Ragas. A Caspijs portis ad Ragas stadia sunt ꟾↃ. auctore Apollodoro: ad Hecatompylon Parthorum regiam CIↃ. CCLX.* Subijcit rursum Strabo:

Caeterum rebus extra Taurum nouatis, quod Syriae & Mediae reges dissiderent, quibus istae regiones parebant: primum Euthydemus Bactrianam & omnem illi vicinam regionem, ad defectionem pertraxit. Deinde Arsaces Scytha, Dais quibusdam imperans cognomento Parnis Nomadibus, qui ad Ochum accolebant, Parthiam inuasit & occupauit. Atque ab initio quidem infirmus fuit, bellum continenter sustinens aduersus eos quibus Parthiam ademerat: cùm ipse, tum successores eius: postea ita viribus aucti sunt, rem bello praeclarè gerentes, & subinde vicina sibi adijcientes, vt ad extremum quicquid est intra Euphratem ditioni in suam potestatem redegerint. Scythis quoque, & antè Eucratidi, vim fecerunt, ac partem Bactrianae ademerunt. Et hodie tantum possident terrae, totque gentium dominantur, vt ob imperij magnitudinem Romanorum potentiae quodammodo sint pares. In causa est vitae ratio & mores, in quibus multum est Barbaricum & Scythicum, plus tamen ad imperium conducens, & rem bello rectè gerendam.

Habes ergo quomodo Parthia ex parua & ignobili, maxima sit effecta.

Arrianus Alexandrum in Parthos ante necem Darij mouisse disertè tradit, ac post mortem in Hyrcaniam. Idem Siculus affirmat.

SCYTHAE REGIONEM CAMPESTREM OCCVPAVERVNT.) Scythae enim Parthorum & Bactrianorum gentem & regnum condiderunt, vti Iustinus in secundo tradit: *Quippe cùm ipsi,* inquit, *Parthos Bactrianosque, foeminae autem eorum Amazonum regna condiderint.* Et mox infrà: *Mox Parthicum & Bactrianum imperium ipsi condiderunt.* Idem Strabo, Stephanus, Eustathius ad Dionysium Periegetem: Τοὺς δὲ Πάρθους καὶ Παρθυαίους καλοῦσι λέγει καὶ φῦλον εἶναι Σκυθικὸν μετοικῆσαν εἰς Μηδίαν ἐκ φυγῆς, διὸ καὶ οὕτω κληθῆναι. Πάρθους γὰρ Σκύθαι τοὺς φυγάδας φασίν. *Parthos autem seu Parthyaeos nonnulli Scythicam dicunt esse gentem, quae migrarit ad Medos, indeque nomen accepisse. Scythae enim, exules Parthos vocitant.*

GRAVES ADHVC ACCOLAE.) Romanis prouincijs vicini Parthi Crassum victum occiderunt. Parthi etiam aeuo Neronis & sequentibus annis, Romanis infesti, horribiles arcubus & telis. Dionysius:

Ἀλλ' ἤτοι πυλέων μὲν ὑπαὶ πόδα Κασπιάδων.
Πάρθοι ναιετάουσιν ἀρήϊοι ἀγκυλότοξοι,
Παντοίης πολέμοιο δαήμονες. οὐ γὰρ ἀρότρῳ
Αὔλακ' ἐπιθύνουσι, διασχίζοντες ἀρούρας,
Οὐδὲ μὲν ἐν νήεσσιν ἅλα τμήγουσιν ἐρετμοῖς,
Οὐδὲ νομῷ φέρβουσι βοῶν γένος· ἐκ δὲ γενέθλης
Νηπίαχοι τόξοισι καὶ ἱπποσύνῃσι μέλονται.
Αἰεὶ δ' ἠχήεσσαι ἀνὰ χθόνα δοῦπος ἀκόντων,
Ἢ βελέων· πάντῃ δὲ τ' ἀελλοπόδων δρόμος ἵππων
Θυνόντων. οὐ γάρ σφι θέμις δόρποιο πάσασθαι,
Πρὶν πολέμου μόχθοισι κάρην ἱδρῶτι παλῦναι·
Φέρβονται δ' ἄγρῃσι δορυκτήτου βιότοιο
Ἀλλ' ἔμπης κατὰ δῆριν ἀμαιμακέτους περ ἐόντας
Αὐσονίου βασιλῆος ἐπεπρήϋνεν ἀκωκή.

pag. 129. & seq.

At verò portarum quidem sub pede (ora) Caspiarum
Parthi degunt Martij, curuis arcubus vtentes,
Omnigeni belli periti. nec enim aratro
Sulcum dirigunt, findentes arua,
Neque in nauibus mare secant remis,
Nec item pabulo pascunt boum genus: sed à natiuitate
Pueri arcubus & equitationibus dediti sunt.
Semper autem strepera per terram stridor iaculorum
Aut telorum; passim etiam alipedum cursus equorum
Ruentium non enim ipsis fas est cibum sumere,
Quin prius ex belli laboribus caput sudore perfuderint:
Viuunt autem prædis hasta parti alimenti.
Veruntamen prælio indomiti (insuperabiles) quamuis essent,
Ausonij regis mansuefecit cuspis (hasta)

Neronis æuo, dum Imperator luderet in theatris, interim Parthus infestabat limites Romános.

Dum tendit citharam noster, dum cornua Parthus
Noster erat Pæan, ille ἑκηβελέτης.

Legiones Romanæ ab ijsdem Parthis in Armenia sub iugum missæ, ægrè Syria retenta, Seuerus etiam coactus est Parthicam expeditionem suscipere, & Ctesiphonte occupata, regeq; fugato Parthici nomen adeptus est. Dictus etiam Verus imperator. Scripsit de bellis Parthicis Quadratus. Non suadet ergo Acidalius, cum pro *graues*, scripsit *gnaui*. *Non satis*, inquit, *fido istis verbis*, graues adhuc accolæ. *Suspicor leuiter*, gnaui adhuc agricolæ. *vt commendet eos à peritia agricultura, qua excellant suo etiam tempore.* Certè studium & vita illis in illa maximè, qui propterea campestrem fertilemque, vt hic ait, regionem occuparint, & vt lib. 7. inter bona sua, præcipuè iugum boum numerent & aratrum.

Sueton. Nero. c. 39. Spartianus in Seuero. Capitolinus in Vero.

SCYTHAE SEDES HABENT IN EVROPA ET ASIA.) Omnes Geographi Scythas alios faciunt Asiaticos, alios Europæos. Siculus lib. 2. Strabo, Ptolemæus, Plinius, Herodotus in Melpomene, Solinus c. 20. Mela c. 2. & 3. Iornandes de origine Getarum, alij. *Ex Herodoto*, inquit Glareanus, *Curtius hoc habet, qui quas Ptolemaus duas Sarmatias facit ad Tanaim, alteram in Europa, alteram in Asia: Ipse duas Scythias nominat in Melpomene. De reliquis, quas duas ad Imaum montem Ptolemaus scribit, nulla est, quod equidem sciam, apud veteres mentio. Quamuis Imai montis mentionem faciat Strabo. At de nationibus inter Tanaim & Iaxarten, nihil admodum sciebant veteres: vnde multi eundem crediderunt fluuium, Tanaim ac Iaxartem, multis millibus stadiorum distantes. In qua opinione & hic author videri potest libro sequente: & Plinius libro sexto, cap. 16. ad finem ait, Alexandrum atque ipsius milites Iaxartem vocasse Tanaim. Magis mirandum, quod hic author non ita multò post in hoc libro, quosdam opinantes inducit, qui in mare Caspium, siue Hyrcanum, Mæotida paludem cadere sint opinati. Quod Strabo etiam libro vndecimo, hisce verbis testatur:* εἰς ἓν οὖν συνάγων τήν τε Μαιῶτιν λίμνην καὶ ταύτην καλοῦντες, καὶ συνάπτεσθαι φάσκοντες πρὸς ἀλλήλας ἀμφοτέρας, ἑκατέραν δὲ εἶναι μέρος τῆς ἑτέρας. *Multa alia addidit lectu dignissima. Vnde quod hic author prodit, Parthos à Scythis in Europa, hoc est, à Sarmatis ortos, non est mirum. Ipsum Caspium mare, pleique veterum Oceani partem esse crediderunt. In qua & Strabo ipse opinione fuisse videtur, libro vndecimo ab initio ferè.* Hæc Glareanus ex bonis scriptoribus verè monuit, & docuit.

QVI SVPER BOSPHORVM COLVNT.) Emendatiùs scriberes *Bosporus* iter nempè bouis. Bosphorus dicitur, quod fretum illud bouem tulerit, à φέρω, alterum à πόρος transitus, traiectus.

Bosporus Thracius est fretum intercedens inter Chalcedonem & Byzantium, seu Constantinopolim, ita vt Chalcedo sit in Asia, Bizantium in Europa. Longus est stadia centum sexaginta, hoc est, milliaria Germanica tria cum besse, latus stadia quatuor, seu octauam partem milliaris Germanici, seu quingentos passus. Appellatur Thracius, quod ex Thracia per illum transeatur in Asiam, cuius

ius Thraciæ metropolis est Byzantiū. Obserua alias esse angustias seu fretum, seu Bosporum Thracium, alium Cimmerium. Per Thracium traiecit copias Darius rex Persarum Xerxis pater in Thraciam; per Hellespontum Xerxes. Per Cimmerium, Mæotis Palus transit in mare Euxinum. Bosphorus est limes Asiæ & Europæ. Finis ponti Euxini, qua se in Aegeum mare tanquam flumen exonerat, vocatur Hellespontus, medium Propontis, principium Bosporus, vnde tam multa traxit nomina, Græcè αὐλῶνα, Mela canalem, alij Euripum Thracium, Herodotus os ponti appellat, quasi diceres fauces ponti, Turci Bagazim, Liuius fauces, Græci etiam στενά. De Bosphoro Thracio lustum & eruditum volumen composuit Petrus Gyllius, vbi plurima & lectu dignissima de Bosphoro hoc cognosces. Hypotyposin huius loci spectabis apud Mercatorem. Clarius tamen hanc ex Parergis Ortelij tabula 27. quæ inscribitur *Pontus Euxinus*, & Thracia 28. cognosces.

* Mela l. 2. c. 1. — AD BORISTHENEM.) * *Boristhenes Scythia amnis nobilissimus & amœnissimus, turbidis alijs, liquidissimus defluit, placidior quam cæteri, potariq; pulcherrimus: alit lætissima pabula, magnosq; pisces, quibus & optimus sapor, & nulla ossa sunt. Longè venit, ignotoq; ortus è fontibus, quadraginta dierum iter alueo stringit, tantoq; spacio nauigabilis secundum Boristhenida & Olbiada Græca oppida egreditur.* De eodem Solinus, sed de piscibus tantum illius agit. Eustathius ex Herodoti quarto, & alijs, hæc de Boristhene tradit: Ὁ δὲ Βορυσθένης μέγιστ☉, &c. (Sol. c. 20.) *Borysthenes maximus & vberrimus vndis è Scythicis fluuijs, è nivibus & gustu dulcissimus, liquidusque iuxta turbidos fluit, ad cuius os sal sua sponte concrescit, alit & immania cete, sine spinis quæ salsamentis seruiunt, quæ antacæos vocant. Amnis autem Panticapes ab Aquilone fluit, & demum sub finem cum Boristhene miscetur. Inter hæc duo flumina colunt Scythæ, quos agricolas appellarunt. A Danubio autem ad Boristhenem decem dierum iter est, totidemq; à Boristhene ad Mæotidem paludem.*

AD TANAIM.) Dionysius Periegetes siue Alexandrinus: ——— ἐς διὰ μὲ σ☉ης

Συρόμεν☉ Τάναις Μαιώτιδ☉ ἐς μυχὰ πίπτει
Ὃς ῥα καὶ Εὐρώπην ἀποτέμνεται Ἀσίδ☉ αἴης
Ἐς δύσιν Εὐρώπην, ἐς δ' αὐγὰς Ἀσίδα γαῖαν
Τὸν δ' ἤτοι πηγαὶ μὲν ἐν οὔρεσι Καυκασίοισι
Τηλόθι μορμύρουσιν, ὅθι πλατὺς ἔδρα καὶ ἔνθα
Ἐσσύμεν☉ Σκυθικοῖσιν ἐπιβρέχεται πεδίοισι.

Quæ vetustissimus Grammaticorum Rhemnius ita carmine versit:

Inter quas Tanais Mæotidos intima pulsat,
Europen fluuio dirimens Asiamq; reflexo,
Europen zephyris, Asiam sub partibus ortus,
Caucasijs exit, cuius fons montibus altis
Murmure cum vasto Scythica per plana refusus.

Atque in hac quidem sententia fuit Periegetes, Tanaim è Caucasijs montibus nasci, sed Strabo (quem Eusthatius plerunque Geographum κατ' ἀντονομασίαν, seu κατ' ἐξοχὴν appellat, cùm nonnulli censerent * Ptolemæum Geographum dici, cùm is potius Cosmographus sit) fontes Tanaidis ignotos esse his verbis affirmat.

* quod fi- cubi ego scripsi, emendetur. — Strabo p. 339. — *Tanais à partibus defertur septentrionalibus quidem: non tamen ita, vt è regione ad lineam contra Nilum fluat, quæ fuit quorundam opinio. Tanais, quàm Nilus, magis est Orientalis, itidem incognitos habens fontes. Sed Nili magna pars nota est, cum regio per quam labitur, tota sit accessu facilis, & longas ipse habeat subuectiones. Tanaidis verò ostia quidem nouimus (duo autem sunt, quibus in partes Mæotidis maximè septentrionales sese exonerat, stadijs 60. inter se distantia) quod autem supra ostia est, eius pars exigua est cognita. dum more: exteri sustinere non possunt. Alias etiam Nomades ista, à commercijs aliarum nationum alieni, multitudine ac viribus præpotentes, occluserunt itinera regionum: vbi ambulari poterat, & subuectiones si quas fluuius habuit. Hac de causa quidam censuerunt eum è Caucasijs montibus ortum magno alueo aduersus septentriones ferri, indeq; retro labentem in Maotin exire: has Theophanes quoque Mitylenaus adsentitur. Alij à superioribus Istri partibus ferri existimant. neque vllum adferunt signum tam longinqui & ex diuersis climatibus defluxus. quasi potuerit è vicina & à septentrione delabi.* Multa etiam auctio est eiusdem fluminis apud Herodotum. Sed mihi hoc velim obserues lector, à Macedonibus procul vero aberratum esse, cum ex eorum sententia infrà scripsit Curtius, Tanaim ad fines Bactrorum esse, cum innumeris parasangis inde absit. flumen autem quod Macedones existimarunt esse Tanaim, Iaxartes est. Solinum audi: *Vniuersi eius ductus duntaxat, ab illa terrarum parte Iaxartes fluuius secat fines: quem tamen Iaxarten soli vocant Bactri; nam alij Scytha Silem nominant. Hunc eundem esse Tanaim exercitus Alexandri Magni crediderunt: verùm Demodamas dux Seleuci & Antiochi, satis idoneus vero auctor, transuectus amnem istum, titulos omnium supergressus, alium esse, quàm Tanaim deprehendit.* (Solin. p. 93. ante m.)

Mela p. 2. — Mela de eodem: *Hoc mari (Euxino) & duobus inclitis amnibus, Tanai & Nilo, in tres partes vniuersum diuiditur. Tanais à septentrione ad meridiem vergens, in mediam ferè Mæotida defluit: & ex diuerso Nilus in pelagus. Quod terrarum iacet à freto ad ea flumina, ab altero latere Africam vocamus: ab altero Europen: ad Nilum, Africam: ad Tanaim, Europen. Vltra quicquid est, Asia est.* Plutarchus Oroxartem, alij

Oxartem

Oxiatem appellant amnem, Alexandro Tanaim. Sed ad Geographum reuertamur, qui in secundo contra Eratosthenem, de Tanai in hæc verba disputat: *Etenim*, inquit, *præterquam quod in tobus qua explicatus habent faciles, se morosum præbet, falsum est Tanaim ab ortu æstiuo fluere: quicunque enim locorum periti sunt, eum à Septentrione aiunt defluere in Mæotidem: ita vt ostia fluuij, & ostium Mæotidis, ac ipse quantum eius notum est fluuius in eodem sint meridiano. Quidam relatu indigna perhibuerunt, alij eum oriri à lotu Istro vicinis & ab occasu fluere, non animaduerso interea loci Tyram Borysthenem, & Hypanim magna flumina in Pontum defluere, alter iuxta Istrum, alter iuxta Tanaim æqualibus spacijs meantes. Et cum neque Tyræ fontes visi sint, neque Borysthenis, neque Hypanis, multo magis ignota erunt partes eorum septentrionales: adeò vt quæ per eos Tanaim ad Mæotidem deducit, ac deinde ad eam reuertitur (nam ostia perspicuè in septentrionalibus paludis partibus monstrantur, ijsq; maximè orientalibus) falsa est quædam & nihil concludens ratio. Non minus ineptum & hoc est, quod & ipsum dicitur à nonnullis, Tanaim per Caucasum labi versus septentrionem, inde ad Mæotidem reuerti. Ab ortu quidem nemo eum fluere dixit, hac enim ratione non aduersus Nilo iret, & quodammodo è regione ad lineam, quod de eo elegantiores autores affirmant, vt quasi in eodem meridiano vtriusque fluminis defluxus intelligeretur.*

Pag. 72.

Ioannes Goropius Becanus, vir omni genere literarum excultus, ostendit vnde natus sit hic error de Tanai Græcorum & Scytharum. *Ortus*, inquit, *est hic error ex eorum adulatione, qui credi voluerunt, Alexãdrum ad Tanaim vsque penetrasse, non minore à veritate interuallo, quàm illud est, quod inter vtrumque fluuium continetur. Hinc de Aris Alexandri ad fictitios Riphæos montes sitis; hinc de legatione ab Europa à Scythis missa, hinc de Amazonibus commenta prodierunt.*

In Indo Scythicis p. 499. v. 12. à f.

Hoc demùm nomine flumina alia quoque reperio; apud Sallustium in Iugurtha cap. 90. *Sic cæpto suo occultato pergit ad flumen * Tanaim.* Aliud ad Bactrianos fines in Oriente, Arrianus enim hunc Tanaim diuersum facit ab illo, quod in Mœotidem excurrit. Est & quartum, quod minorem Tanaim Geographi dicunt, quem maior Tanais excipit, vt est apud Mercatorem.

* Glareanus legit *Tanam*, sed Antuerpiana emendatior cum alijs Tanaim agnoscit.

Nec dvbitatvr, qvin Scythae qvi Parthos condidere.) Negat Curtius, & verè negat, Parthos à Scythis conditos, non qui per Bosporum Thracium in Asiam transierint, sed vel per Tanaim, vel portas Caspias, vel Euxinum pontum, vel Cimmerium Bosporum. Caussam addit, quod ij qui supra Bosporum sedes habuere, sint Asiatici, & valdè remoti à Parthis: alij verò, qui ex Europa in Asiam transiere, propinquiores.

Vrbs erat Hecatompylos a Graecis condita.) Vox ipsa Græca est, & è Græcia profectos conditores ostendit. vrbem significat, quæ centum habeat portas. Sed Polybius aliam etymi caussam adfert, dictamque ait Hecatompylon, quod ibi ex omni regione diuerticula tanquam ad cardinem coeant: Ὁ δὲ βασιλεὺς, inquit, διανύσας τὴν ἔρημον ἧκε πρὸς τὴν ἑκατόμπυλον προσαγορευομένην. ἣ κεῖται μὲν ἐν μέσῃ τῇ Παρθυηνῇ· τῶν δὲ διόδων φερουσῶν ἐπὶ πάντας τοὺς πέριξ τόπους ἐνταῦθα συμπιπτουσῶν ἀπὸ τοῦ συμβαίνοντος ὁ τόπος εἴληφε τὴν προσηγορίαν, *Rex solitudinem emensus ad opidum venit Hecatompylon dictum. In media Parthia hæc vrbs sita est: cùm autem diuerticula viarum ad omnes circa regiones ibidem coeant, ex euentu ipso centum portarum nomen locus inuenit.* Strabo à Caspijs portis ad Hecatompylon regiam Parthorum (ita appellat) mille ducenta sexaginta auctore Apollodoro stadia numerat, hoc est, duodecim stadia supra triginta nouem milliaria Germanica. Diodorus quidem Hyrcaniæ assignat, sed Parthiam quoque Hyrcaniæ nomine complectitur. A quibus autem Græcis condita sit nondum legi. Vrbis Stephanus quoque mentionem habet, sed simplicem, vt & Ptolemæus.

Lib. 10.

Lib. 17.

Ibi stativa rex habvit.) Cùm de Bessi longinqua fuga cognouisset, & in præsens cum exercitu reprehendi posse desperaret, Hecatompyli aliquamdiu ad colligendum & recreandum militem quieuit. qui otiosus statim didito rumore, regem cogitare patriam, cœpit concursare. Caussa sparsæ famæ erat, quod Græcum militem, mercenariũ opinor & per ætatem inualidum, legibusque militiæ solutum, domum remiserit. Hoc interpretati alij de totis castris, tumultuari cœperunt, vasaque certatim colligere.

Itaqve rvmor otiosi militis vitivm.) Non *viritim* vt vulgò, Constantiensis codex *vitium*, quam scripturam suprà quam dici potest, commendat Acidalius: *Offendi*, inquit, iam olim vehementer ad vocem *viritim*, cuius insolens hic vsus, nec qui ferri posset, vt ego sentiebam. Itaque variè mutabam, nec ineptè quidquam: omnia tamen frustrà quando alia tandem scripta lectio reperta in Modij Sigebergensi bono sanè libro. Is pro ea *vitium* habet: sanè benè. Nec enim ferri modò potest, quod Modius ait, sed ferri vnà, & præferri omnibus debet ipsissima Curtii scriptura. *Rumor otiosi militis vitium*, verè. Sic libro 8. idem, *Otium serendis rumoribus natum*, ait Et huc trahas illud è Taciti Annal. 14. ambiguæ adhuc lectionis: *Hæc more fama, credentium otio augebantur*, quod eo modo noster hic ipse Modius in Nouantiquis censuit emendandum, cum vulgò scribatur: *Hæc in ore famæ credentium otio agebantur*. Sed de illo expecta nos ad ipsum Tacitum suo propriè loco. Curtij quidem etiam nostri istud ex 8. libro huc accommodaueris: *Seditiosæq; voces referebantur ad regem, quis ille haud sanè metus, satisq; prudens, otij vitia negotio discuti, edicit, vt omnes in vestibulo regia præstò sint.* Hæc Acidalius.

Rvmor.) *Rumor absque auctore proles otiosi est pectoris*, inquit Comicus.

DEVM INVIDIAM.) Hæc impia paganorum est religio, qua Deos velut inuidos, iniquos, & perinde atque homines vitiosis affectibus obnoxios incusabant, qualia sunt etiam apud Martialem epigrammata, & supra lib. 3. haud absimilia his legimus, cum de Cydno ageremus. *Deos nempe ipsos, quàm nos corrigere maluimus.*

PRO SE QVISQVE.) Duces suam operam polliciti in versandis militum animis.

INFRACTOS.) Eleganter hoc, vt omnia Curtius, non vulgari intellectu, quo pro fortibus & nequaquam fractis accipitur. Contrario hic sensu accipe, vt sequens etiam vox *abiectos* declarat. Ita alii melioris æui scriptores locuti, Cicero, Liuius, Virgilius:

Turnus vt infractos aduerso Marte Latinos
Defecisse videt.

Nec enim subscribo Seruio, qui *infractos* explicat constantes, non fractos, certe illud *defecisse*, ostendit fractos.

CAPVT IV.

ARGVMENTVM.

Multa docet bello perfecta non pauca perficienda, nondum adesse finem laborum.



Agnitudinem rerum quas gessimus milites, intuentibus vobis, minimè mirum est, & desiderium quietis, satietatem gloriæ occurrere. vt omittam Illyrios, Triballos, Bœotiam, Thraciam, Spartam, Achæos, Peloponnesum, quorum alia ductu meo, alia imperio auspicioq. perdomui: ecce orsi bellum ab Hellesponto. Ionas, Aeolidem seruitio Barbariæ impotentis exemimus. Cariam, Lydiam, Cappadociam, Phrygiam, Paphlagoniam. Pamphiliam, Pisidas, Ciliciam, Syriam, Phœnicen, Armeniam, Persidem, Medos, Parthienen habemus in potestate. Plures prouincias complexus sum, quàm alij vrbes ceperunt: & nescio an enumeranti mihi quædam ipsarum rerum multitudo subduxerit. Itaque si crederem satis certã esse possessionem terrarum, quas tanta velocitate domuimus, ego verò milites ad penates meos ad parentem, sororesque & ceteros ciues vel retinentibus vobis erumperem, vt ibi potissimum parta vobiscum laude & gloria fruerer, vbi nos vberrima victoriæ præmia exspectant, liberorum, coniugum, parentumq. lætitia, pax, quies, rerum per virtutem partarum secura possessio. Sed in nouo & (si verum fateri volumus) precario imperio adhuc iugum eius rigida ceruice subeuntibus Barbaris, tempore milites opus est, dum mitioribus ingenijs imbuuntur, & efferatos melior consuetudo permulcet. Fruges quoque maturitatem statuto tempore expectant: adeo etiam illa sensus omnis expertia, tamen sua lege mitescunt. Quid? creditis tot gentes alterius imperio ac nomini assuetas, non sacris, non moribus, non commercio linguæ nobiscum cohærentes, eodem prælio domitas esse, quo victæ sunt? Vestris armis continentur, non suis moribus, & qui præsentes metuunt, in absentia hostes erunt. Cùm feris bestijs res est, quas captas & inclusas, quia ipsarum natura non potest, longior dies mitigat. Et adhuc sic ago, tanquam omnia subacta sint armis quæ fuerunt in ditione Darij. Hyrcaniam Nabarzanes occupauit. Bactra non possidet solùm parricida Bessus, sed etiam minatur. Sogdiani, Dahæ, Messagetæ, Sacæ, Indi, sui iuris sunt. Omnes hi simul terga nostra viderint sequentur. Illi enim eiusdem nationis sunt, nos alienigenæ & externi. Suis quisque autem placidius paret, etiam cum is præest, qui magis timeri potest. Proinde aut quæ cæpimus, omittenda sunt: aut quæ non habemus, occupanda. Sicut in corporibus ægris milites nihil quod nociturum est, medici relinquunt; sic nos quidquid obstat imperio recidamus. Parua sæpè scintilla contempta magnum excitauit incendium. Nil tutò in hoste despicitur, quem spreueris valentiorem negligentia facies. Ne Darius quidem hæreditarium Persarum accepit imperium, sed in sedem Cyri beneficio Bagoæ castrati hominis admissus: ne vos magno labore credatis Bessum vacuum regnum occupaturum. Nos verò peccauimus, milites, si Darium ob hoc vicimus, vt seruo eius traderemus imperium: qui

vlti-

vltimum ausus scelus, regem suum etiam externæ opis egentem, certè cui nos victores pepercissemus, quasi captiuum in vinculis habuit, ad vltimum, ne à nobis conseruari posset, occidit. Hunc vos regnare patiemini? quem equidem cruci adfixum videre festino, omnibus regibus gentibusque, & fidei, quam violauit, meritas pœnas soluentem. At Hercule si mox eundem Græcorum vrbes aut Hellespontum vastare nunciatum erit vobis, quo dolore afficiemini, Bessum præmia vestra occupasse victoriæ? Tunc ad repetendas res festinabitis, tunc arma capietis. Quanto autem præstat, territum adhuc, & vix mentis suæ compotem opprimere? Quatridui nobis iter superest, qui tot proculcauimus niues, tot amnes superauimus, tot montium iuga transcurrimus: non mare illud quod exæstuans iter fluctibus occupat, euntes nos moratur: non Ciliciæ fauces, & angustiæ includunt: plana omnia & prona sunt: in ipso limine victoriæ stamus. Pauci nobis fugitiui, & domini sui interfectores supersunt. Egregium me Hercule opus, & inter prima gloriæ vestræ numerandum, posteritati famæque tradetis; Darij quoque hostis, finito post mortem eius odio parricidas esse vos vltos: neminem impium effugisse vestras manus. Hoc perpetrato, quanto creditis Persas obsequentiores fore, cùm intellexerint vos pia bella suscipere, & Bessi sceleri, non nomini suo irasci?

MAGNITVDINEM RERVM.) Oratio planè elegans, artificij plena, rationum firmamentis potens, similitudinibus illustris, ad illos Pyrgopolinices & gloriosos milites planè facta & accommodata. Principio enim ex Rhetorum disciplina, conciliat sibi beneuolentiam à sua & militum persona, quibuscum omnia fortia facta sua communia facit, dum numero multitudinis plerunque vtitur, & dicit *gessimus*, non gessi, *exemimus, habemus in potestate, domuimus, proculcauimus niues, rupes, amnes superauimus, vestris armis domitæ gentes continentur.* & hoc genus plura. Enumerat deinde non sine militari iactatione victas gentes, occupatas prouincias tam multas, vt ægrè recenseri possint, pulsum regnis & vita (quamuis alieno scelere) Darium. Atque hæc exordij & narrationis loco. Tum deinde ingreditur statum orationis, & quærit an ea, quæ occupata sunt, tutò retineri possint, si omnes in patriam abeant: Nec enim minorem esse virtutem labore parta tueri, quam armis & virtute regna parare & parere. Affirmatque se inter primos fore, qui patriam repeterent, bonisque partis fruerentur, si armis quæsita sine armis tutò possideri possent. Sed rem aliter habere: hostes solo metu & præsentia victorum in officio contineri, opus esse tempore tanquam frugibus, vt mitescant, & alienis imperijs adsuescant. Feras bestias primùm captas, & caueis inclusas non nisi longo die frangi & cicurari. Atque hæc prima argumenti ratio est, quamobrem nondum sit in Græciam redeundum. Subjicit dein alterum multò grauius, certius & potentius argumentum. *Et adhuc sic*, inquit, *ago, tanquam omnia sint subacta armis, quæ fuerunt in ditione Darij.* Atqui non est ita, multæ adhuc prouinciæ super sunt nobis subigendæ, quas nunc hostes, & Darij parricidæ obtinent. Nabarzanes, inquam, qui Hyrcaniam, Bessus qui Bactra occupauit, qui diadema sumpsit, se Artaxerxem appellauit, nobis etiam minatur. restant insuper feroces nobis domandæ gentes, Sogdiani, Dahæ, Massagetæ, Sagæ, Indi, qui sui iuris sunt. Nos vbi terga verterimus, antequam patriam respiciamus, in tergis nostris hærebunt, & omnia, quæ occupauimus, recipient. Omnes enim malūt suis, quā aduenis parére. Concludit demum, vel occupanda, quæ nondum habentur, aut omittenda, quæ iam sunt occupata. Illustrat hoc ipsum elegantibus medicorum & ignium comparatione. Postremò in Bessum perorat, quem in summum odium vocat apud militem, futurum enim, vt nisi ille vincatur & vinciatur, mox omnia recipiat, & Dario etiam potentior euadat, Græcosque magis atque ille fatiget & vexet. Sequitur adhortatio ad vltimos labores exhauriendos, qui tanti futuri cum sint, quanti iam sint exantlati, quatriduum superesse dum ad Bactra veniatur, ibi incautū & adhuc trepidantem oppressum, totumque bellum confectum iri. Hac oratione instinctus miles, omnem animi sensum & affectum ad Alexandri voluntatem transtulit. tanti est & auctoritas principis, & accommodata ad captum auditoris oratio. Huius quoque orationis argumentum & œconomiā, Caussinus proposuit in suis Eloquentiæ paralellis p. 574. & seq. Nunc si quid singulis in partibus est tenebrarum, euoluamus.

OMITTAM ILLYRIOS &c.) Seruato ferè temporum ordine, percurrit omnes prouincias bello domitas. Ab Illyrijs enim cœpit, vt in Synopsi prima ostendimus. Qui autem sint Illyrij, suprà demonstratum est,* vbi de Thracibus actum. * lib. 3. c. 19. l. 4. c. 32.

TRIBALLOS.) Alij Mœsos inferiores cum Ptolemæo, Strabone, Plinio vocant, alij cum Laonio, Sophiano, Lazio, Bonauiolo, Bartelo, Ortelio Bulgaros, ad Peucem insulam Danubii vsque pertingebant. Arrianum vide.

ALIA DVCTV MEO, ALIA IMPERIO AVSPICIISQVE PERDOMVI.) Ductu suo Alexander Illyrios, Triballos, Thracas, Bœotiam subegit; auspicijs absens, Lacedæmonios, Achæos, Peloponnenses defectionem molientes, per Antipatrum fregit.

ORSI BELLVM AB HELLESPONTO.) Hæc quæ sequuntur omnia ductu suo gessit. Orsi bellum Persicum ab Hellesponti traiectu, & prælio ad Granicum commisso.

IONAS, AEOLIDEN.) Persicæ seruituti antea subiectos, & per Alexandrum in libertatem Græ-

corum assertos; Græcæ enim nationis erant Iones & Aeoles. Aeolis autem seu Aeolia Asiæ minoris est regio, in litore maris Aegæi. Nihil hic de septem. Italiæ Aeolijs insulis cogita, aliæ sunt & procul ab his remotæ. Aeoliam hanc Asiæ Siculus Doryctetana appellat, quæ incolas olim, Herodoto teste, Pelasgas habuit. Est mentio huius apud Curtium lib. 4. c. 16.

PISIDAS.) Stephanus Πισιδία οἱ Πισίδαι πρότερον Σόλυμοι ἀπὸ Σολύμου τοῦ Διὸς καὶ Χαλδήνης, ἐπὶ δὲ ... βάρβαρον κατοικοῦν παρὰ τὴν Ἀσπένδην καὶ τὴν Κιλικίαν, εἴρηται δὲ ἀπὸ Πισίδου. αἱ δύο πρῶται ... ναι. Pisidia. Pisidæ prius Solymi à Solymo Iouis & Chaldones filio. Gens barbara est, quæ iuxta Aspendum & Ciliciam colit, dicta à Pisida, prima & altera breui sunt in utraque Asia. Plura Strabo & Mela cum Plinio. Reliquæ omnes gentes, quæ hic memorantur, suprà iam descriptæ & recensitæ sunt.

ET NESCIO AN ENVMERANTI MIHI QVAEDAM IPSARVM RERVM MVLTITVDO SVBDVXERIT.) Malim *quasdam ipsarum*, nisi intelligas loca, vel regna. Lycaoniam certè prætermisit, nisi sub Cappadocia comprehendas. prætermisit & Lyciam, cuius mentio prima pagina lib. 3.

PARENTEM.) Olympiadem.

SORORES.) Cleopatram, de qua Iustinus 13. & 14. vxorem quondam Alexandri Epirotæ, auunculi Alexandri M. quam posteà Perdiccas ambijt. Thessalonicen, priuignam Olympiadis è Philippo Alexandri natam. Iustinus 14.

IN ABSENTIA.) Venustiùs in absentes, vt Acidalius annotauit.

PRECARIO IMPERIO.) Quomodo precario, cùm per vim & arma & victoriam sibi regnum Persicum pepererit? violenta nempè imperia nemo diu continuit, nullum enim violentum diuturnum. Ne ergo victæ gentes duriore imperio exulcerentur, quasi eblandiendæ sunt & palpandæ, donec nouis imperijs assuescant. hoc autem est quodammodo precario imperare.

NON SACRIS.) Diuersa nomina diuersis cerimonijs & religionibus colentes, & à sacris Græcorum abhorrentes, vti & à moribus, qui suæ cuique genti sunt peculiares, sicut & Græci à barbarorum moribus & sacris erant alieni, qui omnes reliquas gentes non solum vt barbaras, sed tanquam feras bestias oderant & horrebant.

HYRCANIAM.) Docet iam quæ occupanda sint in hostium potestate sita.

Lib. 5. & 6. NABARZANES.) De quo multa suprà dicta, & infrà dicentur.

BESSVS PARRICIDA.) Hunc in summum odium adducit, vt militem ad bellum persequendum inflammet.

*lib. 4. c. 27. SOGDIANI.) De quibus multa * suprà, plura infra lib. 7. cap. 24. sicut & de Dahis iam * narratum: & infrà pluribus locis narrabitur.

* ibidem.

MASSAGETAE.) De his quoque dictum antè, dicenturque suo loco, indicem volue.

SAGAE.) Alij plerisque scriptoribus Sacæ, sed Mela & Goropius rectiùs Sagas appellant, de quibus & Curtius plura, & nos ad illum ex Goropio infrà.

SIMVL TERGA NOSTRA VIDERINT.) Ita Cicero & optimi scriptores loquuntur, pro, *simulatq́;, simul ac, aut postquam:* hæc moneo, ne quis imperitior linguæ Romanæ putet operarum labem.

NIHIL QVOD NOCITVRVM EST.) Facilè enim neglectum malum augetur, atque è scintilla incendium, ita è modico malo contempto mors sequitur. Diuum Chrysostomum audi: *Sapius namque domos ædificantes homines, & tectum imponentes, vnius tegulæ excussæ curam non gerentes, totam domum perdiderunt. Et in vestimentis hoc ipsum euenire, quis cernere possit: etenim parua in illis facta scissura, nec resarcita, magnam fecit disruptionem. Hoc & in torrentibus multoties euenit: etenim & illi si vel minimum cœperint ingressum, totum introducunt fluentem.* ἄδηλα γὰρ τὰ τῶν πολέμων, inquit Thucydides, καὶ ἐξ ὀλίγων τὰ πολλά. *Incerta enim res sunt bellorum, & ex minimi momenti re plurima existunt,* vel commoda, vel incommoda.

Oratione ad popul. Antiochenum 19. Gruteri Notæ ad sententiam p. 593.

NE DARIVS QVIDEM HAEREDITARIVM PERSARVM ACCEPIT IMPERIVM.) Quomodo hoc à Bagoa scelestissimo & parricidali Spadone factum, vnus quod sciam (nam Plutarchus vix tribus verbis attingit historiam) tradidit Siculus his verbis: *Regnante pridem Philippo, Ochus Persis imperabat, crudelemq́; & violentum erga subditos sese gerens, ob asperitatem morum in odio cunctorum erat. Bagoas ergo militum tribunus, conditione Eunuchus, sed natura sceleratus & bellicosus, veneno regem tollit, medici ad hoc opera vsus: filiumq́; eius natu minimum Arsen nomine, in regnum collocauit. Simul etiam fratribus noui regis (quorum tenerior adhuc ætas erat) necem intulit: vt desertus hoc modo rex tanto plus obsequij illi præstaret. Cùm verò sceleribus istis offensus adolescens, quod pœnas de auctore sumpturus esset, manifestis argumentis declararet; insidijs deprehensis, Bagoas Arsen cum liberis tertio imperij anno è vita tollit. Regia domo sic ad solitudinem redacta, cùm nemo ex ea gente superesset, qui successionem in regno sibi vendicaret, Darium ex amicis quendam adoptatum, in regni possessionem collocat. Hic Arsanem (qui Artaxerxis Persarum regis frater erat) parentem habebat. Bagoæ autem singulare quiddam & memoratu dignum euenit. Sanguinaria enim crudelitate, cui hactenus adsueuerat, inductus, medicata potione etiam Darium necare instituit. Sed insidijs per indicium patefactis, rex Bagoa comiter aduocato, poculum tradit, & ad ebibendum illud vi hominem adigit. Dignus autem Darius imperio indicatus est, quod multum reliquis virtute Persis præstare videretur.*

lib. 16. pag. 490.

Iam argumentum Alexandri hoc est, quasi à paribus, Darius quoque priuatus ad regnum Persarum per Bagoam aspirauit. poterit ergo idem Bessus à popularibus impetrare. Enimuerò Darius, quamuis opera spadonis Bagoæ ad regnum peruenerit, egregijs tamen antea factis se Persis commendauit, quod Iustinus attestatur. *Ita veluti purificato*, inquit, *regno, bellum Armenijs* (Ochus) *infert. In eo cum aduersus prouocatorem hostium Codomanus quidam cum omnium fauore processisset, hoste caeso, victoriam suis pariter, & propè amissam gloriam restituit. Ob hæc decora idem Codomanus præficitur Armenijs. Interiecto deinde tempore, post mortem Ochi regis ob memoriam pristinæ virtutis rex à populo constituitur, Darij nomine, ne quid regiæ maiestatis deesset, honoratus: bellumque cum Alexandro Magno, diu variante fortuna, magna virtute gessit. Postremò victus ab Alexandro, & à cognatis occisus, vitam pariter cum Persarum regno finiuit.* Iustin. lib. 10. extrem.

Scripserat idem ante Iustinum Siculus: *Dignus regno propterea habitus est, quod virtute Persis omnibus anteire crederetur. Cum enim Artaxerxes rex bellum aliquando cum Cadusijs gereret, & quidam ex hostium numero, vir corporis & animi firmitate nobilis aliquem ex Persis, cuicunque animus tam præsens & alacer, singulare ad certamen prouocaret, nemine se obuiam dare auso, Darius iste solus adijt periculum, & prouocatorem interemit. Ob quod magnificis à rege præmijs honestatus, primam virtutis gloriam inter Persas retulit. Ob hæc itaque viri strenui facinus dignus, qui regno præesset iudicatus, imperium accepit.* lib. 17 p. 450. f.

De diuersis Bagois plenius suo mox loco.

Ne vos credatis magno labore Bessum va. reg. occupaturum.) Imò verò & occupauit apud suos, & sine labore, quod mox vt quæsierat, perdidit, & crucem inuenit. Curtius infrà: *Namque Bessus veste regia sumpta Artaxerxem appellari se iusserat, Scythasque & cæteros Tanais accolas cötrahebat.* Lib hoc c. 12. *Arrianus: *Per id tempus Persarum nonnulli ad eum venerunt, nunciantes Bessum tiaram erectam, Persicamque vestem gestare, & immutato Bessi nomine Artaxerxem vocari, seque Asiæ regem appellare habere apud se Persas, qui in Bactra profugerant, & ex Bactrianis complures. Scytharum etiam confœderatorum aduentum expectare.* *pag. 71.

Externae opis indigentem.) Destitutum à suis, imò vinctum & trucidatum, qui Græcorum ope, quam tamen recusabat, indigebat.

Victores pepercissemus.) Vti Poro Indorum regi pepercit, regnum restituit, & auxit. Imò ipsi iam antè salutem Dario promiserat, supplex ad se veniret, & secundo loco in suo regno esse vellet: sed dura conditio visa Dario.

Cruci affixum videre festino.) De supplicio Bessi variæ scriptorum opiniones; de quibus suo loco cognosces infrà.

Graecorum vrbes aut Hellespontum.) In Asia conditas cum Hellesponto occupatas. acerrimus stimulus militi hic admotus ad persequendum Bessum.

Vix mentis suae compotem.) Furijs enim ob admissum parricidium agitatur, nec tantum se fugæ metu confirmauit, nondum militem collegit. In ipsa scintilla opprimendum est incendium, vt suprà monuit.

Quatridui iter.) Properanti, & more suo per montes & rupes, per omnia inuia propè volanti, alioqui longius Bactra certè non quatriduo illuc peruenitur.

Nives calcavimus.) Suprà: Sed præter inuias rupes, ac prærupta saxa vestigium subinde fallentia, nix cumulata vento ingredientes fatigabat. Illustrior adhuc eodem lib. c. 14. extat suprà, *ventum erat*, & quæ sequuntur.

Tot amnes superavimus.) Granicum, Euphratem, Tigrim, Choaspen, Araxen, vt minores taceam.

Montium iuga.) Tauri in Cilicia, in Perside, vt iam legisti, Inuias rupes ac prærupta saxa.

Non mare illud quod exaestuans iter fluctibus occupat.) Intelligit Pamphyliam quam suprà lib. 3. copiosè descripsimus. Cap. 8.

Ciliciae fauces.) Portas Cilicas, quibus è Cappadocia per Taurum Cilicia aditur.

Plana omnia) Suasoris hoc officium est, ostendere facilè, promptum, & in manibus esse quod suadeas: nam difficilia proadynatis, quæ fieri non possunt, habeo.

Egregium vero.) Ab honesto locus, quo se ipsis etiam Persis commendaturi sint, si Darij regis ipsorum indignam necem ipsi hostes olim ipsius vindicaturi sint.

CAPVT V.

ARGVMENTVM.

Rex mouet castra versus Hyrcaniam, describitur mirum Zoberis fluminis ingenium.

SVmma militum alacritate iubentium, quocunque vellet duceret, oratio excepta est, nec rex moratus impetum: tertioq́ per Parthienen die ad fines Hyrcaniæ penetrat. Cratero relicto cum ijs copijs quibus præerat, & ex manu quã Amyntas ducebat, additis DC equitibus, & totidem sagittarijs, vt ab incursione barbarorum Parthienen tueretur. Erigyum impedimenta, modico præsidio dato, campestri itinere ducere iubet. Ipse cum phalange & equitatu 150. stadia emensus, castra in valle, qua Hyrcaniam adeunt, communit. Nemus prææaltis densisq́ arboribus vmbrosum est, pingue vallis solum rigantibus aquis, quæ ex petris imminentibus manant. Ex ipsis radicibus montium Zioberis amnis effunditur, qui tria fere stadia in longitudinem vniuersus fluit: deinde saxo, quod alueolum interpolat, repercussus duo itinera velut dispensatis aquis aperit. inde torrens, & saxorum per quæ incurrit asperitate violentior, terram præceps subit, per CCC stadia conditus labitur, rursusq́ velut ex alio fonte conceptus editur, & nouum alueum intendit, priore sui parte spaciosior: quippe in latitudinem 13. stadiorum diffunditur: rursusq́; angustioribus coercitus ripis iter cogit: tandem in alterum amnem cadit, Rhidigo nomen est. Incolæ affirmabant, quæcunque dimissa essent in cauernam quæ propior est fontem, rursus vbi aliud os amnis aperitur, existere. Itaque Alexander duos tauros, quà subeunt aquæ terram, præcipitari iubet: quorum corpora, vbi rursus erumpit expulsa videre, qui missi erant vt exciperent.

QVOCVNQVE VELLET, DVCERET.) Multum regis conspectus, ne dicam, vox, & tam amica, fortis & accommodata ad sensum militarem oratio potest: Ἀλέξανδρος δ' ὁρῶν, inquit Siculus, τοὺς
Sic. p. 547. μακεδόνας τέλος τῆς στρατείας τὴν Δαρείου τελευτὴν ταττόντας, καὶ μετεώρους ὄντας πρὸς τὴν εἰς τὴν πατρίδα ἐπάνοδον, τούτους μὲν ἀθροίσας εἰς ἐκκλησίαν, καὶ λόγοις οἰκείοις παρορμήσας, εὐπειθεῖς πρὸς τὴν ὑπολειπομένην στρατείαν παρεσκεύασε. Inter hæc Alexander Macedones Darij obitum militiæ finem sibi præstituisse, surrectiq́; animis iam reditum in patriam moliri videns, in concionem aduocatos, oratione ad præsens tempus idonea sic extimulauit, vt ad expeditiones, quæ restarent, obsequentissimos haberet.

Plutarchus in Alex. Pag. 29. apud Arrian. Plutarchus in eandem sententiam narrat de milite ab Alexandro ad vlteriorem expeditionem incitato: Porrò timens ne ad reliqua expeditionis torpescerent Macedones, reliquam multitudinem reliquit in statiuis. Delectissimos verò quum in Hyrcania secum haberet, ad viginti millia peditum & tria equitum proposuit, hos à barbaris nunc ipsos per somnium visos esse: quòd si commota tantum decessissent Asia, mox adorturos illos velut fœminas. Veruntamen abire iussit, si quis vellet, contestatusq́ est, dum Macedonibus orbem terræ subigit, ipso in negocio se cum amicis & voluntarijs militibus destitutum. Hæc penè ad verbum in epist. ad Antip. persecutus est: quæ cùm dixisset, omnes conclamasse duceret, quo terrarum vellet. Horum explorata voluntate, procliue iam fuit inducere vulgus quod facile est assensum. Iustinus quo-
Iustinus lib. 12. que: Omnibus deinde velut Darij morte, perpetrato bello, reditum in patriam expectantibus, cõiuges & liberos suos animo iam quodammodo complectentibus, ad concionem exercitum vocat: Ibi nihil actum tot egregijs prælijs, ait, si incolumis Orientalis barbaries relinquatur: Nec se corpus, sed regnum Darij petisse, persequendosq́ esse eos, qui à regno defecerint. Hac oratione, velut ex integro incitatu militum animus Hyrcaniam, Mardosq́ subegit.

AD FINES HYRCANIAE PENETRAT.) Multa quidem apud Curtium Hyrcaniæ mentio est, sed hic proprius de illa dicendi locus.

Ptol. lib. 6. Cosmographiæ. lib. 11. Hyrcania ex Ptolomæi descriptione à septentrione habet mare Hyrcanum, qua illud Medos respicit vsque ad ostia Oxi fluminis, ab occasu Mediam extremam, à meridie Parthiam, ab Oriente Margianam. Hyrcania, inquit Strabo, felix admodum & ampla est, vrbibusq́ memorabilibus prædita,
Arri. p. 69. & Aristobulo auctore, siluosa, fluminibus diuiditur Oxo & Ochro, nullumq́ maius Oxo præter Indum. Arrianus verò in 3. κεῖται δὲ ἡ Ὑρκανία χώρα ἐν ἀριστερᾷ τῆς ὁδοῦ τῆς ἐπὶ Βάκτρα φερούσης· καὶ τῇ μὲν ὄρεσιν ἀπείργεται δασέσι καὶ ὑψηλοῖς, τὸ πεδίον δὲ αὐτῆς καθήκει ἔστε ἐπὶ τὴν μεγάλην τὴν ταύτῃ θάλασσαν. Sita porrò est Hyrcania ad læuam viæ, quæ in Bactra ducit: atque hæc quidem montibus densis ac præcelsis diuiditur. Campus verò eius in magnum mare, quod ex ea parte est, porrigitur.

ERIGYVM.) Nobilissimus & fortissimus hic belli dux fuit, qui quamuis æuo prouectus, tamen singulari certamine cum Satibarzane congressus, hoste cæso opima spolia retulit, vt infrà narrabitur.

IPSE.) Alexander centum quinquaginta stadia, seu quatuor nostratia milliaria cum triente, ferè per asperrima locorum, vt Arrianus testatur, ad Hyrcaniæ fines penetrauit.

Solin. p. 51. cap. 11. NEMVS PRAEALTIS DENSISQVE ARBORIBVS VMBROSVM EST.) Idem testantur alij scriptores, Aristobulus apud Strabonem, Arrianus, Plinius, Solinus. Gens, inquit hic, siluis aspera. Et siluæ illæ asperas quoque feras alunt, leones, tigres, pantheras, Copiosa, inquit, immanibus feris, fœta tigribus,

gribus. quod bestiarum genus insignes maculis nota & pernicitas, memorabile reddiderunt. fuluo nitent: hoc fuluum nigrantibus segmentis interundatum, varietate apprimè decet. pedum motum nescio velocitas an pernicacia magis adiuuet. nihil tam longum est, quod non breui penetrent: nihil adeò antecedit, quod non illicò assequantur. ac maximè potentia earum probatur, cùm materni turis incitantur, cùm catulorum insistunt raptoribus: succedant sibi equites licet, & astu quantolibet amoliri prædam velint, nisi in præsidio maria fuerint, frustra est ausum omne. Notantur frequentissimè, si quando latrones suis asportatu catulis renauigantes vident, in litore irrita rabie terminari, velut propriam tarditatem voluntaria castigantes ruina: quamquam defectu vniuersa via, vix vnum queat subtrahi. Panthera quoque numerosa sunt in Hyrcania, minutis orbiculis superpictæ: ita vt oculatis ex fuluo circulis, vel cærula, vel alba distinguatur tergi supellex. Tradunt odore earum & contemplatione armenta mirè affici, atque vbi eas persentiscant, properatò conuenire, nec terreri nisi sola oris toruitate, quam ob causam Panthera, absconditis capitibus, quæ corporis reliqua sunt, spectanda præbent, vt pecuarios greges stupidos in obtutu populentur secura vastatione. Sed Hyrcani, vt hominibus inceptatum nihil est, frequentius eas veneno quàm ferro necant. Aconito carnes illinunt, atque ita per compita spargunt semitarum: quæ vbi esa sunt, fauces earum angina obsidentur. ideo gramen παρδαλιαγχὲς appellauerunt. Sed Panthera aduersus hoc virus excrementa humana deuorant, & suopte ingenio pesti resistunt. Lenta illis viuacitas, adeo vt erectis interaneis, mortem diu differant. In his siluestribus & Pardi sunt, secundum à Pantheris genus, noti satis, nec latiùs exequendi: quorum adulterinis coitibus degenerantur partus leanarum, & leones quidem procreantur, sed ignobiles.

Præcinuit huic Mela: *Silua alia quoque dira animalia, verùm & Tigres ferunt. vtique Hyrcaniæ sæuum ferarum genus, & vsque eò pernix, vt illis longè quoque progressum equitem consequi, nec tantùm semel, sed aliquoties etiam cursu, vnde cœperit, subinde repetito, solitum & facile sit. Causa ex eo est, quod vbi ille interceptos earum catulos cum cœpit auehere, rabiem appropinquantium frustraturus, astu vnum de pluribus omittit: hæ proiectum accipiunt, & ad cubilia sua referunt: rursumque, & sæpius remeant, atque idem efficiunt, donec ad frequentiora, quàm adire audeant, profugus raptor euadat.*

PINGVE VALLIS SOLVM.) hoc infrà alio capite plenius exponit.

ZIOBERIS AMNIS EFFVNDITVR.) Nusquam hoc nomen fluminis, nisi apud Curtium lego. Siculus Stiboëten appellat, eademque ferè apud vtrumque eius est descriptio, fusior tamen apud Curtium: *Radicibus, inquit Siculus, subiectum erat antrum, Dijs ipsis non indecorum, ex quo Stiboëtes fluuius ingens erumpit. Qui concitato impetu per tria circiter stadia decurrens, ad saxum quoddam repercutitur, quod mammæ formam referens, vastum terræ hiatum infra se habet. Quo iam in geminum diuisum alueum, magno cum fragore se præcipitat; vndisque ad petram allisis, totus in spumas conuersus, per stadia trecenta deinceps sub terra voluitur: donec nouum quasi ortum sibi rursum aperuerit.* Siculus p. 547. p. m.

ALVEOLVM INTERPOLAT.) Alueolum vocat, cum Siculus flumen ingens appellet.

INTERPOLET.) Constantiensis manu exaratus exertè habet *interpellet*, quomodo etiam Acidalius legendum putat, cuius vtilem hic annotationem subiungam. *Vbique ferè turba & confusio in verbis* interpolat, interpellat, *suppositis inuicem sibi, nec locum suum tuentibus præ iniuria alterna. Hic quidem* interpellat *esse verius putem, quod præferunt quidam è vulgatis. Atque idem rectè lib. 4. repositum* Acidal. p. 71. *à Modio:* Quippe multam harenam vicinum mare euomit, nec saxa cotesque, quæ interpellent specus, obstant. *vbi vulgò* interpolent. *Illud etiam inferius legitur hoc libro:* Otium interpellandum erat bello, *quo loco non constituo, an melius,* interpolandum. *Bonum & elegans vtrumque. At alibi non nisi alterum legendum. lib. 4.* Silentium gemitu interpolabo. *Lib. 6.* Satietatem epularum, ludis interpolabat. *In Manilio dubitaui quoque iam olim. lib. 3.*

Et modò deest aliud, modò adest, vicibusque recedit,
Aut redit, atque alio mutatur tempore tempus,
Interpellatum variantum sorte dierum.

Dubitaui, an non rectius interpolatum: *maximè ob præcedens verbum* mutatur.

ERVMPIT.) Si ad proximum referas, *erumpunt* erat dicendum. Curtius amnem respexit, nê fortasse, vti putat Acidalius, si erumpunt dixisset, de duobus tauris, non aquis acciperetur.


CCC. STADIA.) Nouem milliaria supra duodecim stadia. deinceps non adnumerabo tibi milliaria, quæ ipse facilè cognosces, si ipsa stadia quanta & quotacunque fuerint, per triginta duo partitus fueris. vnum quippe milliare Germanicum, triginta duo stadia efficiunt.

RHIDAGO NOMEN EST.) Nec hoc nomen apud alios memini legere. Nam quod nonnulli Rhindacum ex Rhidagone faciant, procul à vero abeunt. Rhindaeus enim Stephano est ciuitas inter Hellespontum & Phrygium, vnde Rhindaceni populi seu ciues. Plinio idem nomen est fluuius inter eundem Hellespontum & Phrygiam, qui mille prope parasangis abest ab Hellesponto & Phrygia. Glareanus Syderin à Plinio dictum putat, coniectura dubia & incerta. Boccatius Florentinus pro Zioberi Zebetis videtur legisse. gerræ.

CAPVT VI.

ARGVMENTVM.

Nabarzani Beßi socio supplici promittit veniam & publicam fidem.



Vartum iam diem eodem loco quietem militi dederat, cùm literas Nabarzanes, qui Darium cum Besso interceperat, accipit, quarum sententia hæc erat: Se Dario non fuisse inimicum, imò etiam quæ credidisset vtilia esse, suasisse: & quia fidele consilium regi dedisset, prope occisum ab eo. Agitasse Darium custodiam corporis sui contra ius fasque peregrino militi tradere, damnata popularium fide, quam per CC. & XXX. annos inuiolatam regibus suis præstitissent verse. Se in præcipiti & lubrico stantem, consilium à præsenti necessitate repetisse. Darium quoque cùm occidisset Bagoam, hac excusatione satisfecisse popularibus, quòd insidiatem interemisset. Nihil esse miseris mortalibus spiritu charius. Amore eius ad vltima esse propulsum: sed ea magis esse secutum, quæ coegisset necessitas, quàm quæ optasset. In communi calamitate suam quemque habere fortunam. Si venire se iuberet, sine metu esse venturum. Non timere ne fidem datam tantus rex violaret. Deos à deo falli non solere. Ceterùm si cui fidem daret, videretur indignus, multa exsilia patere fugienti. Patriam esse, vbicunque vir fortis sedem sibi legerit. Nec dubitauit Alexander, fidem, quo Persæ modo accipiebant, dare; inuiolatum, si venisset fore.

NABARZANIS.) Chiliarchæ Darij, vt Arrianus appellat; prætoris, vt Curtius: illustri loco fuisse inter Persas idem testatur Arrianus, de quo plura mox cap. 10.

QVIA FIDELE CONSILIVM REGI DEDISSET PROPE OCCISVM AB EO.) Quam fidele consilium fuerit suprà lib. 5. c. 19. cognouisti, cùm suasit, vt regnum Besso interim traderet. quo Darius ira incitatus: *Pessimum*, inquit, *mancipium, reperisti optatum tibi tempus, quo parricidium aperires? strictoq́ acinace interfecturus eum videbatur*, & hoc est, quod hic dicit, se pœnè occisum.

CVSTODIAM CORPORIS PEREGRINO MILITI TRADERE.) Suadentibus Artabazo & Patrone duce Græcorum. Sed recusauit Darius, dixitque citò se perire, si sui saluum esse nolent.

* Noster Salianus nõ nisi CC. VIII. numerat, vt alibi plenius ostendemus, causámque adijciemus.

* CCXXX. ANNOS.) Tamdiu enim regnum Persarum steterat. Speciosum argumentum. In eas fidem difficultates & consilia Alexander incidit, quando exclusis popularibus & Græcis, se Persis permittere voluit, vt habes lib. 10 c. 6.

CONSILIVM A PRAESENTI NECESSITATE REPETISSE.) Accidalius & è *necessitate reperisse*, & à *necessitate repetisse* laudat, cùm vtrumque in eundem sensum cadat. Nam *reperisse* referetur ad *necessitatem*, quæ vt præsens tempus ferebat, consilium etiam suggerebat, repetisse etiam à necessitate, quid illa suggereret tali tempore, nempe vt Darium insidiatorem vitæ meæ, interficerem; sicut ille Bagoam sibi insidiantem interfecerat.

CVM BAGOAM OCCIDISSET.) Hærebis lector, vbi decimo huius libri capite legeris, Bagoam à Nabarzane, mortuo iam antè Dario, ad Alexandrum adductum, cuius precibus, elegantis nempe spadonis & flore ætatis Alexandro gratissimi, rex Nabarzani parricidæ Darij ignouerit, quem hic Curtius etiam Dario in delicijs fuisse docet, à Dario tamen occisum, & hic demum Alexandro donatum, an Spado ille viuus rursum ab inferis extiterit?

Res ipsa non Gordium nodum, sed facilem solutu habet quæstionem; duos aio fuisse Bagoas cognomines, vtrumque eunuchum, illum occisum à Dario seniorem; hunc pœnè puerum Alexandro à Nabarzane donatum. Hoc ex ipsis scriptoribus ostendo. Hunc enim muneris loco adductum ad Alexandrum testatur Curtius in ipso flore pueritiæ fuisse; alterum prouectæ ætatis ex ratione temporum apud Siculum fuisse cõstat. Egerat enim iam olim apud Ochum Artaxerxem tribunum militum, seu chiliarcham, & multa mala facinora iam tum designabat, etiam præterea, quibus postea totam stirpem regiam Ochi pessimis artibus & veneficijs extinxit, vt paullò ante è Siculo didicisti. Nam Olymp. 107. anno 3: Mentori Sidonis proditori collega additus rem in Aegypto gessit: de cuius improbitate iam tum elucente Siculus ait: σὺν στρατηγῷ δ' αὐτῷ (μέντορ) Βαγώας ὁ μάλιστα

L. 19. p. 490. Lib. 16. p. 447.

ἦτα βασιλεὺς ἐπίστευε, τὰ ὅλα μετ᾽ καὶ παρανομίᾳ διαφέρων. *Commilito huius & imperij socius Bagoas vir audax, & ad omne facinus iniquum, vt nemo quisquam, promtus, cui plurimum rex fidebat.* Erat ergo ille Bagoas, à Dario postea occisus, Oly. np. CVII. anno III. iam chiliarcha Artaxerxis, & tribunus militũ, cui maximè rex fidebat, & totum imperium tractandum commisit, ita vt Mentor imperium maris, Bagoas terrarum administraret, minimumque iam tum annum ageret trigesimum. non enim pueris committuntur administrationes regnorum. His accedunt anni vnus & viginti. Ita Bagoas ille minimum quinquagesimum superasset. Est ergo hic planè diuersus ab illo, quem Darius interfecit. Quod autem idem hic nomen cùm illo tulerit in promtu caussa est, quod & hic Eunuchus esset, Eunuchos autem Persæ Bagoas seu Bagon, Plinio teste, appellabant. *Clarissima omnium*, inquit, *quas regias appellauere ab honore, quoniam regibus tantum Persidis seruabantur Babylone nata in vno horto Bagoi. Ita enim vocant spadones, qui apud eos regnauere.* Lib. 13. c. 4

HAC EXCVSATIONE SATISFECISSE POPVLARIBVS QVOD INSIDIANTEM INTERFECISSET) Quæris, quid caussæ fuerit, quamobrem potentissimus rex Persarum, & vnicus dominus Darius, hic vltimus quodammodo caussam apud subiectos, propter vnum spadonem occisum dicere coactus sit, & rationem cædis popularibus reddere?

Bagoas hic senior eo potentiæ venerat, vt regnum Persarum administraret, regeque defuncto alium pro suo arbitratu sufficeret, eundemque, si displiceret, occideret. & alium rursum ad regium fastigium extolleret. Vnde toti regno Persarum, Persisque omnibus tam notus erat, quam rex ipse. Ipsius nefaria facinora, cædes & parricidia præter ipsum ferè norat nemo. De potentia ipsius hæc Siculus: *Bagoas, in superioris Asiæ Satrapijs regis loco dispensans omnia, eo potentia per illum cum Mentore rerum omnium communicationem ascendit, vt regnum in potestate sua haberet, nec Artaxerxes quicquam absque eius voluntate ageret. Eoque defuncto imperij successores in reliquum perpetuò ipse diceret & crearet, & omnia regis munia, præter solum nomen vsurparet.* Sic. p. 448.

Audisti potentiam, scelera quoque non quidem omnia, sed maximè huc pertinentia suprà iam ad cap. 4. huius libri cognouisti, quomodo regiam Ochi stirpem virilem impius Bagoas deleuerit, & Dario quoque insidiatus sit, sed insidiantem rex occupârit, & coactum medicatam potionem bibere occiderit. Huius ergo rei rationem Persarum proceribus Darius reddidit, & de cæde parricidæ Bagoæ satisfecit. qua defensione vsus etiam est hic Nabarzanes, quod necem sibi paratam anteuerterit, & in auctorem conuerterit.

NIHIL SPIRITV CHARIVS)

Nil spiritu mortalibus dilectius.

inquit Senarius:

Πάντα χ' ζῆν ἡδὺ μᾶλλον ἢ θανεῖν τοῖς σώφροσι

Vbique viuere dulcius est, quam mori prudentibus.

Πᾶσι γὰρ φίλη ψυχὴ βροτοῖς.

Omnibus enim mortalibus cara vita est.

Multa passim apud scriptores & poetas in hanc sententiam leges, quæ tanquam per se nota prætermitto.

AMORE EIVS) Darij, an vitæ? Darij hic accipio, affirmat Nabarzanes se studio seruandi Darij ad vltimum periculum deductum, sed tandem necessitati magis, quam voto paruisse.

IN COMMVNI CALAMITATE) *Quisque habet suam fortunam publicis in cladibus.*

DEOS A DEO FALLI NON SOLERE) Ecce verò palpum. Non ignorabat Nabarzanes Alexandrum voluisse videri Iouis Hammonis filium.

PATRIAM ESSE VBICVNQVE VIR FORTIS SEDEM SIBI LEGERIT)

Omne solum forti patria est, vt piscibus æquor.

Πατρὶς γὰρ ἐστι πᾶσ' ἵν' ἂν πράττῃ τις εὖ.

Iterum gnome communis, de qua multa passim gnomologi.

QVO PERSAE MODO ACCIPIEBANT) Persarum reges quando fœdus cum Græcis feriebãt, aut fidem publicam ad se adeundi dabant, tum hos ritus seruabant, vti Xenophon docet. Iurabant barbari (seu Persæ) se sine malo dolo deducturos. Hoc autem iurabant, & simul super clypeum mactabant caprum, taurum, lupum, & arietem, sanguine Græci quidem gladium, barbari autem hastam tingebant. Verba Xenophontis sunt: Οἱ δὲ βάρβαροι προσώμοσαν καὶ ἡγήσασθαι ἀδόλως. ταῦτα δ' ὤμοσαν σφάξαντες κάπρον καὶ ταῦρον, καὶ λύκον καὶ κριὸν εἰς ἀσπίδα, βάπτοντες οἱ μὲν Ἕλληνες ξίφος, οἱ δὲ βάρβαροι λόγχην. Li. 2. p. 276

Dabant & dextram fidei testem, vt idem docet. Nam ita de Clearcho & Tissapherne testatur. καὶ ὤμοσαν καὶ δεξιὰς ἔδοσαν Τισσαφέρνης καὶ ὁ τῆς βασιλέως γυναικὸς ἀδελφὸς, τοῖς τῶν Ἑλλήνων στρατηγοῖς, καὶ λοχαγοῖς, καὶ ἔλαβον παρὰ τῶν Ἑλλήνων. *Iurarunt & dextras dederunt Tissaphernes & frater coniugis regis, ducibus Græcorum & decurionibus, ac vicissim ab illis accipiebant.* Sed de dextra pro fidei pignore data ad locum hunc illustrandum non pauca collegit Brissonius l. 1. de regno Persarum, vbi locum hunc ipsum Curtij laudat, vti dignum iudicauerimus, qui è Brissonio huc transcriberetur. *Reges verò dextra data fidem suam obstringebant, eratque hoc sanctissimum fidei pignus: & vt Diodorus Sic. lib. 18. loquitur;* Li. 2. p. 281. Pag 10. 107.

τοῦ, ἡ πίστις ἐστὶ βεβαιοτάτη παρὰ τοῖς Πέρσαις. Proinde, vt ibidem Diodorus narrat, cum Sidonij aduersus regem Artaxerxem rebellassent, Mentor, qui in ea ciuitate opibus auctoritateque pollebat, sibi cauens, Thessalionem famulorum fidissimum ad regem, gratiam hanc ab eo inire studens, misit, qui eum certiorem faceret, sibi in animo esse, Sidonios populares suos prodere, & cum eo in bello aduersus Aegyptios proficisci, fortemque ac fidelem operam ei polliceretur, vt qui locorum gnarus esset. Quem nuntium grato animo rex accepit, defectionisque se Mentori gratiam facere, ac veniam dare dixit, dummodo promissa impleret: dona quoque amplissima daturum se recepit. At Thessalio, nudo regis sermone minime contentus, insuper fidei vinculum, dextram regis postulauit, hoc ei à domino nominatim mandatum esse dicens. Quam rem in contumeliam rex accipiens, quasi dicto suo fides non haberetur, in dubiumque verba eius vocarentur, continuò à lictoribus rapi Thessalionem, & vltore gladio feriri iussit. At ille, cum facturum quidem regem quod ei libuisset, exclamaret, sed Mentorem, cui ea omnia praestare quae pollicebatur, in promptu erat, nihil prorsus esse facturum, quod rex ei fidem dare detrectasset, percussit eo dicto animum regis: qui poenitentia ductus, sententiam mutauit, reuocatoque Thessalioni, dextram porrexit, & eum abire permisit. Xenophon in libro de Agesilai laudibus, Κότυς δ' ὁ τῶν Παφλαγόνων ἄρχων βασιλεῖ μὲν οὐχ ὑπήκουσε δεξιὰν πέμποντι. Sic fide data, Artaxerxem sibi Mentorem conciliasse, Georg. Gemistus Plethon narrat lib. 2. his verbis: Μέντορα δὲ, διὰ τὸ δεξιὰν δοῦναι, πεπεικὼς· μεγίστη γὰρ αὕτη παρὰ Πέρσαις πίστις. Aemilius Probus in Datame, de Mithridate, Namque eis pollicitus est regi, se eum interfecturum, si ei rex promitteret, vt quodcunque vellet, liceret impunè facere, fidemque ea de re, more Persarum, dextra dedisset: hanc vt accepit, simulat se suscepisse cum rege inimicitias. Darius certè, multis vulneribus à cognatis confossus, cum spirans adhuc, ab vno ex Alexandri militibus, quem captiuus Persica lingua peritus comitabatur, ex voce, indigenam adesse cognouit, perferri quaedam Alexandro iussit, & in his haec; Quod ad necis suae vltionem pertinebat, iam non suam, sed exempli, communemque omnium regum esse caussam: quam negligere illi & indecorum esset, ac periculosum: quippe cum in altero, iustitiae eius, in altero, etiam vtilitatis causa versaretur. In quam rem vnicum pignus fidei regiae, dextram se ferendam Alexandro dare dixit: posteaque porrecta manu, expirauit. Et hoc est, quod Plutarchus in Alexandro, Darium data Polycrati manu, in his nouissimis vocibus defecisse refert: Ἀλέξανδρος ἀποδώσει σοι τὴν χάριν, Ἀλεξάνδρῳ δὲ οἱ θεοὶ, τῆς εἰς μητέρα, καὶ γυναῖκα, καὶ παῖδας τοὺς ἐμοὺς, ἐπιεικείας, ᾧ ταύτην δίδωμι τὴν δεξιὰν διὰ σοῦ. Sed & apud Xenophontem lib. 3. παιδ. Κύρ. Cyrus Gobriam alloquens, Ἐγὼ ἀληθευόμενος δίδωμί τε σοι τὴν ἐμὴν καὶ λαμβάνω τὴν σὴν δεξιάν· θεοὶ δὲ ἡμῖν μάρτυρες ἔστωσαν. Eodemque modo, obsides Hyrcanij Cyro fidem dant, & accipiunt. Nam cum Cyrus eos interrogasset, num haberent quo fidem obligarent, & vera se dicere testarentur: ipsi vicissim καὶ σὺ, aiunt, ἡμῖν θεῶν τε πιστὰ ποίησον, καὶ δεξιὰν δὸς, ἵνα φέρωμεν καὶ τοῖς ἄλλοις ταῦτα ἅπερ ἂν αὐτοὶ λάβωμεν παρὰ σοῦ. Ἐκ τούτου τὰ πιστὰ δίδωσιν αὐτοῖς, ἦ μὴν, ἐὰν ἐμπεδῶσιν ἃ λέγουσιν ὡς φίλοις καὶ πιστοῖς χρήσασθαι αὐτοῖς. Idem & apud Parthos receptum fuisse, Ioseph. lib. 18. Antiq. Iud. cap. 12. ita scribit: ὁ δὲ Ἀρτάβανος τούς τε πατρῴους θεοὺς ἐπώμνυτο, μηδὲν κακὸν δράσειν αὐτούς· καὶ τὴν δεξιὰν ἐδίδου· ὅπερ μέγιστον παρὰ πᾶσι τοῖς ἐκείνῃ βαρβάροις παράδειγμα τοῦ θαρσεῖν γίνεται τοῖς ὁμιλοῦσιν. Οὐ γὰρ ἂν ψεύσαιτό τις, δεξιὰς μετ' αὐτοῦ δόσεως γενομένης, οὐδὲ πιστεύειν ἐνδοιάσειεν, εἰ τοιᾶσδε ἀσφαλείας δόσις γένοιτο, παρὰ τῶν ἐν ὑποψίᾳ ἀδικήσειν καθεστηκότων. Dio Chrys. περὶ ἀπιστίας· Τισσαφέρνης δὲ οὐκ ὤμοσε μὲν τοῖς περὶ Κλέαρχον· τί δὲ ὁ βασιλεύς, οὐχὶ καὶ τοὺς βασιλείους θεοὺς καὶ τὴν δεξιὰν ἀπέστειλε;

Ex quibus lumen accipit, quod Q. Curtius lib. 6. scribit Alexandrum, fidem quo Persae more accipiebant Nabarzani dedisse. Idemque lib. 8. de eodem Alexandro, Laetus, ait, simplicitate Barbari, rex dextram, fidei suae pignus, dedit.

Iurauit ergo Nabarzani Alexander, dextraque internuncio data, testatus est non violatum iri.

CAPVT VII.

ARGVMENTVM

Hyrcaniam ingreditur, quam Curtius cum Caspio mari describit.

Q Vadrato tamen agmine & composito ibat, speculatores subinde praetermittens qui explorarent loca. Leuis armatura ducebat agmen, phalanx eam sequebatur, post pedites erant impedimenta: & gens bellicosa, & natura situs difficilis aditu, curam regis intenderat. Namque perpetua vallis iacet vsq. ad mare Caspium patens. Duo terrae eius velut brachia excurrunt, media flexu modico sinum faciunt Lunae maximè similem, cùm eminent cornua nondum totum orbem sidere implente. Cercetae & Mosini,

Moßini, & Chalybes à leua sunt: ab altera parte Leucosyri, & Amazonum campi: & illos quà vergit ad Septentrionem, has ad occasum conuersa prospectat. Mare Caspium dulcius ceteris, ingentis magnitudinis serpentes alit: piscium in eo longè diuersus ab alijs color; quidam Hyrcanium appellant. alij sunt qui Mæotim paludem in id cadere putent, & argumentum afferunt, aquam, quo dulcior sit quàm cætera maria. infuso paludis humore mitescere. Ad Septentrionem ingens in litus mare incumbit, longeque agit fluctus, & magna parte exæstuans stagnat. Idem alio cæli statu recipit in se fretum, eodemque impetu quo effusum est, relabens, terram naturæ suæ reddit: & quidam credidêre, non Caspium mare esse, sed ex India in Hyrcaniam cadere, cuius fastigium (vt supra dictum est) perpetua valle submittitur. Hinc rex viginti stadia processit, semita propemodum inuia, cui silua imminebat: torrentesque & eluuies iter morabantur, nullo tamen hoste obuio penetrant, tandemque ad cultiora peruentum est. Præter alios commeatus, quorum tum copia regio abundabat, pomorum quoque ingens modus nascitur, & vberrimũ gignendis vuis solũ est. Frequens arbor faciẽ quercus habet, cuius folia multo melle tinguntur: sed nisi solis ortum incolæ occupauerint, vel modico tepore succus extinguitur.

QVADRATO TAMEN AGMINE) Iam suprà de hac forma, & alijs etiam disputatum. verbo dico. Quadratum agmen est, cuius latera, tergum, & frons æqualia sunt, vel latitudo maior est longitudine, nec contra. appellaturque recta acies. Caussam addit, quod exercitum Imperator semper quasi in hostico paratum ad pugnam habeat.

LEVIS ARMATVRA) velites hasta, clypeo, gladio, & galea instructi.

DVCEBAT AGMEN) præcessit, iustum exercitum & phalanga.

POST PEDITES) post phalangem sequebantur impedimenta, sarcinæ, machinæ, arma, cum lixis, calonibus, fœminis, opificibus.

GENS BELLICOSA) Hyrcani præsertim montani, qui transeuntis etiam Alexandri agmen extremum, quod ex Agrianis constabat, carpebant, sed iaculis repulsi sunt, vt docet Arrianus. Verè gentem siluis asperam appellat Solinus, quod feris etiam, quas alunt, immanissimis paria sortiti videantur ingenia.

CVRAM REGIS INTENDERAT) vt cautè, & composito agmine, instructaque acie procederet.

PERPETVA VALLIS IACET VSQVE AD MARE CASPIVM) An Strabo de hoc situ locutus? *Qui ad sinistram, inquit, in Caspium mare intranti offeruntur Nomades, à nostris hodie appellantur Daæ & cognomento Parni. Pòst solitudo est, sequitur Hyrcania. exinde mare altius iam fit, donec Medicos & Armenios attingant montes. Horum montium radices in Lunæ formam curuantur, quæ ad mare desinentes, intimum maris sinum efficiunt.* En quod de Luna dicit Curtius, idem Strabo testatur. l. 11. p. 350.

Sed quæ sequuntur de Cercetis, Chalybibus, & Mossinis, alijsque, ægrè cum his locis, & alijs scriptoribus concilies. Quod & Glareanus animaduertit, quando annotauit: *Vel ex hoc loco patet, quomodo nimis eam Septentrionis partem coarctarint Herodotum secuti auctores. Hyrcania enim sola hunc sinum non facit in modum Lunæ. Nec quos hic enumerat populi à Septentrione huic mari sunt: sed ab occasu longè inter se dissiti, maximè verò Cercetæ ac Leucosyri: quorum alteri in Bosporanis, alteri ad Themiscyram, ad quam etiam Amazonas ipse hic author paulò pòst descripturus est: Chalybes ad Pharmaciam: vt inquit Strabo lib. 12. Ptolemæus, Amazonas suprà Alexandri columnas ad Rha fluuium, qui nunc Rutenis siue Moschouitis Volga, Tartaris Edel vocatur, ponit. Quibus ad meridiem posuit Turcos: quamuis & in Græcis & in Latinis codicibus id nomen malè in Tuscos mutatum legimus. Moschicos montes Ptolemæus ponit Iberis ac Albanis ad meridiem: Attingunt autem Caspium mare. Moschica, inquit Strabo libro 11. tripartita est: nam partem habent Colchi, partem Iberes, partem Armenij. De Moschouitis, latius latis Tima hodie regione &c.* Videtur Mossinos, Moschos interpretari, quos & * Strabo cum Cercetis coniungit. Sed fallitur Glareanus, Leucosyros valde hinc remouet Strabo * eosdemque Cappadoces esse affirmat. Glar. num. 92. Ad lib. 7 Curtij, p. 177. ipsius editionis. *p. 343. *p. 373.

CERCETAE) ad Ponticum mare coluisse Melas tradit. *Reliqua eius, feræ incultaque gentes vasto mari assidentes tenent Melanchlæni, terrestria Sexsolyta, Coraxi,* Phthirophagi, Heniochi, Achæi, Cercetici.* Dionysius iuxta Euxinum eosdem Cercetas seu Cercetios collocat: ----- ϰαὶ οἱ πέλας εὐξείνοιο *Leùs fresser

Κερκέτιοί τ' Ορέται τε ϰαὶ ἀλκήεντες Ἀχαιοί.

Post hos Cercetij iuxta quos Axenus altis

Fluctuat æquoribus, nec non Oretæq; feroces &c.

Liberè vt vides. Melius qui ad verbum.

----- Et qui propè Euxinum

Cercetijque, Oretæq;, & strenui Achæi.

Ad quem locum Eustathius: Ἐκεῖ δὲ, φησὶ, ϰαὶ οἱ Κερκέτιοι ὧν ἡ χώρα Κερκετὶς λέγεται. Παρακειμένη τῷ προειρημένῳ Καυκάσῳ. *Ibi*, inquit, *& Cercetii, quorum regio Cercetis dicitur, Caucaso prædicto adsita.* Eosdem

Pli. l. 6. c. 5. Strabo. li. 11 p. 559. *Sunt diuersi à Græcis, inde tamē oriundi. Strabo p. 141. *Longobardi *pag. 567.

eosdem Cercetas Plinius in Colchica regione ponit. Strabo: περὶ τὴν λίμνην, inquit, Μαιῶται καὶ ... τῇ θαλάττῃ τῇ Βοσπορίᾳ κατὰ τὴν Ἀσίαν ἐστὶ καὶ ἡ Σινδική. μετὰ δὲ ταύτην *Ἀχαιοί, καὶ Ζυγοί, καὶ Ἡνίοχοι, Κερκέται δὲ καὶ Μακροπώγωνες. Circa Mæotidem paludem sunt Mæotæ, & ad mare Bosporanum Asiæ est, & Sindica sequuntur Achæi, Zygi, Cercetæ, Heniochi & *Longobardi. Idem *infrà, A Batis Artemidorus Cercetarum oram recenset, stationes habentem & pagos ad stadia ferè ↀ CCCL. (ita numerum interpretes emendauerunt, stationes habentem ... Græco enim est, σταδίους ὀκτακοσίους, hoc est octingenta stadia) Tum Achæorū & quasequūtur. Stadia porro octingenta efficiunt milliaria nostratia quinque & viginti. Atque hæc de Cercetis.

MOSSINI) Mosyni legas, non Mossini, vt vulgò & in Modianis etiam editionibus. nec Moschi, vt Glareanus. Et Mosynorum, seu Mosynum, mentio apud Periegetem; & eius interpretem Eustathium:

— καὶ οἱ μόσσυνας ἔχουσι
Δουρατέους —

Et qui turres (domos) habent ligneas.

Eustathius: τοὺς μοσσυνοίκους περιφράζων καὶ ἐτυμολογῶν ὁ Διονύσιος λέγει μόσσυνας ἔχειν δουρατέους ἤγουν ξυλίνους. Dionysius describens populos qui in ædibus seu turribus ligneis degunt, & vocis originem ostendens, dicit illos habere turres seu domos ligneas. Hi ferina & glandibus vescuntur. Strabo autem illos dictos

lib. 5. ait à Mosynis seu turribus. Xenophon tradit hos vti in cibis condiendis adipe delphinum, non secus ac Græcos oleo abundare, multa nuce solido nec fisso cortice, filios ait ali saginarique coctis & elixis nucibus, eosque esse teneros & admodum candidos, nec multo cibo indigere, perinde longos ac crassos. Vinum quoque apud illos nasci, quod merum purumque sit quidem amarum, sed mixtum & temperatum, dulce & gratissimi odoris. Albos omnes tam viros, quam fœminas. Sunt, inquit, ibi barbarissimi & inconditissimi, omniaq; publicè inter multos & turbas faciunt, quæ solent etiam in silvis & solitudine. In itinere soli perinde se gerunt, ac si essent & ambularent cum multis. Ridebant enim, inquit, & secum ipsi colloquebantur & saltitabant, consistentes vbi (nox) aut casus illos deprehenderit. Audiamus & Geographum de Mosynis narrantem:

Lib. 12. p. 643. Vniuersi qui montana ista incolunt, planè sunt feri. Sed Septem paganorū feritas omnium reliquorum superat feritatem: nam eorum quidam etiam in arboribus aut turriculis habitant, quæ cum Mosyni dicantur, ipsis Mosynæcorum appellatio inde obtigit. Carnibus ferinis, & glandibus arborum victitant. Insidiantur autem iter facientibus, in eos de suis desilientes turriculis. Septem pagani etiam tres Pompeij cohortes conciderunt, cùm ea per montes istos iter facerent. nam insani mellis crateras eis propinauerunt in itinere, quod arborum summa ferunt germina: eo poto iam mente abalienatos adorti facilè interfecerunt. Horum barbarorum quidam etiam Byzeres fuerunt nominati.

Lib. 1 voce Chalybes. Accipe & Melę verba: Mossynæci (ita Mosynes vocat) turres ligneas subeunt, notis corpus omne persignant, propatulo vescuntur, promiscuè concumbunt, & palàm reges suffragio deligunt, vinculisque & arctissima custodia tenent: atque vbi culpam prauè imperando meruere, inedia dies totius afficiunt. Cæterum aspere inculti, pernoxij appulsis: deinde minus feri.

Li. 12. p. 378 CHALYBES) Hos ita Geographus describit: Cæterùm qui nunc vocantur Chaldei, Chalybes antiquitus fuerunt nominati: penes quos potißimum Pharnacia est. Huic à mari commodat pelamydum captura, qui pisces ibi primum capiuntur. in terra autem ei prosunt metalla, nunc quidem ferri, priorib. verò temporibus etiam argenti. Omnino autem istis in locis ora maritima prorsus arcta est: Hatim enim imminent montes metallorum pleni, ac siluarum: agri parum colitur itaque vitilis relinquitur metallorum fossoribus è venis eorum: mare autem versantibus, è piscatura. pelamydum maximè & delphinorum. qui dum greges piscium sectantur, cordyla potißimum, thunni, ac pelamydis: pingues redduntur, ac facilè capiuntur, dum escam quærentes auidius, ad terram accedunt. hi ergo soli concidunt delphinos, & adipem eorum copiosum ad omne genetis vsus adhibent. Hos itaque censeo à poeta vocari Halizonos in recensione post Paphlagonas.

Duxit Halizones Odiusque & Epistrophus vnà
Ex Alyba procul, argenti quà vena secatur.

sius scriptura mutata ex Chalybe est in Alybam: siue homines isti olim Alybes pro Chalybibus dicti sunt. Neque enim nunc quidem pro Chalybibus Chaldai potuerunt dici: quondam autem non potuerunt ex Alybibus Chalybes fieri, præsertim cum vocabula multis sint obnoxia mutationibus, maximè barbarica.

Lib. 12. pa. 378 & seq. Disputat dein Strabo multa de nominum apud varias gentes permutatione, reditque ad Alazones: nobis hæc ad locum præsentem sufficiant. Audiamus etiam Dionysium:

Pag. 100.

Τοῖς δ' ἔπι καὶ Χάλυβες στυφελὴν καὶ ἀπηνέα γαῖαν
Ναίουσιν, μογεροῦ δεδαηκότες ἔργα σιδήρου,
Οἵ ῥα βαρυγδούποισιν ἐπ' ἄκμοσιν ἑστηῶτες,
Οὔποτε παύονται καμάτου καὶ ὀιζύος αἰνῆς.

Post hos autem etiam Chalybes duram & sauam terram
Habitant, laboriosi edocti fabricam ferri:
Qui quidem grauisonas (grauifremas) ad incudes stantes
Nunquam cessant à labore & ærumna graui.

Ad

Ad quem locum Eustathius: τούτους τοὺς χάλυβας ἄλλοι χαλβίους ἐκάλεσαν (ἔθνος δέ ἐστι Ποντικόν, περὶ τὸν θερμώδοντα) ἀφ' ὧν σίδηρος φασὶν, ἐξάγεται ὁ πρὸς τὰ στόματα ἐπαρτώμενος, ἤτοι πρὸς τὰ στομώματα. pag. 101. col. 1. post med.
ὅθεν καὶ χαλυβικὸς κνώδων, καὶ πλεονασμῷ τοῦ δ, χαλυβδικὸς παρὰ τῷ Λυκόφρονι, ὁ ἐξ ἀρίστου σιδήρου. Ἀρριανὸς δὲ οὕτω φησὶν, χάλυβες πρῶτοι ἀνθρώπων αἰτίαν ἔχουσι χαλκεύσασθαι σίδηρον. Ξενοφῶν δὲ ὀλίγους τε αὐτοὺς εἶναι λέγει, καὶ τῶν Μοσυνοίκων ὑπηκόους· καὶ τὸν βίον αὐτῶν τοῖς πλείοις ἀπὸ σιδηρείας εἶναι. Interpretor: Hos Chalybas alij Chalbios appellant (gens est Pontica ad Thermodontem) à quibus ferrum exportatur, quod maxime ad cuspides siue mallearum rostra duranda laudatur, vnde & acies Chalybica & per pleonasmum Chalybdica apud Lycophronem, quæ est ex optimo ferro. Arrianus, Chalybes, inquit, principes hominum vsum habent tractandi ferrum. Celebrat & Aeschylus hoc genus ferri. Xenophon populum ait esse rarum & parum numerosum. Mosynæcis subiectum, victumque sibi vt plurimum arte ferraria comparare. Mela de eisdem: Chalybes proximi clarissimas habent Amison & Sinopen Cynici Diogenis patriam: amnes Halyn & Thermodonta. Secundum Halyn vrbs est Lycasto: à Thermodonte, campus in eo fuit Themiscyrum opidum, fuere & Amazonum castra. Ideo Amazonum vocant. stahel

AB ALTERA PARTE LEVCOSYRI) à dextra Caspij maris Leucosyri: postea Cappadoces dicti. Plinius à Cappadoce flumine nomen traxisse docet. Dicuntur Leucosyri ad discrimen nigrorum. Eustathius ad Dionysium. λευκόσυροι λέγονται πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν ἑτέρων μελαγχρόων Σύρων. Lib. 6. c. 3. Leucosyri dicuntur albi Syri, ad discrimen nigrorum. Strabo: Et qui propriè nunc Syri appellantur, vsque ad Cilicos & Phœnices & Libyas, & Aegyptium pelagus, ac Issicum sinum. Syrorum nomen tendere videtur à Babylonia vsque ad Issicum sinum, & ab hoc olim vsque ad Euxinum. Etenim vtrique Cappadoces tum qui ad Taurum, tum qui ad Pontum iacent, ad hoc vsque tempus Leucosyri, id est, albi Syri nominantur, licet quod sint aliqui etiam Syri nigri: hi autem extra Taurum sunt. Taurum dica eum, qui ad Amanum vsque nomen extendit. Aemilius Probus in Datame. Habuit prouinciam Ciliciæ iuxta Cappadociam, quam incolunt Leucosyri. Lib. 16 p. 507.

AMAZONVM CAMPI) Amazonum castra, vbi Themiscyrum opidum Amazonum Plinius & Solinus: vltra hos (Arimphæos) Cymmerij & gens Amazonum porrecta ad Caspium mare & Hyrcanum. Aduertendum ex Eustathio Amazones multos passim in Asia incoluisse locos & regiones, quod fontes & vrbes ab illis dictę hodieque ostendunt: cuiusmodi sunt, Ephesus, Anæa, Myrrhina, Aeolica, Elæa, & ad Pontum Thiba. Strabo: Περὶ δὲ θερμώδοντα καὶ τὸν Ἶριν ὅλη Θεμίσκυρα τὸ τῶν Ἀμαζόνων πεδίον. ad Thermodontem & Irin tota Themiscyra campus Amazonum. Hæc de campo Amazonum, cuius etiam alibi mentio apud Strabonem. De ipsis Amazonibus peculiaris infrà locus occurret. Cap. 10. lib. 6.

ET ILLOS) Cercetas, Mosynos, Chalybes, vallis ad Septentrionem vergens, hos Leucosyros & Amazonas ad occasum versa respicit.

MARE CASPIVM DVLCIVS CAETERIS) De hoc mari veterum & recentium scriptorum sententiæ prorsus in diuersa & contraria abeunt. Veteres enim (non omnes tamen) vel ex Indi Oceano, vel ex Ponto Scythico inundari, vel Mæotica palude misceri, indeque reliquis esse dulcius, & maria sunt e fontibus auri, e tradiderunt. Recentiores omnes, qui omnia ferè terrarum spacia & maria sunt emensi, mediterraneum affirmant, suis scaturiginibus, & fontibus amnibusque exceptis dulcedine tenere, eum vndique clausum, nisi quod haud pauca flumina in illud exonerentur. Arrianus imperator, quamquam Curtius falsò Mæotidis palude miscere existimarit, Arrianus ferè solertior & curiosior cæteris auctoribus, fatetur Alexandri Magni æuo nondum fuisse inuenta maris Caspij initia, quæ rex studuerit indagare: Post hac, inquit Arrianus, Alexander Heraclidem Argæi filium cum nauium architectis in Hyrcaniam mittit, qui excisa è montibus Hyrcaniæ materia, naues oblongas conficiat: partim tectas, partim apertas, Græcarum nauium instar. Cupiebat enim etiam illud mare & Caspium atque Hyrcanium, & cui mari committatur cognoscere, verum ponto Euxino, verum ab Orientali mari Indos versus circumductus Oceanus in sinum Hyrcanium refundatur. (quemadmodum etiam Persicum, rubrum mare alij vocant sinum Oceani esse comperierat) Neque enim adhuc inuenta erant Caspij maris initia, quamuis multæ gentes circum ipsum incolerent, multique amnes nauigabiles in illud mare ferrentur. Nam ex Bactris Oxus maximus Asiæ fluuiorum, Indicis exceptis, in Caspium mare fluit: per Scythas, Oxyartes. Araxem quoque, qui ab Armenijs fluit, in hoc mare ferri plerique tradunt: atque hi quidem maximi amnes sunt. multi verò præterea alij in hos fluuios illabentes, & ipsi seorsim in istud mare exeunt: partim ab ijs qui cum Alexandro gentes illas obierunt cogniti, partim vltra sinum in Scythas Nomadas dictos, labentes, in vniuersum nobis incogniti. Lib. 7. p. 158.

Strabo multa mendacia à veteribus de hoc mari etiam à Macedonibus sparsa credit, quando etiam de hoc mari dicit Προσεδοξάσθη δὲ, & quæ sequuntur in Græcis: tu latina accipe: Multa, inquit, Asiam ab Europa diuidi omnino mendacia opinio multorum pro veris accepit. Quando enim in confesso est, Asiam ab Europa diuidi Tanai flumine, ac magna Asiæ portio, quæ inter Tanaim est & mare, non paruit Macedonibus. Decreuerant autem id aliqua arte conficere, vt saltem fama iactaret istas quoque partes ab Alexandro fuisse subactas. His inductis rationibus, in vnum conduxerunt Mæotidem paludem, quæ Tanaim haurit, & Caspium mare, hunc quoque paludem nuncupantes, dicentesque meatu quodam effosso eas inter se coniungi, & vnam esse alterius partem. Polycletus etiam argumenta profert, quibus fidem faciat Hyrcanum mare paludem esse, quia Lib. 11 p. 351

quia & serpentes educet. & aquam habeat dulcem. Porro eandem esse cum Maote de colligit, quia Caspium lacus Tanaim recipiat. Etenim ex ijsdem Indicis montibus, vndis Ochus & Oxus alijq; complures profluunt. labitur Iaxartes, vtque reliqui in mare Caspium exit, de omnibus Septentrioni proximum. Hunc ego Iaxartem Tanaidis nomine insigniuerunt. atque hoc ipsum confirmare aggressi sunt, eum esse Tanaim, quem Polycletus dixit. Nam eius sitam regionem, ferre abietem, ibique degentes Scythas abiegnis vti sagittis, quod certissimum sit iudicium, eam Europæ esse, non Asiæ partem. Nam Asiam superiorem & Orientalem non producere abietem. At Eratosthenes ait in India quoque nasci abietem, indeque classem exstructam ab Alexandro, multaque id genus alia conatur congerere Eratosthenes. Nobis hæc satis sit de illa redixisse. Strabo.

Li.1.c 203. pag.84. Herodotus tamen cum recentioribus facit, nec cum vllo alio mari mixtum docet. Hæc per sese est, nec cum vllo alio commiscetur. Nam & illud quod Græci omne per se nauigant, & id quod extra columnas est, Atlanticum dictum & rubrum, idem est mare. Caspium verò est alterum, ac per seipsum, longitudinis quindecim dierum, cursu nauis quæ remis vtatur: latitudinis, vbi spatiosissimum est, octo dierum. Est autem, quæ ex parte ad vesperum vergit, Caucaso prætentum monte, ceteri cum maxima vastitas, tum summa est altitudo, multasque atque omnifarias gentes habet, ac plerasque omnes agresti materia victitantes: vbi arborum frondes ijs quæ sunt apud nos similes feruntur esse. quibus contusis, & aqua dilutis illi animalia in suis vestibus pingere dicuntur: eaque animalia nunquam elui, sed perinde ac si ab initio essent intexta, sic cum reliqua lana veterascere. Horum quoque hominum concubitus sicuti pecorum in propatulo esse. Et huius quidem maris quod Caspium vocatur, partem quæ ad vesperam vergit, Caucasus disterminat: quæ verò parte vergit ad auroram orientemque solem, planicies excipit prospectu immensa magnitudinis. Quam spaciosam planitiem non ex minima parte Massagetæ possident. Habes hic simul & longitudinem & latitudinem maris Caspij. Cum Herodoto etiam Ptolemæus consentit, qui penitus totum tanquam lacum circuiri posse affirmat. Dionysius Alexandrinus Periegetes totam terram circumfundi Oceano existimat, illumque in varios sinus excurrere cùm paruos, tum magnos, sed in quatuor maximos, à quibus etiam nomina sua traxerit. Primumque occiduum seu Atlanticum mare gignere, alterum Caspium seu Hyrcanium, tertium Persicum & Arabicum, postremum Euxinum.

Cæterum Eustathius conciliari dicit Herodoti & Ptolomæi sententiam à veteribus cum Dionysij opinione, quod dicant Cronij maris, seu Saturnij æstus non per apertos, sed occultos meatus ferri in Caspium.

Mela li. 3. in vocab. Scythia. vel ca.5.p. 39. v. 11. à f. Mela quoque procul vero aberrauit, cùm de Caspio scripsit: Caspium vt angusto, ita longo etiam freto primum terras, quasi fluuius, irrumpit: atq; vbi recto alueo influxit, in tres sinus diffunditur, contra os ipsum in Hyrcanium, ad sinistram in Scythicum, ad dextram in eum quem propriè & totius nomine Caspium appellant: omne atrox, sæuum, sine portubus, procellis vndique expositum: ac belluis magis quam cætera refertum, & ideo minus nauigabile.

Cap 27. Nec veriora Solinus cum scribit: Amazonum gens porrecta ad Caspium mare, quod dilapsum per Asiatica terga plaga, Scythicum irrumpit Oceanum.

Pli.l.6.c.13. pag. 114. v. 10. Plinius accuratè mare hoc dimetitur, quamuis illud contra fidem ex Scythico Oceano erumpere tradat.

Sed mira sunt quæ subijcit Dionysius, in mari Caspio nasci Crystallum & Iaspim Aerizusam, siue colore aerem æmulatam, subobscuram, & Empusis spectrisque alijs infestam. Videtur enim lapis iste salutarem quandam in se vim continere, atque laruas & phantasmatum monstra auerruncare & amoliri, quorum vnum est Empusa genius aliquis Hecates, qui vno pede incedit, vnde & nomen accepit, quasi tu diceres, vnipes, altero nempe pede animalis, altero æreo, prout est in fabulis. Hæc Eustathius. Sed quæ isthæc fabula, quæ Empusa, quæ Lamia, & Mormolycia, quod phasma seu Catullianum seu Tyanæum?

Philostrat. lib.2. de Apollonio Tyanæo p. 58. Dio Chrys. in Lybica fabula. Plut in Lamia. * Sntag.12. Deor.p. 349. Varij de hoc prodigioso monstro tradidere præter hunc Dionysium & Eustathium, Philostratus, inquam, Suidas in voce Empusa, Lucianus in commentario de saltatione, Aristophanes in Ranis & eius Scholiastes, Eusebius Cæsariensis contra Hieroclem p. 447. apud Philostratum. Nos Gyraldum audiamus: Empusa, inquit, Dæmonis nomen. Hesychius: Spectrum, inquit, seu phasma specie dæmonis ab Hecate immissum, & vt nonnulli putant, vno pede vtens. Sed tamen Aristophanes Empusam subinde mutari in alias formas dixit, & eius interpres repetit, id quod & apud Lucianum in comment. de saltationibus traditur, cuius hæc sunt verba: Videbis igitur ipsos eodem in tempore subito in aliam transmutari speciem, atq; ipsum referre Proteum. Quin & Empusam exemplū conferre oportet, quæ sese in innumerabiles vertit formas. Nostro hoc tempore, quibus hoc phantasma muliebre apparuerit, audiuimus. Legi qui putarent illud regis Dauidis meridianum dæmonium huiusce terriculamentum significare. Sanè Empusa etiam aliquando numero plurium proferri videmus, vt in hoc Dionysij, vbi de hyaspide loquitur, ἐχθρὴν ἐμπούσῃσι καὶ ἄλλοις εἰδώλοισι, hoc est, Empusis inimicam alijsque etiam simulacris. Quidam cum Hecate Empusam statuunt, id quod & Aristophanes alicubi significare videtur. Putat dictam Eustathius, quod vno incedat pede: alij duos quidem illi attribuunt: sed ferreum alterum, vt in Ranis Aristophanes: Sunt qui asininum tribuunt. Alia permulta legimus de huiusmodi phantasmatibus, quæ nunc tantum insinuasse sufficiat. Id vnum non reticuerim, quod in quarto scribit Philostratus in vita Apollonij Tyanæi, qui ait ex ipsius Apollonij sententia, Empusas

pusas etiam Lamias vocari,& Marmolycias,quo loco & lepidissimam narrat historiam Menippi Lycij , quo
Corinthi à Lamia amaretur:vbi de Lamijs & huiusmodi terriculamentis lectu digna & cognitu leges. De
Lamijs Plut.& Dio Chrysost in Libyca fabula,qui eas describunt:vnde suam deflexit Lamiam vir doctiss.
Politianus. Porrò & Thebani Veneris Lamiæ templum erexerunt , de nomine Lamiæ amicæ regis Demetrij.
Lamia etiam proprium nymphæ nomen,Sibyllæ matris:item nobilis familia,à Lamo scilicet. Sed de Lamijs
alio loco copiosius dicam. Sanè & Demost. Empusæ meminit,& Arpocration rhetor , item Eusebius contra
Hieroclem,& in Apollonii Rhodii commentarius de Empusa & Hecate multa. Fuit & Empanda dicta pa-
ganorum dea quadam,ex Festo.

Vin' & nostrum Delrium,quid de hoc monstro sentiat nosse? Dæmonium,inquit, meridianum cū Delr.lib. 2.
Empusa confundit Scholiastes Aristophanis,Empusam exponens δαιμόνιον μεσημβρινόν. Ego Empusam puto q.27.sect.
etiam nocturnum fuisse spectrum:sed,cum noctu apparebat,Hecaten;cum meridie, dæmonium meridianū 1 pag.245.
vocatam.illa se in omnes formas mutabat:fiebat,vt ait Epicharmus,in Hebes nuptiis,planta,bos,vipera,la- edit.Mog.
pis,musca,fœmina;addit Aristophanes mulam,& ingentem belluam;alii vnicum crus æneum,alii asininum,
vel crus vel membrū tribuunt,hinc vocata ὀνόκωλος,inde ὀνοσκελὶς. Theodoretus in Isaiā,Onocentauros
veteres quidem Empusas,qui autem nunc viuunt appellant ὀνοσκελίδας.cui consentit Scholiastes Aristopha-
nis. Denique fiebat Empusa quicquid cupiebat,quicquid illi expediebat,vt ait Epicharmus.Hæc de meridia-
no: De nocturnis dæmonibus constat,noctem quasi proprium esse scamma spectrorum,& dæmonum; vnde &
principes tenebrarum dicuntur,& legimus,potestatem tenebrarum.

Idem: Primò occurrit Hecate,triuiorum & quadriuiorum præses,triplici facie,dextrâ equi , sinistrâ Pag.242.
canis,mediâ fœminæ:hanc censebant spectrorum immittere terriculamenta,& illa aduentante solum tre- edit.Mog.
mebat,& rhedarum fulgur cernebatur,quod sacros ignes vocat Seneca,& canibus multis cincta aduenta-
bat,quorum terribiles vlulatus & latratus audiebantur.hanc quando speciem mutabat, Scholiastes Apol-
lonii in lib.3. censuit Empusam vocatam:sed alii distinguunt &c.

Maiolus Coll.3.de Sagis,plurima de hoc monstro,quæ ipse videbis p.626.& sequentibus.

[Pal]VSO PALVDIS HVMORE MITESCERE)Longè remotum est Caspium mare à Mæotide
[pal]ude,mendosaque est opinio cadere paludem in illud mare.Caussa autem dulcedinis est , quod
[i]is fontibus,vti lacus,abundet,& dulcia passim flumina exhauriat,vel iam ostendi.Solinus: Mare Cap.22.vel
[Cas]pium Caspium ex altero Ponti latere vltra Massagetas,& Appellaos Scythas,esse in Asiatica plaga , dulce cap.30.
[b]ibi Alexandro magno probatum est:mox Pompeio Magno,qui bello Mithridatico , sicut commilito eius
[tra]dit,ipsis haustibus periclitari fidem voluit.Id euenire produnt è numero fluminum , quorum tanta
[co]pia ibi confluit,vt naturam maris vertat.

SERPENTES ALIT)Mela: Beluis magis quàm cætera infestum,& ideò minus nauigabile . Siculus Pag.3.&39.
[...]e de serpentibus:ἐν ταύτῃ δέ φασι πολλοὺς καὶ μεγάλους μὲν ὄφεις γεννᾶσθαι,ἰχθῦς δὲ παντοδαποὺς τῷ Lib.17.pa.
[χρώματι] πολὺ τῶν παρ' ἡμῖν διαλλάττοντας. In pelago isto multos ingentis magnitudinis serpentes,& pisces om- 848.
[nis ge]neris,qui colore à nostratibus plurimum differunt,gigni perhibent.Quod hic Siculus etiam de pisci-
[b]us [...]et,idem subijcit Curtius.

SEPTENTRIONEM)Agit hic de euripis seu accessu & recessu maris Caspij, quem æstum
vocant [...] de quare quamuis multa passim scriptores,de Caspio mari non item. Et si libet exæstuantis
cuiuscumque maris naturam & caussas nosse,consules Philosophum in problem. sect.23.Meteor.lib.
2.c.2.&P[lini]um 1.Ptolemæum lib.2.c.12.Plutarchum de placitis Philosophorum,Senecam Natural.quæst.
[...]nium l.2.c.97.qui multa paucis & eleganter: Aestus maris,inquit , accedere & reciprocari,
maximè [...]rum: pluribus quidem modis,verum causa in Sole,Lunaque.Bis inter duos exortus Lunæ afflu-
unt,bisque remeant,vicenis quaternisque semper horis.Et primùm attollente se cum ea mundo intumescē-
tes,mox à meridiano cæli fastigio vergente in Occasum residentes:rursusque ob occasu subter cæli ima, &
meridiano contraria accedente inundantes:hinc donec iterum exoriatur se sorbentes. Nec vnquam eodem
tempore,quo pridie,reflui,vt ancillante sidere,trahenteque secum auido haustu,maria , & assiduè aliundè,
quàm pridie exoriente:paribus tamen interuallis reciproci senisque semper horis,non cuiusque diei aut no-
ctis,aut loci, sed Aequinoctialibus:ideoque inæquales vulgarium horarum spacio, vtcunque plures in eas aut
diei aut noctis illarum mensura cadunt,& Aequinoctio tantum pares vbique. Ingens argumentum, plenūq;
lucis ac vocis etiam diurnæ,hebetes esse, qui negent subter meare sidera,ac rursus eadem resurgere,similem-
que terris,imò verò vniuersæ naturæ exinde faciem in iisdem ortus occasusque operibus,non aliter sub terra
manifesto sideris cursu,alioue effectu,quam cum præter oculos nostros feratur.

Tu si vacat totum percurre caput,quo ostendit naturam Lunæ,& quæ æquora maximè per æ-
stum se effundant. Plura infra ex Conimbricensibus lib.9.c.16.vbi Curtius ex instituto de æstu ma-
ris disputat.

RECIPIT SE IN FRETVM)Rectè Acidalius:mare latè stagnans recipit se in fretum, non vt
vulgò,recipit in se fretum.Nec enim æstus recipit in se fretum,sed fretum recipit in se reciprocantē
æstum.

ALIO COELI STATV)Hoc iam ex Plinio audisti & audire potes in sequentibus. Multiplex e-
tiamnum lunaris differentia primumque septenis diebus. Quippe modici noua ad diuiduam æstus, pleniore
ab ea exundant,plenaque maximè feruent.Inde mitescunt. Pares ad septimam primis: Iterumque alio late-
re

vs dimidua augentur. In coitu solis pares Planè eadem Aquilonia, & à terris longius recedentes mitiores, quam
cum in Austros digressis, propiore nisu vim suam exercet. Per octonos quoque annos ad principia motus & pa-
ria incrementa centesimo Lunæ reuocantur ambitu, augente ea cuncta solis annuis causis, duobus Aequino-
ctijs maximè tumentes, & autumnali amplius, quàm verno: inanes verò bruma, & magis solstitio. Nec tamen
in ipsis, quos dixi, temporum articulis: sed paucis post diebus: sicuti neque in plena aut nouissima, sed postea:
nec statim vt Lunam mundus ostendat occultetue, aut media plaga declinet, verùm duabus ferè horis Aequi-
noctialibus serius, tardiore semper ad terras omnium, quæ geruntur in cælo, effectu cadente, quam visu, sicuti
fulguris, & tonitrus, & fulminum. Omnes autem æstus in Oceano maiora integunt spacia inundantque, quam
in reliquo mari: siue quia totum in vniuersitate animosius est, quam in parte, siue quia magnitudo aperta si-
dentis vim laxè grassantis efficacius sentit, eandem angustijs arcentibus. Qua de causa nec lacus, nec amnes
similiter mouentur. Octogenis cubitis supra Britanniam intumescere æstus Pytheas Massiliensis auctor est.
Interiora autem maria terris clauduntur, vt portu. Quibusdam tamen in locis spaciosior laxitas ditioni pa-
ret, vtpote cum plura exempla sint, in tranquillo mari, nulloque velorum impulsu, tertio die ex Italia pro-
uectorum Vticam, æstu feruente. Circa litora autem magis quàm in alto deprehenduntur hi motus: quoniam
& in corpore extrema pulsum venarum, id est, spiritus magis sentiunt. In plerisque tamen æstuarijs, propter
dispares siderum in quoque tractu exortus, diuersi existunt æstus, tempore, non ratione, discordes, sicut in
Syrtibus. Et quorundam tamen priuata natura est, velut Tauromenitani euripi sæpius, & in Eubœa septies
die ac nocte reciprocantis. Aestus idem triduo in mense consistit, septima, octaua, nonaque luna. Gadibus qui
est delubro Herculis proximus, fons inclusus ad putei modum, aliàs simul cum Oceano augetur minuiturque,
aliàs verò vtrumque contrarijs temporibus. Eodem in loco alter, Oceani motibus consentit. In ripa Bætis op-
pidum est, cuius putei crescente æstu minuuntur, augescunt decedente, medijs temporum immobiles. Eadem
natura in Hispali oppido vni puteo, cæteris vulgaris. Et Pontus semper extra meat in Propontidem, intror-
sus in Pontum, nunquam refluo mare. En de Caspij maris æstu nulla litera.

Obserua, quod Dalecampius ad Plinium notauit, quomodo veteres Romani æstum acceden-
tem & reciprocantem appellarint: Romani, inquit, veteres æstum maris accedentem Venilism appella-
runt: reciprocantem verò & in salum redeuntem, Salaciam. Cum autem in Germanicum Oceanum pene-
trassent, Germanico vocabulo pro Venilia, Maladinam dixêre, vulgò maree, & pro Salacia Lidunam, quibus
vocabulis vsus est Marcellus Empiricus. Conficitur, inquit, 12. Cal. Iulias Non interest quo die vel Lu-
na: Liduna vel Malina His verbis apparet obseruatione superstitiosa Marcellum credidisse, alias vires her-
bis esse collectis, cum mare inundat, aliàs cum recedit Oceanum refusum vocat Virg. 7. Aeneid. refluentem
ἀψόρροον Homerus: idem æstum extumescentem ἀλοσύδνην vocat. Vide Scalig. in Festum. voce Salacia.

NON CASPIVM) Oceano misceri, suprà Dionysius docuit, cum Scythico confundi Mela, Soli-
nus & alij veteres nequicquam docuerunt. Subijciam hic etiam * Plutarchi verba: Sinum illic maris
Ponto (vt apparebat) inuenit non minorem, sed cætero mari dulciorem. Verùm certi nihil habuit de eo dis-
cere. Omninò coniecit Mæotin lacum illuc restagnare. Atqui non præterijt Physicos veritas, sed multis ante
Alexandri expeditionem annis scripserunt in quatuor sinibus, qui ex Oceano subeunt, continentem,
hunc maximè ad Boream vergere.

*In Alexandro p. 690.

CVIVS FASTIGIVM) Hyrcaniæ terræ pars altior se paulatim submittit, & in vallem longis-
simam procumbit, vnde putant Oceanum infundi.

Hyrcania enim pars inculta & siluis horrida, pars cultissima & fertilissima est.

POMORVM INGENS MODVS) De ficu arbore hoc accipio, docente Siculo, * qui hunc totum
Curtij locum, inde sua mutuantis, mirificè illustrat, miraque de illius fertilitate hæc narrat:
Regio enim hac fructuum vbertate cæteras longè superemineet: vnaquaque enim vitis, aiunt, metretam vini
producit. Inter ficus arbores quasdam tanta fructuum copia exuberare, vt x. medimnos exsiccatis ficubus
impleant. Relictum in messe frumentum in terram cadit, & absque semente progerminans, frugum vim ma-
ximam ad maturitatem perducit. Arbor in gente illa existit, quercui forma non absimilis, quæ mel folijs de-
stillat. Hoc incolæ collectum in vsus suos prolixè conuertunt. Est etiam volucris hic quadam bestiola, Anthre-
donem vocant, api quidem minor, sed maximè nobilis & conspicua. Per montes enim pabula quæritans, va-
rios hinc inde flores delibat, inque petris concauis, & arborибus cælo tactis alueolos habens favorum cellas
confingit, & liquorem eximiæ dulcedinis ac melle non inferiorem constipat. Strabo * breuiter
Et propter felicitatis speciem, ostenta existimant. Nam vitis metretam vi-
ni fert, ficus medimnos LX. frumentum semen è semine quod ex a-
rista excidit, nascitur in arboribus apiaria extant,
& mel de folijs defluit. Idem fit in Matiana
Mediæ, & in Armeniæ Sacasena *
& Araxena.

*lib. 17. p. 548.

*lib. 2. p. 75.

*Schlasseffens lande.

CA-

Apud Plin. p. 41. in no[tis].

CAPVT VIII.

ARGVMENTVM.

Satrapas Persarum supplices in fidem accipit. Artabazo etiam dextram porrigit. Græcis ignoscit præter Lacedæmonios in custodiam datos. Democrates Atheniensis ius sibi gladio dicit.

TRiginta hinc stadia processerat, cum Phrataphernes ei occurrit, seque & eos qui post Darij mortem profugerant, dedens: quibus benigne exceptis ad oppidum Aruas peruenit. Hic ei Craterus & Erigyus occurrunt, præfectum Tapyrorum gentis Phradatem adduxerant. Hic quoque in fidem receptus, multis exemplo fuit experiendi clementiam regis. Satrapem deinde Hyrcaniæ dedit Menapim, exul hic regnante Ocho ad Philippū peruenerat. Taurorum quoque gentem Phradati reddit. Iamque vltima Hyrcaniæ intrauerat, cum Artabazus, quem Dario fidißimum fuisse supra diximus, cum propinquis Darij ac suis liberis, modicaque Græcorum militum manu occurrit. dextram venienti obtulit rex: quippe & hospes Philippi fuerat, cum Ocho regnante exularet, & hospitij pignora inter regem suum ad vltimum fides conseruata vincebat. Comiter igitur exceptus, Tu quidem, inquit, rex, deos quæso, perpetua felicitate floreas; ego cæteris lætus, hoc vno torqueor, quod præcipiti senectute diu frui tua bonitate non possum. Nonagesimum & quintum annum agebat. Nouem iuuenes omnes eadem matre geniti patrem comitabantur. Hos Artabazus dextræ regis admouit, precatus vt tam diu viuerent, donec vtiles Alexandro essent. Rex pedibus iter plerunque faciebat. Tunc admoueri sibi & Artabazo equos iussit, ne ipso ingrediente pedibus, senex equo erubesceret. Vt deinde castra sunt posita, Græcos quos Artabazus adduxerat, conuocari iubet. At illi, nisi Lacedæmonijs quoque fides daretur, respondent, se quid agendum ipsis foret, deliberaturos. Legati erant Lacedæmoniorum missi ad Darium, quo victo applicauerant se Græcis mercede apud Persas militantibus. Rex omissis sponsionum fideique pignoribus, venire eos iussit, fortunam, quam ipse dedisset, habituros. Diu cunctantes plerisque consilia variantibus, tandem venturos se pollicentur. At Democrates Atheniensis, qui maxime Macedonum opibus semper obstiterat, desperata venia, gladio se transfigit. Cæteri (sicut constituerant) ditioni Alexandri sese ipsos permittunt. M D. milites erant. Præter hos legati ad Darium missi XC. In supplementum distributus miles. ceteri remissi domum, præter Lacedæmonios, quos tradi in custodiam iussit.

TRIGINTA HINC STADIA) Non totum milliare germanicum.

PHRATAPHERNES) Hunc Arrianus Hyrcanorum & Parthorum satrapam appellat. Siculus rem narrat, nomina prætermittit. Hic Phradaphernes infrà sæpius recurrit. Cæterùm hoc genus nomina, quæ in -phernes finiunt, frequentia Persis & Babylonijs fuêre. In literis sacris habes Holofernem, quod se... tem ducem sonat; apud Arrianum Dataphernem, Phradafernem, & hoc genus alia; quæ ferè possunt eandem significandi vim habere.

BENIGNE EXCEPTIS) Nec enim erāt ex proditoribus & parricidis Darij, sed ad vltimā fortunā cum suo rege optima fide perstiterant. Virtus autem & fides etiam in hoste laudanda & amanda.

OPIDVM ARVAS) Patum celebre apud scriptores. Videtur Ptolemæi Amarua seu Amarusia haud procul Caspio mari.

PRAEFECTVM TAPVRORVM) Tapurorum seu Tapyrorum, non Taurorum, vt in priore editione ex Modio vulgaueramus. Apud Arrianum dicuntur Τάπυροι, apud Siculum τάπυροι, vnde Latinis alijs Tapuri, alijs Tapyri appellati. Ninus Semiramidis maritus, primus gentem hanc cum innumeris alijs subegit, vt Siculus testatur. Stephano sunt Τάπυρροι duplici ρ, ἐν πύρρῳ ὀρχατίας ἔθνος. Tapyri gens, inquit, non procul ab Hyrcania. Quadratus Τάπυρρα locum vocat; gentem, Ταπυρραίους. Strabo Ταπύρους Tapyrios, quorum mores his verbis describit: Tapyriorum est, quod viri atrati incedunt coma promissa, mulieres candidatæ coma breui, habitant inter Derbicos & Hyrcanos. καὶ ὁ ἀνδρειότατος κριθεὶς γαμεῖ ἣν βούλεται fortissimus illorum iudicatus, ducit quam vult vxorem. Et alio loco Li.11.p.354. Tapyros seu Ταπύρους appellitat:

*Solino, Curtio, Plinio.

Dionysius Periegetes Tapyros cum Hyrcanis quoque coniungit:
ὑρκάνιοι ταπυροί τ' ----
352 Sed Eustathius apud Dionysium legit, Ἄπυροι pro τάπυροι, τάπυρας δὲ, inquit, ἐγγειτόνας Μάρδοις
ἢ ὑρκάνιοι ἢ Ἄπυροι, οὓς ταπύρους φησὶν ὁ γεωγράφος ἀρχόμενος ἀπὸ τοῦ. Hi sunt nimirum sunt Mardi Hyrcanis
& Apyri, quas Strabo Tapyros vocat adiecta à principio litera T.
Cæterum Tauri quoque gens nobilis erat, sed procul ab Tapyris remota.
CRATERVS ET ERYGIVS) duces Alexandri factis & fama incliti. De horum occursu Ar-
Arr. p. 70. rianus,
Motis inde castris, in Hyrcaniam progressus, Zadracarta vrbem petit. Eodem ferè tempore Craterus
ad eum venit, non inuentis quidem exteris, qui Darium secuti fuerant: omnem verò regionem, per quam
iter fecerat, partim vi, partim deditione incolarum receperat. Erigyus quoque cum impedimentis & curri-
bus eodem peruenit.
PHRADATEM) Hunc, vt audisti, Arrianus Autophradatem appellat. quem ad Tapyros in
suam satrapiam remisit, sed demum vinctum ad se mitti imperauit, & occidit, vt infrà cognosces.
Est huius mentio apud Aemilium Probum in Datame.
MENAPIM) Huius nulla apud alios, quod meminerim, est mentio, fortasse cum Artabazo ad
Philippum se contulit.
ARTABAZVS) Multa viri huius & incliti Persarum Principis ac purpurati. Darioque carissi-
mi & fidissimi supràmentio fuit. quod ad præsentem historiam de Artabazo attinet, omnem ferè
• pag. 398. exponit * Siculus, quare, (inquam) exularit, & quos liberos, ex qua coniuge susceperit, quomodo
rursum in gratiam cum Ocho seu Artaxerxe redierit. Primum enim ab Ocho Artabazus defecit,
& in Macedoniam profugit, quod victus à Datame iram credo regis pertimuerat. Cùm enim ad-
uersus Datamen copias duxisset, & Cappadociam inuasisset, quam Datames occuparat, victus ab
illo profugit.
Subijcit deinde Siculus de Artabazo post multas paginas, de exilio Artabazi & reconciliatione
cum Artaxerxe, quam Mentor affinis Artabazi effecit: Cum verò, inquit, necessitudo Mentoris cum Ar-
tabazo & Memnone, qui bellum Persis non ita pridem intulerant, iamque ex Asia profugi apud Philippum
Lib. 16. p. in Macedonia commorabantur, intercederet, supplicando regem inflexit, vt culpam viris condonaret. Et
440. statim virumque cum omni familia ad se accersiuit. Artabazo enim è Mentoris & Memnonis sorore, XI.
filij, & X. filiæ pregnati fuerant. Qua matrimonij facilitate plurimum delectatus Mentor, adolescentes
ad nobilissimas militiæ præfecturas euexit. Cæterum proprio loco paucissima & generatim, nullo sin-
gulatim nomine Satrapæ expresso, hoc tantum de Autophradate, seu Phradate, Phratapherne, &
Artabazo refert: Interea dum Alexander Hyrcaniam & finitimas illi gentes peruadit; ex præfectis, qui
cum Dario fugerant, in potestatem eius se dedunt, quibus humanissimè in gratiam receptis, magnam cle-
P. 548. mentiæ gloriam reportauit. Eoque obtinuit, vt Græci, qui auxiliarem in expeditionibus Dario operam na-
uauerant, CIϽ. & IϽ. circiter, præstantissimi equidem viri, continuò se fidei eius permetterent. Qui & ve-
niam consecuti, iisdem stipendijs in ordines distribuuntur.
Arrianus Artabazum cum tribus duntaxat filijs occurrisse Alexandro tradit, nomenque libero-
rum exprimit: Nec multò post Artabazus cum Cophene, Ariobarzane, ac Arsame filijs, & cum his legati
Arria. edit. ab exteris mercenarijs, qui Dario militauerant, & item Autophradates Tapurorum satrapes, Autophra-
parua La- datem in satrapiam suam restituit, Artabazum ac liberos secum in honore habuit: tum quòd ex primo-
tina. ribus Persarum essent, tum propter eorum erga Darium regem suum constantiam & fidem. Ex filiabus
pag. 160. Apamam Strabo nuptam tradit Seleuco Nicatori.
P. 350. NOVEM IVVENES) Vndenos enim stirpis virilis, denos muliebris liberos ex Mentoris & Mē-
nonis sorore, coniuge susceperat, vt paullò antè ex Siculo didicisti.
GRAECOS CONVOCARI IVBET) Quinquaginta millia mercede conducta Darium secuta e-
rant, vt suprà Patron dux Græcorum recensuerat. Hi omnes varijs prælijs attriti & cladibus absum-
lib. 5. c. 12. ti, ad mille quingentos redacti erant, vti cum Curtio Siculus narrat. Eoque obtinuit, inquit, vt Græci
qui auxiliarem in expeditione Dario operam nauauerant, CIϽ & IϽ. circiter præstantissimi equidem vi-
ri, continuò se fidei eius permitterent. Qui & veniam consecuti, iisdem stipendijs in ordines rediguntur. Hęc
multo enucleatius exponit Curtius, omnibus quidem Darium secutis gratiam ab Alexandro factā,
cum illis antea grauissimis verbis, quod barbaris Gręci contra Gręcos auxilia portassent, increpitis,
nihilominus demum ignouit, exceptis Lacedæmonijs iuratis hostibus Alexandri, quos rex in custo-
diam dedit. Cum Curtio disertius facit Arrianus, Ipse, inquit, in castra, vnde manerat, reuersus, Græcos
P. 161. in mercenarios, qui ad se venerant, reperit: item Lacedæmoniorum legatos, qui ad Darium profecti fuerant.
paruo. Hi erant Callistratides, Pansippus, Monimus, Anamanthus, ac Dropides Atheniensis: quos comprehensos in
custodiam tradit. Sinopaorum legatis abeundi potestatem fecit, quod Sinopæi cum sub Græcis non essent, sed
sub Darij imperio, non iniustè facere viderentur, si ad regem suum legationem misissent. Græcos quicunque
ante pacem & societatem cum Macedonibus inietam apud Persas mercede militauerant, & item Heracli-
dem Carthaginiensium legatum dimisit. Cæteros secum eadem mercede, qua sub Dario meruerant, militare
iussit: iisque Andronicum præfecit.

Pau-

Pausanias ab Leosthene domum nauibus deportatos affirmat his verbis: *Cum verò ciuitates, quæ tunc belli gerendi caussa conspirarant, singulos duces dedissent, ab vniuersis imperator declaratus est Leosthenes Atheniensis, cum propter patriæ dignitatem & militaris rei scientiam, tum quod præclara eius viri in omnes Græcos merita extabant: nam cum Alexander Græcos qui Dario stipendia fecerant, in Persidis vrbes diuidere statuisset, hic eos antequam id fieret, classe in Europam reportauit: & planè cum bonorum de se spem virtute vinceret fuit eius mors non magis luctuosa cunctis, quàm calamitosa.* Pausan. in Atticis pag. 21.

DEMOCRATES ATHENIENSIS) An Demochares frater Demosthenis? de quo Plutarchus in Demosthenis vita. Nam de Democrate nihil memini legere.

DITIONI) Eleganter hoc, barbarè verò pro terris & regionibus. nisi cùm dicis, regiones suæ ditionis fecit, hoc est, subegit, suæ potestati subiecit.

CAPVT IX.

ARGVMENTVM.

Mardos feram gentem domat.



Mardorum erat gens confinis Hyrcaniæ, cultu vitæ aspera, & latrociniis assueta. Hæc sola nec legatos miserat, nec videbatur imperata factura. Itaque rex indignatus, si vna gens posset efficere ne inuictus esset, impedimentis cum præsidio relictis, inuicta manu comitante procedit. Noctu iter fecerat, & prima luce hostis in conspectu erat. Tumultus magis quàm prælium fuit. Deturbati ex collibus, quos occupauerant, barbari profugiunt, proximique vici ab incolis deserti capiuntur.

Interiora regionis eius haud sanè adiri sine magna vexatione exercitus poterant. Iuga montium prealta siluæ rupesque inuiæ sepiunt: ea quæ plana sunt, nouo munimenti genere impedierant barbari. Arbores densæ sunt de industria consitæ, quarum teneros adhuc ramos manu flectunt, quos intortos rursus inserunt terræ. Inde velut ex alia radice lætiores virent trunci. hos quà natura fert, adolescere non sinunt: quippe alium alii quasi nexu conserunt: qui vbi multa fronde vestiti sunt, operiunt terram. Itaq. occulti ramorum velut laquei perpetua sepe iter cludunt. Vna ratio erat cædendo aperire saltum. Sed hoc quoque magni operis: crebri namq. nodi nudauerant stipites, & in se implicati arborum rami suspensis circulis similes lento vimine frustrabantur ictus. Incolæ autem ritu ferarum virgulta subire soliti, tum quoque intrauerant saltum, occultisque telis hostem lacessebant. Ille venantium modo latibula scrutatus, plerosque confodit: ad vltimum circuire saltum milites iubet, vt si qua pateret, irrumperent. Sed ignotis locis plerique oberrabant, exceptiq. sunt quidã, inter quos equus regis (Bucephalan vocabant) quẽ Alexander non eodẽ quo cæteras pecudes animo æstimabat: namque ille nec in dorso insidere suo patiebatur alium: & regem, cum vellet ascendere, sponte genua submittens, excipiebat, credebaturque sentire quem veheret. Maiore ergo quam decebat ira simul ac dolore stimulatus, equum vestigari iubet, & per interpretem pronunciari, ni reddidissent, neminem esse victurum. Hac denunciatione territi cum ceteris donis equum adducunt. Sed ne sic quidem mitigatus cædi siluas iubet, aggestaque humo è montibus planiciem ramis impeditam exaggerari. Iam aliquantum altitudinis opus creuerat, cum barbari desperato, regionem quam occupauerant, posse retineri, gentem suam dedidere. Rex obsidibus acceptis Phradati tradere eos iussit. Inde quinto die in statiua reuertitur. Artabazum deinde geminato honore, quem Darius habuerat ei, remisit domum.

MARDORVM) De alia Mardorum gente suprà dictum, quamquam Glareanus illic Margos malit, quàm Mardos: *Vide*, inquit, *quàm magnificè de Mardis orditur, quasi antea nihil de his locutus, cum libro præcedente in eos profectum Alexandrum dicat, expeditione valdè suspecta, vt suprà diximus: quippe, cuius neque Diodorus, neque Arrianus meminit. Sed distinguunt quidam, Mardos alteros in Hyrcaniæ confinio esse, de quibus hoc loco: alteros in Perside: quemadmodum hodie Tartari diuersis in* Pag. 180. v. 4.

Asia locis habitant. Ego, altero in loco Margos, pro Mardis, legere malim: vt superius testatus sum. Sed nihil tamen definio. Caeterùm hoc in loco & Diodorus & Arrianus meminerunt Mardorum: sed eorum, puto, quos Ptolemaeus in Medis ponit. In superiore loco solus Curtius. Non Siculus & Arrianus tantùm Mardorum gentem, terras, mores, descripserunt, sed complures alij: Suidas, Stephanus, Dionysius Alexandrinus, Eustathius, Strabo, Ptolemaeus & Iustinus etiam illius, sed paucis faciunt mentionem.

LATROCINIIS ADSVETA) Stephanus. Μάρδοι ἔθνος Ὑρκανῶν. Ἀπολλόδωρος ἐν δευτέρῳ περὶ γῆς, λῃσταὶ δὲ οὗτοι καὶ τοξόται: Mardi gens Hyrcana, vt Apollodorus libro altero de terra docet. Latrones sunt & sagittarij. An vox alludit nostras quoque, Mörder?

HAEC SOLA NEC LEGATOS MISERAT) Siculus hunc locum nobis exponat: Percursa deinde Hircania maritima, Mardorum (vt vocitantur) regionem inuadit. Hi cum robore praestarent, potentiam regis quamlibet increscentem, aspernati, nec legatione, nec vllo honore, ipsum dignati fuerunt: sed occupatis montium faucibus cum IↃↃ.CIↃ.CIↃ.CIↃ. armatorum manu confidenter Macedonum aduentum praestolabantur. Hostes igitur rex adortus, praelioque congressus, plerosque cecidit, & reliquos in montium angustias coegit. p.348.

DETVRBATI EX COLLIBVS) Arrianus: Magnaque ex parte Mardorum regionis parte percursa, multos eorum fugientes, nonnullos ad arma conuersos interficit, multos etiam viuos capit. Ante Alexandrum nemo eam regionem hostiliter inuaserat, cùm ob asperitatem locorum, tum inopiam incolarum, quos quidem inopia bellicosos eos faciebat. Quocirca neque Alexandrum vnquam ipsos aditurum suspicati (quum & ipse aliquis iam vlterius progressus esset) ex improuiso capti sunt. Complures autem eorum in montes confugerunt, qui & vehementer excelsi atque abrupti ea in regione erant, existimantes Alexandrũ eò nequaquam peruasurum. Postquam verò ea etiam loca adijsset, missis legatis sese pariter & regionem dediderunt. quibus dimissis Autophradatem ijs satrapam, vt & Tapuris, statuit. Ipse in castra reuersus vnde in Mardos mouerat.

IVGA MONTIVM) Difficilem Mardorum oppugnationem è situ loci ostendit, aut enim inuiae & praeruptae erant cautes, quibus interior regio cingebatur, aut plana camporum, nusquam aditus erat. Nam & campos, arborum nexibus ita occuparant & impedierant, vt adiri non possent. Sub occultis verò arborum vmbris & ramis, tanquam ferae latitantes incolae, hostem ex occulto & insidijs, telis petebant, & incautius ingredientem excipiebant, & mactabant. Ita fortè accidit, vt & equum Bucephalum, cuius hic ingenium, & propè sensum humanum ac docilitatem describit, interciperent, quae res Alexandrum affecit, vti tantum-non in rabiem actus, totam se gentem, nisi Bucephalum redderent, funditus deleturum minaretur.

LAETIORES VIRENT TRVNCI) Infrà: silua erant propè in immensum spacium diffusa, procerisque & in eximiam altitudinem editis arboribus vmbrosa. Plerique rami instar ingentium stipitum flexi in humum, rursus quà se curuauerant, erigebantur, adeò vt species esset non rami resurgentis, sed arboris ex radice generatae. Ad quem locum haud pauca ex Geropio leges.

BVCEPHALAN VOCANT) Aliae editiones Bucephalum habent, Graecis vel Βουκέφαλος vel βουκεφάλας, ita latinis vtrumque expressum. De hoc Bucephalo plura in prolusionibus. Hic de alijs hoc genus equis eruditis, variasque artes doctis traderem, nisi iam pridem Lipsius epistolarum volumine ad Belgas tertio epistola LVI. ad contubernales benè longa, laborem meum occupasset, memorandaque è varijs scriptoribus prodidisset, quo lectorem etiam curiosissimum remittimus, vbi de hoc ipso Bucephalo narrat. Sed miror ab ipso hunc Curtij locum non animaduersum.

CREDEBATVRQVE SENTIRE QVEM VEHEBAT) Ita de Elephanto Martialis:

Li.1.epig. 16.

Quod pius & supplex elephas te, Caesar, adorat,
Hic modò qui tauro tam metuendus erat:
Non facit hoc iussus, nulloque docente magistro,
Crede mihi numen sentit & ipse tuum.

Nec illud eiusdem est abs re de spectaculo etiam aliarum ferarum:

Li 1.ep 10. vel ep.14 9.

Picta quòd iuga delicata collo
Pardus sustinet, improbaeque tigres
Indulgent patientiam flagello:
Mordent aurea quod lupata cerui,
Quòd fraeno Libyci domantur vrsi,
Et quantum Calydon tulisse fertur,
Paret purpureis aper capistris:
Turpes esseda quòd trahunt bisontes,
Et molles dare iussa quod choreas
Nigro bellua nil negat magistro:
Quis spectacula non putet Deorum?
Haec transit tamen, vt minora, quisquis
Venatus humiles videt Leonum,
Quos velox leporum timor fatigat.

Di-

Dimittunt, repetuntque, amantque captos:
Et securior est in ore præda,
Laxos cui dare perviosque rictus
Gaudent, & timidos tenere dentes,
Mollem frangere dum pudet rapinam,
Stratus cum modo venerint iuvenci.
Hac clementia non paratur arte:
Sed norunt cui serviant leones.

De Elephanto Pori regis mira narrat Curtius ipse lib. 8. c. 25.

MAIORE QVAM DECEBAT IRA.) Totam quippe gentem volebat propter bestiam vnam extinguere, quod regem æquum & prudentem minimè decebat, quemadmodum & ille furiosus fuit, qui propter crystallinum calicem, casu fractum, viuum puerum iulsit murenæ depascendum obijci. Nota etiam Theodosij bilis, qua concitatus atrocissimè cootumeliam coniugis vindicauit, quod facinus multis posteà lacrymis expiauit.

PLANICIEM EXAGGERARI.) Quid obsecro Alexandro imperuium? Maria pedes transmisit, insulas medio mari inclusas continenti apposuit, siluas & saltus in planos equitabiles campos redegit. Nempe naturam ipsam cedere, & parere sibi vel docuit, vel coegit.

CVM BARBARI, DEESPERATO REGIONEM POSSE DEFENDI.) Hunc loquendi modum per sextum casum participij absolutum præteriti temporis sine nomine, apud alios quoque classicos scriptores animaduertes: Horatius ita locutus est epist. l. 3. *Excepto quod non simul esses, cætera lætus.* Liuius de bello Macedonico: *Inde ad Pluinnam est progressus, nondum comperto, quam regionem hostes petissent.* Tacitus l. 2. *Audito castellum Luppiæ flumini appositum obsideri, sex legiones eò duxit.*

GEMINATO HONORE.) Geminis prouincijs præfecit, imò Bactrianorum posteà regno.

CAPVT X.

ARGVMENTVM.

Nabarzani præsidi Hyrcaniæ in Bagoæ gratiam ignoscit. Thalestris Amazonum regina (vt olim regina Saba Salomonem) Alexandrum adit, liberisque conceptis post 13. dies redit ad suos.



IAm ad vrbem Hyrcaniæ, in qua regia Darij fuit, ventum erat. ibi Nabarzanes accepta fide occurrit, dona ingentia ferens. Inter quæ Bagoas erat specie singulari spado, atque in ipso flore pueritiæ, cui & Darius fuerat assuetus, & mox Alexander assueuit: eiusque maximè precibus motus Nabarzani ignouit. Erat (vt supra dictum est) Hyrcaniæ finitima gens Amazonum, circa Thermodoonta amnem Themiscyræ incolentium campos. Reginam habebant Thalestrin, omnibus inter Caucasum montem & Phasin amnem imperitantem. Hæc cupidine visendi regis accensa, finibus regni sui excessit, & cum haud procul abesset, præmisit indicantes venisse reginam adeundi eius cognoscendique auidam. Protinus facta potestate veniendi cæteris iussis subsistere, CCC. fœminarum comitata processit. Atque vt primùm rex in conspectum fuit, equo ipsa desiluit, duas lanceas dextra præferens. Vestis non toto amazonum corpori obducitur; nam læua pars ad pectus est nuda, cetera inde velantur, nec tamen sinus vestis, quem nodo colligunt, infra genua descendit. Altera papilla intacta seruatur, qua muliebris sexus liberos alant. aduritur dextra, vt arcus facilius intendant, & tela vibrent. Interrito vultu regem Thalestris intuebatur, habitum eius haudquaquam rerum famæ parem oculis perlustrans: quippe omnibus Barbaris in corporis maiestate veneratio est, magnorumque operum non alios capaces putant, quàm quos eximia specie donare natura dignata est. Ceterùm interrogata num aliquid petere vellet, haud dubitauit fateri, ad communicandos cum rege liberos se venisse, dignam ex qua ipse regni generaret hæredes. Fœminei sexus retenturam, marem reddituram patri.

* Ita Curtius lib. 8. octoginta Macedonū interfecerunt, & eodem libro. Mille militum atque lixarum calonumque illa pestis consumpsit. sunt numeralia.

Alexander, an cum ipso militare vellet, interrogat: & illa causata sine custode regnum reliquisse, petere perseuerabat, ne se irritam spei abire pateretur. Acrior ad venerem fœmina cupido quàm regis, vt paucos dies subsisteret, perpulit. Tredecim dies in obsequium desiderij eius absumpti sunt. Tum illa regnum suum, rex Parthienen, petiuerunt.

AD VRBEM HYRCANIAE, IN QVA REGIA DARII FVIT.) Modus loquendi qualis apud Virgilium:

— *Butroti ascendimus vrbem.*

vulgò: Butrotum vrbem ascendimus. Hyrcaniæ enim est gentis & prouinciæ, vt suprà, sed ciuitatis nomen. Multæ enim regiones communia habent nomina cum suis vrbibus primariis, vt Troia ipsa & Minoris Asiæ atque prouinciæ simul & vrbis toto orbe notissimæ nomen est. Proinde Hyrcaniam hanc Ptolemæus metropolim appellat in Hyrcania, Arrianus verò eandem suo proprio nomine dictam ait Zadracarta, & Zeudracarta: ἄρας δ' ἐντεῦθεν σὺν τῷ στρατῷ προῄει ὡς ἐφ' Ὑρκανίας εἰς Ζαδράκαρτα πόλιν Ὑρκανίων. *Motu inde castris in Hyrcaniam progressus Zadracarta vrbem petit.* Et infrà disertius: Ταῦτα δὲ διαπραξάμενος, ἦγεν ὡς ἐπὶ Ζευδράκαρτα τὴν μεγίστην πόλιν Ὑρκανίας, ἵνα καὶ τὰ βασίλεια τοῖς Ὑρκανίοις ἦν. *His rebus peractis, ad Zeudracarta maximam Hyrcaniæ vrbem, vbi regia erat, exercitum duxit.* Eadem ergo vrbs & Zadracarta & Zeudracarta (nisi codices fallunt) & Hyrcania dicta.

NABARZANES ACCEPTA FIDE OCCVRRIT.) Et de Nabarzane suprà copiosè, & de fide data: *Nec dubitauit Alexander fidem, quo Persæ modo accipiebant, dare, inuiolatum si venisset, fore.*

[Cap. 6.] BAGOAS SPADO.) Scortum priùs Darij, deinde Nabarzanes, postremò Alexandri. Hic est ille scelestissimus eunuchus & spinthria, qui Orsini nobilissimo Persarum insidias struxit, & eum per calumnias perdidit. Caput tertium libri 10. cap. 3. cognosce. De pluribus facinorosis castratis leges apud Claudianum, qui totis libris exagitat Eutropium, sicut Narsetem historici, qui Occidentem ab Oriente, ab Imperatrice tamen grauissimè læsus, abstraxit.

ERAT HYRCANIAE FINITIMA GENS AMAZONVM.) Negant hoc Geographi recentiores, imò Themiscyram duodecim millibus stadiorum distare ab Hyrcania docent, hoc est, miliaribus Germanicis trecentis septuaginta quinque. Glareanus ad hunc locum. Sed vereor ne fallatur Glareanus, nam Strabo à Caspijs portis vsque ad Thermodontem, non nisi sex millia stadiorum numerat, milliaria nempè Germanica centum octoginta septem.

THEMISCYRAE CAMPOS.) Suprà Amazonum campos appellauit. Θεμίσκυρα, inquit Stephanus, πόλις ἡ περὶ ἄνδρον Θερμώδοντος, καὶ οἱ οἰκοῦντες Θεμισκύρειοι, λέγεται καὶ Θεμισκύρεια. *Themiscyra ciuitas è regione Thermodontis, incola Themiscyrij: dicitur & Themiscyria.* Ptolemæo, Φαναγορία, πεδίον. *campus Phanagoria dictus,* in quo Themiscyram describit Apollonius 2. Argonaut. Δοίαντος πεδίον, *Doeantis campus.* Themiscyra fuit metropolis Amazonum. Strabo in Ponti descriptione & Amisi ciuitatis: ἔχει δὲ τήν τε ἄλλην χώραν καλὴν καὶ τὴν Θεμίσκυραν τὸ τῶν Ἀμαζόνων οἰκητήριον καὶ τὴν Σιδηνήν. ἔστι δὲ ἡ Θεμίσκυρα πεδίον, τῇ μὲν ὑπὸ πελάγους κλυζόμενον, ὅσον ἑξήκοντα σταδίους τῆς πόλεως διέχον, τῇ δ' ὑπὸ τῆς ὀρεινῆς, εὔδενδρον καὶ διάρρυτον ποταμοῖς, αὐτόθεν τὰς πηγὰς ἐχόντων. ἐκ μὲν οὖν τούτων πληρούμενος ἅπασιν εἷς ποταμὸς διέξεισι τὸ πεδίον Θερμώδων καλούμενος. [Strabo l. 12. p. 378. ante med.] *Habet tamen autem aliam regionem bonam, tum Themiscyram Amazonum olim domicilium & Sidenam. Themiscyra planicies est, qua ab altera parte mari alluitur, ad 60. stadia ab Amiso dissidens: ab altera montanis subiecta nemorosis probè & perfluis amnium alueis, qui inde scaturiunt: è quibus omnibus impletus vnus fluuius planiciem percurrit, Thermodon nomine.*

Sed enim hic locus est de Amazonum origine, progressu, interitu disputandi. nam adeo priscorum inter se variant sententiæ, vt sint qui nullas vnquam Amazonas fuisse contendant, plures, & gentis aborigines, & regiones, & bella, & imperia ambitiosissimè describant. Primùm ex veteribus Diodorum Siculum pro Amazonibus sentientem, parum tamen constanter narrantem in secundo Bibliothecæ volumine audiamus: vbi primum Amazones domo Scythidas fuisse docet; dein virorum principatu deficiente, fœminas regnare cœpisse, indeq; Amazones natos, magnasque res ab illustribus fœminis peractas: itaque creuisse gentis potentiam, vt magnam Europæ, Asiæque partem subiugarit. [Siculus p. 127. v. penult.]

Locum prolixum compendio referam. Ad Thermodontem fluuium gens habitauit, inter quam vna regiâ potestate fungens, Martis se filiam dictitans, lanificium & domestica mulierum opera viris tractanda dedit: maribus igitur nascentibus crura & brachia debilitarunt, vt inhabiles bello redderentur; puellis dexteram inurebant mammam, ne in pugna protuberans molestiæ & impedimento foret: Hinc nomen illud Amazonum genti prouenit. Tandem eas ab Hercule, ait, eneruatas, à finitimis denique continuis bellis profligatas, vt ne nomen quidem Amazonum sit reliquum; vltimamque Amazonum Penthesileam Troiano bello ab Achille cæsam occubuisse. * Iustinus ferè ad Diodori mentem accedit, à qua tamen non rarò etiam discedit. Dionysius Periegetes * cum Eustathio, ita de Amazonibus sentit, vt nihil de ijs dubitet, certasque illis sedes & regna assignet. Sed

[* lib. 2 pag. 32. in min.]
[* pag. 89.]

* Strabo

* Strabo totam gentem ex omni antiquitatis memoria delere conatur, merasque & puras putas fabulas esse, quæ de illis à priscis tradita sunt, ostendit.

De Amazonibus verò eadem & nunc, & antiquitus traduntur, prodigiosa quidem, & à fide procul remota. Quis enim crediderit mulierum exercitum, [illegible] ciuitatem, aut gentem consistere absque viris posse? ac non constare modò, sed expeditiones etiam fecisse in [illegible] aliorum ditionem, ac non vicinam modo subegisse, & vsque ad eam quæ nunc est Ionia progressum sed & trans mare ad Atticam vsque copias emisisse? perinde enim hoc est, ac si quis diceret, viros ea tempestate mulieres, mulieres viros fuisse: Enimuerò isthæc etiamnum de ijs prædicantur: augetq; rei singularis admiratio[illegible]n, quòd antiquis quàm recentibus fides faciliùs adhibetur: Vrbes quidem ab ijs conditæ denominatæq; feruntur Ephesus, Smyrna, Cuma, Myrina, Paphus; aliaq; extant monumenta. Themiscyram verò & campos [illegible]a Thermodontem, montesq; supra positos, omnes Amazonibus adscribunt: aiuntq; inde eas expulsas fuisse [illegible] vbi nunc sint, pauca de ijs & sine demonstratione feruntur. Quale est etiam de Thalestria, quam Amazonibus imperantem cum Alexandro ferunt prolis concipiendæ caussa in Hyrcania coiuisse. non enim in confesso [illegible] hoc est: sed è tanto scriptorum numero, qui maximè veritatis habuerunt rationem, nihil ea de re dicunt [illegible] nullaq; fit mentio eius ab his quibus plurimum fidei habetur. qui tradiderunt, non consentiunt. Clitarchus [illegible] Thalestriam à Caspijs portis & Thermodonte profectam ad Alexandrum venisse: sunt autem à Caspijs portis ad Thermodontem stadia amplius IↃↃ.CIↃ. Quæ autem probabiliter vulgata sunt, etsi in ijs consentia[illegible] omnes, tamen qui confinxere, adulandi quàm veritatis fuerunt studiosiores.

Plutarchus quoque in Alexandro fabulam de Amazone fuisse tradit. * Pag. 563.

Enimuerò an fuerint vllæ vnquam Amazones, & quales fuerint, & quibus parentibus oriundæ, l. 8. p. 814. eruditè Goropius Becanus lib. 8. qui Amazonica inscribitur, disputat, veterumque sententias primum ex Teophane, Strabone, & alijs refert; deinde suam subiungit his verbis: *Nos contra, quod ab omnibus decantatur, tale esse credimus; vt quamuis fabulis sit inuolutum, habeat tamen semper originem è fonte aliquo veritatis. Diodorus Siculus ex Dionysio, qui Argonautarum, Dionysij, & aliorum prisca gesta descripsit, Amazonum historiam longè fecit, quàm ceteri, admirabiliorem. Primas enim & antiquissimas Amazonas in Libya collocauit, è quarum numero Myrina ad Orum Isidis filium in Aegyptum venit, & contracta cum eo amicitia, Arabiam, Syriam, Ciliciam, Phrygiam, & alias regiones subiecit; atque tandem militiæ finem flumen Caicum statuens, plurimas vrbes condidit, Ninam, Cumam, Pitanam, Prienen: & insulis etiam nonnullis in potestatem redactis, in Lesbo Mytilenen erexit, de sororis nomine, quæ vnà militauerat, ita nuncupatam. Huic terræ Samothracen adscribit, quam Magnæ matri dedicarit, voce sacram insulam significante. Tanto verò hæc Amazonum natio, altera illa ad Thermodontem est antiquior, vt multis ante Troianum bellum seculis sit deleta, si Siculo credamus. Sed nobis de Lybicis necdum est quæstio: quocirca alios consolamur, qui de illis agunt, quæ ad Thermodontem celebritatē nominis consecutæ sunt.* Goropij opinio non omnino nullas fuisse Amazonas. Iustini narratio de Amazonibus in promptu est, quam infra collocaui. Multa dein ex Arriano, Dionysio, Afro, & Eustathio Goropius adfert, inter quæ fabulosa de aconito, otioso relinquenda, vti & illa de Cimmerijs. Pòstremò tamen vbi verba Curtij de Thalestri posuit, iudicium de eadē regina & tota Amazonum gente his verbis exponit: *Cætera quæ addit de Thalestri regina, ad Alexandrum sobolis caussa, ad tredecim vel quatuordecim dies commorata, cum Trogo consentiunt, sed ridicula sunt, tum vniuersim, tum de locorum interuallo. Mulier scilicet per prærupta Caucasi, per Armeniam minorem & maiorem, per Mediam, perque alias interiectas tot gentes, ad Alexandrum in Hyrcaniam venit, quò semen reportaret. Non video fabulam, sed pessimam & laceram fabulæ futuram, quæ tam ingentibus terrarum interuallis fatiscit. O miseram fœminam, quæ nec apud Gargeras, nec apud Iberos, nec apud vllos omnino vel Scythas, vel Armenos semen inuenit, locis suis dignum! Explodamus igitur non hoc solum, sed omnino totum figmentum antiquorum, quod nobis de mendicato foris concubitu obtruserunt; hæreamusq; Straboni, qui incredibile iudicauit, vllam omnino mulierum ciuitatem citra viros constare posse, nedum tot gentibus imperare. Si quæ verò Amazones fuerunt, eas dicemus coniugatas fuisse.* Hæc Goropius, & his multo plura, quæ si voles, ipse videbis.

REGINAM HABEBANT THALESTRIN.) Attigit hanc historiam Iustinus suprà è secundo volumine laudatus, eandem exactius denarrat his verbis in 12. *Ibi ei occurrit Thalestris, siue Minothaa* Iustin. l. 12. *Amazonum regina, cum CCC. millibus mulierum, XXXV. dierum inter infestissimas gentes itinere confecto,* pag. 103. *ex rege liberos quæsitura: cuius conspectus aduentusq; admirationi fuit, & propter insolitum fœminis habitum, & propter expetitum concubitum. Ob hoc * XXX. diebus otio datis, à rege vt visa est vterum impleße,* * 13. *discessit.*

Et Orosius: *Vbi etiam illum adhuc bello intentum Thalestris siue Minothaa regina excita suscipienda ab ab eo sobolis gratia cum trecentis mulieribus procax Amazon inuenit.* In Iustino leges pro trecentis millibus, *trecentum mulieribus*, vt & vetus codex habet, & reliqui Scriptores adstipulantur.

REX IN CONSPECTVM FVIT) Ita lib. 3. *Quippe Darium quinto die in Ciliciam fore.* ad quem Curt. l. 3. cap. 10. locum ibi plura ex Agellio, auctoritatem Ciceronis laudante: *Aduerti ego his diebus alium Ciceronis locum huc facientem, cùm in Epistolas ad Atticum incidissem, vbi lib. 15. epist. 4. Ita loquitur:* Agel. l. 1. c. 7. *Quod te à Bruto scribis, vt certior fieret, quo die in Tusculanum essem futurus: vt ad te ante scripsi.* Nihil hoc loco clarius & luculentius, qui Curtianam etiam scripturam firmat.

VESTIS

VESTIS NON TOTO AMAZONVM CORPORE OBDVCITVR.) Vulgo pleraque omnia exemplaria *non toto Amazonum corpori obducitur*, mendosè nec syntactice, Gorgopius verè legit *non ex toto corpore*. Fuit qui rescribendum putaret, *non ex toto, Amazonum corpori obducitur*. Sed non ex elegantia Curtiana.

* περὶ ἀέρων, ὑδάτων, τόπων.

ADVRITVR ALTERA.) Hoc plerique scriptorum attestantur. *Hippocrates, etiam modum adurendi per peluium declarauit. De maribus verò ex procreatione susceptis, & interfectis, fœminis seruatis, præter Philostratum, qui in Heroicis vbi de Amazonibus disserit, vocisque originem ostendit, negat interfectos mares, negat Amazonas dictas, quod alteram mammarum adurent, sed mares ab eis ad viros remissos, puellas nõ lacte matris, sed equino, & rore mellis & fauis nutritas, indeq; Amazonas dictas. Accipe verba Philostrati. *Nam circa inhospitale Ponti latus, qua Taurici tenduntur montes, quadam eam dicuntur habitare continentem Amazones, quam Thermodon, ac Phasis de montibus euntes amplectuntur: quas pater, & ipsarum sator Mars ita instituit, vt in bellicis versentur, vitamq; armatam atque equestrem degant. Equi autem in paludibus pascantur, qui exercitui satis sint, & suam quidem regionem viris minimè incolendam prabeant. Ipsa verò, cùm liberis egent, ad Helym fluuium descendentes cum viris vbi contigerit, coëant: profectaq; ad sedes ac domos suas, quas quidem mares pepererint, ad regionis fines genitoribus tollendos ferant: quas verò fœminas pepererint, diligant, ac suam esse prolem arbitrentur. Et prater quam quòd lac non prabent (vt mos est matribus) inseruiant. Id autem propter pugnas faciunt, vt neque ipsas effœminatas reddant, neque mammis suspendantur. Nomen autem Amazonibus, quòd mamma minimum non alantur, indignum esse existimauerim. Alunt autem infantes cùm equino lacte, tum roris fauis, qui in modum mellis fluuiorum alimnis insidet. Qua verò à poëtis ac fabularum sectatoribus de ipsis Amazonibus literarum monumentis mandata sunt, ea à sermone abdicemus, neque enim prasenti conferrent studio.*

Philostr. p. 7. 1. post med.

Stephanus quoque negat interfectos, sed debilitata crura & brachia: Ἀμαζόνες ἔθνος γυναικεῖον, &c. *Amazones natio muliebris, qua auctore Euphoro ad Thermodontem colit, quas nunc Sauromatidas vocant. Sunt qui dicant, quod hoc genus fœminarum natura viris sit præstantius, causamq; genio loci assignant, qui fortiora fœminarum & maiora quam virorum corpora ferat. Atqui ego natura femina & affectiones vbique eodem se modo habere existimo, adeò vt hac ratio illorum, ratione carere videatur. Probabilior est accolarum sententia: nam Sauromatæ cùm primum Europam armis inuaderent, omnesq; absumpti essent, relictas esse fœminas solas, cumq; viri qui domi remanserant, maiorem in modum aucti essent, seditionem mouisse in mulieres, & ab his superatos in siluam densissimam profugisse, illicq; omnes interijsse. Fœminas porrò metuentes, ne succrescens iuuentus iniurias maiorum vltum iret, deinceps publico decreto sanxerunt, vt maribus recens natu membra debilitarentur, omnesq; claudi efficerentur. Vocabantur autem Sauromatides, vel quod lacertas essent & deuorarent, vel quod in Scythia Sauromatarum habitarent.*

pag. 110.

Eadem habet Eustathius ad Dionysium, & his plura: *Aut quasi Sauropatides, eò quod lacertos ederent, hoc est gustarent, huiusmodi enim carnibus vescebantur. Vnde & Amazones dicebantur, non tantum quod vnam haberent mammam (nam infantibus dextram papillam adurebant, ne ab vsu arcus impedirentur) sed quasi non mammis, sed carnibus ferarum alerentur.* Eodem loco Eustathius clarissimas quasque Amazonas nominatim celebrat, Trallam, Locratea, Thibam, Tallam, Smyrnam.

HABITVM EIVS HAVDQVAQVAM RERVM FAMAE PAREM.) Noli habitum pro veste cum vulgo accipere, sed pro modo, staturaque corporis. De forma Alexandri nos plenius in Prolusionibus disputauimus. Non enim procero erat corpore, nec maiestas inerat, quæ famæ rerum gestarum respondebat, vt etiam Sisygambis pro illo Hephæstionem adorarit.

IN CORPORVM MAIESTATE VENERATIO EST.) Tanta vis formæ est, vt non paucis etiam regna & imperia conciliarit. De Basiano singillatim tradunt rerum scriptores ob oris venustatem è milite ad imperium fuisse euectum. Et de Maximo Iuniore extat apud Iulium Capitolinum epistola patris Maximini, *Ego*, inquit, cùm propter affectum, quem pater filio debet, Maximum meum imperatorem appellari permisi, tum etiam vt populus Romanus & senatus ille antiquus iuraret, se nunquam pulchriorem imperatorem habuisse. Sanè apud Cathæos Indicam gentem ex lege & consuetudine, Strabone & Siculo auctoribus, pulcherrimus regnabat. De fœminis plura cum in sacris, tum politicis literis extant exempla. Cæterùm de Xerxe Herodotus meminit, illum ex omni copiarum numero, quas propè innumeras duxit, nullum forma parem habuisse. Adhuc hodieque pulchris lectamus, formam regno dignam. Et reges Persarum liberos in spem regnì natos, ab Eunuchis, quorum singularis erat & auctoritas & industria, curarunt diligentissimè educari, membra eorum componi & formari, vt quàm pulcherrimi efficerentur. Et sanè diuinum aliquid habet forma, vt regius vates etiam Christum fore pulcherrimum præcinuerit: *Speciosus forma præ filijs hominum.* & de D. Virgine alius, *Tota pulchra es, & macula non est in te*: quæ verba D. Virgini Ecclesia transcripsit. Hamus est forma, quo capti sunt reges, philosophi, sacri, & profani. Multi sunt hac ipsa abusi, & ex formosis deformes & turpes effecti. cuius rei exempla in totis theatris videbis.

CAVSSATA.) Aliter hic quàm vulgo vsurpatur, cum pro *efficere* ponitur: Hic pro excusatione; se non posse cum Alexãdro militiam obire, quod regnum sine tutela reliquisset, quo diu carere non possit.

ACRIOR

Acrior ad Venerem.) Inde procacem Orosius Amazonem appellauit. Addo hic imaginem Thalestris ex Romanis & antiquis monumentis descriptam.

THALESTRIS AMAZON.




Parthienem.) Hanc supra descripsimus hoc lib. c. 5.

CAPVT XI.

ARGVMENTVM.

Alexander mutat leges, totusque à se abit in vitia.



Ic verò palam cupiditates suas soluit, continentiamq́; & moderationem in altissima quaque fortuna eminentia bona in superbiam ac lasciuiam vertit. Patrios mores, disciplinamq́; Macedonum regum salubriter temperatam, & ciuilem habitum velut leuiora magnitudine sua ducens, Persicæ regiæ par deorum potentiæ fastigium æmulabatur. Iacere humi venerabundos ipsum paulatimq́; seruilibus ministerijs tot victores gentium imbuere, & captiuis pares facere expetebat. Itaque purpureum diadema distinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit, vestemq́; Persicam sumpsit; ne omen quidem veritus quod à victoris insignibus in deuicti transiret habitum. & ille se quidem spolia Persarum gestare dicebat, sed cum illis quoque mores induerat: superbiamq́; habitûs animi insolentia sequebatur. Literas quoque quas in Europam mitteret, veteris anuli gemma obsignabat: ijs quas in Asiam scriberet, Darij anulus imprimebatur, vt appareret, vnum animum duorum non capere fortunam. Amicos verò & equites his vnaque principes militum aspernantes quidem, sed recusare non ausos, Persicis onerauerat vestibus. Pellices CCC. & LX. totidem quot Darij fuerant, regiam implebant, quas spadonum greges & ipsi muliebria pati assueti, sequebantur. Hæc luxu & peregrinis infecta moribus veteres Philippi milites, rudis natio ad voluptates palam auersabantur; totisq́; castris vnus omnium sensus ac sermo erat, plus amissum victoria, quàm bello esse quæsitum. Tunc cum maximè vinci ipsos,

dediq́;

dediq; alienis moribus & externis, quos tanta mora precium domos reuersuros; pudere iam sui regem, victus quàm victoribus similiorem, ex Satrape factum. Ille non ignarus & principes amicorum ratore Dary Satrapen factum. Ille non ignares & principes amicorum ex quasi inu ter offendi, gratiam liberalitate donisq; reciperare tentabat. Sed o Mau uitutis ingratum est. Igitur ne in seditionem res verteretur, ocium & exer lo, cuius materia opportunè alebatur. liberis interpelland

Cupiditates svas solvit.) Omnes propè rerum scriptores, qui de Alexa nere, hoc loco stylum in illum acuunt, superbiam execrantur, mores infectantur, nnme nant & lacerant. Quorum Curtius ipse ferè inter Latinos princeps, (nam Senecas & hoc ptores, qui in scriptis per occasionem in Alexandrum incurrunt hic prætermitto, supra onibus laudatos.) Sed illi plerique ipsi alio atque alio loco eundem Alexandrum certatim Curtius inquam ipse, Plutarchus & Arrianus, vti mox demonstrabo.

Lib. Officior. 1. In altissima qvaqve fortvna eminentia bona.) Verè dolet pr

Eccl. c. 3. v. 27. Tullius, vt quanto superiores sint, tanto submissius se gerant. Docuerat hoc ante Eccle Quanto magnus es, humilia te in omnibus. Atque etiam, inquit M. Tullius, in rebus prosperis, luntatem nostram fluentibus superbiam magnopere, fastidium arrogantiamque fugiamus aduersas res, sic secundas immoderatè ferre, leuitatis est: præclaraque est æquabilitas in or & idem semper vultus, eademque frons: vt de Socrate, item de Caio quoque Lætio ac Philippum quidem Macedonum Regem, rebus gestis & gloria superatum à filio, facilitate humanitate video superiorem fuisse. itaque alter semper magnus, alter sæpe turpissimus f rectè præcipere videantur, qui monent, vt quanto superiores simus, tanto nos submissius g

Arrian. p. 82. f. Arrianus etiam præclarè libro 4. Cæterùm si quid aliud Alexandri certè præclara facinora doc esse possunt. siue quis corporis viribus polleat, siue generis splendore emicet, siue bellica virtute felicita lexandrum ipsum superet, siue Africam simul atque Asiam (quemadmodù ille animo destinarat) pe gans subiugarit, siue Europam Asiæ atque Africæ tertiam adiunxerit, nihil hæc omnia homini ad felic. adipiscendam profutura, nisi pariter moderatio animi accedat, quantumuis res in speciem maximas

Patrios mores.) Ad modestiam & temperantiam compositos. neque enim multum gari abhorrebant, siue cultum corporis spectares, siue victum & mensas. regredere ad librum 3. vbi leges Alexandrum leui & parabili cultu corporis fuisse contentum. Verè enim Græcus vates

τῶν τι κόσμων κόσμος ἡ ἀκοσμία.

In eo positus cultus vt cultum omnem respuas.

Et de gente ac milite Macedonico: Acne auri argentique studio teneri putes, adhuc illa di plina paupertate magistra stetit. fatigatis humus cubile est, cibus quem occupat satiat, tempora sc ni arctiora quam noctis sunt.

Par deorvm potentiae fastigivm.) Iam supra narratum est reges Persarum di

Cap. 24. nis honoribus cultos, quos & Alexander affectabat; Curtius lib. superiore: Rex curru paullò antè stus & deorum, à suis, honoribus cultus.

Iacere hvmi venerabvndos.) Volue librum 8. c. 12. vbi Cleo Siculus, Quod si cæteri di bitent semetipsum cum rex iniisset conuiuium, prostraturum humi corpus. Debere idem facere cæteros, c imprimis sapientia præditos. Ab illis enim cultus in regem exemplum esse prodendum.

Pvrpvrevm diadema.) De mendo hoc, seu potius varia scriptura disputatum fusè cap. 7.

pag. 549. lib. 3. Cæterùm hoc vitio datum Alexandro, quod cultum patrium, Persico mutarit, & singillatim diadema induerit. Siculus: Hinc voti se compotem esse factum, & imperium sine amulo tenere arbitratus, delicatos Persarum mores, luxumq; regum Asiaticorum æmulari cœpit. Quod primum igitur fuit, apparito res regiæ ex Asiaticis legi iussit. tum viros nobilissimos in hastigerorum satellitum ordinem adsciuit: quorum in numero etiam Oxathres Darij frater erat. Quin & Persicum diadema capiti imposuit, candidamq; tunica cum balteo regibus Persarum vsitato & cæteris, præter femoralia & Candyn, quem vocant, induit.

p 81. Amicis etiam togas purpuratas distribuit, & equitibus Persicum ornatum accommodauit. Arrianus: Neque hoc vllo modo probauerim, quod vestem medicam pro Macedonica ac patria (cum ex Heraclidarum genere esset) assumpserit. vt neque hoc, quod cidarim Persicam, ijs quos prælio vicerat ademptam, cum eo orna tu quem ipse olim victor gestare solebat. commutare non erubuerit. Infrà tamen lib 7. hoc ipsum laudat

p 28. Arrianus, quod hic improbat, tanta est inconstantia mentis. Plutarchus de eodem cultu primum ambiguè loquitur in Alexandri vita cùm dicit: Hinc Parthiam petens, quum in otio ageret, primum vestem barbaricam sumpsit, incertum, vt accommodaret se incolarum moribus, multùm existimans valitu rum ad mansuefaciendos homines si consuetudinem & patrios mores eorum vsurparet, an tentare hac re

* En, contraria Arriano. Macedonas, atque ad adorandum se traducere, morumq; patriorum ferre conuersionem, & transitum in a lienos voluit assuefacere. habitum * Medicum tamen, quod prorsus barbaricus esset & alienus repudiauit, nec

* fæmoralia. * anaxyridas, vel candyn tiarámue sumpsit, sed medium inter Persicum & Medicum sic nè temperauit, minus hoc tumidum, & insolentiorem illo. Vsurpauit eum primum agens cum barbaris, ac sub tecto cum amicis, de-

inde

Inde cum vultu prodijt in publicum, ac cum vacare et postulationibus conspiciendum ita se dedit omnibus. Erat acerbum ut Macedonibus spectaculum, sed mira ex modo ducti reliqua eius virtutis, quadam putabant libidini & gloria eius concedenda. Sed idem hoc factum Alexandri non tantùm non reprehendit, sed laudat etiam, de fort. Alexand. locus est in promptu si iuuat inspicere. Iustinus de eodem cultu & diademate non sine reprehensione Alexandri: *Post haec, inquit, Alexander habitum regium Persarum, & diadema insolitum antea regibus Macedonicis, velut in leges eorum quos vicerat, transiret, assumit. Qua ne inuidiosius in se vno conspicerentur, amicos quoque suos longam vestem auratam, purpureamq́; sumere iubet, vt luxum quoque, sicut cultum Persarum, imitaretur. Inter pellicum regiarum greges electa pulchritudinis nobilitatisq́; noctium vices diuidit. His rebus ingentes epularum apparatus adijcit, ne ieiuna & destructa luxuria videretur, conuiuiumq́; iuxta regiam magnificentiam ludis exornat: immemor prorsus tantas opes amitti his moribus, non quaeri solere. Inter haec indignatio omnium totis castris erat, à Philippo illum patre tantùm degenerasse, vt etiam patriae nomen eiuraret, moresq́; Persarum assumeret, quos propter tales mores vicerat.* p.117.v.16.

Excusat & Arrianus hanc noui cultus ab Alexandro assumpti rationem: *Verùm & Persicus habitus arte quadam mihi à rege assumptus videtur, ne Barbaris in vniuersum alienus ab eis rex esse videretur: vtque refugium quoddam aduersus Macedonum insolentiam ac superbiamq́; haberet. Qua etiam de causa eum Macedonum ordinibus Persas melophoros immiscuisse arbitror, & agemati, quae pari cum eis honore essent, accensuisse.* p.168.l 7. extr.

Curtius etiam hoc genus vitij, fortunae Alexandri adscribit: *Illa, inquit, fortuna dijs aequare se & caelestes honores accersere, & talia suadentibus oraculis credere, & dedignantibus venerari ipsum, vehementius quàm par esset irasci: in externum habitum mutare corporis cultum, imitari deuictarum gentium mores, quos ante victoriam spreuerat.* l10.c 9.p. 499.

CVM ILLIS QVOQVE MORES INDVERAT.) Barbaros, superbos, inhumanos, crudeles. acerbè dictum hoc & satyricè.

LITERAS QVOQVE QVAS IN EVROPAM MITTEBAT.) Hoc non memini ab vllo scriptorum tradi, qui extant. Sequitur hanc narratiunculam nobile epiphonema: *Vnum animum duorum non capere fortunam.* Atqui Alexander *multorum regum fortunam* coepit, seseque ab Europa in Asiam & Indiam extendit, nec his contentus totius mundi imperium quaerebat. Vtebatur autem anulo Graeco cùm ad Graecos scriberet, barbaro, cùm ad barbaros, vt se Graecorum & barbarorum imperatorem ostenderet.

PERSICIS ORNAVERAT VESTIBVS.) *Vt ipse liberius regio* cultu Persico vteretur.

PELLICES CCCLX.) Ad numerum dierum anni: in tot enim dies annum Persae diuidebant. Siculus, *Concubinas insuper prout Darius consueuerat, circumducere secum coepit: quorum turba dierum numero haud inferior erat. Pulchritudine autem, vt pote ex foeminis per totam Asiam praestantissima delecta, eminebant.* Hic tamen obserua Curtium de Annis Persarum inconstanter loqui, aut certè mendum chartas eius occupasse, nam lib.3.c.7. numerat distinctè 365. dies cum dicit: Magos trecenti & sexaginta quinque iuuenes sequebantur, puniceis amiculis velati, diebus totius anni pares numero. lege quae ad cap 4. lib. 5. annotauimus, vbi itidem numerus mendosus, & pro 368. rescribendum 365. non 8. Hoc cap. te rursus pellices 360. rotundo numero posuit. Ita quinarium vel neglexit, vel certè sibi ipse non constat. Hodie numeramus dies 365. horas quinque, seu propè sex, paucis alsibus desideratis. p.506.

SPADONVM GREGES.) Exoletorum, eunuchorum, castratorum, Bagoarum, scortorum, pathicorum, cynedorum, & hoc genus pestium generis humani, & monstrorum naturae.

PHILIPPI MILITES.) Patris Alexandri veterani, de quibus lib. 3. c. 7.

PLVS AMISSVM QVAM QVAESITVM.) Amissa virtus, castimonia, sobrietas, continentia; quaesitus luxus, superbia, luxuria, quod exponit sequenti periodo, & ostendit.

DARII SATRAPEN.) Militare conuitium in Alexandrum factum, ex lege Macedoniae mancipium victi regis Persarum, quod in eius mores & vitia abijsset. Satrapes Curtio & Latinis est princeps, praeses, praefectus prouinciae, Dux exercitus, quem subinde etiam purpuratum appellat. De vocis origine è Syriaco Asdarpan per μετάθεσιν, vide Sanctem Pagninum.

GRATIAM DONIS RECVPERARE TENTABAT.) Siculus: ὅμως δὲ πολλῶν αὐτῷ μεμφομένων, τούτους μὲν ταῖς δωρεαῖς ἐθεράπευεν. Cum multi tamen conquererentur, muneribus eos placauit.

LIBERIS PRETIVM SERVITVTIS INGRATVM EST.) δῶρα γὰρ οἱ ἐλεύθεροι δοῦλοις ποιοῦσι δῶρα, munera, quae ex liberis seruos reddunt munera non sunt. Libertas nullo precio redimenda. Ex hac opinor Curtij gnome, versus natus est. ——— libero

Quodcunque ingratum seruitutis praemium.

Gruterus *recuperare* non *reciperare* legit. MS. Constantiensis *reparare.* vetustiores codices retinent *recuperare. recipere* tamen vox non improba est, qua subinde Tacitus vsus est. vnde nomen est *ratio* apud Festum, cùm inter ciuitates peregrinas lex conuenit, vt res priuatae reddantur sinecipianturque.

...IVM BELLO INTERPELLANDVM.) Semper enim felicior foris, quam domi; in armis ...ace fuit Alexander.

CAPVT XII.

ARGVMENTVM.

In Bessum mouet castra, Satibarzanem in fi-
cipit, eundem mox deficientem persequitu-
pē expugnat. Artacacnā occupat, ciuibus ign-



*Amque Bessus veste regia sumpta Artaxerxen appellari j-
Scythasq; & cæteros Tanais accolas contrahebat. Hæc Satibar-
ciabat, quem receptum in fidem, regioni quam antea obtinuerat
Et cum graue spolys apparatuq; luxuriæ agmen vix moueretur,
mum deinde totius exercitus sarcinas, exceptis admodum necess-
ferri iussit in medium. Planicies spaciosa erat, in quam vehicula o-
duxerant. Expectantibus cunctis quid deinde esset imperaturus, iumenta iussit ab-
primum sarcinis face subdita, cæteras incendi præcepit. Flagrabant exurentibus
quæ, vt intacta ex vrbibus hostium raperent, sæpè flammas restrinxerant, nullo s-
precium audente deflere, cum regias opes idem ignis exureret. Breuis deinde oratio
uit dolorem, habilesq; militiæ & ad omnia paratæ lætabantur sarcinarum potius quà
plinæ fecisse iacturam. Igitur Bactrianam regionem petebant. Sed Nicanor Parm-
filius subita morte correptus, magno desiderio sui affecerat cunctos. Rex ante omnes
cupiebat quidem subsistere funeri affuturus, sed penuria cōmeatuum festinare cogeba-
que Philotas cum duobus millibus & DC relictus, vt iusta fratri persolueret; ipse con-
ad Bessum. Iter facienti literæ afferuntur à finitimis Satraparum, è quibus cognoscit, B-
quidem hostili animo occurrere cum exercitu: cæterùm Satibarzanem, quem Satrap-
riorum ipse præfecisset, defecisse ab eo. Itaq; quamquam Besso imminebat, tamen ad Sa-
zanem opprimendum præuerti optimum ratus, leuem armaturam, & equestres copias
cit; totaq; nocte strenuè itinere facto, improuisus hosti superuenit. Cuius cognito aduentu
tibarZanes cum II. millibus equitum (nec plures subitò contrahi poterant) Bactra perf-
cæteri proximos montes occupauerunt. Prærupta rupes erat, quà spectat occidentem. Ea
quà vergit ad Orientem, leniore submissa fastigio, multis arboribus obsita perennem h-
fontem, ex quo larga aquæ manant. Circuitus eius duo & triginta stadia comprehendit.
vertice herbidus campus. In hoc multitudinem imbellium considere iubent: ipsi quà rupe-
rat arborum truncos & saxa obuoluuntur. tredecim millia armatæ erant. in quorum obsi-
nem Cratero relicto ipse SatibarZanem sequi festinat. Et quia longius abesse eum cognou-
rat, ad expugnandos eos, qui edita montium occupauerant, redit. Ac primo repurgari iub-
quidquid ingredi possent: deinde vt occurrebant inuiæ cotes, præruptæq; rupes, irritus lab-
videbatur obstante natura. Ille vt erat animi semper obluctantis difficultatibus, cùm & pr-
gredi arduum, & reuerti periculosum esset, versabat se ad omnes cogitationes, aliud atque
aliud, ita vt solet, vbi prima quæque damnamus, subijciente animo. hæsitanti, quod ratio no-
potuit, fortuna consilium subministrauit. Vehemens Fauonius erat, & multam materiam ce-
ciderat miles, aditum per saxa molitus. Hæc vapore torrida iam inaruerat. Ergo aggerari
alias arbores iubet, & igni dare alimenta: celeriterq; stipitibus cumulatis fastigi-
um montis æquatum est. Tunc vndique ignis iniectus cuncta comprehendit: flammam in
ora hostium ventus ferebat: fumus ingens velut quadam nube absconderat cælum. Sonabant
incendio siluæ, atq; ea quoque quæ non incenderat miles, concepto igne proxima quoque adu-
rebant. Barbari suppliciorum vltimum, si quà intermoreretur ignis, effugere tentabant: sed
quà flamma dederat locum hostis obstabat. Varia igitur clade consumpti sunt. Alij medios
ignes, alij in petras præcipitauere; quidam manibus hostium se obtulerunt. pauci semiustulati
venêre in potestatem. Hinc ad Craterum, qui Artacacnam obsidebat, redit. Ille omnibus præ-
paratis regis expectabat aduentum captæ vrbis titulo (sicut par erat) cedens. Igitur Alexan-
der turres admoueri iubet: ipsoq; adspectu territi Barbari, è muris supinas manus tendentes,
orare cœperunt, vt iram in SatibarZanem defectionis auctorē reseruaret, supplicibus semet
dedentibus parceret. Rex data venia, nō obsidionē modò soluit, sed omnia sua incolis reddidit.*

BES-

BESSVS VESTE REGIA SVMPTA ARTAXERXEM APPELLARI SE IVSSERAT.) De hac ipsa re satis fusè iam ad cap. 4. huius libri dictum. Idem narrant a Siculus & b Arrianus: Sed hic planè ad calamum Curtij: ἐν τούτῳ δὲ ἀφι[illegible]ντας παρ' αὐτὸν περσῶν ἐνίους οἳ ἤγγελλον Βῆσσον τήν τε κίδαριν ὀρθὴν ἔχειν, καὶ τὴν περσικὴν στολὴν φοροῦντα· Ἀρ[illegible]ξέρξην τε καλεῖσθαι ἀντὶ Βήσσου, καὶ βασιλέα φάσκειν εἶναι τῆς Ἀσίας, ἔχειν τε ἀμφ' αὐτὸν περσῶν τε τοὺς ἐς Β[illegible]κτρα διαφυγόντας, καὶ αὐτῶν Βακτριανῶν πολλούς· προσδοκᾶσθαι δὲ ἥξειν αὐτῷ καὶ Σκύθας ξυμμάχους. Per id tempus, Persarum nonnulli ad eum venerunt, nunciantes Bessum tiaram erectam, Persicamque vestem gestare, & immutato Bessi nomine Artaxerxem vocari, seque Asiæ regem appellare. habere apud se Persas, qui in Bactra profugerant, & ex Bactrianis complures: Scytharum etiam confœderatorum aduentum expectare.

a Lib. 17.
b p. 72.

TANAIS ACCOLAS.) Regredere ad Caput 3. huius libri, vbi pleniùs de hoc Tanai disputatum. negant enim geographi Tanaim vllum ad Bactra esse, quamuis enim Europam ab Asia diuidat, vt supra Curtius docuit, non tamen in a[illegible] apud Indos regionibus id fieri omnes testantur. Scythæ tamen illic degebant, qui postea legationem ad Alexandrum misêre, ab eodem demum victi.

SATIBARZANES.) Primum hic huius purpurati & satrapæ Areorumque præfecti fit mentio, sæpius deinceps facienda. Hunc primum in fidem recepit, suæque prouinciæ præfecturam restituit Alexander, mox eundem ad Bessum deficientem bello persecutus est, quem demum Erigyus inclitus Alexandri dux singulari cum illo certamine congressus vicit & confecit: Arrianus, ἐνταῦθα δὲ ἐπὶ τοὺς Ἀρείων ὅρια, καὶ Σουσίαν πόλιν τοῖς [illegible] Ἀρείοις, ἵνα καὶ Σατιβαρζάνης ἧκεν παρ' αὐτόν, ὁ τῶν Ἀρείων σατράπης. τούτῳ μὲν δὴ τὴν σατραπείαν ἀποδοὺς [illegible] ξυμπέμπει αὐτῷ Ἀνάξιππον τῶν ἑταίρων, δοὺς αὐτῷ τῶν ἱππακοντιστῶν ἐς τεσσαράκοντα, ὡς ἔχοι φύλακας [illegible] καθιστάναι τῶν τόπων, τοῦ μηδὲν ἀδικεῖσθαι τοὺς Ἀρείους πρὸς τῆς στρατιᾶς κατὰ τὴν πάροδον. Inde in Areos fines ad Susiam Areorum vrbem. quo loci Satibarzanes Areorum satrapes ad eum venit. Huic satrapatum reddit, vnaque cum eo Anaxippum vnum ex amicis mittit, quadraginta equestribus iaculatoribus ei adiunctis, quos custodes locorum disponeret, ne Arei ab exercitu illac transeunte damni aliquid acciperent.

CAETERAS SARCINAS INCENDI PRAECEPIT.) Non iniuria sarcinæ impedimenta potius, quàm adiumenta appellantur exercitûs, cum miles his oneratus ineptior ad omnia militaria officia fiat. In itinere conficiendo his retardatur, in fluminibus traijciendis mergitur, in prælio curis angitur, ne reculas suas perdat. Proinde C. Marius, inquit Frontinus, recidendorum impedimentorum gratia, quibus maximè exercitus agmen oneratur, vasa & cibaria militum in fasciculos aptata furcis imposuit, sub quibus & habile onus, & facilis requies esset: vnde & in prouerbium tractum est, Muli Mariani. Philippus etiam pater Alexandri cùm primum exercitum constitueret, vehiculorum vsum omnibus interdixit, equitibus non amplius quàm singulos calones habere permisit: peditibus autem denis singulos, qui molas & funes ferrent in æstiua exeuntibus, triginta dierum farinam collo portare imperauit. Scipio Numantinus delicatioris vsus vasa, parumque necessaria suorum militum confregit. Quod Darius serius expertus vsu didicit, sarcinas belli impedimenta esse: regredere in memoriam superioris libri. Vsu se (Darius loquitur) didicisse, pretiosam supellectilem, pellicesque, & spadonum agmina nihil aliud fuisse, quàm onera & impedimenta. Eadem trahentem Alexandrum, quibus rebus antea vicisset, inferiorem fore. Itaque Alexander, vti militem his leuaret, præter homines & stipendia, pleraque cum sua, tum exercitus impedimenta exussit, certissimus meliora recuperandi, quod & Latini socci princeps verissimè affirmauit:

lib. 4. c. 1.
p. 178.
Ibid.
Eod loco cap. 1.
Lib. 5. c. 1.

Pecuniam in loco negligere, maximum interdum est lucrum.

Terentius Adelph. Act. 2. sc. 2.

Et Plautus:

—— necesse est facere sumtum, qui quærit lucrum.
Lucrum sine damno fieri non potest.

Asinaria.

Sed omninò huc facit stratagema Mithridatis, qui bello victus ab Lucullo & iamiam capiendus iactura sarcinarum euasit. Cicero maximus auctorum, hoc in oratione pro lege Manilia eleganter denarrat: *Primum Mithridates ex suo regno sic profugit; vt ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur; quam prædicant in fuga fratris sui membra in ijs locis quà se parens persequeretur, dissipauisse, vt eorum collectio dispersa, mærorque patrius celeritatem persequendi retardaret. sic Mithridates fugiens, maximam vim auri atque argenti, pulcherrimarumque rerum omnium quas & à maioribus acceperat, & ipse bello superiore ex tota Asia direptas in suum regnum congesserat, in Ponto omnem reliquit. Hæc dum nostri colligunt omnia diligentius, Rex ipse è manibus effugit. ita illum in persequendi studio mæror, hos lætitia retardauit.* Idem breuissimè Florus: *Mox clade conuersa, quum ex mora obsidentem regem, & ex fame pestilentia vrgeret, recedentem Lucullus assequitur, adeoque cecidit, vt Granicus & Aesapus amnes cruenti redderentur. Rex callidus Romanaque auaritia peritus, spargi à fugientibus sarcinas & pecuniam iussit, qua sequentes moraretur.* Hoc stratagemate vsus Alaricus apud Claudianum in extremo Getico euasit, quamuis miles illius pœnè totus concisus fuerit, Romanæque legiones per aurum & neglectas opes hostem insecutæ sint, maximamque laudem in victoria propter contemtas opes consecutæ.

pag. 34.
Lib. 3. c. 5.

Claud. bello Getico ad fin.

Altius haud vnquam toto descendimus ense,
In iugulum Scythiæ;tanta nec clade superbum
Contudimus Tanaim,vel cornua fregimus Istri.
Inuisum miles sitiens haurire cruorem,
Per varias vestes oneratáq; plaustra metallo
Transit,& argenti cumulos,& cadis auatus
Contemptas proculcat opes.pretiosior auro
Sanguis erat.passim neglecti prodiga lucri
Ira furens strictis odium mucronibus explet.
Purpureos cultus,assumptas ignis valentes
Exuuias,miseriúq; graues crateras ab Argis,
Raptaq; flagrantis spirantia signa Corintho
Callidus ante pedes venientibus obijcit hostis
Incassum,neque enim feralis præda moratur,
Sed iustos prabent stimulos monumenta doloris.
Asseritur ferro captiuum vulgus,& omnes
Diuersa vocis populi,quos traxerat hostis
Seruitio,tandem dominorum strage redempti
Blanda cruentatis affigunt oscula dextris,
Desertosq; lares & pignora lata reuisunt.
Mirantur sua quemq; domus;cladesq; renarrant
Ordine cognati,referunt miracula belli.
Quis tibi nunc, Alatrice,dolor? cum Marte perirent
Diuitia.spolijsq;, diu quæsita supellex.

Euasit tamen Alaricus rex, & postea reuersus etiam Romam capta diripuit. Eadem arti[illegible] phon Syriæ rex, Antiochi vim, sparsis per viam sarcinis, elusit, vti Frontinus l. 2. c. 13. prodidit.

BREVIS ORATIO.) Alexander militem blanda oratione affatus ostendit, quanta damn[illegible] inde ex impedimentorum sarcinis capiantur, quàm ordo militaris, itinera, prælia per huiusmo[illegible] nera præpedirentur: se deuictis hostibus omnia maioribus commodis compensaturum.

BACTRIANAM REGIONEM.) Quam tamen in præsens propter Satibarzanem omisit [illegible] piorem hostem insecuturus, ne quid à tergo hostile relinqueretur.

NICANOR PARMENIONIS FILIVS.) Duo Nicanores à Curtio celebrantur, de altero [illegible] agemus, hic de Parmenionis; patrem enim hic adiecit, vt hunc ab altero distingueret. Magnu[illegible] belli dux fuit, & ad Issum alterum phalangis cornu in acie tuitus est, & aliàs Argyraspidum præ[illegible] ctum egit. Sed optimè fecit Nicanor, quòd antè sit extinctus, quam Philotas frater coniur[illegible] atione suspectus in quæstiones raperetur, & crudelissimè tortus cum æterna infamia necaretur. Non v[illegible] nec audiuit indignam patris, qui septuagesimum iam annum excesserat, necem; non venit ipse [illegible] criminis suspicionem, quam viuus ægrè deuitasset: in medio vitæ cursu, & maximorum faci[illegible] nor[illegible] laude famaque decessit, de cuius morte etiam Arrianus meminit. Νικάνωρ δὲ ὁ Παρμενίωνος, ὁ τ[ῶν] ὑπασπιστῶν ἄρχων τε τελευτήκει ἤδη νόσῳ. Nicanor Parmenione natus Hypaspistarum dux iam mor[bo] decesserat.

SATIBARZANEM DEFECISSE AB EO.) Ab Alexandro. Non solum defecit ab nouo rege, quo nuper primum in fidem & gratiam receptus, sed perfidus barbarus etiam Anaxippum Alexan[dri] ducem ipsi cum præsidio adiunctum interfecit, quod Arrianus testatur: [illegible] Σατιβαρζάνης ὁ Ἀρείων σατράπης, Ἀνάξιππον μὲν καὶ τοὺς ἱππακοντιστὰς τοὺς ξὺν αὐτῷ [illegible] *[illegible] euntiin Bactra Alexandro, nunciatur Satibarzanem Areorum satrapam, interfecto Anaxippo & equi-tibus iaculatoribus, qui ei aderant Areos armare.* Idem tradit Siculus in 17.

TOTAQVE NOCTE STRENVE ITINERE FACTO IMPROVISVS HOSTI ADVENIT.) Idem ferè tradit Arrianus, qui simul exponit, qui fuerint leuis armaturæ milites, quos secum assumpsit: *His, inquit, rebus nunciatis, intermisso itinere in Bactra, sumptis secum socijs equitibus & iaculatoribus equestribus, atque sagittarijs, & Agrianis, & Amynta ac Cœni agminibus: reliquo exercitu ibi relicto, Crateroq; ei præfecto, ipse celeriter aduersus Satibarzanem & Areos ducit, stadijsq; sexcentis biduo emensis, ad Artacoana peruenit. Satibarzanes, vt appropinquare Alexandrum sensit, celeritate aduentus consternatus, cum paucis equitibus Areorum fugit. Plerique enim milites, cùm iam inuenire ipsi Alexandrum audirent, eum in fuga destituerunt. Alexander quotquot conscios defectionis fuisse cognouit, desertaq; pagis abijsse, acriter eos insecutus partim interfecit, partim in seruitutem redegit.* Nec diuersa Siculus. Quod Arrianus biduo sexcenta stadia emensum ait regem, efficiunt milliaria nostratia paullò amplius octodecim. Et quod Curtius tota nocte fecisse iter dicit Alexandrum, Arrianus recto biduum facit. noctemecor cum die biduum interpretatus.

BACTRA PERFVGIT.) Ad Bessum Tyrannum, qui iam diadema sumpserat, & exercitum in Alexandrum parabat. De * Bactris infrà Curtius ipse plura.

pag. 71.

* lib. 7. c. 7.

PRAI-

PRAERVPTA RVPES ERAT.) In ambitu milliare Germanicum, stadia enim *duo & triginta* (ita legendus & exprimendus est numerus; non, triginta & duo) efficiunt milliare Germanicum, passuum millia quatuor, nam stadium continet passus centum viginti quinque; trigiota duo, quatuor millia passuum.

CONSIDERE IVBENT.) Coniuges, liberos paruos, senes Areorum.

QVA RVPES ERAT.) Quà aditus erat ad rupem saxis & arboribus viam obsepiunt. Vel quà rupes erat, ne vllus esset ascensus, omnia magnis arborum truncis & saxorum mobilibus obstruxerunt.

QVICQVID INGREDI POSSENT.) Quà via patebat, priusquam ad cautes & rupes accederetur. Repurgari iubet, exscindi siluas, fruteta, senticeta, vt non singuli, sed plures vna simul incedere possent.

OCCVRREBANT COTES.) Quæ viam prorsus inuiam reddebant, accedentibus etiam molibus saxorum & ingentium stipitum, per quæ frustra enitebantur. Cotes) cautes, vt plostra plaustra, copo caupo.

PROGREDI ARDVVM, REVERTI PERICVLOSVM.) Meminerat enim quid sibi ad Susidas pylas vsu venisset, vbi illius hæsit felicitas, hic tamen fata viam aperuerunt. Lib. 5. c. 10.

VEHEMENS FAVONIVS ERAT.) Fauonius igitur fauit & succurrit hæsitanti & propè desperanti Alexandro. Fauonius ventus Græcis ζέφυρος spirat ab occidente, medius inter Caurum & Africum, aduersus Euro. De octo ventis disputat Agellius accuratè, & eleganter, vel potius Fauorinus apud Agellium l. 2. c. 22. quem videbis. Ouidius quatuor duntaxat canit, & Zephyrum Euro opponit:

Eurus ad auroram Nabathæaq; regna recessit
Vesper & occiduo quæ littora sole tepescit
Proxima sunt Zephyro —— Metam.

FASTIGIVM MONTIS AEQVATVM EST.) Quomodo æquatum? Alexander ex arborum truncis & stipitibus aggerem circum rupem excitarat, qui cum montis verticem æquaret subiecto igne incendi iussit. Flammâ, Zephyro sub Occidente vehementius flante, tota rupes, & ipsa multa silua circumdata & vestita ardere cœpit, ita, vt qui verticem insederant, ex turba, & qui rupem tuebantur milites, incendio, nisi inde profugerent, correpti, viui cremarentur. Itaque quà data via obsessi in rupe, erumpere per tela, per ignes conabantur, sed quà flamma intermiserat, hostes obstabant. Vndique ergo circumuenti tanquam pecudes & victimæ mactabantur, aut flammis hauriebantur, aut per saxa præcipites in exitium ruebant, aut vltro se hosti iugulandos offerebant: miserandæ igitur strages & plurima mortis imago.

HINC AD CRATERVM QVI ARTACACNAM OBSIDEBAT, REDIT.) *Artacacna*, seu potius vt codex Constantiensis præfert *Artacrana*, vel vt est apud Atrianum *Artacoana*, vel è Siculi scriptura *Chartacana*, apud Strabonem *Arctacana* (tanta codicum in proprijs præsertim nominibus est varietas) fuit regia & metropolis Areorum. *Artacaudnam* putant apud Ptolemæum. Arei siue Ariei, siue Ariani & Arieni populus inter Bactra & Hyrcaniam, cuius & apud Herodotum & alios mentio, acer & bellicosus. Abest Ariéa seu Aria ab Hyrcania * sex millibus stadiorum, vt * geographus est in vndecimo auctor, longa stadia * bis mille, lata * trecentra campestria. Caput prouinciæ Artacoanam seu Artacacnam obsidebat Craterus, cumque res in eo esset, vt expugnaretur, [illegible] ipse vrbis captæ decus, cùm inuidia Alexandri, cuius ingenium nouerat, obtineret, expectauit, d[illegible]m rex ipse adueniret, vrbemque occuparet. Habemus geminum huic in literis sacris exemplum in Ioabo Dauidis supremo belli duce, qui itidem capiendæ iam vrbis Rabbath titulum cessit Daui[illegible] est in 2. Reg. c. 12. & 2. Paral. 20.

* Strabo.
* milliaria nostratia 187. & semis.
* sexaginta duo & semis.
* nouendecim & amplius semille.

SVPINAS MANVS.) Contrarius gestus, pronas manus ferre; medius, iunctas ad sidera tendere p[illegible]lmas. Supinæ sunt, quales hodie mystes sacer inter sacrificium, vel cum ante consecrationem præ[illegible]r, vel Orationem Dominicam, vel preces pronunciat, præ se fert.

PA[illegible]CERET SVPPLICIBVS.) Parcendum enim subiectis, & debellandi superbi. plus sæpe cleme[illegible]a proficit in bellis, quam sæuitia. Et vatis præceptum est:

Clementior victoria sit quam sæuior.

Et hoc i[illegible]genium Alexandri fuit, vt supplicibus omnibus parceret, regna vel donaret, vel restitue[illegible]t: Batin ad Gazam lacerauit; quia victus & vinctus genu ponere noluit, nec vllam supplicis vocem mittere. Areis Arsacen Persam Satrapen dedit.

CA-

CAPVT XIII.

ARGVMENTVM.

Supplementum accipit. Drancas adit, quorun tor Barzaëntes ad Indos profugit.

*A*B hac vrbe digresso supplementum nouorum militum occu lus 10. equites ex Græcia adduxerat, tria millia ex Illyrici ter miserat. Thessali equites centum & triginta cum P. rant. Ex Lydia duo millia & 10C. peregrinus miles adu CCC. equites gentis eiusdem sequebantur. Hac manu adiect cat peruenit. Bellicosa natio est. Satrapes erat Barzaentes, sc regem suum particeps Besso. Is suppliciorum, quæ meruera profugit in Indiam.*

Zoilvs) huius militum conquisitoris non memini alibi fieri mentionem. Inter Zoilo clarissimus & improbissimus is fuit, quem in commentarijs ad Martialem descripsimus, q cum alijs missum facimus.

Antipater.) Macedonum prætor, absente Alexandro Prorex.

Cvm Philippo erant.) Prætore, postea apud Indos occiso, vti lib. 10. cognosces. Siculus hunc ipsum, reor, non occisum ait, sed post mortem Alexandri Bactrianorum & S norum præfectum.

Peregrinvs miles.) Mercede conductus, quamquam & Græci erant μισθοφόροι, sed non peregrini.

Drancas pervenit.) Siculus breuiter: μετὰ δὲ ταῦτα πάσας τὰς κατὰ τὴν σατραπείαν πόλεις ἐν τριάκοντα ἡμέραις καταχτησάμενος, προῆγεν ἐκ τῆς ὑρκανίας, καὶ διανύσας εἰς τὰ βασίλεια Δραγγίνης καὶ ἐνταῦθα διέτριβε καὶ τὴν δύναμιν ἀνελάμβανε. Post hæc omnibus huius prouinciæ vrbibus intra triginta dies subactis, mouit ex Hyrcania, peruenit in regiam Dranges.

Bellicosa natio est.) Persica nempe, quales Persæ milites, tales Drangæ seu Dra

Lib. 11. Drangianam Strabo partem Ariæ fecit, vsque ad Carmaniam, maiori parte austrinis partibus montes decumbit, habetque partes etiam Boreales Ariæ vicinas. Idem vol. 15. *Arij, inquit, & a quilonem & Occidentem Drangis adiacent, Arachotis & Gedrosijs Dranga.* Drangæ Persicè viu unt, i penuria laborant, stanno abundant.

Barzaentes.) Siculus Barxienten, Arrianus Barsaenten, noster Barzaentem appellat Dra carum seu Drangarum, seu Dracarum, seu Zarangeorum prætorem, qui Bessi socius ad Indos prof git, quòd sciret Alexandrum omnes Darij insidiatores odio extremo ferroque persequi, non secus

Lib. 3. p. 72. ac si in seipsum parricidæ coniurassent. De hoc Arrianus: ἤδη ὡς ἐπὶ τὴν ζαραγγαίων χώραν ἦγε ... νῦν ἵνα τὰ βασίλεια τῶν ζαραγγαίων τὴν. βαρσαέντης δὲ ὃς τότε κατεῖχε τὴν χώραν, εἷς ὢν τῶν ξυνεπιθεμένων Δαρείῳ ἐν τῇ φυγῇ προσιόντα Ἀλέξανδρον καθὼν, ἐς ἰνδοὺς τοὺς ἐπὶ τάδε τοῦ Ἰνδοῦ ποταμοῦ ἔφυγε. ξυλλαβόντες δὲ αὐτὸν οἱ Ἰνδοὶ παρ' Ἀλέξανδρον. τῆς ἐς Δαρεῖον ἀδικίας ἕνεκα, &c. *Ipse in Zarangaeos profectus eo peruenit, vbi gentis illius regia erat. Barsaentes verò, qui tum eam regionem obtinebat, vnus ex ijs, qui Darium in fuga oppresserant, cognito Alexandri aduentu, ad Indos, qui cis Indum flumen incolunt, fugit. Quem*

Lib. 8. c. 23. *Indi comprehensum ad Alexandrum mittunt. Alexander illum ob perfidiam, qua erga Darium vsus fuerat, interfici iußit.* Curtius infrà hunc, quòd Arachosijs auctor defectionis fuisset, vinctum Alexandro adductum tradidit, Arrianus ab eodem etiam occisum.

CA.

CAPVT XIV.

ARGVMENTVM.

Coniuratio in Alexandrum per Nicomachum & Ceballinum detegitur. Dymnus se ipsum ferro induit.



Iam nonum diem statiua erant, cum externa vi non inuictus modò rex, sed tutus, intestino facinore petebatur. Dymnus modicæ apud regem auctoritatis & gratiæ, exoleti, cui Nicomacho erat nomen, amore flagrabat, obsequio vni sibi dediti corporis victus. Is quod ex vultu quoque perspici poterat, similis attonito, remotis arbitris, cum iuuene secessit in templum, arcana se & silenda afferre præfatus: suspensumque expectatione per mutuam charitatem, & pignora vtriusque animi rogat, vt affirmet iureiurando, quæ commisisset, silentio esse tecturum. Et ille ratus nihil quod etiam cum periurio detegendum foret, indicaturum, per præsentes deos iurat. Tum Dymnus aperit in tertium diem insidias regi comparatas, seque eius consilij fortibus viris & illustribus esse participem, quis iuuenis auditis, se verò fidem in parricidium dedisse constanter abnuit, nec vlla religione, vt scelus tegat, posse constringi. Dymnus & amore & metu amens, dextram exoleti complexus, & lachrymans orare primùm, vt particeps consilij operisque fieret, si id sustinere non posset, attamen ne proderet se, cuius erga ipsum beneuolentiæ præter alia hoc quoque haberet fortissimum pignus, quòd caput suum permisisset fidei adhuc inexpertæ: ad vltimum auersari scelus perseuerantem, mortis metu terret; ab illo capite coniuratos pulcherrimum facinus inchoaturos: aliàs deinde effœminatum, & muliebriter timidum, aliàs proditorem amatoris appellans, nunc ingentia promittens, interdumque regnum quoque; versabat animum tanto facinore procul abhorrentem. Strictum deinde gladium modò illius, modò suo admouens iugulo, supplex idem & infestus expressit, vt tandem non solum silentium, sed etiam operam polliceretur: namque abunde constantis animi, & dignus qui pudicus esset, nihil ex pristina voluntate mutauerat; sed captum Dymni amore, simulabat nihil recusare. Sciscitari inde pergit cum quibus tantæ rei societatem iniisset; plurimum referre quales viri tam memorabili operi admoturi manus essent. Ille & amore & scelere malesanus, simul gratias agit, simul gratulatur, quod fortissimis iuuenum non dubitasset se adiungere Demetrio corporis custodi, Peucolao, Nicanori, adijcit his Aphœbetum, Loceum, Dioxenum, Archepolim, Amyntam. Ab hoc sermone dimissus Nicomachus ad fratrem (Ceballino erat nomen) quæ acceperat, defert. Placet ipsum subsistere in tabernaculo, ne si regiam intrasset, non assuetus adire regem, coniurati proditos se esse resciscerent. Ipse Ceballinus ante vestibulum regiæ (neque enim propius aditus ei patebat) consistit, operiens aliquem ex prima cohorte amicorum, vt introduceretur ad regem. Fortè cæteris dimissis, vnus Philotas Parmenionis filius, incertum quam ob causam, substiterat in regia. Huic Ceballinus ore confuso magnæ perturbationis notas præ se ferens, aperit quæ ex fratre compererat, & sine dilatione nunciare regi iubet. Philotas conlaudato eo protinus intrat ad Alexandrum, multoque inuicem de alijs rebus sermone consumto, nihil eorum quæ ex Ceballino cognouerat, nunciat. Sub vesperam eum prodeuntem in vestibulo regiæ excipit iuuenis, an mandatum executus foret requirens. Ille non vacasse sermoni suo regem caussatus discessit. Postero die Ceballinus venienti in regiam præstò est, intrantemque admonet pridie communicata cum ipso rei. Ille curæ sibi esse respondet: ac ne tum quidē regi quæ audierat aperit. Cœperat Ceballino esse suspectus. Itaque nō vltra interpellandum ratus, nobili iuueni (Metron erat nomē) super armamentarium posito, quod scelus pararetur indicat. Ille Ceballino in armamentario abscondito protinus regi corpus fortè curanti, quid index detulisset, ostendit. Rex ad comprehendendum Dymnum missis satellitibus armamentarium intrat. Ibi Ceballinus gaudio elatus, Habeo te, inquit, incolumem ex impiorum manibus ereptum. Percontatus deinde Alexander

quæ noscenda erant ordine cuncta cognoscit. Rursusque institit quærere quotus à quo Nicomachus ad eum detulisset indicium at 3. illo fatente iam tertium esse ; haud incorrupta fide tanto post deferre quæ audierat, vinciri eum iussit. Ille cla dem temporis momento quo audisset, ad Philotā decucurrisse: ab eo percontaretur quærēs an Philotā adisset, an institisset ei vt peruenirēt ad se? perseuerante eo affi dixerat, manus ad cælum tendens, manantibus lacrymis hanc sibi à charissimo quo torum relatam gratiam querebatur Inter hæc Dymnus haud ignarus quam ob caus ferretur à rege, gladio quo fortè erat cinctus, grauiter se vulnerat, occursuque sate. hibitus perfertur in regiam. Quem intuens rex, Quod, inquit in te Dymne tan. tum nefas, vt tibi Macedonum regno dignior Philotas me quoque ipso videretur. iam defecerat vox. itaque edito gemitu, vultuque à conspectu regis auerso subinde extinguitur.

IAM NONVM DIEM) Quæ sequentibus capitibus à Curtio de coniuratione nobiliu lexandrum facta exponit, pleraque omnia ita liquent, vt nullo prope commentario vel sch digeant, nisi cùm subinde Curtius cum Siculo, Plutarcho, Arriano, Iustino, nunc inter se dissi bus, nunc consentientibus componendus est, aut voces nonnullæ interpretandæ, aut scriptu cum castiganda, vt hic in ipso capitis ingressu Acidalius ordinem verborum immutat, & it incompositè disponit: *Cum externa vi non modò inuictus rex, sed tutus, intestino facinore petebatu* tustiores libri ita habent: *Cum externa vi non territus modò rex, sed inuictus*. & alij, *interritus*. Co tiensis MS. *non tutus modò rex, sed inuictus*. quæ scriptura haud dubiè vulgari præferenda, vti daliana Modianæ & scriptæ præstat, quamquam parum inter se differant, & intellectus loci vi que admittat. Acidalius ex *interritus* & *tutus* cudit tertiam *intentatus*. Sed non placet tam pro bire à ductu literarum.

STATIVA ERANT) Statiua sunt sedes militum, quod ibi diutius stare & sedere consue Stevvechium adi ad cap. 4. Vegetij lib. 3.

INTESTINO FACINORE) domesticis insidijs. Quæras fortasse caussam insidiarum ? Cur suprà generatim attigit, arrogantiam regis & luxum, affectatosque peregrinos mores atque in lentiam; *quibus*, inquit, *ita popularium animos oculosque pariter offendit*, *vt à plerisque amicorum, hoste haberetur. Hinc*, inquit, *sæpius comparatæ in caput eius insidiæ, secessio militum*, & quæ sequuntu Cur autem ipse Dymnus fuerit primus qui coniurarit, Curtius docet. Siculus subobscurè indic cum dicit: Δίμν⊕ μεμφιμοιρήτας τῷ βασιλεῖ περί τινα ... τῶν ... ἐπιβουλὴν συνεστήσατο ... *Dymnus de re quapiā incusans regem cum iracundium indulgeret, insidias regi comparat*. Apud Pl tarchum vbiq; appellatur Limnus, non Dymnus, nisi mendum in Græco est ex vrbe Chalæstra or undum. Chalæstram vocat Stephanus Thraciæ vrbem. Strabo Macedoniæ, inde Chalæstræus Chalæstræus.

DYMNVS EXOLETI AMORE FLAGRABAT) Exoletus propriè ex Festi interpretatione est, qui adolescere & crescere desijt, ab exolesco, vnde & exoletæ stirpes. hic pro scorto masculo acci- pitur, de quo suprà, Græcis ἔξωρ⊕, vt qui florem ætatis iam excesserit.

NICOMACHO) quasi tu diceres victor prælio seu pugna, sed nihil ad rem hic nominis origina- tio & etymologia.

VNI SIBI DEDITI CORPORIS VICTVS) seu vinctus legas, seu vinctus legas, seu victus (quod magis probem) idem intellectus; sed victus magis ad rem, amore enim amasijsui Nicomachi victus Dymnus prodidit illi cogitatum parricidium.

NIHIL QVOD ETIAM CVM PERIVRIO DETEGENDVM FORET) Nicomachus ratus ni- hil dicturum, quod cum periurio seu violato etiam iurisiurandi sacramento esset aperiendum, iu- rat per præsentes Deos, qui in illo templo, ad quod deductus erat, colebantur. Non est assecutus vim verborum Glareanus, quod ingenuè fatetur.

PER PRAESENTOS DEOS) ita ferebat veterum consuetudo Macedonum, vti ducti ad templū tactis altaribus & simulacris iurarent, quod erat per præsentes Deos iurare. Iustinus: *Quo perductis in sanctissimum Iouis templum veterrima Macedonum religionis, Ptolemæus sic mitis immanis altaribus conten- gens ipsa simulacra & puluinaria deorum, inaudita vltimisque execrationibus adiurat, se sincera fide ma- trimonium sororis petere*.

Videtur & Ouidius lib. 2. de Tristibus ad formulam per præsentes deos iurandi alludere, quam- uis Augustum alloquatur:

Per mare, per terras, per tertia numina iuro,
Per te præsentem conspicuumq; deum.

SEQVE EIVS CONSILII FORTIBVS VIRIS ET ILLVSTRIBVS ESSE PARTICIPEM) Rarus loquendi modus: sum tibi consilij particeps. Auctor declamationum, quæ vulgo Quintiliano (siue is pater, siue auus Fabij fuit) adscribuntur, ita locutus traditur raro exemplo, quod proinde obser-

oblectandum; nescio an etiam imitandum: Mater prædura & in plerisque ruris operibus marito particeps.

Fidem in parricidium dedisse constanter abnuit) vulgò fidem in parricidio dedisse. venustius, in parricidium dedisse, vt rectè annotauit Acidalius.

Dymnus et amore et metu amens) Dymnus cum contra quàm sperarat animum Nicomachi à tam atroci facinore penitus abhorrentem experiretur, & datum iusiurandum retractantem audiret, perculsus, omnibus modis Nicomachum expugnare conatur, ac primum sanctissimum fidei pignus dextram illius arripit, complectitur, exosculatur, dein inexpugnabilem lacrymis quæ magnam vim habent mollire nequicquam pertentat: postremo omnes machinas ad expugnandam eius constantiam admouet, dignus sanè erat qui Nicomachi potius quàm exoleti nomen ferret. Nam neque conuitijs quibus aures eius euerberauit, & effeminatum & muliebriter timidū appellitauit, cessit, neque promissis quibus regna pollicebatur infractus aut permotus est, neque præsentis denique mortis intentatæ metu, cum iugulo ipsius ferrum admouit, quicquam de constantia remisit. Quin imo vesano homini simulata animi mutatione, quasi inclinata iam in parricidium voluntate elicuit etiam socios coniurationis, quorum nomina mox ad Alexandrum detulit.

Demetrio corporis custodi) Summa hæc dignitas apud Macedonum reges erat, & non nisi fidissimis & amicissimis is honos habebatur: inter quos nonnulli postea regnarunt, & regum fratres & cognati erant, vt supra monui, quo grauius Demetrio maiestatis crimen impingebatur: quod pertinacissimè inficiatus est, donec à morituro Philota proditus, cum alijs parricidis pœnas exoluit. Decem omnino fuerunt rei parricidij, *Dymnus, Philotas*, quem tamen Nicomachus, propter potentiam, vt creditur, non ausus est nominare, aut mea sententia potius nesciuit, cum illū Dymnus non prodidisset: *Demetrius, Peucolaus*, qui quis fuerit, aut vnde domo (omnes nobiles & illustres viros & iuuenes constat) non traditur. *Nicanor*, Nicanores apud Curtium tres celebrantur, Parmenionis filius cui paullò ante parentauimus, hic parricida, & tertius qui infra egregia morte defunctus est. *Aphobetus, Loceus, Diogonus, Archepolis*, in obscuro, si absque hoc facinore fuisset, semper latuissent. *Amyntas*, hic non est ille prætor Alexandri, siue Polemonis & Symæ frater, sed alius quidam, quamuis Amyntas alter etiam suspectus & captus fuerit, sed iudicio postea cum Polemone & Syma fratribus absolutus. Cæteri saxis obruti vel iaculis confixi.

Ptolemeus, Perdiccas, Leonatus, Demetrius armigeri vel corporis custodes.

Ceballino erat nomen) Plutarcho est Balinus. τοῦ δὲ Νικομάχου μὴ δεξαμένου φράσαντος δὲ τῷ ἀδελφῷ Βαλίνῳ τὴν πεῖραν, ἐλθὼν ἐκεῖνος πρὸς Φιλώταν ἐκέλευσεν εἰσάγειν αὐτοὺς πρὸς Ἀλέξανδρον. *Qui cum id repudiasset, & fratri indicasset Balino tentatum se, ille ad Philotam profectus, petijt introduci se cum fratre ad Alexandrum.* Siculus Nicomachum *adolescentem* à Dymno persuasum ait, vt in partem consilij & coniurationis veniret, sed adolescentem siue ætatis vitio, siue inconstantiæ, rem cum Ceballino fratre communicasse. Ἐρώμενον δὲ ἔχων Νικόμαχον τοῦτον ἔπεισε κοινωνῆσαι τῆς ἐπιβουλῆς. αὐτὸς δὲ νέος ὢν παντελῶς, ἀνεκοινώσατο τὴν πρᾶξιν τῷ ἀδελφῷ Κεβαλίνῳ. *Cum verò Nicomachum (Dymnus) deperiret, persuasit illi vt insidiarum particeps fieret. Ille verò cum adhuc admodum adolescens esset, totam rem fratri aperuit.*

Placet illum subsistere in tabernaculo) Nicomachum iussit Ceballinus in castris papilione & tentorio suo expectare, donec euocaretur.

Regiam intrasset) Quamuis & in castris tabernaculum regium, apud Romanos prætorium, & id pro regia fuerit, vt supra demonstrauimus, tamen hic regiam propriè dictam intelligo, ibique Arrianus docet Alexandrum venisse in Zarangæos, quos alij Drangas, alij Drancas vocant, regiam ingressum vt videatur, non in castris & tabernaculo regio, sed ipsa principis vrbis regia statiua habuisse, milite extra vrbem in castris sedente. infrà tamen Arrianus tabernaculi facit mentionem. Cæterum iam supra monui non nisi certis regum amicis per se regem adire licuisse, & hoc est quod affirmat Curtius, ne Ceballino aditum vel ad vestibulum regis patuisse.

Philotas) Hoc initium præsentis exitij Philotæ fuit, quod delatum coniurationis indicium per biduum suppresserit, cum quotidie bis tabernaculum ipsius adire solitus sit. ex quo & ipse de cogitato regis parricidio suspectus fuit, & per indices delatus. Siculus in dubium vocat Philotas ne per negligentiam, an insidiosam cædis molitionem indicium oppresserit. Sic. li. 17.

Metron erat nomen) An Metroni? vt suprà Nicomacho nomen erat. certè MS. habet Metron ei nomen erat, vnde existimem Metroni scriptum fuisse Curtio, ita certè mecum legit Acidalius. quamuis non inficias eam, lege etiam grammatica rectè dici, Metron nomen erat, sicut & Metroni.

Super armamentario posito) Armamentarium domus armis reponendis & conseruandis destinata, Græcis ὁπλοθήκη, sic enim Siculus & alij appellant, appellatur & ἀποθήκη & σκευοφόρος, Metron ergo præfectus erat armamentarij, in quo Ceballinum tantisper abscondit, dum regem de tota coniuratione doceret.

Corpus forte curanti) lauanti, vt ipse Curtius infrà exponit: *Ceballinus ne momentum quidem temporis distulit exonerare se, vt eo vbi lauabat, irrumperet.* Siculus: αὐτὸς δὲ (Μέτρων) τῷ βασιλεῖ

ἀπ μεταξὺ Ἀθομῆ προσελθὼν ἀπήγγειλε τὰ ῥηθέντα, *Ipse verò (Metron) ad reges quæ à Ceballino acceperat retulit.*

ADCOMPREHENDENDVM DYMNVM) auctorem coniurationis, lotas fuit, vt Craterus, Hephæstion & alij censebant.

ARMAMENTARIVM INTRAT) vbi latebat Ceballinus index coni clam de conscijs cognosceret.

HABEO TE EX IMPIORVM MANIBVS EREPTVM) Alexandrum ait suo beneficio à parricidio conseruatum.

ORDINE CVNCTA COGNOSCIT) De Nicomacho à Dymno tentato, re & die quo hæc cognouisset, cumque rex audisset iam tertium diem abijss accepisset, ipsum etiam Ceballinum comprehendi iussit, quod rem tantam c lo tacitam habuisset, sed ille deûm hominumque fidem testatus, se eodem pun coniuratione audisset, rem ad Philotam detulisse, institisseque sæpius vt ad re ret, quod cum per biduum non fecisset, sibi ipsum Philotam suspectum fuisse, versum, per quem statim res sit delata.

DECVCVRRISSE) Decurro, excurro, percurro, procurro, geminum forma gitur enim decucurri, excucurri, procucurri, percucurri, necminus interim decu ri, procurri apud bonos scriptores. Grammaticos nihil moror, quorum auctorita sunt quos laudant, sine quorum testimonijs intestabiles sunt. Decucurri præter C xit, in Nerone Suetonius: *Notissimus eques Romanus elephanto supersedens per catrac* Liuius 1. *Quum plures igni quàm ferro armati excucurrissent.* Sueton. in Galba, *Cum culum excucurrisset.* Liuius apud Priscianum lib. 10. *Etsi ferocius procucurrisset.* Ca Gal. co: *Cum omnes regiones Galliæ Cæsar percucurrisset.* Accurro, incurro, recurro, ro, discurro, circumcurro, succurro nondum legi geminatum. Præcurro Gram. tum,

AN INSTITISSET EI) An vrsisset Philotam vt denuntiaret. Insisto cum dan sonam relato, rarius apud scriptores reperies, vt dicant insisto tibi, idest, vrgeo te, vt tium.

MANVS AD COELVM TENDENS) ritu precantis & testantis. verba sunt Alexande lotam, antehac semper inter principes & familiarissimos regis habitum & cultum, à q nus expectasset, quàm vt tot ac tanta beneficia tentato parricidio compensaretur.

DYMNVS GLADIO SE GRAVITER VVLNERAT) ex quo vulnere mox decessit. luss: ὁ μὲν Δύμνος ἑαυτὸν κατέσφαξε. *Dymnus seipsum occidit.*

Plutarchus contra affirmat Dymnum (seu Lymnum vt ipse vocat) ab eo quem Alexa um comprehendendum miserat dum se defenderet, interfectum, ἐκ τούτου σφόδρα παρώξυ ξυνδραν. ἐς τὸ πεμφθέντος ἐπὶ τὸν Λίμνον, ὡς ἠμύνετο, συλλαμβανόμενος ἀποκτείναντος αὐτόν, ἔτι ταράχθη. *Enimuero id Alexandrum magis extimulauit, vbi ille, qui ad comprehendendum Limnum rat, defendentem se interfecit, qua re adhuc magis perturbatus est.*

VVLTV A CONSPECTV REGIS AVERSO) propter atrocitatem facinoris non ausus respicere.

CAPVT XV.

ARGVMENTVM.

Philotæ accersito, & se de coniurationis suspicione purganti rex primum ignoscit, sed amicorum consilio mox comprehendi iubet.



Ex Philota venire in regiam iusso, Ceballinus inquit, vltimum supplicium meritus, si in caput meum præparatas insidias biduo texit, huius criminis Philotam reum substituit, ad quem protinus indicium detulisse se affirmat. quo propiore gradu amicitiæ me contingit, hoc maius est dissimulationis tuæ facinus: & ego Ceballino magis quam Philotæ id conuenire fateor. Fauentem habes iudicem, si quod admitti non oportuit, saltem negari potest. Ad hæc Philotas haud sane trepidus, si animus vultu

Ceballinum quidem scorti sermonem ad se detulisse, sed ipsum tam leui vultu æstimaretur, Ceballinum quidem scorti sermonem ad se detulisse respondit, veritum, ne iurgium inter amatorem & exoletum non sine auctori nulli credidisse respondit, veritum, ne iurgium inter amatorem & exoletum non fuisse re- risu aliorum detulisset. Cum Dymnus semet interemerit, qualiacunque erant, non fuisse reticenda, complexusq; regem orare cœpit, ut præteritam vitam potius quàm culpam, silentij tamen, non facti illius intueretur. Haud facile dixerim, crediderit ne ei rex, an altius iram suppresserit: dextram reconciliatæ gratiæ pignus obtulit, & contemtum magis quam celatū indicium esse videri sibi dixit. Aduocato tamen consilio amicorum, cui tamen Philotas adhibitus non est, Nicomachum introduci iubet. Is ead quæ detulerat ad regem, ordine exposuit. Erat Craterus regi charus in paucis, & eo Philotæ ob æmulationem dignitatis aduersus. Neque ignorabat sæpè Alexandri auribus nimia iactatione virtutis atq; opera grauem fuisse, & ob ea non quidem sceleris, sed contumaciæ tamen esse suspectum. Non aliam premendi inimici occasionem aptiorem futuram ratus, odio suæ pietatis proferens speciem, Vtinam, inquit, in principio quoque huius rei nobiscum deliberasses: suasissemus, si Philotæ velles ignoscere, paterere potius ignorare eum quantum deberet tibi, quàm usque ad mortis metum adductum sæpius de periculo suo, quam de tuo cogitare beneficio. Ille enim semper insidiari tibi poterit, tu non semper Philotæ poteris ignoscere. Nec est quod existimes eum qui tantum facinus ausus est, venia posse mutari. Scit eos qui misericordiam consumpserunt amplius sperare non posse. At ego, etiamsi ipse vel pœnitentia vel beneficio tuo victus quiescere volet, patrem eius Parmenionem tanti ducem exercitus, & inueterata apud milites tuos auctoritate, haud multum infra magnitudinis tuæ fastigium positum, scio non æquo animo salutem filij sui debiturum tibi. Quædam beneficia odimus. Meruisse mortem confiteri pudet. Superest, ut malit videri iniuriam accepisse, quam vitam. Proinde * scias tibi cum illis de salute esse pugnandum. Satis hostium superest, ad quos persequendos ituri sumus. Latus à domesticis hostibus muni. Hos si bi submoues, nihil metuo ab externo. Hæc Craterus. Nec cæteri dubitabant, quin coniurationis indicium suppressurus non fuisset, nisi autor aut particeps. Quem enim pium & bonæ mentis, non amicum modò, sed ex ultima plebe, auditis quæ ad eum delata erant, non protinus ad regem fuisse cursurum? Nec Ceballini quidem exemplo, qui ex fratre comperta ipsi nunciasset. Parmenionis filium præfectum equitatus, omnium arcanorum regis arbitrum, simulasse etiam non vacasse sermoni suo regem, ne index alium internunciū quæreret. Nicomachum religione quoque deûm adstrictum, conscientiam suam exonerare properasse: Philotam consumto per ludum iocumq; pene toto die, grauatum esse pauca verba pertinentia ad caput regis tam longo & forsitan superuacuo inserere sermoni. At enim non credidisset talia deferentibus pueris, cur igitur extraxisset biduum, tanquam indicio haberet fidem? Dimittendum fuisse Ceballinum, si delationem eius damnabat. In suo quemque periculo magnum animum habere: cùm de salute regis timeretur, credulos esse debere, vana quoq; deferentes admittere. Omnes igitur quæstionem de eo, ut participes sceleris indicare cogeretur, habendam esse decernunt. Rex admonitos ut consilium silentio premerent, dimittit. Pronunciare deinde iter in posterum iubet, ne qua noui initi consilij daretur nota. Inuitatus est etiam Philotas ad ultimas ipsi epulas: & rex non cœnare modò, sed etiam familiariter colloqui cum eo quem damnauerat sustinuit. Secunda deinde vigilia luminibus extinctis, cum paucis in regiam coëunt, Hephæstion, & Craterus, & Cœnus, & Erigyus. Hi ex amicis. Ex armigeris autem Perdiccas & Leonatus. Per hos imperatum, ut qui ad prætorium excubabant, armati vigilarent. Iam ad omnes aditus dispositi equites, itinera quoque obsidere iussi, ne quis ad Parmenionem, qui tum Mediæ magnisq; copijs præerat, occultus euaderet. Attarras autem cum trecentis armatis intrauerat regiam. huic decem satellites traduntur, quorum singulos deni armigeri sequebantur. Hi ad alios coniuratos comprehendendos distributi sunt. Attarras cum trecentis ad Philotam missus, clausum aditum domus iusserat; ne L. iuuenum promtissimus stipatus. Nam cæteros cingere undique domum iusserat, ne occulto aditu Philotas posset elabi. Illum siue securitate animi, siue fatigatione resolutum somnus oppresserat: quem Attarras torpentem adhuc occupat. Tandem et sopore discusso cum inijcerentur catenæ: Vicit, inquit, bonitatem tuam, rex, inimicorum meorum acerbitas. Nec plura locutum capite velato in regiam adducunt.

d SI QVOD ADMITTI NON OPORTVIT SALTEM NEGARI POTEST) Glareanus mendose legit: Si quod admitti non potuit. Atque hinc extricari non potuit. liquet sententia si legas, non opor-

oportuit. Cæterum Alexander Ceballinum vinciri iusserat, quasi per bidu um coniurationis reticuisset, sed ille fidem regis testatus se eodem mome fratre accepisset, ad Philotam detulisse, reum silentij fecit Philotam. Hic compellans quærit an à Ceballino indicium idipsum ante biduum sit dela illam supplicio dignam, tantoque grauiore quanto ille & familiarior regi neficijs & honoribus à rege cultus sit. Sequidem existimare mendaciun Philotæ conuenire, magisque credere nunquam ad ipsum indicium fuisse c inquit, me tuæ caussæ fauere, dummodo quod factum non oportuit negare admitti non debuit, vt toto biduo, coniurationis indicium supprimeres.

SI ANIMVS VVLTV AESTIMARETVR) Conscia enim mens consu pidationem, exanimationem creat. Et sanè scriptores hodieque hærent, noce rit Philota. Iustinum audi *Interea Alexander non regio sed hostili odio sæuire in su gnabatur carpi sermonibus suorum, patris Philippi, patriæq; mores subuertisse, propte mon quoque senex dignitate regi proximus cum Philota filio de vtroque prius quæstio unur. Fremere itaque omnes vniuersis castris cœpere, innoxij senis filijq; casum misera quisque non debere melius sperare.* Curtius infrà cap. 20. dubitat de scelere & animo inquit, *verone an mendacio liberare se cruciatu voluerit anceps coniectura est, qu fessis, & falsa dicentibus idem doloris finis ostenditur.* Iustino Scribanius etiam noster scente eleganter & ingeniosè descripto subscribit, quando ait: *Non amo regum amo quamdiu vtiles, quamdiu nulla è quacunque caussa indignatio, aut amica purpuræ suspi unt Entropius, Stilico, Seianus, Belisarius, & Alexandri Lysimachus, Clitus, Callisthenes, Parmenion, Philotas, cuius docta defensionis hoc initiũ: Verba innocenti reperire facile est:* Fortiter exinde innocentiã tuetur, sed obsurduerant aures, & perdere patrem cum fi men quærebatur, decsse sceptro nunquam potest; nam quod de *Tiberio*, omne placuit crimen capitale est, discrimina diademata nesciunt. Subijcit dein exempla ex Coriolani, Ahalæ, Scipionum, Lentuli, Hannibalis, Lycurgi, Aristidis, Solonis, Phoci stoclis, damnationis in Claudio Nerone, Liuio Salinatore, vinculorum in Cimone, In Pericle & Timotheo, mortis in Socrate, Theseo, Pausania, Heluidio, Thrasea, Sene ipso conditore vrbis & imperij.

CEBALLINVM SCORTI SERMONEM AD SE DETVLISSE) scorti Nicomac fratris. vnde intelligis scortum non de fæmina tantum, sed mare etiam dici. *Vilitas erg* videbatur excusare Philotam, quod non detulerit indicium, ne se alijs ridendum propi goedias tantas in regia excitasset, à tam vili mancipio libidinis natas. Progredere ad capu decimum huius libri: *Res ad me deferebatur à puero*, & quæ sequuntur, in promtu posita sum est credere & non credere. Hic non credidisse exitio fuit Philotæ.

Prius captus erat Philotas quã Dymnus se occideret.

CVM DYMNVS SEMET INTEREMERIT) videtur Alexander Philotæ obijcere p mò quasi obiecisse, indicium qualecunque & cuiuscunque modi non fuisse contemnendun Dymnus seipsum interfecerit. Ad hanc obiectionem respondet hic Philota verum esse, i non fuisse contemnendum posteaquam Dymnus seipsum interfecerit, quod futurum ipse ne necse contempturum, sed certò delaturum fuisse, cognita autem morte *Dymni non potuiss* à rege accersitum & occupatum antequam de morte cognouisset, proinde *precari se* secrare regem, ne putet indicium consilio malo tanquam à conscio coniurationis oppressum ceret potius anteactæ vitæ suæ rationes, quam silentij non facti vllius mali culpã. Hanc veram manamque huius loci, de quo anxiè dubitauit Glareanus, (qui tamen coniectura etiã ve mentem assecutus est) esse explanationem & sententiam, docentea, quæ Curtius infrà, capi Philotę persona exequitur, cum dicit: *Etenim Dymnus se occidit. Num igitur facturum eum hoc diuin potui?* Et quę sequuntur. Siculus pro Curtio facit, Philotas, inquit, etsi negligentiæ culpam fatebatu coniurationis tamen fædus constanti inficiatione à se repellebat.

HAVD FACILE DIXERIM) Hæret Curtius, an Alexander sincerè sibi à Philota satisfactum dixerit, an simulatè, cum illi dextram, pacis & veniæ signum, porrexit, professus sibi indicium con temtum magis quam celatum à Philota videri. Ego Alexandrum primum non dubito sine vlla si mulatione cum Philota egisse, putasseque Philotam omni culpa vacare, eoque dextram veniæ datæ pignus obtulisse, postea tamen recoxisse omnia & perpendisse an aliquid fraudis latuerit, atque su am dubitationem ad amicos retulisse. Philota sanè cum in fraudè vinculis caussam diceret, hoc Ale xandri factum & dextræ datæ fidem vehementer vrsit.

CRATERVS, REGI CHARVS IN PAVCIS) Duos inter, & principes & amicos charissimos habuit Alexander Hephæstionem & Craterum, de quibus in Alexandro Plutarchus. ἐπεὶ δὲ τῶν φίλων ὁρῶν τῶν μεγίστων ἡφαιστίωνα μὲν ἐπαινοῦντα καὶ συμμεταχοσμούμενον αὐτῷ, κρατερὸν δὲ τοῖς πατρίοις ἐμμένοντα, δι' ἐκείνου μὲν ἐχρημάτιζε τοῖς βαρβάροις, διὰ τούτου δὲ τοῖς ἕλλησι καὶ μακεδόσι, καὶ ὅλως, τὸν μὲν ἐφίλει μάλιστα, τὸν δ' ἐτίμα· νομίζων καὶ λέγων τὸν μὲν ἡφαιστίωνα, φιλαλέξανδρον εἶναι, τὸν δὲ κρατερὸν φιλοβασιλέα. Sed sicut inter Craterum & Philotam ob dignitatis & honoris pares gradus excultebant æmulatio-

tiones, ita inter Hephæstionem & Craterum, vti docet Plutarchus, quæ in aulis Cæsarum, regum, principum quotidie vsuuenire solent.

ODIOSVO PRAEFERENS SPECIEM PIETATIS) Hæ sunt artes aulicæ, quibus inimicos suos circumueniunt. hac fraude Aman Macedo gentem Hebræam cum Mardochæo exscindere conatus est. Quod Hebræa singularibus legibus & reliquis gentibus contrarijs vteretur; quod contumax & rerumpub. perturbatrix esset; quod regis decreta contemneret. Hæc prætexuit impius tyrannus apud regem, qui regis commodis & regni incolumitati consuleret, cum tamen hoc vnum doleret, quod Mardochæus illi genua non poneret, non adoraret.

VTINAM) modestè reprehendit factum regis. primùm quod non statim initio cum amicis de Philota consultarit; deinde quod illum ad mortis terrorem induxerit, antequam ignosceret: præterea quod territo primùm ignouerit; postremò quod omnino ignouit. Caussas singulorum subijcit. Si deliberasset cum amicis ipso initio, salutarius consilium accepturum fuisse. Deinde si ignoscere voluisset, non prius terrendum fuisse. Ita enim futurum, vt beneficij oblitus de periculo duntaxat cogitaturus sit, nec mutaturus consilium; aut si pœnitentia & beneficio ductus nihil deinceps moliatur, patrem hostem habiturum. Illustrat bonis dictis, conditque gnomis sententiam Craterus. Ad hunc locum ce... sule nos... Caussin... p. 589.

TV NON SEMPER POTERIS IGNOSCERE) Quia si te per insidias interfecerit, serò ignosces.

TANTVM AVSVS EST) MSS. omittunt vocem *facinus*, quod plerique omnes antiqui codices addunt, si non addas, intelligendum est. Curtius verbis non abundat, quicquid rescindi potest, omittit, vt fieri possit τὸ *facinus*, ex glossemate irrepsisse.

VENIA MVTARI POSSE) nemo impij nullis beneficijs vel mutari, vel flecti potest.

QVAEDAM BENEFICIA ODIMVS) Quibus in memoriam sceleris reuocamur; quo crucem aut rogum meriti fuimus. Meruisse mortem fateri quem non pudet?

QVI MALIT VIDERI INIVRIAM ACCEPISSE QVAM VITAM) Ita interpretabitur Parmenio, ita Philota; nisi vtrumque occideris, perijsti. Nam Philota dicet sibi innocenti impactam notam criminis læsæ maiestatis, seque ad mortis metum redactum. Parmenio labem filio inustam non nisi sanguine suo diluet, cum duobus ducibus his deinceps tibi quotidie de Imperio, salute, vita decertandum erit. Hæc erit beneficij tui memoria. Malim: *Proinde scito*, vel *sciat tibi*, quam *scio tibi*.

NEC CAETERI DVBITARVNT) Perdiccas & Leonatus armigeri, Hephæstion, Cœnus, & Erigyus principes amici Sequuntur argumenta à probabili & vero simili ducta, quibus amici Alexandri persuasi quæstionibus Philotam subijciendum decreuerunt.

NEC CEBALLINI QVIDEM EXEMPLO) Quomodo non Ceballini exemplo? Non optimè fecit Ceballinus, qui ab Nicomacho cognita statim regi denunciauit? Pluribus ergo modis peccasse Ceballinus videri potuit in deferendo indicio. Primùm quod non ipsum Nicomachum statim ad regem, quoquomodo potuerit, introduxerit, deinde, quod non ipse Ceballinus per se, sed per alium coniurationem patefacere voluerit: postremò quod indicium eludi & supprimi à Philota toto biduo, cum maximo regis periculo passus sit. proinde ipsum Ceballinum suspectum regi fuisse. Sed Ceballino non fuit aditus ad ipsum, nisi per alios. Alius etiam subesse potest intellectus, Philotam nec Ceballini tam solliciti pro regis capite exemplo motum, aperuisse regi coniurationem, ac proinde vel auctorem illius, vel certè participem & conscium videri potuisse & debuisse.

IN SVO QVEMQVE PERICVLO MAGNVM ANIMVM HABERE) intellige, *debere*, vt in altero mox membro subijcitur: *Cum de salute regis timeretur, credulos esse debere*. quod omisit in priore, ne cogeretur eandem vocem in vna periodo iterare.

PRONVNCIARE DEINDE ITER IN POSTERVM DIEM IVBET) Quod nisi fecisset, facilè tumultus in castris existere poterat, tot armatis circa prætorium excubantibus, passimque per castra volitantibus, quæ omnia miles necessario fieri credebat, quod profectio in sequentem diem esset indicta.

INVITATVS EST ETIAM PHILOTAS) ne quicquam de mutato regis animo suspicaretur. Domitianus Actorem summarum pridie quàm in crucem ageret, sibi familiariter in toro assidere iussit, partibus etiam eum de cœna dignatus, securumque & hilarem dimisit. Eadem beneuolentiæ signa erga Aretinum Clementem indemnatum exhibuit, vt & Mithridates tetrarchas Galatiæ vno Conuiuio omnes trucidauit præter tres qui effugerunt, vt est apud Appianum in Mithridatici. Absalomus sanctissimi regis degener & impius filius, per speciem conuiuij Ammonem fratrem interemit. In plura passim hoc genus exempla dissimulatæ crudelitatis & simulatæ amicitiæ apud scriptores incides.

SECVNDA VIGILIA) Iam intempesta nocte. Nam sub primam vigiliam nox inchoabat: secunda ad mediam noctem durabat; singulis quatuor vigilijs ternis horis assignatis.

HEPHAESTION) Iam hi regis amici & suprà sæpè celebrati sunt, & infrà potissimum celebrantur.

Ex armigeris)Armiger proprè is dicitur & est, qui in prælio geri ceam, inquam, arcum, scutū, & hoc genus alia. rara mentio in militia Roman apud Græcos. Cicero pro domo sua, armigerum vocat stipatorem corpori frequens vsus armigerorum vti & barbaris. Habuit Goliathus, Ionathas, Sau armigeros, vt est in libris regum. Sunt ijdem ferè custodes corporis & stipat migeri, nisi quod armigeri etiam arma dominorum ferant, quibus cum vsus e

Singvlos deni)Eleganter, *deni*, aliud est decem, aliud deni; dece significat: deni possunt esse viginti, triginta, centum, mille & amplius in deno tum vox sumitur. Decem erant satellites quasi duces, quibus singulis deni qui efficiunt centum, ita scriptores boni semper & locuti sunt & loquuntur. Pc re, voce nonnunquam abutuntur, vt denos vel senos vel id genus vocabula, pro pent.

Attarras)Præfectus prætorij cum trecentis satellitibus & quinquagint ta malis sub trecentis complecti. Hunc Attarram Plutarchus 2. de Fortuna Tarri appellat.

Somnvs oppresserat)Hoc pro Achille tanquam firmissimo innocenti. fra in defensione vtitur Philotas: *graui sopore acquiescebam*, & quæ sequuntur: ad pauca annotauimus.

Capite velato)Romanis, Græcis, & Persis hic mos in tristi casu & mortis p vsurpatus. Liuius l. 1. de Horatio qui sororem lamentantē interfecerat. *caput obnubit, suspendito*. lib. 3. de Appio decemuiro: *cùm fractus animus Appius vitam et uens, in domum, foro, insciis aduersarijs capite obuoluto recepit*. Darius suprà: Perfususque mutuis lacrim sibi auelli iubet. Capite deinde velato ne inter gemitus digredientem velut à terg humum pronum corpus proiecit. Ita Aman suspendendus prius velatus est, *Nec dum regis exierat, & statim operuerunt faciem eius*. Infrà capite vltimo ducto, ad quæsti obligantur oculi. Christo Deo quoque, sed per ludibrium impiorum satellitum facies simul alapis mulctata.

Curt. lib. 5. c. 23.
Esther. 7.

Capvt XVI.

Argvmentvm.

Rex Philotam apud milites coniurationis a sat.



Ostero die rex edixit, omnes armati coirent, VI millia ferè militum rant: præterea turba lixarum calonumque impleuerant regiam. Phi armigeri agmine suo tegebant, ne ante conspici posset à vulgo quam rex cutus milites esset. De capitalibus rebus vetusto Macedonum *mod *quirebat exercitus: in pace erat vulgi, nihil potestas regum valebat, prius valuisset auctoritas. Igitur Dymni primum cadauer infertur: risque quid patrasset, quoue casu extinctus esset, ignaris. Rex deinde in concionem proce vultu præferens dolorem animi. Amicorum quoque mœstitia expectationem haud paru refecerat. Diu rex demisso in terram vultu, attonito stupentique similis stetit. Tandem rec pto animo, Penè, inquit, milites, hominū scelere vobis erep tus sū. Deûm prouidētia & miser cordia viuo: conspectusque vestri venerabilis coegit, vt vehementius parricidis irascerer, quoniam spiritus, imò vnus vitæ meæ fructus est, tot fortissimis viris, & de me optimè meritis referre adhuc gratiam posse. Interrupit ğ orationem milit um gemitus, obortæq; sunt omnibus lachrymæ. Tum rex, Quanto, inquit, maiorem in animis vestris motum excitabo, cum tanti sceleris auctores ostendero, quorum mentionē adhuc reformido, & tanquam saluī esse possint, nominibus abstineo? sed vincenda est memoria pristinæ charitatis, & coniuratio impiorum ciuium detegenda. Quomodo autem tantum nefas sileam? Parmenio illa ætate, tot meritis, tot parentis mei meritis deuinctus, omnium nobis amicorum vetustissimus, ducem se sceleri tanto præbuit. Minister eius Philotas Peucolaum, & Demetrium, & hunc Dymnum, cuius corpus adspicitis, ceterosque eiusdem amentiæ in caput meum subornauit. Fremitus vndiq; indignan*

*more

indignantium quærentiumque tota concione obstrepebat, qualis solet esse multitudinis, & maximè militaris, vbi aut studio agitur, aut ira. Nicomachus deinde, & Metron & Ceballinus producti, quæ quisque detulerat exponunt: nullius eorum indicio Philotas particeps destinabatur. Itaque indignatione pressa, vox indicum silentio excepta est. Tum rex, Qualis, inquit, ergo animi vobis videtur, qui huius rei delatum indicium id ipsum suppressit? quod non fuisse vanum Dymni exitus declarat. Incertam rem deferens tormenta non timuit. Ceballinus ne momentum quidem temporis distulit exonerare se, vt eo, vbi lauabar, irrumperet. Philotas solus nihil timuit, nihil credidit. O magni animi virum. iste, regis si periculo commoueretur, vultum non mutaret? indicem tantæ rei solicitus non audiret? Subest nimirum silentio facinus, & auida spes regni præcipitem animum ad vltimum nefas impulit. Pater Mediæ præest. Ipse apud multos copiarum duces meis præpotens viribus maiora quàm capit, spirat. Orbitas quoque mea, quod sine liberis sum, spernitur. Sed errat Philotas. In vobis liberos, parentes, consanguineos habeo. vobis saluis orbus esse non possum. Epistolam deinde Parmenionis interceptam, quam ad filios Nicanorem & Philotam scripserat, recitat, haud sane indicium grauioris consilij præferentem. namque summa eius hæc erat: Primum vestri curam agite, deinde vestrorum. sic enim quæ destinauimus, efficiemus. Adiecitque rex, sic esse scriptam, vt siue ad filios peruenisset, à conscijs posset intelligi: siue intercepta falleret ignaros. At enim Dymnus cum cæteros participes sceleris indicaret, Philotam non nominauit. Hoc quidem illius non innocentiæ, sed potentiæ indicium est, quod sic ab ijs timetur etiam, à quibus prodi potest, vt cum de se fateantur, illum tamen celent. Cæterum Philotam ipsius indicat vita. Hic Amyntæ, qui mihi consobrinus fuit, & in Macedonia capiti meo impias comparauit insidias, socium se & conscium adiunxit. Hic Attalo, quo grauiorem inimicum non habui, sororem suam in matrimonium dedit. Hic cum scripsissem ei pro iure tam familiaris vsus atque amicitiæ, qualis sors edita esset Iouis Hammonis oraculo; sustinuit rescribere mihi, se quidem gratulari quod in numerum deorum receptus essem: cæterum misereri eorum, quibus viuendum esset sub eo, qui modum hominis excederet. Hæc sunt etiam pridem animi alienati à me, & inuidentis gloriæ meæ indicia: quæ equidem milites, quam diu licuit, in animo meo pressi. Videbar enim mihi partem viscerum meorum abrumpere, si in quos tam magna contuleram, viliores mihi facerem. Sed iam non verba punienda sunt, linguæ temeritas peruenit ad gladios. Hos (si mihi creditis) Philotas in me acuit. Si ipsum admisero, quo me conferam milites? cui caput meum credam? Equitatui optimæ exercitus parti, principibus nobilissimæ iuuentutis vnum præfeci: salutem, spem, victoriam meam fidei eius tutelæque commisi: patrem in idem fastigium, in quo me ipsi posuistis, admoui. Mediam, qua nulla opulentior regio est, tot ciuium sociorumque millia imperio eius ditionique subieci. Vnde præsidium petieram periculum extitit. Quàm feliciter in acie occidissem, potius hostis præda, quàm ciuis victima. Nunc seruatus ex periculis, quæ sola timui, in hæc incidi, quæ timere non debui. Soletis identidem à me milites petere, vt saluti meæ parcam. Ipsi mihi præstare potestis, quod suadetis vt faciam. Ad vestras manus, ad vestra arma confugio, inuitis vobis saluus esse nolo, volentibus non possum nisi vindicor. Tum Philotam religatis post tergum manibus, obsoleto amiculo velatum iussit induci.

EDIXIT, OMNES ARMATI CONVENIRENT) Editiones pleræque, *vt omnes armati conuenirent*. Sed Curtius breuis est, quicquid omitti potest, negligit.

VI. MILLIA FERE MILITVM VENERANT) Quid ita? Sex millia tantum habuit sub signis Alexander, cum paullò antè plures sex millibus in supplementum Zoilo duce acceperit? Codices nonnulli, quod deterius est, tantum quinque millia venerant, & quidem MSS. Sed nullum, vt reor, mendum in numero, nullus error in scriptura, si rectè attendas. Nam quamuis præceperit rex vt Omnes armati conuenirent, vt auditi, intelligendi sunt tamen Macedones potissimum, quorum iudicio stabant rei, legi enim Macedonica, iudicati sunt, non aliorum Græcorum, nec peregrinorum militum, aut mercede conductorum. Interfuere tamen alij præsertim ex ducibus non Macedones, vt infra ipse Philotas testatur. Rex ipse Macedones iudicaturos affirmat infra, eoque rogat, Philotam qua lingua vti velit in dicenda caussa.

LIXARVM CALONVMQVE) Estne discrimen inter lixas & calones? Stevvechius ad cap. 10. Vegetij, discrimen ex originatione vocum & authoritate scriptorum, his verbis ostendit. *Lixæ nio alijsque historiographis sunt, qui exercitum sequerentur lauandi & coquendi gratia. de his ita Nonius*

nius Marcellus: *Elixum quicquid ex aqua mollitur, vel decoquitur. nam lixat* *runt Vnde lixa dicti, qui militibus aquam ad castra vel ad tentoria solent ferre* in voce lixarum. Iterum Fulgentius de prisco sermone, *lixam interpretatur merce* lius accedere video Festum *Lixæ, inquit, qui exercitum sequuntur quæstus gratia,* *sint uulitæ, eisque liceat quod libuerit. Alij eos à Licia appellatos dicunt, quod &* quidam à liguriendo quæstum. Hactenus Festus, qui alebi istiusmodi mercenarios *unt. Sed & calonum quoque propietas habetur, quod ligna militibus subministrent,* dicunt. Nonius in Calonum Glossæ, calo, δοῦλος δημόσιος. Festus, *Calones, inquit, n* *ligneas clauas gerebant, quæ Græci κᾶλα vocant. Etiam Caculas à Plauto eadem de c* *rauit. Cui astipulatur & Glossarium, Cacula, δοῦλος στρατιώτου.*

Philotam armigeri) Expectatione rerum nouarum suspendit uidos cognoscendi, quid tandem rex facturus esset. Philota toti exercitu serabili habitu modoque reus, & armigeris cinctus & vinctus producitur. D ponitur, rex tristis, cum mœstis amicis prodit attonito stupentique similis, vt om res attonitos stupentesque redderet, suamque in caussam flecteret.

Nisi prius valuisset auctoritas) Mos hic & modus Mace & salubriter institutus est, ne regibus (quos sæpè vel inuidia stimulat, vel ir cipites fertagitque) pro libidine fas esset in sanguinem popularium sæuire & g lus ergo de vita & sanguine ciuium censebat, iudicabatque. Auctoritas in senatu erat, potestas apud populum, vti Cicero de legibus docet, Patres decernel iubebat. Liuius lib. 8. *Bellum ex auctoritate patrum populus aduersus Vestinos iussit.* Sed

Liu. p. 310. ed. 4. Francof. 1609

nes rex ipse populum seu exercitum foris, plebem domi consulere debebat, in cui eltate, potestate reus erat, donec iuberet reum vel viuere vel mori. Enimuero A morem postremis annis ferè totum antiquauit, Clitum & Callisthenem viros inclitos iodemnatos occidit, milites quos voluit, repente ad supplicium rapuit, & tantum non rannum & latronem migrauit.

Diu rex demisso in terram vultu) Hunc gestum & habitum corpo rum Alexander à magistro suo quem in sinu ferebat, Homero didicit, qui *Vlyssem cur* Troiam legatum ita deiectis in terram oculis priusquam exorditetur stantem, & alquant tem, adeoque attonito & stupido similem introducit:

Ἀλλ' ὅτε δὴ πολύμητις ἀναΐξειεν Ὀδυσσεύς
Στάσκεν ὑπαὶ δὲ ἴδεσκε κατὰ χθονὸς ὄμματα πήξας
Σκῆπτρον δ' οὔτ' ὀπίσω οὔτε προπρηνὲς ἐνώμα,
Ἀλλ' ἀστεμφὲς ἔχεσκεν, ἀΐδρεϊ φωτὶ ἐοικώς
Φαίης κεν ζάκοτόν τινα ἔμμεναι, ἄφρονά τ' αὔτως
Ἀλλ' ὅτε δὴ ῥ' ὄπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος ἵει,
Καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν
Οὐκ ἂν ἔπειτ' Ὀδυσῆΐ γ' ἐρίσσειε βροτὸς ἄλλος
Sed quando prudens surgeret Vlysses
Stabat, sub autem videbat in terram oculos defigens
Sceptrum vero neque retrorsum neque in altiorem partem mouebat,
Sed immobile tenebat, imperito viro similis.
Dixisses furiosum aliquem esse dementemque temerè.
Et verba imbribus niualibus similia hybernis
Non deinde cum Vlysse contendere potuisset homo alius.

lib. 13. Quem locum Ouidius in eiusdem Vlyssis oratione expressit, vbi de Iudicio armorum inter A iacem & Vlyssem apud Græcorum proceres decertatum est:

---- donec Laërtius heros
Adstitit, atq; oculos paullùm tellure moratos
Sustulit ad proceres, expectatoq; resoluit
Ora sono: neque abest facundis gratia dictis.

Virgilius quoque Didoni dicturæ eundem ferè gestum affinxit:

1. Aen. *Tum breuiter Dido vultum demissa profatur.*

Et Andromache, cum Aeneæ responderet:

3. Aen. *Deiecit vultum, & demissa voce locuta est.*

Hunc pudorem M. Tullius in optimo quoque Oratore plurimum commendat: *Mihi etiam*

1. de Orat. inquit, *quique optimè, quique id facillimè atque ordinatissimè facere possunt, tamen nisi timidè ad dicendum accedunt, & in exordienda oratione perturbantur, penè impudentes videntur.* &

l. 12. c. 3. quæ ibidem Cicero multa subiungit. Cicero Quintilianus subscribit: *Etiam cum ad iudicem,* inquit, *nos conuertimus, & consultus prætor permiserit dicere, non protinus est* [illegible]

CAP. XVI.

Mirè enim auditurum dicturi cura delectat, & iudex se ipse componit.
breui cogitationi mora. Hoc præcipit Homerus Vlyssis exemplo, quem stetisse oculis in terram defixis, immotoque sceptro, priusquam illam eloquentiæ procellam effunderet, dicit. Ex his signis auditor facilè coniectat, qualis oratio sit futura, meditata, inquam, grauis, prudens, quæ optimè in sapientem cadat, virumque probum & honoratum deceat. Sunt enim verecundia, pudor, rubor, præsertim in iuuene virtutis colores & notæ.

Eandem in Cæsare Germanico moram silentium & gestum laudat Ouidius: — Lib. 2. de Pont. eleg. 5. ad Salinū

Surgit Iuleo iuuenis cognomine dignus,
Qualis ab Eois Lucifer ortus aquis.
Dumque silens astat, status est vultusq; diserti,
Spemq; docens doctæ vocis amicus habet.
Mox vbi pulsa mora est, atq; os cæleste solutum,
Hoc superos iures more solere loqui.

PAENE MILITES) Conciliat sibi beneuolentiam à persona sua, Deûm, hostium, & militum, simulque aperit orationis argumentum parricidium, quod se Deûm beneuolentia & cura euasisse ait, vt & de parricidis pœnas sumere, & amicis ac benemeritis, ipsis nempe militibus, referre gratiam posset. Qua voce attonitus exercitus in gemitus & lacrymas erupit. Tum motibus animorum vsus rex, militem vehementius aduersus insidiatores vitæ suæ inflammat, quando nomina impiorum Parmenionis, inquam, Philotæ, Peucolai, Demetrij, Dymni prodit. Dein, fremente toto exercitu producti indices, Nicomachus, Ceballinus, Metron.

NVLLIVS EORVM INDICIO PHILOTAS PARTICEPS DESTINABATVR) Ita in Codice Constantiensi exaratum est, & Modius legit. vulgò *in participes sceleris*, scriptum cum Acidalio reor *inter participes*.

Philotas nondum ab exercitu visus adhuc inter armigeros latebat.

INDICIVM SVPPRESSIT) Hæc omnia deinceps in Philotam detorta sunt: qui quod ab indicibus præteritus, & princeps clarissimus esset, pluribus rationibus erat premendus, vt reus crederetur.

NON VANVM DYMNI EXITVS DECLARAT) Hoc constanter & eleganter postea refellit Philotas.

INCERTAM REM DEFERENS, TORMENTA NON TIMVIT CEBALLINVS, METRON NE MOMENTVM QVIDEM TEMPORIS DISTVLIT EXONERARE SE) Torsit hic locus & Glareanum & Modium, propter nomen Metronis omissum, quod reposuit Acidalius. *Quis ille, inquit, qui rem deferens incertam tormenta non timuisse dicitur? Addi nomen debuerat. nec potest verò aperire de Philota: quod cũ putaret Glareanus, intricauit se magis, & locum, quàm expediuit. Etiam Modius hæret, cui obscurum oppido locum esse penitus assentior, illud quoque ferè, vt in membranis scribitur, ita legendum. Earum ista scriptura: Incertam rem deferens tormenta non timuit Ceballinus. Ne momentum quidem &c. Ita quidem hercle distinguendum potius. Nam deferebat à fratre audita Ceballinus. Non enim hic ipsi regi, sed Metroni cuidam indicium deferebat, qui rectà protinus Alexandro. Huius omissum nomen, inferendum rursus, & omnia sunt plana. Perijt illud affinitate literarum, quæ excipiebant. Ita verò scribe nunc & interpunge:* Incertam rem deferens tormenta non timuit Ceballinus. Metron ne momentum quidem temporis distulit exonerare se, vt (*fortasse quin melius*) eo vbi lauabar, irrumperet. *Ne dubites, audi & recognosce superiora, quæ probant non modò, sed flagitant, sed exposcunt.* Cæperat Ceballino esse (Philotas) suspectus. Itaque non vltrà interpellandum ratus, nobili iuueni (Metroni erat nomen) super armamentarium posito, quod scelus pararetur, indicat. Ille Ceballino in armamentario abscondito, protinus regi corpus fortè curanti quid index detulisset, ostendit. *Satin' clarè, satin' ordine ista Curtius? Ille quidem plenè omnia hæc, & planè. Nam Arrianus breuiter nec adeò disertè, Diodorus paullò disertius ac prolixius, idem mutilè tamen sæpè, neque hic nomen exprimit eius, qui indicij Ceballini index. Vnum fuisse ex regijs pueris ait. Sed benè, quod ex Curtio nobis & hoc & alia constant, ne foris quæramus, cuius abundè est copia domi.* Hæc Acidalius.

Quæro etiam hic explanationis caussa, quare dixerit Alexander Ceballinum rem incertam detulisse, cum certa fuerit? certa quidem fuit, sed certum, cum deferret fuisse, antequam se Dymnus occideret, non constabat.

QVARE TORMENTA NON TIMVIT?) Imò timuit, & propterea coniurationem patefecit, quam si suppressisset, meritò etiam timuisset, ne suspectus fieret, vt Philotas factus est. Proinde verè Glareanus negantem particulam inducendam putauit, & est comparatio inter Ceballinum, Metronem & Philotam. Ceballinus quamuis adhuc incertam rem deferret, tamen timuit tormenta, si non deferret. Metron etiam timuit, & statim irrupit ad me, quamuis imperitus, vbi lauabar: Solus Philotas, nihil timuit, nihil credidit. en opposita sunt, timuit, & nihil timuit. Qu

Quod si dicas, retinendam voculam *non*, esseque hunc intellectum: Cebal iir.
ta, quantuis rem adhuc incertam, vt de qua certò nondum constaret, deferr
ri posset, quod innocentes per inuidiam traduceret, & suspectos faceret .
muit, quamuis inuocatus penetraret ad balneum Alexandri, sed quæ sequ
habebunt locum: *Solus Philotas nil timuit.* tollienda ergo sine controuersia vox

O MAGNI ANIMI VIRVM) Ironia est & irrisio : accusat deinde Ph
regni affectati; caussas suspicionis adfert, patris potentiam, qui fiduciarium Me
bat, ipsius quoque Philotæ officia proxima regi, præfecturam nobilissimi equi
iuuentutis, suam denique regis orbitatem quod careret liberis, (nondum en
sed liberorum loco sibi ciues & milites esse affirmabat. In epistola Parmenion
pere, nisi ambigua illa verba: *Sic enim quæ destinauimus, efficiemus*: quæ poteran
suspicionem trahi, vti rex ipse traxit. Obijcit deinde quod videbatur Philotam
cidij purgare: Atqui, Dymnus cum coniuratorum nomina ederet, Philotam omis
lexander, tantam fuisse potentiam Philotæ, vt nemo quantumuis nocentem, co
pem sceleris nominare auderet. Sed interim ex omni vita eius constare, qui is fuerit
quibus moribus, quid alias egerit & aduersus se commiserit, aut tentarit.

HIC AMYNTAE SOCIVM SE ADIVNXIT) Hic Amyntas, non est ille pr
de quo sæpius iam dictum, nec is qui postea caussam dixit, sed diuersus ab vtroque . .
Philippus pater, cum bellum in Persas pararet, cum Parmenione & Attalo in Asiam
Lib. 9. nus, *Initio veris, inquit, tres duces in Asiam Persarum iuris præmittit, Parmenionem, Am*
Curt. l. 3. c. *tum.* Non satis constat, an is fuerit, qui ab Alexandro ad Darium profugit, à Dario in
19. l. 4. c. 4. qua ad Memphim perijt, vti supra exposuimus. de quo Curtius: *Has pœnas Amyntas ver.*
Sic. lib. 17. *nihilo magis ei, ad quem transfugerat, fidus quàm illi, quem deseruerat.* De hoc ipso copiosè
p. 524. rianus vno verbo lib. 2. Incertum tamen an hic, vel alius fuerit, de quo hic in accusar
Alexander: Nam de coniuratione & insidijs Amyntæ in Macedonia Alexandro stru
modum scriptores. Quanquam Siculus disertè dicat illum ab Alexandro ex Macedoni
ad Darium, deinde cum Dario victum ad Issum profugisse in Aegyptum, & ad Memphi.
vti Curtius quoque scripsit, perijsse.

QVI CONSOBRINVS MEVS FVIT) Consobrini dicuntur, qui ex duabus sorori
sunt, adeo Amyntas ex sorore Olympiadis natus est, materque Amyntæ, matertera fuit
dri, & auunculus Alexander rex Epyri, qui in Italia perijt. Soror autem Olympiadis apud
in 8. fuit Troas, quam Arisba rex Molossorum duxerat: ita Amyntas Arisbæ regis & Troac
Lib. 12. consobrinus Alexandri fuit. Vocat eundem consobrinum disertè etiam Iustinus, *Tunc, inq*
menen, & Philotas, tunc Amyntas consobrinus, tunc nouerca fratresque interfecti, tunc Attalus, Eu
Pausanias atq; Macedoniæ principes extincti occurrebant.

HIC ATTALO, QVO GRAVIOREM INIMICVM NON HABVI) Huius Attali so
*In Alexã- Philippus pater, expulsa cum filio Olympiade, in matrimonium accepit . Plutarchus * non
drop. 669. rem Attali, sed sororis filiam Cleopatram ductam ait, ita vt Attalus Cleopatræ auunculus f
Odium autem Alexandri in Attalum inde exarsit, vti tradit Plutarchus: In nuptijs Cleop
quam Olympiadi superinduxit, Attalus seu frater, seu patruus, seu auunculus sponsæ, in epul
ptiali cum vino incaluisset, hortatus est Macedones, vt iustum à Dijs ex Philippo & Cleop
regni exposcerent hæredem & successorem: quo dicto non immeritò inflammatus Alexan
Quid, inquit, scelus, nos tibi spurij videmur? simulque cum dicto craterem, Lapitharum ritu in os
tali iaculatus est. Quare incensus ipse Philippus, filium stricto ferro insecutus est, sed felici
iram & vinum casu, pede offenso prolapsus Alexandro spacium dedit se subducendi, qui interi
in patrem iocatus: *Hic, inquit, Macedones parabat ex Europa in Asiam transmittere, qui è lecto in l*
ctum sine lapsu transire non potuit. Indeque cum matre patria excessit, & Olympiadem in Epiro col
locauit, ille in Illyricum se contulit, ægrè inde à patre etiam vocante reductus.

l. 13. p. 557. Idem Athenæus, qui omnes ordine vxores Philippi enumerat, *Annis, inquit, viginti, quibus regna*
uit, ex Audara Illyrica, quæ ipsi nupserat, filiam Cymnam suscepit: deinde vxorem habuit Phila Derda
& Machata sororem: cum verò Thessalorum gentis beneuolentiam & amicitiam captaret, ex Thessalicis
duabus fœminis liberos procreauit. Altera illarum fuit Nicesipolis Pheræa, quæ ipsi peperit Thessalonicen al
tera Larissæa Philinna, ex qua genuit Aridæum. Olympiadis verò, è qua natus est Alexander, dos fuit regnum
Molossorum. Thraciam idem cum subiugasset, Thracum rex Cithelas ad eum profectus est cum multis
muneribus, & filia Meda, quam post Olympiadis nuptias etiam duxit. Verum è cunctis vxoribus summoperè
dilexit Cleopatram Hippostrati sororem, Attali ex fratre neptem, quam post Olympiadem duxerat, & cum
ea transmisit reliquum ætatis, quoniam in ipsis statim nuptijs Attalus dixisset, tum demum reges futuros
legitimos, non spurios: quod Alexander cùm audiuisset, calicem, qui tum in manibus fuit, impegit Attalo, &
Alexandro poculum vicissim Attalus: post autem ad Molossos profugit Olympias, ad Illyrios Alexander.

Attalus interim à patre cum Parmenione & Amynta in Asiam ad uictus Persas missus, occiso
Philippo, res nouas moliri cœpit, & regno tendere insidias, quod non ignorabat Alexander, qui il-
lum

armatorum manu Hecatæo in Asia sustulit. Quod ita describit Diodorus Sicu- Sic initio lib. 17. pag. 487. f.
lum submisso cum armatorum manu Hecatæo in Asia sustulit, quod locus sit paullò prolixior, & rarus lector Græ-
lus, cuius interpretis duntaxat verba adducam, quod locus sit paullo prolixior, & rarus lector Græ- ... Philippus vxorem duxerat, a-
ca desideret. Insidias regno eius nectebat Attalus, Cleopatra, quam alteram Philippus vxorem duxerat, a- ... puer è Cleo-
unculus. Hunc igitur è medio submouendum statuit. Nam & paucis ante regis obitum diebus puer è Cleo- ... transmiserat At-
patra Philippo natus erat. Legatus paullò ante in Asiam cum exercitu Parmenione collega transmiserat At-
talus. Ibique, cum & beneficiis & sermonis illecebra milites demulceret, gratiam non mediocrem apud exer-
citum inuenerat. Non igitur sine causa rex ab eo cauendum sibi existimauit, ne quando, adiutantibus Græcis
regi aduersis, regnum sibi vendicaret. Ex familiarium proinde numero Hecatæum deligit; eumque cum manu
armatorum non exigua in Asiam mittit, hoc potissimum iniungens, vt viuum sibi Attalum sistat: sin effici
hoc nequeat, vt dolo hominem cum prima occasione interficiendum curet. Ille in Asiam transuectus sociatis
cum Parmenione & Attalo copiis, negotii sibi demandati tempus commodum expectabat. Interea Alexander
multos Græcorum ad res nouas moliendum arrectis esse animis, certior factus, in magna consilii perplexitate
hærebat. Nam Athen: Demosthene in Macedones populum concitante, obitus Philippi interitum auribus læti
exceperant, deque principatu Græciæ Macedonibus neutiquam cedendum arbitrabantur. Iamque trans-
missis ad Attalum legatis, secretò totius negotii administrationem cum eo communicauerant, multasque ciui-
tates ad libertatem asserendam instigabant, Aetoli de reducendis Acarnanum exsulibus, quos Philippus ex-
torres egerat, tum fecerant decretum. Ambraciotæ, suadente Aristarcho, præsidium inibi collocatum eiece-
rant, & reip. administrandæ potestatem populo restituerant. Eodem modo Thebani pellendum è Cadmea
præsidium, Alexandroque imperium Græciæ nequaquam concedendum publicè sciuerant. Arcades vt soli Phi-
lippum Græciæ principem facere abnuerant, ita nec Alexandro addicti tunc esse volebant. Peloponenses ca-
teri, vt Argiui, Elei, Lacedæmonii & quidam alii, studio iurisdictionis propria totis sese animis dederant.
Gentes denique non paucæ, quæ tractus vltra Macedoniam incolebant, ad defectionem spectabant, & magnus
inter barbaros illic motus erat. Quæ licet ita se haberent, tantis regni negotiis, & tot vndique terroribus oc-
cupato, quantumuis adolescens, omnes principatus sui difficultates, breui temporis spacio, præter omnium
existimationem expeditas ac planas fecit: dum hos colloquiorum blanditiis, istos metu in viam reducit. Non-
nullos etiam vi domitos imperata facere cogit. Primos itaque Thessalos cognatione antiqua ab Hercule
vsque deductæ admonitos, tum sermonum humanitate, tum amplitudine munerum promissorum excitatos
ad hoc induxit, vt imperium Græciæ à patre sibi hæreditario traditum, publico Thessaliæ decreto ipsi defer-
rent. Quo impetrato, conterminas etiam gentes in eundem fauorem adduxit, & ad Pylas transgressus, conuo-
cato Amphictyonum senatu, vt communi omnium decreto summus Græciæ dux crearetur, effecit. * pag.
Ambraciotis oratione humanissima hoc persuasit, libertatem quam ipsi paullò antè vindicarint, propenso
in eos fauore, iam tum se reddere illis constituisse & quæ sequuntur. Subiicit deinde * idem: Nam à Phi-
lippi interitu Attalus statim ad res nouandas se conuertit, iamque fœdus cum Atheniensibus ad oppugnandum
communi opera Alexandrum inierat. Sed mutato post consilio, epistolam à Demosthene sibi redditam & as-
seruatam transmittit Alexandro, verborum blandimentis ingesta sibi crimina diluere conatus. Sed cum He-
catæus Attalum iussu regis per dolum obtruncasset, Asiaticus Macedonum exercitus ad defectionem propen-
dere desiit: quod & Attalus iam extinctus, & Parmenio erga Alexandrum optimè affectus erat.
Curtius non per Hecatæum, sed Philotam interfectum ait Attalum. l. 7. c. 1.
De eodem Attalo l. 8. c. 19. Attalum, antequam rex essem, hostem meo capiti fuisse meministis.
Idem Attalus impurissimum monstrum, Pausaniæ iuueni ludibrio conuiuarum obiecto occa-
sionem præbuit Philippi regis occidendi, qui cum vindicare iniurias Pausaniæ de Attalo sæpius
questi negligeret, pro reo ipse reus pœnas morte luit, vt Iustinus prolixè denarrat. N. caliter Iubin- Lib.
de Numen in magistratus ipsos publica flagitia non castigantes, pro æquitate & vindicta grauiter
animaduertit. Filium porrò ex Cleopatra susceptum, à morte Philippi, crudelis Olympias aheno *
coctum, * Pausania teste, enecuit.
Sororem svam in matrimonivm dedit.) Immò ipse Parmenio filiam, concilian-
teopinor filio, dedit. quæris sponsæ nomen? iuxta tecum quæro. plures habuit sorores Philotas, alte-
ram Attalo, alteram Cœno nuptam.
Qvalis sors edita esset Iovis Hammonis oracvlo.) Quo Iouis filius à Ponti-
fice Aegyptio est appellatus, vti lib. 4. c. 20. Curtius non sine Alexandri inuidia & acerba reprehen-
sione exposuit. Locum autem hunc infrà refutauit Philotas.
Animi alienati et invidentis gloriae meae indicia) suprà dixerat Al-
xander, ex reliqua vita notum. Plutarchus & illum & hunc locum de moribus & vita Philotæ
egregiè tractat, cuius verba, sed ex interprete duntaxat (quia complusculа sunt) subscribam: At Philo-
Parmenionis filius auctoritate inter Macedenas summa erat. Etenim strenuus habebatur & laboris tolera-
munificus autem & effusus in amicos adeo, vt secundum Alexandrum alius nemo. [ac fertur cum neces-
rius quidam illius argentum ab ipso posceret, iussisse dari. Negante procuratore esse, quid ais, inquit, ne
culum quidem aut vestem habes?] Cæterum animi tumore & opum supercilio, corporisque cultu & victu
solentior erat, quàm pro priuato fastigio. Et grauitatem tunc amplitudinemque non vrbanitate, sed sine g
tiis ineptè & insulsè exprimens, suspiciones sibi conciliauit & inuidiam: vt Parmenio etiam et aliquando
ceret, Deteriorem te mihi fili redde. His iam dudum delatus apud Alexandrum fuerat. Cùm enim Dat
Ci

Cicila superato, præda capta Damasci fuisset, multis capitibus in castra adductis, r. perta fuit genere Pydnaa, eximia forma, Antigone dicta: hanc tenebat Philotas. Vt è. per vinum multa arroganter, & militari effutiens ferocia, arrogauit, quicquid præc. patri: atque Alexandrum appellauit Adolescentulum, quẽ ipsorum beneficio nomen reg illa familiari cuidam enunciauit, ille (vt fit) alteri: ita ad Craterum sermo tandem e rem clam introduxit ad Alexandrum, qui his auditis consuetudine vti eam iussit Philo lexisset ex eo, id vt mox ad se deferret. Philotas verò, qui ita peti se ignorabat insidijs, i. nes multa verba & sermones ineptos infestè & insolenter in regem habuit. At Alexand. tus apud ipsum Philotas esset, omnia tamen vel beneuolentia fretus erga se Parmenionis, rum & potentiam timens, tacitus tulit & silentio oppressit.

Subijcit deinde quam descripsimus coniurationem.

pag. 59. Agit de eodem Philota in 2. de fortuna Alexandri, *Iam verò Philotas Parm quomodo & ipse incontinentia lapsus est. Antigona in capt suorum turba ad Damascum quadam muliercula erat specie commendabilis, eadem olim ab Autophradate capta, cum navigaret. Huius amore vecors Philotas, vir alioqui ferreus, ita tum mollis fluxusq; fuit compos mentis non esset, atque adeò incautus silenda pleraque mulierculæ effutiret. Quid e lippus ille, sine Parmenione? quid hic esset Alexander, si Philotam non haberet? vbi porrò An nes, si nos volumus? Huiusmodi mulier sermones ad quandam familiarium detulit, illa rursu subindeq; Craterus Antigonam captiuam clam ad Alexandrum admisit, qui Philotæ quidem quam adiecit, opera verò mulierculæ totum eum clàm excussit, pluq; septem annis nunqua prodidit, non in vino temulentus, non per iram iracundus, denique non ad amicum: qui nihil no phæstioni solitus esset, nullorumq; non consiliorum conscium eum facere.* Hæc Plutarchus.

In qvo me ipsi posvistis.) Hoc gratiæ caussa dicit, quasi militum studij: Macedoniæ primùm, deinde Persarum euectus esset. Non memini Macedonum reges t ne populari creatos, iure stirpis regiæ succedebant.

In idem fastigivm admovi.) Parmenionem fiduciarum regem constitui, c lo regis titulo. Media enim regnum erat, cui cum potestate præerat Parmenio.

Servatvs ex periculis, qvæ sola timvi.) Bellica pericula & præliorum uasi, incidi in domestica, quæ timere non debui, quod me saluum inter ciues crederem.

Salvti meae parcam.) Quando primus in acie, proximus hostem, inter primo liari consueui.

Praestare potestis.) Me ab insidijs domesticorum vindicando.

Obsoleto amicvlo velatvm.) Ne splendor vestium priorem maiestatem in riam reuocaret militi, eumque ad misericordiam inclinaret. Sed magis commouit insolitus soletus cultus. Misericordia enim non caussam, sed fortunam aspicit.

CAPVT XVII.

ARGVMENTVM.

Miles aspectu Philotæ vincti ad commiserationem motus, ab Amynta, & Cœno ad indignationem inflammatur.

Facilè apparebat motos esse tam miserabili habitu, non sine inuidia paullò antè conspecti. Ducem equitatus pridie viderant, sciebant regis interfuisse conuiuio. Repente non reum modò, sed etiam damnatum, vinctum intuebantur. Subibat animos Parmenionis quoque tanti ducis, tam clari ciuis fortuna, qui modò duobus filijs Hectore & Nicanore orbatus, cum eo quem reliquum calamitas fecerat, absens diceret caussam. Itaque Amyntas regis prætor inclinantem ad misericordiam concionem, rursus asperam in Philotam oratione commouit. Proditos eos esse Barbaris; neminem ad coniugem suam, neminem in patriam, & ad parentes fuisse rediturum: velut truncum corpus, dempto capite, sine spiritu, sine nomine, in aliena terra ludibrium hostis futuros. Haudquaquam pro re ipsius Amyntas oratio grata regi fuit, quòd coniugum, quòd patriæ admonitos, pigriores ad cætera munia exequenda fecisset. Tunc Cœnus, quanquam Philotæ sororem matrimonio secum coniunxerat, tamen acriùs quam quis-

quisquam in Philotam inuectus est, parricidam esse regis, patriæ, exercitus, clamitans: saxumq́; quod fortè ante pedes iacebat arripuit, emissurus in eum, vt plerique credidere, tormentis subtrahere cupiens: sed rex manum eius inhibuit, dicendæ prius causæ debere fieri potestatem reo, nec aliter iudicari passurum se affirmans.

Miserabili habitu.) Miseros (enim) magis fortuna conciliat suis, vt Seneca canit. Theb. vers. 386.

Sed etiam damnatum.) Priuato iudicio amicorum Alexandri, quod præiudicij loco fuit.

Absens causam diceret.) Parmenio vna cum Philota reus, absens indicta caussa damnatus est, nisi quatenus propatre filius dixit, vt mox audies.

Amyntas regis praetor.) Quis verò hic Amyntas prætor regis? Arrianus Andromenis filium appellat, mox ipsum quoque reum, sed absolutum. de quo multa antè mentio fuit, & infrà erit.

Proditos Barbaris.) Neminem enim futurum fuisse, qui ipsos à Barbarorum incursu, cæso Alexandro, defendisset.

Haudquaquam Amyntae oratio grata regi fuit.) Paullò antè rumor in castris increbuerat, Regem victo Dario patriam cogitare, eoque omnes per castra conuolabant, & ritu limphatorum discurrebant, quos longa oratione rex docuit nondum adesse militiæ finem. Paullò post sarcinas & suas, & militum exussit, vt bello habiliores redderet. Proinde intempestiuè Amyntas hic rursus patriæ memoriam ingessit, quod timeret Alexander, ne iterum desiderio patriæ, arma proiicerent, aut ægrè militiæ munia exequerentur.

Tum Coenus.) Gener Parmenionis, clarissimus dux & princeps Alexandri, cuius frequens passim in Curtio mentio. acrior hic in Philotam fuit, ne ob affinitatem aliquam contraheret coniurationis suspicionem.

Tormentis subtrahere cupiens.) Videbat enim nisi statim occideretur, futurum, vt quæstionibus subiectus acerbissimos cruciatus sustinere cogeretur, quibus illum per speciem iræ subducere conabatur. quod & ipse Philotas, vt fieret, optabat.

Iudicari.) Damnari & occidi, nisi lege Macedonica prius dixisset caussam.

CAPVT XVIII.

ARGVMENTVM.

Philotas primum metu exanimatus, mox recepto animo caussam suam tam luculenter egit, regilque argumenta diluit, vt quæstionem planè ambiguam fecerit.

Noster Causinus falsò accusatum putat ab Alexandro Philotam. Post Regis inquit &c. Oeconomiam verò huius apologiæ hanc instituit. 1. Exordium &c.

T(um) dicere iussus Philotas, siue conscientia, seu periculi magnitudine amens & attonitus, non attollere oculos, non hiscere audebat. Lachrymis deinde manantibus, linquente animo, in eum à quo tenebatur, incubuit: abstersisq́; amiculo eius oculis, paulatim recipiens spiritum ac vocem, dicturus videbatur. Iamque rex intuens eum; Macedones, inquit, de te iudicaturi sunt: quæro an patrio sermone sis apud eos vsurus? Tum Philotas: Præter Macedones, inquit, plerique adsunt, quos faciliùs, quæ dicam percepturos arbitror, si eadem lingua fuero vsus, qua tu egisti, non ob aliud credo, quam vt oratio tua intelligi posset à pluribus. Tum rex: Ecquid videtis odio etiam sermonis patrij Philotam teneri? Solus quippe fastidit eum discere. Sed dicat sanè vtrumque cordi est, dum memineritis æquè illum à nostro more atque sermone abhorrere. Atque ita concione excessit. Tum Philotas; Verba, inquit, innocenti reperire facile est, modum verborum destitutus, iniquissimam fortunam. Itaque inter optimam conscientiam & iniquissimam fortunam destitutus, ignoro quo modo & animo meo & tempori paream. Abest quidem optimus caussæ meæ iudex

cur me ipse audire noluerit, non me Hercule excogito, cum illi vtrimque cognita causa damnare me liceat, quàm absoluere. Non cognita verò liberari ab absente non possum, q præsente damnatus sum. Sed quanquam vincti hominis non superuacua solùm, sed etiam inuisa defensio est, quæ iudicem non docere videtur, sed arguere: tamen vtcunque licet dic memet ipse non deseram, nec committam, vt damnatus etiam mea sententia videar. E dem cuius criminis reus sim, non video. Inter coniuratos nemo nominat. De me Nicomac nihil dixit Cebalinus plus quàm audierat, scire non potuit. Atqui coniurationis caput m fuisse credit rex. Potuit ergò Dymnus eum præterire, quem sequebatur? præsertim cum q renti socios vel falsò fuerim nominandus, quo facilius, qui tentabatur, posset impelli, enim detecto facinore nomen meum præterijt, vt posset videri socio pepercisse. Nicomach quem taciturum arcana de semetipso credebat, confessus alijs nominatis me vnum subtra bat. Quæso commilitones, si Cebalinus me non adisset, nihil me de coniuratis scire voluiss num hodie dicerem caussam nullo me nominante? Dymnus sanè & viuat adhuc, & velit bi parcere: quid cæteri, qui de se confitebuntur, me videlicet subtrahent? Maligna est ca mitas, & ferè noxius, cum suo supplicio crucietur, acquiescit alieno. Tot conscij ne in equ leo quidem positi verum fatebuntur? Atqui nemo parcit morituro, nec cuiquam moritur vt opinor. Ad verum crimen, & ad vnum præuertendum mihi est. Cur rem delatam ad t ticuisti? cur tam securus audisti? Hoc qualecunque est, confesso mihi, vbicunque es, Alexa der, remisisti: dextram tuam amplexus reconciliati pignus animi, conuiuio quoque interfu Si credidisti mihi absolutus sum: si pepercisti, dimissus. Vel iudicium tuum serua. Quid h proxima nocte, qua digressus sum à mensa tua, feci? quod nouum facinus delatum ad te, mu tauit animum tuum? graui sopore acquiescebam, cùm me malis indormientem mei, vincier do excitauerunt. Vnde & parricidæ & proditori tam alti quies somni? scelerati conscientia ob strepente, condormire non possunt; agitant eos furiæ, non consummato modò, sed & cogitat parricidio. At mihi securitatem primùm innocentia mea, deinde tua dextra attulerat. Non timui ne plus aliena crudelitati apud te liceret, quam clementiæ tuæ. Sed ne te mihi credi disse pœniteat, res ad me deferebatur à puero, qui non testem, non pignus iudicij exhibere po terat, impleturus omnes metu, si cœpisset audiri. Amatoris & scorti iurgio interponi aures meas credidi infelix, & fidem eius suspectam habui, quòd non ipse deferret, sed fratrem po tius subornaret. Timui ne negaret mandasse se Cebalino, & ego viderer multis amicorum regis fuisse periculi caussa. Sic quoque cùm læserim neminem, inueni, qui mallet perire me, quàm incolumem esse. Quid inimicitiarum credis excepturum fuisse, si insontes lacessis sem? Etenim Dymnus se occidit. Num igitur facturum hoc diuinare potui? Ita quod solum indicio fidem fecit, id me cùm à Cebalino interpellatus sum, mouere non potuit. At Hercule, si conscius Dymno tanti sceleris fuissem, biduo illo proditos esse nos, dissimulare non debui. Cebalinus ipse tolli de medio nullo negotio potuit denique post delatum indicium, quid oppe riturus eram? cubiculum regis solus intraui, ferro quidem cinctus, cur distuli facinus? an sine Dymno non sum ausus? ille igitur princeps coniurationis fuit. Sub illius vmbra Philotas late bam, qui regnum Macedonum affecto. Et quis è vobis corruptus est donis? quem ducem quem præfectum impensius colui? mihi quidem obijcitur, quod societatem patrij sermonis asperner, quod Macedonũ mores fastidiam. Sic ego imperio, quod dedignor, immineo? iam pridem na tiuus ille sermo commercio aliarum gentium exoleuit. tam victoribus, quam victis peregri na lingua discenda est. Non me hercule ista me magis lædunt, quàm quod Amyntas Perdiccæ filius insidiatus est regi, cum quo, quod amicitia fuerit mihi, non recuso defendere, si fratrem regis non oportuit diligi à nobis. Sin autē in illo fortunæ gradu positũ etiam venerari necesse erat, iterum quæso, quod nō diuinaui, reus sum? an impiorũ amicis insontibus quoq; moriendũ est? quod si æquũ est, cur tam diu viuo? si iniustum, cur nunc demum occidor? At enim scripsi, misereri me eorũ quibus viuendũ esset sub eo, qui se Iouis filiũ crederet. Fides amicitiæ, veri consilij periculosa libertas, vos me decepistis, vos quæ sentiebã, ne reticerem, impulistis. Scri psisse me hoc fateor regi, non de rege scripsisse, non enim faciebam inuidiam, sed pro eo time bam. Dignior mihi Alexander videbatur qui Iouis stirpem tacitus agnosceret, quàm qui prædicatione iactaret. Sed quoniam oraculi fides certa est, sit Deus caussæ meæ testis. Retinete me vinculis, dum consulitur Hammon in arcanum & occultum scelus. Interim, qui regem nostrum dignatus est filium, neminem eorum, qui stirpi suæ insidiati sunt, latere patietur. Si tortura

tertiora oraculis creditis esse tormenta. ne hanc quidē exhibendæ veritatis fidem deprecor. Solent rei capitis exhibere vobis parentes. Duos fratres ego nuper amisi: patrem nec possum ostendere, nec inuocare audeo, cum & ipse tanti criminis reus sit. Parū est tot modo liberorū parentē, in unico filio acquiescentē, eo quoq; orbari, ni ipse in rogum meū imponitur. Ergo charissime pater, & propter me morieris, & mecum? ego tibi vitā adimo, ego senectutē tuam extinguo. Quid enim me procreabas infelicem auersantibus dijs? an vt hos ex me fructus perciperes, qui te manent? Nescio adolescētia mea miserior sit, an senectus tua. Ego in ipso robore ætatis eripior, tibi carnifex spiritum adimet, quem si fortuna expectare voluisset, natura reposcebat. Admonuit me patris mei mentio quàm timidè & cunctanter, quæ Ceballinus detulerat ad me, indicare debuerim. Parmenio enim cùm audisset venenum à Philippo medico regi parari, deterrere voluit eum epistola scripta, quominus medicamentum biberet, quod medicus dare constituerat. num creditum est patri meo? num vllam auctoritatem eius literæ habuerunt? ego ipse quotiens, quæ audieram detuli, & cum ludibrio credulitatis repulsus sum? si & cùm indicamus, inuisi, & cum tacemus, suspecti sumus, quid facere nos oportet? Cumq; vnus è circumstantium turba exclamasset, Bene meritis non insidiari. Philotas, rectè, inquit, quisquis es, dicis. itaq; si insidiatus sum pœnam non deprecor; & finem facio dicendi, quoniam vltima verba grauia sunt auribus. Abducitur deinde ab ijs qui custodiebant eum.

SIVE CONSCIENTIAE, SIVE PERICVLI MAGNITVDINE.) Non absoluit, nec damnat historicus reum, ipseque videtur dubitasse, an culpæ affinis fuerit necne Philotas, nec mirum est hæsisse, dubitasse, attonitumque, & propè de statu mentis deiectum fuisse Philotam, adeoque defecisse, cum ipse Alexander accusator Philotæ, attonito stupentique similis, priusquam exordiretur, aliquandiu mutus constiterit.

MACEDONES DE TE IVDICATVRI SVNT.) Proinde non totus exercitus fuit conuocatus, aliquamuis & alij complures è Græcis confluxerint.

QVAERO, AN PATRIO SERMONE SIS APVD EOS VSVRVS?) Patrio seu Macedonico, Philotas enim Macedo fuit. Quæres, quę lingua Macedonibus fuerit, cum Macedonia in terra Græcia fuerit sita? quaue lingua Alexander dixerit, cum aliena fuerit vsus. Lingua Macedonica sine dubitatione Græca fuit, sed propriam dialectum & idioma habuit, multumque recedebat ab Attica, quâ omnes literarum cultores propter elegantiam vtebantur, vulgus indoctum patrium sermonem vsurpabat: cæteri plerique omnes politius loquebantur. Et Philotas quidem adeò studiosus fuit elegantiæ, vt cum suis popularibus illiteratis per interpretem loqueretur, quod illius arrogantiæ adscriptum fuit. Et fermè eadem ratio fuit inter Græciæ populos, qualis hodie inter Germanos, qui pronationum varietate varia dialecto vtuntur, adeò vt ægrè se mutuò intelligant, qui nunquam ex patria excesserūt, & repentè in peregrinos incidunt. habent enim suam quodammodo linguam Heluetij, habent Sueui, Bauari, Austrij, Saxones, Francones: omnes tamen Germanica vtuntur. Ita inter Græcos multæ fuerunt dialecti, quamuis omnes interim Græcè loquerentur. Præcipuæ tamen fuerunt Attica, Ionica, Dorica, Aeolica, Cōmunis, quæ omnes inter propriè Græcè loquentes habebantur. Reliquæ Macedonica, Bœotica, Thessalica, Chalcidica, Pamphiliana, Argiua, Laconica, Cypria, Cretica, Sicula, Syracusana, Epirotica, Rhegina, Tarentina, & si quę fuerunt aliæ, inter barbaras recensebantur. Proinde Cicero C. Cæcilium Siculum in diuinatione exagitat, quod Græcas literas non Athenis, sed in Sicilia, non Romæ, sed Lilybæi didicerit, ac barbarè loqueretur. Ridet etiam in vltima Verrina quædam Sicula verba, tanquam parum Græca, quæ tamen origine Græca fuerunt, ἐδικάθησαν, quod ineptus quidam interpres docet esse aoristum secundum, cum sit primus. De Macedonum lingua Athenæus. Καὶ γὰρ παρὰ τοῖς ἀρχαίοις ποιηταῖς καὶ συγγραφεῦσι τοῖς σφόδρα ἑλληνίζουσιν ἔστιν εὑρεῖν καὶ περσικὰ ὀνόματα διὰ τὴν τῆς χρήσεως συνήθειαν· ὡς τοὺς παρασάγγας, καὶ τοὺς ἀστάνδας καὶ τὴν σχοῖνον ἢ τὸν σχοῖνον· μέτρον δ᾽ ἐστὶ τοῦτο ὁδοῦ μέχρι νῦν οὕτω παρὰ πολλοῖς καλούμενον· Μακεδονίζοντάς τ᾽ οἶδα πολλοὺς τῶν Ἀττικῶν διὰ τὴν ἐπιμιξίαν. Lib. 3. ca. 33. pag. 121. *Et apud antiquos poëtas & scriptores elegantioris etiam lingua Græca perstudiosos, tamen inuenire est etiam Persica quædam vocabula ex vsu nata & vsurpata, cuiusmodi sunt parasanga, Astars, schœni seu virilis, seu muliebris generis (sunt autem mensura viarum nomina) ad nostram vsque ætatem sic appellata. Atticos etiam plerosq; noui, eò quod cum Macedonibus versati sint & permixti, à Macedonicis vocibus & loquendi proprietate non abhorrere.* Strabo quoque cum subiectas Macedonibus gentes enumerat, plerasque duplici sermone vsas scribit, patrio nempè, & Macedonico. Quod verò Lazius de Græcia tradit, parùm à vero arbitror, Macedonum & Græcorum linguas tam distinctas fuisse, quàm sint hodie Latina & Germanica. Omnes scriptores, qui de dialectis Græcæ linguæ agunt, Macedonicam inter Græcam numerant, nisi quod singulari dialecto, vt Laconica, Bœotica, Sicula cum reliquis vteretur. Faciiè tamen concesserim rudes literarum Macedones, elegantem & Atticum sermonem non intellexisse, nec Atticos Macedonicum, vt hodie qui in principum palatijs versantur, ægrè Heluetiorum, qui in a-

gris

grisduntaxat vixerunt, nusquam vnquam emigrarunt, aut peregrinati sunt, voces assequuntur, nec Heluetij Palatinorum. Quemadmodum & vulgaris Græcorum hodierna, non parum distat ab erudita, vt ægrè se mutuo intelligant: videturque communis Græcorum ἡ κοινή.

QVA TV EGISTI.) Aequam certè rationem adfert Philotas, cur Græcè purè & non Macedonicè velit loqui, quod & rex ipse Græcè dixerit, & ob eam caussam dixerit, vt à pluribus intelligeretur. Sed rex caussam Philotæ inuidiam vocat apud Macedones, quasi & linguam, & patriam, ac mores patrios odisset.

FASTIDIT EVM DICERE.) Malim cum aliis *eo* (sermone) dicere, non *eum*.

MODVM VERBORVM MISERO TENERE DIFFICILE EST.) Tacitus Annal. 4. *Quando mæsta semel prorupère, difficilius reticentur*. Appianus in Punicis de Hammone *εἰσὶ γὰρ συμφοραὶ ποιῆσαι μακρολόγους, miseria disertos faciunt.*

INTER OPTIMAM CONSCIENTIAM ET INIQVISSIMAM FORTVNAM.) Quantopere me consoletur optima conscientia, tantopere terret summa temporis iniquitas. Iudex meus idem est & accusator; iudex discessit, damnatum reum ante caussam dictam reliquit & destituit, hæc mea iniquissima est fortuna & temporis iniquitas, cui si seruire velim, meipsum damnabo, si animo meo obsequar & defendam, accusabo & arguam ipsum iudicem, damnati enim excusatio, iudicis est accusatio. Itaque in difficultatem temporis inextricabilem incidi, vt propè quid dicendum & tacendum sit, ipse nesciam. Sed ne me ipse quoque, si tacuero, damnare videar, quomodocumque licet, dicam.

CVM ILLI VTRINQVE.) *Vtique* legerim cum Acidalio: Possit tamen ferri etiam Modiana scriptura hoc sensu; Cùm illi vtrinque ex accusatione & defensione cognita, seu ab accusatoribus & defensoribus agitata causa.

REX CONIVRATIONIS CAPVT ME CREDIT.) Ego non solum caput non sum aut fui, sed omnino non coniuraui. Status quæstionis est coniecturæ, τὸ ζητούμενον est. Philota coniurasti. quod dilui è inficiatione; non coniuraui. quæstio est an coniurauerit. Non coniurasse, nec conscium fuisse, per ipsos coniuratos docet Philota: Nemo ex coniuratis me participem sceleris nominat, non Dymnus, non Nicomachus, non Ceballinus: quod fecissent, si vel auctor, vel particeps fuissem. Ergo non coniuraui. quod explanatione confirmat.

SED NICOMACHO.) Ita Acidalius non malè sanè.

ME VNVM SVBTRAHEBAT.) Scilicet: ironia est.

CVM SVO SVPPLICIO CRVCIATVR.) Verè Acidalius *cruciatur*, nō, *crucietur*. Noxius dum supplicio suo torquetur, in alieno interim solamen habet & leuamen.

Instat Alexander. Delatum ad te indicium coniurationis tacuisti & oppressisti, ergo vel auctor, vel particeps fuisti. Atque hoc est firmamentum accusatoris, & caput accusationis. Resp. tacui, non oppressi, quia delationis auctores contempsi: quod autem tacuerim, & contempserim indicium, serò me peccasse intellexi, post necem, inquam Dymni, quam præuidere non potui. Itaque veniam rogaui, & ab ipso iudice meo rege impetraui: sequitur nobile dilemma aduersus regem. Aut credidisti mihi rex affirmanti, me contempsisse indicium, aut nō credidisti; pepercisti tamen & veniam precanti impertiuisti, adeoque velut absolutum dimisisti. Itaque isto iudicio tuo, rex, quod vt serues, cupio. te autem vel credidisse, vel pepercisse, habeo pignus dextræ tuæ, & cœnam insequentem, ad quam me familiariter adhibuisti. Ab illo tempore nil peccaui amplius; quod peccaram antè, ignouisti.

Pa. 77. f. a VNDE PARRICIDAE ET PRODITORI TAM ALTA QVIES.) Acidalius *prodito*, non proditori legit: *Parum, inquit, aut nihil ad rem vox proditori. An enim proditor Philotas? & ille vero quorum? sui, an sociorum? si ad regem trahis, non prodere cogitabat hunc, sed perdere. Minus ergo, quam pro sceleris grauitate. Quid autem tricor? egregiè hoc etiam emendamus, vnius syllabæ detractione*, Vnde & parricidæ & prodito tam alti quies somni? *valdè ἐμφατικῶς, & ex intimis affectibus natura. Non cadit securitas, & securitas vsque ad somnum, & somnum denique tam profundum, non hac inquam, cadit in parricidam quidem eum, qui se proditum iam sciat & delatum Hoc ex sequentibus ita elucescit, vt qui non videat, non luscum oporteat esse, non luscitiosum, sed planè cæcum, & supra omnia omnino exempla cæcitatis.* Sed haud scio an non ipse Acidalius hic, si non cæcus, saltem lusciosus. quærit, quorum proditor fuerit Philotas? sui, an sociorum, an regis? non sui, non sociorum fuit, neque regis, inquit, quem perdere non

lib. 8 c. 14. prodere voluit. Non sui, fateor, quis enim seipsum prodat? (quanquam Nicomachus seipsum prodidit. Sed non coniurarat, nisi fictè. Epimenes etiam verè) non sociorum, quia negauit se conscium coniurationis fuisse: Non regis, quem perdere volebat: sed commilitonum suorum, & totius exerci-

cap. 17. tus, quod membrum omisit Acidalius, perdere enim regem, erat exercitum imperatore destitutum & relictum hostibus prodere. Ita enim suprà contra Philotam Amyntas Andromenis F. *Proditos esse barbaris, neminem ad coniugem suam*, & quæ sequuntur. Interim haud inficias iuerim, non incommodè legi posse etiam *prodito*.

SCELERATI CONDORMIRE NON POSSVNT, AGITANT EOS FVRIAE.) Ostendit ex ipsa nocturna quiete & securitate, quam recta conscientia pariebat, suam innocentiam. Eodem modo

modo Cicero pro Sext. Roscio Amerino docet T. Cælii Tarracinensis filios de cæde patris delatos publico iudicio fuisse absolutos, quod aperto ostio dormientes in eodem conclaui reperti essent. Adscribam Ciceronis locum & eloquentiæ & priscæ eruditionis plenum. *Non ita multis ante annis aiunt T. Cælium quendam Tarracinensem hominem non obscurum, cum cœnatus cubitum in idem cōclaue cum duobus adolescentibus filijs isset: inuentum esse manè iugulatum. Cùm neque seruus quisquam reperiretur, neque liber, ad quem ea suspicio pertineret, id ætatis autem duo filij propter cubantes ne sensisse quidem se dicerent, nomina filiorum de parricidio delata sunt. quid poterat? sanè suspiciosum. neutrúmne sensisse? ausum autem esse quenquam se in id conclaue committere eo potissimum tempore, cùm ibidem essent duo adolescentes filij: qui & sentire & defendere facilè possent? erat porrò nemo, in quem ea suspicio conueniret. tamen cum planum iudicibus esset factum, aperto ostio dormientes eos repertos esse: iudicio absoluti adolescentes, & suspicione omni liberati sunt, nemo enim putabat quenquam esse, qui cum omnia diuina atque humana iura scelere nefario polluisset, somnum statim capere potuisse: propterea quòd qui tantum facinus commiserunt, non modò sine cura quiescere: sed ne spirare quidem sine metu possunt. Videtisne quos nobis poëtæ tradiderunt patris vlciscendi caussa, supplicium de matre sumpsisse: cùm præsertim deorum immortalium iussu atque oraculis id fecisse dicantur, tamen vt eos agitent furiæ? neque consistere vsquam patiantur? quod ne pij quidem sine scelere esse potuerunt. Sic se res habet, iudices, magnam vim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem paternus maternusq; sanguis, ex quo si qua macula concepta est, non modo elui non potest, verùm vsque eo permanat ad animum: vt summus furor, atque amentia consequatur. Nolite enim putare, quemadmodum in fabulis sæpenumerò videtis; eos qui aliquid impiè scelerateq; commiserint, agitari & perterreri furiarum tædis ardentibus. sua quemque fraus & suus terror maximè vexat: suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit, suæ malignæ cogitationes conscientiæque animi terrent. hæ sunt impijs assiduæ domesticæque furiæ, quæ dies noctesque parentum pœnas à consceleratissimis filijs repetant.*

Idem narrat Val. Max. l. 8. c. 1. Iisdem furijs agitatus est Alcmæon μητροκτόνος de quo Virgil. lib. 6.

——— mæstamq; Eriphylen
Crudelis nati monstrantem vulnera cernit.

Plura Pausanias in Arcadicis, Thucidides 2. Higynus fab. 25. alij.

Orestis, qui matrem Clytemnestram interfecit, furias describit Euripides in Oreste, ex quo pauculos versus reddo:

Ἐντεῦθεν ἀγρίᾳ συντακεὶς νόσῳ, νοσεῖ
Τλήμων Ὀρέστης· ὁ δὲ πεσὼν ἐν δεμνίοις
Κεῖται. τὸ ματρὸς δ' αἷμά νιν τροχηλατεῖ
Μανίαισιν. ὀνομάζειν γὰρ αἰδοῦμαι θεὰς
Εὐμενίδας, αἳ τόν δ' ἐξαμιλλῶνται φόβῳ.
Inde tabescens sæuo morbo languet
Afflictus Orestes, cadens in lecto
Iacet, sanguis enim maternus exagitat eum
Furoribus: vereor enim nominare deas
Eumenidas, quæ eum certatim exterrent.

Cæterum Scholiastes græcus Eumenidas tres nominat: Tisiphonem, Megæram, & Alecto, quas furias appellant. quas infrà Orestes (vbi precatur matrem vt auerruncet) eas Empusas vocat, αἱματωποὺς, δρακοντώδεις κόρας, κυνώπιδας, γοργῶπας, ἐνερτέρας ἱερείας, δεινὰς θεὰς, *puellas cruentas, comas serpentibus implicitas, canina specie, toruum tuentes, inferorum sacrificulas, atroces deas.*

Sed omnia exempla impietatis vicit monstrum illud naturæ

---- Horrendum, informe, ingens, cui culeus vnus,
Simiaq;, & serpens, nec triplex sufficit orcus,

Nero inquam, non simplex parricida, de quo hæc Tranquillus, *Matrem cum veneno ter tentasset, sentiretq; antidotis præmunitam, lacunaria, quæ noctu super dormientem laxata machina deciderent, parauit. Hoc consilio per conscios parum calato, solutilem nauem, cum vel naufragio, vel cameræ ruina periret, commentus est. Atque ita reconciliatione simulata iucundissimis literis Baias euocauit ad solennia quinquatrium simul celebranda. Datoq; negotio trierarchis, qui liburnicam, quâ aduecta erat, velut fortuito concursu confringerent, protraxit conuiuium. Repetentiq; Baulos in locum corrupti nauigij, machinosum illud obtulit, hilarè prosecutus, atque in digressu papillas quoque exosculatus, reliquum temporis cum magna trepidatione vigilauit, operiens cœptorum exitum. Sed vt diuersa omnia, nandoq; euasisse eam comperit, inops consilij, L. Agerinum libertum eius saluam & incolumem cum gaudio nunciantem, obiecto clam iuxtà pugione, vt percussorem sibi subornatum arripi constringiq; iussit, matremq; occidi, quasi deprehensum crimen voluntaria morte vitasset. Adduntur his atrociora nec incertis authoribus, ad visendum interfectæ cadauer accurrisse, contrectasse membra, alia vituperasse, alia laudasse, sitiq; interim oborta bibisse. Neque tamen sceleris conscientiam, quanquam & militum, & senatus, populiq; gratulationi-* cap. 34.

tionibus confirmaretur, aut statim, aut vnquam postea ferre potuit, sæpè confessus exagitari se materna specie, verberibus furiarum ac tædis ardentibus: quin & facto per Magos sacro, euocare manes, & exorare tentauit.

Plura quidem parricidarum exempla in promptu sunt, sed isthæc ad hunc locum illustrandum sufficiant.

NON TIMVI, NE PLVS CRVDELITATI ALIENAE APVD TE LICERET, QVAM CLEMENTIAE TVAE.) Crudelitati: opponitur crudelitas & clementia, suprà enim dixerat: *Vicit bonitatem tuam, rex, inimicorum meorum acerbitas.* sitiebant nempè sanguinem meum inimici mei Craterus, Cœnus, Hephæstion, Perdiccas, Erigyus. Acidalius tamen rescribit *credulitatem*, quod fateor etiam non malè conuenire.

RES A PVERO DEFEREBATVR.) Hæc in Cebalinum indicem dicuntur, cuius auctoritatem ab ætate, à fratris Nicomachi scorti vilitate, à periculo amicorum eleuat.

DYMNVS SE OCCIDIT.) Iam fateor, inquit, indicio fidem accessisse, posteaquam Dymnus particeps coniurationis seipsum occidit. Sed tum, cùm ad me indicium à Cebalino deferebatur, nondum se occiderat, nec ego hoc futurum, vt se occideret, poteram diuinare; meritò ergo id loci potui & indicem puerum, & indicium contemnere.

SI CONSCIVS DYMNO FVISSEM.) Alio argumento admodum valido & firmo ostendit suam innocentiam Philotas. Demus, me conscium tanti sceleris Dymno fuisse, tum certè ego, proditus illo biduo non debui quiescere, sed Cebalinum indicem cum Nicomacho de medio tollere. Præterea, nónne post proditam coniurationem & delatum indicium, statim antequam ad regem deferretur, rex ipse mihi occidendus fuit, ne ab illo occuparer? An id facere non potui, qui solus ad illum & sæpius, & gladiatus eodem biduo intraui? An, sine Dymno multo humiliore & ignauiore non sum ausus? Dices, ille princeps & auctor coniurationis fuit, tu per illum tanquam per cuniculos egisti, adeoque regnum affectasti. tum certè debui mihi duces belli & principes palatij promissis ac donis conciliare, vt, quod quærebam, assequerer. at nullum corrupi, nullum appellaui, nullum colui: nulla ambitio, nullus ambitus in me vnquam notatus.

SIC IMPERIO, QVOD DEDIGNOR, IMMINEO?) Si inquit patrios mores & patrium sermonem auersor & fastidio, liber sum à suspicione affectati regni, cùm illud contemnere videar & fastidire, & cum ipso sermone & moribus auersari.

NATIVVS SERMO COMMERCIO ALIARVM GENTIVM EXOLEVIT.) Sicut Sicula lingua (quod Siculus ipse testatur) commercio Latinorum & Græcorum confusa fuit, ita Macedonica aliorum Græcorum vsu gentiumque consuetudine permixta desijt.

AMYNTAS PEROICCAE F.) Diluit alia ab Alexandro obiecta suprà argumenta de Amynta, Attalo, literis. Prouocat deinde ad Iouis Hammonis oraculum testem suæ innocentiæ. Postremo versa ad patrem absentem oratione, mouet commiserationem, quod nec fratres, nec patrem possit deprecatores vitæ exhibere, fratres, quòd essent extincti; patrem, quod procul abesset, cuius ætatem, sortem, fortunam, statum, quod absens inter reos esset relatus, miseratur, cuius demum exemplo ostendit, meritò ab se contemptum esse indicium, cum Alexander etiam patris indicium contempsisset.

NON RECVSO DEFENDERE.) Paratus sum pro ea culpa satisfacere, si culpa est, amicitiam, extra omnem insidiarum suspicionem, coluisse, nec enim diuinare potui, quæ ille consilia coqueret, aut animo versaret. Acidalius mallet *defendam* reponere, pro *non recuso defendere*: Clarius certè & planius est, *non defendam*, vel *non defendo*.

Pausanias Cleopatræ patruum facit Attalum.

SI FRATREM REGIS) Attalum, fratrem matris nouercæ Cleopatræ, auunculum Alexandri, si rectè loquamur. Sensus est: si fratrem regis Attalum diligi non oportuit, fateor me peccasse diligendo consobrino regis Amynta: si autem Attalus non solum diligendus, sed etiam venerandus fuit propter gradum honoris & propinquitatis, nemo ægrè feret, si etiam Amyntas dilectus & cultus fuit.

* Lib. 9.

Attalus * Iustino frater regis ex nouerca fuit: *Alexandrum quoque regni æmulum fratrem ex nouerca susceptum timuisse*, & quæ sequuntur. Alijs non frater regis, sed reginæ Cleopatræ fuit, imò (vt Plutarchus & Athenæus notant) auunculus. Itaque haud scio, an non hæc omnia, vsque ad illa verba, *an impiorum amicis insontibus quoque moriendum est*, ad Amyntam solum sint referenda. Vbi ergo, inquies, ad Attalum respondet, Eandem reor vtriusque defensionem fuisse: perinde enim Attali & Amyntæ amicus fuit, non conscius, non socius insidiarum: In eadem causa, eadem aut innocentiæ, aut culpæ est defensio. Quanquam non abest suspicio locum esse mendosum, & aliquid desiderari.

QVI SE FILIVM IOVIS CREDERET.) Ad illud argumentum respondet, de obiectis literis, quas ad Alexandrum dederat scripseratque, se misereri eorum, *quibus viuendum esset sub eo, qui mundum hominis excederet*. Hoc infitiari nec potuit, nec voluit; sed respondet, se deceptum amicitiæ nomi-

homine, quo liberè monuerit regem vt amicum, vt abstineret ab huiusmodi iactatione. Adijcit se scripsisse hoc regi, non de rege; ipsi, non alteri, meritò reprehendendum fuisse, si ad alterum hoc de rege scripsisset, sed iure amicitiæ defendi, quod tanquam ad amicum & familiarem liberiùs scripserit: qua adhortatione non crearit inuidiam, sed cauerit, ne rex in illam apud populares incideret. Acidalius alteram vocem *scripsisse*, proscribēdam putat, ego nihil alieni loci occupare existimo. Pergit Philotas. Et se ex animi sententia ita scripsisse, ita monuisse, testatur ipsum Iouem Ammonē ad quem prouocat. Illa verba Curtij, *retinete me in vinculis, dum consulitur Hammon interim*, ita restituit aduersus Modij diras Acidalius, *Vulgatam*, inquit, *lectionem reducturus, deprecor ante diras quas non condignas sati imprecari se posse Modius ait illi, qui princeps eam cudisset. Mitte deuotiones tuas, nisi vis experiera in teipsum. Corrupta tu censes ista? Retinete me in vinculis, dum consulitur Hammon in arcanum & occultum scelus. Interim qui regem nostrum dignatus est filium, neminem eorum, qui stirpi suæ insidiati sunt, latere patietur. Vt censeres quid mouet? Interim particula credo maximè: cuius tamen idem non inelegans vsus & apud alios sæpè, & apud Senecam vnum frequentissimè. Sciunt, quiqui nō habeā, qua alioqui plurima notaui. Nam ista hic ibidē, in arcanum & occultum scelus, vt exempla in numerato quo modo irrepsisse temerè, nemo, nec Modius quidem ipse crediderit. Nemini honesta glossam esse, vel quolubere in aliquid: qua facilè absterrere quemuis poterat, ne vires inferret: me locutio, Oraculum con defendam ab alio illatam. certè mutauit & sic cepit, vt*

Denique offert se Philotas etiam ad quæstiones & tormenta, si aliter fidem facere non posset: quibus tamen perpetiendis par non fuit.

SOLENT REI CAPITIS EXHIBERE (Sic cum Acidalio emendo) VOBIS PARENTES) Exstant huius moris exempla apud rerum scriptores non pauca. Cicero pro Sylla paruum eius filium producit: *Hic*, inquit, *vos orat, iudices, paruus, vt se aliquando si non integra fortuna, at afflicta patri suo gratulari sinatis, huic misero notiora sunt iudiciorum itinera & fori, quàm disciplinarum.* Et mox ipse Sylla. *Quæ erepta sunt, non repetit, quod fortuna in malis reliquit fecit, vt cum parente, cum liberis, cum fratre, cum his necessarijs* (en quanta copia supplicum aderat) *lugere suam calamitatem liceat*. Idem pro Flacco: *Præclara illi hac oratio quidem si huic, huic misero puero, vestro ac liberorum vestrorum supplici, iudices, hoc iudicio viuendi præcepta dabitis, cui si patrem conseruatis, qualis ipse debeat esse, obtestarum, præscribetis: sin eripitis, ostendetis bonæ rationi & constantiæ, & graui nullum à vobis fructum esse propositum, qui vos, quoniam est id ætatis, vt sensum iam percipere possit, ex mœrore patrio, auxilium nondum ferre posse, orat ne suum luctum, patris lacrymis, patris mœrorem suo fletu augeatis. qui etiam me intuetur, me vultu appellat, meam quodammodo flens fidem implorat, ac repetit eam, quam ego patri suo quondam pro salute patriæ spoponderim dignitatem. Miseremini familiæ, iudices, miseremini fortissimi patris, miseremini filij*, & quæ sequuntur. Et pro Sextio: *Reum video hunc præter textatum eius filium oculis lacrymantibus me intuentem* Val. Max. ex Liuio & Cicerone: *Cum à Libone Trib. pleb. Ser. Galba pro rostris vehementer increparetur, quod Lusitanorum magnam manum interposita fide prætor in Hispania interemisset, actionique tribunitiæ M. Cato vltima senectutis, oratione sua, quā in Origines retulit, subscriberet: reus pro se iam nihil recusans, paruulos liberos suos, & Galli sanguine sibi coniunctum filium flens commendare cœpit: eoque facto, mitigata concione, qui omnium consensu periturus erat, pœnè nullum triste suffragium habuit. Misericordia ergò illam quæstionem, non æquitas rexit: quoniam quæ innocentiæ tribui nequierat absolutio, respectui puerorum data est. Consentaneum est, quod sequitur. A. Gabinius in maximo infamia sua ardore, suffragijs populi, C. Memmio accusatore, subiectus, abrupta esse spei videbatur: quoniam & accusatio partes suas plenè exhibebat, & defensionis præsidia inualida fide nitebantur: & qui iudicabant, ira præcipites, pœnam hominis cupidè expetebant. Lictor igitur & carcer ante oculos obuersabantur: cum interim omnia ista propitiæ fortunæ interuentu dispulsa sunt. Filius namque Gabinij Sisenna consternationis impulsu ad pedes se Memmij supplex prostrauit; inde aliquod fomentum procellæ petens, vnde totus impetus tempestatis eruperat. Quem truci vultu à se victor insolens repulsum, excusso è manu anulo, humi iacere aliquandiu passus est. Quod spectaculum fecit, vt Lælius tribun. pleb. approbantibus cunctis Gabinium dimitti iuberet; ac documentum daretur, neque secundarum rerum prouentu insolenter abuti, neque aduersis properè quemquam debilitari oportere.*

Exhibere non adhibere, vt vulgo est editum.

Lib. 8. c. 1. actioniq. p. 105.

Coronidis loco addatur etiam quod Lipsius de Eponina Iulij Sabini vxore narrat: *Vespasiani auo turba aut rebellio in Gallia fuit, & dux partium Iulius Sabinus, cui vxor Eponina. victus Gallus dux ad supplicium quærebatur: sed is in speluncam antam se abdidit, & famam mortis suæ sparsit, quasi veneno sponte eam sumpsisset: ac rei fidem, villam, tanquam super se, iussit incendi. Ipsa vxor hæc ignorabat, eratque in multis & mœstis lacrymis: soli duo liberti sciebant. qui miserati mulierem, mori certam, & cibis iam triduum expertem, marito indicant, & suadent amanti subuenire. Factum, & illa resciscit Sabinum suum viuere: venitque ad eum, fidem & silentium coluit, per totos nouem annos, & liberos etiam in spelunca concepit ac peperit, sed charitate obstetricante. Denique res euulgata est, capti sunt, Romam deducti: an non venia donati? laudem & præmium merebantur, certè ista. Sed Vespasianus (ab meo animo hic sanus) iussit interfici. quamquam illa prolatis ostensisque liberis: En Cæsar, dixisset, quos ego in monumento peperi atque alui, vt plures supplices haberes. Indignor, non vel dicto huic indulgentiam donatam:*

Monit. & exempl. p. 196. n. 18.

tam:

tam. Sed nihil illa: & lata, opinor, cum marito perijt, cum quo tot annos iam antè fuerat sepulta.

DVOS FRATRES EGO NVPER AMISI.) Hectorem & Nicanorem: Hectorē in Nilo submersum, vt legisti lib.4. cap.21. Nicanorem morbo extinctum lib. hoc c.12.

PATREM NEC POSSVM OSTENDERE.) Procul hinc in Media versantem, & triginta aut quadraginta dierum interuallo remotum, vt Strabo in 15. narrat, quod tamen iter Polydamas camelis dromadibus vectus vndecim diebus confecit.

TIBI CARNIFEX SPIRITVM ADIMET.) Cleander is fuit. plura de cæde Parmenionis infra lib.7. c.2.

NATVRA REPOSCEBAT.) Septuaginta quippe annos natus erat, maturus fato & morti, si non hanc infelix casus occupasset.

ADMOVIT ME PATRIS MEI MENTIO.) Confirmat exemplo patris, quòd suprà dixerat de non suppresso, sed contempto indicio.

VENENVM A PHILIPPO MEDICO PARARI.) De hac re suprà lib.3. ca.10. cognouisti.

E CIRCVMSTANTIVM TVRBA.) Stolidus aliquis & incoctus Martis satelles: quid enim tota caussa aliud egit Philotas, quàm vt ostenderet se non insidiatum.

CAPVT XIX.

ARGVMENTVM.

Oratio Belonis ducis in Philotam, qui vitam eius & delicias, superbiam & contemptum aliorum ostendit, totamque concionem iam quietam & hærentem in illum accendit.



Rat inter duces manu strenuus Belon quidam, pacis artium, & ciuilis habitus rudis, vetus miles, ab humili ordine ad eum gradum in quo tunc erat, promotus, qui tacentibus cæteris, stolida audacia ferox, admonere eos cœpit quotiens suis quisque diuersorijs quæ occupassent, proturbatus esset, vt purgamenta seruorum Philotæ reciperentur eo, vnde commilitones expulisset: auro argentoque vehicula eius onusta totis vicis stetisse: at ne in vicinia quidem diuersorij quenquam commilitonum receptum esse; sed per dispositos quos ad somnum habebat, omnes procul relegatos, ne fœmina illa murmurantium inter se silentio verius quàm sono excitaretur. Ludibrio ei fuisse se: rusticos homines, Phrygasque & Paphlagonas appellatos, qui non erubesceret Macedo natus, homines lingua sua per interpretem audire. Nam cur Hammonem consuli vellet? eundem Iouis arguisse mendacium, Alexandrum filium agnoscentis, scilicet veritum ne inuidiosum esset, quod dij offerrent. Cùm insidiaretur capiti regis & amici, non consuluisse eum Iouem: nunc ad oraculum mittere, dum pater eius solicitetur, qui præsit in Media: & pecunia, cuius custodia commissa sit, perditos homines ad societatem sceleris impellat. Ipsos missuros ad oraculum, non qui Iouem interrogent, quod ex rege cognouerint, sed qui gratias agant, qui vota pro incolumitate regis optimi persoluant. Tum verò vniuersa concio accensa est, & à corporis custodibus maximè initium factum, clamantibus discerpendum esse parricidam manibus ipsorum. Id quidem Philotas, qui grauiora supplicia metueret, haud sanè iniquo animo audiebat.

PACIS ARTIVM ET CIVILIS HABITVS RVDIS.) E colono & rustico, martis operâ ad præfecturam militarem aspirauit, vt hodie passim fieri videmus. Artes pacis sunt literæ, studium sapientiæ, pingendi fingendique artificia, aliaque opificia à castris abhorrentia. ciuilis habitus, hoc est, ab eloquentia, etiam & foro, iudicijs, magistratibus ciuilibus alienus erat Belon.

PVR-

PVRGAMENTA.) Mancipia Philotæ, ministros à cubiculo, mensâ, balneo, vnguentis, stabulis.

TOTIS VICIS STETISSE) hæc omnia nihil ad caussam Philotæ pertinebant. Nec Philotas tantùm magnus in aula Alexandri, & princeps in luxum effusus, sed plerique omnes duces Alexandri nobiliores. Plutarchum audiamus: *Quum amicos suos totos in luxum effusos cerneret, victuq, & sumptibus licentiores, atque Agnonem Teium clauis argenteis suffigere crepidas; Leonato multis camelis puluerem ex Aegypto vsque ad exercitationes supportari, Philotam ad venationem centum stadiorum aulaæ (è Græco αὐλαίας) habere vnguento plures quam oleo delibutos ad balneum, trahere eos secum fricteres & cubicularios, castigauit eos placidè & philosophicè*, & quæ sequuntur. In Alexandro.

Idem testantur apud Athenæum Phylarchus lib. 23. histor. & Agatharchides Cnidius lib. 10. de Asia, *Alexandri familiares in luxum nimium effusos, inter quos*, inquit, *vnum Agnon clauis aureis confixas crepidas & calceos gestabat: Cleitus verò cognomine Candidus, quoties adeuntibus respondere vellet, amictus veste purpurea & obambulans cum ijs, qui compellauerant, sermones conferebat: Perdiccam verò & Craterum exercitatione corporis delectari solitos, pone sequebantur pelles magnitudine stadij, in quibus circumscripto loco, vel castris positis exercerentur. Quin & multis iumentis ferebatur, illis puluis ad luctat vtilis Leonato & Menelao venationis studiosis * aulaa centum stadiorum ferebantur, quibus circumdatæ feræ * inseсtarentur.* Quid ergo stolidus hic & ferox Belon, hæc in Philotam solum confert, vt illi inuidiam apud commilitones conciliet? Quod de aulæis, quæ centum stadiorum spacium occupabant, sanè mirum est. cingebant enim amplius tria milliaria Germanica, Aulæa intellige telas, lintea, plagas, retia, non tamen cancellata, aut reticulata. Athenæus l. 12. p. 539. * αὐλαίαις

PHRYGASQVE.) Solidos, parum sanos, stupidos. Nota de Phrygibus parœmia: *serò sapiunt Phryges.*

PAPHLAGONAS.) Phrygibus vt terrâ, sic ingenijs vicinos, bardos, barbaros, insanos, furiosos Paphlagonas. Apud Athenienses Paphlagonem appellari, conuitium erat. Suidas: Παφλαγὼν. ὁ Κλέων ὁ τῶν Ἀθηναίων στρατηγός, διὰ τὸ τῆς φωνῆς ἀπηχές, ἀπὸ τοῦ παφλάζειν, ξένος γὰρ ἦν καὶ βάρβαρος. Accepit appellatio originem à Cleone duce Atheniensium, qui absonam habebat vocem. παφλάζειν enim est lingua offendere, hærere, & iterare verbum. *Cleon autem erat peregrinus Atheniis & hospes & barbarus.* ἀνὴρ παφλάζει, vir æstuat, spumat, insanit, qui dum loquitur hæret, & offendit, vt fecit Cleon. propriè παφλάζειν dicitur mare æstuans & furens, cum vastos voluit ad littora fluctus, à φλῶ φλῶ, & per paragogen φλάζω παφλάζω, vt φλάω φλάζω. Hunc Cleonem Paphlagonem Aristophanes tota comœdia, quæ ἱππεῖς Equites inscribitur, exagitauit, vnde conuitium in Paphlagonas natum est. Rhetores quoque clamosi & insulsi dicti Paphlagones, vt Eustathius docet commentario ad Homerum. Παφλαγόνων δ' ἡγεῖτο Πυλαιμένεος λάσιον κῆρ ἐξ Ἐνετῶν, ὅθεν ἡμιόνων γένος ἀγροτεράων. *Paphlagonibus autem præerat Pylemenis densum cor. ex Enetis, vbi genus mularum agrestium, seu agro colendo aptarum generatur.* Iliad. 6.

Παφλαγόνες μὲν οὖν ἀπὸ Παφλαγόνος ὁ δὲ τοῦ ἀρχηγοῦ κελεῦνται. ἡ δὲ κωμῳδία διὰ τὴν λέξιν παφλάσουσι εἰς ἀναιδῆ ῥήτορα, ὃν παφλαγόνα ἐσκωψε, παρὰ τὸ οἷον παφλάζειν ἐν δημηγορίαις. *Paphlagones ergò ab inclito duce Pahlagone dicuntur, *Comicus autem traxit vocem ad impudentem Rhetorem, quem Paphlagonem *scommatis exagitauit, quasi qui in concionibus popularibus vociferaretur & fremeret.* Lege quæ idem Eustathius ad Iliados N. de eodem Cleone Attico Paphlagone scribat, & Suidas in voce Cleon, vbi ἀνδρα μανιώδη vesanum virum, hostê Niciæ & Nicerati vocat. plura de eisdem, vti dixi, Aristophanes ἐν ἱππεῦσι in equitibus. * Aristophanes.

PER INTERPRETEM AVDIRE.) Quasi patriam linguam, vel nesciret, vel fastidiret & contemneret, quod magnopere ad superbiam, insolentiam, & inuidiam Philotæ pertinet.

HAMMONEM CONSVLI VELLET?) Belon hanc Philotæ ad oraculum Hammonis appellationem & prouocationem pessimè interpretatur; qua re non parum accendit concionem militum aduersus reum, quasi insidiosissimè hoc dixerit, vt interim pater moneri, sibique & filio consulere posset.

ET PECVNIA, CVIVS COMMISSA SIT, PERD HOM. AD SOCIET. SCEL. IMPELLAT.) Pecunia sanè ingens erat, centum octoginta millia talentum, hoc est, centies octuagies millies centena millia philipp̃æorum. Centum & octo milliones.

QVI GRAVIORA SVPPLITIA METVERET.) Præsagiebat animus futurum, vt ad quæstiones ductus, vltimos cruciatus, ante mortem, sustinere cogeretur.

CAPVT XX.

ARGVMENTVM.

Philotas torquetur, scelus fatetur, cum coniuratis, saxis obruitur.



Ex in concionem reuersus, siue vt in custodia quoq; torqueretur, siue vt diligentius cuncta cognosceret, consilium in posterum diem distulit: & quamquam in vesperam inclinabat dies, tamen amicos conuocari iubet: & ceteris quidem placebat, Macedonum more obrui saxis. Hephæstion autem & Craterus & Cœnus tormentis veritatem exprimendam esse dixerunt; & illi quoque qui aliud suaserant, in horum sententiam transeunt. Concilio ergo dimisso, Hephæstion cum Cratero & Cœno ad quæstionem de Philota habendam consurgunt. Rex Cratero accersito & sermone habito, cuius summa non edita est, in intimam diuersorij partem secessit, & remotis arbitris in multam noctem quæstionis expectauit euentum: tortores in conspectu Philotæ omnia crudelitatis tormenta proponunt. Et ille vltro: Quid cessatis, inquit, regis inimicum, interfectorem, confitentem occidere? quid quæstione opus est? Cogitaui, volui. Craterus exigere, vt quæ confiteretur, in tormentis quoque diceret. Tum corripitur, & dum obligantur oculi, dum vestis exuitur, deos patrios, gentium iura, nequicquam apud surdas aures inuocabat. Per vltimos deinde cruciatus, vtpote & damnatus, & inimicis in gratiam regis torquentibus, laceratur. Ac primò quanquam hinc ignis, illinc verbera iam non ad quæstionem, sed ad pœnam ingerebantur, non vocem modò, sed etiam gemitus habuit in potestate. Sed postquam intumescens corpus vlceribus, flagellorum ictus nudis ossibus incussos ferre non poterat: si tormentis adhibituri modum essent, dicturum se, quæ scire expeterent, pollicetur. Sed finem quæstioni fore, iurare eos per Alexandri salutem volebat, remouerique tortores. Et vtroque impetrato, Cratero, inquit, dic quid me velis dicere. Illo indignante ludificari, rursusque reuocante tortores, tempus petere cœpit, dum reciperet spiritum, cuncta quæ sciret indicaturus. Interim equites, nobilissimus quisque, & ij maximè qui Parmenionem propinqua cognatione contingebant, postquam Philotam torqueri fama vulgauerat, legem Macedonum veriti, qua cautum erat, vt propinqui eorum, qui regi insidiati essent, cum ipsis necarentur: alij sese interficiunt, alij in deuios montes vastasque solitudines fugiunt, ingenti per tota castra terrore diffuso, donec rex tumultu cognito, legem se supplicij coniunctis sontium remittere edixit. Philotas verò ne an mendacio liberare se cruciatu voluerit, anceps coniectura est; quoniam & vera confessis, & falsa dicentibus idem doloris finis ostenditur. Cæterùm pater, inquit, meus Hegelocho quam familiariter vsus sit, non ignoratis. Illum dico Hegelochum, qui in acie cecidit. Ille omnium malorum nobis fuit caussa. Nam cùm primùm Iouis filium se salutari iussit rex, Id indignè ferens ille: Hunc igitur regem agnoscimus, inquit, qui Philippum dedignatur patrem? actum est de nobis, si ista perpeti possumus. Non homines solum, sed etiam deos despicit, qui postulat Deus credi. amisimus regem, incidimus in superbiam, nec dijs quibus se exæquat, nec hominibus quibus se eximit, tolerabilem. Nostrone sanguine Deum fecimus qui nos fastidiat? qui grauetur mortalium adire concilium? credite mihi, & nos si viri sumus, à dijs adoptabimur. Quis proauum huius Alexandrum, quis deinde Archelaum, quis Perdiccam occisos vltus est? hic quidem interfectoribus patris ignouit. Hæc Hegelochus dixit super cœnam, & postero die prima luce à patre arcessor. Tristis erat, & me mœstum videbat. Audieramus enim quæ sollicitudinem incuterent. Itaque vt experiremur vtrumne vino grauatus effudisset illa, an altiore concepta consilio, accersi eum placuit, venit, eodemque sermone vltro repetito, adiecit, se, siue auderemus duces esse, proximas à nobis partes vindicaturum: siue deesset animus, consilium silentio esse tecturum. Parmenioni, viuo adhuc Dario, intempestiua res videbatur, non enim sibi, sed hosti esse occisuros Alexandrum: Dario verò sublato, præmium regis occisi Asiam & totum Orientem interfectoribus esse cessura: approbatoque consilio in hæc fides & data est & accepta. Quod ad Dymnum pertinet,

tinet, nihil scio: & hæc confessus intelligo non prodesse mihi quod proximi sceleris expers sũ. Illi rursus tormentis admotũ, cũ ipsis quoq; hastis os oculosq; eius euerberarent, expressere, vt hoc quoq; crimẽ confiteretur. Exigẽtibus deinde, vt ordinẽ cogitati sceleris exponeret, cũ diu Bactra retentura regem viderentur, timuisse respondit, ne pater LXX natus annos, tãti exercitus dux, tantæ pecuniæ custos, interim extingueretur, ipsiq; spoliato tãtis viribus occidẽdi regis caussa non esset: festinasse ergo se, dũ præmiũ in manibus haberet: repræsentasse cõsilium, cuius, patrem fuisse auctorem si crederent, tormenta quanquam iam tolerare non posset, tamen non recusare. Illi collocuti, satis quæsitum videri, ad regem reuertuntur: qui postero die, & quæ confessus erat Philotas, recitari: & ipsum qui ingredi non poterat, iussit afferri. Omnia agnoscente eo, Demetrius qui proximi sceleris particeps esse arguebatur, producitur, multa affirmatione, animique pariter constantia & vultu abnuens quidquam sibi in regem cogitatum esse. Tormenta etiam deposcebat in semetipsum. Cum Philotas circumlatis oculis, vt inciderat in Calin quendam haud procul stantem, propius eum iussit accedere. Illo perturbato, & recusante transire ad eum, Patieris, inquit, Demetrium mentiri, rursusque me excruciari? Calin vox sanguisque defecerant, & Macedones Philotam inquinare innoxios velle suspicabantur: quia nec à Nicomacho, nec ab ipso Philota, cum torqueretur, nominatus esset adolescens: qui vt præfectos regis circumstantes se vidit, Demetrium & semetipsum id facinus cogitasse confessus est. Omnes ergo à Nicomacho nominati more patrio dato signo saxis obruti sunt. Magno non salutis, sed etiam vitæ periculo liberatus erat Alexander, quippe Parmenio & Philotas principes amicorum, nisi palam sontes, sine indignatione totius exercitus non potuissent damnari. Itaque anceps quæstio fuit. Dum inficiatus est facinus, crudeliter torqueri videbatur: post confessionem ne amicorum quidem misericordiam meruit.

CONSILIVM IN POSTERVM DIEM DISTVLIT) Non passus est sententiam mortis illo die in Philotam pronunciari, non quod ipse dubitaret reum esset, sed vel vt in vinculis clam prius ad pœnam cruciaretur, vel ex ipsius confessione constaret, ipsum sceleris participem fuisse, adhuc enim inficiatus erat, cum caussam ita dixisset, vt sapientes etiam, & à studijs partium odioque alieni hærerent, nocens ne an innocens esset, vel denique vt de conscijs etiam alijs plura & certiora cognosceret.

CAETERIS QVIDEM) Erigyo, Perdiccæ, & Leonato.

MACEDONVM MORE SAXIS OBRVI) Hoc parricidarum reorumque maiestatis & cædis supplicium erat, vel vt telis confoderentur. Hoc supplicium etiam Orestes timuit apud Euripidem:

—— κυρία δ' ἥδ' ἡμέρα
ἐν ᾗ διοίσει ψῆφον Ἀργείων πόλις
εἰ χρὴ θανεῖν νὼ λευσίμῳ πετρώματι
ἢ φάσγανον θήξαντ' ἐπ' αὐχένος βαλεῖν.
—— *Hæc dies autem est dicta,*
In qua ferent sententiam Argiui,
An oporteat nos mori lapidante saxo,
An acuto ense feriri collum.

Philotam Curtius lapidatione sepultum testatur, Arrianus & Philotam & conscios iaculis cõfossos. Siculus genus mortis non exprimit, sed tantum κατὰ τὸ τῶν μακεδόνων ἔθος ἐθανατώθη, *more patrio occisus est.*

OMNIA CRVDELITATIS TORMENTA PROPONVNT) Instrumenta tormentorum, ardentes faces, laminas cãdentes, vngulas ferreas, flagra, equuleos, stimulos, hastas, quibus oculos etiam fodicarent.

Cum antea semper crimen coniurationis inficiatus esset, nec suppressum indicium, sed contemtum testaretur: iamque propositis tormentorum instrumentis vltrò fateatur, fides Philotæ meritò suspecta judicibus fuit; indeque torqueri præsertim propter socios potuit. ff. l. 48. tit. 18. de quæstionibus. *Si quis vltrò de maleficio fateatur, non semper ei fides habenda est, nonnunquam enim aut metu, aut qua alia de caussa in se confitentur.*

DVM CORRIPITVR) vides obseruatum torquendi modum, nudandi prius corpus, astringendi, velandi oculos, torquendi, quæ omnia horrificam animo rei speciem subijciunt. & est hypotyposis.

DEOS PATRIOS) Iouem, Mineruam, Herculem, aliosque, surdos omnes ad preces Philotæ.

IVRA GENTIVM) Quod si reus vltrò confessus, nunquam neget crimen; semperque constá-

ter respondeat, non solet torqueri, nisi fortè alios quoque implicet, illique inficias eant.

NON VOCEM MODO, SED GEMITVS ETIAM IN POTESTATE HABVIT) vt nec clamaret, nec ingemisceret. ff. l. 48 tit. 18. de quæstion. *Quæstioni non semper, nec tamen nunquam fidem habendã constitutionibus declaratur. Etenim est fragilis & periculosa, & qua veritatem fallat. nam plerique patien-* ◦ab *tia siue duritia tormentorum, ita tormenta contemnunt, vt exprimi ◦ eis veritas nullo modo possit. alij tanta* ◦quoduis *sunt impatientia vt ◦ quouis mentiri, quam pati tormenta velint, & ita fit vt etiam vario modo fateantur, vt non tantum se, sed etiam alios criminentur.*

Philotas ergo primùm sano adhuc & integro corpore fortissimè & constantissimè verbera, faces, & cruciatus pertulit; at vbi corpus exulceratum est, cœpit fateri . His planè contraria scripsit Plutarchus, illum muliebriter eiulasse, & Hephæstionem infimis precibus rogitasse, vti sibi parceret. *Inde*, inquit, *correptum torserunt assistentibus quæstioni regis amicis & Alexandro ponè obtensum au-* ◦ Alexand. *laeum, foris exaudiente. Quo tempore ◦ eum dixisse aiunt , cum miserandis & abiectis vocibus precibusque Philotas Hephæstionem compellaret. Adeone mollis tu, Philota, & effeminatus tantas res moliebare?* Aliàs vt strenuum, ferreum & laborum tolerantem laudarat Plutarchus. Ne tamen videantur pugnare inter se Curtius & Plutarchus, dici potest primum tormenta fortiter à Philota exantlata, dein lacerato & exulcerato corpore ad preces descendisse.

PER SALVTEM ALEXANDRI) per genium, seu τύχην regis, aut Cæsaris iurabant veteres pa- cap. 32. gani, per salutem principis, Christiani, vt in Apologet. docet Tertullianus. Imperatores Arcadius & Honorius in l. Si quis maior. c. de transactionibus. *Eos etiam huius legis vel iactura dignos esse iubemus vel munere, qui nomina nostra placitis inserentes* SALVTEM PRINCIPVM *confirmationem initarum* Aula S. c. 16. *iurauerint esse pactionum.* Ita Theodosius minor Eudociam coniugem suam adegit , vt per salutem suam iuraret, se comedisse pomum.

LEGEM MACEDONVM VERITI) huius legis, qua reorum propinqui pari supplicio afficiebantur, infrà quoque lib. 8. fit mentio, vbi Hermolaus cum conscijs in concilium adducitur. *Poste-* Lib. 8. c. 15. *ro autem frequens concilium adhibuit, cui partes propinquique eorum, de quibus agebatur, intererant , ne de sua quidem salute securi, quippe Macedonum more perire debebant, omnium deuota capitibus, qui san-* c. 16. eod. li. *guine contigissent eos.* Et sequenti capite: *At nunc mones me, vt vestris parentibus parcam. Non oportebat quidem vos scire, quid de his statuissem, quò tristiores periretis , si qua vobis parentum memoria & cura est: sed olim istum morem occidendi vnius scelesti insontes propinquos parentesque, solui.* Nec hæc Macedonum duntaxat lex erat, exempla apud Persas & in libris de Iudæis habemus. De Persis Brissonius ex Am- p. 268 li. 2. de reg. Pers. miano Marcellino, Herodoto, Esthere: *Planè dura lege viuebant Persæ, apud quos vnius ob noxiam plerunque propinqui omnes plectebantur. Ammianus Marcell. lib. 23. Leges apud eos impendio formidatæ: inter quas, diritate exuperant latæ contra ingratos & desertores, & abominanda alia , per quas ob noxam vnius omnis propinquitas perit. Atque ita cum Intaphernes ex septem magicidis vnus, contra vetitum, regiam ingredi, rege cum vxore cubante ausus, ianitori ac cubiculario, aditu eum prohibentibus , aures naresque amputasset, Darius rex* ἔλαβε αὐτόν τε τὸν Ἰνταφέρνεα, καὶ τοὺς παῖδας αὐτοῦ, καὶ τοὺς οἰκηΐους πάντας· ἐλπίδας πολλὰς ἔχων μετὰ τῶν συγγενέων μιν ἐπιβουλεύειν οἱ ἐπανάστασιν, συλλαβὼν δὲ σφέας, ἔδησε τὴν ἐπὶ θανάτῳ: *quemadmodum Herodotus lib. 3. scribit. Victum tamen vxoris Intaphernis precibus, fratrem eius & liberorum natu maximum dimisisse, ibidem Herodotus refert . Sic & in epistola Artaxerxis apud* LXX. *Interpretes cap. 8. Esther de Amane* διὰ τὸ αὐτὸν ταῦτα ἐξεργασάμενον, πρὸς ταῖς Σούσων πύλαις ἐσταυρῶσθαι σὺν τῇ πανοικίᾳ· τὴν καταξίαν τοῦ τὰ πάντα ἐπικρατοῦντος θεοῦ διὰ τάχους ἀποδόντος αὐτῷ κρίσιν. *Darium Artaxerxis filium, dum patri insidias pararet, deprehensum cum socijs pœnas parricidij dijs paternæ maiestatis vltoribus dedisse: coniuges quoque omnium cum liberis, ne quod vestigium tanti sceleris extaret, interfectas Iustinus l. 10. narrat.*

Ita Acham propter sacrilegium sublatæ aureæ regulæ, cum tota familia saxis obrutus est. Ios. 7. & Dathan & Abiron cum omni gente sua & tentorijs etiam terra hausti atque absorpti sunt.

Hæc propinquorum Philotæ fuga abripuit etiam Polemonem Amyntæ fratrem, de quo lib. 7. c. 16.

LEGEM SE SVPPLICII CONIVNCTIS SONTIVM REMITTERE DIXIT) ita, vt iam audisti, soluit etiam propinquos & parentes Hermolai & coniuratorum, singulosque suis honoribus & officijs restituit.

VERONE, AN MENDACIO) ancipitem coniecturam fuisse dicit hic Curtius; atqui infra sub finem huius capitis, & finem libri docet Philotam, quasi vera confessum, ne amicorum quidem misericordiam meruisse.

QVONIAM ET VERA CONFESSIS ET FALSA DICENTIBVS IDEM FINIS DOLORIS OSTENDITVR) eculeus, inquam, & tormenta quæstionum. suprà verè dixerat , malignam esse calamitatem & ferè noxios, cum suis supplicijs cruciantur, acquiescere alienis, neminem parcere morituris, & nemini morituros.

CAETERVM PATER, INQVIT) hic incipit confessio Philotæ.

lib. 3. c. 1. HEGELOCHO) Illustris hic prætor Alexandri fuit, & primum cum Amphotero oræ Hellespon- lib. 4. c. 17. ti præfedit, multasque insulas Alexandro subiecit: Cecidit ad Gaugamela in prælio. haud scio an idem

tiem fuerit cum eo, quem laudat Siculus lib. 15. στρατηγὸν δ' ἶχοντες (de Atheniensibus loquitur) ἡγέλοχον ἄνδρα τὸν παρὰ τοῖς πολλοῖς ἐπαινούμενον, *Ducem habebant Hegelochum virum inter ciues laudatum*, qui sex millia ducebat. Mihi hic alius videtur, Macedo, inquam, non Atheniensis. Olymp. 104.

DEOS DESPICIT, QVI POSTVLAT CREDI DEVS) & qui non pluris æstimet deos immortales, quàm mortales. Egregiè contra hanc diuinitatem infrà disputat l. 8. c. 12. Callisthenes, quem Alexander postea cum ingenti nominis sui infamia & gloriæ iactura occidit. Olymp. 112. anni 34.

A DIIS ADOPTABIMVR) vt filij alieni in clarorum virorum familias adoptantur, ita ad morem humanum etiamà dijs adoptabimur, vt Alexander, si viri sumus. Nam vt natura dij simus, vel hamus, fieri non potest.

QVIS PROAVVM HVIVS ALEXANDRI VLTVS EST) Carani primi regis Macedonum ex Heraclidis totam exequuntur stirpem Siculus, Africanus, Eusebius, Olympiadum descriptio. Attingunt *a* Liuius, *b* Iustinus, Velleius, *c* Pausanias, Solinus, Suidas, sed interruptè ponunt. A Carano ad Alexandrum M. alij ponunt reges (vt Africanus & Eusebius) XXIV. VTIV. & XX. sitipse Alexander. Velleius XIIX. Diodorus XIIX. nunc XX. nunc XXIV. sublatis alienis Amynta XIV. & Ptolemæo Aborite tantum XVI. vsque ad Alexandrum M. ex legitima stirpis successione relinquūtur. Diagramma seu indicem & tabulam ex Diodoro describit emendator temporum in thesauro Eusebiano, quem adibis. Eusebij syllabus etiam extat in Eusebio. Scal. in fine Isagog. p. 335. *a* li. 45. c. 9. *b* lib. 7. *c* ib. 9. in Bœoticis. *lib. 16. pa. 405. intra contex. 509.

Sed videndum, quomodo Alexander Amyntæ F. Philippi, patris Alexandri M. dicatur proauus Alexandri M. cum tantùm fuerit patruus eius, Philippi nempe patris frater. Amyntas enim Philippi pater, Amyntæ Aridæi F. trigeminos habuit liberos virilis stirpis ex Eurydice Illyride: Alexandrum, Perdiccam, & Philippum Alexandri M. Macedonis patrem: qui omnes ordine post Amyntā patrem regnarunt. Idem Amyntas auctore Iustino lib. 7, ex Cygæa alia coniuge tres itidem mares Archelaum, Aridæum, & Menelaum. Itaque patruus fuit, non proauus Alexander Amyntæ Filius, nec potest intelligi prior Alexander Amyntæ Alcetæ F. quia inter Alexandrum Amyntæ, & Alexandrum Alcetæ sex reges intercesserunt, nec præter Alexandrum M. & Amyntæ F. & Alcetæ fuit vllus Alexander in stirpe Carani. Alexandrum ego patruum Alexandri M. à Curtio proauum dictum censeo, non ordine natorum, sed regni administrati. Ita omisso Alorite, Alexander Amyntæ F. Philippi frater, Alexandri patruus, eiusdem est & proauus. Patruus, quia Philippi frater fuit. Proauus, quia ante Philipp. regnauit Perdiccas, auus ratione regni, patruus ratione sanguinis. Ante Perdiccam (omisso Ptolemæo) Alexander itidem patruus sanguine, auus ratione regni & regum. Alorites autem omittitur, quod non fuerit ex genere Carani.

VLTVS EST) nemo. Argumentum Hegelochi est: nemo Alexandrum insidijs matris circumuentum & occisum, nemo Archelaum, nemo Perdiccam fratres Alexandri, patruos Alexandri M. vltus est: occidamus & Alexandrum, perinde nobis feliciter res cedet. Archelaum autem & Perdiccam etiam Euridice mater, sed Archelai nouerca mactauit, quanquam Archelaum, *a* vt qui nunquam regnauit, Iustinus *b* omiserit; de alijs ita scribit. *Per ordinem deinde successionis, regnum Macedonæ ad Amyntam fratris eius Menelai filium peruenit. Hic quoque insignis industria, & omnibus Imperatorijs virtutibus instructus fuit: qui ex Eurydice tres filios sustulit, Alexandrum, Perdiccam, & Philippum Alexandri M. Macedonis patrem, & filiam Euryonem: ex Cygnæa autem Archelaum, Archideum, Menelaum. Cum Illyrijs deinde, & cum Olynthijs grauia bella gessit. Insidijs autem Euridices vxoris, qua nuptias generi pacta, occidendum virum, regnumq; adultero tradendum susceperat, occupatus fuisset, ni filia pellicatum matris & sceleris consilia prodidisset. Functus itaque tot periculis, senex decessit, regno maximo ex filijs Alexandro, tradito Igitur Alexander inter prima initia regni, bellum ab Illyrijs pacta mercede, & Philippo fratre dato obside, redemit. Interiecto quoque tempore per eundem obsidem cum Thebanis gratiam pacis reconciliat: quæ res Philippo maximo incrementa egregiæ indolis dedit. Siquidem triennio Thebis obses habitus, prima pueritiæ rudimenta, in vrbe seueritatis antiquæ, & in domo Epaminondæ summi & Philosophi & imperatoris deposuit. Nec multo post Alexander insidijs Eurydices matris appetitus occumbit, cui Amyntas in scelere deprehensa, propter communes liberos, ignarus eisdem quandoque exitiosam fore, pepercerat. Frater quoque eius Perdicca pari insidiarum fraude decipitur. Indignum prorsus, libidinis causa liberos à matre vita priuatos, quam scelerum suorum supplicijs liberorum contemplatio vindicauerat. Perdiccæ hoc indignior cædes videbatur, quod ei apud matrem misericordiam, nec paruulus quidem filius conciliauerat.* *a* Archelaus maior, qui regnauit in Macedonia, hospes Euripidis Perdiccæ filius, à Cratero quodā per imprudentiam in venatione occisus est. Siculus li. 14. pag. 261. Olymp. 95. anno 1. lit. D. Idē descriptio. Olympiadū an. 3. 92. li. 1. p. 74. ad orcam 356.

Reliquos autem omnes, præter Philippum, ab Eurydice interfectos infrà Iustinus quoque docet, cum scribit, *Vt est ingressus imperium, magna de illo spes omnibus fuit: & propter ipsius ingenium, quod magnum spondebat virum, & propter vetera Macedoniæ fata, quæ cecinerant, vno ex Amyntæ filijs regnante, florentissimum fore Macedoniæ statum: cui spei scelus matris hunc residuum fecerat. Principio regni, cum hinc cædes fratrum indignè peremptorum, inde hostium multitudo: hinc insidiarum metus, inde inopia continuis bellis & exhausti regni immaturam ætatem tyronis vrgerent*, & quæ sequuntur. Nec puto Curtium de accipiēdum. Sed de Amyntæ filio lōgè posteriore.

HIC QVIDEM INTERFECTORIBVS PATRIS IGNOVIT) Hic, Alexander inquam, quibus pepercit? Soli Alexādro Lyncistæ. *Iustinus, *Prima illi cura paternarum exequiarum fuit, in quibus ante omnia cædis conscios ad tumulum patris occidi iussit, soli Alexandro Lyncistarum fratri pepercit, seruans* *b* Iustin. l. 7. circa. med. *Lib. 11.

in

c.20. *in eo auspicium dignitatis suæ:nam regem eum primus salutauerat*. Et ipse Curtius lib.4. *Post hæc institit quærere*, Alexander ex Hammonis sacrificulo, *an omnes parentis sui interfectores pœnas dedissent, Sacerdos parentem eius negat vllius scelere posse violari : Philippi autem omnes interfectores luisse supplicia*.
Lib.9. Iustinus tamen etiam Olympiadem, adeoque ipsum Alexandrum conscium fuisse cædis Philippi testatur , imò Pausaniam percussorem Philippi ab Olympiade fuisse subornatum & immissum in Philippum conscio etiam ipso Alexandro. Quæ omnia Alexander dissimulauit. Iustinum adi li.11. post initium omnia disertè enarrantem.

VTRVMNE VINO GRAVATVS EFFVDISSET ILLA) quæ enim in vino dicuntur, aguntur, scribuntur, in vino relinquenda, & cum vino sepelienda sunt. Nec ebria pro serijs accipienda, sed dicta pro indictis, facta pro infectis habenda, recognosce quæ à nobis annotata sunt ad illos Marti-
Li 1.epig. 28. alis versus:

Et non sobria verba subnotasti,
Exemplo nimium periculoso.
Μισῶ μνήμονα συμπόταν Προκίλλε.

l.10,ep.48. Et ad illos:

Accedent sine felle ioci, nec mane timenda
Libertas, & nil quod tacuisse velis.
Nec facient quemquam pocula nostra reum.

Suspicati ergò Parmenio & Philotas Hegelochum de Alexandro per insidias interficiendo, in vino & ebrietate temerè effutiuisse, postridie accersitum rogarunt, meminissetne, quæ pridie inter cœnam & pocula dixisset? Et memorem se ostendit, & plura etiam pridianis adiecit. Itaque coniurationem inibi in caput Alexandri factam initamque, Philotas tortus affirmauit.

QVOD AD DYMNVM PERTINET, NIHIL SCIO) Negauit iterum Philota coniurationis vltimæ societatem cum Dymno, sed vltimis cruciatibus afflictus, etiam hanc non est infitiatus , reque ordine exposito, patrem huius prorsus exortem, ignarum, expertemque etiam atque etiam testatus est.

DEMETRIVS) Vnus è custodibus corporis, in cuius interfecti locum suffectus est Ptolemæus Lagi, ille, qui post Alexandri mortem in Aegypto regnauit. Et hæc quæ iam fassus est, & sequuntur, omnino ostendunt Philotam reuera reum fuisse, & non solum rerum omnium conscium, sed etiam auctorem, meritoque omnium iudicio damnatum, tortum, & interfectum, (si modò vera Curtius) patrem autem innoxium. Sed nihilominus propter consilium prius, & metum futuræ seditionis ac periculi, vt mox videbimus, interfectum.

OMNES ERGO A NICOMACHO NOMINATI) *Cauillari*, inquit Acidalius, *Curtium hic negligentia possit, qui dicat à Nicomacho nominatos omnes supplicio affectos. Id verò falsum, ac duplici quidem modo. Nec enim illi omnes, neque rursus ij tantum. Primũ non omnes. Impuris enim Amyntas, qui superius & ipse à Dymno inter conscios Nicomacho detectus. Et verisimile, quotquot ab illo Nicomachus hic acceperat, eorũ neminẽ subtraxisse, vt nec addidisse quẽquã, de quo alter forte tacuisset. Ille autẽ suprà: Simul gratulatur quod fortissimus iuuenũ non dubitasset se adiungere Demetrio corporis custodi, Peucolao, Nicanori. Adijcit his Aphebetum, Loceum, Diogenem, Archepolim, Amyntam . Hic postremus certè libro deinceps causam pro se dicit, & absoluitur. Ac suspicari liceat, præter hunc alios etiam fortasse nonnullos iudicium ac supplicium effugisse: de quibus quidquid sit, Amyntas certè palàm non vna interemtus . Non igitur omnes prorsus, qui à Nicomacho nominati. Iam neque illi tantùm. Nam etiam Philotas ipse & Calis : quos manifestum item est ab indice nequaquam nominatos. Quid verbis igitur istis ancipitibus faciemus ? Excidisse Curtio imprudenti ipsi credemus, an fraudem hanc ei librarios fraudos? Huc inclinem magis: at emendationem quam opportunam inueniemus? Audacia magna vtendum sit: quam ego huiusmodi vix mihi permiserim*, à Macedonibus damnati. *Mos quidem ille Macedonum vetustus, vt ipsorum cognitio esset , quem & noster ipse nos docuit hoc libro: De capitalibus rebus vetusto Macedonum modo inquirebat exercitus : in pace erat vulgi. Nihil potestas regum valebat, nisi prius valuisset* (nescio quid occulti hic mendi) *auctoritas. Itaque & Alexander, Macedones*, inquit, *de te iudicaturi sunt : & ipsi Macedones Philotam inquinare innoxios velle suspicabantur. Sed vtrunque hoc firmemus, à recepta lectione nimium recedit. An ergo potius ? Omnes ergo etsi à Nicomacho non nominati. Sic omnem facillimè eludamus obiectionem, neque Curtium tamen scripsisse sic facilè probemus. Alij viderint hoc. ad reliqua nos properamus.*


Duplex hic in Curtio (certè non à Curtio) peccatum, quod Acidalius quoquo modo castigare conatus est. Primum, quod omnes à Dymno nominatos, affirmet signo dato saxis obrutos, cùm Amyntas fuerit absolutus . Deinde, quod præter hos à Dymno delatos etiam Philotas & Calis sint occisi. Primum Acidalius librariorum vel operarum fraude errorem admissum, qui Amyntam adiecerint, vel certè Curtio imprudenti excidisse. Labes has duobus modis emaculare studet, è quibus tamen ille neuter satis (nec immeritò) placet. Nam in vicem illorum Curtij verborum *à Nicomacho nominati* ista substituit, *à Macedonibus damnati*: sed quia à Curtio longius abeunt , aliter emendauit. Omnes ergo *etsi* à Nicomacho *non* nominati. Duas vt vides voculas ad Curtium adiecit, *etsi* & *non*: neque tamen Curtium ita scripsisse facilè, inquit, probemus. itaque concludit , Alij viderint hoc.

Ego

Ego sic existimo, vel nullum omnino in his Curtij verbis errorem inesse, vel per aliquem sciolum adiectam vocem *Amyntam*, quod & ille postea sit in iudicium productus, quamuis absolutus. Nullus error erit, si dixerimus, Amyntam alium fuisse à Nicomacho nominatum, non hunc iudicio absolutum, sed cum reliquis damnatum & occisum, adeoque hos duos tantum cognomines fuisse, non vnum atque eundem. Multi enim eadem tempestate Amyntæ fuerunt, & crebrum apud Macedones nomen Amyntæ, quod suprà demonstrauimus. Et hic inter coniuratos Nicanor etiam exprimitur. cum & Parmenionis filius paullò ante extinctus Nicanor diceretur, & alius rursus infrà Nicanor egregius bellator laudatur, sicut & multi Attali. Erit ergo hic vel ὁμωνυμία, vel certè Amyntæ nomen glossæ caussa ab imperito adiectum. Nam hunc Amyntam, qui absolutus est l.7.c.1. hic nullo modo Curtius intellexit, quod vel inde certissimè constat. primùm quod occiso demum Dymno, & Philota sub quæstione laborante, hic captus sit, ex eo maximè, quod frater eius natu minimus Polemon cum alijs profugerit, & suspicionem coniurationis Alexandro & Alexandri amicis iniecerit, non quod à Dymno nominatus sit. Deinde, quod nec in accusatione Alexandri vlla mentio facta sit Dymni, quasi Amyntæ nomen ediderit, nec Amyntas in caussa dicenda vllum de Dymni delatione vel indicio verbum fecerit, quod tamen inprimis graue fuisset argumentum, & solutu difficillimum, quodque Philotas maximè in sua defensione vrsit. Vel ergo alius fuit Amyntas huic cognominis, vel ab librario adiectus. Omnes autem à Nicomacho nominatos, ait interfectos, non propter Calin & Philotam, de quibus iam per se constabat, sed Demetrium custodem corporis, qui ad id vsque temporis pernegarat, se vel socium vel conscium fuisse coniurationis, quod ex Curtio apertè constat, qui docet, productum Demetrium multa affirmatione & animi constantia vultusque nutibus abnuisse, quicquam sibi in regem cogitatum esse; donec per Calin proditus cum alijs quoque, lapidibus est tumulatus. Ergo omnia Curtij verba benè habent, nec à Curtio quicquam peccatum vel erratum; sed Amyntas vel alius fuit, vel per imperitum librarium insertus, & in Curtium, præter mentem Curtij, admissus. Itaque Acidalij emendationem nihil hic moramur.

Atque hæc finis tragici huius libri, qui tamen comicum, quà de salute Alexandri, sortitus est exitum.

FINIS LIBRI SEXTI.






Q. CVRTII RVFI

HISTORIARVM ALEXANDRI MAGNI MACEDONIS

LIBER SEPTIMVS.

SYNOPSIS HVIVS LIBRI.



Ynceſten Alexander maieſtatis damnat, Amyntam & Symam ac Polemonem fratres ſuſpectos abſoluit, Parmenionem per Polydamanta occidit, alios atque alios populos bello domat: Caucaſum ſuperat: Beſſum tyrannum dolo captum Oxatri necandum tradit. Brancidarum vrbem funditus euertit. Ad Tanaim, vt putatur, accedit, Alexandriam ibi condit, Scythis bellum facere cogitat. Menedemus cum ſuis copijs cæditur, Scytharum legatus perorat apud Alexandrum, qui traiecto flumine Scythas vincit, victis parcit, Sagæ deduntur, Sogdiani iuuenes dicti, triumphant, ſupplicio liberantur. Beſſus mactatur. Petra expugnatur, Arimazes in crucem agitur.

CAPVT I.

ARGVMENTVM.

Serò Macedones deſiderant quem occiderant. Fiũt alij rei, partim damnantur, partim abſoluuntur.



Hilotam ſicut recentibus ſceleris eius veſtigijs iure affectum ſupplicio cenſuerant milites, ita poſtquam deſierat eſſe quem odiſſent, inuidia in miſericordiam vertit. Mouerat & claritas iuuenis, & patris eius ſenectus atque orbitas. Primus Aſiam aperuerat regi, omnium periculorum eius particeps: ſemper alterum in acie cornu defenderat, Philippo quoque ante omnes amicus, & ipſi Alexandro tam fidus, vt occidendi Attalum non alio

ullo ministro uti mallet. Horum cogitatio subibat exercitum, seditiosaq; voces referebantur ad regem: quis ille haud sane motus satisq; prudens otij vitia negotio discuti. educi vs omnes in vestibulo regis praesto iubet: quos vbi frequentes adesse cognouit, in concionem processit, haud dubie ex composito. Aphareas postulare coepit, vt Lyncestes Alexander, qui multo antè quã Philotas, regem voluisset occidere, exhiberetur. A duobus indicibus (sicut supra diximus) delatus, tertiũ iam annum custodiebatur in vinculis. Eundẽ in Philippi quoq; caedem coniurasse cum Pausania pro comperto fuit: sed quia primus Alexandrum regem salutauerat, supplicio magis quàm crimini fuerat exemptus. Tum quoq; Antipatri soceri eius preces iustã regis iram morabantur. Caeterum recruduit sopitus dolor, quippe veteris periculi memoriam, praesentis cura renouabat. Igitur Alexander ex custodia educitur, iussusq; dicere, quamquam toto triennio meditatus erat defensionem, tamen haesitans & trepidus, pauca ex ijs quae composuerat, protulit: ad vltimum non memoria solum, sed etiam mens eum destituit. Nulli erat dubium, quin trepidatio conscientiae indicium esset, non memoriae vitium. Itaque ex ijs qui proxime astiterant, obluctantem adhuc obliuioni lanceis confoderunt: cuius corpore ablato, rex introduci iussit Amyntam & Symam. nam Polemon minimus ex fratribus, cum Philotam torqueri comperisset, profugerat. Omnium Philotae amicorum hi charissimi fuerant, ad magna & honorata ministeria illius maximè suffragatione producti: meminerat que rex summo studio ab eo cõciliatos sibi. Nec dubitabat huius quoque vltimi consilij fuisse participes. Igitur olim sibi esse suspectos matris suae literis, quibus esset admonitus, vt ab his salutem suam tueretur. caeterum se inuitum deteriora credentem, nunc manifestis indicijs victum iussisse vinciri. Nam pridie quam detegeretur Philotae scelus, quin in secreto cum eo fuissent, non posse dubitari. Fratrem verò, qui profugerit cum de Philota quaereretur, aperuisse fugae caussam. Nuper praeter consuetudinem officij specie, amotis longius caeteris admouisse semetipsos lateri suo nulla probabili caussa, seque mirantem, quod vice non sua tali fungerentur officio, & ipsa trepidatione eorum perterritum, strenue ad armigeros, qui proxime sequebantur, recessisse. Ad hoc accedere, quod cum Antiphanes scriba equitum, Amyntae denunciasset pridie quam Philotae scelus deprehensum esset, vt ex suis equis more solito daret ijs qui amisissent suos, superbe respondisse, nisi incepto desisteret, breui sciturum quis ipse esset. Iam linguae violentiam temeritatemq; verborum, quae in semetipsum iacularẽtur, nihil aliud esse quàm scelesti animi indicem ac testem: quae si vera essent, idem meruisse eos quod Philotam, si falsa exigere ipsum vt refellant. Productus deinde Antiphanes de equis non traditis, & adiectis etiam superbe minis indicat: ac tum Amyntas facta dicendi potestate. Si nihil, inquit, interest regis peto, vt dum dico, vinculis liberer. Rex solui vtrumq; iubet, desideranti q; Amyntae, vt habitus quoque redderetur, armigero lanceam dare ei iussit: quã vt laeua comprehendit, euitato eo loco in quo Alexandri corpus paullo antè iacuerat. Qualiscunque, inquit, ex tuis non manet rex, confitemur prosperum tibi debituros, tristiorem fortunae imputaturos, sine praeiudicio dicimus caussam, liberis corporibus animisq;: habitum etiam in quo te comitari solemus, reddidisti. Caussam non possumus, fortunam timere desinemus. Et quaeso, permittas mihi ad primum defendere quod à te vltimum obiectum est. Nos, rex, sermonis aduersus maiestatem tuam habiti nullius conscij sumus nobis. Dicerem iam pridem vicisse te inuidiam, nisi periculum esset, ne alia malignius dicta crederes blanda oratione purgari. Caeterùm etiamsi militis tui vel in agmine deficientis & fatigati vel in acie periclitantis, vel in tabernaculo aegri & vulnera curantis, aliqua vox asperior esset excepta, merueramus fortibus factis, vt malles ea tẽpori nostro imputare quã animo. Cũ quid accidit tristius, oẽs rei sunt: corporibus nostris, quae vtiq; non odimus, infestas admouemus manus: parentes liberis occurrant & ingrati & inuisi sunt. Cõtra cũ donis honoramur, cũ praemijs onusti reuertimur, quis ferre nos potest? quis illã animorũ alacritatẽ continere? Militantiũ nec indignatio nec laetitia moderata est. Ad oẽs affectus impetu rapimur. vituperamus, laudamus, miseremur, irascimur, vtcunque praesens mouit affectio. Modò Indiã adire & Oceanũ libet. modò cõiugũ & liberorũ patriaeq; memoria occurrit. Sed has cogitationes, has inter colloquẽtium vices signũ tuba datũ finit. In suos quisq; ordines currimus, & quicquid irarũ in tabernaculo cõceptũ est, in hostiũ effunditur capita. Vtinã Philotas quoque intra verba peccasset. proinde vt ad id praeuertar, propter quod rei sum⁹. Amicitiã quae nobis cũ Philota fuit adeo nõ inficior, vt expetisse quoq; nos, magnosq; ex ea fruct⁹ percepisse cõfitear. An verò Parmenionis, quẽ tibi proximũ esse voluisti, filium, oẽs pene amicos tuos dignatione vincẽtẽ, cultũ à nobis esse miraris? Tu hercule (si verum audire vis) rex, hui⁹ nobis periculi caussa es. quis enim alius effecit, vt ad

Philotam decurrerent, qui placere vellent tibi? Ab illo traditi, ad hunc gradum amicitiæ tuæ ascendimus. Is apud te fuit, cuius & gratiam expetere, & iram timere possemus. an non pridem in tua verba tui omnes te præeunte iurauimus, eosdem nos inimicos amicosque habituros esse, quos tu haberes? hoc sacramento pietatis obstricti auersaremur scilicet, quem tu omnibus præferebas. Igitur si hoc crimen est, paucos innocentes habes, imò hercule neminem. Omnes enim Philotæ amici esse voluerunt: sed totidem quot volebant, esse non poterant. Ita si à conscijs amicos diuidis, nec ab amicis quidem separabis illos qui idem esse voluerunt.

Quod igitur conscientiæ affertur indicium? opinor, quia pridie familiariter & sine arbitris locutus est nobiscum. At ego purgare non possem, si pridie quidquam ex vetere vita ac more mutassem. Nunc verò si id vt omnibus diebus, illo quoque qui suspectus est, fecimus, cõsuetudo diluet crimen. Sed equos Antiphani non dedimus: & pridie quam Philotas detectus est, hæc mihi cum Antiphane res erat. qui si nos suspectos facere vult, quod illo die equos non dederim, semetipsum quod eos desiderauerit, purgare non poterit. Anceps enim crimen est inter retinentem & exigentem, nisi quod melior est caussa suum non tradentis, quam poscentis alienum. Ceterum, rex, equos decem habui, è quis Antiphanes octo iam distribuerat ijs, qui amiserant suos. Omnino duos ipse habebam, quos cum vellet abducere homo superbissimus, certè iniquissimus, nisi pedes militare vellem, retinere cogebar. Nec inficias eo, liberi hominis animo locutum esse me cum ignauissimo, & hoc vnum militiæ suæ vsurpante, vt alienos equos pugnaturis distribuat. Huc enim malorum ventum est, vt verba mea eodem tempore & Alexandro excusem & Antiphani. At hercule mater de nobis inimicis tibi scripsit. Vtinam prudentius esset solicita pro filio, & non inanes quoque species anxio animo figuraret. Quare enim non ascribit metus sui caussam? Denique non ostendit auctorem, quo facto dictoue nostro mota, tam trepidas tibi literas scripsit. O miseram conditionem cui forsitan non periculosius est tacere quàm dicere. Sed vtcunque cessura res est, malo tibi defensionem meam displicere, quàm caussam. Agnosces autem quæ dicturus sum: quippe meministi, cum me ad perducendos ex Macedonia milites mitteres, dixisse te, multos integros iuuenes in domo tuæ matris abscondi. Præcepisti igitur mihi, ne quem præter te intuerer, sed detrectantes militiam perducerem ad te. Quod equidem feci, & liberius quàm expediebat mihi exsecutus sum imperium tuum. Gorgiam & Hecatæum & Gorgatam, quorum bona opera vteris, inde perduxi. Quid igitur iniquius est, quàm me, qui si tibi non paruissem, iure daturus fui pœnas, nunc perire quia parui? Neque enim vlla alia matri tuæ persequendi nos caussa est, quàm quod vtilitatem tuam muliebri præposuimus gratiæ. Sex millia Macedonum peditum, & IↃC. equites adduxi: quorum pars secutura me non erat, si militiam detrectantibus indulgere voluissem. Sequitur ergo, vt quia illa propter hanc caussam irascitur nobis, tu mitiges matrem, qui iræ eius nos obtulisti. Dum hæc Amyntas agit, fortè superuenerunt, qui fratrem eius Polemonem, de quo antè est dictum, fugientem consecuti, vinctum reducebant. Infesta concio vix inhiberi potuit, quin protinus suo more saxa in eum iaceret. Atque ille sanè interritus: Nihil, inquit pro me deprecor, modo ne fratrum innocentiæ fuga imputetur mea. Hæc si defendi non potest, meum crimen sit. Horum ob idipsum melior est caussa, quod ego qui profugi, susceptus sum. hæc eloquuto vniuersa concio assensa est. Lacrymæ denique omnibus manare cœperunt, adeo in contrarium repentè mutati, vt solum pro eo esset, quod maximè læserat. Iuuenis erat primo ætatis flore pubescens, quem inter equites tormentis Philotæ conturbatos, alienus terror abstulerat. Desertum eum à comitibus, & hæsitantem inter reuertendi fugiendique consilium, qui secuti erant, occupauerunt. Is tum flere cœpit, & os suum conuerberare, mæstus nõ ob suam vicem, sed propter ipsum periclitantium fratrum: mouerat atque iam regem quoque, non concionem modò, sed vnus erat implacabilis frater, qui terribili vultu intuens eum: Tum, ait, demens lachrymare debueras, cum equo calcaria subderes, fratrum desertor, & desertorum comes. miser quo & vnde fugiebas? effecisti vt reus capitis accusatoris vterer verbis. Ille peccasse se, sed grauius in fratres, quam in semetipsum, fatebatur. Tum verò neque lacrymis, neque acclamationibus quibus studia sua multitudo profitetur, temperauerunt. Vna vox erat pari emissa consensu, vt insontibus & fortibus viris parceret. Amici quoque data misericordiæ occasione consurgunt, flentesque regem deprecantur. Ille silentio facto, Et ipse, inquit, Amyntam mea sententia fratresq; eius absoluo. Vos autem iuuenes malo beneficij mei obliuisci, quam periculi vestri meminisse. Eadem fide redite in gratiam mecum, qua ipse vobiscum reuertor. Nisi quæ delata essent excussissem, valdè dissimu-

simulatio mea suspecta haberi potuisset. Satius est purgatos esse, quam suspectos. Cogitate neminem absolui posse, nisi qui dixerit caussam. Tu Amynta ignosce fratri tuo, erit hoc simpliciter etiam mihi reconciliati animi tui pignus.

POSTQVAM DESIERAT ESSE QVEM ODISSENT, INVIDIA IN MISERICORDIAM VERTIT) Nempè, desiderio expleto animus mutari solet. Hoc Alexander in Clito interfecto multis lacrymis longaque pœnitudine ostendit, & Athenienses cum Isocratem innocentem propinatâ cicuta ad mortem adegissent, tantopere doluerunt, vt publico edicto sanxerint, ne quis publicè nomen Isocratis enunciaret, ne scilicet in populo motus fieret. quod Euripides veritus, ita cautè rem aggressus est, vt & populo cædem innocentis publicè obijceret, & tamen legem non violaret. Itaque Palamedem scripsit, docuitque, & in eius persona exclamauit. Gyrald. in vita Eurip. p. 265.

*ἐκάνετε ἐκάνετε τὸν βέλτιστον ἑλλήνων

Occidistis, occidistis optimum Græcorum. * ἐκάνετε.

Quæ verba cum auditores quorsum pertinerent, intellexissent, omnes certatim in lacrimas ierunt, totumque theatrum inundarunt.

PATRIS SENECTVS ET ORBITAS) annum agebat septuagesimum Parmenio, tribus clarissimis filijs in Asia & Aegypto amissis, Hectore, Nicanore, Philota.

PRIMVS ASIAM APERVERAT REGI) Philippi patris Alexandri missu. Siculus ἐπὶ δὲ τούτων, Li. 16. p. φίλιππος ὁ βασιλεὺς ἡγεμὼν ὑπὸ τῶν ἑλλήνων καθεσταμένος, καὶ τὸν πρὸς πέρσας πόλεμον ἐνστησάμενος, Ἄτταλον 479. μὲν καὶ Παρμενίωνα προαπέστειλεν εἰς τὴν Ἀσίαν, μέρος τῆς δυνάμεως δοὺς, καὶ προστάξας ἐλευθεροῦν τὰς ἑλληνίδας Annal Olymp. 111. πόλεις. *Hoc anno Philippus rex summus belli dux à Græcis factus, bellum Persicum inchoauit, ac statim Attalum & Parmenionem, cum parte copiarum & mandatis, vt vrbes ibi Græcas liberarent, in Asiam præmisit.*

OMNIVM PERICVLORVM PARTICEPS SEMPER ALTERVM IN ACIE CORNV DEFENDERAT) In prælio ad Granicum, ad Issum, ad Gaugamela seu Arbela, vt è Siculo, Arriano, Curtio appaaret.

PHILIPPO ANTE OMNES AMICVS) Quanti fecerit Parmenionem Philippus docet in apophthegmatis Plutarch. qui Ἀθηναίους μὲν οὖν μακαρίζειν ἔλεγεν, εἰ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν αἱρεῖσθαι δέκα στρατηγοὺς εὑρίσκουσιν. αὐτὸς γὰρ ἐν πολλοῖς ἔτεσιν ἕνα μόνον στρατηγὸν εὑρηκέναι Παρμενίωνα. *Philippus Atheniensium laudabat fortunam, qui quotannis decem imperatorum deligendorum copiam haberent: se dicebat intra multos annos vnum modo ducem repperisse Parmenionem.* Habes eiusdem Parmenionis nobilissimum æternumque hic infrà c. 11. Elogium apud Curtium. Defendit etiam hunc Clitus in conuiuio, sed cum suo exitio. Est ironia & irrisio, 2

OCCIDENDI ATTALVM NON ALIO MINISTRO VTI MALLET) Hoc quidem etiam infrà Hermolaus affirmat: *Parmenio, inquit, in dicta caussa trucidatus est, per quem Attalum occideras. In vicem enim miserorum vteris manibus ad expetenda supplicia: & quos paullò antè ministros cadis habuisti, subito ab alijs iubes trucidari.* Diodorus non à Parmenione cæsum, sed ab Hecatæo affirmat τοῦ δ' ἐγχειρήσαντος κατὰ τὰς τοῦ βασιλέως ἐντολὰς δολοφονήσαντος τὸν Ἄτταλον. Parmenionem idem Siculus optime affectum erga Alexandrum fuisse testatur, quo indignior cædes eius fuit. l. 8. c. 25. l. 17 p. 487. ad oram p. 563.

LYNCESTES ALEXANDER) Apharias vnus è ducum numero instinctu Alexandri petijt, vt Alexander Lyncestes, quod eadem illius caussa crimenque cum Philota & Dymno esset, in iudicium adduceretur, Lyncestes non quidem tum coniurauerat, quia iam tertium annum in vinculis hanc ipsam ob caussam detinebatur, sed iam olim deprehensus, & in patris etiam Philippi cæde versatus. De hoc infrà Alexander apud Curtium: *Lyncesten verò Alexandrum bis insidiatum capiti meo à duobus iudicijs liberaui, rursus conuictum, per biennium* (an triennium?) *tamen distuli.* (Antipatro pro genero deprecante.) Iustinus de coniuratione, & cæde patris: *soli Alexandro Lyncistarum fratri pepercit*, & quæ sequuntur. Li. 8. c. 16.

A duobus indicibus (vt suprà dictum est) nusquam id suprà dixit, in ijs quæ extant. dixit ergo libro primo vel secundo, si tamen secundus deest. In hac re nobis Siculus veniat suppetias. *Per idem, inquit, tempus mater regis tum de alijs, quæ commodo fore putabat, tum quod Alexandrum Lyncestam cauere operæpretium foret, per literas eum admonuit. Erat is fortitudine præstans animique generosi plenus, & inter cæteros amicos Alexandrum comitantes fidei non postremæ. Cum igitur multa etiam alia criminationi non dissentanea concurrerent, captus ille & constrictus, dum quæstio super eo habeatur, custodiæ traditus fuit.* p. 511. f. vel in cõtextu 578.

LANCEIS CONFODERVNT) Siculus: *Quo etiam supplicio affectus est Alexander Lyncestes, conspirationis in regem accusatus. Is iam triennium in custodia detentus fuerat. Nam hucusque propter necessitudinem, quæ cum Antigono ipsi intercedebat, cognitio erat prorogata. Tunc verò ad iudicium senatus Maced. eductus, cum verbis ad sui defensionem destitueretur, trucidatus fuit.* Huius cædem Hermolaus quoque Alexandro obiecit: *Attalus & Philotas, & Parmenio, & Lyncestes Alexander, & Clitus, quantum ad Hostes, viuunt.* p. 551. vel in contex. 604 * Curtius li. 8 c. 15.

INTRODVCI IVSSIT AMYNTAM ET SIMAM, NAM POLEMON MINIMVS EX FRATRIBVS

lib.3.pag. 343.in 8. tribus profugerat) Arrianus addit Attalum quartum fratrem : pro *sima* , simia dixit Arrianus.
Hic autem Amyntas è suis clarissimus Andromene patre natus , magnus & illustris Alexandri
prætor fuit , qui paullò antè concionem in Philotam incitarat lib.6.c.17. Caussas porrò , quibus
Alexander ductus, Amyntam comprehendi iussit, Arrianus vix vnam aut alteram leuiter indicat,
1. Curtius complures, qui & defensionem Amyntæ nobilem adiungit. Suspectum fecit primum A-
2. myntam cum fratribus intima cum Philota familiaritas, qua magnos honorum gradus ascenderat.
Deinde, literæ Olympiadis matris , quibus filium regem admonuit , ne salutem suam Amyntæ
3. crederet , sed ab illo sibi diligenter caueret . Accedebat quod suspicionem magnopere auge-
bat , Amyntam pridie quàm Philotæ scelus proderetur , cum illo in secreto fuisse , fratrem e-
4. tiam Polemonem, dum Philotas torqueretur, profugisse , ipsumque facto ipso fugæ caussam ape-
5. ruisse . Nuper etiam Amyntam cum fratribus extra ordinem se ad regis latus applicuisse , ipsum-
6. que regem admiratum ad armigeros suos recessisse . Præterea , Amyntam Antiphani equitum
7. scribæ petitos equos negasse, & superbè eidem , ambigueque respondisse . Postremò, insolentia
verba in ipsum regem iactata , indices & testes esse consciæ mentis & animi scelesti . Has sus-
picionum rationes & caussas Amyntas veris rationibus constantissimè refellit , ac penitus diluit,
seque suosque omni suspicione exemit. Et locus hic insignis est , atque doctoribus auditoribus-
que eloquentiæ notandus quo docetur , quomodo caussæ anceps & ambigua quæstio tractanda &
expedienda sit.

Si nihil interest regis) Si nihil demitur additurque regis auctoritati , dignitati, maiestati, quo habitu dicam, mea verò plurimum interest, quo ore, vultu , cultuque respondeam, quod ex his notis conscientia quodammodo deprehendi possit; cupio ergo corporis habitum bonæ conscientiæ & innocentiæ respondere , atque vt animus ab sceleris cogitatione liber est, ita corporis etiam cultus, vestis, arma, liberæ manus, adeoque armatæ vti militem decet, animi statum repræsentent.

Prosperum) si absoluamur.

Tristiorem) si damnemur.

Sine praeiudicio dicimus caussam) Ab nullo ante nec publicè, nec priuatim damnati, nullius sententia, contra quàm Philotæ viuuenit, iugulati . Ex hoc etiam loco discas Amyntam nec à Dymno, nec à Nicomacho nominatum , ac proinde libro superiore nomen Amyntæ c.14. è coniuratis eximendum, vel cognominem aliquem intelligendum , complures enim fuére & Amyntæ.

Fortunam timere desinemus) cognitâ nostrâ innocentiâ & caussâ explicata , argumentis dilutis, nihil erit, quod infælicem caussæ euentum formidemus.

Permittas mihi id primum defendere, quod a te vltimum obiectum a.de Orat. est) Ordinem & collocationem rerum & locorum Ciceró duplicem facit, alteram, quam adfert natura caussarum, alteram quæ oratorum iudicio & prudentia comparatur . Hic Amyntas , vt non malus orator suo iudicio vsus est, inuerso naturæ ordine primo ad vltimum respondet . Vltimum erat, quod insolentia & superba quædam verba in ipsum regem iactasset , quæ consciam mentem & scelestum animum propè certò demonstrarent . Nullam sibi Amyntas obiectam criminis speciem negat, sed vel ingeniosè defendit, vel caussam facti adfert, non solum probabilem , sed propè euidentem & certam, quam etiam conscientia recta dictabat.

Defendere) crimen obiectum depellere, sicut hostem defendere, vel ostendere in dicto vel facto nullum fuisse crimen.

Dicerem iam pridem vicisse te invidiam) Maiorem te inuidiâ dicerem, vt quem inuidia nullius amplius lædere possit , omnes enim mortales virtutibus tuis regijs multis partibus superasti, solus quippe fortis & fœlix inuidiam ferre & vincere potest. Sed vereor , ne, dum hæc quamuis vera prædicem, adulari tibi potius, & atrocia, vt videntur, in te iactata verba adulatione ista mea eludere & eblandiri velle videar. Sed res ita habet. Quãuis multa sæpè & insolentia verba per indignationem effuderim, quod equidem non inficior , sed nullum tamen ex omnibus pertinuit vel ad regiam tuam maiestatem diminuendam, vel coniurationem ineundam . Verba autem eiusmodi fuére, quæ non mihi tantum, sed cuiuis possint excidere, dum vel malè habet , vel deficit in agmine, vel fatigatione debilitatus æger iacet in tabernaculo, vel vulnera curat. Sed ista tempori, non animo sunt adscribenda. Amplificat hæc elegantissimè sequentibus verbis Amyntas. nec opus illa quæ per se lucent, pluribus illustrare: nisi exemplis. Modestè Pyrrhus suorum subiectorum conuitia tulit, de quo Val. Max. *Aeque mitis animus Pyrrhi regis, Audierat quosdam Tarentinorum* Val. Max. Lib.5.c.1. p.114. *in conuiuio parum honoratum de se sermonem habuisse, accersitosque, qui ei interfuerant , percontabatur, an ea quæ ad aures eius peruenerant, dixissent. Tum ex his vnus: Nisi, inquit, vinum nobis defecisset, ista quæ* Plutarch. in Pyrrho. *tibi relata sunt, præ ijs quæ de te locuturi eramus, lusus ac iocus fuissent. Tam vrbana crapulæ excusatio tamque simplex veritatis confessio, iram regis conuertit in risum. Qua quidem clementia & moderatione assecutus est, vt & sobrij sibi Tarentini gratias agerent, & ebrij benè precarentur.*

Vtinam Philotas qvoqve intra verba peccasset) Quæ tamé forti peraoimo

per

per totum septennium tulisti & contempsisti. At ille auctor coniurationis indicium oppressit, & ad facinus ipsum est progressus.

VT AD ID REVERTAR) Acidalius, *Emendandum, inquit, præuertar. Non redibat ad id, sed accedere tam primum volebat, quod esset potius. In hoc autem significatu receptum illud verbi lib. 6.* Ad verum crimen & ad vnum præuertendum mihi est. *Sic enim ibi rectè Modius, cum vulgò item* reuertendum *Columell a exemplum ille dat: vbique obuia plura: & habe tamen hic etiam ista pauca. Tac. Annal. 2.* sed præuerti ad Armenios instantior cura fuit. *Plin. lib. 5. ep. 15.* In infinitum epistolam extendam, si gaudio meo indulgeam. Præuertor ad ea quæ me agentem hic nuntius deprehendit. *Apuleius Apolog.* Nunc tempus est ad epistolas Pudentillæ præuerti. p. 87.

Sed vetus scriptura meo quidem sensu in omnibus exemplaribus expressa, non videtur improba nec damnanda. respicit enim vox *reuertar* ordinem argumentorum, à quo Amyntas recesserat, & primò ad vltimum respondit, & ab vltimo ad primum rediit. Auctor veterem scripturam probat.

PROPTER QVOD REI SVMVS) propter enim verba quædam asperiora iam diluta & defensa, rei esse non possumus, quod nihil ad cædem, nihil ad maiestatem regis lædendam pertinerent.

AMICITIAM, QVAE NOBIS CVM PHILOTA FVIT) Regreditur ad primam obiectionem. Hoc enim primum Amyntæ crimen ab Alexandro obiectum fuit, quod ille confitendo, negat crimen fuisse, caussasque familiaritatis plures adfert, amicitiam ipsius regis, honores & dignitates, quas per amicitiam Philotæ se adeptum fatetur. Demum argumentum concludit, si propterea hostis sum regis, quod amicus fuerim Philotæ, omnes amici Philotæ, regis hostes erunt. Plerique omnes enim in amicitiam Philotæ se insinuarunt, vt per ipsum ad tuam amicitiam aspirarent. *Amicitia Philota*, inquit Acidalius, *si crimen est, pauci tuorum extra crimen, imò nemo. quippe idem in hac caussa, fuisse amicum eius & esse voluisse. Iam omnes idem esse eodem studio affectarunt. Ita si conscios habes, qui amici, & necesse est eosdem habeas & qui non amici. Et te & voluntate amici iidem, si iidem & conscii, omnes ergò tui conscii. Variè sensum hunc efferre possis: in quo pulcra ingenii exercendi occasio. Vsi ea nos sumus, & cum auctore velut certauimus, an rotundius possemus.* pag. 87.

IN TVA VERBA TVI OMNES TE PRAEEVNTE IVRAVIMVS) Eundem morem Lacedæmonii seruarunt in sacramentis militaribus exigendis, vti docet Alexander Neapolitanus. l. 5 c. 20. De variis verò iurandi formulis, quas in militia Romani vsurparunt, docet idem eodem loco & Lips. dial. 6. de militia Romana, & Brissonius * æquè copiosè in formulis suis; Vegetius l. 2. c. 5. Stevvechius ad eund. Vegetii locum. * li. 4. pag. 539.

ITA SI A CONSCIIS AMICOS NON DIVIDIS) mens horum verborum (quæ subtilem & fortasse quibusdam obscurum videbuntur habere sensum) ista est: Affirmarat prioribus verbis, si pro crimine iudicandum sit, fuisse amicum Philotæ, nemo innocens erit, quia omnes voluerunt esse ipsius amici, quamuis non omnes potuerint. Hoc confirmat iam sequentibus verbis: Ita, inquit Amyntas, nisi à consciis & coniuratis separaueris amicos, non poteris amicos separare ab iis qui amici Philotæ esse voluerunt; idem enim crimen, *esse amicum*, & *velle esse*, quamuis non possis. Sicut eadem virtus est, velle pro rege in prælio vel periculo regis occumbere, & occumbere. Itaque nemo exors criminis erit, quod amici Philotæ fuerint, rei sint, omnes enim amici illius esse voluerunt.

QVOD IGITVR CONSCIENTIAE AFFERTVR INDICIVM?) Cum ergo amicitia cũ Philota habita non sit indicium coniurationis, (nam alioquin nemo innocens foret,) oportet vt aliæ notæ & signa coniurationis proferantur. Hoc est, inquit Alexander, quod pridie quam coniuratio detegeretur, secretò Philotas solus cum solis Amynta & fratribus collocutus sit. Respondet Amyntas hoc nihil noui fuisse, quod solus cum solo locutus sit, quotidie ferè id antea pro vsu & familiaritate factitatum, ac proinde nullum esse posse coniurationis indicium, cum colloquium id esset propè quotidianum. consuetudo ergo ostendit nihil tum etiam singulare cogitatum, vel consultum, vel meditatum.

EQVOS ANTIPHANI NON DEDIMVS) Non respondet Amyntas ordine ad obiecta crimina, sed pro iudicio & vsu suo, quod oratores solent & docent. Antiphanes, vti supra didicisti, scriba equitum, πολυπράγμων & valdè negotiosus, vt hoc genus hominum solet, iam octo equos Amyntæ abduxerat, ausus etiam reliquos duos impudentius petere, quem Amyntas pro meritis excepit, & abegit. Hoc questus & dolens Antiphanes, conatus est Amyntam etiam infamia coniurationis inquinare, à se egregiè purgauit.

SEMETIPSVM, QVOD EOS DESIDERARIT, PVRGARE NON POTERIT) Quamobrem? quia si ego retinendo equos suspectus sui, quasi voluerim equis effugere supplicium, suspectus erit etiam Antiphanes eos eodem die petendo, perinde quasi & ipse voluerit indicium effugiendo declinare. eadem enim vtriusque caussa est, si equos respiciamus & tempus:

NISI QVOD MELIOR EST CAVSSA SVVM NON TRADENTIS, QVAM POSCENTIS ALIENVM) Ita leges iuris tradunt: *In pari delicto vel caussa, potior est conditio possidentis:* Et, *Qui prior est tempore, potior est iure.*

Regula Iuris 95. Reg. 54.

LIBERI HOMINIS ANIMO LOCVTVM) Cum Antiphanes me tanquam mancipium tractaret, & ducem copiarum, ex equite omninò peditem conaretur efficere, meritò efferbui.

HVC ENIM MALORVM VENTVM EST) vt simul eadem responsione duobus cogar satisfacere, & tibi rex, & Antiphani.

AT HERCVLE MATER DE NOBIS INIMICIS TIBI SCRIPSIT) Ad secundum argumentum respondet, quod graue videbatur de accusatione matris, ita eleuatum ab Amynta, vt penitus euanesceret, dum ostendit Olympiadem inanes figuras imaginatam, variasque metus species nequicquam animo concepisse.

O MISERAM CONDITIONEM) Inter sacrum & saxum hæsit hic Amyntas dubius, vtrum taceret, an responderet de literis Olympiadis matris, veritus, ne defendendo se, læderet filium accusatorem suum: tacendo reum se fateretur. Sed & hic eluctatus, posthabita matre, caussam suam apud filium fauentem feliciter egit.

L. 4. c. 19. CVM ME AD PERD. EX MAC. MILITES MITTERES) Hoc refert suprà Curtius: *qui Alexander Aegyptum adire festinans Amyntam cum decem triremibus in Macedoniam ad inquisitionem nouorum militum misit.*

NE QVEM PRAETER TE INTVERER) vt non curarem indignationem matris, dum ex ipsius ædibus abstraherem egregios magnæque spei iuuenes.

HECATAEVM) Non arbitror hunc esse Hecatæum, à quo Diodorus ait Attalum interfectum, sed fortasse illius filium. Gorgiæ & Gorgatæ nulla alibi mentio.

PERDVXI) Hoc narrauit suprà lib. 5. c. 6. quem tute locum cum hoc compones, & numeros equitum vel hic, vel ibi, vel vtrobique emendabis. Hic enim equites IↃC ex Macedonibus, ibi IↃ duntaxat recenset. Siculus numerum IↃ probat: Itaque numerus lib. 5. positus iustus erit. nam ita Siculus:

Li. 17. p. 539. τοῦ δὲ βασιλέως ἀναζεύξαντος ἐκ τῆς Βαβυλῶνος καὶ κατὰ τὴν πορείαν ὄντος, ἧκον πρὸς αὐτὸν παρὰ μὲν Ἀντιπάτρου πεμφθέντες ἱππεῖς μὲν Μακεδόνες πεντακόσιοι, πεζοὶ δὲ ἑξακισχίλιοι, ἐκ δὲ Θρᾴκης ἱππεῖς μὲν ἑξακόσιοι, Τραλλεῖς δὲ τρισχίλιοι καὶ πεντακόσιοι, ἐκ δὲ Πελοποννήσου πεζοὶ μὲν τετρακισχίλιοι, ἱππεῖς δὲ βραχὺ λείποντες τῶν χιλίων, ἐκ δὲ τῆς Μακεδονίας τῶν φίλων τοῦ βασιλέως υἱοὶ πεντήκοντα, πρὸς τὴν σωματοφυλακίαν ὑπὸ τῶν πατέρων ἀπεσταλμένοι. *Iamque promotis Babylone castris in itinere rex erat, cum IↃ. ex Macedonia equites, & VI. CIↃ peditum, adhæc IↃC equitum è Thracia, & Tralliensium CIↃ CIↃ IↃ, è Peloponneso insuper CIↃ CIↃ CIↃ CIↃ peditum, ac CIↃ fermè equites, ab Antipatro in supplementum missi, aduenêre. Hos L. amicorum regis è Macedonia filij ad custodiam regij corporis destinati, comitabantur.*

QVID INIQVIVS) firmum hoc argumentum contra matrem pro filio, imo pro Amynta. si tibi non paruissem, perijssem: pereundum ergo quia parui? quid faciendum fuit? ita suspiciosæ matris literæ dilutæ & deletæ.

DVM HAEC AMYNTAS AGIT) respondendum erat deinceps Amyntæ ad obiectionem de fuga fratris Polemonis, quod fieri non poterat, nisi in præsentia fratris; quicquid enim dicturus erat illo absente, fictum credi poterat. Itaque casus succurrit Amyntæ, vt, eodem tempore quo agebat caussam, ab insequentibus frater reduceretur. Existimo tamen in actione Amyntam pollicitum se, si sibi fieret potestas, reducturum fratrem, vt ex præsente quoque omnium innocentia cognosci possit. certè factam illi, sed iam absoluto, potestatem testatur Arrianus, cuius verba adscribam quia pauca sunt, & totam hanc Curtij narrationem affirmant: *Ferunt quoque eodem tempore etiam Amyntam Andromenis in iudicium vocatum, & cum eo Polemonem, Attalum, Simiamque Amyntæ fratres: tanquam & ipsi insidiarum aduersus Alexandrum conscij fuissent, ob fidem & amicitiam, quam cum Philota coluerant. Hoc etiam insidiarum suspicionem verisimiliorem apud multitudinem effecit, quod Polemon, vnus ex Amyntæ fratribus, Philota comprehenso ad hostes profugerat. At quum Amyntas cum fratribus actionem publicam sustinuisset, caussamque suam strenuè apud Macedones dixisset, ab ea criminatione absolutus est: statimque post absolutionem in concilio factam, potestatem sibi fieri petijt eundi ad fratrem, vt eum ad Alexandrum reduceret. quod quum à Macedonibus illi concessum esset, abijt, eodemque die Polemonem reduxit. Ex eo multò quàm antea manifestius apparuit, Amyntam extra culpam fuisse. Cæterum paulò post pagum quendam oppugnans, sagitta ictus ex eo vulnere interijt: adeo vt nihil illi ex ea absolutione accesserit, præterquam quod vir bonus habitus interierit.*

lib. 3. pag. 143. in 8. p. 72. in f.

POLEMONEM) vti ritè pronuncies hanc vocem, dicas in recto Polemon media breui, in obliquis proxima ab vltima longa Polemônis Polemôni, Polemôna vti scriptura Græca (non græcus accentus) docet, Πολέμων, Πολέμωνος, Πολέμωνι, Πολέμωνα. Et ferè hæc Græcorum & Latinorum consuetudo est, nisi cum positio intercedit, vt Cicero Cicerônis, Pollio, Corbulo, Euphormio, Hephæstion Hephæstiônis, & his similia sexcenta. Ab his tamen excipias Geryon, Alcyon, Lycophron. Et contrà quando media syllaba in recto est longa, proxima ante vltimã est breuis, vt Pandion Pandionis, Arion Arionis, Hyperion, Philemô, Actęô, Lacedęmô, Iason, Palęmon, & his paria. Plura de hoc genere nominum cognosces in prosodia anno CIↃ. IↃC. XXIV. Dilingæ edita, vbi & de genti-

lilibus & dissyllabis leges de incremento, O,p.34.35.36. sed hæc Grammaticis relinquenda: nos nostra canamus.

SAXA IN EVM IACERET.) Nihil est furiosius & inconstantius vel populo, vel milite in omni re nimioque quod in Romana, barbara & Græca historia passim cognoscitur. Ecce, à cuius iam lapidatione ægre inhibitus est, mox lacrymis prosequitur, & vitam orat: adeò

Scinditur insanum studia in contraria vulgus.

Exemplum Seianus esto apud populum Romanum, de quo ita nobilissimus Satyricorum Iuuenalis Sat.10. p.61.v.61.

Iam strident ignes, iam follibus, atque caminis
Ardet adoratum populo caput, & crepat ingens
Seianus: deinde ex facie toto orbe secunda
Fiunt vrceoli, pelues, sartago, patellæ,
Pone domi lauros, duc in Capitolia magnum,
Cretatumque bouem; Seianus ducitur vnco
Spectandus: gaudent omnes, quæ labra, quis illi
Vultus erat? nunquam, si quid mihi credis, amaui
Hunc hominem. Sed quo cecidit sub crimine? quisnam
Delator? quibus indiciis, quo teste probauit?
Nil horum: verbosa & grandis epistola venit
A Capreis. benè habet, nil plus interrogo. Sed quid * Fremens.
*Turba * Remi? sequitur fortunam vt semper, & odit*
*Damnatos idem populus si * Northia Thusco* * Nurscia.
Fauisset, si oppressa foret secura senectus
Principis, hac ipsa Seianum diceret hora
Augustum. ———

Ita Philotam occidit concio militaris, & mox occisum desiderauit. Sed tam simile huic factum extat apud Tacitum, vt ouum ouo simllius iudicari non possit. Auenticum Heluetiorum in excidij periculo erat. legati, permissu Cecinnæ, ad Vitellium in castra venerunt, vt pro ciuibus & vrbe deprecarentur: miles tela ac manus in ora legatorum intentant. *Ne Vitellius quidem*, inquit Tacitus, lib i. hist. *minis ac verbis temperabat: cùm Claudius Cossus vnus ex legatis, notæ facundiæ, sed dicendi artem apta trepidatione occultans, atque eo validior, militis animum mitigauit: vt mos est vulgo mutabilis subitis, & tam prona in misericordiam, quàm immodicum sæuitia fuerat. effusis lacrymis, & meliora constantius postulando, impunitatem salutemque ciuitatis impetrauêre.*

PRO EO ESSET QVOD MAXIME LAESERAT.) Fuga suspectum coniurationis & ipsum & fratres fecerat, cuius caussa intellecta, & ipsum, & fratres absoluit.

ALIENVS TERROR ABSTVLERAT.) Philotæ torti rumor & equitum aliorum fortasse consciorum trepidatio & fuga fecit, vt existimaret Polemon, quòd Philotæ familiaris fuisset, etiam se ad supplicia raptum iri.

IS TVM FLERE COEPIT.) Tragica hæc Polemonis actio & lacrymæ, non pro se, sed fratribus fusæ, oris laniena, & lamentabilis oratio omnium militum animos, adeoque ipsius regis constantiam flexit, & fregit.

QVO ET VNDE FVGIEBAS?) Ad hostes ab amicis, desertor tuorum, comes reorum, effecisti, vt ex reo accusator fierem.

PECCASSE FATEBATVR.) Hæc confessio saluti & ipsi, & fratribus fuit, omniumque animos etiam regis & ipsi & fratribus reconciliauit. Atqui hæc omnia luculenter Curtius tractauit, in quibus tam ieiunos Plutarchum, Siculum, & Arrianum, & omnes Græcos miror. Hic sanè Curtius ostendit se maximum omnium propè oratorum.

VOS MALO BENEFICII MEI OBLIVISCI, QVAM PERICVLI MEMINISSE.) Et acutè, & sapienter. Reuoca ea, quæ Craterus supra dixerat. *Suasissemus, si Philota velles ignoscere; paterere* lib.6.c.ii. *potius ignorare eum quantum tibi deberet, quam vsque ad mortis metum adductum cogeres sæpius de periculo suo, quam de tuo cogitare beneficio. Quædam beneficia odimus: superest, vt malit videri meruisse accepisse, quam vitam.* Nemo salutem animo æquo alicui debet suam. *Pulcrum*, inquit Acidalius, *at difficile isthuc. Libro autem 6, simillimus huic locus: suasissemus, si Philota velles ignoscere, paterere potius ignorare eum, quantum deberet tibi, quam vsque ad mortis metum adductum cogeres (hoc enim verbum sit aiuo prorsus è vulgatis iterum inferendum) sæpius de periculo suo, quam de tuo cogitare beneficio. Et egregie hæc ibidem deducuntur: in quibus ista potissima ratio.* Quædam beneficia odimus: meruisse mortem confiteri pudet. *Quibus ipsis pulchrè Seneca succinit, Medea:* pag 88.

Ingrata vita est, cuius acceptæ pudet.

Nec abludit tragœdus alter, si idem non est, Oedipo

——— Quisquis in culpa fuit

Dimissus odit.

Verùm quid possim ego melius, quam si Plutarchi similem quendam in re simili locum adscripsero, quem tu quid possis iucundius, quam si contenderis ad hunc Curtianum? καλέσας (ὁ δῆμος) Μάγιον Κίλλον ἀχθέντας πρὸς αὐτὸν ἠσπάσατο καὶ διελέχθη φιλανθρώπως, καὶ παρεκάλεσε τῆς αἰτίας ἐπιλαθέσθαι μᾶλλον, ἢ τῆς ἀφέσεως μνημονεύειν. Ex eo Curtianum quâ illa mutatione interpreteris? ὑμᾶς δὲ, υἱοὶ, παρακαλῶ τῆς εὐεργεσίας ἐμῆς ἐπιλαθέσθαι μᾶλλον ἢ τοῦ κινδύνου ὑμετέρου μνημονεύειν.

Hoc ergo est, quod hic Alexander dicit; malo vos beneficij mei obliuisci, quod contuli, cum vos absolui, & vita donaui, quam vestri periculi, quod in caussa dicenda adiistis, meminisse.

DISSIMVLATIO MEA SVSPECTA HABERI POTVISSET) Modius *suspectari* ex Palmerij iudicio rescripsit, verbo prorsus à Curtij genio alieno. Melius vulgaris habuisset, *suspecta esse potuisset*, sed optimè *suspecta haberi*. nisi quod in Constantiensi codice (vti Matthæus Klokius enotauit, & ad me misit) legatur *supputare potuisset*, quam Klokius scripturam omnibus anteponit: ita Senecam *locutum, ita alios scriptores, quod equidem lubens agnosco, sed de Curtij calamo vehementer dubito. fateor interim non ineptè poni hanc vocem, & in Constantiensi MS. ita legi: sed minus ad Curtij gustum.

*ep. 58.

MIHI RECONCILIATI ANIMI PIGNVS) si fratri ignoueris, cogitabo te mihi quoque ex animo reconciliatum, nihilque de periculo tuo deinceps cogitaturum. Absolutus est ergo Amyntas cum fratribus, priusquam ad omnia argumenta responderet. Nam ad illa Alexandri verba: (*Nuper præter consuetudinem, officij specie, amotis longius cæteris, admouisse semetipsos lateri nulla probabili caussa, seque mirantem, quod vice non sua tali fungerentur officio, & ipsa trepidatione eorum perterritum, strenue ad armigeros, qui proximè sequebantur, recessisse*) nihil respondit Amyntas. Quod ipse rex opinor ex dilutis prioribus & grauioribus iudicarit reuera non fuisse fictam officij speciem, cum vice non sua cingerent latus ipsius, sed verum officium ex vero amore & honore profectum.

Curtius li. 7. cap. 1.

Demiror verò, quid Iustino & Orosio fuerit in mentem, cum scripsêre ille in XII. hic in III. c. 18. Amyntam consobrinum interfectum, cum interim Alexandrum Lyncestem omittant, cui succidaneam hostiam substituunt Amyntam, cum Amyntas Curtio & Arriano testibus, fuerit absolutus, Plutarchus, & Diodorus nullam Amyntæ faciant mentionem: sed huiusmodi labes Iustinus plures contraxit.

CAPVT III.

ARGVMENTVM.

Polydamas mittitur ad occidendum Parmenionem, tumultus à cæde compositus. Parmenionis studiosi separantur.



Concione deinde dimissa, Polydamantem vocari iubet. Longè acceptissimus Parmenioni erat, proximus lateri in acie stare solitus, & quanquam conscientia fretus in regiam venerat, tamen vt iussus est fratres suos exhibere, admodum iuuenes & regi ignotos ob ætatem, fiducia in sollicitudinem versa, trepidare cœpit, sæpius quæ nocere possent, quam quibus fideret reputans. Iam armigeri quibus imperatum erat, produxerant eos, cum exsanguem metu Polydamanta propius accedere iubet: submotisque omnibus, Scelere, inquit, Parmenionis omnes pariter appetiti sumus, maximè ego ac tu, quos amicitiæ specie fefellit, ad quem persequendum puniendumque (vide quantū fidei tuæ credam) te ministro vti statui. Obsides, dum hoc peragis, erunt fratres tui. Proficiscere in Mediam, & ad præfectos meos literas scriptas manu mea perfer. velocitate opus est, qua celeritatem famæ antecedas. Noctu peruenire illuc te volo, postero die quæ scripta erunt exequi. Ad Parmenionem quoque epistolas feres, vnam à me, alteram Philotæ nomine scriptam, signum annuli eius in mea potestate est. si pater credet à filio impressum, cum te viderit, nihil metuet. Polydamas tanto liberatus metu, impensius etiam quam exigebatur, promittit operam: collaudatusque & promissis oneratus, deposita veste quam habebat, Arabica induitur. Duo Arabes, quorum interim coniuges ac liberi, vinculum fidei, obsides apud regē erant, dati comites. Per deserta etiam ob siccitatem loca camelis XI. die quo destinauerat,

per-

peruenit. Et priusquam ipsius nunciaretur aduentus, rursus vestem Macedonicam sumit, & in tabernaculum Cleandri (prætor hic regius erat) quarta vigilia peruenit. Redditis deinde literis, constituerunt prima luce ad Parmenionem coire. Namque cæteri quoque quibus literas regis attulerat, ad eum venturi erant. Iam Parmenioni Polydamanta venisse nunciatum erat, qui dum lætatur aduentum amici, simulque noscendi quæ rex ageret, auidus (quippe longo interuallo nullam ab eo epistolam acceperat) Polydamanta requiri iubet. Diuersoria regionis illius magnos recessus habent, amœnosque nemoribus manu consitis. ea præcipuè regum satraparumque voluptas erat. Spatiabatur in nemore Parmenion medios inter duces quibus erat imperatum literis regis, vt occiderent. Agendæ autem rei constituerant tempus, cum Parmenion à Polydamante literas traditas legere cœpisset. Polydamas procul veniens, vt à Parmenione conspectus est, vultu lætitiæ speciem præferente ad complectendum eum excurrit: mutuaque gratulatione functi, Polydamas epistolam à rege scriptam ei tradidit: Parmenion vinculum epistolæ soluens, quidnam rex ageret requirebat. Ille, ex ipsis literis cogniturum esse respondit. Quibus Parmenion lectis, rex, inquit, expeditionem parat in Arachosios: strenuum hominem & nunquam cessantem. Sed tempus saluti suæ tanta iam parta gloria parcere. Alteram deinde epistolam Philotæ nomine scriptam lætus, quod ex vultu notari poterat, legebat. Tum eius latus gladio haurit Cleander, deinde iugulum ferit, cæteri exanimem quoque confodiunt. Et armigeri qui ad aditum nemoris adstiterant, cognita cæde cuius causa ignorabatur in castra perueniunt, & tumultuoso nuncio milites concitant. Illi armati ad nemus, in quo perpetrata cædes erat, coëunt, & ni Polydamas, cæterique eiusdem noxæ participes dedantur, murum circumdatum nemori euersuros denuntiant, omniumque sanguine duci parentaturos. Cleander primores eorum intromitti iubet, literasque regis scriptas ad milites recitat, quibus insidiæ Parmenionis in regem, precesque, vt ipsum vindicarent, continebantur. Igitur cognita regis voluntate non quidem indignatio, sed tamen seditio compressa est. Dilapsis pluribus pauci remanserunt, qui saltem vt corpus ipsius sepelire permitterent, precabantur. Diu id negatum est Cleandri metu, ne offenderet regem. pertinaciùs deinde pergentibus, materiem consternationis subtrahendam ratus, capite deciso, truncum humare permisit. ad regem caput missum est. Hic exitus Parmenionis fuit, militia domique clari viri. Multa sine rege prosperè, rex sine illo nihil magnæ rei gesserat. Felicissimo regi & omnia ad fortunæ suæ exigentis modum satisfecit. LXX. natus annos, iuuenis, ducis, & sæpè etiam gregarii militis munia expleuit: acer consilio, manu strenuus, charus principibus, vulgo militum acceptior. Hæc impulerint illum ad regni cupiditatem, an tantum suspectũ fecerint, ambigi potest, quia Philotas vltimis cruciatibus victus, verane dixerit, quæ facto probari non poterant, an falsis tormentorum petierit finem, re quoque recenti, cùm magis posset liquere, dubitatum est. Alexander quos liberè mortem Parmenionis conquestos esse compererat, separandos à cætero exercitu ratus, in vnam cohortem secreuit, ducemque his Leonidam dedit, & ipsum Parmenioni quondam intima familiaritate coniunctum. Ferè iidem erant, quos alioqui rex habuerat inuisos. Nam cùm experiri vellet militum animos, admonuit qui literas in Macedoniam ad suos scripsisset. iis, quos ipse mittebat, perlaturis cum fide, traderet. simpliciter ad necessarios suos quisque scripserat quæ sentiebat. aliis grauis erat, plerisque non ingrata militia. Ita & agentium gratias & querentium literæ exceptæ sunt. (Et qui fortè tædium laboris per literas erant questi) hanc seorsum cohortem à cæteris tendere ignominiæ causa iubet, fortitudine vsurus in bello, libertatem linguæ ab auribus credulis remoturus, & consilium temerarium forsitan (quippe fortissimi iuuenes contumelia irritati erant) sicut omnia alia, felicitas regis excepit. Nihil illis ad bella promptius fuit. Incitabat virtutem & ignominiæ demendæ cupido, & quia fortia facta in paucis latere non poterant.

POLYDAMANTA.) Vnus Arrianus præter Curtium huius Polydamantis mentionem facit. Caussam, qua ductus Alexander Polydamantem ad tollendũ è medio Parmenionem misit, ipse rex aperit, quòd Parmenioni familiarissimus esset, nec vllo modo suspectus, quo factum est, vt inexpectato eius aduentu nihil terreretur senex, nec sibi caueret, nec insidias declinaret, quod alioqui facillimum erat.

QVAM QVIBVS FIDERET.) Mira codicum varietas, & nullus propè consensus Hadrianus Iunius edidit *illuderetur*, & ante Ionium Erasmus. Constantiensis MS. præfert *eluderet*. Modius aut legendum, inquit, *clueret*, aut *certè*, quibus eluderet. *nam vulgata illa*, eluderetur & illuderetur, *quic-*

quid

quid Glareanus cum Hutteno suo deliret, ferri non debent. Hoc enim vult dicere Curtius: magis ea agitasse animo Polydamanta, quibus siue dictis, siue factis regem aut læsisset, aut in læsa maiestatis suspicionem venire potuisset, quàm illa quibus hæc dilui & excusari solent. Mihi nec Modianum *eluere* nec *eludere*, nec Erasmianum *illuderetur*, nec Glareanianum *eluderetur* satis placet; sed Acidalianũ *fideret*, quod prorsus ad rem est, *sæpius*, inquit Curtius, *quæ nocere possent, quàm quibus fideret, reputans: quæ nocere*, familiaritas Philotæ, dicta temerè olim vel prolata, & ad regem delata, vel facta quædam, quæ in suspicionem cadere possent, quàm bona conscientia, quâ sola niteretur. & fortassis pro *illuderetur* legendum erat *niteretur*, quod nunc occurrit, & perinde ad rem facit ac *fideret*.

Eluere crimen, non est verbis diluere, sed factis & pœnis eluere, sicut maculas & animi labes eluere & abstergere.

ET REGI IGNOTOS OB AETATEM.) Malim verba commutare, & *regi ob ætatem ignotas*, dicere.

EGO AC TV.) De rege quidem poterat esse res suspecta propter Philotam; sed quomodo Polydamas appetitus sit vel scelere, vel insidijs Parmenionis, non constat. an fixit Alexander?

PRAEFECTOS MEOS.) Cleander hic erat, & Sitalces, & Agatho, & Eracon, quos postea vt est in libri 10. cap. 1. accusatos, Alexander fauentibus omnibus occidit.

MANV MEA.) Obserua, *manu mea* dixit eleganter Curtius, quod vulgò *manu propria*. Ita Cicero, & alij principes Latij sunt locuti.

CELERITATEM FAMAE.) Mortem filij nunciaturæ.

NIHIL METVET.) Ab insidijs; nihil habebit suspectum te familiarissimo suo conspecto.

DEPOSITA VESTE.) Macedonica, seu Macedonia, quod alij laudant, perinde est; Arabica & Macedonica, si Grammaticam spectes.

CAMELIS VNDECIMO DIE, QVO DESTINARAT, PERVENIT.) Iter erat triginta aut quadraginta dierum, vti dimensus est Strabo, quod Polydamas amne XI. diebus emensus est. De tremenda camelorum velocitate suprà dictum.

QVARTA VIGILIA.) Duabus, aut tribus horis ante lucem.

LONGO INTERVALLO.) Temporis vastaque locorum intercapedine seiunctus.

DIVERSORIA REGIONIS.) Præsertim Ecbatanis vrbe regia & sede regum per æstatem, de qua multa Herodotus *a* in Clio alibi suprà laudata.

a l. 1. p. 70.

CVM LITERAS LEGERE COEPISSET.) Opportunissimum cædi, ab exercitu seiunctum, prima luce, cùm miles adhuc in castris quiesceret, dum oculis in literas intentis non animaduerteret, à quo ferrum stringeretur, & figeretur. Ita alij periere, Vitalianus apud Iulium Capitolinum in tribus Gordianis, dum signum literarum inspiceret, & nostra ætate Henricus III. Rex Galliæ; & Guilelmus Nassouius Mauritij pater, & Georgius Cardinalis, quem Natalis comes Georgium Monachum appellat, tutor Vngariæ & Transiluaniæ.

VVLTV LAETITIAE SPECIEM PRAE SE FERENTE.) Quo insidiosum & infestum animum celabat. *Frons oculi, vultus persæpè mentiuntur.*

AD COMPLECTENDVM EVM CVCVRRIT.) Tales complexus & oscula leges de Ioabo, & Iuda proditore & sacrilego parricida Christi. 2. Reg. 20. Matth. 26.

VINCVLVM EPISTOLAE SOLVENS.) Duo clausam custodiebant epistolam, signum & linum seu vinculum. Signum erat anulo impressum ceræ, vt hodie, vel cretæ; imago familiæ, vel, quam sibi quisque deligebat: alii Sphingem, vt Augustus, qui posteà Alexandri M. imagine delectabatur, ac demum sua; alii vultus & ora, vel sua, vel maiorum; alij alia, vt hodie gentilitia plerunque; vt principes Boiorum Rhombos & Leones, alij dracones, aquilas ceruos, canes, lilia imprimebant. Sacræ familiæ suorum plerunque Diuorum imaginibus gloriantur, Societas nostra nomine Iesu insignis est. De cera notum; de creta apud Ciceronem 4. in Verrem: *signum iste animaduertit in cretula.* & pro Flacco Asiaticam ceram leges. Hodie panis crustula, quæ artopta coquuntur, minio tincta pro cera & creta passim adhibentur. Vinculum literarum Cicero & alij, linum appellant. Catil. 3. *Tabellas proferri iussimus, quæ à quoque dicebantur datæ. Primum ostendimus Cethego, signum cognouit: nos linum incidimus; legimus.*

Rote obsigat.

Plautus:

Cedo tu ceram ac linum, age, obliga, obsigna citò.

PHILOTAE NOMINE SCRIPTAM.) manu non potuit, nisi imitatrice. quod factum arbitror.

LAETVS.) An aliquid de arcanis, & ad consilia tecta ambiguè de industria insertum, vt exploraretur affectus?

CLEANDER.) Multa huius parricidæ apud Curtium mentio lib. 3. ipso initio, lib. 4. cap. 10. & hic infrà.

LATVS GLADIO HAVRIT.) Eleganter hoc cum Virgilio, & alijs.

10. Aeneid.

—— Huic gladio perq́ue area scuta
Per tunicam squalentem auro, latus haurit apertum.

AD ADITVM.) Dubites extra vel intra nemus, & murum steterint. Iudico intra: quomodo enim cædem exclusi cognouissent?

IN

IN CASTRA PERVENIVNT.) Erant in castris Parmenionis sex millia Macedonum, & CC. nobiles, quinque millia Græcorum, equites DCC. robur exercitus Alexandri.

MVRVM EVERSVROS DENVNCIANT.) Hinc amor & studium militum in suum ducem apparet; apud quos si purgare se Parmenio potuisset, nunquam cæsus esset.

HIC EXITVS PARMENIONIS FVIT.) Hunc lamentabilem finem ærumnosissimus senex, sed maximus princeps, Philippoque carissimus & Alexandro fidissimus, fortitus est; cui suprà laudatum nobile & æternum Curtius elogium condidit: quem iure & regno & imperio digniorem ipso Alexandro dixeris. Indicta caussa, contra Macedonum mores, & leges, &, vt plerique existimant, innocens crudeliter contrucidatus est. Quid de hoc sentiat Arrianus accipe, sed interpretis verba, quia compluscula sunt: *Ad Parmenionem verò missum Polydamanta, vnum ex amicis, literas ab Alexandro ad duces exercitus, qui in Media erant, ferentem. Hi erant Cleander, Sitalces, & Menidas, qui quidem in exercitu, cui praerat Parmenio, duces erant constituti, & ab his Parmenionem interfectum: siue, quod haud verisimile videretur Alexandro, quum Philotas sibi insidias struxisset, Parmenionem patrem eius consilij ignarum fuisse: siue, vt maximè conscius non esset, quod periculosum videretur illum, interfecto filio, superesse: præcipuè quum tanta esset autoritas tum apud Alexandrum, tum apud vniuersum exercitum non solùm Macedonum, verum etiam exterorum, cuius sæpenumerò magna parti, interdum etiam maiori, iussu Alexandri, summa cum gratia & laude præfuerat.* Plutarchus breuiter: *Necato Philota, Parmenionem quoque certos misit in Mediam, qui interficerent virum, qui magnificas res cum Philippo gesserat, solusq́, aut præcipuè ex veteribus amicis, ad transeundum in Asiam incitauerat Alexandrum. Ex tribus filijs, quos in castris habuit, duos ante viderat defunctos, cum tertio est vnà trucidatus. Hæc facta Alexandrum amicis reddiderunt formidabilem, inprimis Antipatro. Is ad Aetolos clam misit legatos, fidem dans & accipiens.* lib. 3. pa. 72. In Alexandro pag. 693. in f.

Ego sanè facilè conijcio hinc primam ab Antipatro cogitationem interficiendi Alexandri susceptam, posteà varijs occasionibus auctam, vt videbimus. Diodorus factum tantum, paucis adiectis, narrat his verbis: *Per Dromedarios inde Camelos quosdam misit Alexander, quorum opera famam de Philota supplicio anteuerteus, Parmenionem, insidiosè circumuentum, necauit. Mediæ præfectus erat, regiasq́, thesauros, qui centum & LXXX. millia talentûm continebant, fides sua concreditos habebat.* Themistius oratione 5. Clitum ante Parmenionem interfectum contra omnium historicorum fidem, tradit. lib. 17. p. 551. versu vlt.

ALEXANDER QVOS LIBERE MORTEM PARMENIONIS CONQVESTOS ESSE COMPERERAT.) Maximos animorum motus in milite Parmenionis ob cæsum ducem suum præter Curtium docet etiam Iustinus: *Fremere itaque omnes vniuersis castris cœpêre, innoxij senis, filijq;, casum miserantes; inter dum se quoque non debere melius sperare dicentes. Quæ cum nunciata Alexandro essent, verens ne hæc opinio etiam in Macedoniam diuulgaretur, & ne victoriæ gloria sæuitiæ maculâ infuscaretur, simulat se ex amicis quosdam in patriam victoriæ nuncios missurum. Hortatur milites suis scribere, rariorem habituros occasionem, propter militiam remotiorem. Datos fasces epistolarum tacitè ad se deferri iubet: ex quibus cognito de se singulorum iudicio, in vnam cohortem eos, qui de rege durius opinati fuerant, contribuit, aut consumpturus eos, aut in vltimis terris in colonias distributurus.* lib. 12.

Siculus: *Sub hæc à Macedonum exercitu secreuit eos, qui voces in regem asperiores emisissent, necemq́, Parmenionis indignè ferrent: & qui datis in Macedoniam literis de rebus ad regem spectantibus, quædam non satis æqua ad suos perscripsissent. Hos in vnam cohortem, quam extraordinariam nominabat, separatos collegit, ne vocibus intempestiuis, & immoderata sermonis libertate reliquam Macedonum turbam simul corrumperent.* Pag. 552.

DVCEMQVE HIS LEONIDAM DEDIT.) Leonidas hic non est, qui pædagogus olim Alexandri fuit, sed planè diuersus ab illo, ac tantùm cognominis: alter nunquam patria excessit, ad quem Alexander Arabia potitus transmisit magnam thuris copiam, vt liberalius dijs adoleret, quod olim in Alexandro reprehenderat, dixeratque, vt tum plus thuris foculo inijceret, cum Arabia potitus esset.

ET QVI FORTE TAEDIVM LABORIS PER LITERAS ERANT QVESTI.) Hæc verba cum Acidalio reor è glossa irrepsisse, prorsusque expungenda. Atque vt rem probè intelligas, ita locum hunc totum expono. Alexander volebat suorum militum animos explorare, vt quibus grauis, & quibus grata militia esset, cognosceret. Ad hanc rem in castris promulgauit, ituros in Macedoniam, qui literas suas perferrent, si qui in patriam vellent scribere, suas quoque regis nuncijs traderent, omnes cum fide perlatum iri. Scripsere singuli pro animi sensu quod libebat; questi alij de diuturna militia, alij volentes libentes castra sequebantur. Illos quiritantes à reliquo exercitu seiunxit, quorum maxima erat copia qui mortem Parmenionis liberiùs conquesti erant: quos & seorsim ignominiæ caussa, tendere iussit, quam fortibus deinceps factis in bello eluerent. Itaque illa Curtij verba *Ferè ijdem erant.* vsque ad illa: *hanc seorsim cohortem*, expunctis illis. *Et qui fortè tædium laboris per literas erant questi*, quasi parenthesi intercepta, legenda sunt. Non induxi tamen in editione, quòd quoquo modo ferenda videbantur, cum sententiæ non aduersarentur.

IGNOMINIAE DEMENDAE CVPIDO.) Nam ignominiam plus horret fortis, quàm necem. Nobile huius paradigma est apud Agathiam l. 1. de Fulcare: *Cùm verò ei etiamsi adhuc integrum esset quàm facil-*

facillimè fugam capessere, suiq; vt ita faceret, hortarentur. Et quo pacto, inquit, Narsetis linguam sustinuerim, temeritatis me insimulantem? Conuitium itaque, vti videtur, magis, quàm gladium extimescens mansit, & quam diutissimè restitit, neque destitit pugnare, donec circumfusa hostium multitudine, multisq; iaculis pectore exceptis, securi etiam capiti impacta, & iam cum morte conflictans pronus in scutum concidit. Non absimile est de Iuda Machabæo in literis sacris.

CAPVT III.

ARGVMENTVM.

Euergetas laudat Curtius, Rex Satibarzanem proditorem persequitur. Euergetis pecuniam donat. Arachosios subigit. Parmenionis exercitum recipit.



Is ita compositis Alexander Arianorum satrape constituto iter pronunciari iubet in Ariaspos, quos iam tunc mutato nomine Euergetas appellabant, ex quo frigore victumq; penuria Cyri exercitum affectum, tectis & commeatibus iuuerant. Quintus dies erat vt in regionem peruenerat: cognoscit Satibarzanem, qui ad Bessum defecerat, cum equitum manu irrupisse rursus in Arios. Itaque Caranum, & Erigyum cum Artabazo & Andronico & VI. millibus Græcorum peditum, IↃC. equites sequebantur. Ipse LX. diebus gentem Euergetarum ordinauit, magna pecunia ob egregiam in Cyrum fidem donatam. Relicto deinde qui ijs præesset Amenide (scriba is Darij fuerat) Arachosios quorum regio ad ponticum mare pertinet, subegit. Ibi exercitum, qui sub Parmenione fuerat occupauit VI. millia Macedonum erant & CC. nobiles, V. millia Græcorum cum equitibus IↃC haud dubiè robur omnium virium regis. Arachosiis datus Memnon prætor quatuor millibus peditum & IↃC. equitibus in præsidium relictus.

lib.6 c.12. lib.7.c.8. ARIANORVM SATRAPE CONSTITVTO.) Quos hic Arianos vocat, suprà & infrà Arios appellat, quibus Satibarzanem prætorem seu Satrapen dederat, qui à Besso ad Alexandrum defecerat, & rursum ab Alexandro ad Bessum, de quo mox infrà copiosiùs cap.8. Plinius etiam Arianam regionem nominat, & describit: *Ariana regio ambusta feruoribus, desertisq; circumdata. multa tamen interfusa opacitate: cultores congregat circa duos maximè fluuios, Tonderon seu Tomberon & Arosapen oppidum * Artaccana. Arius amnis, qui præterfluit Alexandriam ab Alexandro conditam. patet oppidum stadia 30. multoq; pulchrius, sicut antiquius, Artacabane, iterum ab Antiocho munitum stadijs 50.* Ne quid tamen dissimulem, Plinius diuersos facit Arianos ab Arijs, quos eosdem facere videtur Curtius. *Parthia*, inquit Plinius, *habet ab ortu Arios, à meridie Carmaniam & Arianos* Strabo 15. *Eorum quæ propter Indum sunt, partem habent Indi, cum prius essent Persarum. ea Alexander Arianis ademit, & peculiaria oppida constituit.* Idem distinguit Arios ab Arianis. Arianam fusè describit. Certè Ariani si diuersi fuere, non procul tamen ab Arijs coluère, Asiaticæ gentes & Indis proximæ. Mela Arium & Arienen vocat c.1. *Inde proxima est Ariene, deinde Aria. & Gedrosis & Persis ad sinum Persicum.* Solinus etiam Arios & Arianos vicinos facit, vbi c.59. de Parthia loquitur. Mihi verisimile est pro *Arianorum*, in Curtio legendum *Ariorum*, horum enim frequens iam suprà & infrà mentio, Arianorum alibi nulla. Apud Arrianum Ἀρείους interpres vertit Ἄρειος, qui perinde vertere poterat *Arios*, vti dicimus latinè, Basilius Græcè βασιλειος.

lib.6c.23. (beside "fecerat")
* Artacoanna, Articanda. lib.6.c.23.

SATRAPE CONSTITVTO.) Arsace, vt Arrianus auctor est, quem Alexander infrà, Curtio teste, prætorem in Mediam mittit, Oxidati successurum.

ARIASPOS. Arrianus Agriaspas, Græcè Ἀγριάσπας, vel vt Glareani codex ostendit, Ἀριάσπας. apud Ptolemæum in Græco legit Glareanus Ἀμαριάσπας. Siculus Ἀριμασπούς vocat, tanta varietas est in Scriptura, vitio reor librariorum. Strabo ex veterum Geographorum descriptione Arimaspos hyperboreos facit, & cum Sarmatis coniungit, quod & Stephanus & *a* Plinius tradidere. *b* Mela eosdem inter Scythas Europæos recensuit, & vnoculos, μονοφθάλμους fuisse credidit, vti & *c* Solinus, qui vnoculam gentem appellat. Pausanias in *d* Atticis testatur Arimaspos cum Gryphibus propter

a l.4.c.12. b l.2.c.1. c cap.19. d l.1.p.43. in f.

aurum,

aurum, cui incubant feræ, belligerare: *Hos, inquit, (Gryphes) cum Arimaspis, qui supra Issedones sunt, auri caussa assiduè bellare, Aristeas Proconnesius carminibus testatus est; & aurum quidem quod custodiunt gryphes, è terra nasci, Arimaspos ipsos vnicum habere oculum.* Agellius de eisdem Arimaspis, qui Scythis lib.9.c.4.
proximi sunt: *item esse homines sub eadem regione cæli vnum oculum in frontis medio habentes, qui appellantur Arimaspi, qua facie fuisse Cyclopas Poëtæ ferunt.*

Dionysius in periegesi laudat Martios hos Arimaspos.

——— αὐτὰρ ὕπερθεν
Πρὸς βορέην, ἵνα παῖδες ἀρειμανέων Ἀριμασπῶν.
Verùm desuper
Ad Boream vbi pubes Marte furentium Arimasporum.

Ad quem locum hæc Eustathius adhuc à nullo, quod sciam, translatus. *Gentem, inquit, Scythicam* pag.11.
Dionysius facit Arimaspes, quos idem bellaces ac Martios canit. Aeschylus eosdem, exercitum vnoculum cognominat, quod cum iaculandi arte excellant, vt certiùs metam, aut quod destinarunt, feriant, alterum oculum claudant. Et fortasse alter oculorum, vt veteres censent, propter assiduum à puero sagittandi studium ita contrahitur, minorque redditur. Fieri etiam potest, vt hoc genus hominum ex huiusmodi parentibus, qui semper eandem artem exercuerunt (& oculum, dum iacularentur, clauserunt) natum etiam in posteros, vti par est, transmitterent, resque in totius gentis & posteritatis naturam transiret, neque enim vsquam aliàs natura adeò prodigiosam gentem hominumue genus protulit. Et hanc ipsam ob caussam, quemadmodum Herodoto videtur, Arimaspi, propter hoc vitium ita loquendo vnoculi vocantur, Scythicè enim ἀρὶ vnus, μασπὸς δὲ, ὀφθαλμὸς dicitur. Hæc Eustathius. Ex quo corrigas & Cælium Rhodiginium, & Herodoti editores atque interpretes, qui ἀριμασπὸς ita diuidunt, vt dicant ἄριμα significare vnum, σποῦ oculum, cum Eustathius ex Herodoto ita diuidat, vt ἀρὶ vnum notet, & μασπὸς oculum. Ennius:

Decem cælites quos montibus
Scimus Riphæis fodere.

Curtiana ergo scriptura castiganda, & reponendum vel Agriaspas ex Arriano, vel Arimaspos ex Diodoro. Editi quidam antiquiores habent Armatos, forsan Harmatos, sed nihil ad chordas & fides.

EVERGETAS.) Barbaram vocem in Græcam iam olim Persæ commutarunt, & pro Agriaspis, vel Arimaspis εὐεργέτας benè meritos nuncuparunt. caussam exponit Curtius Strabo: ἔπ' ἐκ Δραγγῶν ἐπὶ τοὺς εὐεργέτας ἧκεν, οὓς ὁ Κῦρος ὠνόμασε. *Deinde Alexander ex Drangis ad Euergetas venit, quos ita Cyrus nominauit.* Arrianus: *Ad eos peruenit, qui primum Agriaspæ, postea Euergetæ quasi benefici appellati sunt, quia Cyrum Cambysis F. in expeditione Scythica iuuissent.* Hos Alexander *in honore habuit, & quoniam iustitiæ studiosi essent, & tanquam qui Græcorum optimè instituti sunt, se suamque Remp. rectissimè gubernarent, liberos esse iussit. ad hæc, ex finitorum agris quantum petiêre (paruo autem contenti fuere) iis concessit.* Diodorus: *Hu expeditu cùm per Drangenem agenda constituisset, exercitum in Arimaspos duxit. hoc quidem olim nomen illis erat, sed nunc Euergetæ vocitantur. Nominis ratio hæc est, Cyrus qui primus à Medis imperium ad Persas transtulit, in expeditione quadam cum propter victus penuriam in locis incultis ad extremum redactus esset discrimen, adeò quidem vt miles militis carne famem mitigare cogeretur, tum Arimaspi triginta millia plaustris frumentum aduexêre. Rex itaque cùm secus quàm sperauerat, periculum euasisset, non vectigalibus modò gentem exsoluit: sed aliis insuper muneribus affecit, pristinoque, nomine abrogato, Euergetas nuncupauit.*

εὐεργετῶ bene mereor de aliquo, benefacio alicui. lib.11.

SATIBARZANEM.) De cuius interitu mox infrà cap.8.

IN AREIOS.) Seu Arios, quorum prætor fuerat. non Arieos, sed Areios, vel Arios.

CARANVM ET ERIGYVM.) De his eodem infrà cap.8.

AMENIDE, SCRIBA IS DARII FVERAT.) Principe ferè loco apud Persarum reges hoc genus scribarum erat, regemque etiam in castra sequebantur. de quibus Brissonius, quem consules. l.1.p.139.

ARACHOSIOS.) De Arachosiis suprà lib.4.c.27. dictum. Hic tamen alius incidit non in scirpo, sed in nodosa quercu soluendus nodus. Quid? Arachosii ad Ponticum pertinent? qui mille propè parasangis inde absunt, propiores Indico mari, quam ponto Euxino. Glareanus, quem, vt cœpi hærere, consului, sed & ipse etiam hæret, & ponticum interpretatur Hyrcanum. Atqui Hyrcanum quoque procul ab Arachosiis. Sanè Strabo in 11. Arachosiam (vnde Arachosii dicti) partem Arianæ facit, & ad Indum flumen vsque pertinere æstimat: Καὶ ἡ Ἀραχωσία, inquit, οὐ πολὺ ἄπωθέν ἐστι, καὶ αὕτη τοῖς νοτίοις μέρεσι τῶν ὀρῶν ὑποπεπτωκυῖα, καὶ μέχρι τοῦ Ἰνδοῦ ποταμοῦ τεταμένη, μέρος οὖσα τῆς Ἀριανῆς. Stephanus: Ἀραχωσία, inquit, πόλις οὐκ ἄπωθεν μασσαγετῶν Σκυθῶν ἑνδεκάτη ὑπὸ Σεμιράμιδος κτισθεῖσα, ἥτις καὶ Κωφὴν ἐκαλεῖτο, οἱ πολῖται Ἀραχώσιοι. *Arachosia ciuitas non procul à Massagetis, vt in 11. Strabo testatur, ab Semiramide condita, quæ & Cophen dicebatur, ciues Arachosii.*

Sed quia Curtius ex quorundam veterum opinione suprà scripserat Caspium mare ex India in Hyrcaniam cadere, Arachosios quoque potuit illis terrarum assignasse. Proinde nihil in Curtio muto, quamuis hic à vero aberrare dubium non sit. Nisi illa verba: *quorum regio ad ponticum mare pertinet*, glossema, quod equidem non arbitror, existimes.

ARACHOSIIS DATVS MEMNON PRAETOR.) Tres inclitos viros & prætores apud Curtium Memnonas lego. Primi & longè potentissimi mors l.3. c.3. narratur, cuius vxorem & filium Damasci Alexander cœpit, vt cap. vlt. lib. 3. cognouisti, vbi Memnonem hunc Curtius nobilissimũ ducem appellat. Atque de hoc hic nullam fieri mentionem, certum. Alter est hic Arachosiorum prætor, quem & Arrianus expressit. Tertius qui ex Thracia infrà libro 9. c.7. sex equitum, 7. peditum millia cum aureis argenteisq; armis ad Indos vsque adduxit: Nec enim eundem esse hunc cum altero existimo. Ille enim alter olim pro Dario contra Alexandrum in acie stetit, quem vt Rex interficeret, amici auctores fuêre. Sed Alexander iudicauit ex hoste fieri posse amicum, & perinde sibi ac Dario fidum, quod in alijs quoque expertus est. Sed de hoc, ne me coniecturis nitî solis putes, testem do Themistium philosophum, qui ad Valentem Imperatorem oratione 4. id confirmat, quem tute leges.

De Thracio illo Memnone singillatim Diodorus, & hæreo vtrum non sit idem hic Arachosijs prætor datus. Arachosios, & Arachotas, seu Arachotos eosdem esse certus sum: quamuis Stephanus videatur distinguere cùm dicit, εἰσὶ ϗ ἄλλοι [illegible] Μασσαγετῶν. At idem paullò antè dixerat Arachosiam non procul à Massagetis abesse. Eustathius eosdem Paropamisidis ad Austrum, Arios ad Occidentem proximos accolere tradit. Dionysius λινοχλαίνους Ἀραχώτας appellat, hoc est, lineis chlænis, seu vestibus vtentes. Arrianus quoque Arachotis (qui Curtio sunt Arachosij) præfectum ait Memnonem.

CAPVT IV.

ARGVMENTVM.

Paropamisadas barbarissimam gentem describit, quos exercitus adiens, pœnè frigore & inopia perijt.



Ipse rex nationem ne finitimis quidem satis notam, quippe nullo commercio colentem mutuos vsus, cum exercitu intrauit. Paropamisadæ appellãtur, agreste hominum genus, & inter barbaros maximè inconditum. locorum asperitas hominum quoque ingenia durauerat. Gelidissimum Septentrionis axem ex magna parte spectant. Bactrianis ab Occidente coniuncti sunt. Meridiana regio ad mare Indicum vergit. Tuguria latere primò struunt: & quia sterilis est terra materiâ, in nudo etiam montis dorso vsque ad summum ædificiorum fastigium eodem laterculo vtuntur. Cæterum structura latior ab imo paulatim incremento in artius cogitur: ad vltimum in carinæ maximè modum coit. Ibi foramine relicto supernè lumen accipiunt. Ad medium vites & arbores si quæ in tanto terræ rigore durare potuerunt, obruunt: penitus hieme defossæ latent. Cùm hiems discussa aperire humum cœpit, cælo solíq; redduntur. Cæterùm adeò altæ niues premunt terram, gelu & perpetuo penè rigore constrictæ, vt ne auium quidem feræue vllius vestigium existat. Obscura cæli verius vmbra quàm lux nocti similis premit terram, vix vt quæ propè sunt cõspici possint. In hac tamen omnis humani cultus solitudine destitutus exercitus, quidquid malorum tolerari potest, pertulit, inopiam, frigus, lassitudinem, desperationem. Multos exanimauit rigor insolitus niuis, multorum adussit pedes, plurimorum oculis præcipuè perniciabilis fuit. fatigati quippe in ipso gelu deficientia corpora sternebant, quæ cum moueri desissent, vis frigoris ita adstringebat, vt rursus ad surgendum conniti non possent. A commilitonibus torpentes excitabantur, neque aliud remedium erat, quàm vt ingredi cogerentur. Tum demum vitali calore moto, membris aliquis redibat vigor. Si qui tuguria barbarorum adire potuerunt, celeriter refecti sunt. Sed tanta caligo erat, vt ædificia nulla alia res quam fumus ostẽderet. Illi numquam antè in terris suis aduena viso, cùm armatos repẽte conspicerent, exanimati metu, quidquid in tugurijs erat afferebant, vt corporibus ipsorum parceretur orantes. Rex agmen circuibat pedes, iacentes quosdam erigens, & alios cùm ægrè sequerentur adminiculo corporis sui excipiens. Nunc ad prima signa, nunc in medio, nunc in vltimo agmine itineris multiplicato labore aderat.

NVLLO

NVLLO COMMERCIO COLENTEM MVTVOS VSVS.) Qualis ad vsque nostra secula amplissima & cætera cultissima gens Sinarum, quæ omne commercium aliarum nationum ab suis regnis exclusit, nisi quòd extra fines ad proximum portum Amacauanum admittat exterorum merces exponi, quæ ab indigenis in prouincias inferuntur, quo mercatoribus non licet aspirare. His demum postremis annis & societas nostra & Lusitani in intima etiam regni, adeoque ipsam regiam sunt admissi. Cæterùm de alia quoque huiusmodi gente ab omni reliquarum nationum secluſa, narrat infrà Curtius lib. 9. cap. 17. *Hinc*, inquit, *peruenit ad maritimos Indos: desertam vastamq; regionem latè tenent: ac ne cum finitimis quidem vllo commercij iure miscentur. Ipsa solitudo natura quoq; immitia efferauit ingenia.*

PAROPAMISADAE APPELLANTVR.) Paropamisadæ nomen à monte Paropamiso traxêre, ad cuius radices colunt. Paropamisus autem est mons totius orbis altissimus, Caucasi pars, & supremus Caucasi vertex, in quo Noeticam larnacem, seu arcam post eluuionem, aquarum appulsu conquieuisse existimat Goropius Becanus in Indoscythicis pag. 476. idque multis modis contra omnium Patrum sententiam conatur euincere, ab nullo quod sciam in hoc capite vel laudatus, vel damnatus, vel refutatus. Cæterùm huius montis & vocis *Paropamisus* varia est scriptura. Apud Dionysium in periegesi appellatur Parponisus, vel vt alij codices habent, Parnisus, & alio loco Parnassum vocat græcè poetico more παρνησόν.

Versus Dionysij sunt: ver. 736.

Ἀλλ' ἤτοι Βάκτροι μὲν ἐπ' ἠπείροιο νέμονται
χώρην εὐρυτέρην κνημοῖς ὑπὸ Παρνησοῖο.
Sed nimium Βάκτροι *quidem in continente possident, seu incolunt*
Regionem latiorem, sub iugis Parnasi.

Ad quem locum Eustathius: *Dionysius hic de monte quodam Bactriano narrat. Et videndum, an ità scribenda sit vox, vt cognominis sit Parnasso Europeo. an potius Parpamissus vocandus, quemadmodum multa exemplaria habent. Facit autem Periegetes etiam Parpamissi mentionem.*

Infrà idem Dionysius versu 1097.

δοχμός τε παρὰ πλευρὰ Παρπαμισοῖο.

Quocunque etiam ad cliuum, seu declinationem Parpamisi, vel, vt in codice exaratum est, παρπανισοῖο. & in alio ——— Παρνισοῖο.

De quo rursum Eustathius: δεῖ βούλονται δέ τινες Παρπάνισον προπαροξυτόνως λέγεσθαι ὄρος Ἰνδικόν, οὐ μὴν Παρνισόν, ὡς πολλὰ τῶν ἀντιγράφων ἔχουσι, πολλοὶ δὲ καὶ ὀξύνουσι. καὶ διὰ τοῦ μ γράφουσι Παρπαμισόν. ὁ δὲ γεωγράφος Παροπαμισὸν γράφει πεντασυλλάβως, καὶ τοὺς ἐκεῖ Παροπαμισάδας καλεῖ. *Quidam volunt montem Indicum* Παρπάνισον, *accentu in tertia ab vltima collocato dici (quasi vox sit proparoxytona) nequaquam verò* παρνισὸν *Oxytona, quamuis in multis ita exemplaribus legatur. Alij tamen haud pauci acuunt in vltima & per μ scribunt* παρπαμισόν. *Sed Geographus* παροπαμισόν, *quinque syllabis vocem hanc scribit, & illic degentes populos Paropamisadas vocat.* Hæc Eustathius. Goropius multis rationibus & scriptorum auctoritatibus ostendit, vbique apud omnes cum Ptolemæo legendum esse Paropanisus, non Parpanisus, aut Paropamisus.

Glareanus hic quæ apud Curtium sequuntur de frigore incredibilia putat, quod Paropamisadæ magis meridiem, quam Itali spectent, ac proinde loca illa calidiora esse, quod Italiæ. Sed enim tum ad radices Caucasi colant, & Caucasus ibi sit altissimus, & propter altitudinem glacialis, nihil videtur à Curtio præter fidem dictum, nec velut è longinquo mendacium historiæ aspersum; præsertim cùm idem tradant alij. Et Curtius illam partem Paropamisadas coluisse tradat, quæ gelidissimum Septentrionis axem spectabat, idemque prorsus affirmet Diodorus, cuius verba paullò antè adduxi. Accedit, vti Strabo testatur in 15. Alexandrum sub occasum Virgiliarum illuc accessisse, hoc est, in ipsa hieme.

LOCORVM ASPERITAS.) Vt in siluis siluestres homines, & siluestria ingenia in montibus & rupibus horrida & barbara, atque ab omni cultu humano abhorrentia, ac feris quam hominibus propiora, sæpè etiam ferociora. Nam prout natura cœli & aeris est, ita attemperantur ea, quæ sub ea nascuntur. Vnde & Horatius de Bœotis cecinit: l. 2. epist. 1.

Bœotum in crasso iurares aëre natum.

Et Iuuenalis de Democrito inclito philosopho, quamuis Thrace: Sat. 10 v. 48

——— *cuius prudentia monstrat*
Summos posse viros, & magna exempla daturos
Veruecum in patria, crassoq; sub aëre nasci.

Quod verum est, nec enim omnes Bœoti stupidi, bardi, & asini. Pindarus Thebanus fuit, & Plutarchus Bœotus. Sed vna & altera hirundo non faciunt ver. Hippocrates medicorum numen, singulari opere docuit multum referre ad mores quo sub cœlo, quâue loci natura nascare, viuas, alare. Εὑρήσεις γὰρ, inquit, ἐπὶ τὸ πλῆθος τῆς χώρης τῇ φύσει ἀκολουθέοντα καὶ εἴδεα τῶν ἀνθρώπων καὶ τοὺς τρόπους: *Inuenias enim ferè semper & formas hominum & mores regionis naturam sequi.* lib. περὶ ἀέρων, ὑδάτων, τόπων. pag. 75. pag. 81.

Ex sententia ergo principis medicorum asperæ regiones aspera procreant ingenia, cui diuinus ad-
In Timæo. stipulatur Plato: κατὰ τοὺς οὐρανοῦ τόπους κρᾶσιν τῶν ἠθῶν γενέσθαι, *Pro ingenio cœli & loci formari hominum mores.* Et M. Tullius, *Athenis*, inquit, *tenue cœlum, ex quo acutiores etiam censentur Attici: crassum*
De fato. *Thebis, itaque pingues Thebani & valentes.* Consulas licet Alexandri Neapolitani cap. 13. lib. 4. cuius hic index est: Quæ vitia ex loci natura aut cœli climate quibusdam gentibus ita innata sint, vt illa habeant propria & perpetua. Præterea Theophrastus in ipso statim proœmio characterum, miratur quid sit, quod Græci cum eodem cœli haustu fruantur, non eisdem moribus viuant, cùm tamen iisdem institutis vtantur. οὐδὲ παύσομαι, inquit, θαυμάζειν τί δήποτε τῆς Ἑλλάδος ὑπὸ τὸν αὐτὸν ἀέρα κειμένης, καὶ πάντων τῶν Ἑλλήνων ὁμοίως παιδευομένων συμβέβηκεν ἡμῖν οὐ τὴν αὐτὴν τάξιν τῶν τρόπων ἔχειν. Ad
In institut. p. 14 comment. quem locum ita Casaubonus: *Duas hic notat caussas varietatis illius, quæ in hominum moribus ac institutis cernitur: locorum positionem, & institutionem à pueris. Illud quàm magnum ad eam momentum sit, & experientia arguit, & Philosophi, geographi, astronomiq́ue, vel docent, vel docere conantur: tangit etiam Hippocrates in libro de aëre, aquis, & locis: & Galenus multis locis. mitto, quæ Seneca, & Cicero super hoc non vno loco. Ingenia hominum, ait Curtius libro 8. vbiq́ue, locorum situs format.*

GELIDISSIMVM SEPTENTRIONIS AXEM.) Paropamisadæ, inquit, potissimum pertinent ad Septentrionem, ad quem sol nunquam accedit, post ortum enim vertitur in meridiem, & properat ad occasum. (Quamuis suo cursu naturali renascens etiam gyret per meridiem, & flectatur ad Aquilonem, cum ab Occidente tendit ad Orientem, vti locus Ecclesiastæ 1. n. 6. explicatur.) Inde gelidissimum vocauit, quia regiones Arcto subiectæ, perpetuis ferè frigoribus rigent.

Manilius:

lib. 1. de Astr. v. 52.
Proxima frigentes Arctos, Boreamq́ue rigentem
Nixa venit species genibus sibi conscia caussa.

Axem autem matheseos gnari fingunt immotum iuxta polum transire per totum cœlum & terras, vti Manilius canit:

At quà fulgentes cœlum consurgit ad arctos,
Omnia quæ summo despectant sidera cœlo,
Nec norunt obitus, vnoq́ue in vertice tantum
In diuersa sita cœlumq́ue, & sidera torquent,
Aëra per gelidum tenuis deducitur Axis,
Libratumq́ue gerit diuerso cardine mundum,
Sidereus circa medium quem voluitur orbis
Aeternosq́ue rotat cursus immotus, at ille
In binos arctos magni per inania mundi,
Perq́ue ipsum terræ directos constituit orbem.

lib. 2 Metamorph. v. 170. Eleganter Ouidius in Phaethontis incendio finxit gelidos caluisse triones, cum solis equi quà data via regioneque cœli ruerent.

Nec scit, quà sit iter, nec si sciat, imperet illis.
Tum primum radijs gelidi caluêre Triones.

Porrò de itinere Alexandri ex Drangis ad Euergetas, seu Arimaspos, ab his ad Arachosios, seu
p. 498. post med. Arachotas per Paropamisadas sub occasum Vergiliarum, Strabo in 15. *Nam ea regio*, inquit, *montana est, & niuibus tunc tegebatur, ac difficulter peragrabatur. Sed frequentes pagi & rerum copia præter oleum instructi, difficultates leuiebant. Meridionales Paropamisi ad partes Indicæ sunt, & Ariana ad Septentrionales & Occidentales Bactriana. Exacta ibi hieme, & vrbe condita, habens Indiam supernè ad dextram, per summa montium transijt Bactrianam. Via erat nuda arborum, nisi quod rari aderant terebinthi frutices, summa alimenti inopia, vt iumentorum carnibus vescerentur, atque ijs crudis propter lignorum penuriam, sed ad hanc cruditatem concoquendam silphij copia præsens auxilio erat.*

TVGVRIA LATERE PRIMO STRVVNT.) Mirum dictu, loco hunc totum Curtius è Siculo velut interpres transtulit, proinde iuuat fontes accedere ipsiusque Siculi, vel potius interpretis
pag. 553. verba, ne longior sim, collocare: *Tum Alexander in Paropamisadas exercitum duxit. Regio horum, sub axe Septentrionum posita, niuibus tota oppletur. Et ob rigorem haud tolerandum ab alijs gentibus adiri nequit: Maxima eius pars plana est, arboribusq́ue caret, ac multos hic illic vicos dispersos habet. In his domorum tecta è laterculis, cum testudine in acutum fastigium exeuntibus, confecta sunt. In medio foramen luci excipiundæ est relictum, per quod & fumus emittitur. Et quia ædium parietes omni ex parte benè coagmentati sunt, affatim contra frigus incolæ muniuntur. Qui propter niuis redundantiam, pleroque anni tempore, intra domos se continent: vbi, quæ suo conducant victui, præparata habent. Vites & arbores fœcundas aggesta tellure operiunt, perq́ue hibernam tempestatem ita relictas, vbi germinandi vices appetunt, regesta terra, iterum nudant. Natura hic tractus per omnia sic comparatus, vt neque viridis, neque amœni quicquam in eo conspiciatur. Sed nix candida & resplendens cum glacie congelata obtegit omnia. Nihil*

pra-

Praeterea auium hic nidulatur, nihil ferarum filuas percurrit. Vnde fit, vt per omnes terra partes, neque hospitium, neque accessus aduenis praebeatur. Nihilominus tamen rex, licet hac omnia expeditioni obstarent, folita prouectus audacia, & tolerantia Macedonum adiutus, hanc locorum difficultatem superauit. Hinc tamen euenit, vt militum, & eorum, qui extra ordinem sequebantur, plurimi, viribus destituti relinquerentur. Nonnullis fulgor niuis cum rigore, in oculis ipsorum refractus, perniciem afferebat. Nihil ex internallo perspicuè videri poterat, nisi quod fumus tantum pagos indicabat. Quod pro signo adstantium foco incolarum, Macedones accipiebant. Hoc itaque modo pagis illis occupatis, abundantia commeatuum (quos inuenerant) milites ex aerumnis sibi restituuntur. Et breui quicquid hominum ibi fuit, in ditionem regis concedit.

Túte iam hæc cum Curtio compone.

In carinae maxime modum.) Nec aliter in pleraque Germania tecta, quàm in carinæ, aut sepulchri aggesti formam fiunt & clauduntur, latera tamen æquali spacio vsque ad tecta surgunt; tecta ipsa carinam inuersam imitantur.

Vites et arbores.) Vitis & ficus etiam in Germania per hiemem terra obruuntur, quædam hypocaustis fouentur.

Plurimorum oculis perniciabilis fuit.) Geminum prorsus huic locum apud Xenophontem in 4. Anarbaseos leges, quem ingratiam lectoris iuuat subijcere. Narrat ibi Xenophon de exercitu Græcorum ab se ex Perside, ab Cyro Minore, cui suppetiatum ierant, in Græciam redeunte: *Cùm verò sub diuo hic pernoctassent, tam ingens calo nix decidit, vt non homines modò humi stratos & arma, sed ipsa etiam iumenta contegerentur: hic se homines pra torpore tollere non poterant: iacentes verò, qui niuem non excusserant, miserabile erat niue sepultos videre.* Et infrà: *Relicti de nostris multi sunt, qui oculos ex perpetuo niuium aspectu amiserunt. Multi item quibus gelu pedum digiti obstupuerant. Hic vnicum erat oculis præsidium si quid ante eos nigri prætendissent: pedibus, si corpus assiduè mouerent, & nunquam omnino quiescerent, ac si noctu calceamenta detraxissent. Nam si calceati decubuissent, tumescentibus pedibus aliè vincula imprimebantur, atque ita, vt calcei pedibus astricti, resolui nullo modo possent, præsertim cum veteribus calceis consumptis, carbatinis è boum recenti corio vterentur. Hi itaque malis quo minus cæteros consequi possent, retardabantur.* Tu lege porrò quibus artibus Xenophon torpentes, ab hostium imminentium impetu conseruarit. Lib. 4. de Expeditione Cyri pa. 327 in f. edit. Francof. vel pag. 224. v. 40. *pa. 226. v. 23 vel pag. 330. in fol. circa med. edit. Francof.

Rex agmen circuibat pedes.) Vide ingentem Alexandri curam, labores, vigilias, erga suos. O principem non Oriente, sed & Occidente, non nouo, sed pluribus etiam mundis dignum! Non recessit à virtute regis sui Antigonus, nepos ipse potius Alexandri, quam Alexander illius, qui auus fuisse, nepos non potuit, vti Seneca turpiter errat. nam neque auus, neque nepos fuit. *Antigonus*, inquit, *quadam nocte cùm quosdam ex militibus suis exaudisset, omnia mala imprecantes regi, quod ipsos in illud iter, & inextricabile lutum deduxisset, accessit ad eos, qui maximè laborabant, & cùm ignorantes, à quo adiuuarentur explicuisset, nunc, inquit, maledicite Antigono, cuius vitio in has miserias incidistis: ei autem bene optate, qui vos ex hac voragine eduxit.* Dignus equidem Antigonus, qui per rotas incederet. Seneca 3. de Ira. c. 22.

CAPVT V.

ARGVMENTVM.

Ad Caucasum (quem cum Tauro describit Curtius) accedit rex. Alexandriam ad montis radices ponit.



Tandem ad cultiora peruentum est, commeatuq. largo recreatus exercitus simul, & qui consequi non potuerant, in illa castra venerunt. Inde agmen processit ad Caucasum montem, cuius dorsum Asiam perpetuo iugo diuidit. hinc simul mare quod Ciliciam subit; illinc Caspium fretum, & amnem Araxem aliaque regionis Scythiæ deserta spectat. Taurus secunda magnitudinis mons committitur Caucaso, à Cappadocia se attollens Ciliciam praterit, Armeniaq. montibus iungitur: sic inter se tot iuga velut serie cohærentia perpetuum habent dorsum: ex quo Asia omnia fere flumina, alia

in rubrum, alia in Caspium mare, alia in Hyrcanium & Ponticum decidunt. 17. dierum spacio Caucasum superauit exercitus. Rupes in eo decem in circuitu stadia complectitur, in altitudinem quatuor excedit; in qua vinctum Promethea fuisse antiquitas tradidit. Condendæ in radicibus montis vrbi sedes electa est. 7. millibus Macedonum seniorum, & præterea militibus quorum opera vti desisset, permissum in nouam vrbem considere. Hanc quoque Alexandriam incolæ appellauere.

AGMEN AD CAVCASVM MONTEM PROCESSIT.) Omnes opinor terrarum descriptores Caucasum cum Tauro iungunt, & confundunt, Strabo, Plinius, Ptolemæus, Diodorus, Philostratus, Solinus, Curtius, Aristobulus, & ex illo Arrianus, Mela, Eustathius ad Periegetem. Sed nemo accuratius & planius super eo disputat, atque Goropius in Indoscythicis, qui & ex Plinio rationem nominis & discrimen duorum montium Tauri & Caucasi apertè ostendit, & omnia disertè exponit, cuius hoc loco pro interpretatione Curtij, verba apponerem, nisi pluscula essent, quæ tute
pag 474. leges.

Curtius tamen breuiter & Caucasum & Taurum describit, & docet Caucasum ab India surgere, & totam Asiam quasi mediam diuidere, aliudque eius latus meridiem & mare, quà Ciliciam subit, aliud Septentrionem, quà fretum Caspium & Araxeo amnem & Scythiæ regiones spectat. Solinus quoque eleganter in descriptione Tauri ipsum Caucasum conscendit, & per totam Asiam dedu-
p 85. c. 41. cit, his verbis: *Mons Taurus ab Indico primùm mari surgit: deinde, à scopulis Chelidonijs, inter Aegyptium & Pamphylium pelagus, obiectus Septentrioni dextro latere, læuo meridiana plaga Occidenti obuersus fronte profusa. Palam est, terras eum continuare voluisse penetrato mari, nisi profundis resistentibus ostendere radices suas vetaretur. Denique, qui periclitantur naturas locorum, tentasse eum omnes exitus promontorijs experiuntur: probant enim quod quoquouersum mari alluitur, procedit in prominentias: sed modo intercluditur Phœnicio, modò Pontico sinu, interdum Caspio vel Hyrcano: quibus renitentibus subinde fractus, contra Mæoticum lacum flectitur: multisq́; difficultatibus fatigatus, Riphæis se iugis annectit pro gentium ac linguarum varietate plurifariam nominatus: apud Indos Imauis, mox Paropamisus, Choatras apud Parthos, pòst Niphates, inde Taurus: atque vbi in excelsissimam consurgit sublimitatem, Caucasus. Interea etiam à populis appellationem trahit: à dextro latere Caspius dicitur, vel Hyrcanus, à læua Amasonicus, Moschicus, Scythicus. ad hæc vocabula habet alia multa. Vbi dehiscit hiulcis iugis, facit portas, quarum prima sunt Armenia, tum Caspia, pòst Cilicia. In Græciam verticem exerit, vbi Ceraunius prædicatur, à Cilicia finibus Asiaticum limitem dispescit: quantum meridiem videt, sole inæstuat: quidquid Septemtrioni oppositum est, vento tunditur & pruina: quod siluestre est, efferatur plurimis bestijs & leonibus immanissimis.*

Posiis & Philostrati descriptionem cognoscere lib. 3 cap. 1.

TAVRVS SECVNDAE MAGNITVDINIS MONS.) Primæ enim magnitudinis est Caucasus montium omnium altissimus, quamuis Tauro committatur, sed nomen illic Taurus mutat, & in Caucasum migrat. De Tauro iam suprà ex Solino plura, vti etiam Caucasi mentio. Montium porrò alter altero excelsior: sicut insularum alia maior, alia minor, quæ pro spacijs nomina maiorum,
pag 81. aut minorum sortiuntur, vt ex Scylace docui. In chronico Alexandrino iam olim à nobis verso, maximi & laudatissimi montes hoc ordine pro sua quisque altitudine & magnitudine collocantur. 1. Libanus in Syria. 2. Caucasus in Scythia, 3. Taurus in Cilicia, 4. Atlas in Libya secunda, 5. Parnassus in Phocide, 6. Cithæron in Bœotia, 7. Helicon Telmesi, 8. Parthenius in Thracia, 6. Nyssus Sina in Arabia, 10. Lycabetus in Chio, 11. Appenninus in Italia, 12. Olympus in Macedonia. Scripsit & auctor fluminum de montibus, sed de ijs duntaxat, qui imminent fluminibus.

ALIA IN CASPIVM, ALIA IN HYRCANIVM ET PONTICVM INCIDVNT.) Videtur tria hic maria seiuncta & distincta facere Curtius, cùm Caspium & Hyrcanum in omnibus hydrographicis tabulis idem sit mare, nisi quod Caspium dicatur qua ad Isthmum ponticum & Occidentem pertinet, Hyrcanum verò è regione, quà Orientem spectat. Caspias enim portas, montes inter Euxinum & Caspium mare cum Caspio confusum procul à portis abest.

pag. 553. SEPTENDECIM DIERVM SPATIO.) Siculus sedecim dies ponit: Μετὰ δὲ ταῦτα, inquit, παρελθὼν πλησίον τοῦ Καυκάσου κατεστρατοπέδευσε, ὅλως παροπάμισον ὄρος προσαγορεύουσι. τὸ δ' ὄρος τοῦτο κατὰ πλάτος διελθὼν ἐν ἡμέραις ἑκκαίδεκα πόλιν ἔκτισε κατὰ τὴν εἰσβολὴν τὴν φέρουσαν εἰς τὴν μηδικήν, ἣν ὠνόμασεν ἀλεξάνδρειαν. *Post hæc ad Caucasum progressus castra posuit. A quibusdam mons ille Paropamisus nuncupatur. Hunc, quà latitudo eius tenditur, intra dies 16. transgressus, vrbem condit ad portam, quà in Mediam via aperitur, quam Alexandriam nominauit.*

RVPES IN EO DECEM IN CIRCVITV STADIA COMPLECTITVR, IN ALTITVDINEM QVATVOR EXCEDIT; IN QVA VINCTVM PROMETHEA FVISSE ANTIQVITAS TRADIDIT.) Idem prorsus Diodorus.

a pag. 471. Sed enim a Strabo, b Arrianus, Eustathius, Ptolemæus Caucasum illum, in quo Prometheus vin-
b lib. 3. pag. ctus traditur, non in Indico Caucaso, sed in Scythico, qui est inter Ponticum & Caspium mare col-
145. in 8. locant,

locant,atque adulatores Alexandri Caucasum illum cum Prometheo in gratiam Alexandri ad Indicum vsque Caucasum transtulisse affirmant.

Idem Eratosthenes apud Arrianum,& plura etiam narrat,sed omnia testatur in Alexandri gratiam ficta,à quo tamen Arrianus in nonnullis dissentit,quæ ad Liberum pertinent: p.102 in f.

Idem Arrianus in Indicis,Paropamisum à Macedonibus ex adulatione Caucasum dictum affirmat,cum nihil cum Caucaso habeat commune. *Antrum quoque illud* , inquit , *quod apud Paropamisadas esse acceperunt Promethei Titanis esse dixerunt* , *in quo ille ob ignem furto sublatum suspensus fuerat.* Eustathius ad Periegeten omnia disertè exponit,quæ tibi è Græcis,meis verbis reddam (quod prolixior sit locus)In hæc verba: *Sciendum,esse qui putent hac de Baccho & Hercule fide carere, & fabulosa,omniaq́; per adulationem conficta.Omnia enim,inquiunt , quæ de vinculis Promethei tradita sunt, facta esse in Septentrionali Caucaso(non Indico.)Macedones verò vt Alexandro palpum obtruderent, Caucasum ex alia cæli regione verbo transtulerunt ad mare & montes Indicos:adeoq́; ipsi palpatores & Iactū ibi quoddam spelaum apud Paropamisadas situm Alexandro ostenderunt, quod carcerem Promethei fuisse affirmant,Herculemque illuc venisse ad illum liberandum,atq́; vt verbis fidem adderent,dixêre boues adhuc illic videri clauæ Herculis,quod insigne illius fuit,inustos,vt hac ratione ad easdem terræ partes Hercules venerit,nec Alexandrum ex adulatorum sententia aut Herculi aut Libero dissimilem,quod & ipse pari modo cum illis aliunde illuc vsq́; penetrarit. Et hæc quidem prisci illi (cotaces & colaces Alexandri.) Quod si cum illis adulatoribus aliquo modo colludendum fit,multo ingeniosius erat ad adulationem nihil horum fingere,sed potius negare,Herculem & Liberum eousque vnquam aspirasse.quo Alexander peruenerit, illumq́; eiusmodi per adulatores deceptū credidisse,loca terrasq́; adiisse,quæ nec Hercules vnquam,neq́; Bacchus Ioue nati viderint, adierintue.Idem porrò Alexandri colaces Caucasum nominarūt simul & Paropamisum,& Emodum,& Imaum Indiæ montes.* P 138.col. 2.v.3.

Possis & Philostratum hic inspicere in Apollonij Thyanei vita . Cæterùm quid Prometheus commiserit,vt in crucem ageretur,docent omnes veterum fabulæ. Aeschylus tragicus primo dramate *Prometheus* inscripto,Hesiodus in ἔργοις & θεογονίᾳ.Lucianus duob. dialogis vol.1.Prometheus seu Caucasus,& Promethei ac Iouis.Claudianus in 4 panegyrico consulatus Honorij & Augusti, Hyginus Fabulis,Phurnutus prolixè,Fulgentius in Mythologico , Petronius Arbiter in hendecasyllabo,Seruius ad sextam Virgilij Eclogam , Apollonius l.3.Ouid.1.Metam.Horat.in 1.Carminum.Propert.lib.3 Iulianus epigrammatographus,Menander , Pausanias in Atticis , Orpheus in hymnis.Natalis Comes Mythologia l.4.c.6.Gyraldus in Vulcano Syntagm.13.Ioann.Tzetzes Chil. 6.n.82.sed præter hos omnes Goropius nouo more,ratione,ingenio,sensu ab omnibus diuerso, fabulam doctissimè in Indoscythicis explanat,omniaque ad Noam arcæ fabricatorem refert. *Hoc igitur cum ageret*,inquit,(arcam molitetur & impios ad mores corrigendos adhortaretur) *atque fortè, vt fit,impij videndi causa aliquando accederent,viderentq́; eum,vt vanum & delirum.qui illa ; quæ tanto post essent futura,se scire crederet,hortarenturq́;,vt stolido proposito & insano opere supersederet,atque à montibus,& agresti & dura vita ad molliorem se transferret,tandem nihil audiens,sed contrà increpans; occasionem dedit,vt fabulam eum facerent,dicerentq́; Prometheum Caucaso alligatum, cuius viscera vultur depasceret,à Ioue immissus,quod ignem surripuisset. Quo nomine id sua tum lingua fecerint , nihil ad nos,quando commentarijs nullis id proditum videmus:hoc certè video , reliquias quasdam obscuras huius memoriæ occasionem dedisse vetustissimis Græcorum de Prometheo fabulandi . Sed quia veræ historiæ erant ignari,longè recesserunt à veritate. Nam Prometheum Iapeti faciunt filium,cum hic illius fuerit . deinde Deucalionem Promethei monitu Larnacem compegisse aduersus Iouis consilium , quo vniuersos mortales perdere statuisset.Ego rem ita opinor ad posteros venisse,Iano narrante:Patrem suum apud homines dictū fuisse Prometheum,per derisionem,revera tamen Prometheum fuisse non sua,sed diuina scientia,idest, consilium hominibus dedisse,quo ita Dei extingueretur:sed frustra Epimetheo,idest,populo Gigantum nihili pēdente admonitionem futurorum.Quia verò post tot annos omnes interituros dicebat; nisi vitam emendassent,cauillabantur,eum vulturem in visceribus alere,qui cadauera tanto interuallo temporum & locorum præsentiret:atque hunc illi tortorem datum esse ; atq́; carnificem à Ioue , propterea quod diceret totum orbem vndis obruendum,quasi omnis ignei elementi vis esset Ioui surripienda. Huius igitur furti ipsum pœnas pendere,non quod id commisisset,verùm quod cogitasset. Nam qui alioqui aqua omnia superatura fuissent,nisi quis Ioui igneum elementum surripere proposuisset ? Quis verò proposuisse iudicari potius poterat; quam is qui se conscium dicebat aqueum elementum superaturum? Iam dicebant,à Ioue Caucaso alligatum, eo quod illinc nunquam ferè discederet, sed operi tanquam metallicus quispiam vinctus semper assideret. Hæc igitur omnia,& id genus alia in eum conuitia torquebantur:quæ Ianus cum liberis suis narrasset , in causa fuit,vt multa cæca fabula hinc confingerētur.Scio Promethei nomen Deo tribuendum sicut & Saturni,& Iouis,& Mercurij,& id genus alia,quibus diuersæ in Deo potestates indicantur:sed hæc,vt quaque vis diuina maximè in aliquo illuxit,ita ei tributa fuisse sic Noam,Saturnum nominarunt,à vi seminis: Prometheum , à consilio & prouidentia : Græci certè Prometheum benè diluuio euitando præposuerunt , sed malè à Deucalione separarunt . Idem enim fuit , sed diuersis temporibus: Prometheus ante diluuiū, Deucalion in diluuio.Hæc intellecta,cum fabulis lucem adferunt,& ab eis falsa figmenta tollunt, tum do-* li.2.c.2. Apolloni.

cent ad Caucasi radices arcam factam fuisse, quod mihi toto hoc primæ hominum habitationis & diuisionis discursu, propositum fuit probare. Atque hæc de Prometheo satis, de quo etiam noster Salianus Anno Mundi CIƆ IƆLVII. num. XXIV.

Salianus tom. 1. pag. 1, 1. edit. Col.

PERMISSVM IN NOVAM VRBEM CONSIDERE) Grammatici quidem tradunt propositionem *in*, cum motum ad locum significat, quarto casui iungi, cum quietem in loco, sextum habere. Atqui noster sæpius cum alijs optimis scriptoribus neglecta grammaticorum lege aliter loquitur, vt *In Ciliciam fuit: in conspectum fuit*: & hoc loco, *in vrbem considere*. Ita alij dixére, *in mentem fuit: in medium relinquere*, vti * suprà demonstratum.

* l. 3. c. 10.

ALEXANDRIAM INCOLAE APPELLAVERVNT) Quot vrbes hoc nomine, & vbi locorum condiderit Alexander in Prolusionibus est dictum.

CAPVT VI.

ARGVMENTVM.

Bessus super mensa debellat Alexandrum, applaudunt ebrij adulatores. Cobares Medus & magus suadet Besso deditionem, fugit ad Alexandrum. Bessus copias acturus cum suis trans Oxum ad Sogdianos se confert.



AT Bessus Alexandri celeritate perterritus, dijs patrijs sacrificio ritè facto, cum amicis ducibusque copiarum inter epulas, sicut illis gentibus mos est, de bello consultabat. Grauet mero suas vires extollere, hostium nunc temeritatem, nunc paucitatem spernere. Præcipuè Bessus ferox verbis, & parto per scelus regno superbus, ac vix potens mentis, dicere: socordia Darij creuisse hostium famam. Occurrisse enim in Cilicia angustissimis faucibus, cum retrocedendo posset perducere incautos in loca naturæ situ inuia, tot fluminibus obiectis, tot montium latebris, inter quas deprehensus hostis, ne fugæ quidem nedum resistendi occasionem fuerit habiturus, sibi placere in Sogdianos recedere. Oxum amnem velut murum obiectutum hosti, dum ex finitimis gentibus valida auxilia concurrerent. Venturos autem Chorasmios & Dahas, Sagasque & Indos, & Tanaim amnem colentes Scythas, quorum neminem adeò humilem esse, vt humeri eius non possent Macedonis militis verticem æquare. Conclamant temulenti hanc sententiam salubrem esse: & Bessus circumferri merum largius iubet, debellaturus super mensa Alexandrum. Erat in eo conuiuio Cobares natione Medus, sed magicæ artis (si modò ars est, non vanissimi cuiusque ludibrium) magis professione quàm scientia celeber, alioqui moderatus & probus. Is cum præfatus esset, scire seruo vtilius esse parere dicto, quàm afferre consilium, cum illos qui pareant, idem quod ceteros maneat, qui verò suadeant proprium periculum: poculum ei quod habebat in manu, tradidit: quo accepto Cobares, Natura, inquit, mortalium hoc quoque nomine praua & sinistra dici potest, quod in suo quisq; negotio hebetior est, quã in alieno. Turbida sunt consilia eorum, qui sibi suadent. Obstat alijs metus, alijs cupiditas, nonnunquam naturalis eorum quæ cogitaueris amor: nã in te superbia nõ cadit. Expertus es vnũquẽq;, quod ipse repereris, aut solũ aut optimũ ducere. Magnũ onus sustines capite, regium insigne, hoc aut moderatè perferẽdum est, aut, quod abominor, in te ruet. Cõsilio nõ impetu opus est. Adiicit deinde quod apud Bactrianos vulgo vsurpabãt, Canẽ timidũ vehemẽtius latrare, quã mordere: altissima quæq. flumina minimo sono labi. Quæ inserui, vt qualiscũq; inter barbaros potuit esse prudẽtia, traderetur.

In

In his audientium suspenderat expectationem. Tum consilium aperit, vtilius Besso quam gratiut. In vestibulo, inquit, regia tua velocissimus consistit rex. Ante ille agmen, quam tu mensam istam mouebis. Nunc ab Tanai exercitum acerses flumina oppones: scilicet qua tu fugiturus es, hostis sequi non potest. Iter vtrique commune est, victori tutius. Licet strenuum metum putes esse, velocior tamen est spes. Quin validioris occupas gratiam, dedisque te? vtcunque cesserit, meliorem fortunam deditus quam hostis habiturus. Alienum habes regnum, quò facilius eo careas. Incipies iustus esse rex, cum ipse fecerit, qui tibi & dare potest regnũ & eripere. Consilium habes fidele, quod diutius exequi supernacuum est. Nobilis equus vmbra quoq; virga regitur, ignauus ne calcari quidem concitari potest. Bessus & ingenio & multo mero ferox, adeò exarsit, vt vix ab amicis, quò minus occideret eum (nam strinxerat quoque acinacem) contineretur. Certè è conuiuio prosiluit, haudquaquam potens mentis. Cobares inter tumultum elapsus ad Alexandrum transfugit. Octo millia Bactrianorum habebat armata Bessus, qua quamdiu propter cæli intemperiem Indiam potius Macedonas petituros crediderant, obedienter imperata fecerunt. At postquam aduentare Alexandrum compertum est, in suos quisque vicos delapsi Bessum reliquerunt. Ille cum clientum manu, qui non mutauerant fidem. Oxo amne superato, exustisque nauigijs quibus transierat, ne ijsdẽ hostis vteretur, nouas copias in Sogdianis contrahebat.

Dis patriis) Persarum vel Bactrianorum ritu dijs suis, quos suprà expressi, & fusè ex Herodoto, Xenophonte, Strabone, alijs tradit Brissonius. Ritus autem hosce sacrorum acceptos à Zoroastre Bactrianorum rege, Persis & Bactrianis dictatos existimem, vt qui eisdem etiam leges tulerit, primus is artes magicas inuenisse dicitur & mundi principia, siderumque motus diligentissimè spectasse. Alex. ab Alex pa. 339. in paruo. Iust. l. 1.

Inter epulas de bello consultabat) Hoc Persæ etiam, hoc veteres Græci, hoc Romani quoque factitasse rerum scriptores testantur. Ammianus Marcellinus, *Inter epulas*, inquit, *de apparatu bellorũ, & serijs rebus apud Persas, Græcorum more veterum, consultari solet.* Strabo. ἐν οἴνῳ τὰ μέγιστα βουλεύοντα. καὶ βεβαιότερα τῶν ἐν τῷ νήφοντι. *Inter pocula de rebus maximis consultant, eaq; firmiora ijs quæ sobrij decernunt.* Alexander Neapol. *Et Græci, quibus vetustissimo more vsurpatur, vt postquam magnificè epulati fuerant, quasi refoto animo, de bellis decernunt largioribus poculis.* De populo Romano Liuius, quando L. Aemilium facit apud populum concionantem: *Nam nunc quidem*, inquit, *quod vulgò fieri hoc præcipuè bello animaduerti, nemo tam famæ contemtor est, cuius non debilitari animus possit. In omnibus circulis, atque etiam, si dijs places, in conuiuijs sunt qui exercitus in Macedoniam ducant, vbi castra locanda sint, sciant, quæ loca præsidijs occupanda, quando, aut quo saltu intranda Macedonia, vbi horrea ponenda, qua terra, mari, subuehantur commeatus, quando cum hoste manus conserenda, quando, quãdo quiescendum sit. Nec quid melius faciendum sit quam statuunt, sed quicquid aliter quam ipsi censuêre, factum est, consulem veluti dicta die accusant.* lib. 18. lib. 15. Alex. ab Alex. genial. dierum li. 5. c. 21. pag. 762. Lib. 34.

Graves mero suas vires tollere) Planè in galeatos hos & madidos lepores, ac timidas vulpes conuenit Græcorum senarius:

> Οἴκοι λέοντες, ἐν μάχῃ * ἀλώπεκες
> *Leones in conuiuio, lepores in campo.*
> --- Πᾶσιν δὲ παραὶ ποσὶ κάππεσε θυμός.
> --- *Inque pedes cunctis meus decidit imos.*
> *Dux lingua, quàm manu promtior.*

* vulpes. Iliad. ε.

Cum retrocedendo) Hoc sanè Dario suaserat suprà non Bessus, sed Thymodes Græci militis ductor, qui mercede militabant contra Græcos. *Iamq; Græci milites*, inquit, *quos Thymodes à Pharnabazo acceperat præcipua spes & propemodum vnica ad Darium peruenerant. Hi magnoperè suadebant, vt retro abiret spatiosos que Mesopotamiæ campos repeteret. Si id consilium damnaret, at ille diuideret saltem copias innumerabiles, neu sub vnum fortunæ ictum totas vires regni cadere pateretur.* lib. 3. c. 13.

Angustissimis faucibus) Cilicia, vti suprà explanatum est, admodum aspera est, & tres angustissimos aditus habet, per Taurum è Cappadocia, è monte Amano quæ Amanicæ pylæ dicuntur, & è Syria quæ portæ Ciliciæ vocantur. Gratulabatur sibi iam tum Alexander lætus, quod omni expetierat voto, in illis potissimum angustijs decernendum fore. l. 3. c. 16.

Tot fluminibus) ijsque maximis Euphrâte, Tygri, Araxe, & alijs.

Montium) Gordyæorum, & Armeniæ, & Susiorum, & Vxiorum rupium voraginibus ab Alexandro post prælium ad Gaugamela superatis.

In Sogdianos) Horum multa & suprà & infrà mentio, vbi regio quoque illorum describitur. c. 24 libri huius.

Oxum) Cum hic primùm Oxus amnis occurrat, & infrà sæpius recurrat, iuuabit aliquid de illo ex optimis auctoribus memorare, ac primum de etymo & vocis origine; tum de flumine ipso.

Goro-

Goropius in Indoscythicis à Cimmeria seu Scythica, hoc est, Germanica voce dictum ait Oxum; quod prima syllaba Germanis bouem sonet. Flumina autem ex * Aeliani sententia non pauca bo-
*In variâ
*L.5 p.469. um imagine veteribus pingi consueuerūt. Porrò, inquit *Goropius, *nec ipsa flumina præcipua Oxus & Iaxartes aliundè videntur, quam de prisca illa lingua nomina retinuisse. Aelianus in varia historia commemorat apud plurimas gentes fluuios imagine boum pingi, vt apud Stymphalios, Erasinum, & Metopam: apud Lacedæmonios, Eurotam: apud Sicyonios & Phliasios, Asopum: apud Archiuos, Cephisum. Hinc de Acheloo in taurum mutato & de Hercule cornu eius defringente exorta est fabula. Nihil igitur absurdi mihi dicere videbor si Oxum à capite bouis dictum esse affirmem. Ox enim vel Osch, vt alij proferunt, bouem notat,*
*haupt * *hôt verò caput. ita vt Oxhôt caput sit bouis, aspiratione in sibilo duplicis literæ delitescente. Hinc Græci Oxos, Latini more suo Oxus fecerunt. Causa nominis à magnitudine capitis videtur petita, quod latissima fronti duo magna fluminis ostia veluti cornua addita viderētur, quibus contra mare Caspium veluti Taurus magno boatu irruit, Acheloo bicorni longè vastior, & in vtroque ostio insulas aliquot complexus. Iaxartes facilis est intellectu, si exponatur quid sit* Jaghart, *quod nobis idem est quod accelero vehementer,* Jagen *enim accelerare est, &* hart *vehementer. vnde venatores à celeritate qua vti debent, dicuntur* Jagers. *Hic enim arctior multò est quam Oxus, quo fit vt celerius quoque rapiatur. Arrianus, nisi liber meus sit mendosus, Oxantem ab incolis à Græcis Tanaim dicit nominari, agnoscens tamen alienum esse Tanaim ab Herodoto descriptum, qui Europam ab Asia discernat. Ortus est hic error ex eorum adulatione, qui credi voluerunt Alexandrum ad Tanaim vsque penetrasse, non minore à veritate internallo, quàm illud est quod inter vtrumque fluuium continetur. Hinc de aris Alexandri ad fictitios Riphæos montes sitis: hinc de legatione ab Europa à Scythis missa: hinc de Amazonibus commenta prodierunt.* Hæc Goropius. Nunc de flumine ipso audiamus. Non immeritò Bessus Oxo traiecto in Sogdianos fugit, vt flumen, quod Bactrianos à Sogdianis diuidit, tanquam murum obijceret, quod illud Alexander ægrè transiturus videbatur. Nam
l.3.p.74.f. ita Arrianus: *Oxus fluuius è monte Caucaso fluit, omnium Asiæ fluminum quotquot Alexander cum exercitu adijt maximum, Indorum fluminibus exceptis, hæc enim omnia flumina magnitudine superant. Oxus porrò in mare magnum iuxta Hyrcaniam influit. conanti Alexandro flumen transire, nulla se facultas offerre videbatur. namque eius latitudo ad sex maximè stadia extenditur; altitudo latitudini non respondet, sed profundior & sabulosus est. Cursus fluminis adeò rapidus, vt facilè quæ vado infixa fuerint, subuertat, secumque rapiat, vtpote quæ ob sabulum firmiter stabilita non sint. adhæc, materia etiam pontibus struenda deerat. Multum præterea moræ faciendum videbatur, si ex longinquo apportanda essent quæcunque ad flumen ponte iungendum erant necessaria. Collectis itaque pellibus, sub quibus milites in tentorijs degebant, sarmentis quàm maxime siccis eas impleri, accurataque vinciri & consui iubet, ne aquam aliqua ex parte admittere possent. quibus ita obligatis & consutis, exercitum quinque dierum spatio traduxit.*
li.hoc c.25. Curtius infrà limosum & semper turbidum fluere dicit, & potui insalubrem. proinde mirum non est, quod hic narrat multo plures ex hausto intemperantius flumine, quàm vllo prælio interijsse. Laudat Oxum & Dionysius in sua periegesi.

p.91.

Τοῖς δ' ἔπι πρὸς βορέην χωρασμιοι οἷς ἔπι γαῖα
Σογδιὰς, ἧς διὰ μέσσον ἑλίσσεται ἱερὸς Ὦξος,
Ὅστε λιπὼν Ἠμωδὸν ὄρος, μετὰ Κασπίδα βάλλει.
Hos autem, post ad Boream Chorasmij post quos terra
Sugdiana, cuius per medium voluitur sacer Oxus,
Qui linquens Emodum montem in Caspium (mare) labitur.

*c.25.
*c.52.
*L.6.c.16. Quæ Eustathius hic de fonte reperto narrat, *infrà suo loco monebimus. *Solinus Oxum ex lacu Oxo deducit, ad cuius oras ait colere Henichos, Batenos, Oxios, Tagas, & maiorem partem Bactros Plinius * *Derbices quorum medios fines secat Oxus amnis, ortus in lacu Oxo.* Plutarchus in Alexādro, de eodem Oxo. Sed hunc locum in prolusionibus adduximus.

CHORASMIOS) Hos, vt legisti, Dionysius post Sogdianos ponit: Nec Plinius tacet. * Strabo
*lib.11. Chorasmusinos indigetat: τοῦ δὲ τῶν Μασσαγετῶν καὶ τῶν Σακῶν ἔθνος, καὶ οἱ Ἀττάσιοι καὶ οἱ Χωρασμιοι, εἰς οὓς ἀπὸ τῶν Βακτριανῶν καὶ τῶν Σογδιανῶν ἔφυγε Σπιταμένης, εἷς ἐκ τῶν ἀποδράντων Περσῶν τὸν Ἀλέξανδρον, καθάπερ καὶ ὁ Βῆσσος, καὶ ὕστερον δὲ Ἀρσάκης τὸν Καλλίνικον φεύγων εἰς τοὺς Ἀσπασιάκας. *De Massagetarum & Sacarum gente sunt etiam Attasij & Chorasmusini, ad quos è Bactrianis & Sogdianis fugit Spitamenes Persarum vnus, qui ab Alexandro profugerunt, vt & Bessus. Sed & Arsaces postea cum fugeret Callinicum ad Aspasiatras se contulit.*

DAHAS) dictum aliquid de his lib. 4. c. 27. Strabo Daas sine aspiratione appellat in 11. οἱ μὲν δὴ πλείους τῶν Σκυθῶν ἀπὸ τῆς Κασπίας θαλάττης ἀρξάμενοι Δάαι προσαγορεύονται, τοὺς δὲ προσεώους τούτων μᾶλλον Μασσαγέτας καὶ Σάκας ὀνομάζουσι. *Plerique Scytharum, qui à Caspio mari incipiunt, Daæ appellan-*
c.20. *tur. Orienti viciniores Massagetæ & Sacæ.* Solinus: *Chalybes & Dahæ in parte Asiatica Scythiæ crudelitate nihil ab immanissimis discrepant.* Et c.52. *Inter Scythas etiam cum alijs gentibus Dahas recensent.* Est horum etiam apud Plinium & Melam passim mentio.

*li.6.c.4. SAGASQVE) hos alij plerique Sacas vocitant, Mela Sagas, vt suprà * monui; Scythasque communi nomine plerosque Sagas dici affirmat. Originem huius vocis copiosissimè explicat Goropius in Saxonicis, vbi simul ostendit, quid sit *Saga, Sagio, præsagio, sagax, sagmina, sagaris*, & hoc genus alia,
quæ

que multis paginis pertractat, ad quas curiosum lectorem mitto. Recentioribus iidem sunt Sacę, qui priscis Sagæ. De Sacis multa passim Strabo, Ptolemæus, Plinius, alij. Sed res Sacarum gestas & bella & bellatrices ac belluas Sacarum enucleatius exponit Siculus in Bibliothecæ suæ secundo, vbi Zarinam Sacarum reginam laudat, & pyramidem illi post mortem erectam scribit. quæ ego ne longior sim, prætereo. Gens, vno verbo, est Scythica, & Scythas Persæ communi voce omnes Sacas appellitant: sicut Scythæ Persas, Chorsacos.

TANAIM AMNEM COLENTES SCYTHAS) Non penetrauit ad hoc flumen Alexander, sed ad Iaxartem, quem Scythæ Silin nominant, Exercitus Alexandri Tanain credidi. Verùm Dæmodamas, inquit Solinus, dux Seleuci & Antiochi satis idoneus auctor, transuectus amnem illum, titulos omnium supergressus (Herculis, Liberi, & Alexandri) alium esse, quam Tanaim deprehendit. Arrianus ab accolis nô Iaxartem, sed Orxantem dicit appellari, nec illum esse qui Europam ab Asia diuidit, sed diuersum ab illo: Describit hunc Strabo initio libri 11. Curtius infrà, ad quem locum plura. l.3.p.76.F.

QVORVM NEMINEM ADEO HVMILEM ESSE, VT HVMERI EIVS NON POSSENT MACEDONIS VERTICEM AEQVARE.) Quantopere barbarorum horridi vultus, & procerę Titanum, Cyclopum, & Gigantum moles totos terruerint exercitus, docent historiæ. ac de Germanis tradit ipse Cæsar, cum suas legiones ad aliorum duntaxat narrationem, affirmat pænè exanimatas: adi ipsum Cæsarem. l.1.p.29. in 4.

Inde factum etiam, vt Marius aduersus Cimbros prælium commissurus, priusquam manus consereret, ne subitò barbarorum truculento aspectu & habitu sui percellerentur, eos sæpius vallum castrorum ascendere iuberet, vt inde hostium vultus, promissas comas, hirsuta ora, giganteam proceritatem corporum contemplarentur, atque spectaculis huiuscemodi adsuescerent. Vnde, firmatis militum animis victoriam ab eisdem reportauit. Proinde sapienter Vegetius censuit cum scripsit: *Animus penè omnium hominum hoc naturaliter euenit, vt trepident, cum ad conflictum venerint. Sine dubio autem formidolosiores sunt, quorum mentes ipse confundit aspectus. Sed hoc remedio formido lenitur, si antequam dimices, frequenter exercitum tuum locis tutioribus ordines, vnde & videre hostem, & agnoscere consuescant.* Quid si accedat horrendus elephantorum barritus, aliæque turres armatorum, quos immanes beluæ dorso ferunt? si equitum galeæ rictibus ferarum terribiles, aliaque insitata & militi domestico antea inuisa? Plut. in Marco. l.3.c.12.

Sed enim Macedones nec huiusmodi laruis galearum, nec vastis molibus corporum, nec insolito elephantorum occursu, nec subito quadrigarum incursu, iam pridem omnibus huiusmodi spectaculis adsueti, terrebantur: Vti frustrà fuerit Bessus talia fortibus viris minando.

CONCLAMANT TEMVLENTI) *οἱ θεράποντες ἰάκχου, οὐ θεράποντες ἄρηος.*

Induperator conuiualis, non martialis.

COBARES) Siculus Bagadaram appellat, qui rem copiosius exponit: P.554.

COBARES MAGICAE ARTIS PROFESSIONE CELEBER) Multa super magis, & magia supràex Brissonij regno Persico allata & disputata, quæ tu apud eundem videbis l.2.p.179. Hic Curtius videtur de Magia superstitiosa, præstigiatrice, & dæmoniaca loqui. Omnis magiæ, naturalis, artificialis, & præstigiatricis formas describit doctissimus noster Delrius Disquis. mag. l.1.c.2. quem consules. Curtius de artificiali videtur loqui, cum artem appellat.

NATIONE MEDVS) Medi cum Persis magiæ repertores traduntur, credo quod Medea, à qua* gens nomen accepit, magiæ disciplinam suis tradiderit. Suidas in voce *μαγική· ταύτην ἐφεῦρον Μῆδοι καὶ Πέρσαι ἣ διαφέρει τῆς γοητείας καὶ αὐτῆς φαρμακείας. Hanc Medi & Persæ inuenerunt, quæ differt à præstigijs & veneficijs.* Iustinus tamen in primo, Zoroastri Bactrianorum regi magiæ inuentionem adscribit. *vel eius filio Medo.

CVM PRAEFATVS ESSET) Cum reliqui duces & conuiuæ, Bessi consilium laudassent, eique certatim acclamassent, & crater fausta Besso precantium, Alexandrumque execrantium, in orbem iret, iamque ordo Cobarem tangeret, siue is proximus Besso, siue extremus, siue medius assideret, priusquam exponeret, quod sentiret, modestè quasi deprecaturus dandi consilij officium, non ignorare se dicit, *seruo* (ita administri regum quamuis purpurati, amici, & duces se demissionis gratia vocabant, & à regibus appellabantur) *vtilius esse parere quam consilium dare*, quod parendo commune duntaxat omnibus periculum sit expectandum aut subeundum; consulendo verò, si res malè cedat, proprium sibi creet exitiû. Consilium enim, etiam bonum, consultori pessimum, quando malè cedit. Dum hæc modestè præfatus esset Cobares, & Bessus multo mero calens nondum assequeretur, quorsum Cobaris præfatio pertineret, poculum, quod manu tenebat, Cobari tradit. Nam hæc mens Curtij, non illa, quasi Cobares Besso propinasset, vt verba non optimè inter se cohærentia videntur docere. *Is (Cobares) cum præfatus esset* &c. poculum ei propinauit, verba sonant, quasi Cobares Besso poculum tradidisset: is inquit poculum ei propinauit, Cobares Besso intelligeres sed Bessus ei (Cobari) porrexit desideratur, vox Bessus ante vocem (ei) collocanda. Cobares priusquam poculum libaret, cœpit à communi loco & sententia attentos reddere auditores.

NATV-

NATVRA MORTALIVM PRAVA ET SINISTRA)Notus senarius:

Hebes minus in aliena quis re, quam in sua est.

Nemo sibi satis sapit vnquam.

Accinunt oracula sacra. *Ne innitaris prudentiæ tuæ. Ne sis sapiens apud temetipsum.* Illa demum vera prudentia est, suæ non nimis fidere prudentiæ.

TVRBIDA SVNT CONSILIA EORVM QVI SIBI SVADENT)An hinc natus senarius?

Qui consulit sibi, turbidè sibi consulit.

METVS, CVPIDITAS)affectus principes metus, cupiditas, odium, spes, ira. quæ

Impediunt animum ne possit cernere verum?

NATVRALIS AMOR)*φιλαυτία* mentem occœcat. Verè Socrates dixit, Rectius de partu iudicare obstetricem, quam matrem.

IN TE SVPERBIA NON CADIT)Hoc Cobares magis ex *ἐπαινία*, quam animi sententia dixit. quid enim adegit Bessum, vt Darium occideret, diadema & purpuram indueret, quam superbia?

QVOD IPSE REPERIT)Quot versus, tot sententiæ, quod vt verè Cicero de Euripidis carminibus dixit, ita de Curtio dici possunt, vbi orationes instituit. Hic respicit parœmiam:

Suum cuique pulchrum.

de qua parœmiographus totas paginas conscripsit, quem tu, si lubebit, videbis. Idem senarius docet,

Sæpè peccat semet vno consultore qui vtitur.

REGIVM INSIGNE)diadema. Quis nescit verba Curtij sole clariora, sed volet politiorum literarum doctor, in cuius gratiam hæc potissimum commentamur, verba sententijs & exemplis confirmari. vtrumque accipe. Exemplum è Val. Max. *Rex etiam ille*, inquit, *subtilis iudicij, quem ferunt traditum sibi diadema, priusquam capiti imponeret, retentum diu considerasse, ac dixisse: O, nobilem magis quàm fœlicem pannum! quem si quis penitus cognoscat, quàm multis solicitudinibus & periculis & miserijs sit refertus, ne humi quidem iacentem tollere vellet.*

l.7, c.2. n.5. inter externa.

Græcè ἄνακτας reges, ἀπὸ τοῦ ἀνακῶς ἔχειν dictos, à gerendis curis Plutarchus interpretatur, Proinde officium regis, *Admittere in animum totius reip. curam, & populi fata suscipere, & oblitum quodammodo sui, gentibus viuere. Accipere innumerabiles vndique nuncios, totidem mandata dimittere, de tot vrbibus, nationibus, & prouincijs cogitare, noctes omnes diesq; perpeti solicitudine, pro salute omnium cogitare. Rex verus*, inquit apud Aelianum Antigonus, *seruus est suorum, non herus.*

Lips. in Exemp. Poli. c.7. e Seneca, & alijs. In varia. cap.20.

CONSILIO, NON IMPETV OPVS EST)*Consilia sæpè perdit optima impetus.* Velleius l.2. *Dissuadebant optimates, sed consilia impetu victa sunt.*

CANEM TIMIDVM VEHEMENTIVS LATRARE)*Latrat magis canis, quam mordet degener. Thrasonum est*, inquit Adagiographus, *turgidis minis dira moliri. At Chremes ad rem gerendam promptior. Sic & Athenienses ad bene dicendum, quàm ad grauiter agendum accommodatiores fuisse leguntur. Nec Aeaci promtum fuit dicere, nec Vlyssi bellare: Et Lacedæmonij verbis parcissimi, virtute longè præcelluerunt. Et apud Homerum Græci taciti pugnam ineunt, sed vim spirantes, cum barbari immani clamore accurrerent. Denique, mulieres lingua melius, quam viri belligerantur. Q. Curtius eodem in loco subijcit allegoriam, huic similem, Altissima quæque flumina minimo sono labi.* Nobile huius dicti Curtiani documentum infrà est l.9.c.2. *Nobiles*, inquit, *ad venandum canes in ea regione sunt, latratu abstinere dicuntur cum vidêre feram, leonib. maximè infesti.*

p 801.

Altissima quæq; flumina minimo sono labuntur.

Minimo sono labuntur flumina maxima.

Hoc, inquit Gruterus, Principibus inculcandum, qui norint, peragere tranquillam potestatem, quod violenta nequeat. violenta nemo imperia continuit diu. Sed meo iudicio non hoc à Curtio hic dicitur, qui stolidos ait inconsultè agere, vociferari, tumultuari, clamitare; sapientes contrà tacitè consilia premere, locumque & occasionem dicendi agendique captare & expectare, ac tum demum instare, vrgere, & rem ad fœlicem exitum deducere.

QVALICVNQVE INTER BARBAROS PRVDENTIA) sæpè profectò maior quàm inter Græcos & Romanos. Quoties à Barbaris capta est Roma? quoties Græci inter se discordes, remp. vel Barbaris vel alijs conuellendam tradidêre? Aliud infrà Barbaricæ sapientiæ documentum est in oratione Scytharum.

AVDIENTIS SVSPENDERAT EXPECTATIONE SVI)Ita Acidalius verè emendauit: Palmerius & Modius: *In his audientium suspenderat expectationem: Ab vtroque* inquit, *nos dissentimus: minore licentia fecerim:* In his audientis (*quod est, audientes*) suspenderat expectatione sui. *Vide vulgatam lectionem: videbis ex eius vestigijs hanc eductam. Nam quid ego etiam dicam, quod ipse statim agnoscis, Latinum magis esse, suspendere aliquem expectatione, quam alicuius expectationem?* Editi: *In his audientium suspensam dederat expectationem sui.* &: *In his audientium expectationem sui spem dederat.* &: *In his audientium suspenderat expectationem.* Sed placet Acidaliana castigatio, cui suffragatur infrà ipse Curtius lib.9.c.14. eodem modo locutus: *Ea ipsa res omnium animos expectatione suspenderat.*

Acidalius p.92.

TVM

TVM CONSILIVM APERIT) præfatus illa, & magna sui expectatione excitata ad rem ipsam venit, & consilium suum exponit, cuius, quamuis salubris Bessus capax non fuit, quod illum numinis vindicta persequeretur, & in exitium traheret.

VELOCISSIMVS REX) De velocitate Alexandri dictum l. 5. c. 11. nullam virtutem regis istius quam celeritatem laudauerim. Par huic Iulius Cæsar, cuius celeritatem sæpius prædicat ipse Cicero in Epistolis. Notum illius dictum: Veni, vidi, vici.

ANTE ILLE AGMEN QVAM TV MENSAM ISTAM MOVEBIS) hyperbolicῶς hoc. *Dictum factum* parœmia est de re dicto citius perfecta. ἅμ' ἔπος ἅμ' ἔργον. Latini, *Cum dicto*, dicunt, *pro eo quod est, statim postea quam dixeris.* Et Virgilius: Adagijs Eras p 601,

--- & dicto citius tumida æquora placat.

Sumtum apparet ex Homero, apud quem est hoc carmen,

Αὐτίκ' ἔπειθ' ἅμα μῦθος ἔην, τετέλεστο δὲ ἔργον, Id est.

Mox simul ac dictum est verbum, res ipsa peracta est.

Idem Græcis dicitur vnica voce αὐτοβοεί, quod à militari clamore translatum videtur, quo nonnunquam funditur hostis, priusquam ad manus fuerit ventum. Sic vsus Thucidides, sic Theopompus vsus est, pro κατὰ κράτος, id est, vi ac virtute, non ex insidijs. Quisquis enim insidias molitur hosti, silet: qui fidit viribus suis, cũ clamore irruit in hostem. Quidã putat dictum à bubus, vt deductum videatur ab arantibus, qui quum pollicentur se eodem die, id est, αὐθῆμαρ aliquid operis absoluturos, dicere solent αὐτοβοεί, hoc est, priusquã disiungam boues. Transfertur ad cuiuslibet actionis celeritatem, vt perinde valeat atq; παραχρῆμα αὐτόθεν.

NVNC AB TANAI EXERCITVM ACCERSES) refutat consilium Bessi, qui dixerat, venturos ad Tanaim colentes Scythas: ac si diceret, serò vocabis in auxilium Scythas: priusquam ad Tanaim accedas, Alexander supra caput erit, & iugulo tuo hærebit.

FLVMINA OPPONES) alterum consilium Bessi, se Oxum flumen velut murum hosti obiecturũ. Quasi verò, inquit Cobares, quà tu fugiturus es, ille non possit sequi: non meministi vulgò dictum:

Quocunque vnus fugit, potest alter sequi.

Pari argumento Darius suprà conatus est Alexandrum ab insequendo deterrere, quando dixit, l. 4. c. 16. Transeundum esse Alexandro Euphraten, Tigrimque, & Araxen, & Hydaspen magna munimẽta regni sui, additis etiam barbaris gentibus, Medis, Hyrcanis, Bactris, Indis, Sogdianis, Arachosijs. Sed quid Alexandri? quocunq; ille fugere potuisset, ipsum sequi posse, desineret terrere fluminibus, quẽ sciret maria transisse.

ITER VTRIQVE COMMVNE EST) Imo victori tutius, quia nihil timet. *Metus, fugam qui cogit, moratur fugam*: & vt strenuus sit & velox, spes tamen est velocior.

QVIN VALIDIORIS OCCVPAS GRATIAM) hoc salubre Cobaris & vnicum consilium, si secutus fuisset Bessus, fortasse veniam, (vt Nabarzanes & alij Darij duces) impetrasset. Nabarzanes certè Bessi socius & coniurationis particeps fuerat, & nihilominus per deditionem veniam & gratiam impetrauit. Satibarzanem quoque in fidem receperat, sed iterum deficientem bello persecutus est, quoad duello cum Erigyo inito victus caderet.

ALIENVM HABES REGNVM) quod antea Darij fuit, nunc victo Dario Alexandri est, qui tẹ iustum potest regem facere.

NOBILIS EQVVS VMBRA QVOQVE VIRGAE REGITVR) De equorum docilitate, alijsque virtutibus, & sensu prope humano multa Solinus, & ex illo pleraque Lipsius, vbi etiam de Bucephalo cent. epist. 3. ad Belgas epist. 56. ad contubernales. De la Cerda ad 4. Aen. vers. 41. *Et Numidæ infrem cingunt.* Et nos ad Martial. epigr. 23 lib. 9

Et Massileum virga gubernet equum.

Miror tamen nec ab illis, nec à nobis hunc nobilissimum Curtij locum animaduersum & notatum, quem Gruterus contulit in suas gnomas:

Equum generosum etiam vmbra virga rexerit.

Scripsit & Simon homo Græcus, quem Xenophon laudat, librum de equestri, & Xenophon ipse, in quo equum ab vngula ad ceruicem describit, multaque de frænis docet, sed de equo vmbra virgæ regendo nihil.

BESSVS INGENIO FEROX) Bessus & animi impotens, & Baccho furens, & fato iam suo destinatus, nullius que salubris consilij patiens, insanire, furere, & rabire, atque in saluris suæ auctorem ferrum stringere: Sed Cobares siccus & saluus ad Alexandrum euasit, tutior apud sobrium hostẽ; quàm ebrium amicum futurus.

PROPTER COELI INTEMPERIEM) De hoc c. 4. suprà iam audisti, cum dixit Curtius: *In hac tamen omnis humani cultus solitudine destitutus exercitus, quicquid malorum tolerare potest, pertulit inopiam frigus, lassitudinem, desperationem.* Ex hac Paropamisarum regione Bactriani ad occidentem spectantes existimabant Alexandrum ad meridiem, Indiam versus, iter conuersurum, vt ad mitiores statim terras perueniret. At vbi inaudierunt, illum superato Caucaso, rectà ad se contendere, Bactriani deserto Besso in patria remansere, Bessus cum sua familia tantum Oxum traiecit, vt apud Sogdianos nouum exercitum conscriberet.

CAPVT VII.

ARGVMENTVM.

Inopia commeatus in copijs Alexandri. Bactrianos describit.



Lexander Caucasum quidem (vt supra dictum est) transierat, sed inopia frumenti quoque propè ad famem ventum erat. Succo ex Sesama expresso, haud secum quàm oleo artus perungebant. Sed huius succi ducenis quadragenis denarijs amphora singula, mellis denarijs CCC XC. CCC, *vini æstimabantur, tritici nihil aut admodum exiguum reperiebatur. Syros vocabant barbari, quos ita solerter abscondunt, vt nisi qui defoderunt, inuenire non possint. In ijs condita fruges erant: In quarum penuria milites fluuiatili pisce, & herbis sustinebantur. Iamque hæc ipsa alimenta defecerant, cum iumenta quibus onera portabant, cadere iussi sunt. Horum carne dum in Bactrianos peruentum, traxère vitam. Bactriana terra multiplex & varia natura est. Alibi multa arbor & vitis largos mitesque fructus alit. Solum pingue crebri fontes rigant. Quæ mitiora sunt, frumento conseruntur: cætera armentorum pabulo cedunt. Magnam deinde partem eiusdem terræ steriles arenæ tenent. Squalida siccitate regio non hominem, non frugem alit. Cùm verò venti à Pontico mari spirant, quicquid sabuli in campis iacet, conuerrunt. Quod vbi cumulatum est, magnorum collium procul species est, omniaque pristini itineris vestigia intereunt. Itaque qui transeunt campos nauigantium modo, noctu sidera obseruant, ad quorum cursum iter dirigunt, & propemodum clarior est noctis vmbra, quam lux. Ergo interdiu inuia est regio, quia nec vestigium quod sequantur, inueniunt: & nitor siderum, caligine absconditur. Cæterùm si quos ille ventus qui à mari exoritur deprehendit, arena obruit: Sed quà mitior terra est, ingens hominum equorumque multitudo gignitur. Itaque Bactriani equites* XXX. *millia expleuerāt. Ipsa Bactra regionis eius caput sita sunt sub monte Paropamiso. Bactrus amnis præterit mœnia: is vrbi & regioni dedit nomen.*

SVCCO EX SESAMA EXPRESSO HAVD SECVS QVAM OLEO ARTVS PERVNGEBANT) Sesama & Sesamum latinis, Plinius lib. 18. c. 10. *Sesama ab Indis venit*, Columella lib. 11. c. 7. Petro-
a l. 8. c. 5. & 7. nius, Plautus, alij in neutro dixerunt Sesamum. Græcis σήσαμον apud *a* Theophrastum, & *b* Diosco-
b l. 2. c. 121. ridem, Homerum σισαμίς: Arabibus Semsem aut Sensera. Italis Sesamo. Hispanis Iorgilim & Alegria. Gallis, Iugoline, Germanis Spuria voce Leindotter aut Flachsdotter quam tamen vocem docti reijciunt, nec formam penicillo vel cælo expressam & subiectam probat Matthiolus ad Dioscoridem.

Dioscoridem de Sesamo leges l. 2. c. 92. & Matthiolum ad eundem. Galenum quoq; l. 8. de simplicibus medicamentis.

a Batrach. b Pœnul. c Sat. p. 2. Est mentio Sesami apud *a* Homerum, *b* Plautum, *c* Petronium.

Plautus:

Obsecro hercle, vt mulsa loquitur.
---- Milpho. *Nil nisi laterculos,*
Sesamum, papaueremq., triticum, & frictas nuces.

Homerus:

Οὐδὲ πλακοῦς τανύπεπλος, ἔχων πολλὴν σισαμῦδα.
Neq; placenta extensa, quæ habet multam sisamiden.

Videntur, vt est in notis ad illa Petronij, mellitos verborum globulos & omnia dicta factaque, quasi papauere & Sesamo sparsa, antiqui dulciarijs operibus, palati gratia, Sesamum aspersisse. Macedones tamen ab esu Sesami abstinuère, sed liquore inde expresso, velut oleo artus inunxere.

SED HVIVS SVCCI DVCENIS QVADRAGENIS DENARIIS AMPHORAE SINGVLAE) Veniebat ergo amphora vna quatuor & viginti philippicis numis: ita vt Philippicus, viginti victoriatis seu quadraginta sestertijs numis æstimaretur, hoc est, argenteo qui octoginta cruciferis seu viginti bazijs, vt vulgò appellantur, constabat. Amphora vulgaris continebat quadraginta octo sextarios, qui efficiunt hodie quatuor & viginti mensuras nostrates. Denarius octo stauropharis seu cruciferis permutatur: qui decem olim assibus respondebat, vnde & nomen Denarij à decem assibus accepit. Qua de re copiosè disputaui in commentar. ad Martial. vt & de amphora. Iam si ducas octo in 240 prodibunt 1920. quæ si per 80. diuidas, reperies 24. & habebis precium vnius amphoræ succi Sesami, & vnum Philippicum pro vna mensura.

Tu interim obserua loquendi modum Curtij, qui non dixit vnam amphoram, sed singulas amphoras, non ducentis quadraginta, sed *ducenis quadrigenis*, vti mox ex numeris sequentibus legendum. *Mellis amphora singula trecenis nonagenis*, non trecentis nonaginta, & *vini trecenis*. singulæ enim cum singulis comparantur, & semper in toto numero sunt plures, quàm vnus. Vt si ducentis quadraginta pueris dicas, Eant omnes in campum non turmatim, sed singillatim, hoc est, alter post alterum: ita dicimus, Eant bini, vel terni, vel quaterni, vel quini, vel deni, vel viceni, vt solet in instructa militum acie fieri. Ita auctores scribunt binis castris, denis, quaternis castris Cæsar venit Romam, Dirrachium, Philippos.

Ein maß Oel auß Sesamo vmb 20. patz.

Iam treceni nonagenarij denarij, quibus amphora mellis venibat, efficiunt triginta nouem Philippicos, Ita mensura mellis erat sesquiphilippico & sesquitertio victoriato.

Amphora vini trecenis denarijs, hoc est, triginta Philippicis: mensura quinque & viginti victoriatis, seu vno Philippico & quadrante constabat, qui viginti continet cruciferos.

Anderthalben tallen vnd 10. Creutzer.

TRITICI NIHIL, AVT ADMODVM EXIGVVM REPERIEBATVR, SIROS VOCABANT BARBARI) In Siris condebant barbari frumentum, ne ab exteris vel vicinis etiam reperiretur, & auferretur. Siri autem fuerunt scrobes subterraneæ vel speluncæ, vel cryptæ, vel putei, in quibus triticum etiam ad quinquaginta annos poterat incorruptum seruari. De Siris *a* Varro, *b* Vitruuius, *c* Columella, *d* Plinius, Varronis verba sunt: *Item huius generis alia. quidam granaria habent sub terris, vti speluncas, quas vocant σιρούς, vt in Cappadocia ac Thracia.* Vitruuius Cryptas vocat. *Qui autem fructibus rusticis seruiunt, in eorum vestibulis stabula, tabernæ, in ædibus crypta, horrea, apotheca, cætera que quæ ad fructus seruandos magis, quam ad elegantiæ decorem possunt esse, ita sunt facienda*, Columella Siros ita describit: *Possunt etiam defossa frumenta seruari, sicut transmarinis quibusdam prouincijs, vbi puteorum in modum, quos appellant Syros, exhausta humus, editos à se fructus recipit.* Plin. verò: *Vtilissimè*, inquit, *seruantur in scrobibus, quos Syros vocant, vt in Cappadocia & Thracia: ita frumenta si nullus spiritus penetret, certum est, nihil malificum nasci.* Varro auctor est; sic conditum triticum durare annis quinquaginta, milium verò centum. Et miror ab illis Vitruuij, Plinij, & aliorum, Scholiastis elegantissimum hunc Curtij locum de Siris non fuisse animaduersum. Obserua interim apud scriptores nunc latina vocali scribi Siros, nunc Græca Syros: Suida σιρρὸς duplici ρ & σιρ[illegible], σιρρὸς ὁ λάκκος ἐν ᾧ κατατίθενται τὰ σπέρματα, *Sirrhus fossa in qua semina conduntur.* Etymologus vocem παρὰ τὸ τοὺς σίτους τηρεῖν deducit, quasi vox sit composita pro σιτηρὸς à conseruandis frumentis ficta & dicta.

a De re rust. l. 1. cap. 57. *b* Vitruuius lib. 6. c. 8. *c* Columella l. 1. c. 6. *d* Plin. l. 18. cap. 30.

FLVVIATILI PISCE) distinguitur à marino & lacustri.

IVMENTA, QVIBVS ONERA PORTABANT, CAEDERE IVSSI SVNT) Iumentum alij à iuuando, alij iungendo dictum tradunt, cuiusmodi sunt equi, muli, & id genus dorsuaria animalia, græcè νωτοφόρα. Vlpiani decreta secludunt boues à iumentis, & inter armenta ab arando potissimum cognominata numerat. Vnde, inquiunt Iurisconsulti, Iumentis legatis non debentur. l. legatis seruatis. 5. iumentis. D. de legatis 3. Vlpianus in l. ædiles aiunt. D. de ædilium edictis ostendit, quæ iumentorum appellatione contineantur. Curtius infrà. *Consumtis igitur alimentis, Macedones primò inopiam, deinde ad vltimum famem sentire cœperunt, radices palmarum (namque ea sola arbor gignitur) vbique rimantes. Sed cum hæc quoque alimenta defecerant, iumenta cædere aggressi, ne equis quidem abstinebant.* (Possint & cameli, iumenti nomine accipi, cum etiam sint νωτοφόροι.) Parum hoc fuit, multò atrociora de fame, obsessorum, obsidentium, & iter facientium narrant rerum scriptores. Nota sunt Hierosolyma, & Hierosolymis sub Titi præsentia facta, cum parentes, quos paullo antè è visceribus profuderant, liberos in viscera reconderent. Non ignota, quæ de Cambyse Aethiopes * Macrobios cum infesto exercitu petente traduntur.

Nonius; alij. l. 9. c. 17.

* longæuos: Herod. l. 3. c. 17.

BACTRIANAE TERRAE MVLTIPLEX ET VARIA NATVRA EST) Multa mentio Bactrianorum apud Curtium suprà, & infrà lib. 4. c. 18. laudauit Bactrianos à studio bellico: *Sunt autem Bactriani vt inter illas gentes promtissimi, horridis ingenijs, multumque à Persarum luxu abhorrentibus, siti haud procul Scytharum bellicosissima gente, & rapto viuere assueta: semper in armis erant.* Hic Bactrianæ terræ ingenium describit. Quod ad nomen attinet, Bactriani & Bactriana regio dicta est ab vrbe gentis capite. Bactra vocantur vrbs ab amne proximo Bactro. Goropius in Indoscythicis à tritici copia nomen Bactra natum existimat. **Bac** *enim, inquit, idē est, quod panē facio: vnde* **Bec** *panis, &* **Beker** *qui panē facit.* **Tra** *antē significat fidū, quod bona fide commissa sibi reponit. Hinc Bactra dicitur à bona*

p. 468. Backen pinsere. beck. pistor nobis hodie;

à bona fide panis conficiendi regio illa, quæ copiosum frumentum producit. Bactriana igitur cum talis esset, imperatores suos, præsertim Græcos, potentissimos reddidit, adeo vt plurimas gentes subegerint, quod Apollonius Attamitenus apud Strabonem testatur. Hæc Goropius, qui more suo in vocis originatione ludit, diuinat, & subinde nugatur. Cæterum Bactrianorum regnum fuit olim amplissimum, regioq; mille admodum vrbes continebat, vt in XLI. docet Iustinus. Siculus in secundo, de vrbibus quoque affirmat, quamuis numerum non exprimat. certè Oxyartes Bactrianorum rex, contra Ninum qui primus Bactrianis bellum intulit, quadringenta millia eduxit, & de copijs Nini centum millia interfecit, numero tamen à Nino demum oppressus & victus. Laudat magnoperè Siculus Bactra vrbem, & vrbis arcem, quam Semiramis per occultos aditus adrepens expugnauit. Mira narrat de Bactrianis Onesicritus apud Strabonem. *Eos enim qui senio confecti sint aut morbo, viuos ait projici canibus dedita opera ad hoc nutritis, quos sua lingua entaphistas, quasi vespillones, vocant: ac videri quidem quæ extra murum primariæ Bactrianorum vrbis sunt, pura: intus autem pleraque humanis plena ossibus. morem eum ab Alexandro fuisse sublatum.*

l. 11 p. 356. vel p. 603. in f.

Alexander in Bactrianis octo vrbes condidit, vt eodem loco testatur Geographus. Curtius hic ingenium cœli Bactriani, terræ naturam sibi planè contrariam copiosè describit, in qua re ita steriles sunt Græci, vt etiam sterilitatem terræ Bactrianæ superent, quà siccæ arenæ iacent, noster contrà, etiam ipsam fæcunditatem regionis, vbi benignior est, vincat. Nam Bactriana alicubi fertilissima & vbertima omnes ferè naturæ opes profundit, alicubi Ammoniæ passim arenas sterilitate æquat: quà mitis & fæcunda est, abûdat arbore, vite, fructibus, fontibus, pecore, iumentis, pascuis, & quicquid demum mortales ditat alit: quà sicca, arida & sterilis est, nec hominem, nec frugem, nec animal, nec auem alit.

ARENA OBRVIT) planè hæc descriptio cum Plutarchi narratione, quâ iter Alexandri ad Ammonis explicat, vbi Cambysis, cuius paullò antè mentio facta, exercitum ait deletum, conuenit. *Iter*, inquit, *prolixum erat, ac cum multorum laborum ærumnarumque plenum: tum cum duobus coniunctum periculis, vno ob aquæ penuriam, ex qua desolata regio non paucorum dierum via est, altero, si procellosus in alto & vasto sabulo progredientes Auster occupauerit, vt quondam dicitur Cambysis exercitui accidisse, quum arenæ ingentem cumulum excitauit, volutique per campum fluctus, vt quinquaginta millia capitum obruerit, oppresseritque.* Idem paucis Iustinus. *Ad Ammonis quoque nobilissimum templum expugnandum, exercitum mittit* Cambyses, *qui tempestatibus & arenarum molibus oppressus interijt*. Sed & ipse Curtius mox infrà c. 9. Alexandri & totius exercitus arenas Bactrianas ingressi luculentè æstum, sitim, loci siccitatem, omnia vapore accensa, deficientem exercitum ob oculos ponit. Canit de ijsdem arenis Lucanus in 9. vbi Catonis iter describit, & nos in 4. versus apposuimus.

in Alexandro p. 335. cum Curtio iunctus

Lib. 1.

IPSA BACTRA REGIONIS) de Bactris, regia olim Bactrianorum sede, Zariaspa, prius dictum, iam è Siculo 2.

CAPVT VIII.

ARGVMENTVM.

Lacedæmoniorum defectio, Erigyi monomachia cum Satibarzane, & victoria.



Ic regi stratiua habenti nunciatur ex Græcia Peloponnensium Laconumque defectio: nondum enim victi erant, cum proficiscerentur, tumultus eius principia nunciaturi. & alius præsens terror affertur: Scythas qui vltra Tanaim amnem colunt, aduentare Besso ferentes opem. Eodem tempore quæ in gente Ariorum Caranus & Erigyus gesserant, perferuntur. Commissum prælium erat inter Macedones Ariosque, transfuga Satibarzanes præerat, qui cum pugnam segnem vtrinque æquis viribus stare vidisset, inprimos ordines adequitauit, demtaque galea, inhibitis qui tela iaciebant, si quis viritim dimicare vellet, prouocauit ad pugnam, nudum se caput in certamine habiturum. Non tulit ferociam barbari, dux exercitus Erigyus, grauis quidem ætate, sed & animi & corporis robore nulli iuuenum postferendus. Is galea demta canitiem ostentans, Venit, inquit, dies, quo aut victoria, aut morte hone-

honestißima quales amicos & milites Alexander habeat, ostendam. Nec plura elocutus equum in hostem agit. Crederes imperatum, vt acies vtraque tela cohiberent. Protinus certe recesserunt dato libero spacio, intenti in euentum non duorum modò, sed etiam sua sortis, quippe alienum discrimen secuturi. Prior barbarus emisit hastam, quam Erigyus modica capitis declinatione vitauit. At ipse infestam sarissam equo calcaribus concito in medio barbari gutture ita fixit, vt per ceruicem emineret. Præcipitatus ex equo barbarus, adhuc tamē repugnabat, sed ille extractam ex vulnere hastam rursus in os dirigit. Satibarzanes hastam manu complexus quo maturiùs interiret ictum hostis adiuuit, & barbari, duce amisso, quem magis necessitate quam sponte secuti erant, haud immemores meritorum Alexandri arma Erigyo tradunt. Rex his quidem lætus, de Spartanis haudquaquam securus, magno tamen animo defectionem eorum tulit, dicens, non antè ausos consilia nudare, quam ipsum ad fines Indiæ peruenisse cognoscent. Ipse Bessum persequens copias mouit, cui Erigyus spolia barbari veu opimum belli decus præferens occurrit.

HIC) Bactris sedem habebat Alexander, siue statiua, de quibus suprà dictum, & intelligi licet ex Stevvechio ad l.3. Vegetii c.4.

PELOPONNENSIVM LACONVMQVE DEFECTIO) suprà l.6.c.1 accepisti de bello Lacedæmoniorum & Macedonum, in quo agis Laconum rex in acie cecidit, Antipater Macedoniæ prætor, & dux belli victor euasit. Vbi simul narratum est Lacedæmonios permissu Antipatri, missis ad Alexandrum legatis, veniam defectionis præter auctores impetrasse. Hic noua exorta est coniuratio, & à Macedonibus Peloponnensium & Laconum defectio.

Peloponnesi sæpè mentio fuit, est peninsula & arx Græciæ, continet Laconas, Arcadas, Achæos, Corinthum, Argos, & alios populos ac ciuitates: Lacones ergò sunt pars Peloponnesi. tabula Peloponnesi alicubi apponenda.

De caussa fortasse defectionis quæras, quam tamen nullam Curtius adfert, nec quod sciam alij scriptores, nisi quod Plutarchus in Alexandro doceat, occisis Philota, Parmenione, & alijs inclitis viris, territos Græcos, adeoque ipsum Antipatrum clam inijsse cum Aetolis pacta, vt si quid sibi periculi immineret, haberet asylum. Poterat altera fuisse causa, quod præcepisset, vt omnes exules, præter sicarios ciuili sanguine aspersos, in suam quisque ciuitatem ab exilio reduceretur, quod initium monarchiæ & legum soluendarum certissimum erat indicium & argumentum. Sed huic decreto disertè obnunciarunt Athenienses, quod spes esset de Alexandro nunquam in Græciam reuersuro, quem ad Indos vsque progressum audiuissent, quam caussam ipse Alexander hoc ipso capite adfert, cum dicit, Spartanos non fuisse ausos ante sua consilia nudare, quam ipsum ad fines Indiæ peruenisse cognouissent.

NONDVM VICTI ERANT) iterum ergò ab Antipatro victi. Nam suprà lib.6.c.1. Antipater Agidem acie profligauit, & occidit. Itaque altera hæc Laconum est defectio.

SCYTHAS, QVI VLTRA TANAIM COLVNT) De his infrà pleniùs.

CARANVS ET ERIGYVS) redi ad c.3. huius libri, vbi de his duobus & alijs ducibus Alexandri contra Satibarzanem missis. Satibarzanes, vt est in lib.6.c.12. erat Ariorum Satrapes, in fidem primùm ab Alexandro acceptus, à quo mox iterum defecit, & se cum Besso coniunxit, Arios inuasit, & ab Alexandro auertit. Huius iam duellum cum Erigyo initum exponitur.

NON TVLIT FEROCIAM BARBARI, DVX EXERCITVS ERIGYVS, GRAVIVS QVIDEM AETATE, SED ET ANIMI ET CORPORIS ROBORE NVLLI IVVENVM POSTFERENDVS) Ita Curtij verba mihi in mentem reuocant parœmiam. *Dares Entellum prouocas.* quorum certamen nobilissimo versu descripsit Maro in 5. quem leges. Explicauit verbum hoc Diuus Hieron. epistola ad D. Augustin. & Adagiographus: *Memento,* inquit Hieronymus, *Daretis & Entelli. Conueniet vti, si quando quis ipsam iuuenili temeritate lacesses aliquem, non perinde promptum ad suscipiendum certamen, verum intolerandum, si semel inierit. Qui senum fermè mos, vt libenter suffugiant negotia, suscepta pertinaciter gerant. Sumtum est ex 5. Aeneidos libro, vbi Dares quispiam viribus fretus & ferox iuuenta, vltro prosiliens in medium, quemuis ad certamen prouocat: assurgente nemine, deterritisque reliquis, iam perinde quasi victor præmium flagitat ab Aenea. At Entellus senex, & iam pridem ab huiusmodi genere certaminum feriatus, instigante partim Aceste, partim veterum victoriarum memoria, tandem surgit cestibus dimicaturus. Is diu suo consistens loco, iuuenem insolentius circumsilientem tulit, donec frustrato ictu lapsus, pudore sic recanduit, vt Daretem iam longè imparem planè confecturus fuerit, nisi eum Aeneas intercedens eripuisset.* p.651. vel ex recog. Manucij pag 1124.

SVAE SORTIS) videbant enim futurum, vt à cuius parte dux cecidisset, illa vinceretur, altera triumpharet.

MODICA CAPITIS DECLINATIONE) infrà l.9.c.14. de Dioxippo. *Quam* (lanceam) *Dioxippus cùm exigua corporis declinatione vitasset.* Sed illa Dioxippi monomachia pedestris fuit, hæc equestris.

MAGIS NECESSITATE, QVAM SPONTE) Quia Satibarzanes illorum prætor & Satrapes fuit, cuius auctoritatem penè sequi cogebantur. miles ergo, amisso capite, deditionem fecit, non perinde credo Macedones facturi, si Erigyum amisissent; sed ingens prælium, & cædes, & incerta victoria secutura erat. Hoc duellum prope ad verbum transtulit Curtius è Diodoro, nisi quod noster omnia, vt solet, splendidius & magnificentius, Græcus breuius & siccius rem narret. p.554.

Arrianus paucissimis & ieiunis verbis eandem pugnam attingit. Plutarchus omnia tacet.

OPTIMVM BELLI DECVS) Opima spolia Romani vocabant, cum dux duci occiso spolia detrahebat, & Ioui Feretrio dedicabat. Quod è Liuio, Plutarcho, Dionysio Halicarnasseo, Propertio, & alijs constat. de his iam suprà. Val. Max vide. Lib.3 c.2.

CAPVT IX.

ARGVMENTVM.

Alexander Bessum persequendo in aquarum penuriam incidit. Eiusdem patientia & miranda sitis tolerantia.



Gitur Bactrianorum regione Artabazo tradita, sarcinas & impedimenta ibi cum præsidio relinquit. Ipse cum expedito agmine loca deserta Susitanorum intrat, nocturno itinere exercitum ducens. Aquarum (vt ante dictum est) penuria, prius desperatione, quàm desiderio bibēdi sitim accendit. Per CCCC. stadia ne modicus quidem humor existit. Arenas vapor æstiui solis accendit, quæ vbi flagrare cœperunt, haud secus quàm continenti incendio cuncta torrentur. Caligo deinde immodico terræ feruore excitata lucem tegit: camporumq́ non alia quàm vasti & profundi æquoris species est. Nocturnum iter tolerabile videbatur, quia rore & matutino frigore corpora leuabantur. Cæterùm cum ipsa æstus oritur, omnemq́ naturalem absorbet humorem siccitas, ora visceraq́ penitus vruntur. Itaq́ primum animi, deinde corpora defecere. Pigebat & consistere & progredi. Pauci à peritis regionis admoniti præpararant aquam. Hæc paulisper repressit sitim. Deinde crescente æstu rursum desiderium humoris accensum est. Ergo quidquid vini oleiq́ erat (hominibus) ingerebatur: tantaq́ dulcedo bibendi fuit, vt in posterum sitis non timeretur. Graues deinde auidè hausto humore, non sustinere arma, non ingredi poterant: & feliciores videbantur, quos (aqua) defecerat, cum ipsi sine modo infusam vomitu cogerentur regerere. Anxium regem tantis malis circumfusi amici, vt meminisset orabant, animi sui magnitudinem vnicum remedium deficientis exercitus esse, cùm ex ijs qui præcesserant ad capiendum locum castris, duo occurrunt vtribus aquam gestantes, vt filijs suis, quos in eodē agmine esse, & ægrè pati sitim non ignorabant, occurrerent. Qui cum in regem incidissent, alter ex ijs vtre resoluto, vas quod simul ferebat implet porrigens regi. Ille percontatus quibus portarēt, filijs ferre cognoscit. Tunc poculo pleno (sicut oblatum est) reddito. Nec solus, inquit, bibere sustineo, nec tam exiguum diuidere omnibus possum. Vos currite, & liberis vestris, quod propter illos attulistis, date.

ARTABAZO) de hoc sexcenties suprà. indicem inspice.

DESERTA SVSITANORVM) Nusquam in vllo scriptore lego Susitanos, nisi in Mori Vtopia sint. Et fortasse suprà lib.4.c.27. vbi recensetur miles Darianus, pro *Suaus* vel *Sueuis*, Scribendum quoque *Susitanis*, vel potius Susianis, nam infrà ijdem c.11. Susiani vocantur, eo quod hos cum Arachosijs, Dahis, Bactrianis, Massagetis iungat. Nisi mauis Susanorum legere, qui populi sunt vltra Caucasum apud Agathiam (in 4.) Hic tamen omnia exemplaria sine vlla varietate scripturæ conspirant in Susitanos, proinde religio fuit quicquam mutare.

NOCTVRNO ITINERE EXERCITVM DVCENS) interdiu enim inuia est regio, quia nec vestigium, quod sequantur, inueniunt, & nitor siderum, caligine absconditur. Ita hunc locum ipse Curtius cap.7. paulò antè explicauit, quo non habeo certiorem interpretem: *Itaq́ qui transeunt*

cam-

cam; et, nauigantium modo, noctu sidera obseruant, ad quorum cursum iter dirigunt: & propemodum clarior est noctu vmbra, quàm lux.

AQVARVM, VT ANTE DICTVM EST, PENVRIA.) Dixerat antè, Bactrianam regionem alicubi fertilem, alicubi sterilem; de sterili hic loquitur, & ibi c.7. *squalida*, inquit, *siccitate regio*, non hominem, non frugem alit.

PRIVS DESPERATIONE, QVAM DESIDERIO SITIM ACCENDIT.) Idem fit in fame, quæ expleri vix potest, quando explendi desperatio præcessit, aut sequitur, aut comitatur famelicum, & plus vexat desperatio sitientem, quam ipsa sitis.

PER CCCC. STADIA, NE MOD. QVIDEM HVMOR EXISTIT.) Quadringenta stadia, efficiunt duodecim milliaria Germanica: Italica octo & quadraginta, si quatuor ponas pro vno; sexaginta, si quinque.

ARENAS VAPOR SOLIS ACCENDIT.) Ad hunc ferè modum iter Alexandri lib.4.c.20. his verbis descripserat: *Sed vt aperuère se campi, alto obruti sabulo, haud secus quàm profundum æquor ingressi, terram oculis requirebant. Nulla arbor, nullum culti soli occurrebat vestigium. aqua etiam defecerat, quam vtribus cameli deuexerant, & in arido solo ac feruido sabulo nulla erat. Ad hæc, sol omnia incenderat, siccaq; & adusta erant ora.*

RORE ET MATVTINO FRIGORE CORPORA LEVABANTVR.) Causam, cur matutino tempore maius sit frigus, quàm nocte, cùm tamen sol sit manè propinquior, triplicem adfert noster P. Laurentius Forer in problematis selectis viridarij sui philosophici problem.17. p.21. edit. Dilinganæ. quod quia breue est, lobijciam.

1. Caussa. An quia tunc maius est tempus absentiæ solis, vnde magis refrigerata est terra? Cùm enim sol sui præsentia terram calefaciat & aerem, absentia certè longiore solis, maius frigus exoritur, diutius autem abfuit à nobis sol manè, quàm media nocte. Licet ergò in aurora rursus sol accedat, tamen calorem suum tam citò non potest aeri communicare.

2. Caussa. An quia die appetente ros & pruina cadit? hæc autem naturâ frigida sunt, & aerem frigidiorem reddunt.

3. Caussa. An quia tunc acrius nobis videtur frigus, quòd concocti iam sint cibi, & stomachus manè vacuus? quò autem inaniores sumus, eò magis persentiscimus frigus ambiens. Aristot. sect.8. problem.17. Hæc Forerus.

ERGO QVICQVID VINI OLEIQVE ERAT, HOMINIBVS INGEREBATVR.) Parum hoc est. Hoc mirum, quod Cretenses, dum à Metello obsiderentur, sitim cum sua tum iumentorum aqua, seu vrina torserunt potius, quàm leuarunt: marinam alij cum profluuio & exitio hauserunt. Artaxerxes putridam gustans, nunquam se dulcius vinum aut liquidiorem aquam bibisse testatus est. Hodie, qui ad Indos nauigant, tradunt circa promontorium Bonæ spei, vbi ad Aequatorem accedunt, aquam in vasis corrumpi & verminare, nihiloque secius sorberi, sed obstructis naribus, ne fœtor bibentes deterreat. De ipso Alexandro, Plutarchus de Fortuna illius: *Amnes sanguine mixtos bibebat, quos cæsorum corporibus tinctos, traijciebat, herbam fame coactus edebat, quam primam offendisset.* Tanta autem vis sitis est, vt apud inferos splendidus ille conuiuator, oblitus ignes & omnes cruciatus, tantum de siti conquestus sit. Val. Max. lib.7. cap.6. Flor. l.3.c.7 Plutarch.

HOMINIBVS ingerebatur. Acidalius à glossa potestatem in contextum aspirandi putat factam; proscribendamque vocem hominibus, nec placet eidem in sequentibus aqua post oleum & vinum. Nihil ego muto omnibus exemplaribus contra obtestantibus exemplaribus contra obtestantibus, Et aqua, pro omni potione in posteriore versu accepta videtur: humor infusus & egestus, vel regestus Acidalij, non sapit.

QVOS AQVA DEFECERAT.) Alij aquam, alij vinum, alij oleum hauserant, idem omnibus vsu venit, feliciores ergo quos aqua, vinum, & oleum defecerat.

ANXIVM REGEM TANTIS MALIS.) Non suis, sed suorum ac totius deficientis exercitus.

VNICVM REMEDIVM.) Nam rege sitiente libenter omnes sitiunt, imò negant se sitire, vt supra ex Plutarcho ostendi.

DVO OCCVRRVNT AQVAM VTRIBVS GESTANTES.) Multa præstantia virtutum documenta secum Alexander ex officina sapientiæ, & Græciâ, ad Barbaros extulit, singularem castimoniam, decentem verecundiam, laudatissimam temperantiam, incredibilem in agendo celeritatem, stupendam laborum omnium tolerantiam, virtutes quas rarò in Christianis Imperatoribus leges. Hic admirandum siris habes documentum, cùm oblatum in Immenso æstu cœli, fatigatus ex itinere, frigidæ haustum respuit, alijsque propinari voluit. Primus omnium, quod equidem meminerim, præiuit exemplo fortissimus Hebræorum rex, ille domitor leonum, victor virorum, gigantum terror Dauid, de quo sacra historia omnia narrat. 2. Reg c.23. Marti. l.14. sunt qui-

Cato proximus huic (si verus Lucanus, quem historicum potius quam poetam egisse veteres censuerunt) qui in siccis Nasamonum arenis sitibundus oblatam vndam relecit, ita canente poeta: dam qui me dicunt non esse poetam.

9. Parsal. v. 497.

Vtq; calor soluit, quem torserat aëra ventus,
Incensusq; dies, iam mundi spißior ignis,
Iam plaga, quam nullam superi mortalibus vltra
A medio fecère die, calcatur, & humor
In Notum omnis abit: manant sudoribus artus:
Arent ora siti: conspecta est parua maligna
Vnda procul vena: quam vix è puluere miles
Sustulit, & galea conuexum infudit in orbem,
Porrexitq; duci. Squalebant puluere fauces
Cunctorum, minimumq; tenens dux ipse liquoris
Inuidiosus erat, mène, inquit, degener, vnum
Miles in hac turba vacuum virtute putasti?
Vsq; adeò mollis, primisq; caloribus impar
Sum visus? quanto pœna tu dignior ista
Qui populo sitiente bibas? sic concitus ira
Excußit galeam, suffecitq; omnibus vnda.

Egregia versuum clausula, *suffecitq; omnibus vnda*, quam nemo post respuentem ducem sitiuit, adeoque omnibus suffecit.

Ab eodem facto laudatur Theodosius minor Arcadio natus, de quo ita Sozomeni interpres
Nos in aula quinta p. 58. (ne te Græcis fatigem) *Paullò antè sanè, cùm Heracleam Ponticam vrbem videre & vetustate collapsam erigere satageres, per Bithyniam meßis tempore iter faciebas. Cùm verò te satellitum quispiam à sole vehementer vrente in ipso meridie multo sudore ac puluere conspersum cerneret, tanquam gratificaturus, phialam tibi admodum splendidè, solaribus radijs relucentem obtulit, ac suauem quendam potum illi aqua frigida mixtum infudit. At tu potentißime, accepta hac phiala, virum munificentia remunerasti. Cùm verò milites vniuersi phialam illam suspicerent, felicemq; illum, qui ex ea bibiturus esset, iudicarent, poculum vitro illi, ô generose, reddidisti, & quomodo ipsi placeret, vsurpare iußisti. Videris itaque mihi haud immeritò Alexandrum Philippi, virtutibus tuis superate, cui miles quidam sedulus & officiosus, ab illis qui eum celebrant, cùm per loca arentia exercitum Macedonum duceret, aquam inuentam hausisse & abtulisse, ille verò non bibisse potum illum, sed effudisse dicitur.*

Sed errat * Sozomenus, qui effusam ab Alexandro aquam affirmat.

* præfat. in lib. 1 hist. Ecclesiast. Nec Soi siue Sœbidæ virtus tacenda, quam Plutarchus in Lycurgi vita & apophthegm. laudat: *Fama est, inquit, cùm esset in loco aspero & arido Sœbidas & circumsideretur à Clitorijs, dicitur pactus cum hostibus, vt ipsis terram bello partam cederet, si milites vnà cum ipso è vicino fonte bibissent (nam eum fontem hostes obsederant) Isto fœdere congregatis ad se omnibus pollicitus est se daturum eius regionis imperium ei, qui non bibisset. Porrò cùm nemo sibi temperaret, sed bibissent omnes, ipse post omnes descendit in fontem: & aqua conspersus, hostibus etiamnum præsentibus abijt, ac regionem occupauit, vt qui solus non bibisset. Eodem strategemate & exercitum à siti periculo liberauit, & hostem elusit, & regnum sibi vendicauit tolerantia: Non erat obstrictus inimicis ex fœdere, quia non omnes cum ipso biberant: nec milites fefellit, quia nemo præter ipsum à potu abstinuit. Quod si hostes voluissent ad arma currere, iam nactus locum pugnæ commodiorem, ac fonte potitus, facilè poterat illis esse par.*
In Lycurgo p. 118. vel p. 40. in fol.

Austriacorum quoque supremus apex & conditor imperij Rudolfus I. dum contra Othocarum imperij æmulum bello decertaret, ipseque cum exercitu siti æstuaret, gnathones illius, agresti colono zythi hydriam per vim abstulere, & imperatori detulere: sed ille, re cognita: reddite, inquit, homini vasculum suum, nam ego exercitui, non mihi sitiebam. Digna vox Imperatore, digna Imperio, digna Austriaco. Vtinam hanc tolerandæ sitis patientiam discerent exercitus, discederet imperium. Sed enim

Germani multos possunt tollerare labores
O vtinam possent tam benè ferre sitim.

Nos ad Alexandri sitim, non simplicem redeamus; sæpius ille hanc domuit, vicit, & pro illa gloriam hausit. Suprà sub finem quinti libri mentio illius facta ex Plutarch. cuius hæc sunt ex interpre-
pag. 560. te verba: *Dum consectatur Darium in itinere laborioso & prolixo (nam diebus XI. tria millia trecenta stadia confecit) plerique lassitudine sunt confecti, & præsertim aquæ penuria. Ibi occurrerunt ei Macedones quidam, qui aquam in vtribus à flumine mulis portabant, conspicientesq; Alexandrum medio iam die siti maceratum, impleuerunt confestim galeam, eiq; obtulère. Requirente eo quibusnam aquam afferrent, Liberis nostris, respondère: Verum, te incolumi, alios gignemus, etiamsi hos amiserimus. Sub quorum dicta accepit galeam. Cæterum, circumlatis oculis, vbi vidit, qui ipsum comitabantur, equites capite inclinato potum respicientes, reddidit illis aquam non gustatam, laudauitque eos: nam ego, inquit, si solus bibero, hi elanguescent. Regis conspicati equites continentiam & magnitudinem animi, duceret, & bono animo esset, vociferati sunt, & equos verberarunt: neque fatigari se, neq; sitire, sed nec mortales ducere esse, quod talem haberent regem.*

CAPVT X.

ARGVMENTVM.

Multi auidiùs bibentes intereunt. Regis cura pro exercitu. Oxi traiectus.

Tandem ad flumen Oxum ipse peruenit prima ferè vespera. Sed exercitus magna pars non potuerat consequi, in edito monte ignes iubet fieri, vt ij qui ægrè sequebantur, haud procul castris se abesse cognoscerent. Eos autem qui primi agminis erant, maturè cibo ac potione firmatos implere alios vtres, alios vasa quibuscunque aqua portari posset, iussit, ac suis ferre. Sed qui intemperantius hauserant, intercluso spiritu extincti sunt: multoq; maior horum numerus fuit, quàm vllo amiserat prælio. At ille thoracem adhuc indutus, nec aut cibo refectus, aut potu, quà veniebat exercitus constitit. Nec ante ad curandum corpus recessit, quàm præterierant, qui agmen sequebantur: totamq; eam noctem cum magno animi motu perpetuis vigilijs egit. Nec postero die lætior erat, quia nec nauigia habebat, nec pons erigi poterat, circumquaque amnem nudo solo, & materia maximè sterili. Consilium igitur, quod vnum necessitas subiecerat, init. Vtres quàm plurimos stramentis refertos diuidit. His incubantes transnauere amnem: quique primi transierant, in statione erant, dum traijcerent cæteri. hoc modo sexto demum die in vlteriore ripa totum exercitum exposuit.

AD FLVMEN OXVM PERVENIT.) De Oxo flumine cap. 6. iam disputauimus, & mox plura addemus.

QVI INTEMPERANTIVS HAVSERANT, INTERCLVSO SPIRITV EXTINCTI SVNT.) Caussam huius, naturalis sapientiæ studiosi reddunt ἀντιπερίστασιν caloris interioris, qui primum æstu diffusus, repentè per frigidum humorem & aquam copiosiùs haustam opprimitur & extinguitur, non secus ac si ignem infusa largius vnda suffoces. Galenus. περὶ τρόμου καὶ παλμοῦ καὶ σπασμοῦ, καὶ ῥίγους. Φλόγα δή μοι νόησον ἐκτὸς ποτὲ μὲν ἀπορίᾳ τῆς ὕλης, ὅθεν ἀνήπτετο, διαφθειρομένην, ποτὲ δὲ ἐν ἡλίῳ λαμπρῷ μαραινομένην, αὖθις δ' ὑφ' ὕδατος πολλοῦ κατασβεννυμένην, ἢ πλήθει ξύλων ἐπ' αὐτῆς σωρευθέντων καταπνιγομένην. *Considera mihi sanè flammam externam, quæ aliquando inopia materiæ, vnde accendebatur, corrumpitur: aliquando in Sole splendido marcescit, & rursus ab aqua multa extinguitur: aut copia lignorum super ipsam congestorum suffocatur.* Hæc Galenus ducta similitudine ab externa flamma, quæ quatuor modis siue caussis extinguitur, inopia alimenti, radijs solis, nimia iniectione materiæ, denique aquæ, vel alterius humoris conferta infusione. addit speciatim etiam oleum, eandemque rationem ait esse innati caloris; plura ex Galeno adderem, si res exigeret. cap. 15.

MVLTOQVE MAIOR NVMERVS HORVM, QVAM VLLO PRAELIO FVIT.) Nil bibere opus, cum fauces vnda strangulat. Ingens clades & strages, cuius maximè rex ipse caussa fuit, quòd inexplorato per arida, & sicca, vallatque & vastata locatnon præparatis ad iter necessarijs, exercitum duxerit. Solertior fuit Iulius Cæsar Alexandro, qui vnus ex omnibus Imperatoribus Alexandrum vicit, quicquid panegyristæ suis ducibus blandiantur. De huius stragis magnitudine paucis Plutarchus: *Maximam autem exercitus stragem*, inquit, *angustia necessariorum, & cæli intemperies inuexêre.*

AT ILLE THORACEM ADHVC INDVTVS.) Meritò hoc, vt qui ad id locorum & calamitatum suos deduxerit, laudanda tamen tam anxia pro milite cura, cuius salus, cui ducum cordi non est, non est ille dux, non rex, non imperator. Elegans caput in præceptis suis militaribus composuit Vegetius, quo docuit, quemadmodum sanitas gubernanda sit exercitus, locis, aquis, tempore, medicina, exercitio. Commendat Lampridius Alexandri Seueri studium in curandis ægris, militibusque, vt & Hadriani Spartianus, qui per tentoria singulos adiere, & an quid rerum necessariarum deesset, quæsiere. l. 3 c. 2.

TOTAMQVE EAM NOCTEM CVM MAGNO ANIMI MOTV PERPETVIS VIGILIIS EGIT.) Pulcherrimum Cæsaribus, regibus, ducibusque vigilantiæ, curæ, solitudinis documentum.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα. Iliad. β.

NEC NAVIGIA HABEBAT.) Bessus enim traiecto Oxo, nauigia omnia exusserat; ne Macedoni vsui essent, vt capite 6. extremo cognouisti.

CON-

CONSILIVM NECESSITAS SVBIECERAT.) Nil est necessitate ingeniosius, omnes artes, rationes, consilia vincit.

Verè poeta:

Necessitas omni arte est efficacior.
Necessitas ratione in arctis plus valet.
Necessitas seruat, quem ratio haud explicat.

VTRES QVAMPLVRIMOS.) Vnde acceptos ex pellibus & papilionibus, sub quibus miles in tentorijs degebat, inquit Arrianus. De hoc vtrium artificio copiosius disserit Stevvechius ad 3.
Ad c. 7. p. 168 circa med. Vegetii: *Commodius*, inquit, *hic locus videtur dicendi de vtribus, quos aliquando singulos singuli habuerunt: aliquando plures coniuncti, seruierunt pluribus. L. Florus*: Sed fiduciam, *inquit*, oppidanis resistendi nuncius fecit: docens aduentare Lucullum, qui (horribile dictu) per medias hostium naues, vtre suspensus, & pedibus iter adgubernans, videntibus procul, quasi marina pistrix euaserat: *lib. 3. de gestis Rom. c. 5. De Caio Cæsare etiam Suetonius opulentum testimonium suppeditat:* Si flumina, *inquit*, morarentur, nando traijciens, vel innixus inflatis vtribus, persæpè nuncios de se præuenit. *De Lusitania populis illud Cæsar commemorat, procliue ijs esse tranare flumen, quòd consuetudo eorum omnium est, vt sine vtribus ad exercitum non eant: lib. 1. belli ciuil. Sed vtribus bubulis Hispanos, Arabes: alios contabulatas crates superimposuisse, & ita vectitatos, etiam vestimentis in eos coniectis, scribit Valturinus libro XI. apud quem figuras etiam vtrium expressas spectabis.*

Liuius: vt iam Hispanos omnes, inflati transuexerint vtres l. 30. *Idem lib. prædicto*, Hispani, *inquit*, sine vlla mole in vtres vestimentis coniectis, ipsi cetris suppositis incubantes, flumen transnatauere. *Etiam scutis in modum alueorum suppositis milites flumen tranasse discimus ex Ammiani lib. 16. histor. Sub Imperatoribus Romanis alius & expeditior factus traijciendo fluminis vsus, adminiculo vtrium: quem indicauit mihi auctor incertus de rebus bellicis, adiunctis Notitiæ Imperij: præter officium non videbar facturus, si illius verba huc accerserem:* Ne interdum, *inquit*, necessario itineri exercitus fluuiorum, quod plerunque euenit, occursus impediat, remedium ad hanc rem, & compendio facilè, & vsu præcipuum reperit ingeniosa necessitas, quod tali ratione componitur. Vitulinis pellibus Arabicâ arte mollitis: est enim apud eos præcipua confectionis cura, propter aquam de puteis follibus hauriendam: his igitur, vt dictum est, diligenter sutis, vtres in magnitudinem trium semis pedum, ita vt cum iidem vtres spiritu inflati tumuerint, non extollant vterum, sed æqualitate quadam plenitudo ipsa vtrium spacia plana perficiat. ex quorum lateribus, loris subter annexis, inuicem colligantur: desuper autem vna parte circulis extantibus ex altera immittuntur, vncini. & ita in formam pontis adsociata partibus explicatur integritas. Sed hoc idem opus obliquo fluuio, propter impetum meatus, facilius vsque ad alteram explicabitur ripam, quod fixis in vtraque ripa ferreis palis, & funibus validis in medio quidem sub ipsis vtribus, propter incedentium sustinendum pondus, in marginibus autem firmitatis gratia desuper extensis, transcundi per fluuium nouo quodam, & peregrino itineris apparatu, intra breue temporis spacium, præbebit liberam facultatem. Admonendi præterea sumus, quod super vtrium compaginationem cilicia sunt incedentium substernenda vestigijs, ne lubrica pellium confectio insistendi deneget firmitatem. In vtraque tamen ripâ erunt manubalistæ dispositæ, ne hostilis manus pontem operantibus impedimento consistat.

Figuram illius pontis (Ascogefrus illi vocatus est) apud eundem videbis.

De voce Ascogefrus & Ascogefri, possis quærere quid monstri sit, quod à Stevvechio est explicatum. Vox è Græco petita & concinnata est. ἀσκὸς vtrem sonat, γέφυρα pontem, ἀσκόγεφυρος per syncopen, pontem tibi ex vtribus factum componet.

Sed aliam viam Oxi superandi inuenêre Nomades Scythæ, qui inter Oxum & Tanaim colunt,
Lib. 10. hist. p 619 ex Casaub. edit. eamque permiram, à Polybio his verbis descriptam: *Aspasia earum Nomadum*, inquit, *gens, sedes habet inter Oxum & Tanaim: quorum amnium alter in mare Hycanium se exonerat: Tanais in Mæotim paludem ingreditur. & sunt ambo eius magnitudinis, vt nauium sint patientes. Atque hic admiratione digna res occurrit, qua Nomades ratione Oxo flumine traiecto, pedibus, cum equis suis in Hyrcaniã veniant. Eius rei duplex afferri solet ratio, quarum altera nihil quod mireris continet: altera est miraculosa, non tamen eiusmodi, quæ fieri nequeat. Nam Oxus fluuius è monte Caucaso fontium origines ducens in Bactriana, multis in eum aquis influentibus vehementer auctus, per plana camporum ingenti ac turbido fertur alueo. deinde, vbi ad deserta loca venit, in abrupta quadam & confragosa delatus saxa, tanto impetu ac violentia (quippe fluuius ingens, & qui de superioribus locis deorsum feratur) aquas suas præcipitat, vt in inferiore solo absiliat à dictis saxis ruens aqua longius stadio. Aiunt igitur, per hoc spacium propter istam rupem sub aqua præcipitantis alueo, pedestri itinere Aspasiacas cum suis equis in Hyrcaniam transire. Ratio altera expositionem veri magis similem habet. Solum illud, in quod è catarracta Oxus cadit, vastas planities aiunt habere, quas vis atque impetus præcipitantis aquæ cauat: deinde, vbi, dirupta terra, profundum sibi foramen aperuit, subter terram ferri amnem, ac mox spacio confecto non ita magno, rursum emergere & in conspectum venire: Barbaros, qui locorum naturam probè teneant, qua intermittit fluuius, equis vectos in Hyrcaniam iter facere.*

Lege quæ in prolusionibus ex Plutarcho de Oxo & oleo notauimus, vbi mira de Alexandro ex-
Ḷ.11. p. 357. posuimus. Facit eiusdẽ Oxi & olei mentionẽ Strabo, sed eũ fossum Ochum, non Oxum ait, quamuis

Och

Ochus Oxo excipiatur. Eustathius ad Dionysium geminos fontes ad Oxum repertos ait, alterum olei, alterum aquæ. locum suprà laudauimus. Curtius ipse de scaturigine ad Oxum reperta cap. 25. tradit.

CAPVT XI.

ARGVMENTVM.

Spitamenes cùm coniuratis Bessum vinctum ducit ad Alexandrum.



Amq; ad persequendum Bessum statuerat progredi, cum ea quæ in Susianis erant, cognoscit. Spitamenes erat inter omnes amicos præcipuo honore cultus à Besso. Sed nullis meritis perfidia mitigari potest, quæ tamen iam minus in eo inuisa esse poterat, qui nihil vlli nefas tum in Bessum interfectorem regis sui videbatur. titulus facinoris speciosus præferebatur, Vindicta Darij. *Sed fortunam non scelus oderant Bessi. Namque vt Alexandrum flumen Oxum superasse cognouit, Dataphernem & Catenem quibus à Besso maxima fides habebatur, in societatem cogitata rei asciscit. Illi promptius adeunt quam rogabantur; assumptisq; octo fortissimis iuuenibus talem dolum intendunt. Spitamenes pergit ad Bessum, & remotis arbitris comperisse ait se, insidiari ei Dataphernem & Catenem: vt viuum Alexandro traderent agitantes, à semet occupatos esse, & vinctos teneri. Bessus tanto merito (vt credebat) obligatus, partim gratias agit, partim auidus explendi supplicij adduci eos iubet. Illi manibus sua sponte religatis à participibus consilij trahebantur: quos Bessus truci vultu intuēs consurgit, manibus non temperaturus. Atq; illi simulatione omissa circumsistunt eum, & frustra repugnantem vinciunt, direpto ex capite regni insigni, laceratáq; veste quam spolium occisi regis induerat. Ille deos sui sceleris vltores adesse confessus, adiecit: non Dario iniquos fuisse, quem sic vlciscerentur, sed Alexandro propitios, cuius victoriam semper etiam hostis adiuuisset. Multitudo an vindicatura Bessum fuerit incertum est, nisi illi qui vinxerant, iussu Alexandri fecisse ipsos ementiti, dubios adhuc animi terruissent. In equum impositum Alexandro tradituri ducunt.*

SVSIANIS.) Suprà Susitanos appellauit, incertum quo loco, emendatiùs, ego in Susianos inclino. Diuersi hi sunt à Susijs, ad quos Alexander, cum è Babylone moueret, accessit. Hinc pylæ Susides, in quibus hæsit Alexandri felicitas, vt suprà demonstratum est.

SPITAMENES.) Vir improbitate, perfidia, scelere nobilis, qui virtutem Alexandri egregiè exercuit, magnumque Macedonum numerum cum Menedemo duce per insidias interfecit, tandem ipse ab vxore interemptus, vti suo quæque loco cum Curtio exponemus. c. 13. 24 26. lib. 8. c. 8.

NVLLIS MERITIS PERFIDIA MITIGARI POTEST.) Complures perfidiæ naturam descripsere; tam aculeatè, & tam breuiter nullus atque hic Curtius. *Occultum*, inquit, Val. Max. *& insidiosum malum perfidia, cuius efficacissimæ vires sunt, mentiri ac fallere: fructus in aliquo admisso scelere consistit, tum certus, cum crudelitatem nefarijs vinculis circumdedit: tantum incommodi humano generi afferens, quantum salutis bona fides præstat.* Inde dubitatum est de Hannibale, maiórne an peior vir haberi deberet. Sed quid facias? naturam perfidam nulla gratia vertere potest. nec improbitas vllis beneficijs emendatur. Ergo quemadmodum Bessus in regem suum Darium perfidus fuit, ita in Bessum Spitamenes, in Spitamenem vxor, quos & Eumenidum furiæ & numinis vindicta vbique persecutæ sunt, quoad pœnas sceleribus dignas iustis supplicijs dependerent, & alter alterius carnifex fieret. lib 9 c 6.

* NEFASTVM.) Inuidiam perfidiæ Spitamenis leuabat & mitigabat parricidium Besi, vt nemo iudicaret scelus committi posse in eum, qui suum regem & amicum per summum scelus interfecisset. * an? nefas tum.

VINDICTA DARII.) Iustus, non speciosus tantum titulus & caussa vindicati parricidij esset, si non per parricidium res patrata esset.

Nullum scelus vlciscendum parricidio est. Spitamenem amicum Besi, & inter primos ab illo cultum & honoratum non decebat tali via & modo suspectâ grassari in sanguinem & vitam Besi.

FOR-

FORTVNAM.) Regiam, superbam, beatam, vt videbatur. Itaque non vindicta Darij, sed inuidia Spitamenis fuit.

φθονῆσαι αὐτοῖ χεῖρας πεσόντας.

DATAPHERNES ET CATENES.) Et hi duo perfidi dignam perfidia mercedem infrà perceperunt. vterque enim cum Spitamene paullò pòst ab Alexandro defecit: & Dataphernes à Dahis vinctus Alexandro cum deditione gentis suæ traditur; Catenes in prælio occisus. Catenes iste certissimus sagittarius fuit, adeò vt omnia destinata feriret, atque in aere exciperet.

TALEM DOLVM INTENDVNT.) Veteres ambiguè hac voce dolus vsi sunt, ita vt tam in vitio, quàm in virtute poneretur, vocaruntque bonum & malum dolum, prout res exigebat. Vlpianum lib. 4. pandect. ad illa Prætoris verba audi: *Quæ dolo malo facta esse dicentur, de his iudicium dabo.* Non fuit, inquit, contentus prætor dolum dicere, sed adiecit malum; quoniam veteres dolum etiam bonum dicebant, & pro solertia hoc nomen accipiebant, maximè si aduersus hostem latronemue quis machinetur. Horatius etiam fraude mala dixit vsum Promethea, quamuis nisi in malam partem fortasse nunquam accipiatur. Atque ita hoc loco non fuisset malus dolus Besso intentus, nisi ipsi, qui intenderunt, fuissent etiam latrones.

1. 1. Od. 3. v. 28.

INTENDVNT.) Tendere, intendere dolos dicunt auctores.

A SEMET OCCVPATOS ESSE.) Vtitur frequenter Curtius hac voce pro anteuerto, præcipio, anteuenio, præoccupo.

SVA SPONTE RELIGATIS.) In speciem à tergo reuinctis, ita vt quando vsus esset, statim sua sponte soluerentur, & illa ipsa vincula ad vinciendum Bessum adhiberent.

MANIBVS NON TEMPERATVRVS) Suis manibus omnes obtruncaturus.

REGNI INSIGNI.) Fascia regia, diademate, cidari, corona regia.

OCCISI REGIS SPOLIVM.) Vestem Darij occisi regiam induerat Bessus, & insigne regium sumpserat.

SCELERIS.) Parricidij in Darium commissi. fassus est sentire se iusti numinis vindictam, scelus suum prosequentis.

DARIO NON INIQVOS, ALEXANDRO PROPITIOS.) Caussam addit vtriusque dicti: nam iusti sunt dij, dum vindicant necem Darij; sed fauent Alexandro, dum efficiunt, vt hostes etiam, illius victoriam adiuuent, semperque adiuuerint. Nam & ego aduersis superis Darium vinxi, & vinciendo hostem Alexandri, Alexandro victoriam propinaui. Me rursus, qui solus adhuc potui illius victoriam morari, vinctum hostes tradunt Alexandro, vt vinci non possit.

MVLTITVDO.) Milites, clientes, Bactriani.


DVBIOS) An vindicarent Bessum dominum suum è manibus coniuratorum, an duci permitterent.

Quid deinde Besso factum, quo pacto modoque & habitu ad Alexandrum sit adductus, infrà c. 13. exponemus.

CAPVT XII.

ARGVMENTVM.

Missio veteranis data. Brancidarum excidium.



Nter hæc rex quibus matura erat missio lectis I Ↄ. CCCC. *ferè, bina talenta equiti dedit, pediti terna denarium millia, monitosque vt liberos generarent, remisit domum. Cæteris gratiæ actæ, quod ad reliqua belli nauaturos operam pollicebantur. dum Bessus perducitur, peruentum erat in paruulum oppidum, Brancidæ eius incolæ erant. Mileto quondam iussu Xerxis, cùm è Græcia rediret, transierant, & in ea sede constiterant: quia templum quod Didymæon appellatur, in gratiam Xerxis violauerant. mores patrij nondum exoleuerant, sed iam bilingues erant, paulatim à domestico, externo sermone degeneres. Magno igitur gaudio regem suscipiunt, vrbem seque dedentes. Ille Milesios, qui apud ipsum militarent, conuocari iubet. vetus odium miles gerebat in Brancidarum gentem proditionis ergò. His, siue iniuria, siue originis meminisse mallent, liberum de Brancidis permittit arbitrium. Variantibus deinde sententijs, se ipsum considera-*

sideraturum, quid optimum factu esset, ostendit. Postero die occurrentibus, Brancidas secum procedere iubet: cumq; ad urbem ventum esset, ipse cum expedita manu portam intrat. phalanx mœnia oppidi circuire iussa, & dato signo diripere urbem proditorum receptaculum, ipsosq; ad vnum cadere. Illi inermes passim trucidantur, nec aut commercio linguæ, aut supplicum velamentis precibusq; inhiberi crudelitas potest. Tandem (ut deijcerent) fundamenta murorum ab imo moliuntur, ne quod urbis vestigium extaret. nemora quoque lucosq; sacros non cædunt modò, sed etiam extirpant, ut vasta solitudo & sterilis humus, excussis etiam radicibus linqueretur: quæ si in ipsos proditionis auctores excogitata essent, iusta vltio esse, non crudelitas videretur: nunc culpam maiorum posteri luêre, qui ne viderant quidem Miletum, adeò Xerxi non potuerant prodere.

QVIBVS MATVRA ERAT MISSIO.) Qui emeritis stipendiis à militia dimittendi erant. De varijs missionum generibus disputat Alexander Neapol. l.6. c.22. Stevvechius ad cap. 3. l.2. Vegetij, & accuratius de militia Romana Lipsius dial. 19 l.5.

Porrò missionem aliam faciunt iustam, aliam iniustam. vtriusque geminæ sunt formæ: ex iustis, alia honesta, alia causaria; ex iniustis, alia gratiosa, alia ignominiosa: honesta, quæ emeritis stipendiis dabatur; causaria, quæ ob vitium, senectutē, defectum, morbum: vt si miles captus oculis, manibus, pedibus, aut morbo, aut alio vitio laboret: *gratiosa, quam Liuius ita nominat, per gratiam, aut ambitum ab Imperatoribus impetratā: sed sæpè inualida, & Censores rescindebant. Liuius:* Missorum quoque caussas se cogniturus esse, & quorum ante emerita stipendia gratiosa missio sibi visa esset, eos milites fieri iussuros. *Ignominiosa est, qua ob delictum, aut crimen militiā quis solutus. Et ideò sic dicta, quia nominis notam & infamiam adferebat. Iurisconsulti quoque hoc testati: & exemplum huius elegans, atque ipsa formula, in Hirtij, de bello Africano:* Cæsar postero die de suggestu; conuocatis omnium legionum tribunis, centurionibusque C. Aniene, inquit, quòd in Italia milites populi Romani contra rempubl. instigasti, rapinasque per municipia fecisti, quodque mihi reiq; publicæ inutilis fuisti: ob eas res ignominiæ caussa ab exercitu meo te remoueo, hodieque ex Africa abesse, &, quantum potes, proficisci iubeo. itemque te, A. Fontei, quod tribunus militum seditiosus, malusque ciuis fuisti, ab exercitu dimitto. *Ipsa verba sic cum dignitate in aspectu omnium de tribunali prolata, æterno vulnere eos sauciabant.* Lips. 234. lib. 5. mil. Rom.

Plura idem Lips. eadem pag. & seqq. Hoc loco Curtius de honesta missione loquitur. Sed quæro etiam apud Græcos harum missionum testes & auctores. Curtius pleraque Græca ad formam Romanam transfert.

BINA TALENTA EQVITI.) Millenos ducenos Philippæos singulis equitibus, peditibus singulis trecenos philippæos. Et hoc missionis donatiuum.

LIBEROS GENERARENT.) Vt nouus miles succresceret, quo & ipse, & secuturi reges vterentur. p. 16. in.

BRANCIDAE EIVS INCOLAE ERANT.) Branchidas Goropius in Francicis à Brancho dictus affirmat; Branchum autem eundem esse cum Vranco & Vrancum cum Franco, indeque Francos nomen accepisse. *Quemadmodum,* inquit, *Romulida à Romulo, ita Branchida à Brancho dici videntur. Quamobrem vt origo gentis in lucem eruatur, necesse habeo inuestigare, quis fuerit Branchus & quibus parentibus ortus. Græci, vt modò dictum, ea consonante carent, cuius figura eadem est cum quinta Latinorum vocali. Loco autem eius, Beta vtuntur, cuius apud eos, perinde atque Hebræos, duplex sonus esse potest. Quod igitur nos dicimus Vrancus, illi βραγχός scriberent, nec aliter tamen quàm nos pronunciarent, seruato quodam idiotismo literas alias ad sonum aliorum cogente, qui notior est, quàm vt odiosè sit pluribus explicandus. Non parum modò nobis effectum est à Branchida ad Branchum, à Brancho ad Vrancum progressu, quandoquidem posthac negari nequeat, priscam esse Vrancorum nomenclaturam, quæ quid significet, modò explicatum.*

Docet deinceps quis Branchus siue Vrancus fuerit, cuius ego mirißimas originationes hic prætermitto illis legendas, qui nihil habent, quod agant.

MILETO.) Miletus inclita ciuitas Ioniæ: Herodotus in Clio, Μίλητος μὲν αὐτῶν (Ἰώνων) πρώτη κέεται πόλις πρὸς μεσαμβρίην. *Miletus, prima apud ipsos (Iones) ciuitas, ad meridiem vergens.* Et hanc in Caria posuit. In Caria Ionum, inquit Stephanus, & Hecatæus in Asia: Didymus verò in Sympolio, primum Lelegia ab incolis Lelegibus dictam affirmat, deinde Pityusam, à frequenti pinu ibi nata: Anactoria quoque ab Anacto. Ciuis, Milesius dicitur. Eadem ferè Eustathius ad Dionysium p. 106 Mela in Ionia, *Post Basilicum, Ionia,* inquit, *aliquot se ambagibus sinuat: & primùm à Posidio promontorio inflexum inchoans, cingit oraculum Apollinis, dictum olim Branchida, nunc Didymi: Miletum vrbem quondam Ioniæ totius, belli paciśq; artibus principem;* l. 1. p. 60. ad marg. 142.

patriam Thaletis astrologi, & Timothei musici, & Anaximandri Physici, aliorumque ciuium inclitis ingeniis meritò inclitam, vtcunque Ioniam vocant. Plinius lib. 5 cap. 29. *Miletus Ioniæ caput, Lelegeis antè, & Pityusa & Anactoria nominata super octoginta vrbium per cuncta maria genitrix.*

.11 p. 604. IVSSV XERXIS TRANSIERANT.) Strabo testis, *Circa hæc loca eum etiam Branchidarum vrbem excidisse, quos eò Xerxes collocarat, vltrò eum à patria secutos, quod pecuniam Dei in Didymis & donaria prodidissent: at Alexandrum sacrilegia eorum & proditionem abominatum, vrbem deleuisse.*
lib 17. pag. 941. in f. vel p 560. Callisthenes idem apud Strabonem. *Hic Callisthenes tragicè rem exaggerans addit, cùm Apollo Branchidarum oraculum deseruisset, ab eo tempore quo templum à Branchidis Xerxem sequentibus spoliatum fuit, & fons defecisset: & hunc tum denuò scaturiisse, & Milesiorum legatos Memphim profectos, multa responsa attulisse de nato è Ioue Alexandro, de futura apud Arbela victoria, de Darij morte, de rebus Lacedæmone nouandis, de generis quidem nobilitate, etiam Erythræam Athenaidem effatum, quæ Erythrææ antiquæ Sibyllæ similis fuerit.*

l. 14. p. 732. Idem Strabo: *Post Posidium seu Neptunium Milesiorum deinceps est oraculum Didymei Apollinis in Branchidis, sursum versus octodecim stadia incensum est à Xerxe, vt & alia omnia templa præter Ephesium. Branchidæ cum fugienti Persæ thesauros Dei tradidissent, vnà abierunt ne pœnas cogerentur dare sacrilegij & proditionis. Postea tamporis Milesij templum omnium maximum construxerunt, quod ob magnitudinem sine culmine mansit: nam ambitus delubri* * *pagi amplitudinem æquat: estque intus & extra lucus preciosus: alia delubra oraculum & sacra continent. Ibi fabula* * *Branchum fuisse dicunt, & amorem Apollinis. Ornatum est templum donarijs antiquarum gentium sumptuosissimè.*

* κώμης.
* Hunc Branchum Becanus interpretatur Iapetū Apollinem ipsum Nochum, seu Noc.

DIDYMAEON.) Ita rescribe, non Didymaon, quamuis apud * Strabonem etiam Ἀπόλλων Διδυμαῖος legatur ab recto Ἀπόλλων διδυμεὺς Apollo Didymeus. Beconus rursus exoticam adfert Didymei vocis originem, quam Nocho attribuit, multisque paginis de Didymæo & Brancho & Philesio disputat in Francicis * & aliis. Cæterùm, cur Apollo, Didymæus sit appellatus, docet * Macrobius.
* l. 14. p 732. Ἀπόλλωνα, inquit, Διδυμαῖον *vocant, quod geminam speciem sui numinis præfert ipse, illuminando formandoque lunam. Etenim ex vno fonte lucis, gemino sidere spacia dies & noctis illustrat. Vnde & Romani solem sub nomine & specie Iani, Didymæi Apollinis appellatione venerantur.* Est mentio huius Apollinis apud a Sozomenum, Apuleium, b Lactantium Firmianum, vbi extat de Christo oraculum quis fuerit:
* li 1 pag. 22.
* lib. 1. Saturnaliorum cap. 17.
a lib. 1. Eccles. hist c. 7. Licinio Imperatori datum oraculum ab hoc Apolline.
b lib. 4. de vera sapientia. c. 13.

> Θνητὸς ἔην κατὰ σάρκα, σοφὸς τερατώδεσιν ἔργοις,
> Ἀλλ' ὑπὸ Χαλδαίων κριτῶν ὅπλοις συναλωθεὶς,
> Γόμφοις, καὶ σκολόπεσσι πικρὴν ἀνέτλησε τελευτήν,
> *Mortalis erat secundum carnem, sapiens portentosissimis operibus,*
> *Sed sub iudicibus Chaldæis armis comprehensus,*
> *Clauis, & cruce amarum tolerauit finem.*

Est & apud Orpheum in Apollinis suffimento mannæ, mentio Didymæos:

> Βάκχιε, καὶ Διδυμεῦ ἑκάεργε, λοξία ἁγνέ.
> *Bacche & Didyme, longè arcens, Loxia, munde.*

Idem & Branchum & Miletum laudat in Argonauticis paullò post principium.

IN GRATIAM XERXIS VIOLAVERANT.) Hoc præter Curtium Strabo, quem suprà laudabi, pluribus locis testatur. Sed hoc negat Becanus, quod ob thesauros Xerxi datos ad Sogdianos vsque secesserint: Is enim religionis caussa id factum à Branchidis euincere, vtinam non frustrà, multis verbis conatus est.
Goropius lib. 1. Francicorum. p. 14.

MORES PATRII.) Græciæ mores.

IAM BILINGVES ERANT.) Barbarè & Græcè loquebantur. alioqui bilingues mendaces, callidi, subdoli sunt, qui album & atrum, calidum & frigidum ex eodem ore simul proflant, de quibus literæ sacræ. Tradit in secundo bibliothecæ Diodorus Siculus apud Taprobanam insulam gentem fuisse bilinguem δίγλωσσον, quæ geminas in ore linguas versabat, simulque diuersa loqui poterat, cui, meo animo, nulla fides. Nihil tamen Deo ἀδιάφορον. Ita à Xerxe Bœoti quoque translati sunt, vt Siculus in septimodecimo volumine narrat, quos etiam διφώνους bilingues appellat, & ad Celonas collocatos. Hæc tamen de Branchidis historia apud Diodorum desideratur, non quod ipsam ille prætererit, sed quod in eum codicis locum vetustas sæulerit, & aboleuerit. In indice enim libri caput hoc de Branchidis extat: ὡς τοὺς Βραγχίδας τὸ παλαιὸν ὑπὸ Περσῶν μετοικισθέντας εἰς τὰ ἔσχατα τῆς βασιλείας, ὡς προδότας τῶν Ἑλλήνων ἀνεῖλεν Ἀλέξανδρος. *Branchidas olim à Persis ad extremos regni fines collocatos, vt Græcorum proditores Alexander morte adficit.* Ab Arriano totam silentio præteritam miror, * Plutarchus ex Bilibaldi interpretatione de hoc Branchidarum excidio ita sentit, *Nec Alexandrum, & qui mirè eum admirantur ac amant, ex quorum numero nos quoque sumus, laudare solent, quod Branchidarum vrbem funditus subuerterit, omnemque ætatem penitus exciderit, quoniam ab vorum maioribus Mileti templum olim proditum fuerat.*
* Gorop. in Franc. p. 16.

VRBEM

VRBEM SEQVE DEDENTES.) Contra ius gentium ergò Alexander egit, quando & supplices confugientes, adeoque seipsos sine armis, sine tumultu, sine suspicione maleficij dedentes trucidauit, deleuit, & funditus cum tota gente excidit. Aliàs etiam huiusmodi ludos crudelitatis non sine nominis infamia lusit Alexander. Plutarchum per interpretem audi: *Bellicosissimi, inquit, Indi milit abant mercede. hi vrbes strenuè defendebant, multisq; modis Alexandrum fatigabant: cum his inducias in oppido quodam fecit, mox recipientes se in itinere oppressit. qua rebus illius bello gestis, iustè aliàs & regie bellantis quasi labes adhæsit.* Aliud huius perfidiæ documentum de Alexandro tradit Siculus de mercenarijs lib. 17. p. 555. (In Alexandro p.698. inf.)

QVI APVD IPSVM MSILITARENT.) Militabant, dicerent alij.

SIVE INIVRIAE, SIVE ORIGINIS MEM. MALLENT.) Iniurlæ, ob aurum & thesauros templi Appollinis Didymæi Xerxi proditos; originis, quod origine Iones & Græci essent: Iniuriæ, vt proditionem vlciscerentur; originis, vt popularibus & gentilibus, & ciuibus olim parcerent.

VARIANTIBVS SENTENTIIS.) Cùm rectiùs sentientes dicerent, parcendum innoxijs, non luendum posteris, quod maiores peccauissent. Alij contrà, delendos esse malos coruos, ex malis ouis natos, perfidiam nulla gratia dignam, vt quæ nullis beneficijs emendetur. Cùm inter ipsos Milesios non conueniret, Alexander ipse in deteriorem partem versus censuit delendos.

POSTERO DIE OCCVRRENTIBVS.) Militibus Alexandri Milesijs ad audiendam regis sententiam occurrentibus; dixerat enim pridie se ipsum, quid optimum factu esset, consideraturum.

BRANCHIDAS SECVM PROCEDERE.) Quasi ad triumphum, sed reuera ad cædem & exitium.

CVM EXPEDITA MANV.) Cum equitatu. phalanx autem pedestris erat.

SVPPLICVM VELAMENTIS.) Infulis, habitu gestuque, & alijs supplicantium signis. Liuius, *Ramos oleæ ac velamenta alia supplicum porrigentes, orare vt reciperent sese.* Tacitus lib. 19. etiam infulas & velamenta coniungit. Multa Alexander Neapolitanus super gestu, habitu, more, cultuque supplicantium vol. 2. c. 19. (lib. 14.)

TANDEM (vt deijcerent) FVNDAMENTA MVRORVM AB IMO MOLIVNTVR.) Acidalius illa verba, *vt deijcerent*, tanquam glossema, inducenda putat, nec ego aliter existimo, quid enim opus, *vt deijcerent*, fundamenta enim euerterunt, non vt ædificarent.

TANDEM FVNDAMENTA.) Post ciues omnes crudeliter trucidatos, etiam in tecta & mœnia furor Græcorum grassatus est.

LVCOS QVOQVE SACROS.) Ita compono, & dispono verba: Pluribus gentibus luci sacri & nemora pro templis fuerunt, præsertim Germanis, è quibus Branchidas fuisse Goropius existimat. Athenienses Herculis, Romani Vestæ & Martis, Iliæ, Colchi, in quo fuit aureum vellus, lucum potissimum venerati sunt. Lucos putant dictos quasi minimè luceant, vt Parcæ quod nemini parcant, bellum per antiphrasin, quasi minimè bellum. (Iuuenal. sat. 1. Alex. Neap. pol. passim.)

QVAE SI IN IPSOS PRODITIONIS AVCTORES EXCOG. ESSENT.) Sequitur Curtij iudicium, & sententia de hoc immani facinore Alexandri, quod non immeritò tanquam sæuum & impium damnat.

CAPVT XIII.

ARGVMENTVM.

Spitamenes adducit nudum Bessum, qui in crucem agendus ad sagittas pro meta destinatur. Catenis sagittarij laus.



Nde processit ad Tanaim amnem: quo perductus est Bessus non vinctus modò, sed etiam omni velamento corporis spoliatus. Spitamenes eum tenebat collo inserta catena, tam barbaris quàm Macedonibus gratum spectaculum. Tum Spitamenes, t.t te, inquit & Darium reges meos vltus, interfectorem domini sui adduxi, eo modo captum, cuius ipse fecit exemplum. aperiat ad hoc spectaculum oculos Darius: existat ab inferis, qui illo supplicio indignus fuit, & hoc solatio dignus est. Alexander

multum eollaudato Spitamene conuersus ad Bessum Cuius, inquit, feræ rabies occupauit animum tuum, cùm regem de te optimè meritum prius vincire, deinde occidere sustinuisti? sed huius parricidij mercedem falso regis nomine persoluisti. Ibi ille facinus purgare non ausus, regis titulum se vsurpare dixit, vt gentem suam tradere ipsi posset: qui si cessasset, alium fuisse regnum occupaturum. At Alexander Oxatrem fratrem Darij, quem inter corporis custodes habebat, propius iussit accedere tradiq́ Bessum ei, vt cruci affixum, mutilatis auribus naribusq́, sagittis configerent barbari asseruarentq́ corpus vt ne aues quidem contingerent. Oxatres cætera sibi curæ fore pollicetur, aues non ab alio melius quàm à Catene posse prohiberi adijcit, eximiam eius artem cupiens ostendere. Namque adeò certo ictu destinata feriebat, vt aues quoque exciperet. Nam etsi forsitan sagittandi tam celebri vsu minus admirabilis videri ars hæc possit, tamen ingens visentibus miraculum, magnoq́ honori Cateni fuit. Dona deinde omnibus qui Bessum adduxerant data sunt. Cæterum supplicium eius distulit, vt eo loco in quo Darium ipse occiderat, necaretur.

lib. 4. c. 16. AD TANAIM.) De Tanai multa prioribus libris, & plura dicemus infrà.

l. 6. c. 3 12. l. 7. c. 6 & 17. 18. 22. l. 17. p. 554. BESSVS NON VINCTVS MODO.) De Besso non idem narrant omnes, nec cum Curtio consentiunt, nec tamen admodum dissentiunt: Siculus breuiter: *Huius salute ac spe munerum ab Alexandro referendorum inuitati ducum primores, inter se conspirant, Bessumq́ captum ad Alexandrum perducunt. rex magnificis eos donis excepit: Bessum verò Darij fratri, cæterisq́ propinquis ad supplicium, illorum arbitratu de eo sumendum concessit. hi omni contumeliæ & cruciatus genere tandem minutatim conciso, particulas huc illuc fundis disiecerunt.* l. 12. p. 108. in 16. edit. Iustinus adhuc breuius: *Interea vnus ex amicis Darij Bessus, vinctus perducitur, qui regem non solum prodiderat, verùm & interfecerat. quem & in vltionem perfidiæ excruciandum fratri Darij tradidit, reputans non tam hostem suum fuisse Darium, quam amicum eius, à quo esset occisus.* Est huius Besi mentio quoque apud Strabonem.

OMNI VELAMENTO SPOLIATVM) Hoc ad summam Besi ignominiam & contumeliam Alex. Neapol. l. 2. c. 25. factum. Persis enim tanta verecundia est, vt hominem nudum videre capitale sit. Et mirum sanè omnibus gentibus tum Christianis tum paganis insitum à natura pudorem. Moschi nec Christum in cruce quamuis naturâ velatâ nudum spectare sustinent, quod Posseuinus tradidit. Milesiæ virgines cum nescio qua phrenesi aut furore correptæ certatim sibi gulam laqueo frangerent, nec vllis supplicijs, aut custodijs ab ea mente deduci possent, tandem decreto edito, vt post suspendium eodem laqueo nudæ per publicas ciuitatis vias ad spectaculum traherentur pudore deterritæ deinceps ab infami morte abstinuerunt. Tanta cura verecundiæ est, vt à morte etiam summa eius ratio habeatur, quod in Lucretia, Iulio Cæsare, alijsque est memoriæ proditum. Et Nicolaus Trigautius in triumphis Martyrum Iaponensium obseruauit nobiles & honestas matronas cum nullis supplicijs à Christi cultu possent deterreri, tandem imminente verecundiæ periculo, ne publicè deuestitæ petulantis plebeculæ ludibrio exponerentur, ita perculsæ sunt, vt adito magistratu grauissimis verbis iudices monerent; viderent, quousque progrederentur, vsitatis & humanis supplicijs essent contenti, cauerentque ne limitibus verecundiæ perruptis, patientiam Christianorum in furorem rabiemque verterent, totamque remp. pessundarent. Quibus vocibus deterriti magistratus intra modum genti vsurpatum constitere. Christus tamen omnis auctor patientiæ nudus omninò in cruce pependit, quod maiorem ignominiam Hebræi, nec Hebræis puniendis reis excogitare possent.

COLLO INSERTA CATENA.) Et ore, capistro tanquam feræ etiam alligato, vt Arrianus paullò antè citatus tradit.

ET TE, INQVIT, ET DARIVM REGES MEOS.) Te Alexandrum, in quem Bessus arma sumpserat; Darium etiam vinxerat, & occiderat.

EO MODO CAPTVM) Sicut ille catenis vinxit Darium, ita vinctus tibi sistitur.

COLLAVDATO SPITAMENE.) qui tamen mox ab Alexandro defecit, ab vxore postea occisus.

QVAE TE FERAE RABIES) Feram Bessus immanem & vinctus, & capistro frenatus nudus referebat; & reuera omnem humanitatem exuerat, ferasque omnes quæ parentibus suis parcunt, superarat, rege suo, à quo nunquam læsus, multis etiam honoribus & opibus auctus fuerat, occiso.

PARRICIDII MERCEDEM F. R. NOM. PERSOLVISTI.) Tibi ipsi mercedem persoluisti parricidij, quando sumpsisti regia insignia, regnum Darij inuasisti, te ipsum regem appellasti, quamuis neque rex iustus, neque verus, sed falsus, sed tyrannus esses, dum alienum regnum contra ius fas vsurpasti.

VT GENTEM SVAM ILLI TRADERE POSSET.) Hæc mendosa erat caussa, nunquam illi regnum tradere cogitarat, alioqui ad exemplum aliorum satraparum supplex ad Alexandrum sine tiara & cidari venisset.

Oxatrem fratrem Darii.) Nobili encomio hunc Curtius lib. 3. celebrauit: *Ergo, inquit, frater eius Oxathres cùm Alexandrum instare ei cerneret, equites quibus praerat, ante ipsum currum regis obiecit, armis & robore corporis multùm super caeteros eminens: animo verò & pietate in paucissimis, illo vtique praelio clarus: alios improuidè instantes prostrauit, alios in fugam auertit.* Et sexto libro. *Mille hi fuerunt, inter quos repertus est Oxartes Darij frater non illius fortuna quàm indole animi sui clarior.* cap. 21. lib. 6. c. 2.

Quem inter corporis custodes habebat.) Hoc suprà Curtius posuerat: *Fratrem Darij recepit in cohortem amicorum omni vetusta claritatis honore seruato.* Eundem reor postea creatum Bactrianorum praetorem, accusatum etiam & absolutum, amplioribúsque imperij finibus donatum l. 9 c 15. lib. 6 c. 2.

Cruci affixum.) Variam de nece Bessi Scriptorum sententiam suprà allatis auctorum verbis exposui. Hic rursus aliam ex Plutarcho audi, *Bessum,* inquit, *post comprehensum dilacerauit, directis arboribus duabus in vnum deflexis, quarum vtrique corporis partem alligauit, inde laxata amba atque impetu in sedem suam relata partem sibi annexam retinuêre.*

Hoc supplicij genere lacerabant noxios Derbices, nec multum ab hoc diuersum genus mortis Metij Sufferij quadrigis illigati, & in diuersa actis lacerati.

Ne aves quidem contingerent.) Vt in cruce contabesceret, & putresceret.

Catenae.) De hoc cap. xi. dictum. Hic si plura nobilium sagittariorum exempla desideras, habes inprimis apud Plutarchum in Alexandri dictis, de Indo exemplum, qui per annulum sagittam mittere poterat, sed iussus ab Alexandro duci, quod artis suae specimen edere recusaret, ductus respondit, se pertimuisse, ne à scopo aberraret, & famae suae iacturam faceret, quod iam pridem artem non exercuisset, quo nomine dimissus, & donis auctus abijt. Mira etiam de Domitiano Imperatore Suetonius, de Gratiano Ausonius, Olaus de Tochone Gotho, Guilelmo Tello Stumpfius, Auone Noruego Saxo l. 6. Alphonso Arragonum rege Panormitanus in eius vita refert. plura passim leges, hic ista etiam plus satis.

Vt eo in loco, quo Darium ipse occiderat, necaretur.) c. 25. Inde (ex Bactris) Bessum Ecbatana duci iussit, interfecto Dario, poenas capite persoluturum. Vinctus est à Besso Darius in vico Parthorum Thara, vt in xi. narrat Iustinus. Ita Andronicus, suggerente Menelao, Antiochiae eodem loco, vbi Oniam sanctissimum Pontificem Hebraeorum interfecerat, ab Antiocho Epiphane, vt est in altero Machabaeorum volumine, trucidari iussus est. Sacrilegus autem Menelaus etiam deteriori fato, vti merebatur, defunctus est. Iuris quoque lex est, vt reus ibi puniatur, vbi deliquit. Digest. l. 48. tit. 2. de accusationibus & inscriptionibus. Et authenticorum collatione nona: Vt nulli iudicium. tit. 9. Reus capiendus est, & ad locum delicti remittendus, vt ibi supplicium patiatur. Attende tamen leges hasce non praecipere de vestigio loci, in quo caedes facta est, vt illuc reus ducatur & supplicium in vestigio subeat, sed in praefectura illa, foro & ditione praefecti, vbi scelus, aut parricidium, aut aliud huiusmodi facinus est perpetratum. Vt si caedes in silua, antro, domo, via, templo sit facta, sicarius vel parricida non erit in templo, antro, silua, puniendus; sed loco ordinario illius prouinciae plectendus, de ipso loci vestigio nulla extat lex. Factum tamen est in Besso, Andronico, & alijs. 2. Mac. c. 13. Barcolus.

CAPVT XIV.

ARGVMENTVM.

Ex Macedonibus nonnulli pabulatores oppressi à barbaris capiuntur. Rex dimicans vulneratur, barbari deduntur.



Nterea Macedones ad petendum pabulum incomposito agmine egressi à barbaris, qui dum proximis montibus decurrerunt, opprimuntur; pluresque capti sunt, quam occisi. Barbari autem captiuos prae se agentes, rursus in montem recesserunt. XX. *millia latronum erant, fundis, sagittisque pugnam inuadunt. quos dum obsidet rex, inter promptissimos dimicans sagitta ictus est, quae in medio crure fixa reliquerat spiculum. Illum quidem moesti & attoniti Macedones in castra referebant. Sed nec barbaros fefellit subductus ex acie: quippe ex edito monte cuncta prospexerant. Itaque postero die misere Legatos ad regem, quos ille protinus iussit admitti, solutisque fasciis magnitudinem*

tudinem vulneris dißimulans, crus barbaris ostendit. Illi iussi considere affirmant, non Macedonas, quam ipsos tristiores fuisse, cognito vulnere ipsius: cuius si auctorem reperissent deditur os fuisse: cùm diis enim pugnare sacrilegos tantum. Caterum se gentem in fidem dedere, superatos virtute illius. Rex fide data, & captiuis receptis, gentem in deditionem accepit.

INCOMPOSITO ACMINE.) In hostico nunquam palandum, nunquam nisi pluribus, & ordine, & explorato pabulandum. Singuli intercipiuntur, palantes excipiuntur, incompositi facilè opprimuntur. Exempla in omnibus historicis pasim occurrunt.

A BARBARIS.) Sogdianis, qui se ex vrbibus in montes contulerant, nec se Alexandro commiserant. inter Oxum enim & Tanaim Sogdiani potißimum degunt.

l. 3. sub. fin. XX. MILLIA LATRONVM.) Arrianus triginta millia numerauit.

ibid. pa 76. vel 150. in 8. p. 341. in f. SAGITTA ICTVS.) Idem Arrianus: qui in ceteris nonnihil discrepat à Curtio; nihil enim de legatis à barbaris missis, genteque regi deditâ scribit. Plutarchus in secundo de Fortuna Alexandri, hoc vulnus miris modis auget. *In Maracandis*, inquit, *sagittâ crus vulneratus, ita vt à tibia radio fractum os dissiliret*. In Græco est pro Maracandis, ἐν Μαλλοῖς in Mallis, sed Malli & Oxydracæ procul absunt à Maracandis. Malli apud Indos sunt: Maracanda regia est Sogdianorum. Interpres ergò verior, quàm Plutarchus, sed verba auctoris erant ponenda: in ora verò notandus error & Maracanda nominanda. In primo de Fortuna gentem Maracadartas appellat: *Apud Maracadartas*, inquit, *sagitta sura osse diffisso defunctus sum.*

CVM DIIS ENIM PVGNARE SACRILEGOS TANTVM.) θεῷ μάχεσθαι δεινόν. *Impium est pugnare cum Deo.* Vnde θεόμαχοι. Hic professa adulatio est. Nam si Alexandrum crediderunt Deum, quare cum eo in prælium descenderunt? & quomodo Deum, quem ipsi in pugna vulnerassent?

CAPVT XV.

ARGVMENTVM.

Certamen elegans peditum & equitum super gestando rege, quod rex amœbæum esse voluit. Maracanda occupat. Scytharum legatos audit. Locum vrbi ad Tanaim designat.



Astris inde motis, lectica militari ferebatur, quam pro se quisque eques pedesq; subire certabant. Equites cum quibus rex prælio inire solitus erat, sui muneris id esse censebant. Pedites, cùm saucios commilitones ipsi gestare assueuissent, eripi sibi proprium officium tum potißimum cùm rex gestandus esset, querebantur. Rex in tanto vtriusque partis certamine, & sibi difficilem, & prateritis grauem electionem futuram ratus, in vicem subire eos iussit. Hinc quarto die ad vrbem Maracanda peruentum est. LXX. stadia murus vrbis amplectitur. Arx nullo cingitur muro, præsidio vrbi electo, proximos vicos depopulatur atque vrit. Legati deinde Auiorum Scytharum superueniunt, liberi ex quo decesserat Cyrus, tum imperata facturi, iustissimos barbarorum constabat. armis abstinebant, nisi lacessiti. Libertatis modico & æquali vsu principibus humiliores pares fecerant. Hos benignè allocutus ad eos Scythas, qui Europam incolunt, Penidam quendam misit ex amicis, qui denunciaret eis ne Tanaim amnem regionis iniussu regis transirent. ei mandatum, vt contemplaretur locorum situm, & illos quoque Scythas, qui super Bosphorum colunt, viseret. Condendæ vrbis sedem super ripam Tanais elegerat, claustrum & iam perdomitorum, & quos deinde adire decreuerat.

Elect. l. 1. c. 19. p. 103. vel p. 410. in 4. LECTICA MILITARI FEREBATVR) Lecticarum vsus olim potissimum in agris & viæ, aliæ fuêre apertæ, aliæ clausæ, quas Lipsius del. ribit, ex quo pauca delibo. *Addam nunc & lectica formam, quæ duplex, alia Aperta, alia Tecta. Aperta forma simplex, asseres aliquot compacti; qui capere puluinum oblongum*

oblongum possent, in quo homo singularis porrectus iaceret. Ad summam non aliud, quàm modicum quasi lectus. Ex * Suetonio: *non vanè quis suspicetur asseres eos exemptiles fuisse, & facilè in lecticam repom potuisse aut tolli. Eò magis quod vinculorum aliquotiens mentio, quibus lectica colligata.* *in Caligula c.58.

Puluinum in lectica, adstruo ex Cicerone, vt in Verrem: Lectica octophoro ferebatur, in qua erat puluinus perlucidus, rosa fartus. *ait, rosa fartus: at Iuuenalis,* pluma, *quod magis ex more vulgi.*

Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehatur
Pensilibus plumis, atque illinc despiciat nos.

Indignatur enim sceleftum illum sublimem & superbum ferri in lectica. De puluino etiam Seneca. De consolatione ad Martiam cap.16. Equestri insidens statuæ, in sacra via celeberrimo vrbis loco Clælia, exprobrat iuuenibus nostris puluinum ascendentibus, in ea illos vrbe sic ingredi, in qua etiam fœminas equo donauimus. *Eleganter. nam intelligit eos ascendere lecticam. in qua puluinus.*

Et Athenæus lib.5.c.10. Athenionis philosophi lecticam describit pedibus argenteis, vel, vt eius verba sunt φορεῖον ἀργυρόποδον. *His pedibus lectica deposita insistebat. Vide exempla in Suetonij Augusto, cap.78. & 94.*

Eadem omnia in lectica tecta, nisi quod hæc maiorum deliciarum fuit, contra aspectum hominum siue iniurias aëris clausa vndique & munita. Ideo Cubiculum tectum *Plinius Nepos alibi in epistolis dixit, & auunculus* Cubicula viatoria, *nisi fallor, lib.37. histor. natur. cap.2. cum Neronem ait* sceptra & personas & cubicula viatoria vnionibus construxisse. *Munita autem pelle & velo, opere arcuato planè ad eum modum quem aspicimus hodie in Italica rheda.*

Suidas de lectica aliqua militari & subita locutus videtur, corijs boum ad formam lecticæ muliebris intecta. Opus arcuatum eruo ex Taciti verbis lib.15. Cum ad eosdem cruciatus retraheretur gestamine sellæ, vinclo fasciæ quam pectori detraxerat in modum laquei ad arcum sellæ restricto, indidit ceruicem & corporis pondere connisa tenuem iam spiritum expressit. *Clausa igitur vndique hæc lectica, nisi quod fenestra quædam in ea ad prospectum.* Iuuenalis:

Namque facit somnum clausa lectica fenestra.

Ea ipsa velo siue linteo tegebatur, quod dimouere licebat seu adducere, pro voluntate vehentis. Aufidius Bassus de morte Ciceronis: Cicero paullùm remoto velo, postquam armatos vidit: ego vero consisto, ait, accede veterane, & si hoc potes saltem rectè facere, incide ceruicem.

Illud tamen nnn satis assequor, quod sub finem capitis adijcit: *Caput,* inquit, *exasciatum est de lecticis & sellis, quarum vsum inoneo ignotum priscis Græcis, ex Iuuenali.*

---- quanquam non essent vrbibus illis
Prætexta & trabeæ, fasces lectica, tribunal.

Etiam Orientis populis: Tacitus l.2. annal. de Vonone rege Parthorum, Accedebat dedignantes & ipse diuersus à maiorum institutis, rarò venatu, segni equorum cura, quotiens per vrbes incederet, Lecticæ gestamine, fastuque erga patrias epulas. *Quæ vitia omnia ad Parthos Româ transtulerat Vonones, olim ibi obses.*

Sed, vt de Parthis concedam, de Græcis etiam priscis aliter vt legis, hic, Curtius, qui militari lectica gestatum narrat Alexandrum. Et Alexander certè rex Græcorum, & ipse Græcus, & ex priscis illis non recentioribus, qui Cæsarum æuo vixerunt. Sed Lipsius de vsu ordinario Græcorum loquitur, non de casu, qui lecticam ex necessitate suggessit, quamquam militiæ etiam milites gestatos idem Curtius hic doceat. vno verbo, periculosum est negare aliquid de tota gente, & tempore nulli satis cognito.

IN VICEM SVBIRE EOS IVSSIT) per vices, non simul, sed per aliqua spacia equites, per alia pedites. Et sanè memorabile est exemplum cultus & amoris in regem suum Macedonum, qualia certamina non multa in omni antiquitatis memoriâ cognosces.

MARACANDA) regiam Sogdianorum. Arrianus ὡς ἐπὶ Μαράκανδα ἦγε. τὰ δ᾽ ἐστὶ βασίλεια τῆς Σογδιανῆς χώρας. *in Maracanda mouit, qua in vrbe Sogdianorum regia est.* Apud Strabonem mendosè scriptum est Παράκανδα: vetus enim codex Μαράκανδα habet, quamuis nec ipse satis emendatus, cum Μαράκανδα, non Μαράκανδα legendum sit. Variat tamen etiam apud Arrianum calamus, qui modo Paracanda, modò Maracanda scripsit, Plutarchus constanter Maracanda.

LXX. STADIA MVRVS VRBIS AMPLECTITVR) Duo milliaria germanica, passusque septingentos quinquaginta. amplam sanè oportuit fuisse ciuitatem.

ARX ILLINC CINGITVR) *illius* legit Acidalius, pro *illinc*, alij codices, *arx nullo cingitur muro,* quia intra septa ciuitatis. Et sequitur *præsidium vrbi relictum, nullum arci.* Malim tamen Acidalianum *illius*, vrbis inquam.

LEGATI DEINDE AVIORVM SCYTHARVM SVPERVENIVNT) Qui fint Auij Scythæ, Curtius ipse docet, gentem esse liberam à morte Cyri, tum se Alexandro permisisse, iustissimam, alieni non appetentem, quietam nisi læderentur; omnibus paribus, nullo inter illos eminente, vti perfecta Democratiæ forma videretur. Arrianus de ijsdem Abijs. *Paucis, inquit, post diebus legati ad Alexandrum veniunt à Scythis, quos Abios vocant, quos & Homerus iustissimos mortalium appellans, in suo opere laudat. Hi Asiam incolunt, nullis legibus aut regibus subiecti, ob paupertatem nimirum cum iustitia con-* l.4.p.77.

coniunctam. Homerus porrò, quem hic Arrianus testem produxit, hos Abios canit in XIII. Iliados, qui Ρ... inscribitur, ipso ferè initio, quem cum Eustathio videbis, multa enim hic de Abijs.

Obseruandum etiam, quod rectè Casaubonus animaduertit, Abios Arriano, Curtio, Ammiano, nomen proprium videri, non epithetum, quemadmodum etiam Ἀβιοὺς Hesichio teste. Proinde interpretem Homeri Latinum, Abios non rectè vertisse arbitror Abios longæuos, quamuis etiam Eustathius in quibusdam ita Græcis intellectam vocem moneat. Cæterùm, Latini hos Scythas, nûc Abios, nunc Auios appellant, quod Græcis secunda litera scribatur, quæ Romanis & alteram in alphabeto, & v consonantem valeat, rectèque vtroque modo notatur: vsitatius tamen Abij, quam Auij nuncupantur. De his Strabo VII. vol. copiosè disputat, Iustinus eosd. quamuis communi Scytharum nomine comprehensos paucis describit: *Hominibus, inquit, inter se nulli fines, neque enim agrum exercent, nec domus illis vlla, aut tectum, aut sedes est, armenta & pecora semper pascentibus & per incultas solitudines errare solitis. Vxores liberosque secum in plaustris vehunt: quibus, coriis imbrium hiemisq, causa tectis, pro domibus vtuntur. Iustitia gentis ingenijs culta, non legibus. Nullum scelus apud eos furto grauius, quippe sine tecti munimento pecora & armenta habentibus, quid inter siluas superesset, si furari liceret? Aurum & argentum non perinde ac reliqui mortales appetunt. lacte & melle vescuntur. Lanæ ijs vsus ac vestium ignotus: & quanquam continuis frigoribus vrantur, pellibus tamen ferinis ac murinis vtuntur. Hæc continentia illis morum quoque iustitiam edidit, nihil alienum concupiscentibus. Quippe ibidem diuitiarum cupido est, vbi & vsus. atque vtinam reliquis mortalium similis moderatio & abstinentia alieni foret.* (l. 2. p. 20.)

Albanis Glareani nullus hic locus, nec ipse tamen admittit.

QVI EVROPAM INCOLVNT) Abij enim seu Auij Asiatici sunt ex Arriani, & Curtii, aliorumque nonnullorum opinione. Cum Abiis ergò pacisci non dubitauit Alexander. ad Europæos per speciem legationis misit Penidam (an Menidam? de quo infrà) qui & regionem & populos Scytharum, & genera armorum, & omnia denique quantum posset assequi, exploraret. Idem Arrianus docet.

NE TANAIM TRANSIRENT) Silin, seu Iaxartem, seu, vt Arrianus *appellat. Orxantem, qui Macedonibus falsus Tanais, vt suprà docuimus, infraque docebimus. Scythis per Penidam transitu Tanais interdixit, quod ea quæ cis Tanaim hunc Macedonicum omnia in potestate Alexandri essent: Ne alienum ergo regnum inuaderent, canit per legatum Alexander, caussam belli aduersus Scythas Europæos quæsiturus, vrbem etiam ad Tanaim positurus. (*sub finem lib. 3.)

QVI SVPER BOSPHORO INCOLVNT) Hic Bosporum seu Bosphorum Cimmericum seu Scythicum, non Thracicum intelligo, qui valdè remotus à Tanai in Mæotidem paludem sese exonerante, sicut palus Mæotica per Bosphorum Cimmericum in pontum Euxinum delabitur, vt non immeritò Mæotis mater Ponti appelletur. Itaque Petrus Gyllius in Bosporo Thracico Bospororũ originẽ ita deducit: *Thracici, inquit, origo est pontus Euxinus. supra pontum est Maotis, quam matrem & nutricem ponti diuulgauit hominum sermo, iam abusque antiqua memoria traditus, Maotidis finis Tanais, limes Europa & Asia Maotidem Cimmerico freto excipit pontus auctus Maotide, & multis magnisque fluminibus per Thracium Euripum exit in Propontidem. Et vt magni lacus fluuium aliquem emittere solent, ita pontus emittit in mare Aegaum velut flumen maximum, in principio angustum, in medio amplum, in fine strictum. Finis appellatur Hellespontus, medium verò lacus similitudinem gerens Propontis, principium Bosporus.* De vtroque Bosporo & nos suprà, & multa Arrianus in periplo ponti Euxini, Strabo l. 2. Eustath ad Perieg. Mela, Plinius, alii. Super Bosporo verò Cimmerio Sauromatæ seu Sarmatæ Scythæ colunt. Cimmerium etiam Glareanus hic ponit, quem consului, vbi hæc iam scripseram. (p. 12. l. 2. c. 1.)

CONDENDAE VRBIS SVP. RIP. TAN.) De hac vrbe Alexandria posteà condita infrà c. 17. plura ex ipso Curtio cognosces. Arrianum initio lib. 4. consule.

CAPVT XVI.

ARGVMENTVM.

Sogdianorum & Bactrianorum defectio. Cyropolis & Memacena vrbes cum regis periculo euertuntur, Spitames obsidetur.

Sed



SEd consilium distulit Sogdianorum nunciata defectio, quæ Bactrianos quoque traxit. VIII. millia equitum erant, quorum auctoritatem cæteri sequebantur. Alexander Spitamenem & Catenem, à quibus ei traditus erat Bessus: haud dubius quin eorum opera redigi possent in potestatem, coercendo qui res nouauerant, iussit arcessi. At illi defectionis ad quam coercendam euocabantur, auctores, vulgauerant famam, Bactrianos equites à rege omnes vt occiderentur arcessi, idque imperatum ipsis, non sustinuisse tamen exequi, ne inexpiabile in populares facinus admitterent: non magis Alexandri sæuitiam quàm Bessi parricidium ferre potuisse. Itaque sua sponte iam motos, metu pœnæ haud difficulter ad arma concitauerunt. Alexander transfugarum defectione comperta Craterum obsidere Cyropolim iubet. Ipse aliam vrbem regionis eiusdem corona capit, signoque vt puberes interficerentur dato, reliqui in prædam cessere victoris. Vrbs diruta est, vt cæteri cladis eius exemplo continerentur. Memaceni, valida gens, obsidionem, non vt honestiorem modò, sed etiam vt tutiorem ferre decreuerant. Ad quorum pertinaciam mitigandam rex L. equites præmisit, qui clementiam ipsius in deditos, simulque inexorabilem animum in deuictos ostenderēt. Illi nec de fide, nec de clementia regis ipsos dubitare respondent, equitesque tendere extra munimenta vrbis iubent. Hospitaliter inde exceptos, grauesque epulis & somno, intempesta nocte adorti interfecerunt. Alexander haud secus quàm par erat motus, vrbem corona circumdedit, munitiorem, quam vt primo impetu capi posset. Itaque Meleagrum & Perdiccam in obsidionem iungit, Cyropolim (vt ante dictum est) obsidentes. Statuerat autem parcere vrbi condita à Cyro: quippe non alium gentium illarum magis admiratus est, quàm hunc regem, & Semiramim, in queis & magnitudinem animi & claritatem rerum longe eminuisse. Cæterùm pertinacia oppidanorum iram eius accendit. Itaque captam vrbem diripi iussit, deleta, Memacenis haud iniuria infestus, & ad Meleagrum & Perdiccam rediit. Sed non alia vrbs fortius obsidionem tulit: quippe & militum promptissimi cecidere & ipse rex ad vltimum periculum venit: namque ceruix eius saxo ita icta est, vt oculis caligine confusis collaberetur, ne mentis quidem compos. Exercitus certè velut erepto in eo ingemuit. Sed inuictus aduersus ea quæ cæteros terrent, nondum percurato vulnere acrius obsidioni institit, naturalem celeritatem ira concitante. Cuniculo ergo suffossa mœnia ingens nudauere spacium, per quod irrupit, victorque vrbem dirui iussit. Hinc Menedemum cum tribus millibus peditum & IↃCCC. equitibus ad vrbem Maracanda misit. Spitamenes transfuga præsidio Macedonum inde deiecto muris vrbis eius incluserat se, haud oppidanis consilium defectionis approbantibus: sequi tamen videbantur, quia prohibere non poterant.

SOGDIANORVM DEFECTIO) Ter Sogdiani perfida gens dediti, ter defecerunt, vt est in indice Siculi * ex quibus rex ducenta viginti millia capitali supplicio interfecit: Sic enim Siculus, ὡς Ἀλέξανδρος ἐπὶ Σογδιανοὺς καὶ Σκύθας ἐστράτευσεν. *l. 17. tom. 2. p. 484.

Vt Alexander Sogdianis & Scythis bellum intulerit.

ὡς οἱ πρωτεύοντες Σογδιανῶν ἀπαγόμενοι πρὸς θάνατον παραδόξως ἐσώθησαν. Hæc Curtius etiam.

Vt principes Sogdianorum ad capitale supplicium ducti, præter omnem expectationem seruati fuerint. Et hæc.

ὡς Ἀλέξανδρος ἀποστάντας τοὺς Σογδιανοὺς ἐπολέμησε καὶ κατέσφαξεν αὐτῶν πλείους τῶν δώδεκα μυριάδων.

Quemadmodum Alexander Sogdianos cum rursus defecissent, bello adortus vicerit, & centum viginti millia capitali supplicio affecerit.

Ἀπόστασις τρίτη Σογδιανῶν καὶ ἅλωσις τῶν εἰς τὴν πέτραν καταφυγόντων.

Tertia defectio Sogdianorum, & rupis in quam confugerant, expugnatio. De hoc etiam consentit Curtius.

SPITAMENEM ET CATENEM) Nulla fides barbaris, omnibus momentis nunc ad hos, nunc ab his ad alios deficiunt. Inter victos enim & victores nulla firma amicitia, sicuti nec inter dominum & seruum.

BACTRIANOS EQVITES A REGE OMNES VT OCCIDERENTVR ACCERSI) Arrianus * etiam aliam caussam adfert defectionis Sogdianorum & Bactrianorum, quod Alexander illius prouinciæ maximum conuentum ad vrbem Zariaspa indixisset, cuius euentum barbari pertimescebant, præsertim si qui sibi non optimè conscij erant. *l. 4 p. 77.

TRANSFVGARVM) Spitamenis & Catenis, quos ad continendos in officio alios miserat, cùm ipsi non solum defecerunt transfugæ, sed alijs etiam auctores defectionis fuere.

Cy-

CYROPOLIM) Κυρόπολιν, Arrianus Κυρέσχατα. Ptolemæus τὰ Κῦρα, ἔσχατον ὂν Κύρε κλίσμα appellat, vltimum operum Cyri, Persici nempe imperij vltimum claustrum & terminus. Plinius Cyropolim maritimam regionem ad rubrum mare collocat: Idem apud Sogdianos autem ponit aras Herculis, Bacchi, Semiramidis, Cyri, Alexandri. *Finis*, inquit, *omnium eorum ductus ab illa parte terrarum includente flumine Iaxarte, quod Scythæ Silin vocant: Alexander milites que eius Tanaim putauerunt esse.*

l. 6. c. 16. l. 6. c. 16.

l. 16. c. 13. Sed non satis assequor, quid sibi Aelianus velit, cum Cyropolim ab Alexandro conditam affirmat in India. Nec ea narratio ad illud caput, vbi de Cercione aue tractat, quicquam facit, nec πρὸς Ἰνδὸν, nec πρὸς τὴν χορδὴν, nec πρὸς Διόνυσον, nec Mercurium pertinet. Nec verisimile est Cyropolim in Sogdianis euersam, restitutam apud Indos. est eiusdem mentio apud Amm. Marcellinum.

l. 4. in initio. ALIAM VRBEM) Arrianus septem vrbes in Sogdianis ordine expugnatas ait ab Alexandro, ad quos barbari eius regionis confugerant. primam vocant Gazam, Craterum Cyropolim misit, vt omnium vrbium maximam, & in quam plurimi barbarorum se receperant. *Ipse vero simulac Gazam peruenit*, inquit Arrianus, *primò statim impetu, murum terreum alioqui & parum altum inuadi iubet, scalis omni ex parte admotis. tum funditores, & sagittarij, ac iaculatores simul cum peditibus impetum facientibus murorum propugnatores è machinis lacessunt, telisque petunt: adeò vt præ nimia telorum vi muro confestim propugnatoribus nudato, scalæ celeriter admotæ sint, Macedonesque murum conscenderint. ac viros quidem omnes interimunt (ita enim iusserat Alexander) mulieribus, ac pueris, reliquaque præda direpta.*

l. 4. p. 77. 92. vel pa. 152. in 8.

CORONA CAPIT) Oppugnatio vrbium duplex est, subita, & diuturna: de subita hic Curtius, & paullò infrà hoc eod. cap. vbi quid sit *corona capere*, quodammodo explicat: *Vrbem corona circumdedit, munitiorem quam vt primo impetu capi posset Itaque Meleagrum & Perdiccam in obsidionem iungit.* Ecce vtramque formam capiendæ vrbis.

l. 1. poliorceticωn. dial. 4. pag. 23. Est autem *subita oppugnatio*, vti Lipsius describit, *cum impetu, nec circumuallatione adhibita, incurrunt. Ad hanc rem corona primum vsi, tum* testudine, *sapè &* scalis, cratibus, musculis, *& quæ leniores sunt machinarum Si placet isthoc ordine videamus.* Coronam *primum adhibeo: & ita solet ad terrendum aut claudendum, sed & ad distinendum. Sæpe occurrit,* corona cingere vrbem, corona capere, expugnare: *& valet in hunc sensum Silius:*

Mœnia flexa sinu, ipsissa vallata corona
Alligat, & telis in morem indaginis ambit.

Facit spissam coronam, *id est, duplicem, triplicem, aut suprà, vt numerus militum, aut magnitudo loci oppugnandi erat. In Ammiano:* Armatorum triplici corona muris circumdatis, *In Iosepho:* Διπλῆ τῇ φάλαγγι κυκλοῦνται τὴν πόλιν, καὶ τρίτην ἔξωθεν περιϊστᾶσι τὴν ἵππον: Duplici peditum corona vrbem (*Iotapatā*) cingunt, & tertiam seriem equitum exterius ponunt. *Bonus ordo, notate. introrsum pedites, quorum inuadere; extrorsum equites, quorum inspectare & tueri. Et eminus quidem series ita duplex aut triplex. sed cùm appropinquabant, ratio vult magis arctatos multiplicatosque item fuisse, in gyro scilicet assiduè angustiore. an non & corpora alibi militum & cohortes relicta, ad subita belli & subsidium aut præsidium? opinor. Hoc etiā amplius, primos ordines peditum scutatorum grauiorumq; fuisse, qui cominus assultarent, inuaderentq; retrorsum leues aut velites, vt funditores, sagittarios, qui eminus pellerent telis, & deturbarent propugnatores. Nec in hac re aliud mouendum.*

a l. 6. b l. 3. de leg. Hæc Lipsius, apud quem & descriptam in charta eius imaginem cognosces. Apud Græcos non dissimile est τὸ σαγηνεύειν apud *a* Herodotum, & *b* Platonem. *vrbem quasi sagena & indagine includere*, vt & Herodianus loquitur.

PVBERES) qui arma ferrent, aut ferre possent: iuuenes, sicut impuberes, pueri & imberbes adolescentes. Liuius dixit *puber ætas.* Virgilius *pubera folia.*

RELIQVI) fœminæ, impuberes, puellæ. Vsitatum hoc in vrbium expugnatione, vt pueris, puellis, & fœminis parcatur, nisi quando hostis hostem grauius irritauit, tum plerumque nemini parcitur, cuius in sacris & profanis literis passim documenta habemus.

MEMACENI VALIDA GENS) quantumuis valida gens sit aut fuerit, nomen eius tamen nullius vel auctoritate, vel tibicine extra Curtium nititur aut fulcitur.

L. EQVITES MISIT) Legati iure gentium sacrosancti ad hostes ibant & inuiolati redibant, quamuis atrocissima perferrent. Nec vllum scelus ab hoste atrocius vindicatum est, quam si vel iniuria, contumeliaue afficerentur, vel etiam occiderentur. cuius rei in omni historia passim occurrunt exempla, quibus hic nihil opus. Summa ergo perfidia & crudelitas fuit Memacenorum, qui legatos Alexandri & hospites, publicaque fide vti credebant tutos, per noctem obtruncarunt. Vnde non immerito gens tota excisa. Credibile ergo quod Siculus in capitibus suprà annotauit, centum viginti millia Sogdianorum & Bactianorum cæsos, præsertim si Cyropolim cum reliquis vrbibus euersam addas. Porrò quid sit ius gentium, leges in Decret. parte 1. c. 9. Ius gentium est sedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captiuitates, seruitutes, postliminia, fœdera, paces, induciæ, legatorum non violandorum religio, & hoc genus alia. Dicitur ius gentium, quia eo iure omnes ferè gentes vtuntur.

Cy-

CYROPOLIM, VT ANTE DICTVM, OBSIDENTES) De Perdicca & Meleagro Cyropolim obsidentibus, nihil ante dixerat, sed Craterum ad eam obsidendam missum, cui haud dubie Perdiccam & Meleagrum socios adiunxerat. quos inde auocatos ad Memacenos expugnandos adhibuit. Cyropolim autem omnibus modis seruatam ob Cyri nomen cupiebat.

ADMIRATVS EST HVNC REGEM) Clarissima & æterna memoria fuit Cyri in omni antiquitate, quem historia sacra sæpè celebrat, laudat copiosè lib. 1. Herodotus, Ctesias in fragm. cum Herodoto editis, Xenophon octo libros, quos Κύρου παιδείαν inscripsit, de eodem condidit: Diodorus Siculus in secundo bibliothecæ quædam descripsit. Iustinus eiusdem res gestas latè persequitur. Persis pater dictus, vti Suidas ex alijs docet. plura de hoc, libro 10 c. 3.

SEMIRAMIM) Fuere sanè multa in hac ingenti heroide admiratione dignissima. Ctesias apud Diodorum Siculum, eius mirandos natales, educationem, virtutes, & opera describit. Est mihi ad manus Ctesias, & ipse Diodorus vti Græcè historiam conscripsit. sed molesta lectori tam longa oratio futura erat: quam ex fontibus ipsis, quisquis volet, * hauriet. l. 2. Biblioth. * l. 2. p. 92.

Ioannes Tzetzes Chil. 9. p. 416. n. 275. politicis versibus eadem quæ Ctesias ac Diodorus, cecinit:

Iustinus paucis verbis, sed paullo verioribus eiusdem res gestas in epitomen contulit: *Hoc ocrise, Zoroastre, & ipse decessit, relicto, adhuc impubere filio Ninya & vxore Semiramide. Hac nec immaturo ausa tradidere imperium, nec ipsa palam tractare, tot ac tantis gentibus vix patienter vni vire, nedum fæminæ parituris, simulat se pro vxore Nini, filium; pro fæmina, puerum: nam & statura vtrique mediocris, & vox pariter gracilis, & lineamentorum qualitas matri ac filio similis. Igitur brachia ac crura velamentis, caput tiara tegit: & ne nouo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu & populum vestiri iubet: quem morem vestis exinde gens vniuersa tenet. Sic primis initijs sexum mentita, puer esse credita est. Magnas deinde res gessit: quarum amplitudine, vbi inuidiam superatam putat, quæ sit fatetur, quemue simulasset. Nec hoc illi dignitatem regni ademit, sed admirationem auxit, quod mulier non fæminas modò virtute, sed etiam viros anteiret. Hæc Babyloniam condidit, murumque vrbi cocto latere circumdedit, harena vice, bitumine interstrato, quæ materia in illis locis passim è terra exæstuat. Multa & alia præclara huius reginæ fuere: Siquidem non contenta acquisitos viro regni terminos tueri, Aethiopiam quoque imperio adiecit. Sed & India bellum intulit: quò præter illam & Alexandrum Magnum nemo intrauit. Ad postremum cum concubitum filij petijsset, ab eodem interfecta est, duos & XL. annos post Ninum regno potita.* Iustin. l. 1. pag. 4.

Multa passim Strabo de ead. & Plinius, & non pauci alij, cùm rerum scriptores, tum poetæ. Est huius rursum mentio infrà lib. 9. c. 11. vbi Semiramidem Alexander sibi anteponit. Huic tamen Goropius Babylonem abdicat, quæ inter maxima & nobilissima opera Semiramidis plerique omnes Græci recensent, mirantur, prædicant, vt suprà audisti. Sed verus & germanus Berosus (non ille fanaticus, Viterbiensis & pseudoberosus) apud Iosephum omnia hæc opera Babylonica Nabuchodonosoro adscribit: Becanum aduersus Viterbiensem consule, qui fabulosa de Semiramide pleraque omnia refutat, in Cronijs p. 342. v. 10. à fine. Iustinus pleraque vera, præter Babylonem, denarrauit. Nos ad Curtium redeamus, qui & ipse hæc fabulosa secutus est.

ITAQVE CAPTAM VRBEM DIRIPI IVSSIT, DELECTOS MACEDONES HAVD INIVRIA INFESTOS) Locus hic totus in graui morbo cubat, quem an curaturus sim, nescio, manum saltem cum Acidalio medicam adhibere conabor. MS. Constantiensis, *Itaque captam vrbem diripi iussit. Deleta Macedones haud iniuria infestos.* Eodem modo legit Modius in suis membranis editi omnes: *Itaque captam vrbem diripere iussit, delectos Macedones haud iniuria infestos.* Sensus huius scripturæ parum aptus, seu legas *deleta* seu *delectos.* Primùm, nulla caussa fuit, cur Cyropoli essent infesti Macedones, nisi quod se fortiter defenderet, quod laudi potius, quam indignationi erat tribuendum. Deinde, cur deletæ essent infesti? Itaque nec placet castigatio prima Acidalij, cùm pro *delectos*, rescripsit *relictos.* Melior altera est: *Itaque captam vrbem diripi iussit. Deletâ, Memacenis haud iniuria infestus.* Vera & certa emendatio, quam res ipsa dictabat: *Cyropoli*, inquit Acidalius, *deleta, in quam ità magis, quàm ira sæuierat, ad Meleagrum & Perdiccam redit, Memacenos obsidentes, quibus merito suo infestus erat ob interfectos equites, legatorum vicem à se præmissos, gentium iure violato. Hinc tamen illud sequatur, ipsum regem obsidioni & direptioni Cyropoleos præfuisse, quod ex reliqua narratione non apparet. Arrianus inter & præfuisse disertè scribit, atque ibi vulnus in ceruice accepisse, quod ad hanc vrbem Curtius refert. Sed vt antè dixi, & dissentanea & intricata hæc tota Curtij narratio est: quod ante nos etiam Modius in parte obseruauit.*

Cæterum quod Modius & Acidalius intricatam & dissentaneam totam hanc Curtij narrationem iudicant: mihi secus videtur; si Curtius cum Curtio componatur: si cum Arriano, fateor Curtium dissentire non à se ipso, sed ab Arriano. Arrianus * omnia, quæ Curtius de Memacenis tradit, ad Cyropolitanos refert, Alexandrum, inquam, vulnus ad hanc accepisse, Craterum, quem Curtius ad Memacenos posuit, sagitta ictum. Curtius rem hoc ordine gestam exponit: Alexander Craterũ ad Memacenos oppugnandos misit: eique Perdiccam & Meleagrum duces adiunxit: ipse Cyropolim sibi expugnandam sumsit, cui omninò propter Cyrum conditorem & eius regis claritatem & memoriam parcere cupierat. Sed cum constanter vrbem ciues defenderent, Alexander illam ex- * lib. 4.

pug-

pugnauit, & deleuit. Cyropoli deleta, contulit se rursum ad Memacenos, quibus propter legatos occisos infestus erat, se contulit, atque * in illius oppugnatione saxo ictus, graue vulnus accepit: nihilominus oppugnationem acrius vrgens per cuniculum tandem in vrbem euasit, illamque captam & direptam euertit. Hæc narratio est clara & expedita, si locum illum ab Acidalio emendatum sequaris. Quod ad Craterū attinet, fieri potest illum à Memacenis tantisper ad Cyropolitas auocatum, relictis interim in obsidione Memacenorum Perdicca & Meleagro, ad quos cum Cratero, post expugnatam & deletam Cyropolim, rediit. Ita Curtius tres duntaxat vrbes in Sogdianis ab Alexandro expugnatas ostendit, primamque ἀνόνυμον corona captam, Cyropolim, & Memacenorum, vi & virtute, omnesque tres deletas. Arrianus * Memacenorum nullam facit mentionem, sed pro tribus septem enumerat vrbes ab Alexandro expugnatas.

*an illorū

*lib. 4. pa. 77. post med.

*lib. 17.

Diodori Siculi narratio hic, vt dixi, desideratur, capita * docent, centum & viginti millia Sogdianorum occisa, quod post septem ciuitates expugnatas & deletas non est improbabile. Plutarchus quamuis tres libros de Alexandro composuerit, potissimum tamen in moribus eius exponendis, & quæ ad Philosophiam pertinent, versatur, è rebus gestis plurima nec attingit quidem. Quod hic in Memacenis vulnus accepit, Plutarchus * in Hyrcania factum dicit, ciuitatem nullam exprimit, *In Hyrcania*, inquit, *oblæso lapide collo, quo ictu tenebris ob oculos offusis, ad dies multos cæcitatem timuit.*

*lib. 2. de fort.

NON ALIA VRBS) Memacenorum vrbem accipe. De cuniculis dictum ad Martialis epigramma 60. lib. 13. ad Curtium lib. 4. c. 19. vbi de nomine cuniculi plura ex Vegetio. Lipsium Poliorcetica lege. vbi multa super cuniculis. *

*l. 5. dial. 8. p. 201.

HINC MENEDEMVM) De hoc infrà cap. 20. vbi eius & militum interitus explicatur.

MARACANDA) redi ad caput XV. Arrianus huic Andromachum ac Caranum adiunctos ait.

lib. 4. pag. 154. in 8.

SPITAMENES) iam notus ex cap. (huius libri 9.) 13. 16. notior futurus 20. 26. & lib. 8. c. 8. apud Arrianum lib. 6.

CAPVT XVII.

ARGVMENTVM.

Ad Tanaim Alexandriam ponit, quam Scytha nequicquam diruere conatur.



NTerim Alexander ad Tanaim amnem redit, & quantum soli occupauerāt castris, muro circumdedit LX. stadiorum vrbis murus fuit. hanc quoque vrbem Alexandriam appellari iussit. Opus tanta celeritate perfectum est, vt XVII. die, quam munimenta excitata erant, tecta quoque vrbis absoluerentur. Ingens militū certamen inter ipsos fuerat, vt suum quisque munus (nam diuisū erat) primus ostenderet. Incolæ noua vrbi dati captiui, quos, reddito precio dominis, liberauit: quorum posteri quoque nondum apud eos tam longa ætate propter memoriam Alexandri exoleuerunt. at rex Scytharum, cuius tum vltra Tanaim imperium erat, ratus eam vrbem, quam in ripa amnis Macedones condiderant, suis impositam esse ceruicibus, fratrem Carthasim nomine magna equitum manu misit ad diruendam eam, proculque amne submouendas Macedonum copias.

AD TANAIM REDIT) de duplici, imò triplici Tanai suprà dictum. Curtius cap. sequenti de hoc ipso plura.

MVRO CIRCVMDEDIT) Arrianus: *Ipse iuxta Tanaim fluuium vrbem condere statuerat, eamque suo de nomine vocare. nam & ipse locus percommodus videbatur ad vrbem amplificandam, & opportunam sedem censebat ad expeditionem (si quando id res postularet) in Scythas faciendam: tum etiam propugnaculum fore regionis aduersus barbarorum, qui cis flumen degebant, incursiones. Magnam autem vrbem fore tum ex incolarum frequentia, tum ex nominis splendore autumabat.* Iustinus, *Et vt his terris nomen relinqueret, vrbem Alexandriam super amnem Tanaim condidit, intra diem septimum decimum muro VI. millium*

l. 4. p. 77. ante med.

l. 12.

tum passuum consummato, translatis eo trium ciuitatum populis, quos Cyrus condiderat, Arrianus. *Ipse urbem, quam condere statuerat, intra vicesimum diem muro complexus, traductis eo Græcis quibusdam mercenarijs & finitimis barbaris, quibus sua sponte eò commigrandi voluntas fuit, nonnullis etiam Macedonibus, quos ætas ineptos bello reddiderat.* l. 4. p. 79. m.

LX STADIORVM): Curtij sententia, nouem millium septingentorum quinquaginta passuū, quando milliarium germanicum, quinque millibus passuum respondet: stadia autem triginta duo efficiunt milliare germanicum. duo ergo milliaria, minus duobus stadijs, seu ducentis quinquaginta passibus, murus erat occupaturus, quod spacium castra occuparant.

XVII. DIE) incredibilis celeritas, qua cœpta & absoluta vrbs est. Sed vicerat Alexandrum Sardanapalus de quo Strabo in Sardanapali epithaphio:

SARDANAPALVS ANACYNDARAXIS F. ANCHIALEN ET TARSVM VNA DIE AEDIFICAVIT. l. 14. p. 462. redi ad lib. 3. c. 9.

NONDVM EXOLEVERVNT) & iam quadringentis & amplius annis floruerant.

FRATREM CARTHASIM) alius codex Carchasim, cuius apud alios rerum scriptores, quod meminerim, nulla mentio, vt nec regis ipsius nomen extat: ducis tamen Scytharum occisi nomen Satraces fuit apud Arrianum.

MISIT) quomodo ergo apud Arrianum excusat rex incursionem Scytharum, non esse publica authoritate factam? aliud nempe Arrianus, aliud Curtius narrat.

CAPVT XVIII.

ARGVMENTVM.

Scytharum descriptio. cura Alexandri de valetudine, & hoste. eiusdem superstitio.



Actrianos Tanais ab Scythis quos Europæos vocant, diuidit. idem Asiam & Europam finis interfluit. Cæterùm Scytharum gens haud procul Thracia sita ab Oriente ad Septentrionem se vertit, Sarmatarumque (vt quidam crediderè) non finitima, sed pars est. Rectà deinde regionem aliam vltra Istrum iacentem colit vltima Asia quà Bactra sunt; stringit quæ septentrioni proxima sunt, profundæ inde siluæ vastæque solitudines excipiunt. Rursus quæ Tanaim & Bactra spectant, humano cultu haud disparia sunt. Primus cum hac gente non prouisum bellum Alexander gesturus, cùm in conspectu eius obequitaret hostis, adhuc æger ex vulnere, præcipuè voce deficiens; quam & modicus cibus, & ceruicis extenuabat dolor, amicos in consilium aduocari iubet. Terrebat eum non hostis, sed iniquitas temporu: Bactriani defecerant, Scythæ etiam lacessebant, Ipse non insistere in terra neque vehi, non docere, non hortari suos poterat. ancipiti periculo implicitus deos quoque incusans querebatur se iacere segnem, cuius velocitatem nemo antea valuisset effugere: vix suos credere, non simulari valetudinem. Itaque qui post Darium victum ariolos & vates consulere desierat, rursus ad superstitionem humanarum mentium ludibrio reuolutus, Aristandrum, cui credulitatem suam addixerat, explorare euentum rerum sacrificijs iubet. Mos erat aruspicibus exta sine rege spectare, & quæ portenderentur, referre. Inter hæc rex, dum fibris pecudum exploratur euentus latētium rerū, propiùs ipsum considere amicos iubet, ne contentione vocis cicatricem, infirmam adhuc, rumperet. Hephæstion, Craterus & Erigyus erant cum custodibus in tabernaculum admissi.

BACTRIANOS TANAIS AB SCYTHIS, QVOS EVROPAEOS VOCANT, DIVIDIT) hæc Iaxartes, vt suprà docui, non Tanais facit: Tanais enim procul ab Indis & Bactrianis.

IDEM ASIAM ET EVROPAM FINIS INTERFLVIT) non idem, sed verus Tanais, qui in Mæotidem paludem decurrit.

HAVD PROCVL THRACIA SITA EST) à Bosphoro Cimmerico vsq; ad Thraciā, gēs Scytharū

pertinet. immo Eustathius ad Dionysium etiam Scythiæ partem docet esse Thraciã. Ἦσαν δὲ Σκύθαι θράκιον ἔθνος οἱ καὶ Νομάδες ἐλέγοντο . *Erant Scythæ etiam Thraciæ gens , quos Nomados appellabant.* Curtius infrà de Scythis pro seloquentibus : *Bactra, nisi diuidat Tanais , contingimus: vltra Tanaim & vsque ad Thraciam colimus* . Hic est quod obserues , vulgò Tanais fontes ex Riphæis montibus deduci , quamquam obscuras eius origines tradit. Sed rerum Moschouiticarum scriptores disertè negant, originem Tanais ex montibus Riphæis , sed eandem ex lacu quodam in Rhezania, Resliæ regione, Moschorum principi subiecta, deducunt. Lacum Iuanoyvum appellant, patria lingua feziorum. Tanais (Moschis Don dictus) rectà primum in Orientem tendit, deinde septentrionem versus flectitur, rursum contrario cursu reflexus meridiem petit, ac in Mæotidem paludem exoneratur. Est etiam Tanais minor, qui in Seuerensi prouincia oritur , & demum in superiorem decurrit.

lib.7.c.22.

p.160.

Ad maiorem Tanaim aiunt statuas & imagines, antiquitatis argumenta, extare . Sunt qui columnas Alexandri M. in eisdem partibus posuere, sed harum hoc tempore nullum vestigium cerni testantur, quod verissimum, cum nullæ vnquam ijs in locis fuerint, nec Alexander ad verum Tanaim vnquam penetrauit.

De Tanais ortu idem in eodem volumine traditur p.242. Sigismundus Herbenstainius à fontibus Tanais vsque ad eius ostia, numerat octoginta milliaria germanica : de aris Alexandri nihil potuisse cognoscere. Idem p.208. *Tanais, inquit, nominatissimus fluuius à Tartaris & Moschouitis Don nuncupatus, fontes & originem habet in Moschouia in ducatu Rezensi. consurgit de terra plana , sterili, limosa & paludosa, & nemorosa, quumque ad orientem solis processisset vsque ad metas Scythia & Tartaria, declinat ad meridiem, & perueniens ad paludes Maotidas, illic ostia tenet & ingreditur* . Plura transcriberem ex Herbenstainio, nisi vererer, ne delicatas aures & emunctas nares horrida scriptoris barbarie offenderem. Addit idem, Tanaim triplo maiorem Tiberi, quà Tyrrheno excipitur, duplo etiam Danubio, qua Budam stringit . (Herodotus Istrum seu Danubium maximum Scythicorum fluminum affirmat in Melpomene .) Denique concludit disputationem de Tanai his verbis, bona venia tua hic, rei caussa, ad verbum collocatis: *Accipiat itaque lector, inquit, tua humanitas, & contra omnes aduersantes tueatur & dicat quod prælibata flumina* (Tanaim Volsum, Occam & alia signarat) *non de montibus, nec de radicibus montium , quoniam ibi montes nulli sunt , oriuntur & fluunt. Accipiat secundò, quod montes hyperborei & Riphai, de quibus emanasse illa flumina ab aliquibus fabulosè scriptum est, nec in Moscouia, neque in alijs partibus septentrionis sunt , rectèque dicetur conficti esse , & nusquam existere, nisi fortè in libro scripti vel ficti , & non in terra reperiri affirmaretur.*

p.49.

Subijcit deinde plura, quæ ad locum hunc non faciunt, & infrà adducentur. Comparat demum Tanaim cum Nilo , eiusdemque longitudinis ex Mathematicorum disciplina , vtrumque esse sexaginta assium, seu graduum vt vulgò loquuntur : Nilum à meridie ad septentrionem properare, Tanaim à septentrione in meridiem , illum mari Alexandrino , hunc à Mæotide absorberi.

VLTRA ISTRVM)vbi colunt Sarmatæ, hodie Poloni, Moschi seu Moschouitæ, Tartari, Getæ, & germani Scythæ.

QVAE BACTRA SVNT STRINGVNT)lego, Quà Bactra stringunt.

PROFVNDAE SILVAE)infra: *Cum siluis, & niuibus, & fluminibus , ferisque bestijs gesturus es bellum.* hæc enim in Scythicis solitudinibus reperiuntur. Idem eodem loco : *At nos deserta & humano cultu vacua magis, quàm vrbes, & opulentos agros sequimur.* Sigismundus Herbenstainius: *Post Moschouiam, inquit, sunt gentes & regiones inter septentrionem & orientem in fine Asia septentrionalis, qua propriè Scythica dicitur, principi Moschouia subiecta. In his regionibus non arant , non seminant , panes non habent, nec pecunias: feris siluarum, qua apud eos abundant, vescuntur, & non nisi aquam bibunt, morantur in densis siluis, in tugurijs ex virgultis factis.* Tu plura ibi de hoc genere hominum . Sed Curtiani Scythæ arabant, vinum hauriebant, Cerere vescebantur. itaque variæ gentes Scytharum sunt, & varij mores. Herodotus in Melpomene totam regionem Scytharum tetragonon facit , & in longum patére quatuor millia stadiorum, totidemque in latum . Longa ergò & lata Scythia centum viginti quinque milliaria germanica. De Scythicis siluis plura infrà.

lib. 4.

PRIMVS CVM HAC GENTE NON PROVISVM BELLVM ALEXANDER GESTVRVS) Mirum quomodo primus, cum Oratores Scytharum infrà * doceant , Syriæ regem , Medorum atque Persarum, ab Scythis bello victos. Et Iustinus, *Darium, inquit, regem Persarum turpi ab Scythia submouerunt fuga. Cyrum cum omni exercitu trucidarunt. Alexandri M. Ducem Sopyriona pari ratione cum copijs vniuersis deleuerunt.* Et apud Diodorum lib.2. Sarmatæ* totam Scythiam ante Cyrum vastauere. Rursus * Iustinus signate exprimit Vexorim regem Aegypti, à quo primum Scythis bellum indictum testatur. Quin & pater Alexandri Philippus Scythas inuaserat, non ergo primus Alexander. Restat, vt pro Curtio dicas, primum ab Alexandro bellum Scythis illatum, non indictũ, sed improuisum, hoc enim verbũ hic Curtius ponit. Sed quomodo improuisum, cum inter Scythas & Alexandrum ante initium belli , legati vltrò citroque ab altero ad alteros commearent, & Scy.

*c.22. lib.2.

*Sauromatæ pag. 127. vel pa. 90. ad mar.

*l.2.

& Scythæ priores Alexandrum lacesserent, adeoque regi, vt est apud Arrianum, insultarent? Diu super hac re cogitanti, nec variam scripturam vllam ex codicibus inter se coniurantibus reperienti, tandem coniectura succurrit, non improbabilis vt mihi quidem videtur: Primus, inquit, Alexander non prouisum ante bellum Scythis fecit, quod id antea non prouiderat, nec statuerat, sicut contra Darium, Bessum, & in Græcia Illyricum Thracium, Thebanum consilio suscepit. Sed cum ad Tanaim seu Iaxartem, vrbem condere statuisset, & Scythæ obniterentur, coactus est ex improuiso mouere in Scythas. alij verò reges seu Aegypti, seu Syriæ, seu Medorum & Persarum ex instituto nec lacessiti quidem, Scythis ingentes exercitus infudere.

AGER EX VVLNERE) quod secundum ceruicem saxo ictus ad Memacena accepit, vti Curtius tradidit, ad Cyropolim, vt Arrianus scripsit.

AMICOS IN CONS. AD. IVBET) Craterum, Hephæstionem, Erigyum cum custodibus alijs corporis illius, vt infrà.

INIQVITAS TEMPORIS) quam tres caussæ efficiebant: noua Bactrianorum defectio, Scytharum obequitantium & lacessentium contumelia, vis morbi tanta, quæ & incedere, & terram etiam pede contingere, imò etiam nisi pressè & submissè loqui regem prohibebat.

SCYTHAE ETIAM LACESSEBANT) Non lacessebant tantum obequitando, sed probra etiam obiectando. Arrianum audi. *Quum Scythas à flumine non recedere cerneret, sed trans flumen (cuius exigua erat ex parte latitudo) tela mittere, nonnulla etiam probra in Alexandrum barbarico more iacere: nimirum, non audere Alexandrum cum Scythis congredi, aut si faciat, experturum quantum inter Scythas & barbaros Asiaticos intersit. His rebus irritatus Alexander, transire in eos statuit, pellesq; ad traijciendum parari iubet.* Ex quo simul loco cognoscis, non statuisse bellum facere Scythis, proinde non prouisum, sed conuitijs irritatum, traiecisse Tanaim siue Iaxartem. l.4.p.79.d.

DEOS QVOQVE INCVSANS) Ita laudabant sua numina impii pagani, cum res non pro voto fluerent, culpam omnem in suos deos referebant. Curtius infrà, de morte Alexandri: *Indignantium voces exaudiebantur, tam viridem, & in flore ætatis fortunæq;, inuidiâ deûm, ereptum esse rebus humanis.* l 10.c.8.
Alij simulacra sua aureis catenis, vel etiam lanâ, ne durius adstricta dolerent, deuinxerunt: Alij flagris quoque conciderunt. Accipe quid Tranquillus in Caligula de Germanici patris eius morte tradat: *Quo defunctus est die, lapidata sunt templa, subuersæ Deûm aræ. Lares à quibusdam familiares in publicum abiecti, partus coniugum expositi.* Conueniebat quidem talis cultus talia numina, sed dato, creditos deos, impij fuere, qui talia in illos ausi. Tyrij, Romani, Sinæ.

CVIVS VELOCITATEM NEMO ANTE VALVISSET EFFVGERE) De Alexandri velocitate multa passim suprà. Aemulum planè habuit Iulium Cæsarem etiã in celeritate, de qua Cicero ad Atticum ep. 9. Hoc τέρας, *horribili vigilantia, celeritate, diligentia est.* Et alibi: *Cæsar volare dicitur.*

SIMVLARI VALETVDINEM) inualetudinem, morbum. *Valetudo*, ambigua ad secundam & aduersam valetudinem vox est, & in vtramque partem exempla occurrunt, etiam sine epitheto. Simulari autem dixit è suspicione militũ, qui arbitrari poterant timeri Scythas ab Alexandro, eoq; simulari valetudinem, ne metus prodatur: Nec verum hoc erat, nouerat audaciam sui regis miles.

SVPERSTITIONEM HVMANARVM MENTIVM) verè à Modio & Acidalio pro *gentium*, rescriptum est *mentium*. emendatius etiam legeris *ludibria* quàm *ludibrio*. Seruari tamen potest *humanarum* pro *vanarum*, quamuis vtriusque vocis apta sententia.

ARIOLOS ET VATES) Alexander quamdiu rem feliciter gessit, ipse sibi vates, ariolus, & deus erat: vbi fortuna eius dubia vel anceps hæsit, tum deus esse desijt, & ad alia numina, vates, & haruspices confugit. Hoc mortalium ingenium est, vt felices, cœli & cœlitum obliuiscantur; infelices, etiã Acheronta moueant. Cæterum, quamuis apud veteres multi arioli, multi aruspices fuerint, qui mortalium animis illuserint, Cicero tamen passim omnes irrisit, præsertim in secundo de Diuinatione, totam gentem haruspicum & extispicum multis rationibus explosit. Noster Delrio * ariolos & haruspices sub vnam legem cogit, & de vtrisque coniunctim disputat: Ariolos quidem ex Isidoro ab aris inspiciendis dictos ait, haruspices non ex Isidoro ab haris, sed ab haruga seu hostia & victima dictos affirmat. Ariolorum furibundæ diuinationes etiam legibus & capitis pœna interdictæ: *Nemo haruspicem consulat aut mathematicum, nemo ariolum: Augurum & vatum praua confessio conticescat, Chaldæi ac magi, & cæteri quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur Sileat omnibus perpetuo diuinãdi curiositas: etenim supplicio capitis ferietur gladio vltore prostratus, quicunq; iussu nostris obsequium denegauerit.* Glossa Accursij Ariolũ, id est, aris vel altaribus & sacrificijs dæmonum deseruientem. Est ergo ariolatio & haruspicina ἱεροσκοπία seu disciplina diuinandi in sacrificijs paganorum solita seruari: cuius genera minimum nouendecim exponit Delrius: ex quo nomina duntaxat depromam. *l.4.c.2.q.7.sect.1. Cod l 9 ti. 18. de mal. & math. n. 5. Delrius to. 2.q.7. sect. 1: p. 230. vel 549 in 4.

I. Species est θυτικὴ siue θυματικὴ, victimaria, cum è viua hostia aliquid diuinatur.

II. Extispicina, Græcis ἡπατοσκοπία, cum ex ipsis extis & iocinore futurum conijciebatur.

III. πυροσκοπία seu πυρομαντεία, cum ex pice & igne euentus futuri captabantur.

IV. est καπνομαντεία, hoc est, fumi obseruatio.

V. λιβανομαντεία, è thure diuinatio.

VI. τιφραμαντεία seu σποδομαντεία, qua ex cineribus sacrificiorum fiebat coniectura.

VII. ὑδρομαντεία & οἰνομαντεία, qua considerabatur color vtriusque laticis in sacrificio fusi.

VIII. κριθομαντεία, ἀλευρομαντεία, ἀλφιτομαντεία, τυρομαντεία, ἰχθυομαντεία, ᾠοσκοπία, ᾠομαντεία, obseruatio seu ariolatio ex hordeo, farre, farina, caseo, piscibus, ouis capta.

IX. κηρομαντεία, è cera coniectatio.

X. ἀνθρωπομαντεία, cum fibræ & viscera humana in aris inspiciuntur.

XI. Δαφνομαντεία, ex laurei rami crepitu & fragore.

XII. βοτανομαντεία est ex verbena.

XIII. ὀμφαλομαντεία est ex vmbilico.

XIV. ἀμνιομαντεία est ex fœtus materni membrana.

XV. Ieduim, est ridicula Iudæorum diuinatio ab animali Iedua dicta.

XVI. λιθομαντεία est ex lapidibus.

XVII. ῥαβδομαντεία est è virgis.

XVIII. λαμπαδομαντεία est lucernaria.

Vltima παρθενομαντεία, virginitatis exploratio.

Has omnes damnatas ariolationes & haruspicinas copiosius exponit Delrius, veterumque testimonijs confirmat. additque alias esse mille nocendi artes à Christianis sacris proscriptas, quas omnes etiam Curtius superstitiones & humanarum mentium ludibria appellat.

ARISTANDRVM) Multa huius vatis, haruspicis, & Arioli mentio, apud Curtium, Arrianum, Plutarchum, a Plinium, qui librum, Aristandri huius opinor, laudat de Ostentis, Philostratum l. 8. qui domo Lycium facit, Arrianus Telmissensem, sed Telmissum alij Cariæ, alij Lyciæ adscribunt, vti Stephanus tradit.

a l. 17. c. 5.

SACRIFICIIS IVBET) Impia paganorum sacra describit Alexander Neapolitanus lib. vlt. ca. vlt. vbi de humanis potissimum victimis tractatur. De Iudæis idololatris, qui dijs pueros puellasque viuos flammis exusserunt literæ sacræ. De alijs paganorum sacrificijs, quæ quibus dijs hostiæ immolarentur fusè rursus Alexand. Neapolitan. l. 3. c. 12. De ceremonijs sacrificiorum Rosinus l. 3 c. 33. Nunquam lego Alexandrum humana hostia litasse. De Carthaginiensibus suprà lib. 4. est dictum.

HARVSPICIBVS) hinc intelligis ariolos & haruspices pro eodem genere vatum hic accipi, cùm paullò antè, versum dixerit Alexandrum ad Ariolos & vates.

EXTA) Inter exta numerantur, cor, cerebrum, pulmo, stomachus, lien, hepar seu iecur. De quibus hæc Alex. Neapol. *Qui augurum disciplinam obseruarunt, quique illorum præscita perscrutati sunt in fibris extisque inspiciendis, inter ea quæ dira aut secunda essent, multum interfuisse volunt: licet alij alio modo illa interpretari, & eorum euenta prædicere soleant. Et tametsi in extis contineri cor, cerebrum, pulmonē, stomachum, lienem, hepar, seu iecur communi opinione receptum fuit, quas Græci φρένας dicunt, incredibili fabrica connexa, quorum ex habitu & colore salubritatis & pestilentiæ signa ostenduntur: tamen nullū discrimen vehementius fuit, quam si caput iocinoris, vel ipsum iecur in extis defuisset, quod caput extorum dicitur, tunc omen exitij malorumque fuisse, funestumque, & magni terroris, nisi insolicitudine & metu, quia curas tunc perimere putarunt. Cumque hepar ex non puro sanguine fit, qui a sanguis purus cogitur circa cor: tamen in hepate sedem vaticinij esse, & præsagium futurorum, periti haruspices opinati sunt.* Illustrat hæc deinde exemplis ex varia historia petitis, quæ ibidem cognosces.

l. 5. c. 25.

FIBRIS PECVDVM) extremum iocinoris, fibra appellabatur. Alex Neap. Si verò in iecore extremum, quod fibra dicitur, ita locaretur, vt ab ima fibra, iocinora intrinsecus replicata essent, aut si geminum iecur foret, per hæc læta & magna portēdi, argumentaque felicitatis esse, nemo dubitauit.

l. 5. c. 25.

CVM CVSTODIBVS) corporis custodib. è quib. principes Macedoniæ, Ptolemæus qui postea regnauit, & Leonatus, alijque erant.

CAPVT XIX.

ARGVMENTVM.

Consilium ponit de inferendo Scythis bello. dehor-

hortantur Erigyus & Aristander. Vates ab Alexandro reprehensus iterum litat & perlitatum feliciter nunciat.

DIscrimen, inquit, me occupauit, meliore hostium quam meo tempore. Sed necessitas antè rationem est, maximè in bello, quod rarò permittit tempora legere. Defecere Bactriani, in quorum ceruicibus stamus, & quantum in nobis animi sit, alieno marte experiuntur. haud dubia fortuna. Si omiserimus Scythas vltro arma inferentes, contemti ad illos qui defecerunt, reuertimur. Si verò Tanaim transierimus, & vbique inuictos esse nos Scytharum pernicie ac sanguine ostenderimus, qui dubitabit parere etiam Europam victoribus? fallitur qui terminos gloriæ nostræ metitur spatio quod trāsituri sumus. Vnus amnis interfluit, quem si traijcimus, in Europam arma proferimus. Et quāti æstimandum est, dum Asiam subigimus, in alio quodammodo orbe tropæa statuere, & quæ tam longo interuallo natura videtur diremisse, vna victoria subitò committere? At hercule si paullum cessauerimus, in tergis nostris Scythæ hærebunt. an soli sumus qui flumina tranare possumus? Multa in nosmetipsos recident, quibus adhuc vicimus. Fortuna belli artem victos quoq; docet. vtribus amnem traijciendi exemplum fecimus nuper, hoc vt Scythæ imitari nesciant, Bactriani docebunt. Præterea vnus gentis huius exercitus venit adhuc, ceteri expectantur. ita bellum vitando alemus, & quod inferre possumus, accipere cogemur. Manifesta est consilij mei ratio. Sed an permissuri sint mihi Macedones animo vti meo, dubito, quia ex quo hoc vulnus accepi, non equo vectus sum, non pedibus ingressus, sed si me sequi vultis, valeo amici. Satis virium est ad toleranda ista. Aut si iam adest vitæ meæ finis, in quo tandem opere melius extinguar? Hæc quassa adhuc voce deficiens vix proximis exaudientibus dixerat, cum omnes à tam præcipiti consilio regem deterrere cœperunt: Erigyus maximè qui haud sanè auctoritate proficiens, apud obstinatum animum, superstitionem, cuius potens non erat rex, incutere tentauit, dicendo deos quoq; obstare consilio, magnumq; periculum, si flumen transisset, ostendi. Intranti Erigyo tabernaculum regis Aristander occurrerat, tristia exta fuisse significans, hæc ex vate comperta Erigyus nunciabat. Quo inhibito Alexander non ira solum, sed etiam pudore confusus, quod superstitio quam celauerat, detegebatur, Aristandrum vocari iubet. Qui vt venit, intuens eum, Non rex, inquit, sed priuatus sum: sacrificium vt faceres mandaui, quod eo portenderetur, cur apud alium quàm apud me professus es? Erigyus arcana mea & secreta te prodente cognouit. Quem certum me hercule habeo extorum interpretem metu suo, tibi autem quàm potest denuncio, ipse mihi indices quid ex extis cognoueris, ne possis inficiari dixisse quæ dixeris. Ille exanguis attonitoque similis stabat, per metum etiam voce suppressa: tandemque eodem metu stimulante, ne regis expectationem moraretur. Magni, inquit, laboris non irriti discrimen instare prædixi: nec me ars mea, quam beneuolentia perturbat. infirmitatem valetudinis tuæ video & quantum in vno te sit, scio. vereor ne præsenti fortunæ tua sufficere non possis. Rex iusso confidere felicitati suæ remisit: aliàs sibi ad gloriam concedere deos. Consultanti deinde cum ijsdem quonam modo flumen transirent, superuenit Aristander, non aliàs lætiora exta vidisse se affirmans, vtique prioribus longè diuersa: tum solicitudinis caussas apparuisse, nunc prorsus egregiè litatum esse.

MELIORE HOSTIVM) quia tempus illis fauet, quod mihi propter valetudinē inīquū est. Poeta:

Temporis plus sæpè terret, quàm hostis ipse, iniquitas.

NECESSITAS ANTE RATIONEM EST) *Necessitas*, inquit Comicus, *ratione in actu plus valet.*

Necessitas dat legem, non ipsa accipit.
Necessitati sapiens nihil vnquam negat.
Ἀνάγκῃ οὐδὲ θεοὶ μάχονται.
Necessitati etiam superi cedunt.

DEFECERE BACTRIANI) suprà cap. 16. *Sed consilium distulit Sogdianorum nunciata defectio, quæ Bactrianos quoque traxit.*

ALIENO MARTE EXPERIVNTVR) ex bello mihi cū Scythis gerendo, Bactriani de mea virtute, animo, viribus existimabūt. Illud si vel detrectauero, vel infeliciter gessero, non solū in perfidia & defectione perseuerabunt, sed etiam arma vltrò inferent. vbi Scythas vicero, reliquæ omnes barbaræ gentes vel ad officium redibunt, vel in eo persistent: Europa etiam præmium victoriæ erit.

HAVD DVBIE SI OMISERIMVS SCYTHAS) Acidalius hunc locum aliter interpolat, & ex aliis antiquioribus codicibus aliam scripturam elicit: *Vulgò*, inquit, *aut dubia fortuna si omiserimus Scythas. Ego aliud inde conjicio, quod spero me omnibus probaturum. Nihil deleo, distinctione solum mutata, superioribus annecto initium horum:* Defecère Bactriani in quorum ceruicibus stamus, & quantum in nobis animi sit, alieno marte experiuntur, haud dubiâ fortunâ. Si omiserimus Scythas, vltrò &c. *Et potéstne quidquam elegantius? alieno periculo experiri tutissimum: neque fortunam belli extimescendam habebit, qui tentaut discrimine aliorum.* Non malè quidem Acidalius, imò etiam benè. Sed & Modianus codex non reijciendus.

TERMINOS METITVR SPATIO QVOD TRANSITVRI SVMVS) hanc gloriæ cupiditatem explicant infrà oratores Scytharum in ipso aditu in vestibulo orationis, *Si dij habitum corporis,* & quæ cap. 22. sequuntur.

VNVS AMNIS) Tanais, qui tamen opinione tantùm Macedonum, Asiam ab Europa diuidebat. quod de vero Tanai, qui in Mæotidem influit, dicendum. hic Tanais fuit Iaxartes, non Tanais; quod sæpe monui.

QVANTI AESTIMANDVM) tanti, vt victa Asia, transmisso Tanai, etiã Europã victã putemus.

IN ALIO ORBE TROPAEA STATVERE) Impropriè loquitur hic Curtius, vel potius Alexander, de tropæis, quæ pro signis expeditionis vel victoriæ accepit: Macedones enim (Pausania auctore*) nulla posuere victoriarum tropæa, cuius rei caussam addit, χαιρωνεῦσι δὲ, inquit, δύο &c. *In Chæronensium agro duo sunt tropæa: ea dux Romanorum Sylla erexit, Taxilo fuso Mithridatis copiarum duce. Amyntæ quidem filius Philippus, neque ad Chæroneam: neq; vspiam vel de barbaris, vel de Græcis à se victis vllum erexit tropæum. neq; fuit omnino patrium Macedonibus mos, victorias suas tropæis vllis testatas relinquere. Est à Macedonibus ipsis traditum, Caranum regem suum victo in pugna Cisseo, qui finitimis imperabat, Argiuorum ritu tropæum constituisse. Erumpentem autem ex Olympo leonem ita illud subuertisse, vt prorsus fuerit abolitum. Intellexisse Caranum id sibi meritò contigisse, quod eo monumento erecto, spem sibi reditus in gratiam finitimis præcidisset reliquo dehinc tempore neque Caranum, neque successorem quenquam tropæum vllum excitasse, quod nempe sibi ad reditum in gratiam cum hostibus, locis aliquid relictum voluerunt. Satis certum fuit huius rei argumentum, quod Alexander neque de Dario, neque de Indicis victorijs tropæum vllum erigendum curarit.* Atqui contra Pausaniam recto pede contendit Siculus, qui affirmat tropæum de victis Chæronensibus erectum. cuius verba non multa, Μετὰ δὲ τὴν μάχην ὁ Φίλιππος τρόπαιον στήσας, καὶ τοὺς νεκροὺς εἰς ταφὴν συγχωρήσας ἐπινίκια τοῖς θεοῖς ἔθυσε. *Ab hac pugna tropæum Philippus statuit, & concessis ad sepulturam mortuis victoriale sacrum dijs fecit.* Et supra de fusis Illyrijs, καὶ στήσας τρόπαιον ἔθαψε τοὺς τῶν ἰδίων τοὺς τετελευτηκότας. *Et erecto tropæo suos in acie defunctos sepeliuit.* Alexander passim aras posuit pro victoriæ monumentis Curtius. l. 3. c. 25. *tribus aris in ripa Pinari amnis Ioui, Herculi, Mineruæ sacratis.* l. 8. c. 21. *Aræ in petra locatæ sunt Mineruæ Victoriæque.* & alibi. Nisi velis Siculum quoque ἀκύρως locutum, vti & Herodianus de eod. Alexandro lib. 3. ἔνθα φασὶ καὶ Δαρεῖον Ἀλεξάνδρῳ τὴν ὑστάτην καὶ μεγίστην μάχην συμβαλόντα ἡττηθῆναί τε καὶ ἁλῶναι ὑπὸ τῶν Μακεδόνων ἀνδρῶν, καὶ τότε τοὺς ἀνατολικοὺς νενικηκότων· μένει δὲ ἐκεῖθεν καὶ τρόπαιον καὶ δεῖγμα τῆς νίκης ἐκείνης πόλις ἐπὶ τοῦ λόφου Ἀλεξάνδρεια καλουμένη ἀγάλματι χαλκῷ οὗ τὴν προσηγορίαν ὁ τόπος φέρει. *Quin eod. quoque loco Darium ab Alexandro ferunt maximo extremoq; prælio profligatum captumq; ab Europæis, qui ad Septentr. sunt, etiã tum Orientis nationes superantib. Manet autem adhuc tropæum, & tantæ victoriæ testimonium vrbs in colle, Alexandria, simul æneum ipsius simulacrum, vnde loco impositum nomen.* Multa hic ab Herodiano peccata, sed non solo, primum fuisse maximum & extremum Darij prælium cum Alexandro ad Issum in Cilicia; deinde, ibi captum Darium, cum vltimum prælium fuerit ad Arbela seu Gaugamela in Assyria trans Tigrim, & ibi demum non captus, sed fugatus iterum, & à Besso demum captus. Vrbs autem & aræ impropriè tropæa dicuntur. Suffragatur Siculo & Herodiano etiam Philostratus,* qui disertissimè arcum triumphalem apud Indos ab Alexandro erectum, vbi Porum vicit, testatur: ἐξελάσαντες δὲ τῶν &c. *Hac accepta epistola, Taxilis abierunt: iamque bidui iter progressi ad locum venerunt, vbi Porum cum Alexandro pugnasse ferunt: ibiq; se portas etiam vidisse dicunt non loci cuiusquam claudendi causa.*

ἀλλὰ τροπαίων ἕνεκα ᾠκοδομημένας.

Sed tropæi tantum gratia extructas. Ipsis quoq; Alexandrum conspici quadriiugo currui superst autem, sicut cum Darij Satrapis apud Issos pugnauit. Duas autem alias portas esse ferunt, non longo inter se spacio distantes, supra quarum vnam Alexandri, supra aliam verò Pori statua posita est, quæ post eorum, vt arbitror, conciliationem extructæ fuerunt. Hic enim latabundo, ille salutanti venerabundoq; similis apparet. Cæterum quæ forma tropæorum fuerit, habes cum apud alios in monumentis passim Romanis, tum apud Rosinum l. 10. c. 29.

*in Bæoticis seu l. 9. sub fin. p. 219. vel. p. 606. in fol.

l. 16 p. 476.

l. eod. pag. 409.

*l. 2. de vita Apoll. pag. 106.

TAM LONGO INTERVALLO NATVRA VIDETVR DIREMISSE) oriens enim & occidens, Asia & Europa, maximis interuallis inter se distant, si vltima Asiæ cum vltimis Europæ considercs. At necesse est, vt fines inter se committantur, quemadmodum Europa quæ ad Hellespõtum est, septem tantum stadijs abest ab Asia, & Europa Scythica ad septentrionem vno duntaxat flumine Tanai separatur ab Asia, quà orientem spectat. Breuiter & eleganter Mela cap. 1. lib. 1.

Hæc

Hoc mari(Euxino) ex duobus inclitis amnibus Tanai & Nilo in tres partes, vniuersum diuiditur: Tanais à Septentrione ad meridiem vergens, in mediam ferè Mæotidem defluit: & ex diuerso Nilus in pelagus. Quod terrarum iacet à freto ad ea flumina, ab altero latere Africam vocamus: ab altero Europen: ad Nilum, Africam, ad Tanaim, Europen. vltra quicquid est, Asia est. Hæc Mela. Ad quæ Oliuarius: *Varro*, inquit, *in duas(vniue. sum diuidit) Asiam & Europam.* Veteres apud Herodotum in quatuor, Asiam, Africam, Europam, & Aegyptum. Recentiores in tres tantum; nam Aegyptum Asiæ partem faciunt.

VNA VICTORIA COMMITTERE.) Transmisso Tanai, seu Iaxarte, & victis Scythis, coniungemus Asiam Europæ, victores vtriusque.

FORTVNA BELLI ARTEM VICTOS QVOQVE DOCET.) Comicus, hæc in senarium vertit:

Fortuna belli artes etiam victos docet.

VTRIBVS.) De his suprà cap. 10. copiosè ex Vegetio dictum doctumque.

BACTRIANI DOCEBVNT.) Quia spectatores fuere, quando Oxus traiectus est.

VNVS GENTIS HVIVS EXERCITVS VENIT, CAETERI EXPECTANTVR.) Vnus ex accolis Tanais, exercitus venit, nisi hunc vincimus, etiam qui longius absunt à Tanai venient. est enim gens Scytharum ingens, & in multos populos & regiones diuisa. vt infrà cap. sequenti, ex Geographo docui, vbi & nomina populorum varia sunt adscripta, & alibi idem tradidit, omnes ad Septentrionem gentes, olim Scythas dictos.

NON EQVO VECTVS SVM, NON PEDIBVS INGRESSVS.) Sed lectica gestatus. priori cap. *Ipse non insistere in terra, non equo vehi*, vulnere in Memacenis, vti vult Curtius, Cyropoli, vt Arrianus, accepit.

ERIGYVS.) Vir magnæ auctoritatis alioqui apud Alexandrum; magnus, strenuus miles, grandis natu, qui Satibarzanem duello confecit. hinc præ alijs ausus Alexandrum dehortari.

CVIVS POTENS NON ERAT.) Sed valdè obnoxius superstitionibus in rebus parum secundis.

HAVD SANE AVCTORITATE.) Quamuis summa esset auctoritate, dignitate, & existimatione, tamen apud Alexandrum nihil proficiebat, vel auctoritate, vel ætate, vel existimatione, quod rex omnino dimicare cum Scythis cuperet.

TRISTIA EXTRA.) Cum iocinori vel caput deesset, vel hepar liuidum, vitiosum, tabidum, saniosum, purulentum appareret, vel caput fibrarum pustulas haberet; piaculare fuit, magnaque infortunia portendebant. Alex. Neap. l. 5. c. 25.

SVPERSTITIO DETEGEBATVR.) Cuius pudebat regem, & nimis solicitum, vel etiam timidum arguebat.

ARCANA MEA.) Tutum silentium. σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας. *Silentij certum præmium.*

Ἀλλὰ τὸ μὲν φάσθαι, τὸ δὲ γ' ἂν κεκρυμμένον εἶναι.

Dicendum est aliud, aliud tacendum.

——— *Et sacris sua sacra silentia sunto.*

τῇ δ' ἄπτερος ἔπλετο μῦθος.

Huic pennis dicta carebant.

QVEM CERTVM, ME HERCVLE, HABEO EXTORVM INTERPRETEM METV SVO.) Quem scio exta non ex vero, sed pro metu suo conuenienter exposuisse: seu prodigium extorum, prout illi metus dictabat, explicasse. Meticulosi quicquid mens suggerit, pro oraculo habent: omnia tuta timent.

Ἀλλ' οὐ γὰρ δειλοὶ ποτ' ἄνδρες οὔποτε

Τρόπαιον ἐστήσαντο ———

At enim tropæum nobile haud vnquam viri

Statuere pauidi ———

Hoc Alexander de Erigyo, vt pudorem suum abstergeret. Cætera Erigyum fortia facta virum ostenderunt.

QVAM POTEST.) Priora exemplaria *sæpius* quam potest. Sed meritò *sæpius* proscripsit Modius ex glossemate insertum; hoc verò eleganter, *tibi quam potest, denuncio.*

IPSE MIHI INDICES.) Ex teipso cupio discere, quid exta ostenderint, ne possis negare te dixisse, quod dixisti. nam quod apud alios enuncias, inficiari potes; quod mihi in os dixeris, te dixisse, nunquam poteris inficiari.

ILLE EXANGVIS.) Obstupuit, steteruntque comæ, vox faucibus hæsit. incertus, quorsum tam dura regis tenderet appellatio & oratio, nihil aliud quam vel equuleum, vel crucem expectabat. nouerat ingenium Alexandri, vbi cœpisset excandescere.

TANDEMQVE EODEM METV STIMVLANTE.) Ne se reum ostenderet, si nihil omninò responderet. Postquam ergo pauor & stupor essa reliquit,

Nondum deposita prorsus formidine, fatur.

EXPECTATIONEM MORARETVR.) Rex enim vehementer cupiebat scire, quæ monstra in extis apparuissent.

MAGNI LABORIS NON IRR: DISC. INST. PRAEDIXI.) Fateor omnia tristia fuisse, & periculum ingens denunciasse.

NEC ME ARS MEA, QVAM BENEVOLENTIA PERTVRBAT.) Varia huius loci scriptura est, plerunque vt arbitror ab imperitorum glossematis nata. Coloniensis apud Allobroges editio cæterasatis emendata, ita habet, Nec me ars mea quam beneuolentia *magis* perturbat. alij plerique codices antiquiores, Coloniensis inquam ad Vbios, Erasmianus, Argentinensis, Lugdunensis Gryphianus, & Florellianus; *Nec mea ars magis quàm beneuolentia perturbat.* Antuerpiensis, *Nec me ars mea magis quam beneu. perturbat.* Nos Modianam emendationem, quam Constantienses etiam chartæ præ se ferunt, sequimur & laudamus. Nec est, quod aliquid deesse existimes in nostra editione: ita amat loqui Curtius, qui multas sæpè voculas non necessarias à suo stilo ablegat. Nondum aspexeram notas Modij, cùm rescripsi, vt ipse ediderat: dein lecta annotatione animum aduersus aliorum calamos obfirmaui. *Mirum*, inquit Modius; *quantum elegantius hoc quoque, quam illud quod passim in libris omnibus est, Nec mea ars magisquam beneuolentia perturbat.* Iam de intellectu videamus. Non tam terret me ars mea & exta tristiora, quam beneuolentia erga te mea & studium salutis tuæ. Vides, rex, imbecillum corpus tuum, afflictas vires, nondum percuratum vulnus, bellum graue, hostem nouum & terribilem, flumen nullo ponte iunctum, Scythas amnis ripas obsidentes: vereor ne afflicta valetudo tua tantis belli molibus & laboribus, quamuis non inanibus, sit impar ferendis.

REX IVSSO CONFIDERE FELCITATI SVAE) Locus hic cimmeriis tenebris inuolutus, singulari face & luce indiget. Fecit hunc obscuriorem Modius omisso verbo *remisit*, quod in antiquis exemplaribus legitur, & alijs mutatis. Vetus scriptura habet: *Rex iussum confidere felicitati sua remisit, sibi enim ad alia gloriam concedere deos.* Potest hic sensus elici: Rex, Aristandrum remissum ad periclitandum, iussit habere bonū animum, neq; ex inspectis extis tristia ominari, sibi extra ordinē fauere deos, & ostenta sacrificiorū negligere, studereq; felicitati & gloriæ suæ, quod aliàs sæpè factum senserit. Sed obstrepit Modius, nec ferendā scripturā hanc ait: *Planè malè*, inquit, *fuit huic loco, & fortasse etiamnum est, ita non inuenio quomodo satis aptè ad palatū non tantum publici saporis, sed etiam eorū qui ingenio suprà sunt hominesq; deosq;, condiri possit. Vulgo erat Rex iussum confidere felicitati sua remisit. sibi enim ad alia gloriam cōcedere deos. ineptissimè & pessimè, vt etiam membranarū indicio cognoscitur. quæ habent: Rex iussum confidere felicitati sua, ad alia sibi ad gloriam concedere deos. vnde priori illo* ad iti ait *mutato, locum pro mea sapientia constitui.* Hæc Modius, qui rectiùs dixisset: locum pro meo more, vt aliàs, constitui, imò corrupi, vt qui pro arbitratu vertere, mutare, omittere scriptoris verba consuerim. Sed Acidalium Modio respondentem, omissaq; reducentem, & locum in aliam formam com- pag. 91. ponentem audiamus. *Modius, inquit, pro sua sapientia locum sic ait constituisse: cui malè tamen adhuc esse, quoniam pessimè fuerit, nec satis dum conditum, vel ad publici saporis, vel eruditissimorum palatum. Est ita verò: sed ad gustum acriorem subtilioremq; hominum delicatorum nos eum temperare non possumus, nisi è vulgari damnata lectione vocem pro insipida derelictam condimenti vicem iterum accersamus, tum de nostro superaddamus aliquid, vnde suauis vsque adeò concinnetur locus, vt qui eum ita conditum & conditum gustet, ipsus sibi digitos prærodat suos, vtq; vel odorem eius Iuppiter ipse præ ambrosia quotidie cœnare malit. Verùm, nugis omissis, exhibeamus re, quod verbis pollicemur. Vulgò est: Rex iussum confidere felicitati sua remisit. sibi enim ad alia gloriam concedere deos. Reuocamus inde verbum* remisit, *quod necessarium. nam remittebat Aristandrum rex ad sacrificium iterandum, si perlitari posset. Reliqua leuiter mutamus, & sic scribimus: Rex iussum confidere felicitati sua remisit: aliàs sibi ad gloriam concedere deos. Alta & Alexandro digna sententia, qua hæc. etiam aliàs mala omina & discrimina imminentia deos auertisse in gloria sua gratiam. Aliàs quoque deos ipsa fata, ne gloria obsisterent sua, immutasse, siue potius flexisse. Sæpe iam deos sibi cedere, ne gloria sua cursus impediretur.* Acquiesco, si non meæ interpretationi retentæque veteri lectioni, saltem Acidalij iudicio & explanationi. Sed vbi sunt, quibus omnia liquent in Curtio, quem negant vel notis, vel commentario indigere? qui intelligendo faciunt, vt nihil intelligant. Multa attentè non perfunctoriè legenti obscura & incerta occurrent.

SVPERVENIT ARISTANDER.) Rectè, nam remissus erat, vt dixi, ad instaurandum sacrificium, si fortè dij meliora pollicerentur.

p. 308 vel p. 789 cum com. Tiraquelli. NON ALIAS LAETIORA VIDISSE SE AFFIRMANS.) *Læta exta erant*, inquit Alex. Neapol. *cùm in iecore extremum quod fibra dicitur, ita locaretur, vt ab ima fibra iecinora intrinsecus replicata essent, aut si geminum iecur foret, per hæc læta & magna protēdi, argumentaq; felicitatis esse, nemo dubitauit. Arctum iecoris caput, aut duplicatum, nimis lætum auspicium facere, sicut exta duplicata magnas facere accessiones, prolationemq; finium & triumphum portendi voluerunt.*

TVM SOLICITVDINIS CAVSSAS APERVISSE) In extis apparuisse regem valdè solicitum fuisse propter morbum, & hostium insultantium audaciam, & amicorum regis, & suam ipsius curam; nunc omnia versa in contrarium. Et hæc quidem Curtius; sed aliter rem gestam, aliterque responsum ab Aristandro refert Arrianus, quem iuuabit hic veri caussa cognoscere, parco Græca dare. lib. 4. p. 79. post m. *Facto igitur pro transitu sacrificio, cùm non litasset, extaq; nihil prosperi portenderent. id quidem gra-*

uiter

viter tulit, patienter tamen sustinuit, ibiq. moram fecit. Scythis verò à contumelia non desistentibus, rursus pro transitu sacrificium fecit, cumq. Aristander vates periculum portendi diceret, Alexander respondit: satius esse extremum periculum adire, quàm se, tota penè Asia subacta, Scythis ludibrio esse, quemadmodum Darius Xerxis pater olim fuisset. Aristander contra, non alia quàm qua diuinitus portendebantur declaraturum se respondit, tametsi Alexander alia audire mallet. Alexander nihilominus, parata iam ad transitum pellibus, exercituq, atmato ad amnem stante, tormentis tela, signo dato in Scythas ad ripam obequitantes excuti iubet. Adeò non diuersa solum, sed *Tamarin* etiam de Alexandro scriptores. maior fides Arriano, quam Curtio; hic enim ipse fatetur plura se transcribere, quam credere.

CAPVT XX.

ARGVMENTVM.

Menedemus Alexandri præfectus ad Maracanda cùm copijs ab Spitamene deletur. Alexander cladem dissimulat.



Aterùm quæ subinde nunciata sunt regi, continuæ felicitati rerum eius imposuerāt labem. Menedemum (vt suprà dictum est) miserat ad obsidendum Spitamenem Bactrianæ defectionis auctorem. Qui comperto hostis aduentu, ne muris vrbis includeretur, simul fretus excipi posse, quà venturum sciebat, consedit occultus. Siluestre iter aptum insidijs tegendis erat, ibi Dahas condidit. equi binos armatos vehunt, quorum in vicem singuli repente desiliunt: equestris pugnæ ordinem turbant. equorum velocitati par est hominum pernicitas. Hos Spitamenes saltum circuire iussos pariter & à lateribus, & à fronte, & à tergo hosti ostendit. Menedemus vndiq. inclusus ne numero quidem par, diu tamen restitit, clamitās nihil aliud superesse locorum fraude decepto, quàm honestæ mortis solatium ex hostium cæde. Ipsum præualens equus vehebat, quo sæpius in cuneos Barbarorum effusis habenis euectus, magna strage eos fuderat. Sed cum vnum omnes peterent, multis vulneribus exanguis Hipsiden quendam ex amicis hortatus, vt in equum suum ascenderet, & se fuga eriperet. Hæc agentem anima defecit, corpusq. ex equo defluit in terram. Hipsides poterat quidem effugere, sed amisso amico mori statuit. vna erat cura, ne inultus occideret. Itaque subditis calcaribus equo, in medios hostes se immisit, & memorabili edita pugna obruitur telis est. Quod vbi videre qui cædi supererant, tumulum paulòquàm cætera editiorem capiunt, quos Spitamenes fame in deditionem subacturus obsedit. Cecidere eo prælio peditum duo millia, CCC equites: quam cladem Alexander solerti consilio texit, morte denunciata ijs, qui ex prælio venerant, si acta vulgassent.

IMPOSVERANT LABEM.) Alexander præsens nunquam fuit victus, nunquam cladem vllam accepit, nisi quod ad Susidas pilas coactus est retrocedere, vbi felicitas illius aliquantulum hæsit. Sed non perinde duces illius feliciter rem gessere. Menedemus cum duobus millibus peditum, ducentis equitibus ab Spitamene deletus est: euasere tamen mille pedites, & quingenti equites: tria quippe millia peditum & octingentos equites eduxerat, vt cap. 16. narratum est. Sed aliter Arrianus narrat, vt infrà disces. Zopyrio ab Scythis cum triginta millibus trucidatus; Attinas cum trecentis equitibus à Bactrianis & Massagetis circumuentus & oppressus est.

SPITAMENEM.) Ducem Bactrianorum & Sogdianorum, qui defecerāt. Acta inter Menedemum & Spitamenem nemo præter Curtium & Arrianum persequitur, Plutarchus, Diodorus, Iustinus tacent, quod parum ad summam rerum facerent, & quasi inter priuata recenserentur.

QVEM VENTVRVM SCIEBAT.) Verè Acidalius, quà (non, *quem*) venturum sciebat; præcesserat enim *comperto eius aduentu*.

EXCIPI POSSE.) Insidijs aptum planè verbum ad insidias, sicut & considere, subsidere, insidere, & quæ ab ijs manant, inquit Acidalius, propriè insidijs seruiunt omnia. & passim obuia testimonia.

DAHAS CONDIDIT.) Daharum suprà mentio fuit cap. 27. l. 4. l. 6. c. 6. & hoc lib. c. 6. sæpiusque

*l. 4. Strab. li. 11. pag. 593. que infrà. Herodotus lib. 1. hos inter Persas recenset & Daas appellat, * Arrianus Nomades Scythas. Geographus l. x 1. *In laua parte hi opponuntur Scythica gentes ac Nomadica, totum complentes boreale latus. plerique Scytharum, qui à Caspio mari incipiunt, Daa appellantur, Orienti viciniores Massageta & Saca, reliquos communi nomine Scythas dicunt, quanquam singuli etiam populi sua nomina habent. plerique omnes vagā vitā degūt, id est, Nomades sunt. De hi maximè innotuerit, qui Graecis (post Alexād. tēpora) Bactrianā ademerunt, Asij, Pisiani, Pachari, ac Sacarauli: & profecti à regione quae trans Iaxarē (Graecis Macedonibus Tanaim) est versus Sacas & Sogdianos, quā tenebant Saca. Et de Dau alij Aparni dicti sunt, alij Xanthij, quidam Pissuri.*

Hæc ad Daas illustrandos, quorum frequens fit mentio, dicta sunto. plura tamen apud Geographum, qui Parnos etiam dici affirmat.

lib. 5. c. 23. Dimachæ Amphippi. Pedes simul & equites per vices. EQVI BINOS ARMATOS VEHVNT.) Aliud genus Dimacharum suprà descripsit Curtius, cùm idem equus equitem, eundemque peditem, vbi vius est, vebit, quod genus ἀμφίππου Græcis dicitur, de quibus plura Arcerius ad Aclanum cap. 37. & Cæsar de bello Gallico l. 4. paulò pòst initium. Aliud genus est, cùm vnus eques duos equos secum in prælium ducit, de quibus ibidem. Arcerius & Liuius lib. 24. de Numidis equitibus, & lib. 35. de Tarentinis: Pollux in suo onomastico eosdem etiam ἀμφίππους appellat, vti & Hesychius. His genus planè contrarium est, quod hoc loco describit Curtius, cum vnus equus duos vehebat equites.

EQVORVM PERNICITATI PAR EST HOMINVM VELOCITAS.) Eiusdem exemplum est apud Sallustium bello Iugurth. *Neque diutius Numidæ resistere quiuissent, ni pedites cum equitibus permixti magnam cladem in congressu facerent: quibus illi freti, non vti equestri prælio solet, sequi, dein cedere, sed aduersis equis concurrere, implicare, ac perturbare aciem, ita expeditis peditibus suis hostes pænè victos dare.*

MENEDEMVS VNDIQVE INCLVSVS) Arrianus Pharnuchem Persam, ait, Macedonum aduersus Spitamenem ductorem fuisse, & cum eius copiæ laborarent, voluisse Macedonibus præfectura cedere, Menedemo, inquam, Carano & Andromacho, omnesq; tres imperium recusasse.

HISPIDEM QVENDAM EX AMICIS) Pulchrum amoris erga amicum exemplum, quando maluit Hipsides cum amico emori, quàm sine amico viuere.

CECIDERE EO PRAELIO DVO MILLIA.) Arrianus & Ptolemæus apud Arrianum rem aliter, quàm hic Curtius factam tradunt. Arrianus est in manibus & locus prolixior, quem videbis.

pag. 80. f. Docet Arrianus ex Alexandrinis equitibus tantum 40. ex peditibus tantum trecentos euasisse.

li. 2. Strategematum cap. 7. MORTE DENVNCIATA IIS QVI EX PRAELIO VENERANT, SI ACTA NVNCIASSENT.) Veritus nempe, ne miles clade perculsus in seditionem verteretur, aut imperia sequi recusaret. Elegans est caput apud Frontinum de dissimulandis aduersis, quod non sine voluptate leges, & subita ducum ingenia miraberis, dum rem vel suo iussu, cum sui ad hostes profugere, vel occisi sunt, vel conscio factam pronunciauit. Verum etiam quod comicus docet.

Nil in metu minus prodendum, quam metus.

Quintil. declam. 351. (si tamen Quintiliani) lege. Nihil debui minus, quàm in metu ipsum metum prodere.

μηδὲν πέπονθας δεινὸν, ἂν μὴ προσποιῇ.
Nihil mali es passus, modò dissimules.

CAPVT XXI.

ARGVMENTVM.

Rex peruigil consultat secum; tum militem alloquitur & bellum in Scythas pronunciat, ratesque parat.



Aeterùm cùm animo disparem vultum diutius ferre non posset, in tabernaculum super ripam fluminis de industria locatum secessit. Ibi sine arbitris singula animi consulta pensando, noctem vigilijs extraxit, sæpè pellibus tabernaculi alleuatis, vt conspiceret hostium ignes, è quibus coniectare poterat, quanta hominum multitudo esset. Iamque lux appetebat cum thoracem indutus procedit ad milites, tum primùm post vulnus proximè acceptum. Tanta erat apud eos veneratio regis, vt facile periculi, quod horrebant, cogitationem, præsen-

præsentia eius excuteret. Laeti ergo; & manantibus gaudio lacrymis, consalutant eum, & quod ante recusauerant bellum, feroces deposcunt. Ille se ratibus equitem phalangemq́; transportaturum esse pronunciat: super vtres iubet nare leuius armatos. Plura nec dici res desiderauit, nec rex dicere per valetudinem potuit. Cæterùm tanta alacritate militum rates iunctæ sunt, vt in triduum ad duodecim millia effecta sint.

CVM ANIMO DISPAREM VVLTVM DIVTIVS FERRE NON POSSET.) Arrianus, Alexandrum accepta clade protinus in Spitamenem mouisse, docet; Curtius prius Scythas expugnasse. nunquam aut rarò hi duo scriptores vnum idemque narrant. *disparem vultum animo* appellat, quod spem & alacritatem vultu præ se tulerit, & ingentes interim curas animo voluerit, cùm propter Menedemi cædem, tum propter Scythas sibi insultantes. Expressit hunc sensum principis, Virgilius in Aenea:

Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.

Sed premere diutius magnitudo doloris non sinebat. Itaque erupit, sed ita, vt dolor non appareret, alacritasque regis iterum ex insperato visi, militem antè Tanaim transire recusantem incitaret, vt vltrò se ad traiectum & hostem inuadendum offerret.

SINGVLA ANIMI CONSVLTA PENSANDO.) Tria potissimum pensabat, Scythas imminentes, Spitamenem crescentem, militem suum adhuc arma Scythica horrentem. Omnia rex ordine feliciter composuit.

VIGILIIS EXEGIT.) Tres maximi principes noctem in tres partes distribuêre, primam literis, alteram negotiis publicis, tertiam quieti tribuere, Alexander, Iulius Cæsar, & Iulianus; sed Alexander sæpè totas noctes peruigilabat.

TANTA ERAT VENERATIO REGIS.) Miris modis amarunt regem suum Macedones, quod multis modis ex Curtio apparet, regredere ad lib. 10. c. 7. & 8. vbi in morte Alexandri potissimam caritatem & studium in regem ostenderunt.

Nec opus in hoc capite diutius hærere, neque τὸ φῶς ἡλίῳ δανείζειν *lumen soli inferre.*

CAPVT XXII.

ARGVMENTVM.

Legatio & oratio Scytharum libera, qua infinitam Alexandri cupiditatem ostendunt, suamque æquitatem & innocentiam commonstrant.



Amque ad transeundum omnia aptauerant, cum legati Scytharum viginti, more gentis per castra equis vecti nunciare iubent regi, velle ipsos ad eum mandata perferre. Admissi in tabernaculum, iussique considere, in vultu regis defixerant oculos, credo quia magnitudine corporis animum æstimantibus, modicus habitus haudquaquam famæ par videbatur. Scythis autem non, vt cæteris barbaris, rudis & inconditus sensus est: quidam eorum sapientiam quoque capere dicuntur, quantamcumque gens capit semper armata: Sicq́; locutos esse apud regem memoria proditum est, abhorrentia forsitan moribus nostris, & tempora & ingenia cultiora sortitis. Sed vt possit oratio eorum sperni, tamen fides nostra non debet: qua vtcunque sunt tradita, incorrupta perferemus. Igitur vnum ex his maximum natu ita locutum accepimus: Si dij habitum corporis tui, auiditati animi parem esse voluissent, orbis te non caperet. altera manu orientem altera occidentem contingeres: & hoc assecutus scire velles vbi tanti numinis fulgor conderetur. Sic quoque concupiscis, quæ non capis. Ab Europa petis Asiam, ex Asia transis in Europam. denique si humanum genus omne superaueris, cum siluis & niuibus & fluminibus ferisq́; bestijs gesturus es bellum. Quid tu? ignoras arbores magnas diu crescere, vna hora extirpari? Stultus est qui fructus earum spectat, altitudinem non metitur. Vide ne dum ad cacumen peruenire contendis, cum ipsis ramis quos comprehenderis

deris decidas. Leo quoque aliquando minimarum auium pabulum fit, & ferrum rubigo consumit. Nihil tam firmum est, cui periculum non sit etiam ab inualido. Quid nobis tecum est? nunquam terram tuam attigimus. qui sis vnde venias, licetne ignorare in vastis siluis viuentibus? nec seruire vlli possumus, nec imperare desideramus. Bona nobis data sunt, (ne Scytharum gentem ignores) iugum boum, aratrum & sagitta, & hasta & patera: his vtimur & cum amicis, & aduersus inimicos. fruges amicis damus boum labore quæsitas; patera cum iisdem vinum dijs libamus, inimicos sagitta eminus, hasta cominus petimus: sic Syrsæ regem & postea Persarum Medorumq; superauimus, patuitq; nobis iter vsque in Aegyptum. At tu, qui te gloriaris, ad latrones persequendos venire, omnium gentium quas adisti, latro es. Lydiam cepisti: Syriam occupasti: Persidem tenes: Bactrianos habes in potestate: Indos petisti: Iam etiam ad pecora nostra auaras & instabiles manus porrigis. Quid tibi diuitijs opus est, quæ te esurire cogunt? primus omnium satietate parasti famem, vt quo plura haberes, acrius quæ non habes cuperes. Non succurrit tibi quam diu circum Bactra hæreas? dum illos subigis Sogdiani bellare cœperunt. bellum tibi ex victoria nascitur. nam vt maior fortiorq; sis quàm quisquam, tamen alienigenam dominum pati nemo vult. Transi modò Tanaim, scies quàm latè pateant, nunquam tamen consequeris Scythas. paupertas nostra velocior erit, quàm exercitus tuus, qui prædam tot nationum vehit. rursus cum procul abesse nos credes, videbis in tuis castris: eadem enim velocitate & sequimur, & fugimus. Scytharum solitudines Græcis etiam prouerbijs audio eludi. At nos deserta & humano cultu vacua magis: quam vrbes & opulentos agros sequimur. Proinde fortunam tuam pressis manibus tene, lubrica est, nec inuita teneri potest, impone felicitati tuæ frenos, facilius illam reges. sine pedibus dicunt esse fortunam, quæ manus & pinnas tantùm habet: cùm manus porrigit, pinnas quoque comprehendere non finit. Denique si Deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere: sin autem homo es, id quod es semper esse te cogita. Stultum est eorum meminisse, propter quæ tui obliuisceris. quibus bellum non intuleris, bonis amicis poteris vti. nam & firmissima inter pares amicitia est & videntur pares, qui non fecerunt inter se periculum virium. quos viceris, amicos tibi esse caue credas. inter dominum & seruum nulla amicitia: etiam in pace, belli tamen iura seruantur. iurando gratiam Scythas sancire ne credideris. Colendo fidem iurant. Græcorum ista cautio est, qui acta consignant, & deos inuocant: nos religionem in ipsa fide nouimus. Qui non reuerentur homines, fallunt deos. nec tibi amico opus est, de cuius beneuolentia dubites. Cæterum nos & Asiæ, & Europæ custodes habebis. Bactra nisi diuidat Tanais, contingimus. vltra Tanaim & vsque ad Thraciam colimus. Thraciæ Macedoniam coniunctam esse fama fert. vtrinq; imperio tuo finitimos: hostes an amicos velis esse considera. Hæc barbarus.

LEGATI SCYTHARVM VIGINTI) Sat multi pro gentis more paupertatem & contemptum omnis luxus professæ. * Alibi legimus centum oratores ad Alexandrum missos, vti Aeneas centum
* l.9.c.14. misit (apud Virgilium) ad regem Latinorum:

l.7. Aene.

> *Tum satus Anchisa, delectos ordine ab omni*
> *Centum oratores augusta ad mœnia regis*
> *Ire iubet.*

Hos Scytharum oratores, ipsosque Scythas & gentem, Germanos orientem spectantes fuisse scribit Auentinus:

> *Adfuerunt*, inquit, *& Germanorum Orientalium (quos Sarmatas & Scythas scriptores rerum, nos*
l.1 p.32. edit Basil. *Venedos, ipsi se Sclauos vocant) oratores.*

CREDO, QVIA MAGNITVDINE CORPORIS ANIMVM AESTIMANTIBVS MODICVS HABITVS HAVD QVAQVAM PAR FAMAE VIDEBATVR.) Curtius passim breuitatem corporis Alexandri notauit l.3. c.14. l.6. c.10 *Interrito vultu regem Thalestris intuebatur, habitum eius haudquaquam rerum famæ parem oculis perlustrans: quippe omnibus barbaris in corporum maiestate veneratio est, magnorumq; operum non alios capaces putant, quàm quos eximia specie donare natura dignata est.* De forma, habitu, modo corporis Alexandri, in Prolusionibus copiosè tractatum. In altera editione Curtij nostra anno 1623. error hic est operarum, scriptumque est *qui* pro *quia*, vt voluit Acidalius. vulgo *quis* vel *queu*.

QVIDAM EORVM SAPIENTIAM QVOQVE CAPERE DICVNTVR.) Cuius rei specimen mox in oratione ab Scytha ad Alexandrum habita subijcit. Et laudatur cum ab Ephoro antiquo scriptore, tum Strabone Anacharsidis Scythæ temperantia & sapientia. Καὶ τὸν, inquit Strabo, Ἀνάχαρσιν δὲ ἄνθρωπον σοφὸν καλῶν ὁ Ἔφορος τούτου φησὶ εἶναι τοῦ γένους, νομισθῆναι δὲ καὶ τῶν ἑπτὰ σοφῶν διὰ τελείαν

σωφρο-

[illegible] συνετοί. *Ephorus Anacharsiden, cui sapientis nomen tribuit, ea de gente fuisse scribit, ac propter perfectam temperantiam, ac sapientiam vnum de septem sapientibus habitum.* In eadem existimatione fuit Abaris ex eadem gente oriundus, vti tradit Strabo, qui & alios his similes fuisse testantur. l. 7. p. 208.

ABHORRENTIA A MAIORIBVS NOSTRIS ET TEMPORA ET INGENIA CVLTORIA SORTITIS) Ex hoc quoq; loco conijcias Curtium ad prima Cęsarũ tempora accessisse, quibus maximè ingenia efflorvere.

SVNT TRADITA) nec ab Arriano, nec Plutarcho, nec Siculo; nec vllo Græcorum qui extant, hæc leguntur, vti sæpè Græcorum ieiunitatem præ Curtio admirer, cum legationis faciunt mentionem.

MAXIMVM NATV) hoc etiam ad prudentiam & decorum pertinebat.

Tum pietate grauem ac meritis si fortè virum quem
Conspexêre, silent.

SI DII HABITVM CORPORIS TVI) Nobilissima, grauissima & sapientissima hæc Scythæ, vel potius Curtij oratio est, plena optimis dictis & sententijs, in secundo genere caussarum collocata, qua dissuadet Alexandro bellum cum Scythis, eundemque ad pacem cum eisd. colendam hortatur; dicto exordio ab ipsius persona Alexandri, quà habitu corporis, quà statu animi, monetque vt modum auiditati suæ ponat, & partis sit contentus, ne, dum omnia petit, omnia perdat, quod tribus elegantissimis comparationibus illustrat. Dissuadet deinde bellum varijs rationibus, quarum prima à gentis victu & inopia petita, Non reperturum apud Scythas, quas sitire opes: Scytharum thesauros omnes in paupertate sitos: maximas illis opes esse iugum boum, aratrum, sagittam, hastam, & pateram. His opibus superatos reges Syrorum, Medorum, Persarum, Aegyptiorum: excurrit inde in infinitam auiditatem & sitim opum Alexandri, illumque quo plura possideat, plura desiderare. Deinde docet, quo genere belli Scythæ vtantur, quàm celeres sint cum in aggrediendo hoste, tum refugiendo. præterea, vastas esse Scytharum solitudines; quas ipse nunquam emensurus sit. Perorat demum, & hortatur, quod à principio mouerat, ne fortuna sua abutatur. Et si deus credi velit, mortalibus beneficia tribuat potius, quam auferat aliena, pacem cum Scythis colat, ita semper habiturum amicos & fidos orientis occidentisque imperij custodes. Caussinum hic quoque adeas licet, qui huius orationis œconomiam proponit, mirisque modis prædicat sententias & artificium orationis lib. 13. p. 561.

SI DII HABITVM CORP. AVIDITATI ANIMI PAR: ESSE VOL: TE NON CAP.) editiones & MS. & Constantiensis *auiditatis* secundo casu legunt, sed retineo tertium casum, quod prior magis poetis; quam oratoribus & historicis conueniat. Cæterum si, inquit, tam vasto corpore esses, quam magno animo es, nullus orbis te caperet. Ex hoc ipso diuinus Alexandri animus elucet, quod nullis rebus mortalibus, & quæ sub aspectum cadunt, expleri potuerit. Nec vnius ille Alexandri, sed omnium mortalium qui suam originem & finem intelligunt, ad eumque adspirant. quid enim immortalis animus nisi immortalia, infinita, æterna quærat? Sed hic virtus Alexandri hæsit, quod illam animi diuinitatem tantum ad præsentia regna transtulerit, nec quæsierit æterna, cum cupiditas hominis nulla re præsenti satiari possit.

Quò plus sunt pota, plus sitiuntur aquæ.
Cupiditati nil satis est, naturæ etiam satis est parum.

Modestè, parens Alexandri in palęstra prolapsus, cum surgens in puluere vidisset corporis vestigium, Papæ! inquit, vt minimam terræ partem naturâ sortiti, orbem appetimus vniuersum? Vtinam, inquit Scholiastes, hoc dictum hæsisset animo filij, cuius ambitioni orbis fuit angustus.

SCIRE VELLES VBI TANTI NVMINIS FVLGOR CONDERETVR) Non placet vt *nominis* legas pro *numinis*, vt nonnemo putat, quamuis apud Ouidium legas.

Nominis & famæ quondam fulgore trahebar: 5. Trist. ele. 12.

Nec Auentini scriptura arridet, qui pro *numinis* posuit *solis* fulgor. Bene habet vsitata lectio. Sensus est, Si totum orbem occupares, quæreres vbi tui numinis gloriam & fulgorem finires & conderes. pro numine enim se gerebat, & coli passim volebat: & maius numen apparuisset, si totum orbem subegisset. Hermolaus infrà: *Tu Philippum patrem auersariũ, & si quis deorum ante Iouem haberetur, fastidires etiam Iouem.*

IGNORAS ARBORES M. DIV CRESCERE) sequuntur tres elegantes similitudines, quarum prima ab arborum proceritate & æuitate, altera ab leone à culicibus etiam confecto; tertia à ferri quamuis duri rubigine consumi soliti. Quæ omnia valere poterant ad animum Alexandri à temeritate & superbia auocandum, & ad modestiam componendum. sicut procerę arbores

diu crescunt, & momento succiduntur: ita regna & imperia diu magnoque labore quæsita, repentè perduntur.

ALTITVDINEM NON METITVR.)

Altè efferuntur, grauius vt ruant mali.

LEO QVOQVE ALIQVANDO MINIMARVM AVIVM FIT PABVLVM.) Ex hoc loco senarium prodijsse nullus dubito:

Aliquando auium minimarum præda fit leo.

Pier. l.1. p.8 Rem verò docet Ammianus, & ex illo Pierius in Hieroglyphico leonis: *Inter arundineta Mesopotamiæ leones innumeri iuxta fluminum ripas, & fruteta vagantur, eo tempore quo hiemis clementia ibi mollissima est, semper innocui: verùm vbi per æstatem cœlum exarserit, regionibus ijs astu candefacti ambustiq; propemodum, ipsi tam vapore sideris, quàm multitudine culicum agitantur, quorum densissimis examinibus per eas terras omnia referta sunt, qui quidem ad splendorem oculorum tanquam ad humidiera membra conuolantes eos appetunt, palpebrarum libramentis mordicùs insidentes. Hic leones cruciati diutius, aut fluminibus, ad quæ remedij causa confugiunt, absorbentur, aut amissis oculis immanius efferascunt, quod ni fieret, omnis ea quæ ad Orientem latè diffunditur plaga, huiusmodi bestijs oppleretur. Id sibi compertum esse testatur Ammianus Marcellinus Rer. gest. lib. 18.*

FERRVM RVBIGO CONSVMIT. Ouid. lib. 1. de Ponto el. 1.

Estur vt occulta vitiata teredine nauis,
Aequoreos scopulos vt cauat vnda salis.
Roditur vt scabra positum rubigine ferrum,
Conditus vt tinea carpitur ore liber.

l.34. c.14. Eleganter Plinius de rubigine ferri: *Obstitit eadem naturæ benignitas exigentis à ferro pœnas rubigine, eademq; prouidentia nihil in rebus mortalibus faciente, quàm quod infestissimum mortalitati citissimè contrahit ferrum rubigine humano sanguine respersum, eodem Plinio teste: A ferro sanguis humanus se vlciscitur: contactum namque eo celerius subinde rubiginem trahit, cuius maiorem curam habuit Hannibal, quàm hominum, cum in Cannensi Romanorum strage exclamauit, Miles parce ferro.* Mirum est, quod

cap.15. idem Plinius refert de catena Alexandri M. apud Euphratem amnem in vrbe quæ Zeugma appellatur, qua ibi vinxerat pontem, cuius annulos qui refecti sunt rubigine ait infestatos, carentibus eâ prioribus.

NIHIL TAM FIRMVM EST CVI PERICVLVM NON SIT ETIAM AB INVALIDO.)

Gutta cauat lapidem, non vi, sed sæpè cadendo.

Ouid. 4. Trist. el. 8.

Nihil adeò validum est, adamas licet alliget illud,
Vt maneat rapido firmius igne Iouis.
Nil ita sublime est supraq; pericula tendit,
Non sit vt inferius, suppositumq; Deo.

a Iudi. c.13. b Debbora Iudic. c.4. c Herodot. l.1. c.214. Tomyris Massagetarum regina. Alij. Quamuis enim Deus fulminator sit omnium valentissimus, sæpè tamen valida per infirma debilitauit. a Holphernem, b Sisaram, c Cyrum, alios, per fœminas deiecit. M. Varro auctor est, inquit Plinius, à cuniculis suffossum in Hispania oppidum; à talpis in Thessalia; ab ranis ciuitatem in Gallia pulsam, ab locustis in Africa. Ex Gyaro Cycladum insula incolas à muribus fugatos.

NVNQVAM TERRAM TVAM ATTIGIMVS.) Iniustum ergo bellum infers innocentibus, rebus suis contentis, aliena non appetentibus, liberis, nec alijs libertatem adimere cogitantibus.

DONA A NOBIS DATA SVNT.) Si vnquam vspiam Acidalij emendatorem calamum secutus sum, hic sequor, cùm rescribit: *Bona nobis data sunt.*

Acidal. p. 92. l. 2. pag. 213. *Dona à nobis data sunt, An dona ab his Scythis Alexandro data, non memini è superioribus, nec sanè puto: illud certò scio, non ista quæ commemorant, data. Sed profectò de nulla donatione agitur: de bonis suis disputant Scythæ, quæ sola possideant, aliarum opum incuriosi. legendum ergo.* Bona nobis data sunt, ne Scytharum gentem ignores. *Meo periculo affirmo, veram hanc meam, meam autem dico! Curtij volebam, lectionem* οὐδέ τις ἄλλος νόον ἄλλος ἀμείνονα τοῦδε νοήσει οἷον ἐγὼ νοέω, ἠ μὲν πάλαι ἠδ᾽ ἔτι καὶ νῦν.

De cætero, non ausim hic quoque iugum aratorum: *quia de aratro nihil subijcit. Sed nec subijcere opus erat.*

* pag. 92. IVGVM BOVM, ARATRVM.) Opes Scytharum in pascuis, rure, armis sitas docet.* Acidalius mallet *Iugum boum aratorum.* Nihil muto, quando *aratrum* terri potest.

PATERA.) *Patera* (inquit Varro l.4. de mensa vinaria) *eò quòd pateant latinè ita dicta. Heisce etiam nunc in publico conuiuio antiquitatis retinendæ caussa, cum magistri fiunt, potio circumfertur, & in sa*

In sacrificando deis hoc poculo magistratus dat Deo vinum. Vnde apud Pompeium Festum pateram perplouere in sacris cùm dicitur significat pertusam esse. Et patellæ apud eundem vasa picata parua sacrificiis faciundis apta. Macrob. l. 5. sat. Patera vt & ipsum nomen indicio est, planum ac patens, poculi nempe genus vt phiala.

VINVM DIIS LIBAMVS.) De hoc ritu libandi multa nostri, Pontanus & Lud. de la Cerda ad illa Virgilij:

Hic regina grauem gemmis auroq; poposcit, L. 1. Aeneid. v. 732.
Impleuitq; mero pateram, quam Belus & omnes
A Belo soliti. tum facta silentia tectis.
Iuppiter (hospitibus nam te dare iura loquuntur)
Hunc lætum Tyrijsq; diem Troiaq; profectis
Esse velis, nostrosq; huius meminisse minores.
Adsis lætitiæ Bacchus dator, & bona Iuno.

Et sequitur:

Dixit, & in mensa laticum libauit honorem:
Primaq; libato, summo tenus attigit ore.

SIC SYRIAE REGEM.) *Scythiæ regem* vulgati codices. Sed quid Scythæ suum regem vicissent. *Syriæ* Modius verè reposuit pro *Scythiæ*. Quis autem hic Syriæ rex fuerit, Ninusne, an prior aliquis, quod equidem reor, non constat. Nam à Bello primo Assyriorum rege (quos Latini Syros vocant, vt est apud * Iustinum) vsque ad Sardanapalum, vnus & quadraginta reges numerantur. * l. 1. Vexori Aegypti rege ab Scythis victo, Asia quoque in potestatem Scytharum fuit per annos admodum mille. Scal. l. 2. Isag. p. 131. Ninus tributa Scythis primus negauit. Fuêre ergo ante Ninum, quibus Scythæ in Asia imperitarunt. Aduersus Vexorim rex Scytharum Tanaus in bellum profectus est.

POSTEA PERSARVM) Posis hic Cyrum intelligere, vel Darium Histaspis: vterque enim Medorum & Persarum rex fuit, Cyrus Persici imperij conditor, Mediam quoque suis partibus adiunxit, adeoque Assyriæ seu Syriæ, expugnata & occupata Babylone. De vtroque copiosè Herodotus, Siculus, & Iustinus.

MEDORVMQVE.) Assyrij principes omnium rerum potiti sunt, deinde Medi, posteà Persæ. Assyriorum regnum occupauit Pharnaces Medus, vt auctor Paterculus, vel Darius Medus, vt alij, Medos vicit Cyrus Persa, Persas Macedones, Macedonas Romani. Cyrus porrò & Darius Hystaspis, Scythis bellum intulere, vterque victus; & Cyrus quidem in crucem actus, vt auctor Siculus, Darius magna militum parte amissa, fugatus.

VSQVE IN AEGYPTVM.) Hunc locum Iustinus in secundo illustrat. *Primus, inquit, Scythis bellum indixit Vexoris rex Aegyptius, missis primo legatis, qui hostibus parendi legem dicerent. Sed Scythæ iam antè de aduentu regis à finitimis certiores facti, legatis respondent, tam opulenti populi ducem stolidè aduersus inopes occupasse bellum, quod magis domi fuerit illi timendum: quòd belli certamen anceps, præmia victoriæ nulla, damna manifesta sint. Igitur non expectaturos Scythas dum ad se veniatur, cum tanto sibi plura in hoste concupiscenda sint: vltroque prædæ ituros obuiam. Nec dicta res morata, quos cum tanta celeritate venire rex addidicisset, in fugam vertitur, exercituq; cum omni apparatu belli relicto, in regnum se recepit. Scythas ab Aegypto paludes prohibuêre. Inde reuersi Asiam perdomitam, vectigalem fecêre, modico tributo magis in titulum imperij, quam in victoriæ præmium imposito. Quindecim annis pacandæ Asiæ immorati, vxorum flagitatione reuocantur per legatos denunciantium, ni redeant, sobolem se ex finitimis quæsituras, nec passuras, vt in posteritatem Scytharum genus per fœminas intercidat. His igitur Asia per mille quingentos annos vectigalis fuit. Pendendi tributi Ninus Rex Assyriorum finem imposuit.* Iustin. edit. Paris. l. 2. p. 20. ante m. Ex quo loco non mendosè colligas Syriæ regem post Vexorim regem Aegypti subactum, posterosque eius vsq; ad Ninum tributa pependisse Scythis.

AD LATRONES PERSEQVENDOS.) Bessum, Spitamenem, & alios, qui Darium vel occiderant, vel non prohibuerant, & Bello adhæserant; quamuis Bessus iam captus esset.

OMNIVM GENTIVM LATRO ES.) παῤῥησιαστικώτατον, hoc haud dubiè pupugit Alexandrum, vt iram altiùs conderet, & mox in exitium Scytharum promeret. Extat inter acutè dicta Alexandri alterum & quadragesimum cuiusdam piratæ ab ipso capti, responsum, de quo in prolusionibus. Erasmus in Apophth. Alex.

LYDIAM COEPISTI.) Ex mille prouincijs ab Alexandro occupatis, quatuor aut quinque potiores enumerat hic legatus, Lydiam olim regnum Crœsi: Syria multos id temporis habebat reges Tyriorum, Sidoniorum, Palæstinorum, omnes tamen regi Persarum obnoxios.

* INDOS PETISTI.) An? *Indos petis.* Nondum adierat Indos, sed mox aditurus erat: Bactriani enim proximi Indis.

Pacuuius Fortunam instabilem dixit. * pag. 93. INSTABILES MANVS.) Est, qui hic ἀντὶ τοῦ instabiles, reponat *inexplebiles*, vel *incessabiles*, vel *inhabiles*, seu *vacuas*. Nihil horum placet, nec vnquam placiturum reor. Legerim ego *insatiabiles*, quia præcedit *auaras*, quo grauius est *insatiabiles*. Eandem lectionem ab * Acidalio laudatam postea cognoui. Seruari tamen eiusdem iudicio potest prima scriptura, quod *instabiles* vtrumque valeat. Videatur, inquit, fortasse corrigendum *auaras & insatiabiles manus*: nisi, quod certè puto, notare vtrumque voluerunt, & inexpletam, & vagam rapacitatem Alexandri, qui nullo fine contentus, nullo loco constans, ex alijs subinde alia inuadat. Atque huc respiciunt eorundem superiora illa: *Ab Europa petis Asiam, ex Asia transis in Europam.*

Sed vide Alexander, ne, dum aliena adfectas, amittas propria.

QVID TIBI DIVITIIS OPVS EST, QVAE TE ESVRIRE COGVNT?) Elegans hinc senarius:

Ditissimi qui sunt, sunt & pauperrimi.

Ad quem locum Gruterus ex Dione Bruſeo orat. 25. Ἀλέξανδρος δὲ ὕστερον μετ' ἐκεῖνον εἰς τὴν Ἀσίαν ἐξαγαγὼν ἅμα μὲν πλουσιωτάτους ἁπάντων ἀνθρώπων ἀπέδειξεν, ἅμα δὲ πτωχοτάτους καὶ ἅμα μὲν ἰσχυρούς, ἅμα δὲ ἀσθενεῖς, φυγάδας δὲ καὶ βασιλέας, τοὺς αὐτοὺς Αἴγυπτον δὲ καὶ Βαβυλῶνα, καὶ Σοῦσα, καὶ Ἐκβάτανα προσθείς, Αἰγὰς δὲ καὶ Πέλλαν καὶ Δῖον ἀφελόμενος. *Alexander autem post illum, in Asiam ducens exercitum, ditissimos quoque omnium hominum eos effecit, simul & pauperrimos, & pariter fortes, & pariter infirmos, exulesque, & reges eosdem, Aegyptum & Babylonem, & Susa, & Ecbatana imperio addens, Aegas verò, & Pellam, & Dion auferens.* Hæc Dio. P. Syrus:

Is minimo eget mortalis, qui minimum cupit.

Et. *Quod vult habet, qui velle, quod satis est, potest.*

Verè Græcus:

πλουτεῖν μέγιστον ἀνθρώποις κακόν.

Commendat & Acidalius vehementer, nec immeritò has Curtij sententias, *Egregius*, inquit, *locus, & egregia sapientia barbarorum: hæc multas philosophorum sententias, ille plurimorum voluminum superans scripta.* Nec pluribus hîc opus.

QVAE TE ESVRIRE COGVNT.) *Tam* enim *auaro deest, quod habet, quam quæ caret*, aut Pub. Syrus.

In medio stultus flumine quærit aquas.

PRIMVS OMNIVM SATIETATE PARASTI FAMEM.) Si primus omnium Alexander auarus fuit, Curtius verum narrat: Nam de auaro est senarius:

Famem nouam satias auaro sufficit,
Auarum irritat, non satiat pecunia.
Auaritia nec inopia sat, nec copia est,

* lib. 1. * Iustinus primas Nino in cupiditate regnorum concedit.

QVO PLVRA HABERES, ACR. Q. NON HA. CVPERES.) Puto ex his Curtij verbis concinnatum à Comico versum, aut certè Curtium è Comico mutuatum:

Quo plura habes, cupis acrius quæ non habes.

Sed facilè est, sententias ex communibus locis consarcinare. verbum non amplius addo.

CIRCVM BACTRA.) Bactriani enim sæpiùs cum Sogdianis victi subactique, vt suprà didicisti, iterum iterumque defecerunt.

BELLVM TIBI EX VICTORIA NASCITVR.)

Bellum inquieto nascitur è victoria.

ALIENIGENAM DOMINVM PATI NEMO VVLT.) Quia inter dominum & seruum (vt sequitur) nulla amicitia.

Tyrannus est, inuitis quisquis imperat.

Et:

Tyrannis omnium amicitia egentissima.

* pag. 93. SCIES QVAM LATE PATEANT.) Hunc locum velut lacunosum explet * Acidalius: *Transi modò Tanaim: Scies quam latè pateat fuga. Insequere, nunquam tamen consequeris Scythas.* Sed cùm sententiæ ratio satis absque insertis verbis appareat, religio est, contra omnium codicum tam chirographorum, quàm editorum fidem ingerere aliena. Sententia Curtij est: Transi modò Tanaim, scies quam latè pateant Scythæ, quam vasta illorum regio sit. Etiamsi transieris Tanaim, nunquam tamen assequeris fugientes. quia paupertas nullis onusta Sarcinis, nullis impedimentis retardata, velocior erit, quàm tuus exercitus natiorum spolijs onustus & impeditus. securi sumus ergo:

πένητος ἀνδρὸς οὐδὲν ἀσφαλέστερον.

Viro paupere nihil est securius.

SCYTHARVM SOLITVDINES GRAECIS ETIAM PROVERBIIS AVDIO ELVDI) Paroemia Græcorum de Scythica solitudine est, Σκυθῶν ἐρημία, *Scytharum solitudo.* ἐπὶ τῶν ἐρημοτάτων inquit

Inquit Scholiastes, ὑπὸ λιμῶν, καὶ τὰ ἐρημότερα φασι τῆς Σκυθίας ἐρημίας εἶναι. *De quibusdam desertu ab omnibus. Sic & dict solitum: Scythico deserto deserta magis.* Aristophanes vsurpauit pro desertissimo. ° Ad Aristophane.

Aristophanis Acharnenses. act. 2. Scena. 6.

Igitur aquum est, vt vir hic incuruus & coataneis
Intereat Thucydides, in Scythica solitudine.

Ad quos versus Græcus Scholiastes:

SCYTHARVM SOLITVDO.) *Quia solitudines Scytharum feris infesta sunt, pro exitio & malis implicito. Hoc autem dicit, Scythas absque lare, & tecto, plostris vectos, errare in siluis, sibique ipsis caussam exity existere. Cæterum prouerbium est, Scytharum solitudo, pro eo qui ab omnibus desertus est, & in summis calamitatibus versatur.*

AT NOS DESERTA.) Arrianus apud Eusthathium ad Periegetem, docet Scythas olim vrbes habitasse, domos incoluisse, terram arasse, vescique pane solitos, sed victos à Thracibus mores immutasse, omnibusque diris se deuouisse, vbi vel ædes exædificassent, vel aratro terram proscidissent, aut vrbes condidissent, aut opes aurumue possedissent. Plostra igitur sibi comparasse, ferinam in cibum adhibuisse, lac potasse: iumentis duntaxat illis solis vsos quibus veherentur, & quæ terras terris commutantes sequerentur. Indeque dictos Nomadas, quasi tu diceres pascuales, seu pastores. Quos optimè depingit Medicorum numen Hippocrates. *Verum solitudo quæ Scythica dicitur, in planicie sita est, pratis abundans, sublimis & mediocriter aquosa. Sunt enim fluuij in ea magni, in quos aqua ex campis per riuos deducitur. In hac itaque Scythæ degunt, qui Nomades vocantur, propterea quod nullas habeant domus, sed in curribus habitant. Sunt autem currus ex quibus minimi quatuor rotis, reliqui sex circumaguntur: Sunt etiam luto obdurati, ac instar domorum fabrefacti, aliqui simplici, aliqui etiam triplici tabulato. Vnde robur illis inest aduersus omnes inimicias aquarum, niuis, ac ventorum propellendas. Trahunt currus aliquos quidem boum iuga duo, aliquos tria, atque hi cornibus carent, cum præ frigore regionis ea cornua non enascantur. In his ita curribus mulieres degunt: Equis autem vehuntur viri: sequuntur illos oues, boues, & equi. Tam diu deinde in vno subsistunt loco, dum sufficit ipsis pecoribus pabulum, quo deficiente in aliam regionem commigrant. Vescuntur autem ipsi carnibus coctis, bibuntque lac equinum, comedunt etiam hippacem, hoc est, caseum equinum.* Hæc Hippocrates, qui multa præterea de ijsdem subijcit, formaque ait illos sibi similes, parum fœcundos, regionem paruas feras gignere, neque numero, neque specie insignes, sub ipsis arctis, seu polis, & riphæis montibus sitos. & quæ ibidem sequuntur. P. 91. Hippocrates de Aere, aqua, locis.

PROINDE FORTVNAM TVAM PRESSIS MANIBVS TENE.) *Fortunam reuerenter habe:* noli irritare, nec eius felicitate abutere; ita volentem pressis manibus tenebis, quam inuitam nulla vi retinere poteris. pressis manibus, digitis in volam collectis, qualis est pugnus: explicatis enim digitis nihil tenetur aut retinetur.

LVBRICA EST.) *Et solum constans in leuitate sua est.*

SINE PEDIBVS.) Multas Fortunæ formas, multa eiusdem symbola, figuras, statuas alio atque alio modo effigiatas, nomina & cognomina recenset Alexander Neapolitanus ° (quem iuuabit hoc loco cum Tiraquello consulere) & inter alias effigies etiam hanc à Curtio hic expressam. Sed Tiraquellus hoc modo fictam & depictam non nisi ex hoc Curtii loco docet. Alatam quidem & pinnatam apud Eusebium, Horatium, & fortasse alios cognosces, sed ἄπουν nusquam nisi hic. Habes generatim de fortuna apud Alciatum & eius scholiasten in symbolo Fortunæ; multa etiam apud Pierium, vt taceam Pausaniam, Plutarchum, & alios. ° Li. c. 13. copiose.

PINNAS.) Varius huius vocis vsus, nunc alas significat, nunc pennas, nunc pisces, nunc piscium alas, seu πτέρυγας. Hic pro alis seu pennis Fortunæ, pinnata enim pingitur. de qua Horatius: l. 3. Od. 29.

Fortuna sæuo læta negotio, &
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alij benigna.
Laudo manentem: si celeres quatit
Pennas, resigno quæ dedit,——

Fortunæ ingenium Pacuuius apud Herennium egregiè depingit: Cic. ad Heren. lib. 2.

Fortunam insanam esse & brutam perhibent philosophi,
Saxoque instare globoso prædicant volubili.
Ideò, quo saxum impulerit fors eo cadere Fortunam autumant.
Cæcam ob eam rem iterant, quia nihil cernat quo sese applicet.

Qq 3 Insa-

Insanam autem aiunt, quia atrox, incerta, instabilisq; sit:
Brutam: quia dignum atque indignum nequeat internoscere.

COMPREHENDERE NON SINIT.) Fortunam citius reperias, quàm retineas.

SI DEVS ES, TRIB. BENEF. MORTAL. DEBES.) DEVM certè Sext. Pomp. Festus quamuis homo Romanus & paganus, dictum existimat, vel quia nihil illi desit, vel quia omnia commoda hominibus det. Est enim natura bonus, & charior est illi homo, quàm ipse sibi: quemadmodum in decima canit Iuuenalis:

Carior est illis homo, quam sibi, nos animorum
Impulsu, & cæca magnaq; cupidine ducti,
Coniugium petimus.

cui præcinuit in Odyss. 6. Homerus:

ζεὺς δ᾽ αὐτὸς νέμει ὄλβον ὀλύμπιος ἀνθρώποισιν,
Iupiter ipse tribuit felicitatem hominibus.

Summum enim bonum est id quod bona sua vel maximè cum ijs, quos creauit, communicet, vt omnis cœlestium regum senatus consensu docet. Ita ἀγαθοποιὸν φύσις θεοῦ. Sed dicas Scythis vocem Dei non significare patria lingua Deum; Enimuero siue Germanica & Cymbrica, seu Cimmerica Scythæ vsi sunt, Deum professi sunt auctorem & fontem omnium bonorum. Latinis autem ipsum nomen etiam Dei, valere bonorum omnium datorem.

SI AVTEM HOMO ES, ID QVOD ES, SEMPER ESSE TE, COGITA.) Hoc à patre Philippo Alexander discere poterat, qui ex ephæbis vni præcepit, vt quotidie prima luce ad lectum cubicularem adesset, regemque his verbis de hominis mortalitate admoneret: φίλιππε, ἄνθρωπος εἶ, *Philippe homo es.* Ita a Aelianus, & b Lycosth.

a lib. 8. var. hist. c. 15. b pag. 356. tit. de hominis miseria.

Latinis, Isidoro auctore, homo ab humo dictus, quod ex humo effectus & formatus sit. Ad quod simul Comicus allusit:

Homo sum, humani nihil alienum à me puto.

STVLTVM EST EORVM MEMINISSE PROPTER QVAE TVI OBLIVISCERIS.) Stultum est meminisse victorias per quas & propter quas obliuisceris te hominem esse. Stultum est te meminisse felicitatis præsentis, non cogitare de futuro, quidque ante obitum possit accidere: quod serius intellexit & credidit, quamuis ab Solone admonitus Cræsus. Cogita Alexander hominem esse te, ἐφήμερον κεράμιον, δειλόν, vitam ipsam esse πομφόλυγα, χρόνου ἀπιθαμήν, στιγμήν. felicitatem ergo frena, & illam faciliùs reges.

Felix priorem mox statum obliuiscitur,
inquit Comicus.
Fœlix futurum statum non prouidet. Cæcum facit felicitas.

AMICIS POTERIS VTI.) Lædendo belloque inferendo ex amicis hostes efficies.
Comicus: *Amicitia firmißima est inter pares.*

Amicitia pares aut accipit, aut facit.

INTER DOMINVM ET SERVVM.) Plinius Panegy. ad Traian. Etenim in principum domo nomen tantùm amicitiæ inane scilicet, irrisumque manebat. Nam quæ poterat esse inter eos amicitia quorum sibi alij domini, alij serui videbantur: *non est diuturna possessio, in quam armis inducimur,* inquit, infrà apud Curtium Alexander lib. 8. c. 16.

ETIAM IN PACE, IVRA BELLI TAMEN SERVANTVR.) Victi enim victoribus parere coguntur, serui domino, subiecti magistratibus. Nam quæ leges & conditiones victis belli tempore latæ dataeque sunt, deinceps perpetrato bello obseruantur, vt se victos agnoscant, tributa, & vectigalia, & census pendant. Nam bello parta, iure belli in pace retinentur. ita liberi populi bello victi sæpè pro victoris arbitrio, amissa libertate, seruire coguntur, qua ad se rursum per arma in libertatem vindicent: Itaque nō firma pax inter victos & victores, coacti enim parent, & nullum violentum diuturnum. Cùm enim coacta libertas pro seruitute habeatur; vis sæpe vi pellitur, & metus metu. & violenta nemo imperia continuit diu, & iura armis atrociora, quæuis arma prouocant.

IVRANDO SCYTHAS GRATIAM NE CREDIDERIS.) Quia colendo firmiter vt sequitur, fidem iurant Scythæ, non verbo, non iureiurando, sed reapse, nullis hic opus syngraphis, nullis cautionibus, aut tabulis, vel charteis, vel æreis, quibus iura legum & conditionum inscribantur. Fides vnicum Scythis vinculum est.

GRAECORVM ISTA CAVTIO EST.) Iniuratis Scythis plus ait credendum fidendumque Scytha, quam iuratissimis & testatissimis Græcis. Quia apud Græcos vt Euripides in Iphigenia Taurica canit:

πιστὸν Ἑλλὰς οἶδεν οὐδὲν.

Græcorum vanitatem miris modis exagitat, ridet, & explodit Satyra tertia Iuuenalis, Cic. ad Q. Fratrem. * *Græci fallaces & leues & diuturna seruitute ad nimiam assentationem eruditi.*

* lib. 1.

Virg.

Virg. 2. Aen. *---- crimine ab vno* v. 65.
Disce omnes. ----

Et moxintrà. v. 106.

Ignari scelerum tantorum artisque Pelasgæ. *v. 152.
** Ille, dolis instructus & arte Pelasga,*
Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas.
Vos æterni ignes, & non violabile vestrum
Testor numen(ait) vos aræ ensesq; nefandi,

Et quæ sequuntur execrationes periurissimi Sinonis.

GRAECORVM HAEC CAVTIO EST) Græcorum hæc solicitudo & cura est, vt pacta, conuenta & fœdera in publica acta referantur, tabulis inscribantur, chirographis & signis confirmentur, deorumque religiones interponantur, ipsique dij tanquam testes aduocentur. Nec Græcorum tantùm hæc cautio fuit, sed Romanorum, Persarum, Hebræorum, & omnium prope gentium, vt ex literis sacris, scriptoribus rerum Græcarum, Romanorum, & Persarum aliarumque gentium constat. Nostræ, inquit Scytha, amicitiæ fides non quærit syngrapham.

NOS RELIGIONEM IN IPSA FIDE NOVIMVS) Nos fallere nescimus, nec vllis testibus indigemus.

QVI NON REVERENTVR HOMINES, FALLVNT DEOS) *Qui non verentur homines, decipiũt deos,* inquit Comicus: Nam quicunque perdit fidem, perdit omnia.

NEC TIBI AMICO OPVS, DE CVIVS BENEVOLENTIA DVBITES) Dubitat autem is qui ab amico iusiurandum, tabulas & syngraphas exigit. Ita Græci omnes habent suspectos, suspecti omnibus.

NOS ASIAE ET EVROPAE CVSTODES HABEBIS) Si amicos habueris, custodiemus extrema imperij tui, fines Asiæ & Europæ. Apud Indos in Oriente accedimus ad Tanaim,* extrema in Asia *Iaxartem intellige. sunt Bactra, a Bactris tantùm Tanai diuidimur. Ad Septentrionem Thraciam attingimus, cui finitima est Macedonia. ita tuta omnia præstabimus amici, infesta hostes reddemus. proinde considera, quid tuis rationibus expediat, hostes nos, an amicos malis.

VTRINQVE IMPERIO TVO FINITIMOS) Hanc scripturam ex Acidalio laudamus, quanquã & vulgaris tolerari potest, vbi legitur *vtrique* imperio, inquam, Orientis & Occidentis, duplex enim imperium Alexandro tribuitur.

Τύμβον Ἀλεξάνδροιο Μακηδόνος ἤν τις ἀείδῃ Exc. 10. Prolusion.
Ἠπείρους κείνου σῆμα λέγ᾽ ἀμφοτέρας.
Quisquis aues tumulum Pellæo ponere regi,
Europam atq; Asiam ponito pro tumulo.


Infrà à Curtio quoque rex Asiæ & Europæ Alexander appellatur.

Atque hic finis nobilissimæ & sententiarum pondere grauissimæ orationis, qua tamen nihil profecere Scythæ.

CAPVT XXIII.

ARGVMENTVM.

Rex verbo peracutè respondet. Tanaim traijcit, hostes fundit. Sagas deditos in fidem recipit.



Ontra rex: fortuna sua & consilijs eorum se vsurum esse respondet. nam & fortunam cui confidat, & consilium suadentium, ne quid temerè & audacter faciat, secuturum. dimissisque legatis in præparatas rates exercitum imposuit. in proris clypeatos locauerat, iussos in genua subsidere, quo tutiores essent aduersus ictus sagittarum post hos qui tormenta intenderent stabant, & ab vtroque latere & à fronte circumdati armatis: reliqui qui post tormenta constiterant, remigem loricam indutum scutorum testudine armati protegebant. Idem ordo in alijs quoque ratibus, quæ equitem vehebant seruatus est. Maior pars à puppe nantes equos loris trahebat. at illos quos vtres sarmento repleti vehebant, obiectæ rates tuebantur. ipse rex cum delectis primus ratem sol-

uit, & in ripam dirigi iussit. Cui Scythæ admotos ordine equitum in primo ripæ margine opponunt, vt ne applicari quidem terræ rates possent. Ceterum præter hanc speciem ripis præsidentis exercitus ingens nauigantes terror inuaserat. namque cursum gubernatores cum obliquo flumine impellerentur, regere non poterant: vacillantesque milites, & ne excuterentur soliciti, nautarum ministeria turbauerant: nec tela quidem conati nisu vibrare poterant, cum prior standi sine periculo, quam hostem incessendi cura esset. tormenta saluti fuerunt, quibus in confertos ac temerè se offerentes haud frustrà excussa sunt tela. Barbari quoque ingentem vim sagittarum infudere ratibus, vixque vllum fuit scutum, quod non pluribus simul spiculis perforaretur. Iamque terræ rates applicabantur, cum acies clypeata consurgit, & hastas certo ictu, vtpote libero nisu, mittit è ratibus. Et vt territos recipientesq́; equos vidère, alacres mutua adhortatione in terram desiliere. Turbatis acriter pedem inferre cœperunt. Equitum deinde turmæ, quæ frenatos habebant equos, perfregère barbarorum aciem. Interim ceteri agmine dimicantium tecti aptauère se pugnæ. ipse rex quod vigoris ægro adhuc corpori deerat, animi firmitate supplebat. Vox adhortantis non poterat audiri, nondum benè obducta cicatrice ceruicis, sed dimicantem cuncti videbant Itaque ipsi quidem ducum fungebantur officio, aliusque alium adhortati in hostem, salutis immemores, ruere cœperunt. Tũ verò non ora, non arma, non clamorem hostium, barbari tolerare, omnesque effusis habenis (namque equestris acies erat) capessunt fugam, quos rex quanquam vexationem inualidi corporis pati non poterat, per LXXX. tamen stadia insequi perseuerauit. Iamque linquente animo suis præcepit, vt donec lucis aliquid superesset, fugientium tergis inhærerent. ipse exhaustis etiam animi viribus in castra se recepit, reliquum substitit. Transierant iam Liberi patris terminos, quorum monumenta lapides erant crebris interuallis dispositi, arboresq́; proceræ, quarum stipites hedera contexerat. Sed Macedonas ira longius prouexit, quippe media ferè nocte in castra redierunt, multis interfectis pluribus captis, equosque M & DCCC. abegère. ceciderunt autem Macedonum equites LX cẽtum ferè pedites, mille saucij fuerũt. Hæc expeditio deficientem magna ex parte Asiam fama tam opportunæ victoriæ domuit. Inuictos esse Scythas crediderant, quibus fractis, nullam gentem, Macedonum armis parem fore. Itaque Sagæ misère legatos, qui pollicerentur gentem imperata facturam. Mouerat eos regis non virtus magis quam clementia in deuictos Scythas: quippe captiuos omnes sine pretio remiserat, vt fidem faceret, sibi cum ferocissimis gentium de fortitudine non de ira fuisse certamen. Benignè igitur exceptis Sagarum legatis comitem Escipinon dedit, admodum iuuenem, ætatis flore conciliatum sibi, qui cùm specie corporis æquaret Hephæstionem lepore sanè illi par non erat.

FORTVNA SVA) Duo potissimum mouerant Scythæ regem, vt fortunam pressis manibus teneret, illaque non abuteretur. respondet Alexander, & fortuna sua se vsurum, nec abusurum, hoc est, nihil temerè acturum.

DIMISSISQVE LEGATIS) re infecta, nulla spe vel mentione pacis facta. ex quo intelligebant Scythæ bellum instare, regemque Tanaim transiturum. Nec moratus Alexander, statim flumen cum exercitu traiecit. Quod quo pacto, qua difficultate, quanto periculo factum sit, disertissimè describit Curtius: paucis & ieiunè Arrianus, si vtrumque inter se componas, vti mox videbis. Plutarchus verbo attingit in Alexandro, & lib. de fort. Alexandri 2. In Siculo hoc prælium cum aliis multis desideratur. Iustinus omnino transilijt.

IN PRORIS CLYPEATOS LOCAVERAT) sapientissimè instituta acies in nauibus & ratibus aduersus hostem, omnem fluminis ripam obsidentem. In priore nauis parte rectà hostibus obuersi, clypeati scutisque obarmati, velut murus nauis positi, qui omnem à tergo turbam clypeis protegerent. Ipsi genibus nitentes, quod alioqui clypei non totum corpus defenderent, si starent, & tormenta ponè collocata, & in hostem intendenda impedirentur.

TORMENTA) catapultæ, scorpiones, balistæ, quibus hastæ, sagittæ, saxa in hostem excutiebantur.

A FRONTE ET VTROQVE LATERE) quomodo à fronte, vt tela nullum ex armatis circumstantibus læderent? interualla relinquebant armati, per quæ tela exibant.

REMIGEM ARMATI SCVTORVM TESTVDINE PROTEGEBANT) ante remiges collocati. Testudinum formam habes apud Stevvechium & Lipsium in poliorceticis. l. 1. dial. 5.

IN ALIIS QVOQVE RATIBVS) ergo nullæ naues. ἀκρῶς, &c. supra proras appellauit; prora, nauis non ratis pars.

À PVP-

A PVPPE NANTES EQVOS LORIS TRAHEBANT)nec puppis,nisi in naue propriè,sicut & prora. sunt tamen inter naues dictæ apud Gellium * ratariæ è ratibus compositæ. *l.10.c.25.

VTRIS)de quibus suprà c.10. huius libri.

OBIECTAE RATES)ergo extremi natabant, vtribus vecti.

PRIMVS)incredibilis huius regis audacia, vbicunque periculum apparebat, primus adfuit, in fronte stetit. regredere ad lib.4.c.33. *se ante prima signa dimicaturum*,& quæ sequuntur.

CVI SCYTHAE)ead. belli facies & traijciendi Granici fluminis difficultas fuit, nisi quod Granicus altiores ab hostium parte ripas haberet, & quæ difficiliorem traiectum Alexandro efficiebant, cum pari modo hostes ripas obsiderent. *hic*, inquit, *Granicum tot millibus equitum peditumq; in vlteriore stantibus ripa superauit.* l.4.c.24.

PRAETER HANC SPECIEM)terribilem sanè hostium omnes fluminis crepidines armatis obsidentium.

OBLIQVO FLVMINE)nec aduerso, nec secundo, nec transuerso, sed obliquo. aduerso non erat necesse, nec fieri poterat; secundò, non fuissent ad alteram ripam appulsi; transuerso non sinebat flumen, restabat vt obliquo ad ripam aduersam contenderent, obliquè autem traiectus fiebat, cum rates à ripa quam Alexander tenebat, sensim in alteram partem obliquarentur. sed ea ipsa res (fluminis impetus) magnam creabat difficultatem & periculum. quod nautæ non possent, à flumine, hoste, & proprio milite impediti, quamuis cursum rectà dirigerent, officio suo ritè fungi, & rates pro voto, quà vellent, flectere. Militum vestigia in illo ratium concussu vacillabant, nec telis vti poterant, quibus se ab hostium iaculis, quæ tanquam grando aut nimbus ingruebant, tuerentur, hostemque lacesserent.

TORMENTA SALVTI FVERE)tormenta, quibus repulêre Scythas à ripæ margine. ita applicari rates ad terram potuêre, quod dum fieret, consurrexit illa clypeatorum acies, quæ interim iussa fuerat in genua subsidere. Hæc missis in hostes telis maximè turbauit Scythas, quod Arrianus quoque declarat Καὶ ἔστιν, inquit, οἱ αὐτῶν ἐτιτρώσκοντο ἐκ τῶν βελῶν, ὥς δὲ διὰ τοῦ γέῤῥου καὶ τοῦ θώρακος διαμπὰξ πληγεὶς & quæ sequuntur. *Ac nonnulli quidem Scythæ telorum iactu vulnerati sunt: vnus scutum & thoracem traiectus, ex equo procidit. At barbari, longinquo telorum iactu, & strenui illius viri cade perterriti, paruumper à ripa retrocesserunt. Alexander illos telorum iactu perturbatos conspicatus, tubis clangentibus flumẽ transit. atque ipsum praeuntem reliquus exercitus subsequutus est: ac primum quidem sagittarijs & funditoribus transmissis fundis telisque Scythas lacessere iubet, ne in phalangem transeuntem irruerent, priusquam vniuersus equitatus transmissus esset. Cumque iam omnes in vlteriorem ripam euasissent, primum quidem equitum sociorum agmen vnum, & eorum qui sarissas gestant, cohortes quatuor in Scythas immisit. quorum impetu sustinentes Scythæ, atque equitatu cingentes, multi paucos premebant, simulq; facilè se recipiebant. Alexander sagittarios atque Agrianos, aliosq; expeditos, quibus praeerat Balacrus, equitibus permiscens, in Scythas immittit. ijsq; inter se congressis, tria equitum sociorum agmina, equitesque iaculatores omnes in eos ferri iubet: ipse reliquum equitatum ducens ex aduerso in eos contendit. Iamque non amplius equitatum in orbem, vt antea, ducere poterant. simul enim & equitatus eos premebat, atque expediti equitibus mixti, equitatum tutò circumducere non sinebant. Tum manifesta Scytharum fuga fit, cæsis circiter mille, & in ijs vno ex ducibus Satraco, captis CL.* p.79 & seq.

FRENATOS HABEBANT EQVOS)multi enim equitum, qui à puppi equos nantes trahebant, tardius ad pugnam venêre.

DIMICANTEM CVNCTI VIDEBANT)nihil ita militum animos accendit ad prælium, atque exemplum supremi ducis: Idem fecisse Cæsarem in bello Gallico legimus.

DVCVM FVNGEBANTVR OFFICIO) tam exercitatum habuit militem, vti tot haberet duces, quot numerabat milites.

PER OCTOGINTA TAMEN STADIA INSEQVI PERSEVERAVIT) Plutarchus in Alexandro centũ stadia numerauit, in secundo verò de fortuna Alexandri, centum quinquaginta: adeò incertus vacillauit Plutarchi calamus, nec in notis error obseruari potuit, integras enim voces posuit: ἀλλὰ inquit in Alexandro, καὶ τὸν Ὀρεξάρτην διαβὰς ποταμὸν (ὃν αὐτὸς ᾤετο Τάναϊν εἶναι) καὶ τοὺς Σκύθας τρεψάμενος ἐδίωξεν ἐπὶ σταδίους ἑκατὸν ἐνοχλούμενος ὑπὸ διαῤῥοίας. *Sed & transmisso Orexarte* (Iaxarten alij vocant) *amne, quem ipse Tanaim esse arbitrabatur, fusos fugatosque Scythas, quamuis ventris fluore infestaretur, ad centum stadia est insectatus.* In altero verò de fort. διαβὰς δὲ τὸν Τάναϊν, inquit, ἐπὶ τοὺς Σκύθας καὶ τρεψάμενος ἐδίωξεν ἵππῳ πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν σταδίους: *Traiecto Tanai Scythas in fugam versos, equo etiam ad centum & quinquaginta stadia insectatus est, infesto alui profluuio remorante.* Cæterùm, octoginta stadia efficiunt milliaria nostratia duo & semis: centum verò, tria cum dimidio quadrante: centum denique, quinquaginta quatuor propè cum triente.

IAMQVE LINQVENTE ANIMO) * Arrianus totum exercitum in persequendis hostibus in summo æstu grauissima siti laborasse tradit. Alexandrum hausta noxia aqua, qualem regio fert, profluuio alui correptum (quod & Plutarchus testatus est) in summum vitæ discrimen adductum, in castra relatum, Aristandri vaticinium explesse, qui id antè denunciarat: Quod nisi rex morbo retardatus esset, Scythas ad internecionem deleturum fuisse. *In 4.

TRAN-

TRANSIERANT IAM LIBERI PATRIS TERMINOS)signauit Bacchus,cum in Indiam mouisset,expeditionis terminos(vt & Alexander,& ante Alexandrum Hercules)columnis, Alexander aris,Sidonius Antipater,

ἀμφοῖν δὲ στῆλαι συντέρμονες εἴκελα δ᾽ ὅπλα.
Arma eadem ambobus,sunt termini vtriq; columnæ.

Dionysius Periegetes:

p.16. Ἐνθά τε καὶ στῆλαί θηβαιγενέος Διονύσου
Ἑστᾶσι πυμάτοιο παρὰ ῥόον Ὠκεανοῖο
Ἰνδῶν ὑστατίοισιν ἐν οὔρεσιν ----
Hac & Thebani Dionysi terra columnas
Monstrat ad Oceanum,atque extremi littora ponti
Montibus Indorum ----

Strabo de his ipsis videtur in tertio, vbi de Hispania & Herculis columnis, earumque forma, altitudine, modo disputat,locutus,cum scripsit:Latina ponam quia locus longiusculus est: *Et Alexander*,inquit,*in Indica expeditione,ad qua vltima loca peruenit,apud Indos versus orientem degentes,aras pro termino posuit,Herculem imitatus & Bacchum. Erat sanè hoc moris. Verùm probabile est, locos nomen istarum rerum denominationem excipere,præsertim vbi tempus abolet positos limites. Neque enim hodie extant Philanorum aræ,sed locus id nominis retinet. Et aiunt in India neque Herculis, neque Bacchi columnas visas fuisse:nihilominus Macedones indicata ipsis & demonstrata quadam loca crediderunt esse eas columnas,vbi vestigium aliquod reperiebant eorum,quæ vel de Baccho, vel de Hercule erant memoria prodita.* Sed Curtius pro columnis,lapides suis interuallis positos fuisse tradit,procerasque arbores, quarum medios stipites circumserpentes coronabant vites. Strabo longè aliter de huiusmodi columnis,loco qui iam laudatum sequitur,docet. Curtius lapides milliarios videtur intelligere, per quorum media spacia ad vltimas columnas Bacchi ibatur. Solinus cap.52 *Vltra hos Panda opidum Sogdianorum,in quorum finibus Alexander Magnus tertiam Alexandriam condidit,ad contestandos itineris sui terminos. Hic enim locus est,in quo primum à Libero patre,post ab Hercule, deinde à Semiramide, postremò etiam à Cyro aræ sunt constituta:quod proximum gloria omnes duxerunt,illò vsque promouisse itineris sui metas.*

l.3.p.118.

LIBERI PATRIS)Quare Bacchus Liber sit dictus,multis verbis docet Gyraldus syntagmate VIII. variasque originationes ex varijs scriptoribus adducit,Liberumque appellatum aiunt, vel à linguæ licentia,vel quod animum curis liberet,pellatque tristitiam. Seneca, *Liber*, inquit, *non ob licentiam linguæ dictus est inuentor vini,sed quia liberat seruitio curarum animum,asserit,vegetatque, & audaciorem in omnes conatus facit.* Alij Liberum aiunt dictum, quod in liberis ciuitatibus coleretur, earumque symbolum esset: vnde & Marsyas eius minister in ciuitatibus libertatis fuit indicium. In Bæotia omnes ciuitates liberas esse iussit,& à se conditas, Eleutheras appellauit. Plutarchus vel ab libertate,quod bibentibus libertatis caussa sit,& honesto Baccho licentiores fiant, vel, quod li-
l.6.de. ciu. cap 9. bationem inuenerit. D. Augustinus à libramento Liberum vult appellatum,quod mares eius beneficio à semine liberentur. Enimuerò Goropius in Indoscythicis nouam prorsus Liberi patris ori-
p.519 in Indoscy. ante m. & pag 520. ginem excogitauit. *Noë*,inquit(nam hunc ait fuisse Liberum)*quia omnium populorum pater est, vocatus est ab Ianigenis suis,Liber,idest,populos in lucem producens.* disputat dein ex verbi originatione multa,quæ lubens prætereo, quod parum arrideant. Cæterum alij tres,alij quinque diuersos aiunt
In 3.de Nat. deor. esse Dionysios seu Bacchos. M. Tullius: *Dionysios*,inquit,*multos habemus,primum è Ioue & Proserpina natum:secundum Nilo,qui Nysam dicitur interemisse:tertium Caprio patre,eumque regem Asiæ præfuisse dicunt,cuius Abazea sunt instituta:quartum Ioue & Luna,cui sacra Orphica putabantur confici:quintum Nisonatum & Thione,à quo Trieterides constituta putantur.* Hæc Cicero. Liberum Indicum alij pu-
Philostrat. lege lib.2. pag.64. inf. tant in India natum,alij ex Assyria ad Indos penetrasse,alij Thebis profectum:alij hæc omnia fabulosa censuerunt,quibus ego lubens subscribo.

SED MACEDONES IAM LONGIVS PROVEXIT)Mirum non est Macedones per noctem lógius ita prouectos,lapides & columnas & terminos Liberi patris non vidisse,quos nec pacati, nec interdiu vidissent.

EQVOS MILLE ET OCTINGENTOS ABEGERE)Arrianus mille cæsos affirmat, inter quos Satracem Persarum ducem ponit:captos centum quinquaginta.

HAEC EXPEDITIO)hæc Alexandri relata de Scythis victoria omnes gentes barbaras citra & vltra Tanaim seu Iaxartem,in desperationem coniecit,& Alexandro subiecit,quod Scythas omnium gentium fortissimos & inuictos credidissent, quibus tamen victis nullam spem superesse videbant Macedones vincendi.

SAGAE MISERE LEGATOS)De Sagis siue Sacis,vt alijs dicuntur,suprà egimus ad lib.6.ca.4. libro hoc ipso cap.23. Eorundem mentio fit infrà lib.8.

IMPERATA FACTVRVM)Non fecisse,& legationem nihil profecisse exeo videtur constare,
l.8 c.10. quod infrà Alexander regionem Sagarum inuaserit, vastarit,& triginta millia pecorum abegerit. nisi dicamus illos,pace violata,rursum ab Alexandro defecisse: Nam in Alexandro non fuit quo minus pax constaret.

CAP.

CAPTIVOS OMNES SINE PRECIO REMISERAT) Laudat ab hac virtute Pyrrhum Ennius apud Ciceronem, quod captiuos sine precio reddidit:

Nec mi aurum posco nec mi precium dederitis.
Ferro, non auro vitam cernamus vtrique,
Virtute experiamur, & hoc simul accipe dictum
Eorundem me libertati parcere certum est,
Nec cauponantes bellum, sed belligerantes,
Vosne velit, an me regnare hera, quidue ferat fors,
Quorum virtuti belli fortuna pepercit.
Dono ducite, doque volentibu' cum magnis dijs.


Ita Romanis certamen honoris, fortitudinis, & dignitatis fuit cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Pœnis, Pyrrho, non de capite, salute, & excidio alterutrius gentis, vt cum Celtiberis, Gallis, & Cimbris. proinde bella quibus imperij gloria proposita est, minus acerbè gerenda sunt. vixisset Darius si parere & cedere Macedoni voluisset. De hac legatione Arrianus, *Haud multò post legati à rege Scytharum ad Alex. veniunt, factum excusaturi: non esse ei illata arma communi totius gentis Scythica consilio, sed ab ijs qui latronum more, ex rapto viuerent. se imperata facere velle. Alex. huic humaniter respondet; quia neque honestum putabat, si excusationem illius suspectam haberet, pralio rem non decernere, neque opportunum sibi videbatur eo tempore pralium committere.*

ESCIPINON) Alterum Hephæstionem, nisi quod Hephæstio gratiosior, vrbanior, & ingeniosior, longeque dignitate prior & alter prope Alexander certè φιλαλέξανδρος: Sed de Hephæstione & supra dictum, & infrà non pauca dicentur. Escipinos cetera obscurus.

CAPVT XXIV.

ARGVMENTVM.

Spitamenem persequitur. Sogdianos describit, vastat. xxx. iuuenes damnatos vita donat, & per illos, Sogdianos in fide continet. Bactra petit. Bessum Ecbatana duci iubet.



IPse Cratero cum maiore parte exercitus modicis itineribus sequi iusso; ad Maracanda vrbem peruenit, ex qua Spitamenes comperto eius aduentu Bactra perfugerat. Itaque quatriduo rex longum itineris spatiū emensus peruenit in eum locum, in quo, Menedemo duce, duo millia equitum & trecentos equites amiserat. Horum ossa tumulo contegi iussit, & inferias more patrio dedit. Iam Craterus cum phalange subsequi iussus ad regem peruenerat. Itaque vt omnes qui defecerant, pariter belli clade premerentur, copias diuidit; vrique agros, & interfici puberes iussit. Sogdiana regio maiori ex parte deserta est, LXXX fere stadia in latitudinem vasta solitudines tenēt. Ingens spacium rectà regionis est, per quam amnis (Polytimetum vocant incola) fertur. torrentem eum ripa in tenuem alueum cogunt, deinde cauerna accipit, & sub terram rapit cursu. abscondit indicium est aqua meantis sonus, cum ipsum solum, sub quo tantus amnis fluit; ne modico quidem resudet humore. Ex captiuis Sogdianorum ad regem triginta nobilissimi; corporum robore eximio per ducti erant: qui vt per interpretem cognouerunt iussu regis ipsos ad supplicium trahi, carmen lætantium modo canere, tripudijsque & lasciuiori s corporis motu gaudium quoddam animi ostentare cœperunt. Admiratus rex tanta magnitudine animi oppetere mortem, reuocari eos iussit, causam tam effusæ lætitiæ, cum supplicium antè oculos haberent, requirens. illi si ab alio occiderentur tristes morituros fuisse respondent. nunc à tanto rege victore omnium gentium, maioribus suis redditos, honestam mortem, quam fortes viri voto quoque expeterent, carminibus sui moris lætitiaque celebrare. Tum rex, Quæro itaque an viuere velitis non inimici mihi, cuius beneficio victuri estis? Illi nunquam se inimicos

micos ei, sed bello lacessitos hostes fuisse respondent: si quis ipsos beneficio quàm iniuria experiri maluisset, certaturos fuisse ne vincerentur officio. Interrogantique quo pignore fidem obligaturi essent? vitam quam acciperent, pignori futuram esse dixerunt, reddituros quandoque repetisset. nec promissum fefellerunt: nam qui remissi domos ierant, in fide continuere populares. quatuor inter custodes corporis retenti, nulli Macedonum in regem charitate cesserunt. In Sogdianis Peucolao cum tribus millibus peditum (neque enim maiori præsidio indigebat) relicto, Bactra peruenit. inde Bessum Ecbatana duci iussit, interfecto Dartopanas capite persoluturum.

MODICIS ITINERIBVS SEQVI IVSSO) Alexander cum expedito equitatu præcessit, Craterus proximus ab Alexandro dux, post occisum Parmenionem totam molem exercitus cum phalange & impedimentis traxit, eoque tardius progredi coactus.

AD MARACANDA) regiam Sogdianorum, quam Spitamenes cum alijs defectionis auctoribus & coniuratis occuparat, sed audito Alexandrum aduentare, profugit in Bactra principem Bactrianorum sedem. De Maracandis ipse Curtius supra cap. 15. plenius & nos ad eum locum.

MENEDEMO DVCE) de hoc suprà toto capite 20.

INFERIAS MORE PATRIO DEDIT) Is mos erat, vt terra obruti & sepulti publicè laudarentur. De cura Alexandri, sepeliendi milites in acie cæsos suprà audisti, vbi Curtius: *Sed rex deserere*
l.5.c.10. *milites insepultos erubescebat, ita tradito more, vt vix vllum militiæ tam solenne esset munus, quam humãdi suos.* Alexander ab Alexand. ex Aeliano, Val. Maximo, Plutarcho, Aemilio Probo, Iustino, alijsque, vti Tiraquellus annotauit, morem hunc Græcorum & præcipuè Atheniensium paucis descri-
l.3.c.2.
p.115.f.2. psit: *Apud Athenienses,* inquit, *& omnem ferè Græciam corpora non cremare, sed terra condere & sepelire cum funebri veste: Phrygibus verò igni imponere, antiquissimum mos fuisse proditur. Sed inhumandis corporibus Athenienses orientem versus, Megarenses & Phœnices ad occidentem vertere solebant, Afri verò vt Græci sepeliunt. Maxima autem sepeliendorum cadauerum cura Atheniensibus fuisse fertur, præcipuè bello peremptorum, ita vt qui illos inhumatos relinquerent, quouis supplicio dignos putarent. Idcirco summos duces, quia cæsos naualis pugna in mare deiecerant, grauibus pœnis & capitis supplicio affecere: quibus cum peremptorum corpora assequi nequirent, illorum ossa & dissecta membra passim strata exquirere & humo tegere, defunctosque in acie, tumulo publicè exstructo quotannis pro concione laudare, magna cura fuit: adeò vt Nicias cum exercitu iter faciens, ne duarum militum inhumata cadauera relinqueret, totum subsistere agmen, donec humarentur, iusserit. Et Cimon Miltiadis filius, vt pater sepulchro conderetur, captiuum se præbere non dubitauit.*
l.3 c.8.
l.9.c.8. Exagitat tamen Athenienses Val. Max. ob decem prætores, publico decreto, nequicquam obnunciante & intercedente Socrate, occisos.

INFERIAS) quæras hic, quæ propriè Inferiæ? nam Curtius de sepultura tantum videtur locutus. Inferiæ, sacra sunt quæ dijs inferis fiunt. Sed manibus in parentatione, alia consecrantur, de quibus noster de la Cerda vir in paucis eruditus, ad illum Vergilij è 9. Aeneid. versum: *Absenti ferat inferias decoretq; sepulchro.* doctè & exquisitè tractauit. *Qui,* inquit, *attentè poetas græcos legerit, Sophoclem, Euripidem, Homerum, aliosque: Latinos item, Virgilium, Statium, Silium, & alios, is inueniet sex præcipuas res contineri nomine Inferiarum, videlicet, aquam, mel, lac, vinum, sanguinem, comas.* subijcit deinde poetarum græcorum & latinorum auctoritates sanè certas & illustres. Addit postremo de coronis, floribus, lacrymis, rogatque an hæc inferiæ dici possint: & negat propriè inferias dici, quod non sint ἔμπυρα siue ignea, hoc est, non comburantur cum cadauere & alijs libamentis. Miraberis tamen fortasse, quamobrem nullam aliarum fecerit mentionem inferiarum, cum apud Homerum alia quoque rogo iniecta legamus, cùm Patroclo suo parentauit, oleum, inquam, equos, canes, seruos & lectissimos ex Troianis captiuos. Homerum ipse leges, Iliad. ψ.

Easdem ferè inferias leges apud Virgilium in XI. vbi de funere Pallantis ita canit.

Harum vnam iuueni supremum mœstus honorem
Induit, arsurasque comas obnubit amictu,
Multaque præterea Laurentis præmia pugnæ
Aggerat, & longo prædam iubet ordine duci,
Addit equos, & tela, quibus spoliauerat hostem,
Vinxerat & post terga manus quos mitteret vmbris
Inferias, cæso sparsuros sanguine flammas.

l.4.ep.2. Plinius Iunior quoque testis accedit, vbi de Reguli Causidici filio extincto agit, cui parens ad rogum mannulos, canes, luscinias, psittacos, merulas trucidauit.

Taceo hic barbaras gentes, Indos, Gerros seu Scythas, Thraces, Gallos, qui humanis etiam victimis Manibus operabantur. Græcis etiam quibusdam in funere vsurpatum, vt ducis aut bellici imperatoris defuncti corpus solenni pompa efferretur, captiui & milites circa rogum digladiarentur, oues bouesque mactarentur, equi viriq; tonderentur, propugnacula è turribus diruerentur, templa lapidaren-

darentur, aræ subuerterentur, Lares abijcerentur, partus exponerentur, cibo abstineretur, ignis extingueretur, magistratus sacer & politicus coronatus funus prosequeretur. De Alexandro ipso casum Hephæstionis impatientissimè ferente tradit cum alijs Plutarchus, iussu ipsius omnes mulos, equosque detonsos, oppidorumque pinnas deiectas, medicum eius in crucem actum, tibias & musicam in castris perdiu conticuisse, Cussæorum gentem deletam, quæ parentatio Hephæstionis dicta, in pompam decem millia talentûm impensa, quæ sexagies centena millia Philippæorum efficiunt, hoc est, vt hodie loquuntur, sex milliones talerorum. Sed ad hæc diceret de la Cerda, fuisse quædam singularia, se de communibus exequijs & inferijs, passimque omnibus vsurpatis disputasse.

OMNES QVI DEFECERANT.) Sogdiani & Bactriani potissimum, qui auctore Spitamene & Catene defecerant.

PVBERES.) Qui arma ferrent, aut ferre possent.

OCTOGINTA STADIA.) Non malè Glareanus perpendit hunc locũ cùm emendauit, & octinginta rescripsit: *Numerus*, inquit, *nimis paruus pro eo quod continuo subnectit. Vastæ solitudines tenent, inquiens, quum octoginta stadia spatio trium horarum facilè transiri queant. Quis verò tantum terræ spatium vastum appellarit. ideò suspicor octingenta legendum pro octoginta: vt intelligamus spatium triginta horarum, aut trium dierum, quod est longè verisimilius. Porrò Polytimes fluuij, cuius paulò post fit mentio, meminit & Ptolemæus in Scythia intra Imaum montem descriptione, citra tamen Iaxarten.* Ad p. 239. v. 6 In notis numero 232.

Fauet Glareano etiam Arrianus, qui Alexandrum ex eo loco, quo mouit à Tanai inquam, ad Maracanda, non octinginta, sed mille quingenta stadia intra triduum per Sogdianam confecisse scribit, quæ efficiunt nostratia milliaria sex & quadraginta cum triente, quatuorq; stadijs amplius.

SOGDIANA REGIO.) Iterum Goropius diuinat, & Sogdianos à Sogdijs montibus, quod equidem verum, dictos docet; sed Sogdios à Scythica voce *Sog* & *dun*, quod montem sonat. In Indoscyth. pag. 468.

Desertam porrò regionem Sogdianorum Arrianus ostendit, præsertim vbi Polytimetus amnis arenis se condit.

POLYTIMETVM INCOLAE VOCANT.) Arrianus addit non Polytimetum tantùm, sed alios quoque fluuios in ijs regionibus terram subire, *totamq; eam regionem*, inquit, *quam Polytimetus amnis irrigans transit, percurrit. Nam vbi aqua fluminis è conspectu euanescit, omnis vlterior regio deserta est. euanescit autem, etiam multam aquam trahens, sub arenas se condens. Alij etiam ingentes ac perpetui amnes eadem ratione ibi se condunt, Epardus nimirum, qui per Mardorum regionem fluit, & Areus, à quo Areorum regio appellationem accepit. & Etymandrus, qui per Euergetas labitur: suntq; omnes hi fluuij tanta magnitudine, vt nullus eorum Peneo Thessaliæ amne sit minor, qui per Tempe fluens in mare fertur. Polytimetus autem Peneum amnem magnitudine superat.* p. 82. antè m.

Ouidius idem de Lyco & Erasino canit:

Sic vbi terreno Lycus est epotus hiatu,
Existit procul hinc, alioq; renascitur ore, 15. Metam.
Sic modò combibitur, tecto modò gurgite lapsus
Redditur Argolicis ingens Erasinus in agris.

Plinius: *Subeunt terras, rursusq; redduntur Lycus in Asia, Erasinus in Argolica, Tigris in Mesopotamia. Et quæ in Aesculapij fonte Athenis immersa sunt, in Phalerico redduntur. Et in Atinate campo fluuius mersus post XX. m. pass. exit, & in Aquileiensi Timauus.* l. 2. c. 103.

Sed ad Polytimetum redeamus, de quo Strabo: *Amnem per Sogdianam fluentem (Polytimetum Aristobulus vocat) Macedonibus nomen imponentibus, quemadmodum & alia multa & noua fluminibus nomina indiderunt, alia aliunde deducta posuerunt, eum, rigata tellure, in solitudinem & arenosam exire terram absorberiq; sabulo. sicut & Arium, qui per Arianam labitur.* l. 11. p. 356. edit. Casaub.

Hunc Strabonis locum ex Casauboni emendatione hic collocauimus, nam Xylander turpissimè hic in vocibus Polytimeti & Aristobuli exerrauit, testem habes ipsum Xylandrum, qui ex vitiosa manu ita Græcè edidit, & vitiosiùs latinè reddidit: *Amnem per Sogdianam fluentem & magni precij Aristobulum esse.* Corruptissimus locus, inquit Casaubonus, & qui Xylandrum miserè decepit. legendum autem καλεῖ Πολυτίμητον Ἀριστόβουλος. Aristobulus hominis est, qui de Alexandri rebus scripsit, nomen, non fluuij. Polytimetus cõtra, fluuij proprium nomen est, omnibus memorati geographis & historicis, qui res Alexandri attigêre, post verba autem Strabonis τῶν Μακεδόνων θεμένων, deest vox τοὔνομα. Cæterùm, quod Casaubonus affirmat Strabonem & Curtium dissentire in auctoribus huius nominis Polytimeti: à Strabone enim Macedonibus adscribi nominis impositionem, à Curtio incolis: quod verum est; sed verum nõ est illos dissentire: Curtius enim non respexit tempus quod Alexandrum Magnum præcessit, sed secutum est. Incertum est enim, quo nomine vocitatus prius fuerit, postea à Græcis Polytimetus appellatus, quis enim non videt vocem esse Græcam, non barbaram. ab incolis ergo ætatem Alexandri secutis, qui plerique fuere Græci, (sex enim oppida Alexander non procul ea regione condidit, Græcis potissimum habitata) & nomen à Macedonibus fluuio inditum acceperunt, & in posteros propagarunt. p. 178. casti.

TORRENTEM.) Torrens est fluuius, vel cœlestibus aquis, vel solutis niuibus auctus, qui ex montibus præceps in campos, vel maria, vel alia flumina defertur. Vsurpatur nunc absolutè genere vi-

rili tantum pro flumio; nunc ἰνδίῤῥους omni genere, & μεταφορικῶς, vt οἱ αὐτο-torrens, flumen torrens, vnda torrens, & hoc genus alia.

AQVAE MEANTIS SONVS.) Si aurem terræ admoueas, sonum ruentis audies, quod permirum est, cùm interim nihil humoris in solo appareat. Possis ergo & hoc inter miracula aquarum ponere, vt & Plinius posuit.

BACTRA PERVENIT.) Regressus ad regiam Bactrianorum. De Bactris, Ecbatanis, Besso, Besique supplicio, quorum hic est mentio, iam supra planius dictum.

TRIGINTA NOBILISSIMI.) Hinc de generosissimis Sogdianorum proceribus historiam literis & memoria dignissimam præter Curtium, quod sciam, prodidit nemo: adeò Græci omnes quantumuis verbosi, hic muti omnes qui hodie leguntur. Herodotus quidem de Tracchis, Val. Max & Solinus de Thracibus, alijque de Cæsijs, Causianis, Indis tradidere, diem natalem lacrymis & lamentis; fatalem gaudijs & tripudijs celebrantibus, nihil tamen de Sogdianis, nisi hos inter Indos recenseas, cognoui.

ADMIRATVS REX.) Hoc ingenium fuit herois Alexandri, vt virtutem etiam in hoste non admiratus tantùm sit, sed amarit, coluerit, & præmijs ornarit, vt in Adalonymo, Omphi, Poro, alijsque ostendit.

NVNC A TANTO REGE.) Gloriosum ducebant magni principis, regis, aut Cæsaris dextra cadere. Virg. in 10. de Lauso:

Hoc tamen infelix miseram solabere mortem,
Aeneæ magni dextra cadu——

Ad quem Virgilij locum multa Pontanus noster, qui hanc ipsam ex Curtio historiam adducit; & plura Ludouicus de la Cerda ex diuersis scriptoribus Græcis & Latinis, quos tute videbis.

NVNQVAM INIMICOS SED BELLO LACESSITOS HOSTES FVISSE) Hoc discriminis est inter hostem & inimicum, quòd hostes dicantur apud iurisconsultos, qui nobis, vel quibus nos publicè bellum indicimus, cæteri prædones & latrones. Inimicitia propriè inter priuatos & ciues est, qui dicuntur inimici. Sed hæc nomina à scriptoribus sæpè confunduntur, & alterum pro altero etiam à Cicerone & alijs vsurpantur & permutantur. Litigatores enim etiam hostes, & hostes inimici dicuntur. Græci melius & clarius dicunt, cum hostem πολέμιον, inimicum ἐχθρὸν appellant. πολέμιος ἀπὸ τοῦ πολέμου dictus est. Testantur Sogdiani iuuenes se priuatim singulos nunquam fuisse Alexandro inimicos, hostes tum demum, cum ab illo bello publico essent lacessiti. neque se priores lacessisse, sed prouocatos pugnasse.

QVANDOQVE REPETISSET.) Variant hic codices, vbi alij pro *quandoq*, habent *quandocunq*, alij *quando*. chirographus Constantiensis *quandoque*, cum quo Modij quoque faciunt MSS. Sed nunquam ego apud primæ notæ scriptores latinos lego *quandoq*, pro *quocunq. tempore*, vel quandocunque, vel si quando. Apud M. Tullium ponitur pro *quo tempore*. *Vtinam tunc natus essem, quando Romani dona accipere incepissent.* Quæ sanè significatio huic Curtij loco non repugnat: dixerunt redditurus quandoque, *quo tempore* repetisset, pro *quocunq. tempore*.

PEVCOLAO.) Ab hoc duce, regio postea nomen accepit, dictaque est Peucolaotis, vt est apud lib. 4. Arrianum, in quam Hephæstio cum Perdicca, vt infrà docet idem Arrianus, cum copijs missus est.

CAPVT XXV.

ARGVMENTVM.

Sedecim millia accipit in supplementum. Sogdianos reliquos subigit. Ochum & Oxum flumina superat. Ad Marginiam vrbem sex oppida condit.



Isdem ferè diebus Ptolomæus & Menidas peditum tria millia & equites mille adduxerunt mercede militaturos: Alexander quoque ex Lycia cum pari numero peditum & quingentis equitibus venit. totidem ex Syria Asclepiodorum sequebantur. Antipater Græcorum octo millia, in quis sexcenti equites erant, miserat. itaque exercitu aucto, adea, quæ defectione turbata erant, componenda processit: interfectisq. consternationis auctoribus quarto die ad flumen Oxum peruentum est. hic quia limum vehit, turbidus semper & insalubris est potui. Itaq. puteos miles cœperat fodere nec tamen humo alte egesta existebat humor, cum in ipso tabernaculo regis conspectus est fons, quem quia tardè notauerant, subitò extitisse finxerunt. rexq. ipse credi voluit donum id fuisse. Superatis deinde amnibus Ocho & Oxo ad vrbem Marginiam peruenit. circa eam sex oppidis cõdendis electa sedes est: duo ad meridiem versa quatuor spectantis ad orientem, modicis inter se spacijs distabant, ne procul repetendum esse mutuum auxilium. hæc omnia

sita

ſita ſunt in editis collibus, tum velut freni domitarum gentium: nunc originis ſuæ oblita, ſeruiunt quibus imperauerunt.

PTOLEMAEVS ET MENIDAS.) De eodem hoc ſupplemento Arrianus, ſed indiſtinctè alijs atque alijs etiam ducibus nominatis. *Per idem quoque tempus acceſſerunt è maritimâ orâ Epocillus & Melanidas ac Ptolemaus Thracum Dux, qui pecunias cum Menete miſſus & ſocios ad mare deduxerant.*

MENIDAS.) Menidæ apud Arrianum nulla hic mentio, ſed cuiuſdam Melamnidæ, ſeu Melanidæ. Menidam Curtius * ſuprà ſæpè laudat. * l. 4. c. 27. & 36.

MERCEDE MILITATVROS.) Quos Græci μισθοφόρους ξένους, Curtius cum Latinis *peregrinos milites, mercede conductos, mercede militantes, mercenarios* appellat.

ALEXANDER.) Cognominis hic Alexandro regi fortaſſe ille fuit, de quo Curtius l. 8. cap. 21. *Duces his dati ſunt Charus & Alexander, quem rex nominis, quod ſibi cum eo commune eſſet, admonuit.* Sequitur mox degeneroſa eiuſdem morte, quam eodem loco & cap leges. De Lycia, cuius hic mentio, dictum l. 3. c. 1.

ASCLEPIODORVM.) Haud ſcio an homonymia fallat, idemque ſit hic Aſcleplodorus cum illo, qui (vt eſt in ſequenti * libro) cum Hermolao aduerſus ipſum Alexandrum coniurauit: *Nec puerili impetu*, inquit Curtius, *rem executi ſunt, quippe ſolerter legerunt, quos in ſocietatem ſceleris adſciſcerent, Nicoſtratum, Antipatrum, Aſclepiodorumq́; placuit & Philotam aſſumi.* * cap. 13.

ANTIPATER.) Nobiliſsimus ille Macedoniæ prætor hic erat, qui, abſente Alexandro, regnum Græciæ adminiſtrauit. non ille, quem modò ſuprà inter Hermolai coniuratos numeraui.

CONSTERNATIONIS AVCTORIBVS.) Defectionis principibus Arſace, Barſane, & alijs. Arrianus: *Interea ad eum venerunt Phrataphernes Parthorum Satrapa, & Staſanor ad Areos miſſus, vt Arſacem comprehenderent, quem quidem vinctum adduxerunt & Barzanem, quem Beſſus Parthis Satrapam dederat, ac nonnullos alios, qui tum temporis vna cum Beſſo defecerant.*

AD OXVM FLVMEN.) De hoc flumine multa ſuprà enarrauimus. *conſpectus eſt fons.* Plutarchus olei, non aquæ fontem extitiſſe affirmat. Euſtathius ad Dionyſium geminos fontes proſiluiſſe tradit, aquæ & olei. Geographus in xi. idem de fonte olei ad Ochum, non Oxum narrat. * l. 7. c. 8. & 10 Proluſ. c. 8. Strabo hoc de Ocho flumine, non Oxo narrat.

OCHO ET OXO.) Strabo in loco iam laudato de vtroque flumine hæc tradit: *Fodientes quoque prope Ochum flumen, inueniri perhibent olei ſcaturiginem. Veriſimile eſt, ſicut nitroſi quidam & adſtringentes humores ac bituminoſi etiam & ſulfurei terram perfluunt, ita & pingues reperiri. raritas facit, vt fides minus facilè habeatur. Labi Ochum alij per Bactrianam, alij præter Bactrianam affirmant, alij diuerſum ad oſtia vſque ab Oxo, & verſus Auſtrum ab eo diſſitum: cum quidem in Hyrcania vterque in mare exeant: alij ab initio diuerſos fatentur, ſed inter ſe coire ſæpè ad ſex aut ſeptem ſtadia Oxo dilatato.* Proinde ſi verus Strabo, & alij, fallitur Thomas Bozius, qui ante Chriſtum natum, nullum oleo fontem fluxiſſe exiſtimat. tom. 2. c. 16.

Idem Geographus de eiſdem fluminibus paulò ſuprà. *Diuiditur autem Hyrcania etiam fluminibus Ocho & Oxo, vſque ad oſtia, quibus in mare exeunt. De his, Ochus per Neſaam fluit: quidam Ochum in Oxum illabi affirmant.* p. 352.

De Oxo multa quoque Arrianus, qui de geminis quoque fontibus iuxta regis tabernaculum repertis in quarto * tradit. * lib. 4. pa 89.

AD VRBEM MARGINIAM.) Ciuitas Marginia, regio Margiana à Margo, ſeu Margone flumine dicta. Goropius in Indoſcythicis vocem à Cimmerica, hoc eſt, Scythica ſeu Germanica dialecto deducit, Mare, quod limitem & medullam ſonat nobis. Margiana autem ad mare Caſpium & Occidentem regiones Comerorum finiebat. p. 467.

Idem Goropius Noam ex arca & quæ in paropamiſo hæſit, rectà in Marginiam deſcendiſſe exiſtimat, ibique geſtatis vuis, capitis vertigine captum. pag. 517.

Porrò * Strabonis locus eſt in ſecundo. *In Margiana imum vitis truncum inueniri aiunt ſæpè, qui duabus viri vlnis contineatur: vuam bicubitalem.* Et in xi. *Vicina eſt etiam Margiana, ſed ſolitudine campi cinguntur. Miratus autem regionis fertilitatem Antiochus Soter muro eam circumdedit, cuius ambitus continet ſtadia mille quingenta* (quæ efficiunt apud nos milliaria ſeptem & quadraginta, ſtadijs non plus quatuor demtis) *vrbemq́; in ea condidit Antiochiam. Hæc quoque terra vitibus abundat. Ferunt inueniri ibi vites frequenter, quarum caudex tantus ſit, quantum duo viri poſſint amplecti, vuam bicubitalem.* Eandem Margianæ felicitatem & ſinum * Solinus cap. 51. feliciter expoſuit: Ei, inquit, *proximat Margiana regio inclita, cæli ac ſoli commoda, adeò vt in toto illo latifundio vitibus ſola gaudeat. Ad faciem theatralem montibus clauditur, ambitu ſtadiorum mille quingentorum: inacceſſa pœnè ob incommodum arenoſa ſolitudinis: quæ per centum & viginta millia paſſuum vndiq́; verſum circumfuſa eſt.* (quæ ſunt noſtratium milliarium quatuor & viginti) *regionis huius amœnitatem Alexander M. vſque adeò miratus eſt, vt ibi primum Alexandriam conderet, quam mox à barbaris exciſam Antiochus Seleuci filius reformauit, & de nuncupatione domus ſuæ dixit Seleuciam: cuius vrbis circuitus diffunditur in ſtadia ſeptuaginta* (duo millia cum quadrante.) *In hanc Orodes Romanos captos Craſſiana clade deduxit.* Eadem ferè Plinius quem hic omitto. * lib. 2. lib. 11. * vel alia edit. c. 61.

SEX OPPIDIS.) Strabo in XI. testatur octo vrbes in Bactriana & Sogdiana ab Alexandro conditas, quasdam etiam euersas, ex quibus fuit Cuiata Bactrianæ, vbi Callisthenes comprehensus & in custodiam datus est, ac Paracanda (aliàs Maracanda) Sogdianæ: itemque Cyra, vltimum eorum oppidorum, quæ Cyrus condidit ad Iaxartem fluuium sita, & terminum imperij Persici; idque deleuit Alexander, quamquam Cyri studiosus ob crebras defectiones. Iustinus in 12. In Bactrianis quoque Sogdianisque 12. vrbes condidit, distributis his, quoscunque in exercitu seditiosos habebat. quod quidem consilio non malo, fecit, si modum Alexander rebus & bellis facere didicisset. Proinde nescio quis ex Augustis de ipso dixit: *Alexandrum regna quæsisse, sed quæsita tueri nescisse*. De qua re eleganter (vt est apud Plutarchum) Sphines Indis, Calanus Græcis, ipsum Alexandrum per aptam similitudinem admonuit. Do verba Plutarchi, imò interpretis Plutarchi. *Hunc referunt*, inquit, *exemplum imperij sui Alexandro ob oculos posuisse. Corium in medium coniecit siccum & retorridum, cuius oram calcauit. Id vno loco pressum cæteris partibus extulit se. Idem circulans vndiq., & pedibus stringens in quaque parte ostendit euenire, quoad medium pedibus occupauit, tunc omnes partes quieuère. Ea imagine significauit, media regni maximè premenda, neque procul ab ijs vagandum Alexandro esse.*

p. 591. editione parua cum Curt.

Verè poeta cecinit:

Non minor est virtus quam quærere, parta tueri.

NVNC ORIGINIS SVAE OBLITA.) Intra quadringentesimum aut propè quingentesimum annum omnia in Oriente & Occidente imperiorum iura commutata. Bactriani, Sogdiani, Marginiani, Persæ, Medi, Syri, Græcis regibus imperare cœperunt. Barbari cum Græcis plerique subiecti Romanis. Hæc rerum mortalium regnorum & imperiorum est vicissitudo. Nec Romani diu orbi terrarum imperarunt.

CAPVT XXVI.

ARGVMENTVM.

Petram Arimazis Sogdianam describit Curtius, Alexander expugnat, Arimazen cum propinquis in crucem tolli iubet.



ET cætera quidem pacauerat. Vna erat petra quam Arimazes Sogdianus triginta millibus armatorum obtinebat alimentis congestis, quæ tantæ multitudini vel per biennium suppeterent. Petra in altitudinem triginta eminet stadia, circuitu centum & quinquaginta complectitur, vndique abscissa & abrupta semita per angusta aditur: In medio altitudinis spacio habet specum, cuius os arctum & obscurum est: paulatim deinde vlteriora panduntur. vltima etiam altos recessus habent: fontes per totum ferè specum manant, è quibus collata aqua per prona montis flumen emittunt. Rex loci difficultate spectata, statuerat inde abire. Cupido deinde incessit animo, naturam quoque fatigandi. prius tamen quàm fortunam obsidionis experiretur, Cophen (Artabazi hic filius erat) misit ad Barbaros, qui suaderet, vt dederent rupem. Arimazes loco fretus, superbè multa respondit. ad vltimum an Alexander etiam volare posset interrogat. Quæ nunciata regi sic accendere animum, vt adhibitis, cum quibus consultare erat solitus, indicaret insolentiam barbari illudentis ipsos quia pinnas non haberent: se autem proxima nocte effecturum, vt crederet Macedones etiam volare. Trecentos, inquit, pernicissimos iuuenes ex suis quisq. copijs perducite ad me, qui per calles & pene inuias rupes domi pecora agere consueuerint. illi præstantes & leuitate corporum, & ardore animorum, strenuè adducunt: quos intuens rex, Vobiscum, inquit, ô iuuenes & mei æquales, vrbium inuictarum ante me munimenta superaui, montium iuga perenni niue obruta emensus sum, angustias Ciliciæ intraui, Indiæ sine lassitudine vim frigoris sum perpessus. & mei documenta vobis dedi, & vestri habeo. Petra quam videtis vnum aditum habet, quem barbari obsident, cætera negligunt. Nullæ vigiliæ sunt, nisi quæ castra nostra spectant. Inuenietis viam, si solerter rimati fueritis, aditus ad cacumen. Nihil tam altè natura constituit, quo virtus non possit eniti. Experiendo quæ ceteri desperauerunt, Asiam habemus in potestate. Euadite in cacumen: quod cum ceperitis, candidum velit

tis signum mihi dabitis, ego copijs admotis hostem in nos à vobis conuertam. præmium erit qui primus occupauerit verticem, talenta decem: vno minus accipiet, qui proximus venerit: eademq; ad decem homines seruabitur portio. Certum habeo, vos non tam liberalitatem intueri meam quam voluntatem. His animis regem audierunt, vt iam cepisse verticem viderentur: dimissiq; ferreos cuneos quos inter saxa defigerent, validosq; funes parabant. Rex circumuectus petram, quà minimè asper ac præruptus aditus videbatur, secunda vigilia (quod bene verteret) ingredi iubet. Illi alimentis in biduum sumtis, gladijs modò atque hastis armati subire cœperunt. Ac primo pedibus ingressi sunt: deinde vt ad prærupta peruentum est, atq; manibus eminentia saxa cõplexi semet; alij adiectis funium laqueis euasere, cum cuneos inter saxa defigerent, quis gradus subinde insisterent. diem inter metum laboremq; consumserunt. Per aspera enisis duriora restabant, & crescere altitudo petræ videbatur. Illa vero miserabilis erat facies, cùm ij quos instabilis gradus fefellerat, ex præcipiti deuoluerẽtur: mox eadem in se patienda alieni casus ostendebat exemplum. per has tamen difficultates enituntur in verticem montis, omnes fatigatione continuati laboris affecti, quidam mulctati parte membrorum: pariterq; eos & nox & somnus oppressit. Stratis tamen corporibus in inuijs & asperis saxorum, periculi instantis obliti, in lucem quieuerunt, tandemq; velut ex alto sopore excitati, occultas subiectasq; ipsis valles rimantes, ignorari in qua parte petræ tanta vis hostium condita esset. fumum infra se euolutum & os specus notauerunt. Ex quo intellectum, illam hostium latebram esse. Itaque hastis imposuere quod conuenerat signum, totoq; è numero duos & triginta in ascensu interijsse cognoscunt. Rex non cupidine magis potiundi loci, quàm vicem eorum, quos ad tam manifestum periculum miserat, solicitus, toto die cacumina montis intuens restitit. Noctu demum cum obscuritas conspectum ademisset, ad curandum corpus recessit. Postero die nondum satis clara luce primus vela signum capti verticis conspexit. Sed ne falleretur acies, dubitare cogebat varietas cœli, internitente lucis fulgore condita. verùm vt liquidior lux apparuit, dubitatio exemta est: vocatumq; Cophen, per quem barbarorum animos tentauerat, mittit ad eos, qui moneret nunc saltem salubrius consilium inirent. Sin autem fiducia loci perseuerarent, ostendi à tergo iussit, qui cœperant verticem. Cophes admissus suadere cœpit Arimazi, petram tradere, gratiam regis inituro, si tantas res molientem in vnius rupis obsidione hærere non coegisset. Ille ferocius superbiusq; quàm antea locutus, abire Cophen iubet. at is prehensum manu barbarum rogat, vt secum extra specum prodeat: quo impetrato iuuenes in cacumine ostendit: eiusque superbiæ haud immeritò illudens, pinnas ait habere milites Alexandri. iamque è Macedonum castris signorum concentus & totius exercitus clamor audiebatur. Ea res, sicut pleraq; belli vana & inania, barbaros ad deditionem traxit: quippe occupati metu paucitatem eorum qui à tergo erant, æstimare non poterant. Itaque Cophen (nam trepidantes reliquerat) strennuè reuocant, & cum eo triginta principes mittunt, qui petram tradant, & vt incolumibus abire liceat, paciscantur. Ille quanquam verebatur, ne conspecta iuuenum paucitate deturbarent eos barbari: tamen & fortunæ suæ confisus, & Arimazi superbiæ infensus, nullam se conditionem deditionis accipere respondit. Arimazes desperatis magis quam perditis rebus, cum propinquis nobilissimisq; gentis suæ descendit in castra, quos omnes verberibus affectos sub ipsis radicibus petræ crucibus iussit affigi. Multitudo deditiorum, incolis nouarum vrbium cum pecunia capta dono data est. Artabazus in petra regionisque quæ apposita est ei, tutela relictus est.

VNA ERAT PETRA.) Tertia hæc rupes & petra, quam expugnauit Alexander inter maximè arduas. Primam cognouisti suprà apud Arios cap. 12. l. 6. Alteram lib. hoc c. 5. quam in Caucaso Promethei existimauit. Tertia iam hæc est Arimazis, hic describenda. Reliquas suo quamque loco conscendemus, vt Aornon, Sysimithræ petram, & alias.

ARIMAZES SOGDIANVS.) Strabo in XI. *Oxi petrã* vocat, *quam*, inquit, *alij Arimazæ appellant.*

PER BIENNIVM SVPPETERENT.) Arrianus: σιτία δὲ συγκεκομισμένους τοὺς βαρβάρους ὡς ἐς χρόνιον πολιορκίαν: *Et barbaros frumentum in diuturnam obsidionem importasse.*

TRIGINTA IN ALITVDINEM STADIA.) Milliari Germanico surgebat in altum petra, stadijs minus duobus. Idem Strabo testatur. Arriani diligentia altitudinem petræ non explorauit.

CIRCVITV CENTVM ET QVINQVAGINTA.) nostratia quatuor milliaria, supra stadia duo & 20.

VNDIQVE ABSCISSA ET ABRVPTA.) Arrianus: ὡς δὲ ἐπήλασεν τῇ πέτρᾳ καταλαμβάνει πάντῃ ἀπότομον ἐς τὴν προσβολήν. *Simulac verò ad petram accessit, præruptum vndiq; eius aditum comperit.*

CVIVI OS ARTVM ET OBSCVRVM EST) Aditum & ingressum petræ, os vocat, sicut & ora fluminum, maris, vasis angusti os, sacculi, os portus, vlceris, & hoc genus alia, metaphora ab animantibus conducta.

ALTOS RECESSVS) abdita antra, cauernas, & speluncas, quales etiam in Ithaca, Sicilia, Elea, atque alijs passim regionibus fuisse poetæ cecinerunt.

FONTES PER TOTVM FERE SPECVM MANANT) Idem Arrianus docet.

NATVRAM FATIGANDI) Eleganter hoc Curtius, quod de ijs quoque dici potest, qui auri quærendi studio in viscera terræ eunt. Alexandro certè via nulla inuia, nullus mons tam abruptus, nulla rupes tam ardua, nulla petra tam elata, quo virtus eius non enisa sit, & superarit. Nihil tam altum natura constituit, quod humana audacia non deijciat. Solis gigantibus cælum adire per cumulatos montes conantibus, res, vt est in fabulis, malè cessit. ἀγγελίη γὰρ θεὸς ἐστι μάχεσθαι.

COPHEN ARTABAZI F.) nouem filijs ead. matre genitis gaudebat Artabazus, natus annos quinque & nonaginta, vt habes lib. 6. c. 8. ex quibus hic Cophes, cuius in hoc capite quinquies fit mētio.

AN ALEXANDER ETIAM VOLARE POSSIT) Superbum hoc Arimazis responsum, & gloriam & iram Alexandri accendit. Nam cum antea ab oppugnatione petræ desistere cogitasset & abire, vt Curtius ait, hostis superbia fecit, vt quod fieri posse nemo eredebat, tentaret. *Arrogans etiam*, inquit * Arrianus, *ac superbum barbarorum responsum ad gloriam simul atq. iram Alexandrum excitauit. Quum enim eos ad colloquium euocasset, ac, si se dederent, facultatem liberè in domos suas redeundi eis proposuisset, ipsi barbarè irridentes, vt alatos sibi milites Alexander quæreret, qui petram caperent, iusserunt, quippe qui ab alijs hominibus nihil sibi metuerent.*

*p. 92.

CVM QVIBVS CONSVLTARE ERAT SOLITVS) Cum intimis amicis Cratero, Hephæstione, Erigyo, vt suprà c. 18.

TRECENTOS) Eund. numerum apud Arrianum leges.

PERNICISSIMOS IVVENES) Expeditissimos qui sæpè capras secuti alta montium, aspera rupium, horrida saltuum, tesqua superare consueuerant.

VOBISCVM Ô IVVENES) Hanc orationem exempli caussa cum argumento & œconomia posuit in XIII. eloq. parall. noster Caussinus.

MEI AEQVALES) Hoc ad singularem beneuolentiam & studium erga se excitandum dicit, cum homines agrestes sibi comparat Alexander.

ANTE ME) expunge τὸ *me*, quamuis in chirographis ita legatur. Emendatius vulgata quædam antiquiora, vt antè sit ἐπίῤῥημα non πρόθεσις: cùm expeditior sit intellectus, si legas, *vrbium inuictarum antè munimenta superaui*. quod equidem Acidalium præteriisse miror.

PERENNI NIVE OBRVTA) Curtius ipse l. 5. c. 14 *Ventum erat ad iter perpetuis obsitum niuibus.*

Ad hunc ergo tam illustrem locum & laborem, hic apud Curtium Alexander respexit. Illustrior superiore locus est iam ante etiam explicatus hoc ipso lib. c. 4. cuius principium est, *Cæterum adeò alta niues*, &c. tibi in promptu. Est & infra l. 8. c. 9. non absimilis locus, quem tute, si libebit, cum his compones.

ANGVSTIAS CILICIAE) per Taurum montem ingressus. ad lib 4. c. 9. regredere.

INDIAE VIM FRIGORIS) suprà c. 4. recognosce.

VESTRI HABEO) Ex Acidalij castigatione ita scripsi & edidi, antea erat *vestra habeo.*

NVLLAE VIGILIAE SVNT) vigiliæ pro vigilibus, vt excubiæ, custodiæ. Vigiliæ nocti, excubiæ diei, custodiæ vtrique seruiunt.

NIHIL TAM ALTE) Nobilis gnome, cui par illa:

Inuia virtuti nulla via, iam sæpius laudata. Et illa:

Virtute quæuis res fit expugnabilis.

*mille quingentis annis Asia vectigalē habuere.

QVAE CAETERI DESPERAVERVNT) Certè Philippus non desperauerat, si vixisset, nec Scythæ priores, qui Asiam multis sæculis * tenuerunt. Iustinus lib. 2. *Imperium Asiæ ter quæsiuere, ipsi perpetuo ab alieno imperio aut intacti, aut inuicti mansere.* Sed Alexander hic de Græcis loquitur.

*lib. 4.

TALENTA DECEM) Sex millia philippæorum, vno viginti victoriatis æstimato. nouem talenta, philippæos continent quinquies mille quadringentos: octo, quatuor millia octingentos: septem, quatuor millia ducentos: sex, ter mille sexcentos: quinq; ter mille: quatuor, bis mille quadringentos: duo, mille ducentos: vnū, sexcentos. vltimus ergo ex decem, recepit sexcentos. Arrianus * idem narrat, nisi quod addat vltimo trecentos esse Daricos promissos. Daricus aureus fuit duobus philippæis æstimatus, viginti enim drachmis argenteis permutabatur: drachma est denarius à decem assibus, qui duos victoriatos efficiebat. trecenti Darici continebant sexcentos philippæos: nomen à Dario non vltimo, nec proximo, sed primo rege Persarum accepit. Plura de nomine, origine, precio Darici ex varijs scriptoribus Græcis Matthæus Hostus de re numaria l. 5. n. 9. p. 765. Ita militis virtus etiam præmijs acuenda est.

VOLVNTATEM) Hoc faciunt gloriæ, non pecuniæ studiosi milites, pecunia interim non repudiata. Arrianus: *Qua quidem præmij spes Macedones etiam sua sponte concitatos magis accendit.*

Se-

Secvnda vigilia)hora noctis quarta. Nox in quaternas vigilias diuidebatur, singulis ternæ horæ dictæ, qua de re supra.

Cvm cvneos inter saxa defigerent)quibus insisterēt, paxillos, maiores clauos. Arriani narratio multū hucusq; cum Curtiana cōuenit; in postrema planè dissentit. Per glaciē & niues eluctatos illos Macedonas scribit, Curtius nullam niuis mentionem facit. *Collectis*, inquit Arrianus lib. 4. *ex omni numero eorum, qui conscendendis rupibus in obsidionibus adsueuerant, trecentis, præparatis paxillis ferreis, quibus tabernacula affixa erant, ita vt in niuem, vbi illa gelu constricta erat, aut ijs locis, qua niuem non habebant, defigere possent, validos funes illis alligant, noctuq; ad eum rupis partem, qua maximè prærupta arduaq; erat, atque ob id præsidio non indigere videbatur, sese conferunt, & palis partim in terram niue vacuam, partem in niuem ipsam, quà maximè congelata esset, defixis, ipsi se alias atque alia via in altum nitentes subleuant. Atque ex his quidem 30.* (Curtius numerat duos & triginta)*in ascensu perierunt, adeò vt ne corpora quidem ad sepulturam quæsita, inueniri possent, in altam nimirum niuium voraginem demersa. Reliqui cum sub lucem in verticem rupis euasissent, linteorum quassatione, Macedonum exercitui ascensus significationem dederunt.* Hæc paucis mutatis per Vulcanium interpretem Arrianus.

Illa vero miserabilis erat facies.)Similis planè locus est lib. sequente c. 21. in obsessa petra Aorni, *Multorum*, inquit, *miserabilis erat casus, quos ex prærupta rupe lapsos præterfluens hausit.* Lege, si placet, quæ sequuntur. Reliqua huius narrationis pleraque omnia ita lucent, vt aliena face non egeant, vnus locus est obscurior, de quo mihi cum Acidalio controuersia. Illa Curtij verba sunt: *Ille quamquam verebatur ne conspecta iuuenum paucitate, deturbarent eos barbari; tamen & fortuna sua confisus, & Arimazis superbia infensus nullam se conditionem deditionis accipere respondit.* Non sic, inquit Acidalius, scripsit Curtius, aut Cophes sensit. qui enim suæ hic confideret fortunæ? partium suarum potius, & ipsius regis. Atque ita omnino lego, *tamen & fortuna regis sui confisus.* Confirmat Acidalius hanc suam castigationem aliis Curtij similibus locis: l. 3. *Ignotum iter sine duce non audebat ingredi; felicitati tamen regis sui confisus, agrestes, qui duces itineris essent, excipi iussit.* Ita Acidalius. Ego omnia alia, omniaque illa Curtij verba. *Ille quamquam verebatur*, & quæ sequuntur vsque ad finem capitis & libri, ad ipsum Alexandrum, non ad Cophen legatum Alexandri, scripturamque veterem omnium codicum & manuscriptorum & vulgatorum seruo, legoque: *tamen & fortuna sua confisus.* In Alexandrum enim, non in Cophen legatum conueniunt. Nam Cophes non plùs habebat in mandatis, quàm vt Arimazen & barbaros petram insidentes ad deditionem compelleret. Quod ex eo apparet, missos esse cum Cophe ad Alexandrum triginta principes, qui de pacis & deditionis conditionibus agerent. Sed *ille*, inquit, Curtius, Alexander, inquam, quamquam vereretur ne à barbaris paucitas eorum qui verticem rupis occupauerant, animaduerteretur, eosque de petra deturbarent, tamen fortunæ suæ, quam sibi semper propitiam senserat, confisus, & Arimazis superbiæ infensus, negauit se vllam conditionem deditionis accipere, sed vt se omnes ipsius arbitrio permitterent. Proinde, Arimazes cùm inter spem & desperationem hæreret, in castra tamen descendit, quem cum propinquis omnibus, non Cophes, sed ipse rex in cruces agi iussit. Lector totum locum perpendat, & intelliget illa omnia ad regem, non ad Cophen referri debere.

Arimazi svperbiae.)An secundus casus *Arimazi*? cum suprà eundem casum pro tertio seu dandi casu posuerit. *Cophes missus suadere cœpit* Arimazi. Omnia tamē exemplaria præferunt hic Arimazi superbiæ. Strabo Græcè in secundo casu dixit: Ἀριαμάζῃ à recto Ἀριαμάζης, vel Ἀριάμαζος, ab Ἀριαμάζης dices in gignendi casu Ariamazæ, sicut à σατράπης σατράπα, Satrapes, Satrapæ, ab Ἀριάμαζος Ariamazi, quod huic loco conueniet. De Artabazo qui sequitur, plurima suprà. Cæterùm Arrianus longè diuersa à Curtio tradit; Nihil enim de cruciarijs, se multas ibi multorum vxores & liberos captos, atque inter has etiam Roxanem, quam postea rex duxit in vxorem, Oxyartæ filiam, de qua Strabo, Curtius, & alij in Sysimethræ petra, longè alia ab hac, postea capta, prodiderunt. Arrianus omnia ferè in vnum contulit, & vnum chaos confecit.

FINIS LIBRI SEPTIMI.



Q. CVRTII RVFI

HISTORIARVM ALEXANDRI MAGNI MACEDONIS

LIBER OCTAVVS.

SYNOPSIS HVIVS LIBRI.



Massagetis, Dahis, Sogdianis in potestatem redactis, rex venabundus leonem, & quatuor millia ferarum sternit. Clitum inclitum ducem sub cœna temulentus interficit, quod illum serò pœnitet. Bactrianos & Sysimithrem desertores & defectores persequitur. Philippus & Erigyus extinguuntur. Vxorem Spitamenis viri interfectricem Alexander execratur. In præfectos prouinciarum animaduertit: Prouincias mutatis prætoribus ab iniurijs vindicat. regis humanitas in militem, qui frigore obriguerat. Roxanem ducit vxorem. Callisthenes adulatores Alexandri reprimit, ipse in odium eiusdē incurrit. Coniurat Hermolaus, comprehenditur cum Callisthene: perorat contra Alexandrum: respondit Hermolao Alexander, & damnatum necari cum Callisthene iubet. India describitur. Aornus capitur. Omphis rex deditur. Porus ab Alexandro ingenti prælio superatus regno restituitur.

CAPVT I.

ARGVMENTVM.

Barbaros persequitur, Attinas cum 300. cæditur. Craterus offensam belli emendat.

Alexan-



Lexander maiore fama quàm gloria in ditionem redacta Petra, cùm propter vagum hostem spargendæ manus essent, in tres partes diuisit exercitum. Hephæstionem vni, Cœnon alteri duces dederat. ipse cæteris præerat. Sed non eadem mens omnibus barbaris fuit. armis quidam subacti, plures ante certamen imperata fecerunt, quibus eorum qui in defectione perseuerauerant, vrbes agrosq́ iussit attribui. At exules Bactriani cum octingentis Massagetarum equitibus proximos vicos vastauerunt. ad quos coercendos Attinas regionis eius præfectus trecentos equites insidiarum, quæ parabantur, ignarus eduxit. Namq́; hostis in siluis, & forte erant campo iuncta, armatum militem condidit, paucis propellentibus pecora, vt improuidum præda ad insidias perduceret. Itaque incomposito agmine, solutisq́ ordinibus Attinas prædabundus sequebatur: quem prætergressum siluam, qui in ea consederant, ex improuiso adorti cum omnibus interemerunt. Celeriter ad Craterum huius cladis fama perlata est: qui cum omni equitatu superuenit. Et Massagetæ quidem iam refugerant, Dahæ mille oppressi sunt, quorum clade totius regionis finita defectio est.

Liber hic Curtij ordine octauus, omnium longè nobilissimus, & rerum maiestate admirandus, & argumenti varietate iucundissimus, & fortunæ casuumque admirabilitate planè stupendus est. Namque in ipso statim libri vestibulo cæsus à Massagetis Alexandri præfectus cum trecentis Attinas, quorum cladem mox vltus Craterus ex Dahis Massagetarum asseclis mille trucidauit. Tum deinde, post auditam Scytharum legationem, iucundissima Alexandri venatio, qua immanem leonem vno, sed ingenti vulnere prostrauit. Hanc indignissima Cliti sub ipso epulo cædes insecuta, regisque lacrymæ, pœnitudo & vltimus dolor. Sequitur Sysimithris cum ardua petra deditio. tum luctuosa Philippi Lysimachi fratris & Erigyi mors. Spitamenis per vxoris parricidium interitus. Inde grauissimæ itinerum molestiæ, tempestates & ærumnæ, quas rursum lætissima regis cum Roxane excepere nuptiarum gaudia. Quibus successere odiosa Alexandri superbia, & stulta diuinitatis affectatio, quam Callisthenes sanctissimus philosophus acerrimè oppugnauit. Hermolai postea coniuratio & vltimum regis periculum. Supplicium coniuratorum & Callisthenis inuidiosissima cædes. expeditio in Indiam, Indiæque descriptio, & grauissimum cum Poro prælium ac victoria. Hæc omnia tam luculenter, eleganter, prudenter & copiosè describit Curtius, vt non modò teneat lectorem, sed planè capiat & rapiat.

ALEXANDER MAIORE FAMA QVAM GLORIA IN DIT. RED. PETRA.) Quia non regijs virtutibus, sed vel proditione, vt Strabo est auctor, vel arte Græca & panico terrore, vt docet Curtius, est occupata. Quæ tamen apud barbaros eam opinionem habuit, & famam, quasi nihil sit Macedonibus inexpugnabile.

HEPHAESTIONEM VNI, COENON ALTERI DVCES IPSE CAETERIS.) Vbi Craterus? equitatum duxit, vt mox sequitur.

MASSAGETARVM) Horum l. 4. c. 28. mentio fuit. Gens Scythica cui olim regina Tamyris, seu Thamiris, seu Thameris, seu Tomyris, cum summo imperio præfuit, & Cyri regis copias ad internecionem deleuit, vt ne nuncius quidem cladis, vt Iustinus testatur, superesset. De moribus gentis prodidere Herodotus in Clio. *Quæ gens*, inquit per Vallam interpretem, *fertur & magna esse &* Herodot.
strenua, ad auroram solisq́ ortum sita, trans Araxem fluuium è regione Issedonorum. Sunt etiam qui eam l. 1. sub fin.
Scythicæ nationis esse dicant. Subijcit deinde Tomyris victoriam; & huic, mores Massagetarum & armorum habitum. Eosdem Strabo inter Scythas recenset Orientem spectantes, moresq́; copiosè describit, vt & Eustathius ad Dionysium. Quæ si velim huc transferre, iustum propè volumen efficiam, Strab. 11.
tute lector indigitatum locum, si vacat, cognosce. Plurima de Massagetarum voce, nomine, origine, varia sede Goropius ex instituto in Gothodanicis lib. 7. p. prima, quæ est in volum. toto, p. 173. & seq. sicut de Dais, Sacis, & Sagis in Saxonicis.

CVM OMNIBVS INTEREMERVNT.) Eodem modo supra Menedemus cum suis, sed longè pluribus, insidijs à Spitamene exceptus interijt. In hac autem Attinatis velitatione Python captus p. 90.
est, Aristonius interemtus. Plenius omnia Arrianus, quem videbis. Curtius Massagetas euasisse cædem affirmat aduentante Cratero. Arrianus negat, aitque ferro concisos.

CA-

CAPVT II.

ARGVMENTVM.

Legati varias gentes dedunt. Scythæ petunt connubia Macedonum. Rex Bazariam ingreditur, quæ describitur. Venatio Alexandri & epulum.



* Chorasmijs.

*Lexander quoque Sogdianis rursus subactis, Maracanda repetit. Ibi Penides, quem ad Scythas super Bosphorum colentes miserat, cum legatis gentis occurrit: Phrataphernes quoque, qui praerant * Choris, Massagetis & Dahis regionum confinio adiunctis miserat, qui facturum imperata pollicerentur. Scythæ petebant, vt regis sui filiam matrimonio sibi iungeret. Si dedignaretur affinitatem, principes Macedonum cum primoribus suæ gentis connubio coire pateretur. ipsum quoque regem venturum ad eum pollicebantur. Vtraque legatione benignè audita, Hephæstionem & Artabazum opperiens statiua habuit: quibus adiunctis, in regionem, quæ appellatur Bazaria, peruenit. Barbaræ opulentiæ in illis locis haud vlla sunt maiora indicia, quàm magnis nemoribus saltibusq; nobilium ferarum greges clusi. Spatiosas ad hoc eligunt siluas, crebris perennium aquarum fontibus amœnas. Muris nemora cinguntur, turresq; habent venantium receptacula. Quatuor continuis ætatibus intactum saltum fuisse constabat: quem Alexander cum toto exercitu ingressus agitari vndiq; feras iussit. Inter quas cum Leo magnitudinis raræ ipsum regem inuasurus incurreret, fortè Lysimachus, qui postea regnauit proximus Alexandro, venabulum obiicere feræ cœperat. Quo rex repulso & abire iusso, adiecit, tam à semet vno, quàm à Lysimacho leonem interfici posse. Lysimachus enim quondam, cùm * venarentur in Syria, occiderat quidem eximiæ magnitudinis feram solus, sed læuo humero vsque ad ossa laceratus, ad vltimum periculi peruenerat. Id ipsum exprobrans ei rex, fortiùs quàm locutus est fecit. nam feram non excepit modò, sed etiam vno vulnere occidit. Fabulam quæ obiectum leoni à rege Lysimachum temerè vulgauit, ab eo casu (quem suprà diximus) ortam esse crediderim. Cæterùm Macedones, quamquam prospero euentu defunctus erat Alexander, tamen sciuêre gentis suæ more ne pedes venaretur sine delectis principum amicorumq; ille 4. millibus ferarum deiectis, in eodem saltu cum toto exercitu epulatus est.*

* Al. venaretur, venarentur, intellige Macedones. venaretur: Lysimachus nempe. vtraque Scriptura commodū sensum habet.

MARACANDA.) Regiam Sogdianorum, de qua l.7.c.15.& 18.

PENIDES.) *Penides* lege, non *Peinden*, vt in vltima editione per operarum sphalma peccatum est. iungitur enim rectus casus cum verbo *occurrit*. Codices alii Berdes habent, sed idem est, qui supra l.7.c.15. itaque vel vtrobique legendum *Berdes*, vel vtrobique *Penides*.

AD SCYTHAS SVPER * BOSPHORVM.) hoc, cap.15 libri prioris narrauit.

* Bosporum. lib. hoc, cap 8.

PHRATAPHERNIS.) De hoc leges lib.6.c.8. triginta hinc stadia processerat, cum Phrataphernes illi occurrit, seque & eos qui post Darij mortem profugerant, dedens. Satrapa Darij fuit ab Alexandro postea Hyrcanis, Mardis & Tapyris præfectus, cui post mortem Alexandri cessit Hyrcania & Parthia, vt est apud Diodorum Siculum lib.18.n. IↃCXXVIII. Interea * Choros, Massagetas & Dahas, vt hic legis, rexit.

* Chorasmios.

CHORIS.) Qui (malum) sunt isti *Chori* extra omnem chorum in Vtopia nati & fabricati. Nullam ego hoc nomine gentem apud vllum geographum aut scriptorem lego. Modius nouus Prometheus nouam gentem è cerebro finxit. In exemplaribus antiquis ea vox omnino abest, imò etiam in nouis quibusdam, & nuper apud Allobroges anno 1618. eulgatis, Modius è Ms. hos formauit. Hæc, inquit, coniectura ita restitui, cùm antea sic legerentur. *Phratafernes quoque qui praierat Massagetis & Dabis regionum confinio adiunctis miserat, qui facturum imperata polliceretur.* Non rectè vt apparet, itaque audi membranas, *Phratafernes quoque, qui * Choras praierat Massagetis & Dabis regionum confinio*

* ita quidē & Constātiensis MS. habet, sed mendosè.

finio adiunctus, miserat qui facturum imperata pollicerentur. Ex his Modius hanc lectionem constituit: *Phratafernes quoque qui praerat Choris, Massagetis & Dahis regionum confinio adiunctis miserat, qui facturum imperata pollicerentur.* Hanc ego Modij emendationem omnibus alijs mendosiorem censeo. Primum quia *Chori* nulli sunt; deinde si coniungas has tres gentes hoc ordine *Choris, Massagetis, & Dahis confinio adiunctis*. quæro quibus fuerint adiuncti? legendum potius *conuncti*, seruo tamen *adiunctu*, sed ordinem verborum commoto, totumque locum hoc modo recognosco & colloco: *Phratafernes quoque qui Chorasmijs praerat, Massagetis & Dahis confinio adiunctu, miserat qui facturum imperata pollicerentur.* vt sententia sit, Phratafernes, qui Chorasmijs præerat, adiunctis etiam ob confinium Massagetis & Dahis, miserat, qui pollicerentur imperata facturum. Rescripsi autem *Chorasmijs* pro *Choris*, quod *Chori*, vt dixi, nulli sint, sed Chorasmij, Dahis & Massagetis vicini. Strabo in XI. Τῶν δὲ τῶν Μασσαγετῶν καὶ τῶν Σακῶν ἔθνος καὶ οἱ Ἀττάσιοι (siue vt Casaubonus emendat, Αὐγάσιοι) καὶ Χωρασμίσσενοι (Χωράσμιοι rectè legit & emendat Casaubonus) εἰς οὓς ἀπὸ τῶν βακτριανῶν καὶ τῶν Σογδιανῶν ἔφυγε Σπιταμένης. De Massagetarum & Sacarum gente sunt etiam Attasij (siue Augasij) & Chorasmusini, siue Chorasmij, ad quos è Bactrianis & Sogdianis fugit Spitamenes. Cùm ergo in membranis apud Modium & MSS. alijs legas, *Choras* pro *Chorasmijs*, facilè deprehendis ex ipso compositionis ordine, deperditas esse duas vltimas syllabas, legendumque, *qui Chorasmijs praerat.* Cæterùm cum Sogdianis, Parthis & Gandarijs etiam Herodotus coniungit Chorasmios, & in Thalia lib. 3. *Parthi*, inquit, Chorasmijque & Sogdi, & Arij trecenta talenta. In Polymnia l. 7. n. 66.

Suffragatur his Hecatæus in periegési Asiæ apud Stephanum περὶ πόλεων. vbi obseruabis primam litteram ο, non ω, scribi apud Herodotum, Hecatæum & Stephanum. ἐν δὲ αὐτοῖς πόλις χορασμίη, αὐτοὶ δὲ χοράσμιοι Πάρθων πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα. χοράσμιοι οἰκοῦσι. Apud Strabonem vltima vocali dicuntur χωράσμιοι. Arrianus eosdem Chorasmios Chorasmenos appellat, eorumque regem Pharasmanem ait cum mille quingentis equitibus ad Alexandrum venisse, auxiliaque in Cholchos & Amazonas promisisse, de quo multa Goropius in Gothodanicis. Nos ad Curtium redeamus.

BAZARIA.) Nusquam extra Curtium hanc regionem apud vllum scriptorem reperio, neque enim est Bazira Arriani ad Indum neque Bezira. Neque in huius regionis quantumuis opulentæ voce opes Græciæ sitæ sunt. Frustra Glareanus hanc à Plinio, nomine Margianæ comprehensam ab illo facit.

CLVSI.) *Clusi* vulgares, chirographæ chartæ *clusi*, hoc est, circumdati: neque vox est quæsita, aut insolens, aut affectata pro *claudere*, ἀδιαφόρως enim ab optimis scriptoribus tam poetis quam oratoribus vsurpatur, adeoque ab ipso Cicerone, Varrone, Iustino & alijs, nec pluribus opus.

QVATVOR CONTINVIS AETATIBVS.) Quæras hic quot annis vna ætas extendatur? an quatuor secula intelligat Curtius, hoc est, quadringentos annos, an centum tantùm & viginti, vt vna ætas complectatur triginta duntaxat annos. Nata est hæc dubitatio ex Homeri versibus de ætate Nestoris:

τῷ δ' ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων
ἐφθίαθ', οἵ οἱ πρόσθεν ἅμα τράφεν ἠδ' ἐγένοντο
ἐν Πύλῳ ἠγαθέῃ, μετὰ δὲ τριτάτοισιν ἄνασσεν.
Illi iam duæ quidem ætates varielinguium hominum
Defecerant, quia cum ipso antea simul nutriti sunt & geniti
In Pylo diuina, inter tertios verò regnabat.

Veteres Græci ætatem hominis triginta annis definierunt, vt est apud Porphyrium in quæstionibus Homericis, & Eustathium ad hunc Homeri locum. Herodotus aliquantulum extendit tres has ætates, easque centum annis circumscribit, cum alij non nisi nonaginta ijs tribuant. Ita Nestor qui tres ætates vixit, nonaginta annis vixisset, Herodoto centum. Latini tres ætates siue γενεὰς Homeri, tria secula interpretantur, siue trecentos annos. Sic apud Næuium in Alcesti Nestor *trisæclisenex* appellatur, qui Græcis etiam τριγέρων dictus est, hoc est, ter senex.

Ouid. XII. met.

——— at si quem potuit spaciosa senectus
Spectatorem operum multorum reddere, vixi
Annos bis centum, nunc tertia viuitur ætas.

Tibullus.

Vixerit ille senex quamuis dum terna per orbem
Secula fertilibus Titan decurrerit horis.

Pro-

Propertius:

Nestoris est visus post tria secla senex.

Iuuenal.

Rex Pylius, magno si quicquam credis Homero,
Exemplum vitæ fuit à cornice secunda.

Lucianus eundem Homeri de Nestore locum trecentos annos ἐν μακροβίοις explicat: Tiresiam vatem sexcentis annis vixisse testatur. Plinius multos Macrobios ex Græcis scriptoribus collegit, è quibus nonnullos ait sexcentesimum, alios etiam octingentesimum attigisse, sed fidem Græcis abrogat, ac Latinos tanquam certos subijcit. Interim nulli centesimum quinquagesimum superarunt. In Oriente apud Indos hodie docent annales adhuc superesse, qui iam trecentesimum excesserunt. Sed de hac disputatione ætatum copiosissimè disserit Franciscus Flodus Sabinus in secundo lect. subseciuarum c. 3. quem, si vacabit, non sine eruditionis fructu cognosces. Ego hic quatuor Curtij ætates ad quatuor secula, seu quadringentos annos extendo, quibus Bazariæ saltus & nemora muris circumdata à venatoribus intacta fuisse tradit. Vnde mirum non est tantam ferarum copiam ab Alexandro prostratam, ac tam immanes ibi feras & leones eidem occurrisse.

Extat apud Ian. Grut. Thes. Crit. tom. primo pag. 1097. & seq.

AGITARI VNDIQVE FERAS IVSSIT.) Studiosissimi venationis erant Macedones de quibus Hegesander apud Athenæum dipnosoph. primo scripsit: οὐδὲ ἔθος εἶναι ἐν Μακεδονίᾳ κατακλιθῆναι τινὰ ἐν δείπνῳ, εἰ μὴ ἔξω τῶν λίνων ὗν κεντήσειεν· ἕως δὲ τότε, καθήμενοι δειπνεῖν. Κάσανδρος οὖν πέντε καὶ τριάκοντα ὢν ἐτῶν ἐδείπνει παρὰ τῷ πατρὶ καθήμενος, οὐ δυνάμενος τὸ ἆθλον ἐκτελέσαι, καίπερ ἀνδρεῖος γεγονὼς καὶ κυνηγὸς ἀγαθός. *Apud Macedonas neminem in cœna accumbere solitum, qui aprum extra retia non interemisset, verùm sedentes cœnasse, quoad feram confecissent, ideoq; Cassandrum iam natum annos quinque & triginta, sedentem cum patre cœnasse, quod nondum defungi eo certamine potuisset, quamuis & validus & peritus venator.*

LYSIMACHVS, QVI POSTEA REGNAVIT.) De hoc Lysimacho multa narratio infra erit; hic præsentem duntaxat locum exponemus. Iustinus vice interpretis erit, *Erat*, inquit, *hic Lysimachus illustri quidem Macedonia loco natus, sed virtutis experimentis omni nobilitate clarior: qua tanta in illo fuit, vt animi magnitudine philosophia ipsa, viriumq; gloria omnes per quos Oriens domitus est, vicerit.* De regni quoque insignibus ab Lysimacho sumptis idem supra: *Quibus auditis* (Antigonum, Demetrium, Ptolemæum, regium sibi nomen vindicasse) *Cassander & Lysimachus, & ipse regiam sibi maiestatem vindicauit. Huius honoris ornamentis tamdiu omnes abstinuerunt, quamdiu filij regis sui superesse potuerunt. Tanta in illis verecundia fuit, vt cum opes regias haberent, regum tamen nominibus æquo animo caruerint, quoad Alexandro iustus hæres fuit.* De auspicijs porrò eiusdem, quibus illi regnum desponsum videbatur, idem ita prodidit: *postea in India insectanti regi (Alexandro) quosdam palantes hostes, cùm à satellitum turba equi sui celeritate desertus esset, solus ei per immensas harenarum moles cursus comes fuit. Quod idem antea Philippus frater eius cum facere voluisset, inter manus regis exspirauerat. Sed Lysimachum desiliens equo Alexander hastæ cuspide ita in fronte vulnerauit, vt sanguis aliter claudi non posset, quam diadema sibi demptum rex, alligandi vulneris caussa capiti eius imponeret. Quod auspicium primum regalis maiestatis Lysimacho fuit.* Fuit rex Thraciæ, Chersonesi, & populorum Thracibus finitimorum vsque ad Salmydessum Euxini ponti, ferocissimarum nempe fortissimarumque gentium imperator, vt est apud eundem Iustinum, Arrianum, Curtium & alios, de quibus infrà ad lib. 10. Curtij.

lib. 15.

lib. 15.

cap. 15.

OBIICERE FERAE VENABVLVM COEPERAT.) Ita Hermolaus infrà verberibus etiam iussu regis castigatus, quod aprum, quem rex ferire destinarat, telo occupasset, vnde coniuratio in cædem regis orta.

FABVLAM, QVAE OBIECTVM LEONI A REGE LYSIMACHVM TEMERE VVLGAVIT.) Atqui negant fabulam Seneca, Pausanias, Plinius, Iustinus; singulos audiamus.

lib. 3. c. 23.

Sen. de ira: *Nam Lysimachum æquè familiarem sibi, leoni obiecit. Nunquid ergo hic Lysimachus, felicitate quadam dentibus leonis elapsus, ob hoc cum ipse regnaret mitior fuit?* Subijcit deinde de hoc Lysimacho plura, quæ alio fortasse loco tradentur. Idem de Clementia: *Quid enim interest, oro te Alexander, leoni Lysimachum obijcias, an ipse laceres dentibus tuis? tuum illud os est, tua illa feritas. O quàm cuperes tibi potius vngues esse, tibi rictum illum edendorum hominum capacem.*

lib. 2. c. 25.

In Attic. n. 8.

Pausanias: *Fuit Lysimachus natione Macedo, Alexandri satelles, quem rex ira incensus in eandem cum leone caueam conijci iusserat. Sed cum ab eo bestiam exanimatam intellexisset, viri perpetua admiratione virtutem prosecutus, eodem illum, quo optimum quemque è Macedonibus loco esse voluit. Mortuo verò Alexandro et Thraciæ parti, quæ Macedoniæ finitima est, imperauit.* Multa his alia addit infrà collocanda.

Plinius

Plinius etiam his suffragatur: *Quo minus mirum fit, à Lysimacho Alexandri iussu simul incluso strangulatum leonem.* l. 8. c. 16.

Iustinus * prolixius prosequitur omnia, additque propinatum à Lysimacho Callistheni venenum in remedium calamitatum, indeque leoni obiectum ipsum Lysimachum. l. 15.

Veri ergo similius est, quod tam multi narrant de Lysimacho non fabulam fuisse. De hac theromachia Plutarchus in Alexandro: *Igitur laborem intendi in expeditionibus & venationibus subigens corpus suum & periculis exponens, vt Laconlegatus qui assistebat cum conficeret grandem leonem, diceret: Macte Alexander, istorum leone de regno pugna. Hanc venationem Craterus Delphis dedicauit, ac simulacra ex are leonis, canum, regis cum leone congressi, & suum ei succurrentis facienda locauit, quorum Lysippus partem Leochares fecit.*

SCIVERE GENTIS SVAE MORE) Multas Macedones per se absque regis auctoritate leges condicere, quæ tamen pleræque ad regiam maiestatem tuendam pertinebant. vt suprà l. 5. cap. 6. *Amyntas adduxerat L. principum Macedonia liberos adultos ad custodiam corporis, quippe inter epulas hi sunt regis ministri, idemque equos, ineunti prælium, admouent, venantemque comitantur, & vigiliarum vices ante cubiculi fores seruant, magnorumque præfectorum & ducum hac incrementa sunt & rudimenta.* Et infra lib. hoc c. 13. *Mos erat vt supra dictum est) principibus,* & quæ sequuntur. Et lib. 6. c. 16. *De capitalibus rebus vetusto Macedonum modo inquirebat exercitus: in pace erat vulgi: nihil potestas regum valebat, nisi prius valuisset auctoritas.* & quæ sequuntur. Ita ergo & hic decreuere proceres Macedoniæ qui cum rege erant, more gentis suæ, vti rex deinceps nunquam pedes venaretur, sine delectis principum amicorumque. Ex quo discis feram hic immanem ab Alexandro pedite non equite confectam.

QVATVOR CID. FER. DEIECTIS) Obserua cum Acidalio hic vim vocis *deiecti* non proculcatum vsum, qui & lib. 3. *Omnis ætatis ac memoria clarissimum regem non in acie saltem, non ab hoste deiectum, sed abluentem aqua corpus ereptum esse.* Acidal. p. 98. n. 115.

Et apud Horat.

---- milite nam tuo
Drusus Genaunos, implacidum genus
Breunosque veloces & arces
Alpibus impositas tremendis
Deiecit acer plus vice simplici.

CAPVT III.

ARGVMENTVM.

Narratio de Clito inter epulas ab Alexandro ob linguæ intemperantiam occiso.



IN de Maracanda reditum est, acceptaque ætatis excusatione ab Artabazo prouinciam eius destinat Clito. Hic erat qui apud Granicum amnem regem nudo capite dimicantem clypeo suo texit, & Rhosacis manum capiti regis imminentem gladio amputauit; vetus Philippi miles multisque bellicis operibus clarus. Hellanice, quæ Alexandrum educauerat, soror eius, haud secus quam mater à rege diligebatur. Ob has caussas validissimam imperij partem fidei eius tutelæque commisit. Iamque iter parare in posterum iussus, sollenni & tempestiuo adhibetur conuiuio. In quo rex cum multo incaluisset mero, immodicus æstimator sui, celebrare quæ gesserat, capit, grauis etiam eorum auribus qui sentiebant vera memorari. Silentium tamen habuêre seniores, donec Philippi res orsus obterere, nobilem apud Cheroneam victoriam sui operis fuisse iactauit, ademptaque sibi malignitate & inuidia patris tantæ rei gloriam. Illum quidem seditione inter Macedones milites & Græcos mercenarios orta, debilitatum vulnere,

quod in ea consternatione acceperat, iacuisse non aliàs quàm simulatione mortis tutiorem: & corpus eius protexisse clypeo suo, ruentesque in illum sua manu occisos. quæ patrem nunquam æquo animo esse confessum inuitum filio debentem salutem suam. Itaque post expeditionem, quam sine eo fecisset ipse in Illyrios, victorem scripsisse se patri fusos fugatosque hostes, nec affuisse vsquam Philippum: Laude dignos esse non qui Samothracum initia viserent cùm Asiam vri vastarique oporteret, sed eos qui magnitudine rerum fidem antecessissent. Hæc & his similia læti audiêre iuuenes: ingrata senioribus erant, maximè propter Philippum, sub quo diutius vixerant. Cum Clitus, ne ipse quidem satis sobrius, ad eos qui infra ipsum cubabant, conuersus, Euripidis retulit carmen, ita vt sonus magis quàm sermo exaudiri posset à rege, quo significabatur, male instituisse Græcos, quod tropæis regum duntaxat nomina inscriberent: Alieno enim sanguine partam gloriam intercipi. Itaque rex cum suspicaretur malignius habitum esse sermonem, percontari proximos cœpit, quid ex Clito audissent. Et illis ad silentium obstinatis, Clitus paullatim maiore voce Philippi actaque bellique in Græcia gesta commemorat, omnia præsentibus præferens. Hinc inter iuniores senioresque orta contentio est. Et rex velut patienter audiret, quis Clitus obterebat laudes eius, ingentem iram conceperat. Cæterum cum animo videretur imperaturus si finem procaciter orto sermoni Clitus imponeret, nihil eo remittente, magis exasperabatur. Iamque Clitus etiam Parmenionem defendere audebat, & Philippi de Atheniensibus victoriam, Thebarum præferebat excidio, non vino modò, sed etiam animo praua contentione prouectus. Ad vltimum, Si moriendum, inquit, est pro te, Clitus est primus, at cum victoriæ arbitrium agis præcipuum ferunt præmium, qui procacissimè patris tui memoriæ illudunt. Sogdianam regionem mihi attribuis, toties rebellem, & modò indomitam, sed quæ ne subigi quidem possit. Mittor ad feras bestias præcipitia ingenia sortitas. Sed quæ ad me pertinent, transeo. Philippi milites spernis, oblitus, nisi hic Atharias senex iuniores pugnam detrectantes reuocasset, adhuc nos circa Alicarnassum hæsuros fuisse. Quomodo igitur Asiam etiam cum istis iunioribus subiecisti? verum est (vt opinor) quod auunculum in Italia dixisse constat, ipsum in viros incidisse, te in fœminas. Nihil ex omnibus inconsultè ac temerè iactis regem magis mouerat, quam Parmenionis cum honore mentio illata. Dolorem tamen repressit, contentus iussisse vt conuiuio excederet. Nec quidquam aliud adiecit, quam forsitan eum (si diutius locutus foret) exprobraturum sibi fuisse vitam à semetipso datam: hoc enim superbè sæpè iactasse. Atque illum cunctantem adhuc surgere, qui proximi ei cubuerant, iniectis manibus vrgentes monentesque conabantur abducere. Clitus cum abstraheretur, ad pristinam violentiam ira quoque adiecta, suo pectore tergum illius esse defensum, nunc postquam tanti meriti præterierit tempus, etiam memoriam inuisam esse proclamat. Attali quoque cædem obiiciebat: & ad vltimum, Iouis quem patrem sibi Alexander assereret, oraculum eludens, veriora se regi quam patrem eius respondisse dicebat. Iam tantum iræ conceperat rex, quantum vix sobrius ferre potuisset. Enimuero olim mero sensibus victis, ex lecto repente prosiluit. Attoniti amici ne positis quidem, sed abiectis poculis consurgunt, in euentum rei quam tanto impetu acturus esset intenti. Alexander rapta lancea ex manibus armigeri, Clitum adhuc eadem linguæ intemperantia furentem percutere conatus, à Ptolemæo & Perdicca inhibetur. Medium complexi & obluctari perseuerantem morabantur. Lysimachus & Leonatus etiam lanceam abstulerant. Ille militum fidem implorans, comprehendi se à proximis amicorum, quod Dario nuper accidisset, exclamat, signumque tuba dari, vt ad regiam armati coirent, iubet. Tum verò Ptolemæus & Perdiccas genibus aduoluti orant, ne in tam præcipiti ira perseueret, spatiumque potius animo det: omnia postero die iustius exsecuturum. Sed clausæ erant aures, obstrepente ira. Itaque impotens animi procurrit in regiæ vestibulum, & vigili excubanti hasta ablata, constitit in aditu, quo necesse erat iis qui simul cœnauerant, egredi. Abierant cæteri, Clitus vltimus sine lumine exibat. Quem rex quisnam esset interrogat. Eminebat etiam in voce sceleris, quod parabat, atrocitas. Et ille iam non suæ, sed regis iræ memor, Clitum se esse & de conuiuio exire respondit. Hæc dicentis latus hasta transfixit, moriensque sanguine aspersus, I nunc, inquit, ad Philippum, & Parmenionem, & Attalum.

Gra-

Grauiſſimum & illuſtriſſimum hoc caput eſt de cæde Cliti, quæ Clitum celebriorem fecit, quã omnia facta eius priora, dolorem autem Alexandro creauit tantum, vt nollet viuere, inuidiamque peperit apud omnem poſteritatem nunquam extinguendam.

AETATIS EXCVSATIONE) Iam enim proximè centeſimum erat Artabazus. Petræ & Sogdianæ prouinciæ Satrapes ab Alexandro conſtitutus. De hoc plurima ſuperioribus libris. Indicem inſpice.

PROVINCIAM EIVS DESTINAT CLITO) parum illi gratam propter intractabilia incolarũ ingenia, mores aſperos, vitia feris quam hominibus propria. ita teſtatur ipſe Clitus: *Sogdianã regionem mihi attribuis, toties rebellem & non modò indomitam, ſed quæ nec ſubigi quidem poſſit. Mittor ad feras beſtias præcipitia ingenia ſortitas.* Latini nunc Clytum vocali græca, nunc Clitum ſimplici i ſcribunt, Arrianus, Plutarchus, Diodorus diphtongo, ει, Κλεῖτον dixere. Ita Latinè emendatius ſimplici i prouinciatur & ſcribitur, ſicut βασίλειος Baſilius, & hoc genus alia, quod ipſum i ſubinde per ẽ efferunt, vt λαοδίκεια Laodicea.

HIC ERAT QVI APVD GRANICVM AMNEM) *In id,* inquit Mela, *Granicus effunditur, pugna quæ primum inter Perſas & Alexandrum fuit nobilis.* Curtius etiam, *Sic Granicum tot millibus equitum peditumque in vlteriore ſtantibus ripa ſuperauit. Aſiæ minoris fluuius eſt, ex Ida monte profluens.* Strabo in 13. *Inter Aeſepum & Priapum Granicus fluit, maiori parte per Adraſtea campum. Ad hunc amnem Alexander Satrapas Darij, prælio deuicit, ac quicquid Aſiæ eſt intra Taurum atque Euphratem ſuum fecit.* Ptolemæus cum Homero Grenicum γρήνικον appellat. Sed η, nunc in ε, nunc in α, apud Latinos mutatur, ſæpius in e, Philometor, Diomedes Ariſtodemus. mater tamen è Græco eſt, ſed Dorico. cap. 19. l. 4. c. 23.

NVDO CAPITE REGEM DIMICANTEM CLYPEO SVO TEXIT) ita gloriatur ipſe mox infrà: *ſuo pectore tergum regis defenſum.* Et apud Plutarchum: *Atqui hac,* inquit, *te timiditas dijs prognatum à Spithridatis gladio terga iam dantem vindicauit.* Ita quoque apud Arrianum idem Clitus Παρωνήσαντα ἤδη τὸν Κλεῖτον τάτε ἄλλα καὶ πολλὴν εἶναι ἐξονειδίζοντα Ἀλεξάνδρῳ, ὅτι πρὸς αὐτοῦ ἄρα ἐσώθη ὅτε ἡ ἱππομαχία ἡ ἐπὶ γρανίκῳ ξυνέστηκει πρὸς Πέρσας. Καὶ δὴ τὴν δεξιὰν τὴν αὐτοῦ σοβαρῶς ἀνατείναντα. αὕτη τοι ἡ χείρ (φάναι) ὦ Ἀλέξανδρε ἐν τότε ἔσωσε. *Clitum iam vino furentem cum alia, tum exprobraſſe Alexandro quod in equeſtri prælio ad Granicum aduerſus Perſas ab ipſo ſeruatus eſſet, ſimulque dextra arroganter expanſa dixiſſe: Hac manus Alexander te ſeruauit.*

Rem ad Granicum geſtam ita ferè tradidit Diodorus, quæ in Curtio deſideratur, nonnihil ab ipſis Curtij verbis, hic Alexandrum nudo capite dimicaſſe affirmantis, diſcrepans, quando illum caſſide induit, hic nudat, niſi dicas Alexandrum galeâ ab Roſace ictu perfracta tum demum nudo capite pugnaſſe: Diodorus in hac narratione multus eſt, quem adibis.

Arrianus etiam galeatum affirmat, ſed diuerſa ab vtroque narrat. Non ponam hic longam Arriani deſcriptionem prælij: ea tantum quæ huc faciunt, accipe, cætera ſi vacas, tute lege. *Qua haſta arrepta Mithridatem Darij generum longè ante alios equo prouectum conſpicatus, equitum exiguo comitatu aſſumto, ipſe etiam alios anteuertens eques in eum fertur, atque ora traiectum proſternit. Ibi Rœſaces in Alexandrum inuectus ſecuri caput eius ferit, galeaque nonnihil diffracta ictus irritus reſilijt: Hunc etiam Alexander ſternit, haſta per thoracem in pectus icta: Iamque Spithridates in Alexandrum altè à tergo ſecurim ſuſtulerat, quum Clitus Dropidis filius ſecuri in eius humerum adacta, brachium ei diſcidit.* Ergo Arrianus Spithridati brachium à Clito præciſum ait, non Roſici vel Rhœſaci, vt ab Arriano appellatur. Nec omittendus hic Plutarchus, qui ſingillatim quædam enucleatius exprimit, & Clitum hunc Magnum cognominat, niſi cum Diodoro legas μέλας non μέγας, mendum eſt vel apud hunc, vel Diodorum. *Cum multi,* inquit interpres, *imminerent illi (erat enim peltâ inſignis & galea iubâ, quæ hinc inde pinnas directas habebat candore & magnitudine ſingulari) iaculo ſub lorica compagine percuſſus non accepit vulnus. At Rhœſace & Spithridate ducibus ſimul in ipſum inuehentibus hunc declinauit, Rhœſaci præuenit lanceam loricato infligere. Ea præfracta gladium ſtrinxit. His commiſſis, adigit Spithridates ex latere equum, atque Alexandrum acriter adortus copide barbarica ferit, criſtamque cum altera auellit pinna. Galea probè quidem ſed ægre tamen reſtitit ictui, ac mucro copidis ſupremos capillos eius perſtrinxit. Alterum ictum librantem occupauit Clitus * magnus haſtâ medium transfigere: ſimul Rhœſaces enſe ab Alexandro ictus concidit.* l. 1. p. 16. p. 9. & 10. * Niger.

MVLTISQVE BELLICIS OPERIBVS CLARVS) etiam pictoribus non ignotus: certè apud Plinium Appelles in bellum properantem, & arma ab armigero petentem ex penicillo expreſſit. Arrogantiam huius eiuſdem reor notauit Plutarchus in 2. de fort. Alex. *Ecce tibi,* inquit, *Clitus ad Amorgum tribus, aut ad ſummum quatuor depreſſis Græcorum nauibus, tridentem geſtans, Neptunum vocari ſe paſſus eſt.* l. 35. c. 10. p. 57.

HELLANICE SOROR EIVS) hæc nutrix Alexandri fuerat alteraque parens, Lanice Arriano, capite diminuto, vt Acidalius verè meo animo veriùs Hellanice.

VALIDISSIMAM IMPERII PARTEM) Sogdianam prouinciam, vti dixi.

SOLENNI ET TEMPESTIVO CONVIVIO) Tempestiua conuiuia appellant, quæ certo diei tempore aguntur apparatiora, in multam noctem cum pluribus amicis producta, eoque sensu Cicero vocem accepit in oratione pro Archia poeta, & in Catone. Sed hoc Alexandri tempestiuum conuiuium planè versum est in intempestiuum, & potius Centaurorum ac Lapitharum prælium. De intempestiuis conuiuijs plura suprà lib. 6. c. 2. De toto porro genere conuiuiorum intempestiuorum copiosè disputauit Aldus Manutius Pauli F. Aldi nepos l. 1. de quæsitis per epistolas c. 5. quem videbis. Extat in Thes. Critico Gruteri tom. 4. p. 201.

CELEBRARE QVAE GESSERAT CAEPIT) turpis iactantia. Homer.

---- οὐ μὲν καλὸν ὑπέρβιον εὐχετάασθαι.

Haud sanè pulchrum est sese iactare superbè.

μὴ μεγάλα λέγε, inquit Diogenes.

Ne magna loquaris.

GRAVIS ETIAM EORVM AVRIBVS, QVI SENT. VERA MEMORARI)

πολλοί τοι μισῶσι ἂν σαυτὸν φιλῇς

Multi te oderint si te ipsum laudas.

NOBILEM APVD CHAERONEAM VICTORIAM) De Chæronea Bœotię vrbe Stephanus περὶ πόλεων. Χαιρώνεια πόλις πρὸς τοῖς ὅροις Φωκίδος. Εκαταῖος Εὐρώπῃ. ἐνδὶ χαιρώνεια πόλις. τὸ πρῶτον ἐκαλεῖτο ... ἀπὸ χαίρωνος. Αριστοφάνης ἐν Βοιωτιακῶν δευτέρῳ, λέγεται δ᾽ ὅπως ἦν γενέσθαι τὸ π... λισματος χαίρωνα, τὸ τε ... μυθολογοῦσιν Απόλλωνος καὶ Θηρῦς, ὡς Ελλάνικος ἐν δευτέρῳ ἱερειῶν ἥρας. Et paullò pòst, ἐκαλεῖτο οἷ ... καὶ Αρνη τὸ ἀρχαῖον. Quæ ego ita intelligo; *Charonea ad fines Phocidis sita est, quemadmodum docet Hecatæus in Europa sua. Iuxta autem Charonea vrbs est primum à Charone dicta, vt Aristophanes in altero volumine rerum Boeoticarum ostendit. Charonem fabulantur Apollinis & Theronis filium vrbis conditorem fuisse, vt Hellanicus in altero de sacris seu fanis Iunonis scripsit. Vocabatur autem vrbs hæc olim etiam Arne.*

Pausanias in extremo Bœoticorum. *Lebadensibus vicini proximi sunt Charonenses. Eorum vrbs olim appellata est Arne, filiam Aeoli Arnen fuisse dicunt, à qua vrbs etiam altera in Thessalia Arne fuerit nuncupata. Hoc autem quod nunc habent nominis contigisse eis à Charone quem Apollinis* In nono de Bœotia p. 285. *fuisse filium arbitrantur, ex Therone Philantis filia.* Ex Chæronea iter est in Phociden, vt idem Pausanias in Phocicis narrat. Strabo propius ad rem accedit. Χαιρώνεια δ᾽ ἐστὶν Ορχομενοῦ πλησίον, ὅπου Φίλιππος ὁ Αμύντου μεγάλῃ μάχῃ νικήσας Αθηναίους τε καὶ Βοιωτοὺς καὶ Κορινθίους κατέστη τῆς Ελλάδος κύριος, & quæ ibidem sequuntur. *Charonea proxima est Orchomeno, vbi Philippus Amyntâ natus magno prælio superauit Athenienses, Bœotos & Corinthios, Græciaq. dominus factus est.*

VICTORIAM SVI OPERIS IACTAVIT) Huius infaustæ Atheniensium expeditionis aduersus Philippum auctor & suasor fuerat Demosthenes, qui in ipsa etiam acie clypeatus apparuit, sed quemodo illi pugnabant maximè, hic, vt Sosia apud Plautum, fugiebat maximè. Cæterùm victoriæ viam muniuit Alexander Philippo, qui alterum cornu hostium primus in fugam con- *p. 474. iecit. Rem vti gesta est enarrat * Diodorus, ex quo disces Alexandro non exiguam fuisse caussam p. 266. iactationis, qua sibi victoriam vindicabat. Addit Siculus à Philippo tropæum fuisse erectum post victoriam Cheronensem, quod negat Pausanias, quem audi in Bœoticis. *In Charonensium agro duo sunt trophæa: ea dux Romanorum Sylla erexit, Taxilo fuso Mithridatis copiarum duce. Amynta quidem filius Philippus, neque ad Charoneam, neque vspiam vel de barbaris vel de Gracis à se victis vllum erexit trophaum: neque fuit omnino patrius Macedonibus mos, victorias suas trophæis vllis testatas relinquere. Est à Macedonibus ipsis traditum, Caranum regem suum victo in pugna Cisseo, qui finitimus imperabat, Argiuorum ritu trophaum constituisse. Erumpentem autem ex Olympo leonem ita illud subuertisse, vt prorsus fuerit abolitum intellexisse Caranum id sibi meritò contigisse, quod eo monumento erecto, spem sibi reditus in gratiam finitimis pracidisset: reliquo dehinc tempore neque Caranum, neque successorem quemquam trophaum vllum excitasse, quod nempe sibi ad reditum in gratiam cum hostibus loci aliquid relictum voluerunt. Satis certum fuit huius rei argumentum, quòd Alexander neque de Dario, neq. de Indicis victorijs trophaum vllum erigendum curauit.*

De Chæronensi clade & victoria Philippi, Demosthenis fuga multa doctissimus noster A. Schotthus in vitis comparat. Arist. & Demosthenis, quem videbis. De Pisone etiam Aristides, Lucianus, Suidas, Plutarchus.

SEDITIONE INTER MAC. MIL. ET GRAECOS MERCEN. ORTA) Frequentes existunt in castris expluribus rationibus collectis discordiæ, seditiones, secessiones, defectiones, transitiones, vt passim antiquorum memoriæ ostendunt. vt miraculi instar sit in Hanniba-

lis

lis exercitu ex tam varijs gentibus conflato nullam vnquam seditionem ortam , quod existimationi, prudentiæ, auctoritati & solertiæ ducis adscriptum fuit. Sed de hac in Philippi exercitu nata seditione & periculo Philippi, nihil alij narrant, vti nec de expeditione Alexandri in Illyrios adhuc viuo patre.

NVNQVAM AEQVO ANIMO ESSE CONFESSVM, INVIT. FIL. DEB. SALVTEM SVAM) Craterus supra lib. 6. c. 16. *Scio* (de Parmenione loquitur) *non æquo animo salutem filij sui debiturum tibi. Quædam beneficia odimus.*

NON QVI SAMOTHRACVM INITIA VISERENT) Carpit Philippum & Heroas & semideos, qui ante bellicas expeditiones sacris Samothracum initiabantur, vt ope deûm rem feliciter gererent. Diodorus rem totam describit, quæ ad Samothracum religionem pertinent lib. 5. qui consuli poterit. Hanc religionem, Initia siue sacra irridet Alexander, nec illos vllis laudibus celebrandos qui sacris Samothracum initiati essent, cum potius Asia, hostium terra, vrenda & vastanda esset. Eos ergo laudibus in cælum efferendos, qui tantas tamque ingentes res gessissent, quæ omnem etiam fidem excederent, in quorum numerum se principem ponendum intelligebat Alexander. Quæ iactatio vt æqualibus Alexandri vehementer placuit, cui ab iunioribus quoque applausum est, non sine graui seniorum indignatione, præsertim Cliti, qui ex Philippi ducibus facilè princeps erat.

Cæterùm Samothrace insula est in Aegæo mari, olim Samos dicta, sed condita Samo vt à propinqua nominis eiusdem insula discerneretur, Samothraciæ nomen assumsit. Alij quod Thraciæ obiecta sit, Samothraciam dictam putant. Alij quod ab immigrantibus in eam è Samo & Thracia colonijs nomen Samothraciæ adeptam memorant. Mysteria Iupiter Iasioni tradidisse fertur, antea quidem in insula recepta, sed per Iasionem instaurata, à quo exteri quoque feruntur initiati, vnde maior ceremonijs his celebritas accessit: templumque adeò donis & votis auctum & locupletatum est, vt auctore Eustathio ad Dionysium Cilices piratæ oppressa repente è templo plus sexcenties centenis millibus aureorum abstulerint. Initia autem propriè vocantur sacra arcana Samothracum, qui vt est apud Varronem qui de dijs Samothracum hæc tradit: *Terra enim & cælum, vt Samothracum initia docent, sunt dei magni, & hi quos dixi, multis nominibus. nam neque quas Ambracia ante portas statuit, duas viriles species aheneas, hi Samothraces dij qui Castor & Pollux: sed hi mas & fœmina: & hi quos augurum libri scriptos habent, sic Divipotes, & sunt pro illis quos in Samothrace θεοὶ δυνατοί. Hæc duo cælum & terra: quod anima & corpus: humidum & frigidum.* Diod. l. 5. p. 222. p. 116. 60000000. sexaginta milliones p. 12. Auct. lat.

Oua parire solet genus pennis coodecoratum
Non animas. *vt ait Ennius.*

Et infrà: Anima & corporis discessus quod natëis sit exitus, inde exitium, *vt cum in vnum ineunt initia.* Cassius Hemina & Macrobius Samothracas deos existimarunt esse Penates & magnos deos. Dionysius Halicarnassens insulam à Samnne Mercurij F & loco, dictam ait Samothraciam. De dijs Samothracum idem paullò infrà ex Callistrato & Satyro non pauca quæ ibi videbis. Nobis hæc plus satis. Initia vocantur etiam sacra Cereris apud Varronem. Cicero mysteria & principia vitæ quibus ad humanitatem sumus exculti. De quibus & Liuius dec. 4. l. 1. & alibi. 1. Rom. antiq. p. 50. l. 3. de re rust. c. 1.

CVM CLITVS NEC IPSE SATIS SOBRIVS) Quantæ tragediæ ex Alexandri & Cliti compotatione sint natæ, miserandus huius interitus docet.

INFRA IPSVM CVBABANT) Inter primos enim & proximos Alexandri accubuerat Clitus, honoratissimus amicorum. Accumbebant autem more Græcorum & Romanorum, non assidebant, vt ad Martialem pluribus docui.

EVRIPIDIS RETVLIT CARMEN) Versus ad infra le accubantes, auersus ab Alexandro, qui non nisi sonum verborum, verba ipsa non percepit, quæ pertinebant ad id quod Alexander sibi victoriam Chæroneam vindicaret. alii Philippo assererent, Clitus ex Euripide neutro singillatim, sed ducibus simul & militi. Versus sunt in Euripidis Andromache inter tragœdias vltima, quæ extant.

Οἴμοι, καθ' Ἑλλάδ' ὡς κακῶς νομίζεται
Ὅταν τροπαῖα πολεμίων στήσῃ στρατὸς
Οὐ τῶν πονούντων τοὔργον ἡγοῦνται τόδε,
Ἀλλ' ὁ στρατηγὸς τὴν δόκησιν ἄρνυται
Ὃς εἷς μετ' ἄλλων μυρίων πάλλων δόρυ
Οὐδὲν πλέον δρῶν ἑνός, ἔχει πλείω λόγον.
Hei mihi, quàm malus mos est in Græcia?
Quum exercitus statuit tropæa de hostibus
Non putant hoc opus esse laborantium militum
Sed imperator victoriæ gloriam reportat
Qui vnus vibrans hastam cum alijs innumeris
Nihil plus vno faciens habet maiorem famam.

Var. lect. l. 28. c. 22. Hunc Euripidis locum allusit M. Tullius pro Marcello: *Nam bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, eosque detrahere ducibus: communicare cum multis ne propria sint imperatorum.* *Affirmare ipsum ausim*, inquit, Petrus Victorius, *certum quendam Euripidis locum intellexisse in quo id quod dicitur, studiosè fit Est autem in Andromacha quo loco Peleus confutat orationem Menelai: Principio eius disputationis ille accusat prauam consuetudinem Græcorum, qui cum victoriam aliquam nacti essent: trophæaque constitui deberent, sinerent, vt imperator suum tantum illic nomen adscriberet, vnique sibi laudem adsciscceret, cum tamen totius exercitus labore ac virtute res bene gesta esset. Locus autem ille omnis valde clarè & illustris est, expreßit vero eum, non intellexit solum Q. Curtius in historia cum Cliti necem commemoraret.* Hæc victorius qui verba Curtij subiungit, & Curtio Euripidem.

ILLIS AD SILENTIVM OBSTINATIS) Hoc pertinax aliorum de Cliti dicto silentium atrociorem excitauit in Alexandri animo suspicionem, dictum esse aliquid grauius in suam contumeliam, quasi timentibus cunctis, nec audientibus dictum referre & Clitum in periculum vocare.

BELLAQVE IN GRAECIA GESTA) Hæc Philippi bella in Græcia cum Atheniensibus, Phocensibus, Bœotis, Corinthijs & alijs gesta Iustinus in 7. 8 & 9. Diodorus in 16. copiosè exponunt, quorum volumina sunt in prpomtu.

INTER IVNIORES SENIORESQVE) Iuniores pro Alexandro, seniores pro Philippo propugnabant, vtrique ad rabiem verborum. Seniores Polypercon, Gorgias, Polydamas, Cœnus, Amadas, Antigenes. Iuniores Hephæstion, Craterus Perdiccas, Ptolemæus, alij.

PARMENIONEM DEFENDERE AVDEBAT) Hic Clitus reus maiestatis factus omnes modestiæ limites transgredi cœpit, quando maiestatis reos, damnatos & vltimo supplicio affectos ab inferis in ius reuocare & quasi pro iudicio absoluere ausus est.

c. 2. De Parmenione lib. superiore sub initium fere dictum.

PHILIPPI DE ATHENIENSIB. ad Chæroneam victis.

THEBARVM EXCIDIO) In prima synopsi dictum & in commentarijs.

SI PRO TE MOR. CLITVS EST PRIMVS) respicit prælium ad Granicum de quo paullò antè dictum & mox infrà ab ipso Curtio dicetur.

VICTORIAE ARB AGIS) Redi ad c. 6. lib. 5. vbi certamen bellicæ fortitudinis institutum: In quo quamuis præteritus sit Clitus, id non factum est ob ignauiam cum regem ipsum ad Granicum seruasset: sed non erant ibi iudicia de laude ducum supremorum instituta, sed potius de gregario milite. alioqui Parmenion, Philotas, Craterus, Perdiccas, Ptolemæus, Cœnus Meleager ad palmam fuissent citati. nam illi principes totis agminibus, phalangibus, magnis, copiis præerant, ac prouincias postea regebant, vt Mediam Parmenio, alij alias, Clitus hic Sogdianis veluti præstantissimus dux, & fortissimus miles validissimi imperij parti præfectus est, quod ipse tamen in contumeliam traxit.

PRAECIPITIA INGENTA SORTITVS) De ingenio, natura, & ferocitate Sogdianorum satis est supra dictum: hic de voce *præcipitia* videndum. Proscribunt Grammaticorum decreta vocem *præceps* à numero multitudinis in neutro, negantque dici *præcipitia* ingenia, loca, saxa, Legi quidem aiunt *præcipitium præcipitij* & inde *præcipitia* οὐδετέρως, sed ἐκθέτως, a præceps præcipitia non legi. Legissent hunc Curtij locum, tum non tam præcipitem sententiam in optimum scriptorem tulissent, cuius auctoritas facilè omnibus Priscianis, Aeronibus, Donatis, Diomedibus anteponenda. nouos ne moror quidem.

HIC ATHARIOS SENEX) Hunc lib. 5. c. 6. Adarchiam appellauit, mendum vel hic vel ibi, vel vtrobique. De eodem certè loquitur Curtius & eadem re, quam ibi explicauimus, ad quem te locum remitto. Verba ibi collocata sunt hæc, *Primus omnium virtutis causâ donatus est Adarchias senior, qui omissum apud Alicarnasson à iunioribus prælium vnus maximè accenderat.*

AVVNCVLVM IN ITALIA DIXISSE CONSTAT IPSVM IN VIROS INCIDISSE TE IN FAEMINAS) Hoc ab nullo memini dictum ante Curtium, quamuis de auunculo Alexandri M. plerique omnes veteres tradant. Fuit is Alexander quoque dictus ex Epiro Molossorum rex, Olympiadis Alexandri M. matris germanus frater, qui Cleopatram sororem Alexandri M. duxit in vxorem: perijt in Italia ab Lucanis victus, quos certè viros sensit. de quo multa Liuius in 8. meritò legendus C. Petilio & L. Papirio Mugilano Coss. sicut & Iustin. l. 12. p. 115. & seq. De eod. Iustin. qui tamē alia addit, *Porrò Alexander rex Epiri, in Italiam à Tarentinis, auxilia aduersus Brutios deprecantibus, sollicitatus, ita cupidè profectus fuerat. veluti in diuisione orbis terrarum, Alexādro Olympiadis sororis suæ filio Oriens, sibi Occidens contigisset; non minorem rerum materiam in Italia, Africa, Siciliaq;, quam ille in Asia & in Persis habiturus. Huc accedebat, quod sicut Alexandro Magno Delphica oracula insidias in Macedonia, ita huic responsum Dodonæi Iouis vrbem Pandosiam, amnemque Acherusium prædixerat. Quæ vtraq; cum in Epiro essent, ignarus ead. & in Italia esse, ad declinanda fatorum pericula peregrinam militiam cupidius elegerat. Igitur cum in Italiam venisset, primum illi bellum cum Appulis fuit: quorum cognito vrbis fato breui post tempore pacem & amicitiam cum rege eorum fecit. Erat namque tunc temporis vrbs Apulis Brundusium, quam Aetoli sequuti tum fama rerum in Troia gestarum clarißimum ac nobilißimum* p. 115.

ducem

ducem Diomedem, condiderant. Sed pulsi ab Appulis, consulentes oracula responsum acceperant, locum quē repetissent, perpetuò possessuros. Hac igitur ex causa, per legatos cum belli comminatione restitui sibi ab Appulis vrbem postulauerant. Sed vbi Appulis oraculum innotuit, interfectos legatos in vrbe spoliauerant, perpetuam ibi sedem habituros. Atque ita defuncti responso, diu vrbem possederunt. Quod factum cum cognouisset Alexander, antiquitatis fata veneratus, bello Appulorum abstinuit. Gessit & cum Brutijs Lucanisque bellum, multasque vrbes cepit: tum & cum Metapontinis & Pediculis, & Romanis fœdus amicitiamque fecit. Sed Brutij Lucaniq́ cum auxilia à finitimis contraxissent acrius bellum repetiuère. Ibi rex iuxta vrbem Pandosiam & flumen Acheronta non prius fatalis loci cognito nomine, quàm occideret, interficitur, moriensque non in patria fuisse sibi periculosam mortem, propter quam patriam fugerat, intellexit. Corpus eius Thurij publice redemptum sepulturæ tradiderunt.

Orosius breuiter, qui a Samnitibus occisum tradit, *Anno ab vrbe condita 422. Alexander rex Epirotarum, Alexandri illius Magni auunculus, traiectis in Italiam copijs cum bellum aduersus Romanos pararet, & circa finitimas Romæ vrbes firmare vires exercitus sui, auxiliaq́ vel sibi acquirere vel hostibus subtrahere studens bellis exerceretur à Samnitibus, qui Lucanæ genti suffragabantur maximo bello in Lucania victus atq́ occisus est.* Rem eandem ijsdem verbis narrat in miscella Paulus Diaconus. Est etiam huius mentio apud Strabonem in 6. *Paullùm suprà hanc* (Consentiam) *sita est Pandosia castrum validum, vbi Alexander Molossus perijt.* Addit Strabo etiam Dodonæum oraculum quo deceptus est Epirensis de quo iam dictum. l. 3. c. 11. p. 159.

VITAM A SEMETIPSO DATAM) Apud Plutarchum sanè ita gloriatur vti mox videbimus.

ATTALI QVOQVE CAEDEM) Hunc infra quoque cum Parmenione, Alexandro Lyncefte, Philota, Clito obiecit regi Hermolaus De hoc Attalo dictum l. 7. c. 1.

VERIORA SE REGI QVAM PAT. EIVS RESP. DICEBAT) Hęc oratio regem adhuc se continentem, omnino in rabiem egit, ita vt omnia susque deque ageret, ferret.

IAM * OLIM MERO SENSIBVS VICTIS) τὸ *olim* obseruandum, poni hic pro præsenti tempore, habet hæc vox variam significationem, & nunc pro longi temporis intercapedine: nunc pro *ante* vt hic etiam accipi & infrà c. 12. potest; Iam ante ebrius: nunc pro *nuper* nunc pro futuro: quarum significationem exempla & testimonia compluria lexicographi adducunt, quos videbis. * ante

NEPOSITIS QVIDEM SED ABIECTIS POCVLIS) hic tragicum & cruentum spectaculum incipit.

DARIO NVPER ACCIDISSET) cùm à Besso & Nabarzane comprehensus & aureis catenis vinctus est l. 5. c. 23.

OBSTREPENTE IRA) Verum docet græcus senarius.

ὀργῇ δὲ φαύλῃ πόλλ' ἔνεστ' ἀσχήμονα.

Ira improba multa sunt indecora.

VIGILI HASTA ABLATA) nam facilè furor arma ministrat.

SINE LVMINE) vinum, ira, nox densissimas offuderant tenebras & Clito & Alexandro.

EMINEBAT ETIAM IN VOCE SCEL. ATROCITAS) actus enim in rabiem non loqui sed cum ingenti verborum fremitu furere Alexander iubebatur.

ILLE IAM NON SVAE SED REGIS IRAE MEMOR) quia in fæuo & insano hoc tumultu Clitus cum vnum se peti quærique ad necem videret, versa in metum & euentum ira, per tenebras conabatur euadere.

CLITVM SE ESSE ET E CONVIVIO EXIRE) Poterat regem mitigare vox confitentis; ne alius pro ipso, periculo obijceretur, simulque nomen conuiuij, in quo hospitalitas & lex conuiualis erat seruanda. sed ira nulla nouit iura. Itaque clarissimus princeps & nutricis Alexandri germanus, in tenebris tanquam à latrone aut parricida obtruncatur. Atque hoc caput est narrationis, in quo quidem & Plutarchus & Arrianus & Iustinus & Orosius conueniunt, non item in modo & alijs perissasibus, quas lector si volet scire, apud laudatos sciptores cognoscet. Ego propero.

Hoc immane facinus seu cædes seu parricidium, ingentem Alexandro conflauit apud suos & posteros, inuidiam, odium & infamiam. Senecam inter primos audi simul in ebrietatem declamantem. *Refert Alexandri Macedonis exemplum, qui Clitum carißimum sibi ac fidelißimum inter epulas trāsfodit, & intellecto facinore mori voluit, certè debuit.* Tum, quæ de ebrietate sequuntur, sobrius percurre, vt nunquam ebrius fias. plura de eod. idem seneca de Ira.

Eiusdem cædis mentionem fecit M. Tullius in 4. Tuscul. Diodorus Siculus in indice lib. 17. περὶ τῆς εἰς τὸν Διόνυσον ἁμαρτίας καὶ τῆς παρὰ τὸν πότον ἀναιρέσεως Κλείτου. De Impietate in Bacchum & Cliti inter compotandum trucidatione. Sed narratio in ipso volumine desideratur. Acerbe etiam Diogenes apud Lucianum:

Huius tamen opinor Cliti factum notauit Athenæus qui in XII volumine hæc de illo: *Clitus verò cognomine Candidus* (alijs niger, alijs magnus appellatus, vt supra docui) *quoties adeuntibus respōdere vellet, amictus purpura & obambulans, cum ijs, qui compellauerant, sermones conferebat,*

Idem se Neptunum appellari patiebatur.

CAPVT IV.

ARGVMENTVM.

Sera regis pœnitentia non pœnitendo ingenio & ſtilo deſcribitur.



Male humanis ingeniis natura conſuluit quod plerunque non futura, ſed tranſacta perpendimus: quippe rex poſtquam ira mente deceſſerat, & iam ebrietate diſcuſſa magnitudinem facinoris ſera æſtimatione perſpexit. Videbat tunc immodica libertate abuſum, ſed alicqui egregium bello virum, &, niſi erubeſceret fateri, ſeruatorem ſui occiſum. Deteſtabile carnificis miniſterium occupauerat rex, verborum licentiam, quæ vino poterat imputari, nefanda cæde vltus. Manabat toto veſtibulo cruor paullò ante conuiua: vigiles attoniti & ſtupentibus ſimiles procul ſtabant, liberioremque pœnitentiam ſolitudo excipiebat. Ergo haſtam ex corpore iacentis euulſam retorſit in ſemet: iamque admouerat pectori, cum aduolant vigiles, & repugnanti è manibus extorquent, alleuatumque in tabernaculum deferunt. Ille humi proſtrauerat corpus: gemitu eiulatuq; miſerabili tota perſonante regia. Laniare deinde os vnguibus, & circumſtantes rogare ne ſe tanto dedecori ſuperſtitem eſſe paterentur. Inter has preces tota nox extracta: ſcrutantemque num ira deorum ad tantum nefas actus eſſet, ſubit anniuerſarium ſacrificium Libero patri non eſſe redditum ſtato tempore. Itaque inter vinum & epulas cæde commiſſa, iram Dei fuiſſe manifeſtam. Cæterùm magis eo mouebatur, quod omnium amicorum animos videbat attonitos, neminem cum ipſo ſociare ſermonem poſtea auſurum: viuendum eſſe in ſolitudine, velut fera beſtiæ terrenti alias, alias timenti. Prima deinde luce tabernaculo corpus, ſicut adhuc cruentum erat, iuſſit inferri. Quo poſito ante ipſum lachrymas obortis, Hanc, inquit, nutrici meæ gratiam retuli, cuius duo filij apud Miletum pro mea gloria occubuere: hic frater vnicum orbitatis ſolatium à me inter epulas occiſus eſt. Quo nũc ſe conferet miſera? omnibus eius vnus ſuperſum, quem ſolum æquis oculis videre non poterit. Et ego ſeruatorum meorum latro reuertar in patriam, vt ne dexteram quidem nutrici ſine memoria calamitatis eius offerre poſſim? Et cum finis lacrymis querelisq; non fieret, iuſſu amicorum corpus ablatum eſt. rex triduum iacuit incluſus: quem vt armigeri corporiſque cuſtodes ad moriendum obſtinatum eſſe cognouerunt, vniuerſi in tabernaculum irrumpunt, diuque precibus ipſorum reluctatum ægrè vicerunt, vt cibum caperet. quoque minus cædis puderet, iure interfectum Clitum Macedones decernunt, ſepultura quoque prohibituri, ni rex humari iuſſiſſet.

Verum eſt quod vulgò iactatur, iratus cum ad ſe redit, ſibi tum iraſcitur. Nec ille comici ſenarius falſus:

Sceleris amentem reddit conſcientia.

Scripſit Ianus *a* Gruterus ad illum Taciti locum, ***Facinorum recordatione nunquam timore vacuum,*** nobile caput, cui fecit hanc inſcriptionem:

a Parte altera diſcurſuum ſiue Commentariorum ad Tacitũ p. 78.

Conſcientia eus pro pœna, qui ſupra pœnam.

vbi plurima ex nobiliſſimis ſcriptoribus de facinorum conſcientia, quem ego locum indigito tantùm, non tranſcribo, quia prolixiſſimus eſt, ſed totus tamen huc facit: quem ipſum Curtii locum à Grutero præteritum miror, cum vel maximè ad inſtitutum faceret, & interim alia ex eodem producat.

Præclara pœnitentis principis deſcriptio & hypotypoſis, qui non putabat ſe vel Clito, vel conſcientiæ ſuæ ſatisfacere poſſe, niſi pari pœna plecteretur, mortemque morte expiaret. Et cum non eſſet, à quo interficeretur, ipſe ſibi (tanta vis eſt conſcientiæ) manus admouere cœpit, & peregiſſet facinus, niſi cura excubitorum inuito telum extorſiſſet, & nolentem, viuere coegiſſent. Sed cum ne ſic quidem conquieſceret, inuenit aliam lethi viam, qua ſe per inediam conſiceret. Sed & hic proceres, amici, & armigeri interceſſerunt, & ad cluſum irruperunt, abiectum erexerunt, ac tandem vt viuere vellet, ac cibum ſumere, quamuis ægrè, perſuaſerunt.

Cæ-

Cæterùm Curtius hoc caput à nobili gnome incipit, de natura ipsa questus, dum quodammodo cum Lucretio exclamat,

O curuas hominum mentes, ô pectora cæca!

Nempe qui post factum demum plerumque sapiunt, & præterita, non futura perpendunt.

SERVATOREM SVI) Hoc nempe sæpius iactarat Clitus seruatum à se regem, sed rex inuitus debebat salutem seruo suo.

QVAE VINO POTERANT IMPVTARI) Recurre ad illum locum lib. 6. c. 20. de Hegelocho: vtrumne vino grauatus effudisset illa. Et quæ nos ad epigramma 25. Martialis, quod Procillo inscribitur lib. 1.

MANABAT TOTO VESTIBVLO CRVOR) Hæc est egregia rei quasi præsentis hypotyposis, qua sub oculos lectoris à scriptore tragicum facinus subijcitur. In quo genere plurimum valuit Cicero, vt ex vltima in Verrem oratione, quæ de supplicijs est, & altera Philippica cognosci potest.

LANIABAT DEINDE OS VNGVIBVS) Hoc veteri more gentium, vt etiam in XII. inhibéretur: *genas ne radunto.*

ANNIVERSARIVM SACRIFICIVM LIBERO PATRI NON ESSE REDDITVM) Quam variæ Baccho seu Libero patri feriæ Græcis sint celebratæ, ostendit in Græcia feriata Meursius & Gyraldus in historia deorum. De eodem festo Arrianus, quem paullò antè adduxi, qui tamen ipse non explicat quod genus sacrorum hoc apud Macedones fuerit. ipsi quoque, homini quamuis Græco, ignotum. *Diem quendam*, inquit, *apud Macedones Baccho sacrum esse ferunt, atq; Alexandrum quotannis eo die Baccho sacrificare solitum temporis neglecto Baccho Dioscuris sacrum fecisse*, & quæ sequuntur iam supra collocata: Nec sanè multum interest, scire quo die, qua hostia, & quomodo Baccho sacrificarit. felicior fuisset si Libero patri non tam liberaliter in conuiuijs & symposijs & tam sæpè operatus esset.

VIVENDVM ESSE IN SOLITVDINE) *Tyrannis* (enim) *omnis amicitiæ egentissima.*

NVTRICI MEAE) Hellanicæ sorori Cliti, vt dictum.

CVIVS DVO FILII) Mileti oppugnationem Arrianus, *a* Plutarchus, & *b* Diodorus exponunt, *a* l. 1.
sed nullus filiorum Hellanices vllam mentionem fecit, contenti caput rerum singularibus, quod *b* l. 17.
plerunque fit, neglectis, attigisse.

SERVATORVM MEORVM LATRO) quasi etiam duos reliquos occidisset, qui pro ipso ad Miletum occubuerant.

IVRE INTERFECTVM CLITVM DECERNVNT) Cædem Cliti iure quodammodo factam ipse etiam Alexander infrà c. 16. docet, vbi Hermolao respondet, *Clitus vtinam non coëgisset me sibi irasci, cuius temerariam linguam probra dicentis mihi & vobis, diutius tuli, quam ille eadem me dicentem tulisset. Regum ducumque clementia non in ipsorum modò, sed etiam in illorum qui parent, ingenijs sita est. Obsequio mitigantur* impia. *Vbi verò reuerentia excessit animis, & summa imis confundimus, vi opus est vt vim repellamus.*

Totam hanc de Alexandri lachrymis, dolore ex cæde Cliti concepto, decreto moriendi, consolatione amicorum, Curtij narrationem illustrat Plutarchus & Arrianus, qui sunt in manibus.

SEPVLTVRA QVOQVE PROHIBITVRI) quasi damnati & iure occisi. quæ summa apud Græcos ignominia, caruisse sepultura, nam αὐτόχειρες, rei, tyranni, proditores, & hoc infame & execratum genus hominum sepultura prohibebantur, quod ex varijs scriptoribus testatur Alexander Neapolitanus, l. 6. c. 14. p. 352. v. vlt.

NI REX SEPELIRI IVSSISSET) vt Charidemum Darius lib. 3. c. 5. *Hac vociferantem quibus imperatum erat, iugulant. Sera deinde pœnitentia subijt regem, ac vera dixisse confessus, sepeliri eum iussit.*

CAPVT V.

ARGVMENTVM.

Xenipporum descriptio. Amyntæ cruenta victoria de Bactrianis exsulibus, in gratiam tamen ab Alexandro receptis.

Igitur



Gitur decem diebus maximè ad confirmandum pudorem apud Maracanda consumtis, cum parte exercitus Hephæstionem in regionem Bactrianam misit, commeatus in hyemem paraturum. Quam autem Clito destinauerat prouinciam, Amyntæ dedit: Ipse Xenippa peruenit. Scythiæ confinis est regio, habitaturque pluribus ac frequentibus vicis, quia vbertas terræ non indigenas modò detinet, sed etiam aduenas inuitat Bactrianorum exsulum, qui ab Alexandro defecerant, receptaculum fuerat. Sed postquam regem aduentare compertum est, pulsi ab incolis duo ferè millia & DC. congregantur: Omnes equites erant, etiam in pace latrocinijs assueti: tum feroci a ingenia non bellum modò, sed etiam veniæ desperatio efferauerat. Itaque ex improuiso adorti Amyntam prætorem Alexandri, diu anceps prælium fecerant. Ad vltimum DCC. suorum amissis, quorum CCC. hostis cepit, dedêre terga victoribus, haud sanè multi, quippe LXXX. Macedonum interfecerunt, præterque eos CCC. & L. saucij facti sunt. Veniam tamen etiam post alteram defectionem impetrarunt.

Ad confirmandvm pvdorem) ad callum pudori obducendum, ad ponendum & abstergendum pudorem è scelere contractum, qui illum in publicum prodire vetabat. Vt ergo amici regis abstergerent illi pudorem, eleuauerunt culpam, eamque in Clitum conferebant, quem meritò ob intemperantiam linguæ interfectum affirmabant.

Apvd Maracanda) in regia Sogdianorum, vti suprà dictum.

l.7.c.7. Commeatvs in hiemem paratvrvm) Bactriana enim, vt suprà Curtius docuit, frumētum, fructus, vites alebat, vbi crebri fontes rigabant solum. vnde fertilitas.

Amyntae dedit) hic Amyntas, vt opinor, non fuit is, qui lib 7.c.1. caussam de coniuratione suspectus dixit & absolutus est, paulloque pòst, vt Arrianus in tertio auctor est, in pago quodam oppugnando sagitta ictus perijt, fuitque Andromene natus. hic autem ab Arriano Nicolai filius appellatur, qui Artabaci prouinciæ Clito destinatæ præfectus est. Fuit autem prouincia illa Curtio Sogdiana, Arriano Bactriana, sed vtramque ab eo administratam video: eundem enim illæ duæ prouinciæ prætorem sortitæ sunt.

Ipse Xenippa pervenit) Nec ista Xenippa vsquam extra Curtium reperienda, ab nullo geographo, scriptore, historico consignata vel expressa. Fides tota penes Curtium est, qui haud dubiè ex Græcis auctoribus, qui hodie desiderantur, hæc Xenippa accepta in suo volumine posuit. Caussam huius vrbis seu regionis adeundæ Alexandro præbuêre exules Bactriani, quos vndique cura Alexandri inuestigauit, quod magno numero, & equites omnes, prouincijs Alexandri pacatis & occupatis imminerent, & Xenippis sedem posuissent, indeque latronum ritu subitò erumperent, & illuc se ab excursionibus reciperent, nullaque re, propter regionis vbertatem egerent.

Pvlsi ab incolis) ne illorum caussa regionis etiam cultores & incolæ communi procella belli inuoluerentur, & perirent, vi exacti sunt.

Desperatio efferaverat) Ignauiam quoque necessitas acuit, & sæpè desperatio spei caussa est, dixerat supra lib.5.c.10.

Et Maro:

Vna salus victis nullam sperare salutem.

Redi ad eum locum & simul ad Vegetium l.4.c.25. Stevvechium ad eundem locum, Frontinum l.2.strat.c.6. Rursum ad illa Vegetij l.3.c.21. Ex desperatione crescit audacia.

Ex improviso adorti Amyntam) sperabant se perinde oppressuros Amyntam, vt antea Menedemus à Spitamene ex insidijs oppressus & deletus erat. l.7.c.20. sed Amyntas cautior & fortior, adeoque victor euasit, quamuis non sine strage suorum, vt e x numero cæsorum & sauciorum colligis.

Veniam tamen etiam post alt. def. impetrarvnt) vt pacatam relinqueret prouinciam, dum ad Indos properaret. Desperati enim rursum se collegissent, aliosque ad defectionem solicitassent.

CAPVT VI.

ARGVMENTVM.

Sysimithris deditio, & arduæ petræ adumbratio.



Is in fidem acceptis in regionem quam Naura appellant, rex cum toto exercitu venit. Satrapes erat Sysimithres duobus ex sua matre filijs genitis: quippe apud eos parentibus stupro coire cum liberis fas est. Is armatis popularibus fauces regionis, quà in artissimum cogitur, valido munimento sepserat. Præterfluebat torrens amnis, terga petra claudebat. hanc manu perviam incolæ fecerant: Sed aditu specus accipit lucem; interiora, nisi illato lumine, obscura sunt. Perpetuus cuniculus iter præbet in campos, ignotum nisi indigenis. At Alexander, quamquam angustias naturali situ munitas valida manu tuebantur, tamen arietibus admotis, munimenta quæ manu adiuncta erant concussit, fundisque & sagittis propugnantium plerosq; deiecit: quos ubi dispersos fugauit, ruinas munimentorum supergressus ad petram admouit exercitum. Ceterùm interueniebat fluuius coeuntibus aquis ex superiore fastigio in vallem, magniq; operis videbatur tam vastam voraginem explere. Cædi tamen arbores & saxa congeri iussit: ingensq; barbaros pauor rudes ad talia opera concusserat, excitatam molem subitò cernentes. Itaque rex ad deditionem metu posse compelli ratus, Oxarten misit, nationis eiusdem, sed ditionis suæ, qui suaderet Duci vt traderet petram. Interim ad augendam formidinem & turres admouebantur, & excussa tormentis tela emicabant. Itaque verticem petræ omni alio præsidio damnato petiuerunt. At Oxatres trepidum diffidentemq; rebus suis Sysimithren cœpit hortari, vt fidem, quam vim Macedonum mallet experiri, nec moraretur festinationem victoris exercitus in Indiam tendentis: cui quisquis semet offerret, in suum caput alienam cladem esse versurum. Et ipse quidem Sysimithres deditionem annuebat, ceterùm mater eademque coniux morituram se antè denuncians quàm in vllius veniret potestatem, barbari animum ad honestiora quam tutiora converterat, pudebatque libertatis maius esse apud fæminas, quam apud viros precium. Itaque dimisso internuncio pacis, obsidionem ferre decreuerat. Sed cum hostis vires, suasque pensaret, rursus muliebris consilij, quod præceps magis quàm necessarium esse credebat, pœnitere eum cœpit, reuocatoque strenuè Oxarte, futurum se in regis potestate respondit, vnum precatus, ne voluntatem & consilium matris suæ proderet, quo facilius venia illi quoque impetraretur. Præmissum igitur Oxartem cum matre liberisq; & totius cognationis grege, sequebatur, ne expectato quidem fidei pignore quod Oxartes promiserat. Rex equite præmisso qui reuerti eos iuberet, opperirique præsens ipsis superuenit; & victimis Mineruæ ac Victoriæ cæsis, imperium Sysimithri restituit, spe maioris etiam prouinciæ facta, si cum fide amicitiam ipsius coluisset. duos illi iuuenes patre tradente; secum militaturos sequi iussit.*

* Iidem fratres, filij & nepotes.

NAVRA APPELLATVR) varia hic scriptura est, Constantiensis chirographus *Nauta* habet: editi *Nauran*. Glareanus, *apud Arrianum*, inquit, *l. 4. est Nautaca, statim post Spitamenis cadem. Apud alios quidem nihil prorsus de hoc nomine.* At ego apud Arrianum in Erythræi maris periplo (scripsit autem periplos Oceani seu Indici maris Erythræi & Ponti Euxini) lego hanc vocem ἔιτα Ναῦρα. κ̀ τύνδις τὰ πρῶτα ἐμπόρια τῆς λιμυρικῆς. *Deinde Naura & Tyndis prima seu maxima Limyrica prouinciæ emporia.* Pag. 33.

Tyndis autem est Ptolemæo ciuitas & fluuius intra Gangem in India, sicut & Nauta regio Arriano videtur intra Gangem, vt magnoperè dubitem vtrum hic non sit potiùs cum Glareano Nautaca legendum, de quo loco etiam Arrianus infra non certè multum à Bactris & Maracanda remotis. Fauet etiam huic scripturæ codex Constantiensis MS. qui Nauta habet pro Nautaca, vltima credo syllaba amissa vel omissa.

Stra=

Strabo Sysimithris petram in Bactriana constituit, quam hoc loco Curtius describit, & ab Alexandro occupatam dicit. Bactriana autem cis Indum, nec intra nec extra Gangem est. Lymirica autem est in India Austrum versus, vt ex periplo Arriani intelligi potest. Seruo tamen Naura, quam scripturam & Alexander Neapolit. & Tiraquellus agnouit, quamuis apud Alexandrum vitiosè scriptum sit Mauros, pro Nauros, quorum regio iuxta Bactrianos est. Arrianus hanc petram in Paratacis intra Bactrianam collocat, vt infra docebimus. Itaque Nautacas aliam prouinciam apud Siculum & Arrianum reperio.

SYSIMITHRES DVOB. EX SVA MAT. FIL. GENITIS) En quo progreditur (oppressa & extincta rationis scintillâ) humana feritas, ipsis propè feris immanior? quod non solum diuinæ leges sed omnium propè gentium iura capitis pœna, & vltimis equulei, saxi, ferri, flammarum supplicijs sanxere, hoc Nauri ex Bactrianis publicè laudant, sequuntur, impunè perpetrant. Sed nec illi soli, habent vicinos improbos Indos, Arabas, Babylonios, Persas, Magos: de quibus vltimis Catullus in Gellium:

Nascatur Magus ex Gelli matrisque nefando
Concubitu, & discat Persicum haruspicium.
Nam Magus ex matre & gnato nascatur oportet
Si vera est Persarum impia religio.

Multa Tiraquellus in legibus connubialibus super hâc re & ad cap. 24. lib. 1. Alexandri Neap. vbi superioribus addit Parthos, Medos, Phrygas, Galatas, Aethiopas, Scythas, Hyberos, Nomadas. Sed hęc in Epheborum auditorijs sobriè nec sine execratione incestorum nuptiarũ attingenda sunt, ne teneras mentes impuræ cogitationes inquinent, aut improba desideria corrumpant. Ninyas certè Semiramidis filius à matre de stupro appellatus, matrem occidit.

IS) Sysimithres, quem Arrianus Chorienen appellat, & petram hanc Sysimithris, Chorienem ἐκαλεῖτο δὲ, inquit, αὐτὴ χοριήνης ἡ πέτρα. καὶ ἐς αὐτὴν αὐτός τε χοριήνης ξυμπεφεύγει. *Ea Chorienis petra appellabatur, ipseque Chorienes in ipsam confugit.* Hunc Chorienem Strabo cum Curtio Sysimithrē vocat. Eadem ergo est petra Sysimithris & Chorienis, & Sysimithres binominis fuit. Conuenit etiam descriptio petræ apud Arrianum & Curtium, nisi quod hic more suo omnia explicatius & enucleatius enarret.

Lat. p. 356.

FAVCES REGIONIS) aditus in regionem Sysimithris perangustos natura etiam artificio & humana manu arctior & firmior erat redditus.

TERGA PETRA CLAVDEBAT) vbi per aditum penetrasses, petra seu ardua rupes occurrebat, quam Strabo quindecim stadia altam fuisse, in ambitu octoginta complexam, superne planam quingentis viris alendis suffecisse narrat. Addit Strabo ibidem, Roxanam Oxyartæ filiam ab Alexandro ductam in vxorem, quam Arrianus in Chorienis petra fuisse tradit, Curtius eandem Roxanē Cohortano Satrapæ dedititio natam, & in ipsius Cohortani regione ductam, quamuis hanc Curtius inconstanter lib. 10. c. 6. Oxatris (quem nunc Oxyartem, nunc Oxartem, nunc etiam Oxatrem appellat) filiam nuncupet.

Hoc interim hic obseruandum, regionem hanc à Curtio Nauram appellatam, ab Arriano Paratacas dici: Ἀλέξανδρος, inquit, ὡς τὰ ἐν Σογδιανοῖς αὐτῷ διαπέπρακτο, ἐχομένης ἤδη τῆς πέτρας, ἐς παραιτάκας προὐχώρει. ὅτι καὶ ἐν παραιτάκαις χωρίον τι ὀχυρὸν, καὶ ἄλλην πέτραν κατέχειν ἐλέγετο πολλοὶ τῶν βαρβάρων. *His ita apud Sogdianos gestis petraque occupata, Alexander in Paratacas mouit, quod ibi aliud quoddam oppidum munitum, petramque aliam multi barbari insedisse nunciarentur.*

l. 4. p. 91.

AD PETRAM ADMOVIT EXERCITVM) Hanc Arrianus altitudine XX stadiorum fuisse, ambitu sexaginta collegisse dicit, quam paullò aliter, vt supra dixi, Strabo dimensus est.

TAM VASTAM VORAGINEM) Arrianus: *Erat porrò petra hæc profunda voragine in orbem cincta, adeo vt qui exercitum ad petram adducere vellet, multo ante illi cauernosa illa voragines aggere obruenda essent, vt ex planitie exercitus admoueri rupemque oppugnare posset.*

CAEDI TAMEN ARBORES) Et hunc locum illustriorem reddit Arrianus: *Alexander nihilominus*, inquit, *aggrediendum opus esse statuit, nihil omnino sibi inaccessum aut inexpugnabile censens, tantum fiducia ex perpetua felicitate conceperat. Cæsis itaque abietibus, quarum magna in ambitu illius montis copia erat, scalas ex ijs confici iubet, vt per eas exercitus in voraginem descenderet: Et interdiu quidem Alexander opus vrgebat cum dimidia parte exercitus, noctu verò vicissim corporis custodes Perdiccas & Leonatus & Ptolemæus Lagi F. reliquo exercitu in tres partes distributo nocturni operis ipsis commissi curam gerebant. Nec per diem plus 20. cubitis, noctu paullo minus efficiebant, quamuis vniuersus exercitus in opere esset. tanta erat & ipsius loci asperitas & operis difficultas. Descendentes itaque in voraginē, paxillos quā firmissimè potuerunt, ad voraginis latera impegerunt, tanto spacio inter se distantes quantum ponderis sustinendo par esset. His crates vimineas instrauerunt, quæ pontis similitudinem præ se ferrent, ijsque arctè colligatis terram ingesserunt, vt per planitiem exercitus ad petram adduceretur.*

INGENS BARB. PAVOR RVDES AD TALIA OPERA CONCVSSERAT) cum primum conatus Macedonum tanquam vanos & irritos riderent. Postquam verò, inquit Arrianus, sagittis peti cœperunt, neque ipsi ex editiore petra Macedones propulsare possent (velamenta enim seu tegmina

sibi construxerant, ne telorum iactu ab opere impedirentur) Chorienes molitionum nouitate attonitus caduceatorem ad Alexandrum mittit.

OXARTEN MISIT.)Oxyarten, Strabo, Diodorus, Arrianus & Plutarchus appellant non Oxarten, vt corruptum nomen apud Curtium videri possit, vbi nunc Oxatres (sed hoc mendosè, Oxathres enim de quo suprà, Darij fuit frater) nunc Oxartes, nunc Oxortes MS. Oxartes, Lugdunensis editio emendatius Oxyartes, vti quoque rescribendum putamus. Cæterùm apud Arrianum est, priusà Chorieno missum caduceatorem ad Alexandrum, non ab Alexandro ad Chorienem, vti Curtius narrat. Oxyartes, non Oxortes, vel Oxartes vel Oxatres.

NATIONIS EIVSD. SED DIT. SVAE)popularem Chorienis seu Sysimithris, sed ante Sysimithrem Alexandro deditum.

AT OXYARTES TREPID. DIFFID. QVE REBVS SVIS SYSIM. COEPIT HORTARI) Plutarchus etiam timidum & formidolosum describit * Sysimithrẽ, eiusque pauore factum, vt petram Alexander occuparet, Plutarch. Σισιμίθρην Sisimi-

CVS QVISQVIS SEMET OFFERRET, IN SVVM CAPVT ALIENAM CLADEM ESSE VERSVRVM)hostem intellige non amicum, illam cladem, quam alijs illaturus esset Alexander, in suum cauit: alij caput suamque gentem conuersurum. pone ergo arma & vt amicus regi occurre, & amicum experieris, quod & factum. thren vo- Σισιμίθρην

MORITVRVM SE ANTE DENVNCIANS) de fortissimis heroinis & mulieribus elegantem habes Plutarchi libellum quis inter & Chiomara Boia seu Tolistoboia in Asia, quibus recentiores plures adiunxere.

INTERNVNCIO PACIS,)Oxyarte caduceatore.

VOLVNTATEM MATRIS)matris & coniugis, vt suprà, quæ se morituram ante dixerat, quàm in illius veniret potestatem.

REVERTI EOS IVBEBAT)aliter Arrianus. *Chorienes molitionum nouitate attonitus, caduceatorẽ ad Alexandrum mittit, rogans vti Oxyartem ad se mittat. Is quum ad eum venisset Chorieni suadere cœpit, vt se pariter atq. petram Alexandro dedat. nihil enim Alexandro eiusq. exercitui imperuium esse. Si vero ad eius fidem amicitiamq. se contulisset. fidem regis & benignitatem extollebat, se ipse in exemplum adducens. Quibus rebus persuasus Chorienes, cum familiarium nonnullis ad Alexandrum venit. quem Alexander humaniter exceptum quum in fidem amicitiamq. suam recepisset, ipsum quidem penes se retinet; at ex ijs qui cum ipso venerant nonnullos in petram remittit, qui vt deditionem faciant, iubeant. atq. ita ab ijs qui eo confugerant petra tradita est. Quo facto Alexander assumptis argyraspidibus circiter quingentis, arcem spectandi causa conscendit. tantumq. abfuit, vt indignum aliquid in Chorienem statueret, vt oppidum eius fidei rursus commiserit, præfidemq. omnium locorum quorum antea fuerat, statuerit.*

Hic Oxyartes posteaquam in ditionem Alexandri venerat, iterum defecerat, eoque magis apud Sisimithrem regis clementiam & humanitatem prædicabat, quod etiam post defectionem veniam impetrasset, multò magis ergo Sysmithrem in gratiam Alexandri venturum, si statim se eius potestati permitteret qui nunquam ab eo defeciuisset, nunquam adhuc deditus fuisset. Dicta facta omnia: Sysimithres fidem nunquam fefellit, & ab Alexandro omni genere officiorum & munerum cultus est, vt infra docebimus.

DVOS IVVENES)filios eosdem & nepotes, ex matre & auia fratre & patre natis.

CAPVT VII.

ARGVMENTVM.

Defectores per ardua viarum persequitur fugatq;. Philippi fratris Lysimachi & Erigyi funera plorantur.



Elicta deinde phalange, ad subigendos qui defecerant, cum equite processit. Arduum & impeditum saxis iter primo vtcunque tolerabant: mox equorum non vngulis modò attritis, sed corporibus etiam fatigatis, sequi plerique non poterant, & rarius subinde agmen fiebat, pudorem (vt fere fit) immodico labore vincente. Rex tamen subinde equos mutans, sine intermissione fugientes insequebatur. Nobiles iuuenes comitari eum soliti defecerant præter Philippum, (Lysimachi erat frater,) tum primum adultus, & quod facilè appareret, indolis raræ. is pedes (incredibile dictu) per D. stadia vectum regem comitatus est, sæpe

Propertius:

Nestoris est visus post tria secla senex.

Iuuenal.

Rex Pylius, magno si quicquam credis Homero,
Exemplum vitæ fuit à cornice secunda.

Extat apud Ian. Grut. Thes. Crit. tom. primo pag. 1097. & seq.

Lucianus eundem Homeri de Nestore locum trecentos annos ἐν μακροβίοις explicat: Tiresiam vatem sexcentis annis vixisse testatur. Plinius multos Macrobios ex Græcis scriptoribus collegit, è quibus nonnullos ait sexcentesimum, alios etiam octingentesimum attigisse, sed fidem Græcis abrogat, ac Latinos tanquam certos subijcit. Interim nulli centesimum quinquagesimum superarunt. In Oriente apud Indos hodie docent annales adhuc superesse, qui iam trecentesimum excesserunt. Sed de hac disputatione ætatum copiosissimè disserit Franciscus Flodus Sabinus in secundo lect. subsecivarum c. 3. quem, si vacabit, non sine eruditionis fructu cognosces. Ego hic quatuor Curtij ætates ad quatuor secula, seu quadringentos annos extendo, quibus Bazariæ saltus & nemora muris circumdata à venatoribus intacta fuisse tradit. Vnde mirum non est tantam ferarum copiam ab Alexandro prostratam, ac tam immanes ibi feras & leones eidem occurrisse.

AGITARI VNDIQVE FERAS IVSSIT.) Studiosissimi venationis erant Macedones de quibus Hegesander apud Athenæum dipnosoph. primo scripsit: εἰδὶ ἔθος εἶναι ἐν Μακεδονίᾳ κατακλίνεσθαι μηδένα ἐν δείπνῳ, εἰ μή τις ἔξω τῶν λίνων ὗν κεντήσειεν· ἕως δὲ τότε, καθήμενοι ἐδείπνουν. Κάσανδρος οὖν πέντε καὶ τριάκοντα ὢν ἐτῶν ἐδείπνει παρὰ τῷ πατρὶ καθήμενος, οὐ δυνάμενος τὸ ἆθλον ἐκτελέσαι, καίπερ ἀνδρεῖος γεγονὼς καὶ κυνηγὸς ἀγαθός. *Apud Macedonas neminem in cœna accumbere solitum, qui aprum extra retia non interemisset, verùm sedentes cœnasse, quoad feram confecissent, ideoq; Cassandrum iam natum annos quinque & triginta, sedentem cum patre cœnasse, quod nondum defungi eo certamine potuisset, quamuis & validus & peritus venator.*

LYSIMACHVS, QVI POSTEA REGNAVIT.) De hoc Lysimacho multa narratio infra erit; hic præsentem duntaxat locum exponemus. Iustinus vice interpretis erit, *Erat*, inquit, *hic Lysimachus illustri quidem Macedoniæ loco natus, sed virtutis experimentis omni nobilitate clarior: quæ tanta in illo fuit, vt animi magnitudine philosophia ipsa, viriumq; gloria omnes per quos Oriens domitus est, vicerit.* De regni quoque insignibus ab Lysimacho sumptis idem supra: *Quibus auditis* (Antigonum, Demetrium, Ptolemæum, regium sibi nomen vindicasse) *Cassander & Lysimachus, & ipse regiam sibi maiestatem vindicauit. Huius honoris ornamentis tamdiu omnes abstinuerunt, quamdiu filij regis sui superesse potuerunt. Tanta in illis verecundia fuit, vt cum opes regias haberent, regum tamen nominibus æquo animo caruerint, quoad Alexandro iustus hæres fuit.* De auspicijs porrò eiusdem, quibus illi regnum desponsum videbatur, idem ita prodidit: *postea in India insectanti regi (Alexandro) quosdam palantes hostes, cùm à satellitum turba equi sui celeritate desertus esset, solus ei per immensas harenarum moles cursus comes fuit. Quod idem antea Philippus frater eius cum facere voluisset, inter manus regis expirauerat. Sed Lysimachum desilientem equo Alexander hastæ cuspide ita in fronte vulnerauit, vt sanguis aliter cludi non posset, quam diadema sibi demptum rex, alligandi vulneris caussa capiti eius imponeret. Quod auspicium primum regalis maiestatis Lysimacho fuit.* Fuit rex Thraciæ, Chersonesi, & populorum Thracibus finitimorum vsque ad Salmydessum Euxini ponti, ferocissimarum nempe fortissimarumque gentium imperator, vt est apud eundem Iustinum, Arrianum, Curtium & alios, de quibus infrà ad lib. 10. Curtij.

lib. 15.

lib. 15.

cap. 13.

OBICERE FERAE VENABVLVM COEPERAT.) Ita Hermolaus infrà verberibus etiam iussu regis castigatus, quod aprum, quem rex ferire destinarat, telo occupasset, vnde coniuratio in cædem regis orta.

FABVLAM, QVAE OBIECTVM LEONI A REGE LYSIMACHVM TEMERE VVLGAVIT.) Atqui negant fabulam Seneca, Pausanias, Plinius, Iustinus; singulos audiamus.

lib. 3. c. 13.

lib. 2. c. 25.

Sen. de ira: *Nam Lysimachum æquè familiarem sibi, leoni obiecit. Nunquid ergo hic Lysimachus, felicitate quadam dentibus leonis elapsus, ob hoc cum ipse regnaret mitior fuit?* Subijcit deinde de hoc Lysimacho plura, quæ alio fortasse loco tradentur. Idem de Clementia: *Quid enim interest, oro te Alexander, leoni Lysimachum obijcias, an ipse laceres dentibus tuis? tuum illud os est, tua illa feritas. O quàm cuperes tibi potius vngues esse, tibi rictum illum edendorum hominum capacem.*

In Attic. n. 8.

Pausanias: *Fuit Lysimachus natione Macedo, Alexandri satelles, quem rex ira incensus in eandem cum leone caueam conijci iusserat. Sed cum ab eo bestiam exanimatam intellexisset, viri perpetua admiratione virtutem prosecutus, eodem illum, quo optimum quemque è Macedonibus loco esse voluit. Mortuo verò Alexandro et Thraciæ parti, quæ Macedoniæ finitima est, imperauit.* Multa his alia addit infrà collocanda.

Plinius

Plinius etiam his suffragatur: *Quo minus mirum sit, à Lysimacho Alexandri iussu simul incluso strangulatum leonem.* l.8.c.16.

Iustinus * prolixius prosequitur omnia, additque propinatum à Lysimacho Callistheni venenum in remedium calamitatum, indeque leoni obiectum ipsum Lysimachum. l.15.

Veri ergo similius est, quod tam multi narrant de Lysimacho non fabulam fuisse. De hac theromachia Plutarchus in Alexandro: *Igitur laborem intendi in expeditionibus & venationibus subigens corpus suum & periculis exponens, vt Laco legatus qui assistebat cùm conficeret grandem leonem, diceret: Macte Alexander, istorum leone de regno pugna. Hanc venationem Craterus Delphis dedicauit, ac simulacra ex ære leonis, canum, regis cum leone congressi, & suum ei succurrentis facienda locauit, quorum Lysippus partem Leochares fecit.*

SCIVERE GENTIS SVAE MORE) Multas Macedones per se absque regis auctoritate leges condidére, quæ tamen pleræque ad regiam maiestatem tuendam pertinebant. vt suprà l.5.cap.6. *Amyntas adduxerat L. principum Macedoniæ liberos adultos ad custodiam corporis, quippe inter epulas hi sunt regis ministri, ijdemque equos, ineunti prælium, admouent, venantemque comitantur, & vigiliarum vices ante cubiculi fores seruant, magnorumque præfectorum & ducum hæc incrementa sunt & rudimenta.* Et infra lib. hoc c.13. *Mos erat vt supra dictum est) principibus*, & quæ sequuntur. Et lib.6.c.16. *De capitalibus rebus vetusto Macedonū modo inquirebat exercitus: in pace erat vulgi: nihil potestas regum valebat, nisi prius valuisset auctoritas.* & quæ sequuntur. Ita ergo & hic decreuêre proceres Macedoniæ qui cum regi erant, more gentis suæ, vti rex deinceps nunquam pedes venaretur, sine delectis principum amicorumque. Ex quo discis feram hic immanem ab Alexandro pedite non equite confectam.

QVATVOR CIƆ.FER.DEIECTIS) Obserua cum Acidalio hic vim vocis *deiecti* non proculcatum vsum, qui & lib.3. *Omnis ætatis ac memoriæ clarissimum regem non in acie saltem, non ab hoste deiectum, sed abluentem aqua corpus ereptum esse.* Acidal.p. 98.n.225.

Et apud Horat.

---- milite nam tuo
Drusus Genaunos, implacidum genus
Brennosque veloces & arces
Alpibus impositas tremendis
Deiecit acer plus vice simplici.

CAPVT III.

ARGVMENTVM.

Narratio de Clito inter epulas ab Alexandro ob linguæ intemperantiam occiso.

INde Maracanda reditum est, acceptaque ætatis excusatione ab Artabazo prouinciam eius destinat Clito. Hic erat qui apud Granicum amnem regem nudo capite dimicantem clypeo suo texit, & Rhosacis manum capiti regis imminentem gladio amputauit; vetus Philippi miles multisque bellicis operibus clarus. Hellanice, quæ Alexandrum educauerat, soror eius, haud secus quam mater à rege diligebatur. Ob has caussas validissimam imperij partem fidei eius tutelæque commisit. Iamque iter parare in posterum iussus, solenni & tempestiuo adhibetur conuiuio. In quo rex cum multo incaluisset mero, immodicus æstimator sui, celebrare quæ gesserat, cœpit, grauis etiam eorum auribus qui sentiebant vera memorari. Silentium tamen habuêre seniores, donec Philippi res orsus obterere, nobilem apud Cheroneam victoriam sui operis fuisse iactauit, ademptaque sibi malignitate & inuidia patris tantæ rei gloriam. Illum quidem seditione inter Macedones milites & Græcos mercenarios orta, debilitatum vulnere,

 quod

quod in ea consternatione acceperat, iacuisse non aliàs quàm simulatione mortis tutiorem: & corpus eius protexisse clypeo suo, ruentesque in illum sua manu occisos. quæ patrem nunquam æquo animo esse confessum inuitum filio debentem salutem suam. Itaque post expeditionem, quam sine eo fecisset ipse in Illyrios, victorem scripsisse se patri fusos fugatosque hostes, nec affuisse vsquam Philippum: Laude dignos esse non qui Samothracum initia viserent cùm Asiam vri vastarique oporteret, sed eos qui magnitudine rerum fidem antecessissent. Hæc & his similia læti audière iuuenes: ingrata senioribus erant, maximè propter Philippum, sub quo diutius vixerant. Cum Clitus, ne ipse quidem satis sobrius, ad eos qui infra ipsum cubabant, conuersus, Euripidis retulit carmen, ita vt sonus magis quàm sermo exaudiri posset à rege, quo significabatur, male instituisse Græcos, quod tropæis regum duntaxat nomina inscriberent: Alieno enim sanguine partam gloriam intercipi. Itaque rex cum suspicaretur malignius habitum esse sermonem, percontari proximos cœpit, quid ex Clito audissent. Et illis ad silentium obstinatis, Clitus paullatim maiore voce Philippi acta belláque in Græcia gesta commemorat, omnia præsentibus præferens. Hinc inter iuniores senioresque orta contentio est. Et rex velut patienter audiret, quis Clitus obterebat laudes eius, ingentem iram conceperat. Cæterum cum animo videretur imperaturus si finem procaciter orto sermoni Clitus imponeret, nihil eo remittente, magis exasperabatur. Iamque Clitus etiam Parmenionem defendere audebat, & Philippi de Atheniensibus victoriam, Thebarum præferebat excidia, non vino modò, sed etiam animo praua contentione prouectus. Ad vltimum, Si moriendum, inquit, est pro te, Clitus est primus, at cum victoriæ arbitrium agis præcipuum ferunt præmium, qui procacissimè patris tui memoriæ illudunt. Sogdianam regionem mihi attribuis, toties rebellem, & modò indomitam, sed quæ ne subigi quidem possit. Mittor ad feras bestias præcipitia ingenia sortitas. Sed quæ ad me pertinent, transeo. Philippi milites spernis, oblitus, nisi hic Atharias senex iuniores pugnam detrectantes reuocasset, adhuc nos circa Alicarnasum hæsuros fuisse. Quomodo igitur Asiam etiam cum istis iunioribus subiecisti? verum est (vt opinor) quod auunculum in Italia dixisse constat, ipsum in viros incidisse, te in fœminas. Nihil ex omnibus inconsultè ac temerè iactis regem magis mouerat, quam Parmenionis cum honore mentio illata. Dolorem tamen repressit, contentus iussisse vt conuiuio excederet. Nec quidquam aliud adiecit, quam forsitan eum (si diutius locutus foret) exprobraturum sibi fuisse vitam à semetipso datam: hoc enim superbè sæpè iactasse. Atque illum cunctantem adhuc surgere, qui proximi ei cubuerant, iniectis manibus vrgentes monentesque conabantur abducere. Clitus cum abstraheretur, ad pristinam violentiam ira quoque adiecta, suo pectore tergum illius esse defensum, nunc postquam tanti meriti præterierit tempus, etiam memoriam inuisam esse proclamat. Attali quoque cædem obiiciebat: & ad vltimum, Iouis quem patrem sibi Alexander assereret, oraculum eludens, veriora se regi quam patrem eius respondisse dicebat. Iam tantum iræ conceperat rex, quantum vix sobrius ferre potuisset. Enimuero olim mero sensibus victis ex lecto repente prosiluit. Attoniti amici ne positis quidem, sed abiectis poculis consurgunt, in euentum rei quam tanto impetu acturus esset intenti. Alexander rapta lancea ex manibus armigeri, Clitum adhuc eadem lingua intemperantia furentem percutere conatus, à Ptolemæo & Perdicca inhibetur. Medium complexi & obluctari perseuerantem morabantur. Lysimachus & Leonatus etiam lanceam abstulerant. Ille militum fidem implorans, comprehendi se à proximis amicorum, quod Dario nuper accidisset, exclamat, signumque tuba dari, vt ad regiam armati coirent, iubet. Tum verò Ptolemæus & Perdiccas genibus aduoluti orant, ne in tam præcipiti ira perseueret, spatiumque potius animo det: omnia postero die iustius exsecuturum. Sed clausæ erant aures, obstrepente ira. Itaque impotens animi procurrit in regiæ vestibulum, & vigili excubanti hasta ablata, constitit in aditu, quo necesse erat iis qui simul cœnauerant, egredi. Abierant cæteri; Clitus vltimus sine lumine exibat. Quem rex quisnam esset interrogat. Eminebat etiam in voce sceleris, quod parabat, atrocitas. Et ille iam non suæ, sed regis iræ memor, Clitum se esse & de conuiuio exire respondit. Hæc dicentis latus hasta transfixit, morientisque sanguine aspersus, I nunc, inquit, ad Philippum, & Parmenionem, & Attalum.

Gra-

Grauissimum & illustrissimum hoc caput est de cæde Cliti, quæ Clitum celebriorem fecit, quã omnia facta eius priora, dolorem autem Alexandro creauit tantum, vt nollet viuere, inuidiamque peperit apud omnem posteritatem nunquam extinguendam.

AETATIS EXCVSATIONE) Iam enim proximè centesimum erat Artabazus. Petræ & Sogdianæ prouinciæ Satrapes ab Alexandro constitutus. De hoc plurima superioribus libris. Indicem inspice.

PROVINCIAM EIVS DESTINAT CLITO) parum illi gratam propter intractabilia incolarũ ingenia, mores asperos, vitia feris quam hominibus propria. ita testatur ipse Clitus: *Sogdianã regionem mihi attribuis, toties rebellem & non modò indomitam, sed quæ nec subigi quidem possit. Mittor ad feras bestias præcipitia ingenia sortitas.* Latini nunc Clytum vocali græca, nunc Clitum simplici i scribunt, Arrianus, Plutarchus, Diodorus diphtongo, ει, Κλεῖτον dixere. Ita Latinè emendatius simplici i prouinciatur & scribitur, sicut βασίλειος Basilius, & hoc genus alia, quod ipsum i subinde per e efferunt, vt λαοδίκεια Laodicea.

HIC ERAT QVI APVD GRANICVM AMNEM) In id, inquit Mela, *Granicus effunditur, pugna qua primum inter Persas & Alexandrum fuit nobilis.* Curtius etiam, *Sic Granicum tot millibus equitum peditumque in vlteriore stantibus ripa superauit. Asia minoris fluuius est, ex Ida monte profluens.* Strabo in 13. *Inter Aesepum & Priapum Granicus fluit, maiori parte per Adrastea campum. Ad hunc amnem Alexander Satrapas Darij, prælio deuicit, ac quicquid Asia est intra Taurum atque Euphratem suum fecit.* Ptolemæus cum Homero Grenicum γρήνικον appellat. Sed η, nunc in ι, nunc in α, apud Latinos mutatur, sæpius in e, Philometor, Diomedes Aristodemus. mater tamen è Græco est, sed Dorico. cap. 19. l. 4. c. 23.

NVDO CAPITE REGEM DIMICANTEM CLYPEO SVO TEXIT) ita gloriatur ipse mox infra: *suo pectore tergum regis defensum*: Et apud Plutarchum: *Atqui hæc, inquit, te timiditas dijs prognatum à Spithridatis gladio terga iam dantem vindicauit.* Ita quoque apud Arrianum idem Clitus Παροινῶντα ἤδη τόν Κλεῖτον τάτε ἄλλα καὶ πολλὴν ἔτι εἰς ἐξονειδίζοντα Αλεξάνδρον, ὅτι πρὸς αὐτοῦ ἄρα ἐσώθη ὅτε ἡ ἱππομαχία ἡ ἐπὶ γρανίκῳ ξυνέβη πρὸς Πέρσας. Καὶ δὴ τὴν δεξιὰν τὴν αὐτοῦ σοβαρῶς ἀνατείναντα, αὕτη σε ἡ χεὶρ (φάναι) ὦ Αλέξανδρε ἐν τοτε ἔσωσε. *Clitum iam vino furentem cum alia, tum exprobraße Alexandro quod in equestri prælio ad Granicum aduersus Persas ab ipso seruatus esset, simulque dextra arroganter expansa dixisse: Hæc manus Alexander te seruauit.*

Rem ad Granicum gestam ita ferè tradidit Diodorus, quæ in Curtio desideratur, nonnihil ab ipsis Curtij verbis, hic Alexandrum nudo capite dimicasse affirmantis, discrepans, quando illum casside induit, hic nudat, nisi dicas Alexandrum galeã ab Rosace ictu perfractã tum demum nudo capite pugnasse: Diodorus in hac narratione multus est, quem adibis.

Arrianus etiam galeatum affirmat, sed diuersa ab vtroque narrat. Non ponam hic longam Arriani descriptionem prælij: ea tantum quæ huc faciunt, accipe, cætera si vacas, tute lege. *Qua hasta arrepta Mithridatem Darij generum longè ante alios equo prouectum conspicatus, equitum exiguo comitatu assumto, ipse etiam alios anteuertens eques in eum fertur, atque ora traiectum prosternit. Ibi Rœsaces in Alexandrum inuectus securi caput eius ferit, galeaque nonnihil diffracta ictus itritus resilijt: Hunc etiam Alexander sternit, hasta per thoracem in pectus icta. Iamque Spithridates in Alexandrum altè à tergo securim sustulerat, quum Clitus Dropidis filius securi in eius humerum adacta, brachium ei discidit.* Ergo Arrianus Spithridati brachium à Clito præcisum ait, non Rosaci vel Rhœsaci, vt ab Arriano appellatur. Nec omittendus hic Plutarchus, qui singillatim quædam enucleatius exprimit, & Clitum hunc Magnum cognominat, nisi cum Diodoro legas μέλας non μέγας, mendum est vel apud hunc, vel Diodorum. *Cum multi*, inquit interpres, *immineretutlli (erat enim peltã in signis & galea tubâ, qua hinc inde pinnas directas habebat candore & magnitudine singulares) iaculo sub lorica compagine percussus non accepit vulnus. At Rhœsace & Spithridate ducibus simul in ipsum inuehentibus hunc declinauit, Rhœsaci præuenit lanceam loricato infligere. Ea præfracta gladium stringit. His commissis, adigit Spithridates ex latere equum, atque Alexandrum acriter adortus copide barbarica ferit, cristamque cum altera auellit pinna. Galea probè quidem sed ægrè tamen restitit ictui, ac mucro copidis supremos capillos eius perstrinxit. Alterum ictum librantem occupauit Clitus* magnus hastã medium transfigere: simul Rhœsaces ense ab Alexandro ictus concidit.* l. 1. p. 16. p. 5. & 10. * Niger.

MVLTISQVE BELLICIS OPERIBVS CLARVS) etiam pictoribus non ignotus: certè apud Plinium Appelles in bellum properantem, & arma ab armigero petentem ex penicillo expressit. Arrogantiam huius eiusdem reor notauit Plutarchus in 2. de fort. Alex. *Ecce tibi, inquit, Clitus ad Amorgum tribus, aut ad summum quatuor depressis Græcorum nauibus, tridentem gestans, Neptunum vocari se passus est.* l. 35. c. 10. p. 57.

HELLANICE SOROR EIVS) hæc nutrix Alexandri fuerat alteraque parens, Lanice Arriano, capite diminuto, vt Acidalius verè meo animo veriùs Hellanice.

VALIDISSIMAM IMPERII PARTEM) Sogdianam prouinciam, vti dixi.

SOLENNI ET TEMPESTIVO CONVIVIO) Tempestiua conuiuia appellant, quæ certo diei tempore aguntur apparatiora, in multam noctem cum pluribus amicis producta, eoque sensu Cicero vocem accepit in oratione pro Archia poeta, & in Catone. Sed hoc Alexandri tempestiuum conuiuium planè versum est in intempestiuum, & potius Centaurorum ac Lapitharum prælium. De intempestiuis conuiuijs plura suprà lib. 6. c. 2. De toto porro genere conuiuiorum intempestiuorum copiosè disputauit Aldus Manutius Pauli F. Aldi nepos l. 1. de quæsitis per epistolas c. 5. quem videbis. Extat in Thes. Critico Gruteri tom. 4. p. 201.

CELEBRARE QVAE GESSERAT CAEPIT) turpis iactantia. Homer.

--- οὐ μὲν καλὸν ὑπέρβιον εὐχετάασθαι.
Haud sanè pulchrum est sese iactare superbè.
μὴ μεγάλα λέγε, Inquit Diogenes.
Ne magna loquaris.

GRAVIS ETIAM EORVM AVRIBVS, QVI SENT. VERA MEMORARI)

πολλοί τοι μισοῦσιν ἂν σαυτὸν φιλῇς
Multi te oderint si te ipsum laudas.

NOBILEM APVD CHAERONEAM VICTORIAM) De Chæronea Bæotiæ vrbe Stephanus περὶ πόλεων. χαιρώνεια πόλις πρὸς τοῖς ὅροις φωκίδος. Ἑκαταῖος εὐρώπῃ. ἐν δὲ χαιρώνεια πόλις. τὸ πρῶτον κέκληται ἀπὸ χαίρωνος. Ἀριστοφάνης ἐν Βοιωτιακῶν δευτέρῳ, λέγεται δ' οἰκιστὴν γενέσθαι τοῦ πολίσματος χαίρωνα. τὸν τεμ... μυθολογοῦσιν Ἀπόλλωνος καὶ Θηροῦς, ὡς Ἑλλάνικος ἐν δευτέρῳ ἱερειῶν Ἥρας. Et paullò pòst, ἐκαλεῖτο οὖν καὶ Ἄρνη τὸ ἀρχαῖον. Quæ ego ita intelligo, *Charonea ad fines Phocidis sita est, quemadmodum docet Hecatæus in Europa sua. Iuxta autem Charonea vrbs est primum à Charone dicta, vt Aristophanes in altero volumine rerum Bæoticarum ostendit. Charonem fabulantur Apollinis & Theronis filium vrbis conditorem fuisse, vt Hellanicus in altero de sacris seu fanis Iunonis scripsit. Vocabatur autem vrbs hac olim etiā Arne.*

Pausanias in extremo Bœoticorum. *Lebadensibus vicini proximi sunt Charonenses. Eorum vrbs olim appellata est Arne, filiam Aeoli Arnen fuisse dicunt, à qua vrbs etiam altera in Thessalia Arne fuerit nuncupata. Hoc autem quod nunc habent nominis contigisse eis à Charone quem Apollinis*
In nono de Bœotia p. 285. *fuisse filium arbitrantur, ex Therone Philantis filia.* Ex Chæronea iter est in Phociden, vt idem Pausanias in Phocicis narrat. Strabo propius ad rem accedit. Χαιρώνεια δ' ἐστὶν Ὀρχομενοῦ πλησίον, ὅπου Φίλιππος ὁ Ἀμύντου μεγάλῃ μάχῃ νικήσας Ἀθηναίους τε καὶ Βοιωτοὺς καὶ Κορινθίους κατέστη τῆς Ἑλλάδος κύριος, & quæ ibidem sequuntur. *Charonea proxima est Orchomeno, vbi Philippus Amyntā natus magno prælio superauit Athenienses, Bœotos & Corinthios, Græciaq; dominus factus est.*

VICTORIAM SVI OPERIS IACTAVIT) Huius infaustæ Atheniensium expeditionis aduersus Philippum auctor & suasor fuerat Demosthenes, qui in ipsa etiam acie clypeatus apparuit, sed quomodo illi pugnabant maximè, hic, vt Sosia apud Plautum, fugiebat maximè. Cæterùm victoriæ viam muniuit Alexander Philippo, qui alterum cornu hostium primus in fugam con-
*p. 474. iecit. Rem vti gesta est enarrat * Diodorus, ex quo disces Alexandro non exiguam fuisse caussam
p. 266. iactationis, qua sibi victoriam vindicabat. Addit Siculus à Philippo tropæum fuisse erectum post victoriam Cheronensem, quod negat Pausanias, quem audi in Bœoticis. *In Charonensium agro duo sunt trophaa: ea dux Romanorum Sylla erexit, Taxilo fuso Mithridatis copiarum duce. Amynta quidem filius Philippus, neque ad Charoneam, neque vspiam vel de barbaris vel de Gracis à se victis vllum erexit trophaum: neque fuit omnino patrius Macedonibus mos, victorias suas trophais vllis testatas relinquere. Est à Macedonibus ipsis traditum, Caranum regem suum victo in pugna Cisseo, qui finitimis imperabat, Argiuorum ritu trophaum constituisse. Erumpentem autem ex Olympo leonem ita illud subuertisse, vt prorsus fuerit abolitum. Intellexisse Caranum id sibi meritò contigisse, quod eo monumento erecto, spem sibi reditus in gratiam finitimis pracidisset: reliquo dehinc tempore neque Caranum, neque successorem quemquam trophaum vllum excitasse, quod nempe sibi ad reditum in gratiam cum hostibus loci aliquid relictum voluerunt. Satis certum fuit huius rei argumentum, quòd Alexander neque de Dario, neq; de Indicis victorijs trophaum vllum erigendum curauit.*

De Chæronensi clade & victoria Philippi, Demosthenis fuga multa doctissimus noster A. Schotthus in vitis comparat. Arist. & Demosthenis, quem videbis. De Pisone etiam Aristides, Lucianus, Suidas, Plutarchus.

SEDITIONE INTER MAC. MIL. ET GRAECOS MERCEN. ORTA) Frequentes existunt in castris ex pluribus nationibus collectis discordiæ, seditiones, secessiones, defectiones, transitiones, vt passim antiquorum memoriæ ostendunt, vt miraculi instar sit in Hanniba-

lis

lis exercitu ex tam varijs gentibus conflato nullam vnquam seditionem ortam , quod existimationi, prudentiæ, auctoritati & solertiæ ducis adscriptum fuit. Sed de hac in Philippi exercitu nata seditione & periculo Philippi, nihil alij narrant, vti nec de expeditione Alexandri in Illyrios adhuc viuo patre.

NVNQVAM AEQVO ANIMO ESSE CONFESSVM, INVIT. FIL. DEB. SALVTEM SVAM) Craterus suprà lib. 6. c. 16. *Scio* (de Parmenione loquitur) *non æquo animo salutem filij sui debiturum tibi Quadam beneficia odimus.*

NON QVI SAMOTHRACVM INITIA VISERENT) Carpit Philippum & Heroas & semideos, qui ante bellicas expeditiones sacris Samothracum initiabantur , vt ope deûm rem feliciter gererent. Diodorus rem totam describit, quæ ad Samothracum religionem pertinent lib. 5. qui consuli poterit. Hanc religionem , initia siue sacra irridet Alexander , nec illos vllis laudibus celebrandos qui sacris Samothracum initiati essent, cum potius Asia, hostium terra, vrenda & vastanda esset. Eos ergo laudibus in cælum efferendos, qui tantas tamque ingentes res gessissent, quæ omnem etiam fidem excederent , in quorum numerum se principem ponendum intelligebat Alexander. Quæ iactatio vt æqualibus Alexandri vehementer placuit , cui ab iunioribus quoque applausum est, non sine graui seniorum indignatione, præsertim Cliti, qui ex Philippi ducibus facilè princeps erat.

Cæterùm Samothrace insula est in Aegæo mari, olim Samos dicta , sed condita Samo vt à propinqua nominis eiusdem insula discerneretur, Samothraciæ nomen assumsit . Alij quod Thraciæ obiecta sit , Samothraciam dictam putant. Alij quod ab immigrantibus in eam è Samo & Thracia colonijs nomen Samothraciæ adeptam memorant . Mysteria Iupiter Iasioni tradidisse fertur, antea quidem in insula recepta, sed per Iasionem instaurata , à quo exteri quoque feruntur initiati, vnde maior ceremonijs his celebritas accessit : templumque adeò donis & votis auctum & locupletatum est, vt auctore Eustathio ad Dionysium Cilices piratæ oppressa repente è templo plus sexcenties centenis millibus aureorum abstulerint. Initia autem propriè vocantur sacra arcana Samothracum, qui vt est apud Varronem qui de dijs Samothracum hæc tradit : *Terra enim & cælum, vt Samothracum initia docent, sunt dei magni, & hi quos dixi, multis nominibus. nam neque quas Ambracia ante portas statuit, duas viriles species aheneas, hi Samothraces dij qui Castor & Pollux : sed hi mas & fœmina: & hi quos augurum libri scriptos habent , sic Diuipotes, & sunt pro illis quos in Samothrace θεοὶ δυνατοί. Hæc duo cælum & terra: quod anima & corpus: humidum & frigidum.*

Diod. l. 5. p. 221.

p. 116. 60000000. sexaginta milliones

p. 12. Auct. lat.

Oua parire solet genus pennis condecoratum
Non animas. *vt ait Ennius.*

Et infrà: Animæ & corporis discessus quod natis fit exitus, inde exitium, *vt cum in vnum ineunt initia.* Cassius Hemina & Macrobius Samothracas deos existimarunt esse Penates & magnos deos . Dionysius Halicarnasseus insulam à Samone Mercurij F & loco, dictam ait Samothraciam . De dijs Samothracum idem paullò infrà ex Callistrato & Satyro non pauca quæ ibi videbis . Nobis hæc plus satis. Initia vocantur etiam sacra Cereris apud Varronem. Cicero mysteria & principia vitæ quibus ad humanitatem sumus exculti. De quibus & Liuius dec. 4. l. 1. & alibi.

1. Rom. antiq. p. 50.

l. 3. de re rust. c. 1.

CVM CLITVS NEC IPSE SATIS SOBRIVS) Quantæ tragediæ ex Alexandri & Cliti compotatione sint natæ, miserandus huius interitus docet.

INFRA IPSVM CVBABANT) Inter primos enim & proximos Alexandri accubuerat Clitus, honoratissimus amicorum. Accumbebant autem more Græcorum & Romanorum, non assidebant, vt ad Martialem pluribus docui.

EVRIPIDIS RETVLIT CARMEN) Versus ad infra se accubantes, auersus ab Alexandro, qui non nisi sonum verborum, verba ipsa non percepit , quæ pertinebant ad id quod Alexander sibi victoriam Chæroneam vindicaret, alii Philippo assererent, Clitus ex Euripide neutro singillatim, sed ducibus simul & militi. Versus sunt in Euripidis Andromache inter tragœdias vltima , quæ extant.

Οἴμοι, καθ' Ἑλλάδ' ὡς κακῶς νομίζεται
Οταν τροπαῖα πολεμίων στήσῃ στρατὸς
Οὐ τῶν πονούντων τοὔργον ἡγοῦνται τόδε,
Αλλ' ὁ στρατηγὸς τὴν δόκησιν ἄρνυται
Ος εἷς μετ' ἄλλων μυρίων πάλλων δόρυ
Οὐδὲν πλέον δρῶν ἑνὸς, ἔχει πλείω λόγον.
Hei mihi, quàm malus mos est in Græcia!
Quum exercitus statuit tropæa de hostibus
Non putant hoc opus esse laborantium militum
Sed imperator victoriæ gloriam reportat
Qui vnus vibrans hastam cum alijs innumeris
Nihil plus vno faciens habet maiorem famam.

ducem Diomedem, condiderant. Sed pulsi ab Appulis, consulentes oracula responsum acceperant, locum quē repetissent, perpetuò possessuros. Hac igitur ex causâ, per legatos cum belli comminatione restitui sibi ab Appulis vrbem postulauerant. Sed vbi Appulis oraculum innotuit, interfectos legatos in vrbe spoliauerant, perpetuam ibi sedem habituros. Atque ita defuncti responso, diu vrbem possederunt. Quod factum cùm cognouisset Alexander, antiquitatis fata veneratus, bello Appulorum abstinuit. Gessit & cum Brutijs Lucanisque bellum, multasque vrbes cepit: tum & cum Metapontinis & Pediculis, & Romanis fœdus amicitiamque fecit. Sed Brutij Lucaniq; cum auxilia à finitimis contraxissent acrim bellum repetiuēre. Ibi rex iuxta vrbem Pandosiam & flumen Acheronta non prius fatalis loci cognito nomine, quàm occideret, interficitur, moriensque non in patria fuisse sibi periculosam mortem, propter quam patriam fugerat, intellexit. Corpus eius Thurij publice redemptum sepultura tradiderunt.

Orosius breuiter, qui à Samnitibus occisum tradit, *Anno ab vrbe condita 422. Alexander rex Epirotarum, Alexandri illius Magni auunculus, traiectis in Italiam copijs cum bellum aduersus Romanos pararet, & circa finitimas Romæ vrbes firmare vires exercitus sui, auxiliaq; vel sibi acquirere vel hostibus subtrahere studens bellis exerceretur à Samnitibus, qui Lucanæ genti suffragabantur maximo bello in Lucania victus atq; occisus est.* Rem eandem ijsdem verbis narrat in miscella Paullus Diaconus. Est etiam huius mentio apud Strabonem in 6. *Paullùm suprà hanc* (Consentiam) *sita est Pandosia castrum validum, vbi Alexander Molossus perijt.* Addit Strabo etiam Dodonæum oraculum quo deceptus est Epirensis de quo iam dictum. L. 3. c. 11. p. 159.

VITAM A SEMETIPSO DATAM) Apud Plutarchum sanè ita gloriatur vti mox videbimus.

ATTALI QVOQVE CAEDEM) Hunc infra quoque cum Parmenione, Alexandro Lyncefte, Philota, Clito obiecit regi Hermolaus De hoc Attalo dictum l. 7. c. 1.

VERIORA SE REGI QVAM PAT. EIVS RESP. DICEBAT) Hęc oratio regem adhuc se continentem, omnino in rabiem egit, ita vt omnia suique deque ageret, ferret.

IAM * OLIM MERO SENSIBVS VICTIS) τὸ *olim* obseruandum, poni hic pro præsenti tempore, habet hæc vox variam significationem, & nunc pro longi temporis intercapedine: nunc prò *ante* vt hic etiam accipi & infrà c. 12. potest; Iam ante ebrius: nunc pro *nuper* nunc pro futuro: quarum significationem exempla & testimonia compluria lexicographi adducunt, quos videbis. * antè

NEPOSITIS QVIDEM SED ABIECTIS POCVLIS) hic tragicum & cruentum spectaculum incipit.

DARIO NVPER ACCIDISSET) cùm à Besso & Nabarzane comprehensus & aureis catenis vinctus est l. 5. c. 23.

OBSTREPENTE IRA) Verum docet græcus senarius.

> ὀργῇ δὲ φαύλῃ πόλλ' ἔνεστ' ἀσχήμονα
>
> *Ira improba multa sunt indecora.*

VIGILI HASTA ABLATA) nam facilè furor arma ministrat.

SINE LVMINE) vinum, ira, nox densissimas offuderant tenebras & Clito & Alexandro.

EMINEBAT ETIAM IN VOCE SCEL. ATROCITAS) actus enim in rabiem non loqui sed cum ingenti verborum fremitu furere Alexander iubebatur.

ILLE IAM NON SVAE SED REGIS IRAE MEMOR) quia in sæuo & insano hoc tumultu Clitus cùm vnum se peti quærique ad necem viderat, versa in metum & euentum ira, per tenebras conabatur euadere.

CLITVM SE ESSE ET E CONVIVIO EXIRE) Poterat regem mitigare vox confitentis; ne alius pro ipso, periculo obijceretur, simulque nomen conuiuij, in quo hospitalitas & lex conuiualis erat seruanda, sed ira nulla nouit iura. Itaque clarissimus princeps & nutricis Alexandri germanus, in tenebris tanquam à latrone aut parricida obtruncatur: Atque hoc caput est narrationis, in quo quidem & Plutarchus & Arrianus & Iustinus & Orosius conueniunt, non item in modo & alijs perissasibus, quas lector si volet scire, apud laudatos sciptores cognoscet. Ego propero.

Hoc immane facinus seu cædes seu parricidium, ingentem Alexandro conflauit apud suos & posteros, inuidiam, odium & infamiam. Senecam inter primos audi simul in ebrietatem declamantem. *Refer Alexandri Macedonis exemplum, qui Clitum carissimum sibi ac fidelissimum inter epulas trāsfodit, & intellecto facinore mori voluit, certè debuit.* Tum, quæ de ebrietate sequuntur, sobrius percurre, vt nunquam ebrius fias. plura de eod. idem seneca de ira.

Eiusdem cædis mentionem fecit M. Tullius in 4. Tuscul. Diodorus Siculus in indice lib. 17. περὶ τῆς εἰς τὸν Διόνυσον ἁμαρτίας καὶ τῆς παρὰ τὸν πότον ἀναιρέσεως Κλείτου. De impietate in Bacchum & Cliti inter compotandum trucidatione. Sed narratio in ipso volumine desideratur. Acerbe etiam Diogenes apud Lucianum:

Huius tamen opinor Cliti fastum notauit Athenæus qui in xii volumine hæc de illo: *Clitus verò cognomine Candidus* (alijs niger, alijs magnus appellatus, vt supra docui) *quoties adeuntibus respōdere vellet, amictus purpura & obambulans, cum ijs, qui compellauerant, sermones conferebat.*

Idem se Neptunum appellari patiebatur.

Cæterùm Curtius hoc caput à nobili gnome incipit, de natura ipsa questus, dum quodammodo cum Lucretio exclamat,

O curuas hominum mentes, ô pectora cæca!

Nempe qui post factum demum plerumque sapiunt, & præterita, non futura perpendunt.

SERVATOREM SVI, Hoc nempe sæpius iactarat Clitus seruatum à se regem, sed rex inuitus debebat salutem seruo suo.

QVAE VINO POTERANT IMPVTARI) Recurre ad illum locum lib. 6. c. 20. de Hegelocho: vtrumne vino grauatus effudisset illa. Et quæ nos ad epigramma 25. Martialis, quod Procillo inscribitur lib. 1.

MANABAT TOTO VESTIBVLO CRVOR) Hæc est egregia rei quasi præsentis hypotyposis, qua sub oculos lectoris à scriptore tragicum facinus subijcitur. In quo genere plurimum valuit Cicero, vt ex vltima in Verrem oratione, quæ de supplicijs est, & altera Philippica cognosci potest.

LANIABAT DEINDE OS VNGVIBVS) Hoc veteri more gentium, vt etiam in XII. inhiberetur: *genas ne radunto.*

ANNIVERSARIVM SACRIFICIVM LIBERO PATRI NON ESSE REDDITVM) Quam variè Baccho seu Libero patri feriæ Græcis sint celebratæ, ostendit in Græcia feriata Meursius & Gyraldus in historia deorum. De eodem festo Arrianus, quem paullò antè adduxi, qui tamen ipse non explicat quod genus sacrorum hoc apud Macedones fuerit, ipsi quoque, homini quamuis Græco, ignotum. *Diem quendam*, inquit, *apud Macedones Baccho sacrum esse ferunt, atq. Alexandrum quotannis eo die Baccho sacrificare solitum temporis neglecto Baccho Dioscuris sacrum fecisse*, & quæ sequuntur iam supra collocata: Nec sanè multum interest, scire quo die, qua hostia, & quomodo Baccho sacrificarit. felicior fuisset si Libero patri non tam liberaliter in conuiuijs & symposijs & tam sæpè operatus esset.

VIVENDVM ESSE IN SOLITVDINE) *Tyrannis* (enim) *omnis amicitia egentissima.*

NVTRICI MEAE) Hellanicæ sorori Cliti, vt dictum.

CVIVS DVO FILII) Mileti oppugnationem Arrianus, *a* Plutarchus, & *b* Diodorus exponunt, sed nullus filiorum Hellanices vllam mentionem fecit, contenti caput rerum singularibus, quod plerunque fit, neglectis, attigisse. a l. E b l. 17

SERVATORVM MEORVM LATRO) quasi etiam duos reliquos occidisset, qui pro ipso ad Miletum occubuerant.

IVRE INTERFECTVM CLITVM DECERNVNT) Cædem Cliti iure quodammodo factam ipse etiam Alexander infrà c. 16. docet, vbi Hermolao respondet, *Clitus vtinam non coëgisset me sibi irasci, cuius temerariam linguam probra dicentis mihi & vobis, diutius tuli, quam ille eadem me dicentem tulisset. Regum ducumque clementia non in ipsorum modò, sed etiam in illorum qui parent, ingenijs sita est. Obsequio mitigantur* impia. *Vbi verò reuerentia excessit animis, & summa imis confundimus, vi opus est vt vim repellamus.*

Totam hanc de Alexandri lachrymis, dolore ex cæde Cliti concepto, decreto moriendi, consolatione amicorum, Curtij narrationem illustrat Plutarchus & Arrianus, qui sunt in manibus.

SEPVLTVRA QVOQVE PROHIBITVRI) quasi damnati & iure occisi. quæ summa apud Græcos ignominia, caruisse sepultura. nam αὐτόχειρες, rei, tyranni, proditores, & hoc infame & execratum genus hominum sepultura prohibebantur, quod ex variis scriptoribus testatur Alexander Neapolitanus, l. 6. c. 14. p. 352. v. vlt.

NI REX SEPELIRI IVSSISSET) vt Charidemum Darius lib. 3. c. 5. *Hac vociferantem quibus imperatum erat, iugulant. Sera deinde pœnitentia subijt regem, ac vera dixisse confessus, sepeliri eum iussit.*

CAPVT V.

ARGVMENTVM.

Xenipporum descriptio. Amyntæ cruenta victoria de Bactrianis exsulibus, in gratiam tamen ab Alexandro receptis.

Igitur



Gitur decem diebus maximè ad confirmandum pudorem apud Maracanda consumtis, cum parte exercitus Hephæstionem in regionem Bactrianam misit, commeatus in hyemem paraturum. Quam autem Clito destinauerat prouinciam, Amyntæ dedit: Ipse Xenippa peruenit. Scythia confinis est regio, habitaturque pluribus ac frequentibus vicis, quia vbertas terræ non indigenas modò detinet, sed etiam aduenas inuitat. Bactrianorum exsulum, qui ab Alexandro defecerant, receptaculum fuerat. Sed postquam regem aduentare compertum est, pulsi ab incolis duo ferè millia & DC. congregantur: Omnes equites erant, etiam in pace latrociniis assueti: tũ ferocia ingenia non bellum modò, sed etiam veniæ desperatio efferauerat. Itaque ex improuiso adorti Amyntam prætorem Alexandri, diu anceps prælium fecerant. Ad vltimum DCC. suorum amissis, quorum CCC. hostis cepit, dedêre terga victoribus, haud sanè inulti, quippe LXXX. Macedonum interfecerunt, præterque eos CCC. & L. saucij facti sunt. Veniam tamen etiam post alteram defectionem impetrarunt.

AD CONFIRMANDVM PVDOREM) ad callum pudori obducendum, ad ponendum & abstergendum pudorem è scelere contractum, qui illum in publicum prodire vetabat. Vt ergo animi regis abstergerent illi pudorem, eleuauerunt culpam, eamque in Clitum conferebant, quem meritò ob intemperantiam linguæ interfectum affirmabant.

APVD MARACANDA) in regia Sogdianorum, vti suprà dictum.

l.7.c.7. COMMEATVS IN HIEMEM PARATVRVM) Bactriana enim, vt suprà Curtius docuit, frumẽtum, fructus, vites alebat, vbi crebri fontes rigabant solum, vnde fertilitas.

AMYNTAE DEDIT) hic Amyntas, vt opinor, non fuit is, qui lib 7.c.1. caussam de coniuratione suspectus dixit & absolutus est, paulloque pòst, vt Arrianus in tertio auctor est, in pago quodam oppugnando sagitta ictus perijt, fuitque Andromene natus. hic autem ab Arriano Nicolai filius appellatur, qui Artabaci prouinciæ Clito destinatæ præfectus est. Fuit autem prouincia illa Curtio Sogdiana, Arriano Bactriana, sed vtramque ab eo administratam video: eundem enim illæ duæ prouinciæ prætorem sortitæ sunt.

IPSE XENIPPA PERVENIT) Nec ista Xenippa vsquam extra Curtium reperienda, ab nullo geographo, scriptore, historico consignata vel expressa. Fides tota penes Curtium est, qui haud dubie ex Græcis auctoribus, qui hodie desiderantur, hæc Xenippa accepta in suo volumine posuit. Caussam huius vrbis seu regionis adeundæ Alexandro præbuêre exules Bactriani, quos vndique cura Alexandri inuestigauit, quod magno numero, & equites omnes, prouincijs Alexandri pacatis & occupatis imminerent, & Xenippis sedem posuissent, indeque latronum ritu subitò erumperent, & illuc se ab excursionibus reciperent, nullaque re, propter regionis vbertatem egerent.

PVLSI AB INCOLIS) ne illorum caussa regionis etiam cultores & incolæ communi procella belli inuoluerentur, & perirent, vi exacti sunt.

DESPERATIO EFFERAVERAT) ignauiam quoque necessitas acuit, & sæpè desperatio spei caussa est, dixerat supra lib.5.c.10.

Et Maro:

Vna salus victis nullam sperare salutem.

Redi ad eum locum & simul ad Vegetium l.4.c.25. Stevvechium ad eundem locum, Frontinum l.2. strat.c.6. Rursum ad illa Vegetij l.3.c.21. Ex desperatione crescit audacia.

EX IMPROVISO ADORTI AMYNTAM) sperabant se perinde oppressuros Amyntam, vt antea Menedemus à Spitamene ex insidijs oppressus & deletus erat. l.7.c.20. sed Amyntas cautior & fortior, adeoque victor euasit, quamuis non sine strage suorum, vt ex numero cæsorum & sauciorum colligis.

VENIAM TAMEN ETIAM POST ALT. DEF. IMPETRARVNT) vt pacatam relinqueret prouinciam, dum ad Indos properaret. Desperati enim rursum se collegissent, aliosque ad defectionem solicitassent.

CA-

CAPVT VI.

ARGVMENTVM.

Sysimithris deditio , & arduæ petræ adumbratio.



*Is in fidem acceptis in regionem quam Naura appellant, rex cum toto exercitu venit. Satrapes erat Sysimithres duobus ex sua matre*filijs genitis: quippe apud eos parentibus stupro coire cum liberis fas est. Is armatis popularibus fauces regionis, quà in artissimum cogitur, valido munimento sepserat. Præterfluebat torrens amnis, terga petra claudebat. hanc manu perutam incolæ fecerant: Sed aditu specus accipit lucem; interiora, nisi illato lumine, obscura sunt. Perpetuus cuniculus iter præbet in campos, ignotum nisi indigenis. At Alexander, quamquam angustias naturali situ munitas valida manu tuebantur, tamen arietibus admotis, munimenta quæ manu adiuncta erant concussit, fundisque & sagittis propugnantium plerosque deiecit: quos vbi dispersos fugauit, ruinas munimentorum supergressus ad petram admouit exercitum. Ceterùm interueniebat fluuius coeuntibus aquis ex superiore fastigio in vallem, magnique operis videbatur tam vastam voraginem explere. Cædi tamen arbores & saxa congeri iussit: ingensque barbaros pauor rudes ad talia opera concusserat, excitatam molem subitò cernentes. Itaque rex ad deditionem metu posse compelli ratus, Oxarten misit, nationis eiusdem, sed ditionis suæ, qui suaderet Duci vt traderet petram. Interim ad augendam formidinem & turres admouebantur, & excussa tormentis tela emicabant. Itaque verticem petræ omni alio præsidio damnato petiuerunt. At Oxartes trepidum diffidentemque rebus suis Sysimithren cœpit hortari, vt fidem, quam vim Macedonum mallet experiri, nec moraretur festinationem victoris exercitus in Indiam tendentis: cui quisquis semet offerret, in suum caput alienam cladem esse versurum. Et ipse quidem Sysimithres deditionem annuebat , ceterùm mater eademque coniux morituram se antè denuncians quàm in vllius veniret potestatem, barbari animum ad honestiora quàm tutiora conuerterat, pudebatque libertatis maius esse apud fœminas, quam apud viros precium. Itaque dimisso internuncio pacis, obsidionem ferre decreuerat. Sed cum hostis vires, suasque pensaret, rursus muliebris consilij, quod præceps magis quàm necessarium esse credebat, pœnitere eum cœpit, reuocatoque strenuè Oxarte, futurum se in regis potestate respondit, vnum precatus, ne voluntatem & consilium matris suæ proderet, quo facilius venia illi quoque impetraretur. Præmissum igitur Oxartem cum matre liberisque & totius cognationis grege, sequebatur, ne expectato quidem fidei pignore quod Oxartes promiserat. Rex equite præmisso qui reuerti eos iuberet, opperirique præsens ipsis superuenit , & victimis Mineruæ ac Victoriæ cæsis imperium Sysimithri restituit, spe maioris etiam prouinciæ facta, si cum fide amicitiam ipsius coluisset. duos illi iuuenes patre tradente; secum militaturos sequi iussit.*

Iidem fratres, filij & nepotes.

NAVRA APPELLATVR) varia hic scriptura est , Constantiensis chirographus *Nauta* habet: editi *Nauran.* Glareanus, *apud Arrianum,* inquit, *l. 4. est Nautaca, statim post Spitamenis cadem. Apud alios quidem nihil prorsus de hoc nomine.* At ego apud Arrianum in Erythræi maris periplo (scripsit autem periplos Oceani seu Indici maris Erythræi & Ponti Euxini) lego hanc vocem ἔπειτα Ναῦρα, καὶ τύνδις τὰ πρῶτα ἐμπόρια τῆς λιμυρικῆς. *Deinde Naura & Tyndis prima seu maxima Limyricæ prouinciæ emporia.* pag. 33.

Tyndis autem est Ptolemæo ciuitas & fluuius intra Gangem in India, sicut & Nauta regio Arriano videtur intra Gangem , vt magnoperè dubitem vtrum hic non sit potiùs cum Glareano Nautaca legendum, de quo loco etiam Arrianus infra non certè multum à Bactris & Maracanda remotis. Fauet etiam huic scripturæ codex Constantiensis MS. qui Nauta habet pro Nautaca, vltima credo syllaba amissa vel omissa.

Stra=

Strabo Sysimithris petram in Bactriana constituit, quam hoc loco Curtius describit, & ab Alexandro occupatam dicit. Bactriana autem cis Indum, nec intra nec extra Gangem est. Lymirica autem est in India Austrum versus, vt ex periplo Arriani intelligi potest. Seruo tamen Nauram, quam scripturam & Alexander Neapolit. & Tiraquellus agnouit, quamuis apud Alexandrum vitiosè scriptum sit Mauros, pro Nauros, quorum regio iuxta Bactrianos est. Arrianus hanc petram in Paratacis intra Bactrianam collocat, vt infra docebimus. Itaque Nautacas aliam prouinciam apud Siculum & Arrianum reperio.

SYSIMITHRES DVOS EX SVA MAT FIL. GENITIS) En quo progreditur (oppressâ & extinctâ rationis scintillâ) humana feritas, ipsis propè feris immanior? quod non solum diuinæ leges sed omnium prope gentium iura capitis pœna, & vltimis equulei, saxi, ferri, flammarum supplicijs sanxêre, hoc Nauri ex Bactrianis publicè laudant, sequuntur, impunè perpetrant. Sed nec illi soli, habent vicinos improbos Indos, Arabas, Babylonios, Persas, Magos: de quibus vltimis Catullus in Gellium:

Nascatur Magus ex Gelli matrisque nefando
Concubitu, & discat Persicum haruspicium.
Nam Magus ex matre & gnato nascatur oportet
Si vera est Persarum impia religio.

Multa Tiraquellus in legibus connubialibus super hac re & ad cap. 24. lib. 1. Alexandri Neap. vbi superioribus addit Parthos, Medos, Phrygas, Galatas, Aethiopas, Scythas, Hyberos, Nomadas. Sed hæc in Epheborum auditorijs sobriè nec sine execratione incestorum nuptiarũ attingenda sunt, ne teneras mentes impuræ cogitationes inquinent, aut improba desideria corrumpant. Ninyas certè Semiramidis filius à matre de stupro appellatus, matrem occidit.

IS) Sysimithres, quem Arrianus Chorienen appellat, & petram hanc Sysimithris, Chorienen: ἐκαλεῖτο δὲ, inquit, αὐτὴ χοριήνης ἡ πέτρα. καὶ ἐς αὐτὴν αὐτός τε χοριήνης ξυμπεφεύγει. *Ea Chorienis petra appellabatur, ipseque Chorienes in ipsam confugit.* Hunc Chorienem Strabo cum Curtio Sysimithrē vocat. Eadem ergo est petra Sysimithris & Chorienis, & Sysimithres binominis fuit. Conuenit etiam descriptio petræ apud Arrianum & Curtium, nisi quod hic more suo omnia explicatius & enucleatius enarret.

lat. p. 356.

FAVCES REGIONIS) aditus in regionem Sysimithris per angustos natura etiam artificio & humana manu arctior & firmior erat redditus.

TERGA PETRA CLAVDEBAT) vbi per aditum penetrasses, petra seu ardua rupes occurrebat, quam Strabo quindecim stadia altam fuisse, in ambitu octoginta complexam, superne planam quingentis viris alendis suffecisse narrat. Addit Strabo ibidem, Roxanam Oxyartæ filiam ab Alexandro ductam in vxorem, quam Arrianus in Chorienis petra fuisse tradit, Curtius eandem Roxanē Cohortano Satrapæ dedititio natam, & in ipsius Cohortani regione ductam, quamuis hanc Curtius inconstanter lib. 10. c. 6. Oxatris (quem nunc Oxyartem, nunc Oxartem, nunc etiam Oxatrem appellat) filiam nuncupet.

l. 4. p. 91.

Hoc interim hic obseruandum, regionem hanc à Curtio Nauram appellatam, ab Arriano Paratacas dici: Ἀλέξανδρος, inquit, ὡς τὰ ἐν Σογδιανοῖς αὐτῷ διαπέπρακτο, ἐχομένης ἤδη τῆς πέτρας, ἐς παρατάκας προὐχώρει. ὅτι καὶ ἐν παρατάκαις χωρίον τι ὀχυρὸν, καὶ ἄλλην πέτραν κατέχειν ἐλέγετο πολλοὶ τῶν βαρβάρων. *His ita apud Sogdianos gestis petraque occupata, Alexander in Paratacas mouit, quod ibi aliud quoddam oppidum munitum, petramque aliam multi barbari insedisse nunciarentur.*

AD PETRAM ADMOVIT EXERCITVM) Hanc Arrianus altitudine XX stadiorum fuisse, ambitu sexaginta collegisse dicit, quam paullò aliter, vt supra dixi, Strabo dimensus est.

TAM VASTAM VORAGINEM) Arrianus: *Erat porrò petra hæc profunda voragine in orbem cincta, adeo vt qui exercitum ad petram adducere vellet, multo ante illi cauernosa illa voragines aggere obruenda essent, vt ex planitie exercitus admoueri rupemque oppugnare posset.*

CAEDI TAMEN ARBORES) Et hunc locum illustriorem reddit Arrianus: *Alexander nihilominus,* inquit, *aggrediendum opus esse statuit, nihil omnino sibi inaccessum aut inexpugnabile censens, tantum fiducia ex perpetua felicitate conceperat. Cæsis itaque abietibus, quarum magna in ambitu illius montis copia erat, scalas ex ijs confici iubet, vt per eas exercitus in voraginem descenderet: Et interdiu quidem Alexander opus vrgebat cum dimidia parte exercitus, noctu verò vicissim corporis custodes Perdiccas & Leonatus & Ptolemæus Lagi F. reliquo exercitu in tres partes distributo nocturni operis ipsis commissi curam gerebant. Nec per diem plus 20. cubitis, noctu paullo minus efficiebant, quamuis vniuersus exercitus in opere esset. tanta erat & ipsius loci asperitas & operis difficultas. Descendentes itaque in voraginē, paxillos quā firmissimè potuerunt, ad voraginis latera impegerunt, tanto spacio inter se distantes quantum ponderi sustinendo par esset. His crates vimineas instrauerunt, quæ pontis similitudinem præ se ferrent, ijsque arctè colligatis terram ingesserunt, vt per planitiem exercitus ad petram adduceretur.*

INGENS BARB. PAVOR RVDES AD TALIA OPERA CONCVSSERAT) cum primum conatus Macedonum tanquam vanos & irritos riderent. Postquam verò, inquit Arrianus, sagittis peti cœperunt, neque ipsi ex editiore petra Macedones propulsare possent (velamenta enim seu tegmina

sibi

sibi construxerant, ne telorum iactu ab opere impedirentur) Chorienes molitionum nouitate attonitus caduceatorem ad Alexandrum mittit.

OXARTEN MISIT) Oxyarten, Strabo, Diodorus, Arrianus & Plutarchus appellant non Oxarten, vt corruptum nomen apud Curtium videri possit, vbi nunc Oxatres (sed hoc mendosè, Oxathres enim de quo suprà, Darij fuit frater) nunc Oxartes, nunc Oxortes MS. Oxartes, Lugdunensis editio emendatius Oxyartes, vti quoque rescribendum putamus. Cæterùm apud Arrianum est, prius à Chorieno missum caduceatorem ad Alexandrum, non ab Alexandro ad Chorienem, vti Curtius narrat. Oxyartes, non Oxortes, vel Oxartes vel Oxatres.

NATIONIS EIVSD. SED DIT. SVAE) popularem Chorienis seu Sysimithris, sed ante Sysimithrem Alexandro deditum.

ATOXYARTES TREPID. DIFFID. QVE REBVS SVIS SYSIM. COEPIT HORTARI) Plutarchus etiam timidum & formidolosum describit * Sysimithre, eiusque pauore factum, vt petram Alexander occuparet, Plutarch. Σισιμίθρην Sisimi-

CVI QVISQVIS SEMET OFFERRET, IN SVVM CAPVT ALIENAM CLADEM ESSE VERSVRVM) hostem intellige non amicum, illam cladem, quam alijs illaturus esset Alexander, in suum cauit: alij caput suamque gentem conuersurum. pone ergo arma & vt amicus regi occurre, & amicum experieris, quod & factum. thren vo-Σισιμίθρην

MORITVRVM SE ANTE DENVNCIANS) de fortissimis heroinis & mulieribus elegantem habes Plutarchi libellum quas inter & Chiomara Boia seu Tolistoboia In Asia, quibus recentiores, plures adiunxere.

INTERNVNCIO PACIS) Oxyarte caduceatore.

VOLVNTATEM MATRIS) matris & coniugis, vt suprà, quæ se morituram ante dixerat, quàm in illius veniret potestatem.

REVERTI EOS IVBEBAT) aliter Arrianus. *Chorienes molitionum nouitate attonitus, caduceatorē ad Alexandrum mittit, rogans vti Oxyartem ad se mittat. is quum ad eum venisset Chorieni suadere cœpit, vt se pariter atq, petram Alexandro dedat. nihil enim Alexandro eiusq, exercitui imperuium esse. Si vero ad eius fidem amicitiamq, se contulisset, fidem regis & benignitatem extollebat, se ipse in exemplum adducens. Quibus rebus persuasus Chorienes, cum familiarium nonnullis ad Alexandrum venit. quem Alexander humaniter exceptum quum in fidem amicitiamq, suam recepisset, ipsum quidem penes se retinet; at ex ijs qui cum ipso venerant nonnullos in petram remittit, qui vt deditionem faciant, iubeant. atq, ita ab ijs qui eo confugerant petra tradita est. Quo facto Alexander assumptis argyraspidibus circiter quingentis, arcem spectandi causa conscendit. tantumq, abfuit, vt indignum aliquid in Chorienem statueret, vt oppidum eius fidei rursus commiserit, præfidemq, omnium locorum quorum antea fuerat, statuerit.*

Hic Oxyartes posteaquam in ditionem Alexandri venerat, iterum defecerat, eoque magis apud Sisimithrem regis clementiam & humanitatem prædicabat, quod etiam post defectionem veniam impetrasset, multò magis ergo Sysmithrem in gratiam Alexandri venturum, si statim se eius potestati permitteret qui nunquam ab eo desciuisset, nunquam adhuc deditus fuisset. Dicta facta omnia: Sysimithres fidem nunquam fefellit, & ab Alexandro omni genere officiorum & munerum cultus est, vt infra docebimus.

DVOS IVVENES) filios easdem & nepotes, ex matre & auia fratre & patre natis.

CAPVT VII.

ARGVMENTVM.

Defectores per ardua viarum persequitur fugatq;. Philippi fratris Lysimachi & Erigyi funera plorantur.



Elicta deinde phalange, ad subigendos qui defecerant, cum equite processit. Arduum & impeditum saxis iter primo vtcunque tolerabant: mox equorum non vngulis modò attritis, sed corporibus etiam fatigatis, sequi plerique non poterant, & rarius subinde agmen fiebat, pudorem (vt fere fit) immodico labore vincente. Rex tamen subinde equos mutans, sine intermissione fugientes insequebatur. Nobiles iuuenes comitari eum soliti defecerant præter Philippum, (Lysimachi erat frater,) tum primum adultus, & quod facilè appareret, indolis raræ. is pedes (incredibile dictu) per D. stadia vectum regem comitatus est, sæpe

 equum

equum suum offerente Lysimacho: nec tamen ut digrederetur à rege, effici potuit, cùm lorica indutus arma gestaret. Idem cum peruentum esset in saltum in quo se barbari abdiderant, nobilem edidit pugnam, regemq́ cominus cum hoste dimicantem protexit. Sed postquã barbari in fugam effusi deseruêre siluas, animus, qui in ardore pugnæ corpus sustentarat, liquit, subitoq́ ex omnibus membris profuso sudore, arboris proximæ stipiti se applicuit. Deinde ne illo quidem adminiculo sustinente manibus regis exceptus est, inter quas collapsus extinguitur. Mæstum regem alius haud leuis dolor excepit. Erigyus inter claros duces fuerat, quem extinctum esse paullò antè quàm reuerteretur in castra, cognouit. Vtriusq; funus omni apparatu atque honore celebratum est.

Paucis expediam hoc caput, & ab Arriano, & Plutarcho, & Diodoro alijsque preteritum, leuiter
l.7. ab Iustino cursimque tactum, nec sanè multum habet obscuritatis.
ADSVBIG. QVI DEFECERANT) Verum Scythæ dixerunt de Sogdianis & Bactrianis. *Non
l.8.c.3. succurrit tibi quamdiu circa Bactra hæreas? dum alios subigis, Sogdiani bellare cœperunt. Bellum tibi ex victoria nascitur.* Et Clitus suprà: *Sogdianam regionem mihi attribuis, toties rebellem, & non modo indomitam, sed quæ ne subigi quidem possit. mittor ad feras bestias.* Et quamuis totam ferè gentem delerit A-
120000. lexander, semper tamen velut ex equo Troiano noui hostes extiterunt. Siculus in lib. 17. indice narrat plures CCCIↃↃↃ. CCIↃↃ. CCIↃↃ. millibus è Sogdianis vltimo supplicio fuisse affectos.

RARIVS AGMEN) multi in via deficientib. aut certè fatigatis cum rex interim nullis viarum molestijs aut asperitatib. fatigaretur, quem multi non sine pudore destituerunt.

TVM PRIMVM ADVLTVS) qui tum primum ex ephebis excesserat. Condidit huic Curtius hoc capite nobile epitaphium, quando virtutem illius & raram indolem, generosumque fati genus egregiè commendauit & celebrauit.

PER IↃ. STADIA) quingenta stadia efficiunt germanica milliaria amplius quindecim, quod totum iter Philippus pedibus & loricatus sine vlla cursus relaxatione confecit, vt meritò Curtius adiecerit, *incredibile dictu*, ex quo apparet, quàm partim delicatè nobiles Alexandri iuuenes fuerint
l.15. eõutriti. De hoc Philippi cursu Iustinus, vbi de Lysimacho, quem suprà ad cap. 2. laudauimus, loquitur: Quod idem antea Philippus frater eius cum facere voluisset, inter manus regis expirauerat.

LYSIMACHO) redi ad cap. 11. huius libri, vbi multa de hoc Lysimacho.

NOBILEM PVGNAM EDIDIT) cui Curtius quasi nobile tropæum calamo suo erexit.

MANIBVS REGIS EXCEPTVS EST) vltimum morienti solatium, cura, studium & amor regis, quæ ipsum etiam regem magnoperè commendârunt.

ERIGYVS INTER CLAROS DVCES) de hoc clarissimo duce dictum l. 7. c. 8. vbi nobile illius cum Satibarzane duellum exposuimus.

CAPVT VIII.

ARGVMENTVM.

Spitamenes ab vxore caput præcisum fertur ad Alexandrum. Datahernes à Dahis vinctus traditur. Prætores rei deferuntur, puniuntur & mutantur.



Abas inde statuerat petere: ibi namque Spitamenem esse cognouerat. Sed hanc quoq; expeditionem, vt pleraq; alia fortuna indulgendo ei nũquam fatigata pro absente transegit. Spitamenes vxoris immodico amore flagrabat, quam ægrè fugam molientem, & noua subinde exilia tolerantem in omne discrimen comitem trahebat. Illa malis fatigata identidem muliebres adhibere blanditias, vt tandem fugam sisteret, victorisq́ Alexandri clementiam expertus placaret, quem effugere non posset. Tres adulti erant liberi ex eo geniti, quos cum pectori patris admouisset, vt saltem eorum misereri vellet, orabat. Et quo efficaciores essent preces, haud procul erat Alexander. Ille se prodi non moneri ratus, & formæ profectò fiducia cupere eam quamprimum dedi Alexandro, acinacem strinxit, percussurus vxorem, nisi prohibitus esset fratrum eius occursu. Ceterùm abire conspectu iubet, addito metu mortis, si se oculis eius obtulisset, & ad desideriũ

leuandum

leuandum noctes agere inter pellices cœpit. sed penitus hærens amor, fastidio præsentium accensus est. Itaque rursus vni ei deditus, orare non destitit, vt tali consilio abstineret, patereturq; sortem quamcunque ipsis fortuna fecisset; sibi mortem deditione esse leniorem. At illa purgare se, quæ quod vtilia esse censebat, muliebri iter forsitan, sed fida tamen mente suasisset: de cetero futuram in viri potestate. Spitamenes simulato captus obsequio de die conuiuium apparari iubet: vinoque & epulis grauis, semisomnus in cubiculum fertur. Quem vt alto & graui somno sopitum esse sensit vxor, gladium quem veste occultauerat stringit, caputq; eius abscissum cruore respersa seruo suo conscio facinoris tradit. Eodem comitante (sicuti erat cruenta veste) in Macedonum castra peruenit, nunciariq; Alexandro iubet, esse quæ ex ipsa deberet agnoscere. Ille protinus barbaram iussit admitti. Quam vt respersam cruore conspexit, ratus ad deplorandam contumeliam venisse, dicere quæ vellet iubet. At illa seruum quẽ in vestibulo stare iusserat, introduci desiderauit. Qui quia caput Spitamenis, veste tectum habebat, suspectus scrutantibus quid occuleret ostendit. Confuderat oris exanguis notas pallor, nec quis esset dignosci satis poterat. Ergo rex certior factus humanum caput afferre eum, tabernaculo excessit, percontatusq; quid rei sit, illo profitente cognoscit. Variæ hinc cogitationes animum diuersa inuicem agitantem commouerant. Meritum ingens in semet credebat, quod transfuga & proditor, tantis rebus, si vixisset, iniecturus moram, interfectus esset. Contra facinus ingens auersabatur, cum optimè meritum de ipsa communium parentem liberorum per insidias interemisset. Vicit tandem gratiam meriti, sceleris atrocitas, denunciariq; iussit, vt excederet castris neu licentiæ barbaræ exemplar in Græcorum mores & mitia ingenia transferret. Dahæ Spitamenis cæde comperta, Dataphernem defectionis eius participem vinctum Alexandro seq; dedunt. Ille maxima præsentium curarum parte liberatus, conuertit animum ad vindicandas iniurias eorum, quibus à prætoribus suis auarè ac superbè imperabatur. Ergo Phratapherni Hyrcaniam, & Mardos cum Tapyris tradidit, mandauitq; vt Phradatem cui succedebat, ad se in custodiam mitteret. Arsami Carta præfecto substitutus est Stasanor. Arsaces in Mediam missus, vt Oxidates inde discederet. Babylonia demortuo Mazæo Deditameni subiecta est.

De Dahis gente Scythica Strabo l.11. & nos supra l.4.c.27.l.7.c.6.l.8.c.1. Ammianus Marcellinus l.22.p.259 His regionibus Dahæ confines sunt acerrimi omnium bellatores.

SPITAMENES VXORIS IMMODICO AM. FLAGR.) Spitamenis huius perfidissimi capitis multa mentio fuit suprà. & apud Arrianum, & aliqua apud Strabonem. Sed extremus hic & tragicus Spitamenis actus aliter à Curtio, aliter ab Arriano & Geographo describitur, vti mox videbitur. Interim subit admirari, quomodo cælestis vindicta scelestos persequatur. Fuit Spitamenes in paucis charus & familiaris Besso, quem tamen ille per summam simulationem & perfidiam cepit, captúque Alexandro capitali hosti ad supplicium stitit. Mox ipse ab eodem ad Bactrianos componendos & in officio continendos missus, à fide & officio eius defecit, quem thori consors, cui se affectusq; omnes addixerat, per summum scelus post epulas in cubiculo, captum somno, interfecit, caputque hosti, quem ipsa coniux crudelitate superarat, attulit. Quod facinus hostis ipse execratur, sceleratam fœminam iussit castris excedere. Ita supremus parricidiorum vindex scelera punit. Bessus Darium occiderat, Bessum Spitamenes, Spitamenem vxor; carnifice in carnificis cædem vsus.

ILLA MALIS FATIGATA) planè contraria Sysimithris vxori, quæ mori millies optabat, quàm vt in Alexandri manus veniret, quas tamen euitare non potuit.

PECTORI PATRIS ADMOVISSET) potentia sanè tela & arietes ad animos parentum expugnandos, sed Alexandri odium & metus præpotuit.

HAVD PROCVL ERAT ALEXANDER) quo è propinquo sibi imminentem omni ratione precibus anteuertere, & deditione placare debebat. Sed Spitamenes non solum sibi pessimè conscius quod defecisset, sed Menedemum etiam cum omnibus copijs delesset, venia desperata, non nisi à pedibus præsidium & auxilium quærebat. nec gratiam mea quidem sententia impetrasset, vti nec Arimazes, quamuis deditus impetrarat.

FRATRVM EIVS) Spitamenis an vxoris? vxoris: qui sororem defenderunt, si fratrum ad Spitamenem referres, dicendum erit *fratrum suorum*.

SIMVLATO CAPTVS OBSEQVIO)

Γυναικὶ μὴ πίστευε τὸν σαυτοῦ βίον.
Mulieri ne credas tuam vitam.
Γυναικὶ μὴ πίστευε μηδ᾽ ἀποθάνῃ
Mulieri ne credas ne moritura quidem.

Verum enim est, magnam partem, quod M. Tullius cecinit:

Fœmina nulla bona est, vel si bona contigit vlla,
Nescio quo pacto res mala facta bona est.

Rara auis in terris nigroq; simillima cycno
Fœmina si qua bona.

Verè Græcus iterum:

Γυνή τε πάντων ἀγριώτατον κακόν.
Mulier omnium effrontissimum malum est.

TALI CONSILIO)dedendi se Alexandro.

SORTEM QVAMCVNQVE IPSIS FORT. FECISSET)Rarius hoc, quam sortem fortuna *fecisset*, frequentiùs, *dedisset*.

MVLIEBRITER)Imprudenter, parum viriliter & fortiter, molliter.

DE DIE)Tempestiuam ergo. an quod nocti parum fideret?

SEMISOMNVS)Semisomnus & Semisomnis apud optimos scriptores passim leges.

CAPVTQVE EIVS ABSCISSVM)Iudithæ simillimum facinus, simillimoque modo patratum, nisi quod illa sanctissima herois, hostem numinis & patriæ, hæc amantissimum sui maritum, illa piè, hæc impiè interfecerit. Verè Græcus:

Besser ist ein weib begraben, Als wie er hochzeit haben.

Γυναῖκα θάπτειν κρεῖσσόν ἐστιν ἢ γαμεῖν
Mulierem funerare satius quàm ducere.

Verè etiam Comicus:

Fœminis ad scelera vires sunt, cum habent caussas virium.

Et:

Muliebris impotentia, impotentia est.

Rectius fortasse:

Muliebris impotentia, potentia est.

Quid enim non audet & potest cum impotens est?

Tanquam videlicet, inquit Gruterus, virorum impotentia comparatione mulierum nulla sit. Cato in dissuadenda lege Oppij: *Date frenos impotenti naturæ & indomito animali, & sperate ipsas modum licentiæ facturas, nisi vos faciatis.*

Herod. in Clio. Ita Candaulem Lydorum regem vxor in cubiculari lecto non sua quidem manu, sed Gygis dextra, quam illa ferro armauit, interfecit. historia tota prolixè apud Herodotum ex primo peti potest. plura sunt hoc genus exempla quæ hic prætereo.

Cæterùm Arrianus aliter de cæde Spitamenis narrat, qui à Massagetis interfectum; caputque eius ad Alexandrum missum, vt per hoc facinus ipsi ab Alexandro in fidem & gratiam reciperentur. Strabo quoque nihil de vxore.

VARIAE SIVE COGITATIONES)Dubitabat Alexander laudandumne occisi ab vxore Spitamenis facinus esset, & præmio compensandum, an damnandum & execrandum. Et cum multa in vtramque partem rationum momenta occurrerent, vicit melior mens & consilium regis, non esse exempla huiuscemodi in Græciam benè moratam & emendatam introducenda. Inauditum enim scelus hoc apud Græcos esse, vt vxor viri ex quo liberos genuerat, caput hosti afferret.

Non paucas gentes ex commercio aliarum nationum corruptas leges. In literis sacris habes Israelitas apud Aegyptios, Babylonios, Tyrios & alios vicinos idololatriam aliasque pessimas artes doctos. Alex. ab Alex. p. 139. f. 2. Diu Græci Romanique sanctè frugaliterque vixere, postea paulatim mores defluxere, paupertasque probro haberi cœpit, luxuriæque peregrinæ inuictum malum ad effœminandos animos ab exercitu Asiatico in vrbem primum inuectæ, mores infecerunt: sicut aurum Persicum fugato Mardonio Atheniensium animos labefactauit, & dira tabe infecit. Inde illecebræ libidinũ, & rerum secundarum luxus in omnem licentiam grassati. Plura Alex. ab Alex.

a l. 33. c. 11. l. 34. c. 7. b Decad. 4. l. 9. post princ. c l. 2. c. 1. *a* Plinium licet consulas & *b* Liuium, *c* Valer. Max. Sallustium in exordio belli Catilinarij. Herodotus in Clito narrat, quomodo fortissima gens Lydorum, Persarum consuetudine penitus fuerit effæminata. Inde factum, vt multæ gentes, quæ cum exteris nationibus nihil habuere commercij, mores incorruptos tuerentur. Documentum ex Cæsare accipe, qui de Belgis hæc prodidit. *Horum omnium fortissimi sunt Belgæ, propterea quod à cultu atque humanitate prouinciæ longissimè absunt, minimeque ad eos mercatores sæpè commeant, atque ea quæ ad effæminandos animos pertinent, important.* Idem de Neruijs docet lib. 2. Quorum de natura moribusque Cæsar cum quæreret, sic reperiebat: *nullum aditum esse ad eos mercatoribus, nihil pati vini reliquarũq; rerum ad luxuriam pertinentium inferri, quod his rebus relanguescere animos, eorumque remitti virtutem existimarent.* Ab ijsdem ferè virtutibus celebrat lib. 4. Vsipetes Germanos. Sinæ ad vsque nostra tempora exteros omnes è finibus suis excluserunt: vltimis hisce annis primùm è nostrâ societate Patres, dein Lusitani in penetralia regni admissi, non vt corrumperentur, sed corrupti emendarentur, & fines aduersus Scythas seu Tartaros defenderent. Plura in hanc rem passim leges. hæc mihi sub calamum venere.

EXEMPLAR)exemplum & exemplar eodem sensu indiscriminatim apud optimos auctores vsurpari, si attenderis, animaduerte.

DATAPHERNEN)Hic ex intimis olim Beſſi familiaribus in eudem cum Spitamene coniurauit,& vinctum prodidit,proditus ipſe demum à Dahis Scythis,quod cum Spitamene ab Alexandro defeciſſet,& alijs defectionis auctor fuiſſet.

PHRATAPHERNI)de quo lib.6.c.8.vbi de eius deditione l.8.c.1. præfectus Chorasmiorum, Maſſagetorum,& Daharum dicitur. Hic Hyrcanis Mardis & Tapyris præficitur. Poſt Alexandri mortem Armenios rexit,vt eſt apud Iuſtinum l.13.

PHRADATEM)Hyrcanorum Mardorum & Tapyrorum prætorem,cum antequam in Alexādri ditionem veniret,Taurorum Satrapes eſſet. vt lib. ſuprà 6.c.8 narratur. Dux idem apud Darium in acie Caſpianorum l.4.c.27. Idem l.10.c.4. ſuſpectus de affectato regno occiditur.

IN CVSTODIAM MITTERET)quia auarè & ſuperbè Hyrcanis Mardis & Tapyris,de quib. ſuprà,imperarat.

ARSAMI)Hic viuo Dario Ciliciæ faucibus præerat, vt tranſeuntem per Tauri anguſtias Alexandrum retardaret: ſed ille relictis anguſtijs prouinciam cœpit exurere,vt ſequuturo Alexandro alimenta corrumperet,ne progredi poſſet. Sed fruſtra fuit,cuius etiam conſilia dānat Curtius l.3.c.9.

STASANOR) Solis oriundus , inter amicos Alexandri. Strabo. XV. εἶτα * Σόλοι πόλις, λιμένα ἔχουσα, καὶ ποταμὸν καὶ ἱερὸν Ἀφροδίτης καὶ Ἴσιδος· κτίσμα δ' ἐστὶ Φαλήρου καὶ Ἀκάμαντος Ἀθηναίων. οἱ δὲ ἐνοικοῦντες Σόλιοι καλοῦνται· ἐντεῦθεν ἦν Στασάνωρ τῶν Ἀλεξάνδρου ἑταίρων ἀνὴρ ἡγεμονίας ἠξιωμένος. *Deinde Soli vrbs cum portu & fluuio ac templo Veneris & Iſidis,condiderunt Phalerus & Acamas Athenienſes . qui colunt vrbem Solij appellantur,quæ patria fuit Staſanoris,qui vnus de amicis Alexandri principatu eſt honoratus.* Porrò *Soli* ciuitas eſt Ciliciæ Cypri.hic è Cypro fuit. Mentio Staſanoris etiam apud Iuſtinum, l 16. Sed Statanorem mendosè,vt & lib.41 Stagnorem non ſuo,ſed librariorum vitio appellat. Diodorus poſt mortem Alexandri Bactrianis & Sogdianis præfuiſſe docet, eumque Solium à Solis vrbe vocat: Sed Cyprium non Cilicem affirmat;nam & in Cypro Soli, vt prorſus exiſtimem Staſanorem etiam à Strabone Cyprium exiſtimari. *Σόλοι

ARSACES)An ab huius poſteris Parthorum regnum ſit conditum,non habeo affirmare. Laudat Arſacen Strabo in XI.eumque,dum Callinicum fugeret, ad Aſpaſiatres ſe contuliſſe affirmat: Laudat alium Arſacen ibidem gente Scytham, ſed neuter huc pertinet : & de hoc Arſace reliqui ſcriptores tacent. De conditore Parthorum omnes memorant. Arrianus Atropatem in Mediam ait miſſum.

OXIDATES)Plura de hoc Curtius ſuprà l.6 c.2. *Oxidates,* inquit, *nobilis Perſes à Dario capitali ſupplicio deſtinatus,cohibebatur in vinculis. Huic liberato Satrapeam Mediæ attribuit* Alexander. Arrianus.4. Exodatem nuncupat.

MAZAEO)Plurima de hoc ſuperioribus libris. Indicem inſpice.

DEDITAMENI)Nihil admodum de Deditamene memini legere , niſi quod hunc Arrianus Stamenem non Deditamenem vocet. p.96

CAPVT IX.

ARGVMENTVM.

Gazabam petit,& in grauiſſimam tempeſtatem incidit,luculenter à Curtio deſcriptam, vt lector ipſe inter tonitrua , grandines & fulmina videatur verſari. Regis inde cura in colligendo & ſolando milite laudatur,mille tamen perierunt.



Is ita compoſitis tertio menſe ex hybernis mouit exercitum , regionem quæ Gazaba appellatur,aditurus . Primus dies quietum iter præbuit, proximus ei nondum quidem procelloſus & triſtis obſcurior tamen priſtino,non ſine minis creſcentis mali præteryt: tertio ab omni parte cæli, emicare fulgura.& nunc internitente luce,nunc condita,non oculos modò meantis exercitus ſed etiam animos terrere cœperunt. Erat propè cōtinuus cæli fragor,& paſſim cadentium fulminum ſpecies viſebatur: attonitiſq; auribus ſtupens agmen,nec progredi nec conſiſtere audebat: cum repentè imber grādinem incutiens torrentis modo effunditur. ac primum quidem armis ſuis tecti exceperant: ſed iam nec retinere arma lubrica rigentes manus poterāt,nec ipſi deſtinare in quā regionē

 obuer-

obuerterent corpora, cum vndique tempestatis violentia maior, quàm vitabatur, occurreret. Ergo ordinibus solutis per totum saltum errabundum agmen ferebatur, multique prius metu quàm labore defatigati, prostrauerunt humi corpora, quamquam imbrem vis frigoris concreto gelu astrinxerat. alij se stipitibus arborum admouerant: id plurimis & adminiculum & suffugium erat. Nec fallebat ipsos morti locum eligere, cùm immobiles vitalis calor linqueret. Sed grata erat pigritia corporum fatigatis, nec recusabãt extingui quiescendo. quippe non vehemens modò, sed etiam pertinax vis mali insistebat, lucemq; naturale solatium præter tempestatem haud disparem nocti siluarum quoque vmbra suppresserant. Rex vnus tanti mali patiens circuire milites, contrahere dispersos, alleuare prostratos, ostendere procul euolutum ex tugurijs fumum, hortariq; vt proxima quæque suffugia occuparent. Nec vlla res magis solatio fuit, quàm quòd multiplicato labore sufficientem malis, quibus ipsi cesserant, regem deserere erubescebant. Cæterùm efficacior in aduersis necessitas, quàm ratio, frigoris remedium inuenit. Dolabris enim siluas sternere aggressi passim aceruos struesq; accenderunt. Continenti incendio ardere crederes saltum. & vix inter flammas agminibus relictum locum. Hic calor stupentia membra commouit, paullatimq; spiritus, quem continuerat rigor meare liberè cœpit. Excepere alios tecta barbarorum, quæ in vltimo saltu abdita necessitas inuestigauerat. alios castra, quæ in humido quidem, sed iam cælo mitescente sæuitia locauerũt. mille militum atq; lixarum calonumq; pestis illa consumsit. Memoria proditum est, quosdam applicatos arborum truncis, & non solùm viuentibus, sed etiam inter se colloquentibus similes esse conspectos, durante adhuc habitu, in quo mors quemq; deprehenderat. Fortè Macedo gregarius miles seque & arma sustentans tamen in castra peruenerat. Quo viso rex quamquam ipse tunc, cùm maximè, admoto igne refouebat artus, ex sella sua exsiluit, torpentemq; militem & vix compotem mentis, demtis armis in sua sede iussit considere. Ille diu nec vbi quiesceret, nec à quo esset exceptus agnouit: Tandem recepto calore vitali, vt regiam sedem regemq; vidit, territus surgit, quem intuens Alexander, Ecquid intelligis miles, inquit, quanto meliore sorte quam Persæ sub rege viuatis? illis enim in sella regis consedisse capitale foret, tibi saluti fuit.

*Gazaba MS. Gabazaa editi. QVAE *GAZABA APPELLATVR) vel Gabaza, nam vtramque scripturam in diuersis exemplaribus lego. Gabazam seu Gazabam regionem dictam putant à Gaba munito oppido medio inter Massagetas & Sogdianos, vt auctor est in IV.* Arrianus. Possis dubitare vtrum non intelligat hic Nautaca de quibus Arrianus, *In Nautacis enim hiemauit hoc anno Alexander, vbi Cœnus & Craterus ad illum redière.* Et Diodorus in indice XVII. libri dicit, *In expeditione in Nautacas magnam exercitus partem vi frigoris & niuis exanimatam interijsse.*

*p.91.

PROXIMVS EI) primus dies mite clemensque cælum habuit, alter cœpit minari tempestatem, tertius omnes iras cæli in regem & exercitum effudit. Elegantissima & planè oratoria hæc tempestatis est descriptio, vt lector ipse inter media tonitrua, fulgura, grandinem & fulmina versari videatur. Cæterùm ego non diu inter has tempestatis procellas versabor, cùm per se omnia liqueant, nec in ipsa quidem tempestatis nocte sit vlla nox aut tenebræ. Quod si voles aliorum scriptorum industriam cum Curtio componere, habes * Virgilium, Ouidium, ex nouis Malabertium, ex historicis Maffeium in Indicis, Olorium l.2.p.60. Et cõposuit poetas inter se Iulius Scaliger in hypercriticis: & si memini noster Melchior de la Cerda in suis oratorijs exercitationibus. Causinus ex Liuio, Dione, D. Chrysostomo, Maffeio, cuius vnius verba adducit, cæteros nominat tantùm, sed hæ descriptiones pleræque pertinent ad mare. Lucretius propriè de terrestri tempestate & fulminibus eleganter disputat lib 6.

*l.1. Aen. l.1. Met. & 1 de Trist. El.2.

REX VNVS) Nobilissimum Alexandri documentum in curandis singulis militibus omnibus imperatoribus imitandum. Fuit certè Alexander anima deficientis exercitus, quem dum viuere & valere viderunt, se quoque saluos esse credebant.

EFFICACIOR IN ADVERS. NECESS. QVAM RATIO) Illustris hæc gnome est. Necessitas potentior est omni rege, iure, lege, ratione, adeoque ipsis cælestibus, vt est in parœmijs.

DOLABRIS) Hinc disertè discis dolabras non pro runcinis sed securibus accipi, quibus arbores exscindebantur. Quia tamen apud Liuium lib.30. lego dolabris subrutos muros, quod securibus fieri non poterat, sed ligonibus, facilè intelligo dolabras vtrumque genus instrumenti complexas.

COMMOVIT) An confouit? seruo *commouit* membra quæ aliàs obriguerant.

LIXARVM CALONVMQVE) De quibus suprà l.3.c.7. & alibi passim. Stevvech. ad l.1. Vegetij cap.10.

MEMORIAE PROD. EST) Nihil horum vel Arrianus vel Plutarchus prodidit. Diodorus in 17.

lib

lib. indice, indicat rem verbo, quam haud dubiè suo loco explicauit, sed locus ille vetustate abolitus nobis lacunam duntaxat exhibet.

EX SELLA SVA EXILIVIT) Vide humanitatem regis erga infimum & gregarium satellitem martis. Huiusmodi studia Alexandrum militi gratum fecere, faciuntque hodie. quod à Tillio nostro audio fieri, passimque à milite parentem appellari, ex quo fit, vt ad omnia promptissimum habeat exercitum, & rem Deo Duce felicissimè gerat, multis iam victorijs inclitus & nobilis. extant aliorum quoque Imperatorum similia facta.

ILLIS IN SELLA REG. CONSED. CAPITALE FORET, TIBI SAL. FVIT). MS. *Capital foret*, quomodo etiam Modius rescripsit: sed apud Val. Max. etiam *capitale* est; non *capital*. qui miris modis hanc Alexandri humanitatem prædicat: l. 5. c. 1. p. 191. vel 312.

Idem factum Alexandri celebrat Frontinus lib. 4. strat. c. 6. sed multò frigidius quàm Valerius vel Curtius. Ac de lege Persarum addit in primo de regno Persarum Brissonius ex * VII. Arriani: *Proinde, inquit, cum Xerxes Artabanum patruum regali ornatu in solio sedere iussisset, vt experiretur nū ei in somnis idem spectrum quod sibi ad bellum Græcis inferendum stimulos admonebat, obuersaretur, valdè reluctatus est Artabanus, cùc ἀξιώματος, vt Herodotus l. 7. loquitur, ἐς τὸν βασιλήιον θρόνον ἵζεσθαι. vigente tamen rege imperata facere coactus est*. Huc pertinet quod Arrian. l. 6. tristia omina & signa quæ Alexandri obitum præcesserunt, commemorans narrat, *Nam cum Alexander milites recens conscriptos in Macedonicos ordines diuideret, è sella regia, sitis affectus surgens, paulum inde concessisset, interim obscurus quidam homo per medios eunuchos regiæ sellæ circumfusos in eam sessum se contulit: vnde illum pellere & deijcere, lege Persarum vetante, non ausus est quisquam: quod sinistrum aliquid portendere omnes qui aderant, coniecerunt*. Quæ paulo aliter Diodor. Siculus l. 17. refert. *Regiam autem Parthorum sellam Traianum cepisse, eamque repetenti Parthorum regi Antoninum Pium denegasse Capitolinus in eiusdem Antonini vita scribit*. Erat illa sella aurea, quam multis verbis rursum celebrat Brissonius eod. libr. de quo nos supra ad lib. 5.

Marginal notes: * an VI. p. 21. — p. 50. & 51.

CAPVT X.

ARGVMENTVM.

Rex compensat militi amissa. certat beneficijs cum Sysimithre. Cohortanus Satrapes se & sua dedit, cuius filiam Roxanem ducit Alexander vxorem.



Postero die conuocatis amicis, copiarumque ducibus, pronunciari iussit, ipsum omnia quæ amissa essent, redditurum, & promisso fides extitit. Nam Sysimithres multa iumenta, & camelorum II. millia adduxit, pecoraque & armenta, quæ distributa pariter militem & damno & fame liberauerunt. Rex gratiã sibi relatam à Sysimithre præfatus, sex dierum cocta cibaria ferre milites iussit. Sagas petens totam hanc regionem depopulatus XXX. millia pecorum ex prædis Sysimithri dono dat. Inde peruenit in regionem cui Cohortanus Satrapes nobilis præerat, qui se regis potestati fideique permisit. Ille imperio ei reddito, haud amplius quàm vt duo ex tribus filijs secum militarent, exegit. Satrapes etiam eum qui penes ipsum relinquebatur tradit. Barbara opulentia conuiuium, quoniam regem accipiebat, instruxerat. Id cum multa comitate celebraret introduci XXX. nobiles virgines iussit, inter quas erat filia ipsius Roxane nomine, eximia corporis specie, & decore habitus in barbaris raro. Quæ quamquam inter electas processerat, omnium tamen oculos conuertit in se, maximè regis, minus iam cupiditatibus imperantis inter obsequia fortunæ, contra quam non satis cauta mortalitas est. Itaque ille qui vxorem Darij, qui duas filias virgines, quibus forma, præter Roxanem, comparari nulla poterat, haud alio animo quam parentis aspexerat, tunc in amorem virgunculæ si regiæ stirpi compararetur, ignobilis, ita effusus est, vt diceret, ad stabiliendum regnum pertinere, Persas & Macedones connubio iungi: hoc vno modo & pudorem victis & superbiam victoribus detrahi posse: Achillem quoque à quo genus ipse deduceret, cum captiua coisse,

ne inferni nefas arbitretur, ita matrimonij iure velle iungi. Insperato gaudio lætus pater sermonem eius excepit: & rex in medio cupiditatis ardore iussit afferri patrio more panem (hoc erat apud Macedones sanctissimum coëuntium pignus) quem diuisum gladio vterque libabat. Credo eos qui gentis mores condiderunt, parco & parabili victu ostendere voluisse iungentibus opes, quantulo contenti esse deberent. Hoc modo Rex Asiæ & Europæ introductam inter conuiuales ludos matrimonio sibi adiunxit, è captiua geniturus, qui victoribus imperaret. Pudebat amicos, super vinum & epulas socerum ex deditis esse delectum. Sed post Cliti cædem libertate sublata, vultu, qui maximè seruit, assentiebantur.

AMISSA ERANT) In illa tempestate, hiemante cælo, multi iumenta, pecusque reliquerant, arma etiam abiecerant, quæ sustinere non poterant.

OMNIA REDDITVRVM) præter vitam, quam mille seu milites, seu lixæ & calones posuerãt: hanc Ammone satus reddere non potuit; nec suam Babylone retinere aut tueri. Hæc regum paganorum & diuorum Cæsarum erat diuinitas, qui humanitatem exuerant.

PECORAQVE ET ARMENTA) quomodo pecora ab armentis distinguemus? an pecora oues & boues, armenta equos, ceruos, greges etiam elephantorum interpretabimur? vt Virgil. 1. Aen. de ceruis singillatim cecinit:

tres littore ceruos
Prospicit errantes hos tota armenta sequuntur
A tergo. & longum per valleis pascitur agmen.

Greges etiam ouium & elephantorum dicimus, vt & agmina elephantorum. Sed pecora, greges & armenta. Indiscriminatim scriptores, & ipse Curtius, vsurpant & confundunt. Si tamen cum iurisconsultis propriè loquare, Armento legato Modestinus boues, non oues contineri scribit. Idem Pomponio placet. Pecudum seu pecorum nomine ijdem Iurisprudentes comprehendũt omnes quadrupedes, quæ gregatim habentur, veluti oues, boues, equi, muli, asini, sues, cameli, capræ.

SEX DIERVM COCTA CIB. FERRE IVSSIT) De hoc onere militum qui sæpè pluribus diebus annonam humeris suis ferre cogebantur, dictum supra. Interim Stevvechium consule ad cap. 19. Vegetij lib. 1. Et Lipsium de re militari.

GRATIAM RELATAM PRAEFATVS) Quod ipsum cum matre & liberis lenasset, suæque dynastiæ restituisset. Sed hanc gratiam multo liberalius mox, vt sequetur, Alexander, qui ab nullo vnquam se mortalium liberalitate vinci passus est, qui verè regius est animus. Sylimithri certè pro
c.12. duobus millibus pecorum, triginta millia reposuit: & infrà Taxilli pro octoginta talentis mille remisit.

SAGAS PETENS) De Sagis siue Sacis Scythis dictum suprà l. 7. c. 6. 23. Sed cur hic vastatos ait ab Alexandro Sagarum terras, cùm lib. 7. c. 23. se ipsi per legatos dediderint misso ad ipsos Escipino? Defecisse illos cum Sogdianis non dubito, vt antè significaui.

COHORTANVS) sicut in nomine Sylimithris Arrianus & Curtius dissensere, ita in Cohortano dissentiunt, & hoc amplius, quod Cohortanum Roxanes patrem nemo præter Curtium affirmet, nec ipse Curtius sibi constet, vt qui eundem Cohortanum in lib. 10. c. 6. Oxatrem (alij Oxartem) appellet. Aut ergo Cohortanus & Oxyartes seu Oxartes idem omnino fuit homo, nisi quod duo nomina gesserit, quod diligenter aduertendum est, ne historiæ confundantur, aut certè lacuna hic aliqua & hiatus est in Curtio, quod Rubenius quoque animaduertit l. 1. c. 29. *Ego, inquit, iam diu mecum disputo, & Homeri verbis,*

---- κατὰ φρένα μερμηρίζω

Quid ita Roxanen Cohortani Satrapæ filiam Q. Curtius faciat, quam alij consensu Oxatris vel Oxyartis. Verba eius sunt hæc lib. 8.

Inde peruenit in regionem, cui Cohortanus Satrapes nobilis præerat, qui se regis potestati fideique permisit. Ille imperio ei reddito, haud amplius, quàm vt duo ex tribus filij secum militarent, exegit. Satrapes etiam eum, qui penes ipsum relinquebatur, tradit. Barbara opulentia conuiuium, quo tamen regem accipiebat, instruxerat. Id cùm multa comitate celebraret, introduci XXX. nobiles virgines iussit, inter quas erat filia eius Roxane eximia corporis specie, & decore habitus in barbaris raro.

Vides ex contextu & serie, palàm appellari Roxanem. Atqui Arrianus cautus & veri diligens historicus ita scribit: Καὶ ἦν Ὀξυάρτῃ παῖς παρθένος ἐν ὥρᾳ γάμου, Ῥωξάνη ὀνόματι. *Erat Oxyartis filia virgo iam viro*
* Oxyartis *matura, Roxane dicta. Atque adeò Alexander apud Curtium lib. 10. Ergo ipse* * *Oxatris Persæ filiam mecum*
seu Oxartes *in matrimonio iunxi, non dedignatus ex captiua liberos tollere. Iterumque Curtius indicat, l. 9.* * *Oxatres*
*Oxyartes *prætor Bactrianorum non absolutus modo, sed etiam iure amoris, amplioris imperij donatus est finibus. Vbi Curtius sanè quàm eleganter* ius amoris *dicit, quia non ex merito promotus, sed ob bonum in filiam affectum. Quid igitur? illum pro Cohortano substituimus? ten. erratum sit & falsum. Nam quæ hic narrantur non congruunt Oxyarti, qui iam diu in fide regis. Puto hiatum aliquem & defectum esse, & post illa de Cohortano, narrationem fuisse de Oxatris comitate & conuiuio, cuius caussa siue occasio deest. Ponamus igitur* ἐκλείψεως

tis notam inter hac verba, tradit barbara opulentia. *nam vt aliter nunc suppetiat feram, non est copia.* Regionem Arrianus in Sogdianis collocauit, omniaque cum Roxane in Sogdianis gesta dixit: Strabo in Bactriana, Ibi, inquit, sumtuosè admodum hospitio exceptum Alexandrum & cum Roxana Oxyartæ filia nuptias peregisse.

ROXANE EXIMIA CORPORIS SPECIE) In Roxanes nomen omnes scriptores consentiunt, non item patris eius, vti demonstraui. Formam porrò virginis miris modis celebrat Arrianus, qui si- p. 92. simul modestiam regis commendat:

OMNIVM OCVLOS IN SE CONVERTIT) verus est versus.

Formosa facies diu celari non potest. Terent. Eu-

MAXIME REGIS) Γυναικὸς ὄμμα τοῖς ἀκμάζουσιν βέλος. nucho, act.

Mulieris oculus spiculum iuuenibus est. 2. sc. 1.

Certè Alexandro fuit, quo saucius statim captus est, qui ab nullis hostibus vt Hercules & noster Samson capi potuit.

NON SATIS CAVTA MORTALITAS EST) elegans & vera gnome:

Fortuna nunquam naturam corrumpit suam.

vt supra de Dario dixerat. L. 3.

VXOREM DARII) ἡ καλλίστη, vt antea audisti, δὲ λέγεται τῶν ἐν τῇ Ἀσίᾳ γυναικῶν, *quæ mulierum totius Asiæ pulcherrima erat.*

DVAS FILIAS VIRGINES) Statiram vt Plutarchus nominat, Barsinen vt alij, & Drypetin Hephæstioni postea desponsam, cum sibi Barsinen seu Statiram delegisset. tres enim Alexander vxores duxit, Roxanem primùm, deinde Barsinem seu Statiram, postremò Parysatim Ochi regis natu minimam, vt Aristobulus apud Arrianum est auctor. De quibus nos lib. 10. copiosè, vbi ex alijs scriptoribus ingentem Curtij lacunam explebimus.

AD STABILIENDVM REGNVM PERTINERE) ita Plutarchus etiam testatur miris modis hoc facto deuinctos Alexandro barbaros.

SVPERBIAM VICTORIBVS DETRAHI POSSE) si generaret è captiua qui victoribus imperaret.

ACHILLEM QVOQVE A QVO IPSE GENVS DED[ucit] CVM CAPTIVA COISSE) Et Briseidem amauit captiuam Achilles, & Polyxenam Priami filiam sibi in coniugem adoptauit. De Briseide Homerus Iliade 1. & XIX. De Polyxena Euripides in Troiadibus, Seneca in Hecuba Ouid. XIII. metam. Smyrnæus lib. 14. Virgil. 3. Aeneid. Philostratus in Apollonio Tyanæo & heroicis, Pausanias in Atticis, Homerus nusquam attigit historiam, ne dedecoraret, vt ait Pausanias, Achillem. Dubites sanè de qua captiua loquitur hic Alexander Briseide an Polyxena, nam vtraque captiua fuit, & vtraque thalamis Achillis destinata.

De Briseide in XIX. litera T. cecinit Homerus. vbi Briseidem Patrocli mortem facit deplorantem: Plura Ouidius, Q. Calaber, Philostratus præsertim l. 4. p. 172. de Polyxena.

Satis ex auctoribus constat, Polyxenam ab Achille nunquam in thalamum ductam, nec vnquam deuirginatam, sed desponsam duntaxat fuisse. Curtius ergo de Briseide, non Polyxena accipiendus est, cum Briseide enim ducta res fuit Achilli, quamuis captiua, quo exemplo tuetur se Alexander, vt qui ab eodem genus ducat, quemadmodum supra quoque gloriatur in supplicio Batis, *gloriante*, inquit Curtius, *rege Achillem à quo genus ipse duceret, imitatum se esse pœna in hostem capienda*. Ad quod caput nos plura. Sed obstrepit hic Acidalius & obnunciat cum annotat ad illa Curtij: Ita matrimonij iure velle iungi, & pro *ita* reponit vel *ritè* vel *in*. Quid *ita*, inquit, vult hoc loco sibi. abundat in nullum vsum, nisi *rite* corrigendum, vel *in* vt libr. 10. Oxatris Persæ filiam in matrimonio iunxi. nam illud eloqui vix etiam audeo, vt priora leuiter mutentur: *cum captiua coisse, ne in se fore nefas arbitrentur: & tamen matrimonij iure velle iungi*, Ne sibi turpe putent, etiam Achillem fecisse: & se tamen hoc amplius vt minus turpe sit, in matrimonium poscere coniugem legitimam; non pellicem aut amicam. Sed taceri hoc profectò poterat, quippe certo scio, turpius Alexandro Macedones censuisse, quod connubiali etiam iure captiuam sibi iungeret, quàm si iunxisset more tantùm concubinali. l. 4. c. 191 p. 106.

Errat Acidalius, Achilles Briseide captiua non pro concubina & pellice abusus est, sed quemadmodum illi Patroclus deductor promiserat, in legitimam vxorem duxerat: quod ex Homero & epitome rerum Troicarum intelligi potest. Ergo retinendum *ita*. Ita enim dixit Alexander sibi velle iungi iure matrimonij Roxanem, vti Briseida sibi iunxerat Achilles. Melius etiam *inferri*, quàm *in se fore*, quia nisi legitimè duxisset, nefas nobilissimæ virgini intulisset.

IVSSIT AFFERRI PATRIO MORE PANEM) Hunc locum Alexander Neapol. respexit, vbi de sponsaliorum & nuptiarum ceremonijs tractat, nec Tiraquellus alium præter Curtium huius moris testem inuenit. Rationem moris exponit ipse Curtius, cum subijcit auctores morum & consuetudinum voluisse docere naturam paucis contentam, nec alio ferè victu coniugibus quàm pane opus esse. Ea optima domus est, quæ minimo est contenta, inquit gymnosophista apud Strabonem. l. 2. c. 5

Cæterùm de his Roxanes nuptijs Plutarchus etiam breuiter de Fort. Alex. *Roxanes amore captus*; *eam*

eam vnam vxorem soli sibi duxit. Darij verò Statiram imperio rebusq; ita exposcentibus, erat enim operæ precium hoc pacto genera inter se vinciri. Cæteras omnes Persidas tanto modestiâ præstitit, quanto fortitudine Persas. inuitam nullam vidit: quas vidit autem magis etiam aspernatus est, quam quas non vidit. Mireque cum cæteris omnibus blandus esset, solis venustis superbum se præbebat. & quæ ibidem sequuntur, ex quibus incredibilem Alexandri virtutem raro apud Christianos fortasse in tanta fortunæ licentia inueniendam, perspicias.

QVI MAXIME SERVIT) adulationi. quamuis

Vultum animo disparem, ingenuus haud ferat diu.

Ea res enim maximas in regia Alexandri tragœdias dedit.

CAPVT XI.

ARGVMENTVM.

Iter in Indiam adornat. In ipsis cxx. millia recenset, auro & argento arma exercitus expoliri iubet.



Aeterùm Indiam & inde Oceanum petiturus, ne quid à tergo, quod destinata impedire posset, moueretur, ex omnibus prouincijs xxx. millia iuniorum legi iussit, & ad se armata perduci, obsides simul habiturus & milites. Craterum autem ad persequendos Haustanem & Catenem, qui ab ipso defecerant, misit, quorum Haustanes captus est, Catenes in prælio occisus. Polypercon quoque regionem quæ Bubacene appellatur, in ditionem redegit. Itaque omnibus compositis, cogitationes in bellum Indicum vertit. Diues regio habebatur non auro modò, sed gemmis quoque margaritisq; ad luxum magis quam ad magnificentiam exculta. Clypei militares auro & ebore fulgere dicebantur. Itaque necubi vinceretur, cum cæteris præstaret, scutis argenteas laminas, equis frenos aureos addidit, loricas quoque alias auro, alias argento adornauit. CXX. millia armatorum erant, quæ regem ad id bellum sequebantur.

INDIAM ET INDE OCEANVM) De India Curtius ipse infrà cap. 17. tractat, & regionem gentisque mores accuratè describit, vbi nos plura. De Oceano autem l. 9. c. 16.

OBSIDES SIMVL HABITVRVS ET MILITES) Sapiens consilium, ex iuuentute enim tantum nobilissimi quique adscribebantur, qui simul obsidum loco essent, Principum inquam & Satraparũ filij, viliorum enim & mancipiorum precium nullum erat nec cura. per illos autem simul gentes ex quibus lecti erant, in officio retenturus erat.

HAVSTANEM ET CATENEM, è quibus Catenes Bessum Alexandro vinctum opera Spitamenis tradiderat, vt est l. 7. c. 11. Catenes porrò mox cum Spitamene ab Alexandro defecit, vt est c. 16. libri superioris. Catenes erat ille nobilis & certus sagittarius, qui aues etiam in aere excipiebat, vt est c. 13. lib. prioris. De Haustane siue Austane, vt ab Arriano vocatur, nulla alibi quod sciã mentio, est.

HAVSTANES CAPTVS EST, CAT. IN PRAEL. OCCISVS) testatur idem Arrianus.

POLYPERCON QVOQVE REG. QVAE BVBACENE APPEL. IN DIT. REDEGIT) Polypercõtis seu Polyperctontis, vt est apud Arrianum, seu Polyperchontis vt à Diodoro appellatur, viri inter duces post Craterum principis, multa & supra mentio habita, & infrà habebitur. Bubacenem autem regionem nemo præter Curtium laudat.

DIVES REGIO) hæc infrà cap. 17. copiose describitur.

CLYPEI MILITARES AVRO ET EB. FVLG. DICEBANTVR) Ne Indis in armorum splendore cedere videretur, ipse quoque suum exercitum auro argentoque ornauit. Iustinus in 12. Post hæc Indiam petit, vt Oceano vltimoque Oriente finiret imperium. Cui gloriæ vt etiam exercitus ornamenta conuenirent, phaleras equorum, & arma militum argento inducit, exercitumque suum ob argenteis clypeis Argyraspidas appellauit. Quod Iustinus hic affirmat exercitum Alexandri ab argenteis clypeis Argyraspidas dictum, tum primum cum in Indiam moueret, à vero procul repulsum videtur, cum lib. 4. c. 32. iam Argyraspidas Curtius in acie post phalangem constitutas doceat: ad quem locum à nobis dicta recognosces.

CXX. MILLIA.) mirum hoc non in Dario vel Orientis regibus, sed Alexandro omnis ferè multitudinis contemtore. Sed ob famam credo & pompam auxit exercitum.

CA-

CAPVT XII.

ARGVMENTVM.

Rex vult Deus credi & coli. in recusantes irarũ fulmina iactat. Hages & Cleo adulatores Græci Deum pronunciant, Callisthenes philosophus obnunciat.



Amque omnibus præparatis, quod olim praua mente conceperat, tunc esse maturum ratus, quomodo cœlestes honores vsurparet, cœpit agitare Iouis filium, non dici tantum se, sed etiam credi volebat, tanquam perinde animis imperare posset ac linguis. Itaque more Persarum Macedonas venerabundos ipsum salutare prosternentes humi corpora. Non deerat talia concupiscenti perniciosa adulatio, perpetuum malum regũ quorum opes sæpius assentatio quam hostis euertit. Nec Macedonum hæc erat culpa, nemo enim illorum quicquam ex patrio more libare sustinuit, sed græcorum, qui professionem honestarum artium malis corruperant moribus. Hages quidam Argiuus pessimorum carminum post Chærilum conditor, & ex Sicilia Cleo, hic quidem non ingenij solùm, sed etiam nationis vitio adulator, & cetera vrbium suarum purgamenta, quæ propinquis etiam maximorumq́ exercituum ducibus à rege præferebantur: hi tum cælum illi aperiebant, Herculemq́ & Patrem Liberum, & cum Polluce Castorem nouo numini cessuros esse iactabant. Igitur festo die omni opulentia conuiuium exornari iubet: cui non Macedones modò & Græci principes amicorum, sed etiam nobiles adhiberentur. Cum quibus cum discubuisset rex paulisper epulatus conuiuio egreditur. Cleo sicut præparatus erat, sermonem cum admiratione laudum eius instituit. merita deinde percensuit, quibus vno modo referri gratiam posse, si quem intelligerent deum esse, confiterentur, exigua thuris impensa tanta beneficia pensaturi. Persas quidem non piè solùm, sed etiam prudenter reges suos inter Deos colere: maiestatem enim imperij salutis esse tutelam: Ne Herculem quidem & Patrem Liberum prius dicatòs deos, quam vicißent secum viuentium inuidiam. tantundem quoque posteros credere, quantum præsens ætas spopondißet. Quod si cæteri dubitent, semetpsum, cum rex inisset conuiuium, prostraturum humi corpus, debere idem facere cæteros, & imprimis sapientia præditos. Ab illis enim cultus in regem exemplum esse prodendum. Haud perplexè in Callisthenem dirigebatur oratio. grauitas viri & prompta libertas inuisa erat regi, quasi solus Macedonas paratos ad tale obsequium moraretur. Is tum silentio facto, vnum illum intuẽtibus cæteris, Si rex, inquit, sermoni tuo affuisset, nullius profectò vox responsuri tibi desideraretur. Ipse enim peteret, ne in peregrinos externosque ritus degenerare se cogeres, neu rebus felicißimè gestis inuidiam tali adulatione contraheres. Sed quoniam abest, ego tibi pro illo respondeo, nullum esse eundem & diuturnum & præcoquem fructum, cælestesq́ honores non dare te regi, sed auferre. Interuallo enim opus est, vt credatur deus, semperque hanc gratiam magnis viris posteri reddunt. Ego autem seram immortalitatem precor regi, vt & vita diuturna sit, & æterna maiestas. Hominem consequitur aliquando, nunquam comitatur diuinitas, Herculem modò & Patrem Liberum consecratæ immortalitatis exemplar efferebas. Credesne illos vnius conuiuij decretos deos factos? Prius ab oculis mortalium amolita natura est, quam in cælum fama perueheret. scilicet ego & tu Cleo, Deos facimus. à nobis diuinitatis suæ auctoritatem accepturus est rex. Potentiam tuam experiri libet. fac aliquem regem, si deum potes facere. facilius est cælum dare quam imperium? dij propitiũ sine inuidia, quæ Cleo dixit, audierint: eodemque cursu quo fluxere adhuc res, ire patiantur. nostris moribus velint nos esse contentos. Non pudet patriæ, nec desiderio ad quem modum rex mihi colen-

colendus sit, à Persis discere, quos equidem victores esse confiteor, si ab illis leges quis viuamus, accipimus. Aequis auribus Callisthenes veluti vindex publicæ libertatis audiebatur. Expreßerat non assensionem modò, sed etiam vocem, seniorum præcipuè, quibus grauis erat inueterati moris externa mutatio. Nec quidquam eorum quæ inuicem iactata erant, rex ignorabat, cum post aulæa quæ lectis obduxerat, staret. Igitur ad Hagem & Cleonem misit, vt sermone finito barbaros tantum, cum intrasset, procumbere suo more paterentur. & paullò pòst quasi potiora quædam egisset, conuiuium repetit. Quem venerantibus Persis, Polypercon, qui cubabat supra regem, vnum ex his mento contingentem humum, per ludibrium cœpit hortari, vt vehementius id quateret ad terram, elicuitque iram Alexandri, quam olim animo capere non poterat. Itaque Rex, Tu autem, inquit, non veneraberis me? an tibi vni digni videmur esse ludibrio? Ille nec regem ludibrio, nec se contemtu dignum esse respōdit. Tum detractum eum lecto rex præcipitat in terram. Et cum is pronus corruisset, Videsne, inquit, idem te fecisse, quod in alio paullò ante ridebas? & tradi eum in custodiam iusso conuiuium soluit. Polyperconti quidem postea, priùs castigato ignouit: in Callisthenem olim contumacia suspectum, peruicacioris iræ fuit, cuius explendæ matura obuenit occasio.

Sequuntur quinque tristissima capita quæ superbiam regis, Macedonum indignationem, ephebeorum coniurationes & cædes, inter quas & Callisthenis, repræsentat, quæ potissimum non solum omnium præteritorum facinorum & factorum quantumuis fortium & illustrium famam & laudem corrupit, sed iusta etiam apud omnem posteritatem inuidia conflagrauit. Cæterùm quæ his capitibus acta sunt Cariatæ in Bactriana Strabo accidisse refert, Cariatæ enim disertè comprehensum ab Alexandro Callisthenem affirmat.

* MATVRVM RATVS) Indiam ingressurus non volebat minor videri Hercule & Baccho, qui Indos prioribus sæculis adierant, & pro dijs postea culti fuerant. Maturum ergo tum erat, vt publicè pro Deo coleretur, vt exemplo Persarum & Macedonum permoti Indi crederent, nouum ad se numen è cælo descendisse, aut certè è terra Europa extitisse atque virtute ad Indos penetrasse. Vocem *ratus* ex Acidalio assumsi, & reuera desiderari iudicaui, sicut infrà *à Persis* discere, quæ res Glareanum confudit vt locum non explicaret.

IOVIS FILIVM) Ammonis vt suprà sæpè.

PERINDE ANIMIS IMPERARE POSSET AC LINGVIS) Facilè poterat extorquere à subiectis vt diceretur Iouis filius: sed vt crederetur, nec ipse Iupiter Ammon efficere poterat, cogitationes enim cū lateāt, cogi non possunt, etiāsi frons, vultus, oculi, lingua, fingant, seruiant & mentiātur.

MORE PERSARVM) Multus est Curtius in hoc ritu Persarum & cultu adorationis seu venerationis explicando & execrando, vbi Alexander eundem à Macedonibus sibi adhiberi cupiebat: totum hunc locum apud *Brissonium egregiè tractatum leges, vbi multa etiam Curtij mentio, nec opus hic actum agere. tutè venias in rem præsentem.

*De regno Persarum p. 8.

Cæterùm non stetit hic regum fastus, vt paterentur, imo iuberent se adorari, sed eò superbiæ & impietatis progressi sunt, vti statuas quoque suas numinis ritu coli vellent & præciperent, cuius documentū apud Danielem in Nabuchodonosore habes, & apud Philostratum in Apollonio de statua item aurea.

Eximendus tamen scrupulus hic videtur de regum adoratione, sæpè enim sunt aulicæ duntaxat elegantiæ, & ritus gentium non damnati: Dauid certè ab Idolorum cultu vel maximè abhorruit, & tamen pronus adorauit Saulem regem, & coniux Dauidis Salomonis mater etiam ipsum Dauidem eodem ritu venerabunda coluit, & hoc genus προσκυνήσεως plures in literis sacris cognosces, vt mirum sit illum cultum à Mardochæo, Amani negatum, ne, videretur transferre Dei cultum in homines. atqui hoc alij fecerunt ex Iudæis vt dixi, & sine nota Idololatriæ. Videtur Mardochæus diuinitus cognouisse Amanis diuinitatem affectantis insolentiam, eoque negasse illi impensum ab alijs quamuis vsitatum cultum. Nos ad Curtium redeamus.

vide Serarium.

PERNICIOSA ADVLATIO) Vera parœmia: Turpis adulator non minus hoste ferit. quod hic planè Curtius dicit, cum subiungit, *perpetuum malum regum*, quorum opes sæpius assentatio, quam hostis (*hostis* lege, non *hastis* vt ineptissimæ operæ excuderunt) euertit. Extant multa passim optima dicta in pessimos adulatores, quæ tu apud eos leges, qui communes locos in polyantheas coniecere, plurima quoque passim Stobæus l. 1. c. 42. ad quæ non pauca Opsopæus.

NEC MACED. HAEC ERAT CVLPA SED GRAECORVM) Græci enim potissimum adulatores, sed Macedones non Græci? Demosthenes Macedones non pro Græcis sed barbaris habuit, Philippumque Alexandri patrem barbarum appellauit, vt ad primum Martialis epigramma & verbum *Barbara pyramidum* iam olim docui. Quod si terram Græciam inspiciamus, etiā Macedones vt suprà in caussa Philotæ demonstratum est, erunt Græci.

PESSIMIS MORIBVS CORRVPERVNT) Qui non, vt dixerunt, ita vixerunt, quod de Atheniensibus fertur, illos nosse quid agendum, sed non agere. Alexandri adulatores potissimi erant hic

Agis

Agis & Nicesias & Cleo & Anaxarchus à Nicocreonte postea in mortario pistillis contusus. Sycophantas & vitilitigatores Eustathius ad secundum Homeri appellatos ait.

Hages qvidam Argivvs) * Arrianus Agidem Argiuum poetam appellat. *Quum* [* p. 85.] *verò Persas iam ac Medas admiraretur, eosque vestis immutatione totiúsque cultus ratione imitaretur, non videbatur ob eam rem vllu adulatoribus, qui eius animum eo pellicerent, neque sophistis quidem siue Anaxarcha siue Agide poëta Argiuo eguisse.* Gyraldus Dial. 3. hist. poet. nihil de Hage seu Agide narrat, præter id quod hîc Curtius tradit: nisi quod ex Pausania addat alium extitisse Agidem poetam Amphiptolemi F. qui Antiopen cecinerit post Epopæi interitum à Lamedone reuocatam Thebas rediisse, inibique in via peperisse. Sed hic nihil ad fides Curtianas. Agidis adulatoris apophthegma est de Alexandro, à quo cum Agis vidisset cuidam γελωτοποιῷ ingentia munera dari, exclamauit; *O rem absurdissimam!* & Alexandro rogante, quid diceret? *Fateor*, inquit, *me pati non posse, vos à Ioue prognatos omnes pariter assentatoribus delectari. Siquidem & Iupiter Vulcanum habet pro morione, & Hercules Cercopibus, & Bacchus Silenis delectari consueuerunt. Tales videmus & apud te magni fieri.* Pestilentissimum genus adulationis, sub libertatis imagine blandiri. [Apopht. l. 6. p. 209.]

Post Chaerilvm) De Chærilo dictũ in prodidagmatis seu prolusionibus: sed hîc proprius est locus, nec multis tamen agam, quod egit iam Gyraldus, cuius tibi verba adnumero, vbi de duobus Chærilis altero eóque antiquiore laudatissimo poeta, altero de quo hic sermo, insicetissimo. Nam ita Gyraldus ex Horatio & alijs: *Tunc me intuens Piso ait, Nunquid iste est* (de priori dubitabat) *Chærilus, cuius in poetica meminit Horatius Flaccus, atque item in epistolis, cum ita cecinit:* [p. 108.]

Gratus Alexandro regi Magno fuit ille
Chærilus incultis qui versibus, & male natis
Rettulit acceptos regale nomisma Philippos.

Cui ego, Est istuc, inquam, Piso parum mihi compertum, non enim vtrique tempora conueniunt. Namque iste de quo Horatius, circa Olympiadem CXIII. cum Alexandro Macedone vixit, ille de quo ego modò loquebar LXXV Olympiade floruit: quare omnino duos satius puto erit vt statuamus. Istum etenim quem dicis in castris secutum esse Alexandrum, historici prodidere, atque ab eo Alexandri gesta perscripta ineptè, sic tamen vt Alexandrum ipsum dixisse ferant, malle se Homeri Thersitem esse, quam Chærili Achillem: & cum eo præterea pepigisse, vt pro singulis bonis carminibus singulas aureas acciperet, pro malis, colaphos, seu alapas. Verum opere iam perfecto cum recitaret, tot mala inuenta esse dicuntur, vt alaparum multitudine enectus sit. Subiungit idem de tertio quodam Chærilo tragico & Helymone insulso poeta; quę tutè videbis. De duobus agit etiam Suidas in vocibus χοίριλλος καὶ χοίριλος, de Alexandri Chærilo nulla litera; ex quo apparet cõtemptum fuisse, & opus ante opificem mortuum. [Nota de Helymone poeta ibid.]

Ex Sicilia Cleo) Mirum dictu, quicquid à Cleone Siculo disputatum ait Curtius, hoc totũ Anaxarcho Sophistæ Abderitano assignat Arrianus. Nec apud Plutarchum vlla Cleonis mentio, & multa Anaxarchi.

Nationis vitio adulator) ergo Siculi adulatores? non memini ab alijs scriptoribus hac laude insignitos. Quod semibarbarè locuti sint supra docui, & scriptores testantur. Firmicus acutos, Cicero 1. in Verrem, genus hominum acutum & suspiciosum dicit; & in 2. de Orat. Siculos facetos & orat. 6. in Verrem, Σικελίζειν vero apud parœmiographum de vafris & improbis dicitur. De variarum porrò gentium virtutibus & vitijs tractat Alexand. Neapo. l. 4. genial. cap. 13. Extat alius scriptor de moribus gentium improbus & impudens, cuius nomen prætereo, ne chartas meas inquinem, famosus enim potius libellus, quàm verus liber.

Et tvm illi caelvm aperiebant) Argutè hoc, nec sine ironia & irrisione, quasi in adulatorum potestate fuerit mortalibus cælum vel claudere vel aperire, & inter cælites, quos ipsis visum, referre. Arrianus hanc Cleonis orationem Anaxarcho transcribit.

Herculemqve) Diuersi fuere Hercules, de principe Hercule ex plurimis scriptorib. [p. 85.] eruditissimus Natalis Comes lib. 7. cap. 1. decem totis paginis, quibus nihil addo nisi Gyraldum, qui prope paria Syntagm. X. hist. deorum. Multa his omnibus antiquior Cornutus seu Phurnutus lib. de natura Deorum, titulo de Baccho.

Et patrem liberum) de hoc iam non pauca lib. superiore cap. 21. ex eodem Phurnuto, Gyraldo, Natali & alijs.

Cvm Pollvce Castorem) De Castore & Polluce scripsimus ad Martialis epigrammata, & habes longissimè explicata ab Natali Comite l. 8. toto capite 8. apud Gyraldum Syntagmate 5. De Castoribus seu Dioscuris, vti Græcis appellantur, Ledæ ex Ioue FF. Tyndaridis: Sed hic historias non fabulas tractamus, quas apud Comitem & Gyraldum, vt dixi, reperias.

Convivivm exornari ivbet) Ridet hoc consilium Callisthenes: Credesne illos vnius conuiuij decreto deos factos?

Novo nvmini cessvros) Alexandro veluti maiori, cui minorum gentium dij, tanquam semidei cessuri & seruituri sint.

EXIGVA THVRIS IMPENSA) Non contentus ille assentator, seu Cleo, seu Anaxarchus humilia & vilissima adoratione erat, sed volebat Alexandro veluti præsenti deo etiam thus adoleri, quod in sacrificijs deorum tantum fiebat. Alios veteres honores hominibus, alios heroibus, alios dijs adhibebant. De quib. Gyrald. synt. 17. huius loci memor, etiam ex Arriano ostendit.

MAIESTAS IMPERII TVTELA SALVTIS) Nobilis gnome & vera, regia enim maiestas loco legis est, quamdiu debita veneratione colitur rex. Secura est respub. vbi recessit veneratio; omnia susque deque feruntur, aguntur.

QVAM VICISSENT SECVM VIVENTIVM INVIDIAM. Priusquàm ingentibus facinoribus omnes alios mortales longè superassent, ob quorum admiratione͂ post mortem sunt immortalibus inter cælites numerati. De Apotheosi Herculis & Bacchi paulò post ad illa verba Callisthenis. *Prius ab oculis mortalium amolita natura est.*

TANTVNDEM POSTEROS CREDITVROS) Si iam viuus pro deo coletur, etiam à posteris cultum iri, si viuo diuinitas à viuis abdicetur, nec à posteris deum creditum vel adoratum iri.

IN PRIMIS SAPIENTES) quorum princeps inter præsentes erat Callisthenes, à quo Cleo volebat initium adorationis fieri. Et quia de Callisthene dubitabat, & Cleo seipsum quoq; inter philosophos numerabat, se initium facturum pollicetur. Ita Callisthene͂ exemplo motum, secuturũ, aut inuidiam vltimam apud regem subiturum, quod & factum est.

GRAVITAS VIRI ET PROM. LIBERT. INVISA ERAT REGI) Callisthenis grauitas Alexãdro erat inuisa, quam reddidit Anaxarchus inuidiosiorem. Plutarch. *Callisthenis consuetudinem vel aliàs ob austeritatem parum gratam, insuper reddidit inuidiosam.* Et infrà: *At dum fortiter & sapienter recusat, prostratus humi Alexandrum salutare, solusq; dissérit publicè ea quæ in occulto optimus quisq; & natu maximus inter Macedonas stomachabantur: magna quidem macula Macedones, & Alexandrum maiore exsoluit, deterrens eum ab adoratione: se vero ipse perdidit, quod extundere id magis regi, quam videretur persuadere.*

SI REX SERMONI TVO ADFVISSET) Nesciebat Callisthenes à Cleone, Hage, Anaxarcho omnia ex composito fieri, conuentumque antea inter Alexandrum & adulatores, eoque nomine regem ex medijs epulis surrexisse, & secessisse, vti reuerente͂ omnes adorarent. Arrianus à Callisthene, præsente Alexandro orationem hanc habitam contra adorationem aduersus Anaxarchum, non Cleonem tradit.

IPSE ENIM PETERET) Procul à mente Alexandri, hæc petitio & ratio diuinitatem & cælum cum gigantibus affectantis. Non fuit Callisthenes artium & adulationum aulicarum gnarus: & verus est senarius:

Scholasticus in aula, asinus inter simias. ὄνος ἐν πιθήκοις. Trahunt tamen hoc verbũ ad laudem scholastici. ego nolim ita laudari.

NVLLVM ESSE EVNDEM ET DIVTVR. ET PRAECOQVEM FRVCTVM) Elegans similitu-
L.15.c.14. do & nobilis gnome: nam citò nata, citò pereunt. sumpta est comparatio ab arboribus præco-
L.16.c.25. cibus, quales sũt amygdalus, nucipersicæ seu præcoces, de quibus Plinius, & singillatim de pomo nucipersico, quia non aliud fugacius. *Longissima namque decerpto bidui mora est, cogitq; se venundari.* Adi nostros commentarios ad Martialem, l.13.

Vilia maternis fueramus præcoqua ramis
Nunc in adoptiuis Persica cara sumus.

DE amygdalo idem: *Floret prima omnium amygdala mense Ianuario: Martio verò pomum maturat.* Transferuntur hęc in ingenia pręcocia, honores pręproperos, & hoc genus alia. Alciatus emb. 208.

Cur properans folijs præmittis amygdale flores?
Odi pupillos præcocis ingenij.

L.13.c.2. Quintilianus enim testatur hoc pręcox ingeniorum genus nunquam ferè peruenire ad frugem. & Actius apud Gellium ait, *In iuuenilibus ingenijs itidem sibi placere, vt in pomis immaturis acerbitas ip-*
L.31.c.6. *sa placet; ea enim demũ maturescere (maturitas enim tempestiuã adfert suauitatem) reliqua ante tempus putrescere.* Adfert Claudius Minos ex Cælio Rhodiginio exemplum de Hermogene Rhetoquod in commentario eius ad Alciatum leges.

PRAECOCEM FRVCTVM) De voce præcox præcocis etiam grammatici tricãtur. Negat Gel-
L.10.c.11. lius dici præcox præcoquis, rescribendum esse præcocis, quod in recto non scribatur præcoquis, sed pręcox, & versum ex Afranio adducit: *Appetis dominatũ demens præmaturè præcocem.* In quo versu, inquit Gellius, *animaduertendum est, quod præcocem inquit, non præcoquem; est enim casus eius rectus, non præcoquis, sed præcox* Apud Curtium ergo legendum erit præcoce͂, vt pleraque edita ostendunt exemplaria. MS Constantiensis & Modiana præcoquem habent, quibus mea sententia Gelliana emendatio erit præferenda. Est tamen hęc vox duplicis ordinis, secundi & tertij, vt dicatur præcoquus, præcoqui, & præcox præcocis, quod ex scriptorum auctoritate docui ad Martialem.

CAELESTESQVE HON. NON DARE TE REGI SED AVFERRE) eleganter hoc; propter enim inuidiã rei nouę & inauditę in Gręcia viuo mortuoq; detrahetur honos Alexandro cælestis, & gloria eius ante ipsum euanescet & extinguetur, adeoq; ita Deus ante Deum, sed mortalem, morietur.

INTERVALLO OPVS EST) Opus est, vt prius & mortalitatem exuat, & per mortem à mortalibus recedat, vt Bacchus & Hercules fecère.

De

De Hercule elegãter Naso: l. 9. Met. v. 250. Horatius qui Bacchum & Castores addit l. 2. Epist. Bacchum porrò eodem modo cum Hercule exustum, & in cælum inde receptum cecinit Sidonius Antipater:

Ἀμφότεροι Θήβηθε ϗ ἀμφότεροι πολεμισταί, p. 466.
Κἠκ Διός. θύρσῳ δ' εἷς, ὁ δὲ ῥοπάλῳ.
Ἀμφοῖν δὲ στῆλαι συνέμονες εἴκελα δ' ὅπλα,
Νεβρὸς λεοντῆ, κύμβαλα δὲ πλατάγη.
Ἥρη δ' ἀμφοτέροις χαλεπὴ θεός· οἱ δ' ἀπὸ γαίης
Ἦλθον ἐς ἀθανάτους, ἐκ πυρὸς ἀμφότεροι.

Ambo Thebani, bello simul ambo potentes,
Hic claua, hic thyrso; natus vterque Ioue:
Amborumque columna atque arma simillima vtrique
Cymbala clamori; pellem & vterque tulit
Et grauis ambobus Iuno Dea: aduixit vterque
E terra ad superos igne cremante Deos.

SEMPERQVE HANC GRATIAM MAG. VIR. POST REDDVNT) Ita de Romulo testatur in Catone M. Tul. *Romulum qui hanc vrbem condidit, ad deos immortales beneuolentia famaq; sustulimus.*

De Hercule Arrianus: *Sed ne Herculi quidem, cum adhuc in viuis esset, diuini honores à Græcis delati sunt, imò nec mortuo quidem, donec Delphico oraculo, vt pro deo coleretur, iussum fuit.* lib. 4.

De Libero patre seu Baccho Pausanias in Atticis: *Agebatur dies festus apud Athenienses, quo die Liberi Patris cultum à Pegaso Eleutheriensi ex oraculo delphico acceperunt, quæ dicebantur Oschophoria. Huic Libero Patri seu Baccho primi mortalium Phœnices sacra instituerant, quæ postea Orpheus in Græciam ad Thebanos detulit, in quibus laniatus fuit:* Natal. vide l. 5. c. 13.

PRIVS AB OCVLIS MORT. AMOL. NAT. EST. *Præter hos,* inquit Alexander Neapolitanus, *fuere dij indigetes, qui ex hominibus in deorum numerum asciti propter eximias belli pacisque artes, quod, de genere humano bene meriti essent, post mortem numinibus æquari; celebrem posteris memoriam reliquerunt, vt Hercules & Aeneas quem vocant Indigetē, Castor & Pollux, Aesculapius & Romulus: atq; alij.* l. 6. c. 4. p. 325. f. a.

Proinde Vespasianus, vt est apud Tranquillum, in vltima ferè vitæ linea constitutus, cum moriturirer; *vt video,* inquit, *Deus fio* De Iulio Cæsare eleganter Ouidius extremo transformationum.

Hic tamen accessit delubris aduena nostris, (Aesculapius nempe)
Cæsar in vrbe sua Deus est; quem Marte togaque
Præcipuum non bella magis finita triumphis
Resque domi gesta properataque gloria rerum
In sidus vertere nouum, stellamque comantem.

Enarrat dein Cæsaris ingentia facta, & mox subijcit:

Ne foret hic, inquit, (Augustus adoptatus Cæsaris) *mortali semine cretus Ille* (Cæsar) *Deus faciendus erat.*

Descriptis demum cædis omnibus & ipsa cæde, concludit,

Vix ea fatus erat, media cum sede senatus
Constitit alma Venus, nulli cernenda, suique
Cæsaris eripuit membris, nec in aëra solui
Passa recentem animam, cælestibus intulit astris.
Et quæ sequuntur.

SCILICET EGO ET TV CLEO elegans ironia. Nempe nos sumus illi supra Iouem dij, qui noua possumus fabricari numina. Age experire vires tuas, minus est regem creare & facere, quàm deum. Si regem nō potes, quando poteris deum. Faciliusne est dare imperiū, an cælum? illud non potes, hoc quomodo poteris? vereor equidem ne cælum nobis, Cleo, iratum sit propter hanc tuā orationem, & dij felicissimū adhuc rerum & victoriarum cursum inuertant, ac permutent. Certè Hermolaus hanc superbiam affectatæ diuinitatis obiecit regi, cum infra dixit. *Tu Macedonas voluisti tibi genua ponere, venerarique te vt deum: tu Philippum patrem auersaris, & si quis deorum ante Iouem haberet. r, fastidires etiam Iouem.* Et quæ sequuntur.

NEC DESIDERO) ita lege, *non desiero.* ex mendosis operarum formis.

QVOS EQVIDEM VICTORES ESSE) Sententiam horum verborum negauit se Glareanus potuisse assequi, *Quorum, inquit, sensum facit quos relatiuum quid enim referat deosne an reges ac Macedonas in dubium trahi potest. Sed iudicet lector.* Iudico ergo, nec ad deos, nec reges, nec Macedonas referri particulam *quos*: Sed ad victos Persas, proinde integrum versum ita cum Acidalio legendum, quemadmodum nostra editio posterior habet: Nec desidero ad quem modum rex mihi colendus sit, à *Persis* discere, quos equidem victores &c. *quos,* ergo ad Persas vero & germano sensu referendum. Nec obscura amplius sententia est. Si nobis victoribus ad ritum Persarum qui victi sunt, viuendum est, ergo victi, leges viuendi victoribus præscribunt, adeò q; ipsi victores nostri, nos victi sumus. acutè & acerbè aduersus Cleonem & Alexandrum. Atque hæc est oratio Callisthenis aduersus Cleonem apud Curtium. Idem lemma tractat Arrianus aduersus Anaxarchum, quem

Arrianus Cleoni substituit, sed modo haud paullùm diuerso, ex quo non mendose colligas ab his scriptoribus pro cuiusque ingenio idem argumentum diuersa ratione tractatum. Arrianus plura p. 85. & seq.

EXPRESSERAT NON ASSENSIONEM MODO) Arrianus idem, sed verbo & fine seniorum aut iuniorum discrimine: *Hæc aliaque*, inquit, *huiusmodi cum dixisset Callisthenes, Alexandrum quidem molestissimè tulisse, Macedonibus verò gratissima fuisse.*

Iustinus de hac ipsa adoratione ab Alexandro affectata & Callisthenis constantia in XII. *Deinde*, inquit, *quod primo ex Persico superbia regia more distulerat, ne omnia pariter inuidiosiora essent, non salutari, sed adorari se iubet. Acerrimus inter recusantes Callisthenes fuit. Quares & illi & multi principibus Macedonum exitio fuit: siquidem sub specie insidiarum omnes interfecti. Retentus tamen est à Macedonibus mos salutandi regis explosa adoratione.*

POLYPERCON, QVI CVBABAT SVPRA REGEM) Pro Polyperconte Arrianus Leonnatum ponit. Sed quid hoc quod dicit Curtius Polypercontem supra regem accubuisse, locóne honoratiore quàm ipse rex? neqnaquã. Reuocabo paucis in memoriam quę ad illos Martialis Scazontes edidi.

l. 6. Epig. 50. *Medio recumbit imus ille qui lecto.*

p. 469. In cænaculis Romanorum (imò & Græcorum) vt plurimum tres lecti erant, in quibus discũbebatur ad mensam, vnde triclinia sunt appellata. nonnunquam tamen duo tantũ, vt apud Plautum legas biclinium à duobus lectis. Porro singuli lecti capiebãt binos, ternos, quaternos aut quinos etiam conuiuas, quanquam apud Romanos quini in vno lecto, rarò aut nunquam accubuerint. Inter tres ergo lectos, medius lectus erat honoratissimus, & medius locus in medio lecto omnibus dignior. Tribus accumbentibus in vno lecto, summus dicebatur, qui ad caput lecti cubabat, imus qui ad medij & dignissimi pedes. Quanto duo tantùm, summus dignissimus habebatur. Si quatuor, proximus à summo honoratissimus; imus verò, qui ad tertij pedes iacebat. Hæc vt ne ficta nobis putes, accuratè tractant accuratissimus Lipsius lib. 3. antiq. lect. Ciac. lib. de Triclinio. Stuckius l. 2. conuiuial. c. 34. Hinc iam intelligis, cur dicat poeta Imus, & medio lecto: ea enim erat consuetudo, vt terni plerunque in vno lecto accumberent, & qui ad pedes medij in medio lecto accumbebat, imus dicebatur recumbere: qui quidem locus fuit consularis olim dictus, de quo Ciaconius multa ex Plutarcho.

INtelligis ergò in lecto triclinari Alexandri, medium accubuisse Alexandrum, qui locus erat honoratissimus, supra Alexandrum Polypercontem, vt Curtio placet, siue Leonnatum vt Arriano, in imo situ ad pedes Alexandri alium aliquem ex amicis, quem ego Hephæstionem fuisse ex Plutarcho & Arriano disco, cum hoc enim inter epulas familiariter quasi seorsum est locutus, & Hephæstio caput in sinu ferè Alexandri positum habebat, sicut Ioannes in Christi.

MENTO CONTINGENTEM HVMVM) Quasi osculum terræ impressurus, de quo seruili hominum genere Martialis:

l. 10. ep. 22.

Ad Parthos procul ite pileatos
Et turpes humilesque supplicesque
Pictorum sola basiate regum.

Hic ritus hodieque durat apud Moscbos, qui honòris causa dicunt, *ferio fronte humum*; & faciunt reapse. Sed Polyperconti ferè idem accidit quod Clito, nisi quod occisus non fuit solutum tamen ipsius caussa conuiuiũ, ipse deiectus lectulo, in vincula ductus, castigatus, receptus postremò in gratiam. Hæc omnia frigidè Arrianus in persona Leonnati.

PRIVS CASTIGATO) Diu castigato, ignouit, antè legebatur. Acidalius *diu* mutauit in *prius*, liquidiore sanè intellectu: sed inest tamen priori lectioni germanus & aptus sensus: vt dicas, diu castigato in carcere, tandem ignouit. Callisthenis odium alta mente reposuit, quod suo tempore expromsit, vt ex atroci eius postea supplicio apparuit: contrauit hunc inuidia & odio apud Alexandrum Anaxarchus, vt est apud Plutarchum.

CAPVT

CAPVT XIII.

ARGVMENTVM.

Mos principum iuuentutis excubandi; honos eorundem. Hermolai castigati in regem cum socijs coniuratio, periculum regis.



Os erat (vt supra dictum est) principibus Macedonum, adultos liberos regibus tradere ad munia haud multum seruilibus ministerijs abhorrentia. Excubabant seruatis noctium vicibus proximi foribus eius ædis in qua rex acquiescebat. Per hos pellices introducebantur alio aditu, quàm quem armati obsidebant. Iidem actos ab agasonibus equos cum rex ascensurus esset, admouebant, comitabanturque & venantem, & in prælijs, omnibus artibus studiorum liberalium exculti. Præcipuus honor habebatur, quod licebat sedentibus vesci cum rege: castigandi eos verberibus nulli ius nisi potestas per ipsum erat. Hæc chorus velut seminarium ducum præfectorumque apud Macedonas fuit. Hinc habuêre posteri reges, quorum stirpi post multas ætates Romani opes ademerunt. Igitur Hermolaus puer nobilis ex regia cohorte cum aprum telo occupasset, quem rex ferire destinauerat, iussu eius verberibus affectus est. Quam ignominiam ægrè ferens deflere apud Sostratum cœpit, ex eadem cohorte erat Sostratus amore eius ardens. Qui cùm laceratum corpus, in quo deperibat, intueretur, forsitan olim ob aliam quoque causam regi infestus, iuuenem sua sponte iam motum, data fide acceptaque perpulit, vt occidendi regem consilium secum iniret. Nec puerili impetu rem executi sunt: quippe solerter legerunt, quos in societatem sceleris asciscerent, Nicostratum, Antipatrum, Asclepiodorumque placuit & Philotam assumi. Per hos adiecti sunt Anticles Elaptonius & Epimenes. Cæterum agenda rei haud sanè facilis patebat via. Opus erat eadem omnes coniuratos nocte excubare, ne ab expertibus consilij impedirentur. Fortè autem alius alia nocte excubabat. Itaque in permutandis stationum vicibus, cæteroq; apparatu exsequendæ rei, triginta & duo dies absumpti sunt. Aderat nox, qua coniurati excubare debebant, mutua fide læti, cuius documentum tot dies fuerant. Neminem metus spesue mutauerat. tanta omnibus vel in regem ira, vel fides inter ipsos fuit. Stabant igitur ad fores ædis eius in qua rex vescebatur, vt conuiuio egressum in cubiculum deducerent. Sed fortuna ipsius simulque epulantium comitas prouexit omnes ad largius vinum. Ludi etiam conuiuales extraxere tempus nunc lætis coniuratis, quod sopitum aggressuri essent; nunc solicitis ne in lucem conuiuium extraheret. Quippe alios in statione oportebat prima luce succedere, ipsorum post septimum diem redditura vice nec sperare poterant in illud tempus omnibus duraturam fidem. Cæterùm cùm iam lux appeteret, & conuiuium soluitur, & coniurati exceperunt regem læti occasionem exsequendi sceleris admotam, cum mulier attonitæ (vt creditum est) mentis, conuersari in regia solita, quia instinctu videbatur futura prædicere, non occurrit modò abeunti, sed etiam semet obiecit, vultuque & oculis motum præferens animi vt rediret in conuiuium monuit. Et ille per ludum benè deos suadere respondit. Reuocatisque amicis, in horam diei ferme secundam conuiuii tempus extraxit. Iam alij ex cohorte in stationem successerant, ante cubiculi fores excubituri: adhuc tamen coniurati stabant vice officij sui expleta. Adeò pertinax spes est, quam humanæ mentes deuorauerunt. Rex benignius quàm alias collocutus, discedere eos ad curanda corpora, cum tota nocte perstitissent, iubet. Data singulis quinquaginta sestertia: collaudatique quod, etiam aliis tradita vice, tamen excubare perseuerassent. Illi tanta spe destituti domos abeunt: & cæteri quidem exspectabant stationis suæ noctem.

Hanc Hermolai coniurationem & præsertim crudele Callisthenis fatum præter Curtium exequuntur Plutarchus, Arrianus, Iustinus, Seneca, Diogenes Laertius in Aristotele, Diodorus Siculus scripsit quidem (vt ex capitum indice constat) de cæde Callisthenis, sed locus cum Callisthene periit: Suidas, Philostratus, Dio Chrysostomus, Val. Max. Orosius, Cicero.

Mos ERAT (vt supra dictum est) suprà li. 5. c. 6.

Arrianus Curtio suffragatur: sup. a l. 5. vide c. 6.

PELLICES INTRODVCEBANTVR) Hinc extat inter apophthegmata de cuiusdam coniuge ad regem perducta, quam ille solutam existimarat, cumque serius venientem rogasset, vbi tamdiu fuisset? illa respondente se expectasse, donec maritus isset cubitum: ministros accitos acriter obiurgauit. *Reducite*, inquit, *hanc, parum enim abfuit, quin vestra culpa fuerim factus adulter. Egregium*, inquit apophthegmatum conscriptor, *castitatis exemplum tum in iuuene, tum in rege*. Sed quanto lex Christi sanctior, quæ nec pellices admittit, sed ad inferos amittit.

AGASONIBVS) obseruandum discrimen est inter agasonem, equisonem & mulionem. Agaso melioris seculi scriptoribus, qui equos seu iumenta curat. Liuius, Curtius, Plautus, vocem hanc pro curatore equorum vsurpant: quorum auctoritate Festus, *Agasones*, inquit, *equos agentes, id est, minantes*. Equisonem Varro pro ipso equite & magistro equorum ac domitore posuit: Nam, *vt equus*, inquit in Triodite Tripylio. *qui ad vehendum est natus, tamen hic traditur magistro, vt equiso doceat tollutim*. Nonius etiam Marcellus; *Equisones*, inquit, *non equorum tantum moderatores sed omnes, quibus regimen conceditur cuiuslibet rei, dici posse veteres probauerunt*. Varro Marcipore: *Hic in ambitio nauem conscendimus palustrem, quam nautici equisones per viam conducerent loco*. Mulio propriè est, qui mulas & asinas agit, & curat, siue qui mulos clitellarios, siue quadrigarios ducit, vt est apud Iuuenalem & Martialem, nec facilè apud antiquiores & politiores vocem legas. Errant ergo qui agasones pro mulionibus tantum accipiunt. Propriè enim equis curabant, & erāt *ἱπποκόμοι* & non *ἡμιονελάται*. Rectè igitur Curtius dixit actos ab agasonibus equos, & quæ sequūtur. Apud Arrianum est *ἱπποκόμων* quod interpres transtulit ab equisonibus, verius dixisset agasonibus.

OMNIBVS ARTIBVS STVDIORVM LIBERALIVM EXCVLTI) Non aulicis tantùm, sed literarum etiam: Hermolaum enim Arrianus, philosophiæ seu humanæ & naturalis sapientiæ studiosum fuisse testatur, cum dicit. *τούτου δ' ἑρμόλαος ἦν Σωπόλιδος μὲν παῖς, φιλοσοφίᾳ δὲ ἐδόκει προσέχειν τὸν νοῦν καὶ Καλλισθένην θεραπεύων*.

CASTIGANDI EOS VERBERIBVS) Hic locus, vt à me editus est, ex Acidalij castigatione prodijt, antea erat, *Castigandi verberibus eos nullius potestas præter ipsum erat*, quasi rex lorarij vices ipse ageret. Illud autem infrà Hermolai: *Cum Hermolaus apud eum quoque verberatum se à rege quereretur*. Intellige iussu regis, vt supra rex ipse dixerat, *castigari eum iussi*.

SEDENTIBVS VESCI) Rex accubabat, & cum rege maiores principes & amici, nobiles, pueri principum filij sedebant, vt & ij qui feram extra retia nullam adhuc confecerant, vt supra demōstratum est. Et hoc non Romanorum, sed Macedonum more; de sessione, non accubatione loquor. Nam Romani & Græci & Hebræi in lectulis ad cœnas accubabant, vt ad Martialem ostendi.

HINC HABVERE POSTERI REGES, QVORVM STIRPI P M. ET. ROM. OPES ADEMERVNT) De regum Macedoniæ successione à Carano vsque ad Alexandrum suprà dictum. Hic à morte Alexandri vsque ad Persen à Romanis victum & triumphatum dicendum. Primum constat ex regum singulorum, qui Alexandrum secuti sunt in Macedonia, ætatibus siue annis, quibus
Sca. in the Eus. Cano. Isag. lib. 3. p. 335. imperauit, non nisi sex & quinquaginta annos suprà centum colligi, ita vt si ætatem pro sæculo accipias, nec duabus quidem totis regnarint, ne dū multis. Sie ætatem triginta annos interpreteris, erunt quinque, nec ipse vt vides multæ. Si singulorum temporum quibus regno præfuerunt, respicias, erunt quindecim atque ita multæ videri possunt, itaq; accipiendam hic ætatem suadet res ipsa, & mos loquendi apud Græcos, vbi *γενεὰς* habes apud Siculum, id est ætates, vbi de successione Carani vsq; ad Alexandrū agit, & *ἑκκαίδεκα γενεὰς* ætates seu generationes ponit. Ex qua verò singuli stirpe fuerint, docet Eusebij Chronicō Græcum, & Dexippus apud Scaligerum, qui refutato
p. 335. Isag. Canon. Eusebio centum & quinquaginta nouem annos vsque ad vltimū Persei annum (quo à Paullo AEmilio victus & captus est, regnumque Macedonię in formam prouinclę ab Romanis redactum) numerante, constituit tribus annis detractis centum quinquaginta sex. A primo Carani anno primo Macedonum rege, vsque ad vltimū Persæ seu Persei, recésentur sexcenti quadraginta septem. Nomina porro Macedonæ regum ab Alexandro vsq; ad Perseū fuere ista: I. Philippus Aridęus Alexan. M. ex patre frater. II. Cassander Antipatri F. III. Philippus, Alexander & Antipater simul Cassandri filij. IV. Demetrius Poliorcetes. V. Pyrrhus rex Epiri nobilissimus. VI. Lysimachus olim ab Alexādro M. leoni obiectus. VII. Ptolemæus Ceraunus fulminator Lagi F. VIII. Meleager Ceraunifrater. IX. Antipater. X. Sosthenes. XI. Antigonus, Demetrij Poliorcetæ F. XII. Demetrius XIII. Antigonus. XIV. Philippus Ganatæ F. XV. Et vltimus Perses seu Perseus. Qui omnes quot singuli annis regnarint, habes apud Eusebium & Dexippum p. 49. 50. & seq. apud Scaligerum in temporum thesauro. Tu interim nostrum Salianum consule.

ROMANI OPES ADEMERVNT) De bello Macedonico cum Perseo gesta Liuius libris 41. 42. 43. 44. & 45. Quem L. Aemilius deuicit, & Macedoniam P. Romano subiecit. Iustinus 32. toto: Diodorus Siculus l. 31. ecloga 2. tota, Florus l. 2. c. 12. pauca etiam Suidas, voce *Περσεύς*.

IGITVR HERMOLAVS) Eandem prorsus coniurationis caussam adfert Arrianus. Videndum regibus, quomodo imperent, & subiectos tractent, nulla ætas quæ ferrum gestare potest, contemnenda est, omniū iniurijs exposita est vita principis. Puer erat Hermolaus, & nobilis ac generosus

puer

puer, in venatione fortiter fecit, aprum immanem sibi occurrentem deiecit, quam virtutem laudare debuerat rex & admirari in puero, præmioque acuere, irâ stimulante, supplicio virgarum persecutus est, & fortasse inuidit, & innocentem inspectantibus commilitonibus nudari, cædi, & crudeliter tanquam vltimum mancipium lacerari iussit. Perijsset rex per pueros, nisi temulentum etiam melior fortuna seruasset. Verum est quod Comicus affirmat.

Vitam suam qui temnit, dominus est tua. Cui Seneca subscribit, *Cogita posse & latronem & hostem admouere iugulo tuo gladium; vt potestas maior adsit; nemo non seruus habet in te vitæ necisque arbitrium, ita dico: quisquis vitam suam contempsit, tuæ dominus est. Recognosce exemplum eorum, qui domesticis insidijs perierunt, aut aperta vi aut dolo, & intelliges non pauciores seruorum ira cecidisse, quàm regum.* Ita Philippus pater Alexandri à Pausania puero stupris ab Attalo obiecto, & non vindicato obtruncatus est: qualem tumultum Romæ C. Publilius genere item & virtute puer verè nobilis L. Papirij fæneratoris impurissimi capitis patris caussa ob æs alienum nexus, & à nefario fœneratore propter negatum stuprum immaniter cæsus, concitarit, dolenter exponit l. 8. Liuius, quę tute leges. Ep. 4.

Qvam ignominiam) Nam cæteris ephebis spectantibus, vt Arrianus narrat, verberibus est multatus, & ignominiæ caussa equus ademptus, quod illi plus quam ipsa verbera, doluit, vt qui generoso incoctus honesto contumeliam decoquere non potuerit.

Apvt Sostratvm) hunc Sostratum Amyntæ (illiusne qui causam post Philotam dixit & absolutus est, an alterius, haud sanè affirmarim) filium apud Arrianum lego, qui contra quàm Curtius tradit, Sostratum ab Hermolao ad cædem Alexandro moliendam, impulsum, non Hermolaum ab Sostrato.

Nicostratvm) Nouem omnino in coniurationis societatem coiere, quos hîc recenset Curtius. Arrianus Asclepiodorum omittit, sed Antipatrum Asclepiodori Syriæ prætoris filium fuisse docet, præterit etiam Nicostratum & Eluptenium. Epimanem Arseo, Anticlem Theocrito, Philotam Carside Thrace natum ait.

Alivs alia nocte excvbabat) Nouem, vt dixi, erant coniurati, septima quaque nocte ad eos redibat officium excubandi, tres ergo & sexaginta erant excubitores, quos si in nouem diuidas, septimo die excubandi sors vnumquemque ad excubitionem euocabat. Sed cum per diuersos manipulos essent tributi, dum quisque suos cum altero vices permutaret, triginta dies abierunt. Cum ergo vices excubandi ad Antipatrum deuolutę essent, aggredi facinus decreuerunt. Et videbatur res ita tulisse, vt rex cum amicis pluscululum se imitaret, diuinitus sibi occasionem parricidij conficiendi oblatam credidere.

Lvdi etiam convivales) De his & supra dictum, & infrà in nuptijs Statiræ, (vbi ingentem * Curtij lacunam explebimus) ex Athenæo dicetur. * l. 10.

Dvratvram fidem) Sceleris enim atrocitas minabatur proditionem, cuius carnificem conscientiam non omnes ferunt, cum nulla parricidio prætexi caussa iusta possit. Ita Philotæ seu Dymni, ita Alexandri Lyncestæ coniurationem proditam meminerant, quæ meritò omnes sollicitos habuit.

Mvlier attonitae mentis) Syræ nomen erat; Arrianus; *Aristobulus autor est, mulierem quandam Syram, numine correptam Alexandrum secutam. Atque hanc quidem initio & Alexandro eiusque familiaribus risui fuisse. Quum verò in illa numinis afflatione omnia vera vaticinaretur, non amplius ab Alexandro contemptui habitam, sed liberum Syra ad regem & noctu & interdiu accessum factum fuisse, ac sepenumero etiam dormienti adfuisse. Hanc tum fortè regi è compotatione discedenti numine afflatam occurrisse, atque vt reuersus totam noctem potando traduceret orasse. Alexandrum diuinos monitus esse suspicatum, ad pocula redijsse, & puerorum conatus irritos, fuisse.* Credi possit fœminam hãc à Deo genij tutelaris loco submissam. Cuiq; enim etiã sceleratissimo, tutela à cœlesti prouidentia custodis assignatur, vt in Bruto, Iuliano & alijs legimus. Qui recedente genio, mox alius sua, alius aliena manu interiere. l. 4. p. 83.

Horam diei secvndam) Post solis ortũ intellige, quæ apud nos est ante meridiem octaua, sicut tertia est nona, & sexta, duodecima: de qua re disputatum est in Commentario ad Martialem.

Adeo pertinax spes est)

Spes deuorata mente, spes est pertinax.

Omnium enim postrema sollicitos deserit: Quod in morbis sæpè videmus, cum vita ægri à medicis omnibus desperata, ab ægro tamen etiam cum moritur, vix desperatur. Vulgo legebatur: *adeò pertinax spes est, quam humanæ mentes, quam ingentes concupiscentiæ deuouerunt.* Sequor Constantienses chartas, quæ habent vt edidi, *quam humanæ mentes deuorauerunt*, quæ scriptura & Modio & Acidalio placuit.

Benignivs qvam alias allocvtvs) Hæc benignitas fregit Epimenis pertinaciam. Adeò vel vna vox humanior à principe accepta subiectum capit & frangit.

QVINQVAGINTA SESTERTIA) Præsertim cum accedit flexanima pecunia.

Munera, crede mihi, placant hominesque deosque.

Quinquaginta sestertia efficiunt mille ducentos quinquaginta Philippæos, siue florenos mille sexcentos sexaginta sex. Vnum in neutro sestertium, continet mille sestertios: sestertius est dimidiatus victoriatus, siue duo cruciferi, qua de re tota copiosissimè scripsi ad epig. 26. (vulgo XXX.) lib. 2. Martial. in Caium.

Mutua viginti sestertia forte rogabam.

Sors omnibus nouem coniuratis data conficit vndecim millia ducentos quinquaginta Philippæos. De hoc dono nihil Arrianus, nec Plutarchus. (Philippæus æstimatur 20. victoriatis, siue 40. sestertijs, seu 80. cruciferis ein Thaler bey 20. Batzen.

CAPVT XIV.

ARGVMENTVM.

Epimenes aperit coniurationem; vinciuntur coniurati, & Callisthenes inter hos.



*Pimenes, siue comitate regis, qua ipsum inter coniuratos exceperat, repentè mutatus, siue quia cœptis deos obstare credebat, fratri suo Eurilocho, quem antea expertem esse consilij voluerat, quid pararetur aperit. Omnibus Philotæ supplicium in oculis erat. Itaque protinus inijcit fratri manum, & in regiam peruenit; excitatisque custodibus corporis, ad salutem regis pertinere quæ afferret, affirmat. Et tempus quo venerant, & vultus haud sanè securi animi index, & mæstitia è duobus alterius, Ptolemæum ac Leonatum excubantes ad cubiculi limen excitauerunt. Itaque apertis foribus, & lumine illato, sopitum mero ac somno excitant regem. Ille paulatim mente collecta, quid afferrent, interrogat. Nec cunctatus Eurilochus, non ex toto domum suam auersari deos dixit, quia frater ipsius, quamquam impium facinus ausus foret, tamen & pœnitentiam eius ageret, & per se potissimum profiteretur indicium, in eam ipsam noctem, qua * detegeret, insidias comparatas fuisse. Auctores scelesti consilij esse quos minimè crederet. Tum Epimenes cuncta ordine, conscriorumque nomina exponit Callisthenem non vt participem facinoris nominatum esse constabat, sed solitũ puerorum sermonibus vituperantium criminantiumq; regem faciles aures præbere. Quidam adijciunt, cùm Hermolaus apud eum quoque verberatum se à rege quereretur; dixisse Callisthenẽ, meminisse debere eos iam viros esse, idq; ad consolandam patientiam verberum, an ad incitandũ iuuenum dolorem dictum esset, in ambiguo fuisse. Rex animi corporisq; sopore discusso, cum tanti periculi imago oculis oberraret, Eurilochũ quinquaginta talentis & cuiusdam Tyridatis opulenti bonis protinus donat; fratremque antequam pro salute eius precaretur, restituit. Sceleris autem auctores, interque eos Callisthenem, vinctos asseruari iubet: quibus in regiam adductis, toto die & nocte proxima mero ac vigilijs grauis acquieuit.*

* decederet vulgati. Sed detegeret cod. Const. & MSS. emendatius.

SIVE COMITATE REGIS) Tria poterant mouisse Eupimenem ad aperiendam coniurationem; humanitas regis, eiusdemque liberalitas, & fatum seu diuina prouidentia, quæ videbatur tueri regem: addamus quartum, conscientiæ rabies, quæ nusquam patiebatur Epimenem conquiescere.

FRATRI SVO EVRILOCHO) Paullò aliter Arrianus, *Postero die*, inquit, *Epimenes Arseis filius, vnus ex coniuratis, Chariclis Menandri F. cui erat in delitijs, rem aperit, Charicles Eurylocho Epimenis fratri.*

INIICIT FRATRI MANVM) Veluti mancipio & reo. Formula aliàs iuris est; sed hic non aliud vult Curtius, quàm Epimenem ab Eurylocho manu prensum, & ad regem adductum. De iuris proprietate & consuetudine loquendi Macrobius ad illum Vergilij versum. 10. Aen.

Iniecere manum Parcæ telisque sacrarunt Euandri.

Hic, ait, proprietatem & humani & diuini iuris exsecutus est. Nam ex manus iniectione penè mancipiũ designauit, & sacrationis vocabulo, obseruantiam diuini iuris impleuit. Et Seruius: *Nam manus, ait, iniectio dicitur, quotiens nulla iudicis auctoritate expectata rem nobis debitã vindicamus.* Ouid. 2. Amor. l.

l. Sed si hac ff. de in ius voc. l. pen. de seru. export.

Iryciam

Iniiciam dominas in mea iura manus.
Idem l. 1. de Am. El. 4.
Et dicam mea sunt iniiciamque manus.

Plura Brissonius l. 5. de formulis iuris.

Iniicitur etiam manus in aliquem, vel in eius bona, vel merces aliquas, quando ille abire, vel res inde moueri auctoritate aliqua vetantur, quod nos *arrestare* dicimus. Ne ergo Epimenes post factum fratri indicium posset elabi, iniecta manu ductus est ad Alexandrum. Budæus in l. vlt. ff. de feu.

PHILOTAE) De quo l. 6. c. 15. vsque ad finem lib.

CVSTODIBVS CORPORIS) Ptolemæo & Leonnato, vt sequitur, quamuis Arrianus de solo Ptolemæo loquatur.

TEMPVS, ET VVLTVS, ET MAESTITIA) Tempus insolens & nocturnum, vultus anxio similis, & mœstitiâ confusus, præsertim Epimenis, qui reus nesciebat quid rex de ipso esset decreturus. Ista suprà in Philotæ coniuratione: *Huic Ceballinus ore confuso magna perturbationis notas præ se ferens, aperit qua ex fratre compererat.*

SOPITVM MERO ET SOMNO) ita Virgilius:

Inuadunt vrbem somno vinoque sepultam. 2. Aen.

NON EX TOTO) Vt Philotæ domum, quę cum Parmenione & Philota tota concidit. Dij fecere qui me innoxium præstitere, fratri meliorem mentē iniicere, vt scelus conceptum corrigeret, antequam perpetraretur.

CALLISTHENEM NON VT PARTIC. FACIN. NOMINATVM ESSE CONSTABAT) De Callisthene philosopho sanè varia Curtij narratio est, illum omnis fuisse coniurationis expertē. Nam sic infra Hermolaus, *Nemo est qui conscium fuisse nobis Callisthenem dicat, cum morti olim destinatus sit.* Et suprà: *Atqui eum nihil fecisse contendo.* Ambiguè tamen locutum, cum dixit: *meminisse eos debere iam viros esse*: & sermonibus puerorum regem vituperantium faciles aures præbuisse. Aristobulus cum Ptolemæo auctor est, coniuratos in quæstione confessos se à Callisthene ad facinus audendum incitatos. *Sunt verò*, inquit Arrianus, *qui aliter hac de re tradunt, nimirum Alexandrum, quòd odio Callisthenis laboraret, & quod magna Hermolao cum Callisthene familiaritas interce- deret, facilè in sinistram de Callisthene suspicionem à delatoribus adductum.* Ab his alia Plutarchus in Alexandro narret, quæ m inspicies.

IOS IAM VIROS ESSE) Ambigua sanè sententia si in malā partem & inuidiam trahas, exponens: indignissimam rem videri, iam viros, adhuc puerorum more verberibus castigari; tantam ergo iniuriam & contumeliam à viris non modò non ferendam, sed omnibus modis vlciscendam. Et hoc est quod Curtius dixit, videri dictum hoc à Callisthene ad dolorem iuuenum incitandum. Mitior sensus alter est: Non tam ægrè ferendam corporis castigationem, nec puerorum modo lamentandum; fortium esse virorum, fortia pati.

QVINQVAGINTA TALENTIS) Triginta millia philipp æorum.

TYRIDATIS) l. 5. c. 11. de quodam Tyridate regiæ pecuniæ Persepoli custode scripsit Curtius, de quo c. 14. l. 5. vbi honorem illi delatum, quem apud Darium quoque habuerat. Fieri potuit hunc ab Alexandro vel propter defectionem, vel peculatum, vel aliud facinus proscriptum aut morte sublatum, & Eurylochum in eius bona missum. At fuit alius aliquis Tyridates illi cognominis, cuius opes Eurylocho assignatit.

INTERQVE EOS CALLISTHENEM) quem alij à coniuratis nominatum, alij præteritum dixerunt, vt ante ostendi.

ACQVIEVIT) iam deprehensis, comprehensis, & in custodiam insidiatoribus vitæ datis, certus salutis acquieuit.

CAPVT XV.

ARGVMENTVM.

Caussa coniuratorum agitatur. Hermolaus contra regem perorat.

POstero autem frequens conciliū adhibuit, cui patres propinquique eorum, de quibus agebatur, intererant, ne de sua quidem securi salute. quippe Macedonum more perire debebant, omnium deuotis capitibus, qui sanguine contigissent eos. Rex introduci coniuratos præter Callisthenem iussit: atque quæ agitauerant sine cunctatione cōfessi sunt. increpantibus deinde vniuersis eos, ipse rex quo suo merito tantum in semet cogitassent facinus, interrogat.

Stupen,

Stupentibus ceteris, Hermolaus, Nos verò, inquit, quoniam quasi nescias quaeris, occidendi te consilium, iniuimus, quia non vt ingenuis imperare cœpisti, sed quasi in mancipia dominaris. Primus ex omnibus pater ipsius Sopolis parricidam etiam parentis sui clamitans esse, consurgit, & ad os manu obiecta, scelere & malis insanientem vltra negat audiendum. Rex inhibito patre, dicere Hermolaum iubet, quae ex magistro didicisset Callisthene, & Hermolaus, Vtor, inquit, beneficio tuo, & dico quae nostris malis didici. Quota pars Macedonum saeuitiae tuae superest? quotus quidem non è vilissimo sanguine? Attalus & Philotas, & Parmenio & Lincestes Alexander, & Clitus, quantum ad hostes pertinet, viuunt. * *stant in acie, te clypeis suis protegunt, & pro gloria tua, pro victoria vulnera excipiunt: quibus tu egregiam gratiam retulisti: Alius mensam tuam sanguine suo aspersit; alius ne simplici quidem morte defunctus est. Duces exercituum tuorū in eculeum impositi, Persis quos vicerant fuere spectaculo. Parmenio indicta causa trucidatus est, per quem Attalum ociderás: Inuicem enim miserorum vteris manibus ad expetenda supplicia: & quos paullo antè ministros cedis habuisti, subitò ab alijs iubes trucidari. Obstrepunt subinde cuncti Hermolao. Pater supremum strinxerat ferrum, percussurus haud dubiè, ni inhibitus esset à rege: quippe Hermolaum dicere iussit: petiitque vt causas supplicij augentem patienter audirent. Aegrè ergo coercitus, rursus Hermolaus; Quam liberaliter, inquit, pueris rudibus ad dicendum agere permittis? at Callisthenis vox carcere inclusa est, quia solus potest dicere. Cur enim non producitur, cum etiam confessi audiuntur? nempe quia liberam vocem innocentis audire metuis; ac ne vultum quidem pateris: Atqui nihil eum fecisse contendo: Sunt hic, qui mecum rem pulcherrimam cogitauerunt. Nemo est qui conscium fuisse nobis Callisthenem dicat, cum morti olim destinatus sit à iustissimo & patientissimo rege. Haec sunt ergo Macedonum praemia, quorum vt superuacuo & sordido abuteris sanguine. At tibi triginta millia mulorum captiuum aurum vehunt, cùm milites nihil domum praeter gratuitas cicatrices relaturi sunt: quae tamen omnia tolerare potuimus, antequam nos barbaris dederes, & nouo more victores sub iugum mitteres. Persarum te vestis & disciplina delectat, patrios mores exosus es. Persarum ergo, non Macedonum regem occidere voluimus, & te transfugam belli iure persequimur. Tu Macedonas voluisti genua tibi ponere, venerarique te vt deum. Tu Philippum patrem auersaris, & si quis deorum ante Iouem haberetur, fastidires etiam Iouem. Miraris si liberi homines superbiam tuam ferre non possumus? quid speramus ex te, quibus aut insontibus moriendum est, aut quod tristius morte est, in seruitute viuendum? Tu quidem si emendari potes, multum mihi debes: ex me enim scire cœpisti, quid ingenui homines ferre non possint. De cetero parce his quorum orbam senectutem suppliciis ne onerauerit. Nos iube duci, vt quod ex tua morte petieramus, consequamur ex nostra.*

* *sta.*

FREQVENS CONSILIVM) Non tam frequens quàm fuerat Philotae caussa, vbi exercitus etiam iudicum partem sustinuit, quem hic video non fuisse adhibitum, sed optimates tantum, & reorum parentes ac propinquos: nulla enim fit hic mentio exercitus, vt suprà tacta est cap. 16. l. 6. Apud quos etiam accusarat rex Philotam. Sed turbat quod suprà monuerat de capitalibus rebus vetusto more Macedonum, inquisiuisse exercitum, reum in pace vulgi fuisse, nihil potestatem regiam valuisse, nisi prius valuisset auctoritas. Sed ibi principes, duces, commilitones rei peragebantur: hic pueri, qui in auctoritate regis erant, sicut filij & serui in potestate heri & parentis.

l. 6. c. 10. MACEDONVM MORE PERIRE DEBEANT) de hoc suprà quoque: *Postquam Philotam torqueri fama vulgauerat, legem Macedonum veteri qua cautum erat, vt propinqui eorum qui regi insidiati essent, cum ipsis necarentur, alij se interficiunt, alij in deuios montes vastasque solitudines fugiunt, ingenti terrore per tota castra diffuso, donec rex cognito tumultu legem se supplicij, coniunctis sontium remittere dixit.* Eadem lex vel consuetudo Persis erat, vt multis exemplis docet Brissonius de regno Persarum l. 2.

PRAETER CALLISTHENEM) quia non erat Macedo, Sed Olynthius, nec eisdem legibus & praerogatiuis vtebatur & fruebatur, vti mox ipse Alexander exponit: *quem*, inquit, *si Macedo esset, tecum introduxissem, dignissimum te discipulo magistrum.* p. 368. & seq. *nunc Olynthio non idem ius est.*

CONFESSI

CONFESSI SVNT) Vt non esset multis quæstionibus & tormentis opus: quamuis Arrianus quæstionem adhibitam dicat.

HERMOLAVS, NOS VERO, INQVIT) Adeò hæc Hermolai oratio libera est, & inuectiua, ac grauis, vt sint hodie qui existiment totam à Curtio confictam, neminem enim tam impudentem videri posse, vt regi in os talia crimina obijciat, & occentet, qualia hic Hermolaus Alexandro præsenti obiectat. Ego sanè priusquam græcos legerem, idem ferè sentiebam. Sed cum apud Arrianum huius ipsius orationis argumentum extare viderem; sensi nihil à Curtio confictum, sed ab Hermolao audentissimo iuuene & desperato, & quasi in rabiem verso, omniúmque suppliciorum, adeoque ipsius mortis contemptore, omnia dicta obiectaque regi, vt à Curtio sunt perscripta. Sunt autē huius accusationis seu inuectiuę capita omnino tria, quę in Alexandro reprehendit: primū crudelitas, quod non vt iustus rex imperet liberis & ingenuis, sed velut tyrannus sæuiat in subiectos tanquam ipsius mancipia. alterum est *ἀχαριστία* seu ingrati animi crimen, cum auaritia coniunctum, quod ducum & militum suorum labores, virtutem & vulnera nullis præmijs prosequatur, sed supplicijs compenset. Postremum est intoleranda superbia, vt qui neget se hominem & Philippi filium, patremque è cælo Iouem accersat, & vix ipso Ioue patre contentus sit: atque inde Macedonum modestiam fastidiat, in mores hostium, quos vicisset, transeat, adorari cupiat, & recusantes occidat, Callisthenem hoc potissimum nomine in vinculis ad necem destinatum teneat. Regem ergo Persarum non Macedonum se occisum venisse, vt libertatem patriam tueretur, quam, vt viuus recipere non potuerit, mortuum recepturum.

Respondet ad singula capita Alexander, nec quicquā obiectorum inficiatur, præter auaritiam & *ἀχαριστίαν*, sed omnia iure abs se facta etiam exemplis ostendit, adeòque & clementem imperatorem, non tyrannum, non ingratum & auarum, sed liberalissimum regem; quod autem victis parceret, & honorem haberet, id clementiæ argumentum esse, & ita imperia temperanda ne deficiant, sed firmetur regnum: moderata durare, nihil violentum diuturnū. Quod à Ioue adoptatus sit, & filij nomine dignatus, id deorum esse beneficium, nec se scire potuisse, quid Iupiter de se responsurus esset, nec se Ioui potuisse præscribere quid oraculi esset editurus, se nomen recepisse, quod id multum ad subigendum orbem faceret: bella enim fama constare. Optandum esse vt etiam Indis crederetur deus; sæpe enim quod falsò creditum est, veri vicem obtinuisse.

IN MANCIPIA DOMINARIS) Erat olim penes heros & dominos potestas vitæ & necis in seruos, adeòque in suos liberos, qua de re præter Alex. Neap. & Tiraquellum habes l. 1. C. de emen- l. 3.c.20.
datione seruorum, & in tit. de ijs qui sui vel alieni iuris sunt: Brissonium voce seruus & seruitus, Laurentium Pignorium de Seruis p. 11 & seq. Mancipium tamen aliud etiam quàm seruus sonat. Isidorus: *Mancipiū est quicquid manu capi subdiq; potest, vt homo, equus, ouis. hæc enim animalia statim vt nata sunt, mancipium esse putantur.* Florentinus: *Mācipia dicta sunt quod ab hostibus manu capiantur.*

PARRICIDAM ETIAM PARENTIS SVI) quia lege Macedonica omnes propinqui, rei, occidebantur, vt sup. à dictum: sed Alexander antiquauit hanc legem.

NON E VILISSIMO SANGVINE) non è plebeio aut gregarij, sed principum & cognatorum sanguine & genere nati.

ATTALVS) de hoc lib. 7. c. 1.

PHILOTAS) l. 6. c. 15. & seq.

PARMENIO) l. 7. c. 2.

ALEXAND. LYNCESTES) lib. 7. c. 1.

CLITVS) supià c. 3.

STANT IN ACIE) Hæc omnia ad Clitum pertinent, qui & mensam Alexandri sanguine aspersit, inter epulas occisus. Cæterum Modiana editio pro *τὸ stant*, habet in imperandi modo *sta*, quod quidem neruosius dictum videtur, sed omnes reliqui codices conuenientius institutæ orationi *stant*. Viuunt, stant, protegunt, excipiunt.

NE SIMPLI QVIDEM MORTE DEF. EST) vt Philotas antea in eculeum impositus.

Atque hac orationis parte Hermolaus crudelitatem Alexandri vt tyranni accusault, vt ostendi. Qua de re sic Arrianus: *Nonnulli etiam tradunt Hermolaum ad Macedonas productum, insidias abs se structas confessum. Neque enim liberi hominis esse, Alexandri contumelias ferre, omniaque ab Alexandro perpetrata recensuisse. nimirum iniustam Philotæ necem, & patris eius Parmenionis, atq; eorum, qui tum temporis interfecti fuerant, multò iniquiorem, Cliti etiam per temulentiam cædem.*

CALLISTHENIS VOX) Callisthenem innocentem pronunciat Hermolaus, & immeritò vinculis detineri, nec coniurasse. Aristobulus tamen & Ptolemæus apud Arrianum non solū conscium, sed etiam participem coniurationis, adeòq; auctorem fuisse testantur. Plutarchus etiā, quem supra laudaui c. 14.

SOLVS POTEST DICERE) etiam Aristotele teste apud Plutarchum, Non absurdè igitur dixisse apparet Aristotelem, *Facundum esse & magnum in dicendo Callisthenem; verum mentem non habere.* Et Hermippus ex Stroibo anagnoste Callisthenis. *Dicitur*, inquit, *aliquādo multu ad cœnam inui-* Plut. 755.
tatu, inter pocula iussus Macedonas Callisthenes laudare, tam profluenti oratione hoc tractasse argumentū, vt exilientes ei plauderent, & coronas ingererent: Alexandrū verò tūc dixisse ei,

Qui dictionis nactus est

Campum bonum, haud agrè fit isthic eloquens.

At ostende (dixisse) facultatem tuam vituperandis Macedonibus, quo emendentur auditis delictis suis: ita ad retractanda ille prior aversus multa in Macedonas magna libertate disseruisse, Græcorumque dissensionem demonstrasse causam fuisse Philippi incrementi & potentiæ.

Dissidio in populi capit & sceleratus honorem.

Acerbam inde inuidiam in eum & grauem concepisse Macedones, ac dixisse Alexander, non eloquentiæ sua Callisthenem, sed maleuolentia dedisse Macedonibus documentum.

REM PVLCHERR.) Tyrannicidium, vt ipsi Interpretabantur, reuera parricidium. Athenienses sanè τυραννοκτόνους honoribus maximis prosequebantur, & statuis positis tantùm non adorabant. Exemplo sunt Harmodius & Aristogiton. Multa hic quæ in tyrannos dicta, & in polyantheas ac theatra collecta sunt prætermitto, quæ lector otiosus videre potest.

HAEC SVNT PRAEMIA) ἀχαριστίαν seu ingrati animi crimen cum auaritia coniunctum obijcit Alexandro.

TRIGINTA MILLIA MVLORVM) suprà l. 5. c. 13. Cæterùm aut de alijs quoque dubitabimus, aut credemus in huius vrbis gaza fuisse C & XX millia talenta, ad quæ vehenda (nam quæ ad vsus belli secum portare decreuerat, iumenta & camelos, & à Susis & à Babylone contrahi iussit, vbi plura ad eum locum) Darij pecuniam omnem, quam secum in expeditione portabat, sexcenti muli & trecenti cameli vehebant. Hunc locum accuratè exputat Glareanus, ostenditque non incredibile videri debere ad portandum omnem Alexandri thesaurum è tota Perside collectum triginta millia mulorum fuisse desiderata. Apponam verba Glareani, quod paucis illius notæ sint notæ, nec liber omnibus in promptu, quem ego ex bibliotheca Reipublicæ Augustanæ vtendum accepi: *Quum hac primum legerem,* inquit Glareanus, *candide lector, ipse mecum rem quasi ridiculam admiratus, cogitare diligentius cœpi, essetne verum quod homini mihi imperito earum rerum, etiam propè impoßibile videretur. Quantam enim pecunia summam triginta millia mulorum ferre posse credamus? Hac quum ita mecum tacitus reputassem, cœpi anxius etiam atque etiam cogitare, quo pacto rationem inirem, vt id ita esse certo inuenire, atque adeò firmis argumentis approbare possem: ibi in mentem venit, si ad solam, qua Persepoli capta est, pecuniam, requirebantur mulorum ac camelorum tria millia, vt Diodorus in sexto Alexandri anno supputat; certè etiam hic numerus, quantumuis magnus, aliquo modo ad veram rationem deduci posse, mihi videbatur. Si enim omnes summas Susis, Ecbatanis, Pasargadis, Arbelis, Babylonia & Persepoli inuentas computare volemus, tum cogitato non aurum solum, sed & argentum vectum, & preciosa alia, vt lapillos, gemmas ac margaritas: denique, exaggerationem factam ab hoste perituro Hermolao: non paruum adiumentum habebimus ad hunc locum firmiter constabiliendum. Sed primum, Diodori locum in abacum reuocemus: ac eo discusso, lectori non omnino stupido, reliqua de alijs locis diiudicanda relinquemus. Persepoli (inquit Diodorus) inuenta sunt, auro ad argenti rationem reducto, centum ac viginti millia talentûm: qui numerus per sexcenta ductus, producet summam* * *72000000 coronatorum. Iam quod ad pondus attinet (portabant enim eam pecuniam mulorum ac camelorum tria millia, vt dictum est) in Romana libra besse comprehenduntur septuaginta duo coronati: est autem bes libra Romana, dimidium libra Zyostatica, qua habet coronatos centum quadraginta quatuor: per quos si 72000000 diuidantur, erunt libra Zyostatica 500000. Ha libra si per 3000. mulorũ diuidantur, singulis mulis euenient libra 166. ac supersunt 2000. libra: quas si addamus, succedent mulorum ac camelorum duo millia centenis sexagenis septenis: alia millia centenis sexagenis senis libris. Nostra quidem atas, equi vehunt ducenas libras: sed fortaßis non in tam longum iter. Sed & vasa ipsa non tam commodè, quàm pecunia duci potuere: nec omnia in auro erant fortaßis, sed & in ebore, argento alijsque rebus (vt diximus) preciosis: vt non omnino, si quis rectè secum animo omnes vbique summas colligat, ad eum quem in Persepoleos thesauro ostendimus modum, absonum sit veritati, triginta millia mulorum aurum captum vehere Alexandro. Hæc præter consuetudinem nostram ideo scribuntur, vt iuuenibus ad sublimiora anhelantibus, cogitandi daremus occasionem, ad ea qua ante hanc atatem nemo nouerat. Quotusquisque enim tum erat, imò quotusque hodie viuit inter eximiè etiam doctos, qui quum ad huiusmodi res ventum est, non continuo fateatur, vel ad se nihil attinere, vel rem friuolam esse, consideratione indignam. At ego eius sum opinionis tantos authores haud temerè motos, nec talia scriptis prodituros fuisse, nisi ea & lectu multo dignißima, & cognitu vtilißima indicaßent.*

* Septuagesies bis millies centena millia. Duos & septuaginta milliones.

NIHIL DOMVM PRAETER CICAT. RELAT. SVNT) infrà lib. 9. c. 6. Intuere, Cœnus inquit, *corpora nostra exanguia tot perfossa vulneribus, tot cicatricibus putria. Iam tela hebetia sunt, iam arma deficiunt. Vestem Persicam induimus, quia domestica subuehi non potest. In externum degenerauimus cultum. quoto cuique lorica est? quis equum habet? iube quæri quam multos serui ipsorum persecuti sunt, quid cuique superfit ex præda. Omnium victores, omnium inopes sumus. nec luxuria laboramus, sed bello instrumenta belli consumpsimus. hanc tu pulcherrimum exercitum nudum obijcies belluis?*

VICTORES SVB IVGVM MITTERES) Hoc μεταφορικῶς accipe. Nusquam & nunquam adhuc Macedones sub iugum barbarorum miserat, sed ad illorum vestem & mores transferat, & cogebat Macedones victores more Persarum, qui victi erant genu sibi ponere & ado-

tate, hoc Hermolaus ait, esse sub iugum mittere. quid propriè sit sub iugum mittere, habes apud Liuium: *Tribus hastis iugum fit, humi fixis duabus, superque eas transuersa vna deligata, sub hoc iugo dictator Aequos misit.* l. 3.

GENVA PONERE) hoc tertium caput est orationis de superbia Alexandri. Regredere ad Hegelochi orationem lib. 6. c. 20.

PARCE HIS) Parentibus & cognatis nostris, quibus lege Macedonica nobiscũ esset moriendũ.

EX TVA MORTE PETIERAMVS, CONSEQ. EX NOSTRA) libertatem, vt saltem morte liberemur à seruitute tua & tyrannide.

CAPVT XVI.

ARGVMENTVM.

Hermolao respondet Alexander, qui reos duci iubet, atque inter hos Callisthenem, cuius mors genusque mortis ęternam regi peperit inuidiam & infamiam.



T rex, Quàm falsa sint, inquit, *quæ iste tradita à magistro suo dixit, patientia mea ostendit. Confessum enim vltimum facinus tamen vt vos quoque audiretis, expressi non imprudens, cum permisissem latroni huic dicere, vsurum ea rabie, qua compulsus est, vt me, quem parentis loco colere debet, velles occidere. Nuper cum procacius se in venatione gessisset, more patrio, & ab antiquissimis Macedoniæ regum vsurpato, castigari eum iussi. Hoc & oportet fieri, & ferunt à tutoribus pupilli, à maritis vxores, seruis quoque pueros huius ætatis verberare concedimus. Hæc est sæuitia in ipsum mea, quam impia cæde voluit vlcisci. Nam & in cæteros, qui mihi permittunt vti ingenio meo, quàm mitis sim, non ignoratis. Hermolao parricidarum supplicia non probari, cùm eadem ipse meruit, minimè herculè admiror. Nam cùm Parmenionem & Philotam laudas, suæ seruit caussæ. Lyncestem verò Alexandrum bis insidiatum capiti meo, à duobus indiciis liberaui. Rursus conuictum, per biennium tamen distuli, donec vos postularetis vt tandem debito supplicio scelus lueret. Attalum, antequam rex essem hostem, meo capiti fuisse meministis. Clitus vtinam non coegisset me sibi irasci; cuius temerariam linguam probra dicentis mihi & vobis diutius tuli, quàm ille eadem me dicentem tulisset. Regum ducumque clementia, non in ipsorum modò, sed etiam in illorum qui parent, ingeniis sita est. Obsequio mitigantur imperia: vbi verò reuerentia excessit animis, & summa imis confundimus, vi opus est vt vim repellamus. Sed quid ego miror istum crudelitatem mihi obiecisse, qui auaritiam exprobrare ausus sis? Nolo singulos vestrum excitare, ne inuisam liberalitatem meam faciam, si pudori vestro grauem fecero. Totum exercitum aspicite: qui paullò antè nihil præter arma habebat, nunc argenteis cubat lectis, mensas auro onerant, seruorum greges ducunt, spolia de hostibus sustinere non possunt. At enim Persæ quos vicimus, in magno honore sunt. Apud me quidem moderationis meæ certissimum indicium est, quod ne victis quidem superbè impero. Veni enim in Asiam, nõ vt funditus euerterem gentes, nec vt dimidiam partem terrarum solitudinem facerem, sed vt illos quoque, quos bello subegissem victoriæ meæ non pæniteret. Itaque militant vobiscum, pro imperio vestro sanguinem fundunt, qui superbè habiti rebellassent. Non est diuturna possessio, in quam gladio inducimur. Beneficiorum gratia sempiterna est. Si habere Asiam, non transire volumus, cum his communicanda est nostra clementia. horum fides stabile & æternum faciet imperium, & sanè plus habemus, quàm capimus. Insatiabilis autem auaritia est, adhuc implere velle quod iam circumfluit. Veruntamen eorum mores in Macedonas transfundo: in multis enim gentibus esse video, quæ non erubescamus imitari, nec*

Xx aliter

aliter tantum imperium aptè regi potest, quàm vt quædam & tradamus illis, & ab iisdem discamus. Illud penè dignum risu fuit, quod Hermolaus postulabat à me, vt auersarer Iouem, cuius oraculo agnoscor. An etiam quid dii respondeant, in mea potestate est? Obtulit mihi filii nomen recipere, ipsis rebus quas agimus, haud alienum fuit. Vtinam Indi quoq; deum esse me credant. Fama enim bella constant, & sæpè etiam quod falsò creditum est, veri vicem obtinuit. An me luxuriæ indulgentem putatis arma vestra auro argentoq; adornasse? Assuetis nihil vilius hac videri materia volui ostendere; Macedonas inuictos cæteris, nec auro quidem vinci. Oculos ergo primùm sordida omnia & humilia spectantiũ capiam, & docebo nos non auri aut argenti cupidos, sed orbem terrarum subacturos venire. Quam gloriam tu parricida intercipere voluisti, & Macedonas rege adempto deuictis gentibus dedere. At nunc mones me, vt vestris parentibus parcam. Nõ oportebat quidem vos scire quid de his statuissem, quò tristiores periretis, si qua vobis parentum memoria & cura est: sed olim istum morem occidendi cum scelestis insontes propinquos parentesque, solui: & profiteor in eodem honore futuros omnes eos, in quo fuerunt. Iam tuum Callisthenem, cui vni vir videris, quia latro es, scio cur produci velis, vt coram his probra, quæ in me modò iecisti, illius quoque ore referantur: Quem si Macedo esset, tecum introduxissem, dignissimum te discipulo Magistrum. Nunc Olynthio non idem iuris est. Post hæc concilium dimisit, tradiq; damnatos hominibus qui ex eadem cohorte erant, iussit. Illi vt fidem suam sæuitia regi approbarent, excruciatos necauerunt. Callisthenes quoque antè tortus interiit, initi consilii in caput regis innoxius; sed haudquaquam aulæ & assentantium accommodatus ingenio. Itaq; nullius cædes maiorem apud Græcos Alexandro excitauit inuidiam, quod præditũ optimis moribus artibusque, à quo reuocatus ad vitam erat, cùm interfecto Clito, mori perseueraret, non tantùm occiderit, sed etiam torserit, indicta quidem caussa. quam crudelitatem sera pœnitentia consecuta est.

Patientia mea) verè obstupescenda fuit, quam alij in concilium vocati statim in principio abruperant, cum omnes Hermolao vix ordienti obstreperent. Sed patientia mea, inquit, falsa ostendit, quæ dixit Hermolaus, nisi enim mihi optimè conscius fuissem, tam patienter parricidam non audissem.

A magistro svo) Callisthene, quem de moribus disputantem studiosè audiebat.

Vltimvm facinvs) parricidium, quod tametsi perpetrare noo potuit, voluit tamen & tentauit.

Vt desint vires, tamen est damnanda voluntas.
Et crimen facti habet, qui voluit.

Non imprvdens) sciebam eum dicendo in rabiem erupturum, qua etiam impulsus voluit me quamuis loco parentis habendum, occidere; sed volui vos quoque ipso confitente sceleris ipsius cognitores & iudices esse, ne quisquam à me circumuentum putaret.

Qvem parentis loco colere debvit) quãuis castigatus, vt fecit Lysimachus, quãuis, vt alij tradunt, leoni obiectus, quam, Iustino teste, contumeliam magno animo tulit.

Nvper cvm proc. se in ven. gess.) Respondet ad obiecta sibi crimina, & primùm crudelitatis, quod diluit, legum & consuetudinum auctoritate, & similium exemplis. Procacius se in venatione gessit, immanis aper occursabat, quem ego ferire volebam, iussique Hermolaum facessere, sicut & Lysimachum antè in leonum venatione. Sed, iste refractarius imperium neglexit, feramque inuasit, & telo occupauit. Apud Persas quoque lex vel mos obtinuerat, vt in venatione nulli feram liceret telo petere, priusquam rex iaculum misisset, cuius rei gratiam sobiectis fecit Artaxerxes. Macrob. l. 2. Plutarch. apophthegm.

Iussi contumacem castigari more maiorum vt solent pupilli à tutoribus, vxores à maritis, filij à pædagogis & seruis. Et hæc est mea crudelitas & sæuitia, quam impio parricidio voluit vlcisci.

A tvtoribvs pvpilli) quorum fidei & institutioni sunt commissi, in quorum ædibus degunt. Pater enim familias etiam ex iure & legibus apud Iurisprudentes & canonum interpretes vim & potestatem habet in sibi subiectos, vxorem inquam, liberos, libertos, seruos, qui suam potestatem in liberos & seruos & libertos etiam pædagogis & seruis committere potest. Castigatio tamen fit vel fuste, vel colaphis, vel virgis, vel flagellis, quam Iurisconsulti lenem vocant. Itaque moderanda est, ne membra trucentur, aut valetudo grauiter lædatur, multo minùs vt mors inferatur, quæ animaduersio grauis & grauissima dicitur, pertinetq; ad publicum magistratum. Atque hæc non pagani tantùm, sed etiam Christiani docent.

D.Thom. 2.2.q.65. a.2. Nauar.l.2. de rest.c.3. n.459 Molina, alij.

Clitvs) Ad Parmenionem, Philotam, Lyncestem, Attalum, verbo respondet fuisse parricidas. De Clito se excusat sanè quàm eleganter, ipsum sua intemperatissima lingua sibi malum accersisse.

Impe-

Imperia mitigat ciuium obsequentia.

Et:

Regum asperat mores populus vel mitigat.

AVARITIAM EXPROBRARE) alterum crimen ab Alexandro diluitur ἀχαριστίᾳ cum auaritia.

INVISAM LIBERALITATEM) quia beneficij nulli grata exprobratio δεῖ λανθάνειν τὸν ποιήσαντα, καὶ μεμνῆσθαι τὸν παθόντα.

Inde Sosia apud Terentium queritur aduersus patronum:

Sed mi hoc molestum est: nam isthac commemoratio
Quasi exprobratio est immemoris benefici.

Toto exercitu auro & argento exculto refutat calumniam auaritiæ: & reapse fuit liberalis & magnificus Alexander, nec ab vllo vnquam se passus est vinci beneficijs: testes Taxilis, Sysimithres, Porus; Plutarchus in Alexandro, p. 554. regredere etiam ad cap. XI.

AT ENIM PERSAE QVOS VIC. IN MAG. HON. SVNT) vltimum caput est de superbia: cuius argumenta erant, quod fastum Persarum imitaretur. Persas maiore honore quàm Macedonas coleret, hostibusque Macedonum victores subijciat & sub iugum mittat, & deniq; abdicata humanitate se Deum iactet, & Ioue natum credi dicique & adorari velit. Ad singula respondet Alexander, ac Persis honorem haberi clementiæ non superbiæ signum esse. vestem Persicam sumpsisse, vt à Persis amaretur, ne deficerent & rebellarent, mores imitatum, vt æquè gratus esset Persis, quàm fuisset Darius, & ita gentes victæ, simulque Oriens & Occidens in vnum quasi regnum & gentem coalescerent. lege caput vlt. prolusion.;

NEC ALITER TANTVM IMP. APER. REGI POTEST) valdè commendat hoc consilium, & factum Alexandri Plutarchus, nec vno loco, sed passim: In vita Alex. Et 1. de fortuna Alex. Vide & Lucianum in Dialogo Mortuorum.

AVERSARER IOVEM, CVIVS ORACVLO AGNOSCOR) hoc potissimum erat superbiæ argumentum & indicium. Et pauci, vel nulli sunt, qui factum hoc & figmentum Alexandri, ad cuius nutum sacrificuli Ammonis responderunt, laudarent. Se excusat Alexander, & purgat apud Philippum ex Luciano: *Neque verò nesciebam*, inquit, *Philippi Amyntæ me esse filium, sed quia ad res gerendas sic mihi visum erat conducere, commento hoc vsus sum vaticinij. Quid au, inquit Philippus, conducibile id tibi visum, vt vatibus impostoribus fallendum te exponeres? Non isthuc, inquit Alexander, sed barbaros in mei admirationem adductos, facilius hoc prætextu nostro subdidimus imperio: quum nemo vnus viribus nostris adhuc restiterit, quippe sola hac opinione ducti, quod aduersus Deum sibi esset præliandum.*

NAM CALLISTHENEM) quod ferè primo loco posuerat Hermolaus, in vltimum reiecit Alexander, nec aliud respondet, quòd non sit productus, quàm quod Olynthius esset, ac proinde satis fuisse dictata à magistro conuitia per discipulum audisse.

EXCRVCIATOS NECAVERE) Arrianus lapidibus obrutos affirmat.

CALLISTHENES ANTE TORTVS INTERIIT) Aristobulus apud Arrianũ tradit compedibus vinctum in exercitu ductum fuisse, ac postea morbo interijsse; Ptolemæus tortum, ac denique suspensum vitam finisse. Adeò ne ipsi quidem scriptores, quorum magna est fides, quique tum temporis Alexandro aderant, de rebus manifestis quæque quo pacto gestæ essent eos nequaquam latebant, inter se consentiunt. Iustinus singillatim supplicium eius exponit: p. 88. *Quippe cum Alexander Magnus Callisthenem philosophum, propter salutationis Persicæ interpellatum morem, insidiarum, quæ sibi paratæ fuerant, conscium fuisse iratus finxisset, eumq; truncatis crudeliter omnibus membris, abscissisq; auribus ac naso, labijsq;, deforme ac miserandum spectaculum reddidisset, insuper cum cane in cauea clausum, ad metum cæterorum circumferret: tunc Lysimachus audire Callisthenem, & præcepta ab eo virtutis accipere solitus, miseratus tanti viri, non culpæ, sed libertatis pœnas pendentis, venenum ei in remedia calamitatum dedit. Quod adeò ægrè Alexander tulit, vt eum obijci ferocissimo leoni iuberet*, de quo plura cap. 2. huius lib. l. 15. p. 153.

Seneca pater prima suasoria præceptorem Alexandri appellat, & lancea trajectum scribit. p. 10. F. Philostratus à Macedonibus ait interfectũ, quod ipsos vituperasset: l. 7. vita Apoll. Tyan.

Diogenes Laertius in vita Aristotelis in cauea circumductum ad spectaculum, morboque pediculari correptum, ac demum leoni obiectum.

Suidas quoque cauea vna cum Nearcho inclusum, & Phthiriasi absumptum ait.

De cauea etiam Ouidius in Ibin:

Inclususq; necem cauea patiaris, vt ille
Non profectura conditor historia.

Quamuis indoctiores Chærilum poetam intelligant, quod ex Parrhasio, Laurentio Abstemio, Egnatio refutat in notis ad Ibin Ouidij, Valerius Andreas Desselius, cui suffragatur Franciscus Sanctius Annotat. ad idem Ouidij carmen. Phthiriasi perijsse & Plutarch. in Sulla auctor est. Est & apud Val. Max. huius Callisthenis mentio & præcepti ab Aristotele illi dati. l. 7. c. 2. p. 277. & lib. 9. c. 3.

Senecam in prolusionib. ex Natur. quæst. l. 6. c. 23. adduximus, vbi multa de Alexandri crudelitate Plutarchum supra laudauimus, Cicero non vno loco Callisthenem celebrauit. Pro Rabirio Postumo. *Callisthenem doctum hominem comitem Alex. M. ab Alexandro necatum accepimus.* Tusc. 3. *Theophrastus interitum deplorans Callisthenis sodalis sui, rebus Alexandri prosperis angitur. Itaque dicit Callisthenem incidisse in hominem summa potentia, summaq; fortuna, sed ignarum quemadmodum secundis vti conueniret.* Et secundo de Oratore: *A philosophia profectus princeps Xenophon Socraticus ille, post ab Aristotele Callisthenes comes Alexandri scripsit historiam, & hic quidem rhetorico pæne more, ille autem superior leuiore quodam sono est vsus.* Libro verò 5. ad fam. & 2. ad Q. Fratrem, haud scio an non loquatur de altero Callisthene historico, qui ante Alexandrum vixit, quem Siculus laudat lib. 16. p. 518.

Cic. ad Luceium. Is Troica singulari quoque libro scripsit.

HAVDQVAQVAM AVLAE ET ASSENT. ING. ACCOMMODATVS) Dixit ante scholasticum in aula esse asinum inter simias

—— Exeat aula,
Qui vult esse pius.

Oblitus erat Callisthenes illius præcepti cum regibus loquendum ὡς ἥκιστα, ἢ ὡς ἥδιστα; *Regem alloquare impune verbis byssinis*, inquit Comicus. De ratione agendi cum principibus viris Dionyl. Halicar ἐν τῷ περὶ τῶν ἐσχηματισμένων. Quintil. l. 11 c. 1. Nostrum Andream Schottum consule ad locum Senecæ supra laudatum in prima suasoria, de qua nos infrà copiosius suo loco.

INNOXIVS) Iam supra ex Aristobulo & Ptolemæo apud Arrianum, Philostrato, Seneca, Suida, Curtio adduxi tres aut plures caulas, quamobrem fuerit interfectus.

NVLLIVS CAEDES MAIOREM AP GRAEC. ALEXAN. EXCITAVIT INVIDIAM) Non solum apud Græcos, sed etiam Romanos Latinum philosophum audis *Nam quoties quis dixerit: occidit Persarum multa millia, opponetur, & Callisthenem. quoties dictum erit: occidit Darium, penes quem tunc magnum regnum erat, opponetur, & Callisthenem. quoties dictum erit, omnia Oceano tenus vicit; ipsum quoque tentauit nouis classibus, & imperium ex angulo Thraciæ vsque ad Orientis terminos protulit: dicetur. sed Callisthenem occidit. Omnia licet antiqua ducum regumq; exempla transierit ex his quæ fecit, nihil tam magnum erit, quam scelus Callisthenes.*

Natur. quæst. l 6. c. 23.

A QVO REVOCAT. AD VITAM ERAT) aliter sensit & scripsit Plutarchus, vt supra cap. 4. ad illa verba Curtij *iure interfectum decernunt*, aliter etiam Arrianus, qui non solum à Callisthene è mœrore non releuatum, sed Anaxarchum etiam velut adulatorem reprehensum, quem tamen Plutarchus & Arrianus eodem loco carpunt, quasi deteriorem reddiderit Alexandrum, inuehitur tamen ibidem in arrogantiam etiam Callisthenis, & Anaxarchum quidem, vt nimis blandum, Callisthenem nimis asperum fuisse ostendit. *Callisthenes verò Olynthius, inquit, Aristotelis discipulus. moribus paulò asperioribus præditus, hæc non probabat. Qua quidem in re etiam ego Callistheni assentior, illud autem à Callisthene parum modestè scriptum (si re vera scripsit) censeo, quod Alexandrum eiusq; facta se & suis scriptis inferiora esse prædicabat. Neque vero se ad Alexandrum venisse, vt sibi ab eo gloriam cõpararet, sed vti Alexandrum inter mortales illustrem ac gloriosum redderet, præterea diuinitatis communicationem Alexandro non ex ijs, quæ Olympias de ortu suo mentita esset pendere, sed ex ijs, quæ ipse de Alexandro scripsisset, & ad mortalium notitiam traduxisset. Sunt etiam qui scribant, quum aliquando à Philota interrogatus esset, quem putaret ab Atheniensibus in maximo honore haberi, respondisse Harmodium & Aristogitona, quod alterum tyrannorum interfecissent ac tyrannidem sustulissent. Philotam rursus interrogasse. si cui contingat tyrannum occidere, apud quos Græcorum profugium illi tutum foret? respondisse Callisthenem, si nõ alibi, certè apud Athenienses tutum fore. Hos enim, pro filijs Herculis aduersus Eurystheum bellum gessisse, qui tum temporis Græciam tyrannide premebat.* Subiungit deinde, quæ iam suprà memorauimus de adoratione, & Hermolao, & cæde ipsius Callisthenis.

p. 85.

INDICTA CAVSSA) multa simul crimina in nece Callisthenis ab Alexandro commissa docet. primò quòd non solum occiderit, sed etiam torserit antè; quòd innoxium coniurationis, quod optimis moribus præditum, hoc est, optimum virum, quod seruatorem vitæ regis, quod indicta caussa, indefensum, nec interrogatum, quæ omnia maximam Alexandro inuidiam apud omnem posteritatem peperêre.

SERA POENITENTIA) De pœnitentia propter Callisthenis mortem nemo præter Curtium quicquam prodidit: Ego tibi hic os Callisthenis ex Fuluio Vrsino exhibebo.

CALLISTHENES.



Πρὸς Ἀλέξανδρον δὲ ὑπὲρ Καλλισθένους ἔτι καὶ νῦν ἀγανακτοῦμεν.
Themistius oratio. IV. ad Valentem Imperatorem.

Apud Fuluium Vrsinum In Marmore.
Alexandro, quod Callisthenem interfecerit, hodieq; indignamur.

CA-

CAPVT XVII.

ARGVMENTVM.

In Indiam mouet. Indiæ prolixa & nobilis descriptio, morumque Indorum.



ED ne otium serendis rumoribus natum aleret, in Indiam mouit, semper bello quàm post victoriam clarior. India tota fermè spectat Orientem, minus in latitudinem, quàm rectâ regione spatiosa. Quæ Austrum accipiunt, in altius terræ fastigium excedunt. Plana sunt cætera, multisq; inclitis amnibus Caucaso monte ortis placidum per campos iter præbent. Indus gelidior est quam cæteri. Aquas velut à colore maris haud multum abhorrentes. Ganges omnium ab ortu maximus, à meridiana regione decurrit, & magnorum montium iuga recto alueo stringit. In eum obiectæ rupes inclinant ad Orientem. Vterq; rubro mari accipitur findens ripas, multasq; arbores cum magna parte soli exsorbet, Saxis quoque impeditus, crebro reuerberatur. Vbi mollius solum reperit, stagnat, insulasq; molitur. Acesines eum auget. Ganges decursurum in mare intercipit; magnoq; motu amnis vterque colliditur: quippe Ganges asperum os influenti obijcit, nec repercussæ aquæ cedunt. Dyardenes minùs celeber auditu est, quia per vltima Indiæ currit. Cæterùm nõ crocodilos modò, vti Nilus, sed etiã delphines, ignotasq; alijs gẽtibus beluas alit. Erimãthus crebris flexibus subinde curuatus ab accolis rigantibus carpitur. Ea caussa est, cur tenues reliquias iã sine nomine in mare emittat. Multis præter hos amnibus tota regio diuiditur, sed ignobilibus quia non adeò interfluunt. Cæterùm quæ propiora sunt mari, Aquilones maximè deurunt. Ii cohibiti iugis montiũ, ad interiora non penetrant, ita alendis frugibus mitiora. Sed adeò in illa plaga mundus statas temporũ vices mutat, vt cùm alia feruore Solis exæstuant, Indiam niues obruant, rursusq; vbi cætera rigent, illic intolerandus æstus existat: nec cur, vllis natura caussa ingessit. Mare certè quo alluitur, ne calore quidem abhorret à cæteris. Ab Erythro rege inditum est nomen: propter quod ignari rubere aquas credunt. Terra lini ferax; inde plerisq; sunt vestes. Libri arborum teneri, haud secus quàm cera, literarum notas capiunt. Aues ad imitandum humanæ vocis sonum dociles sunt. Animalia inusitata cæteris gentibus, nisi inuecta. Eadem terra & rhinocerotas alit, non generat. Elephantorũ maior est vis, quàm quos in Africa domitant; & viribus magnitudo respondet. Aurum flumina vehunt, quæ leni modicoq; lapsu segnes aquas ducunt. Gemmas margaritasq; mare littoribus infundit: neq; alia illis maior opulentiæ causa est; vtiq; postquam vitiorum commercium vulgauere in exteras gentes: quippe æstimantur purgamenta exæstuantis freti pretio, quod libido constituit. Ingenia hominum, sicut vbiq;, apud illos locorum quoq; situs format. Corpora vsque pedes Carbaso velant. Soleis pedes, capita linteis vinciunt. Lapilli ex auribus pendent, brachia quoque & lacertos auro colũt, quibus inter populares aut nobilitas aut opes eminent. Capillum pectunt sæpius quàm tondent. Mentum semper intonsum est: reliquam oris cutem ad lauitatem exæquant. Regum tamen luxuria, quam ipsi magnificentiam appellant, super omnium gentium est. Cum rex se in publico conspici patitur, thuribula argentea ministri ferunt, totumque iter per quod ferri destinauit, odoribus complent. Aurea lectica margaritis circumpendentibus recubat. Distincta sunt auro & purpura carbasa quæ indutus est. Lecticam sequuntur armati, corporisque custodes: inter quos ramis aues pendent, quos cantu serijs rebus obstrepere docuerunt. Regia columnas auratas habet. Totas eas vitis auro cælata percurrit: auiumque quarum visu maximè gaudent, argenteæ effigies opera distinguunt. Regia adeuntibus patet, cùm capillum pectit atq; ornat: tunc responsa legationibus, tunc iura popularibus reddit. Dẽtis soleis, odoribus illinũtur pedes. Venatus maximus labor est; inclusa viuario animalia inter vota cantusq; pellicũ figere. Binûm cubitorum sagittæ sunt, quas emittunt maiore nisu quàm effectu: quippe telum, cuius in leuitate vis omnis est, inhabili pondere oneratur. Breuiora itinera equo conficit. Longior vbi expeditio est, elephanti vehunt, currum & tantarum beluarum corpora tota contegunt auro. Ac ne quid perditis moribus desit, lecticis aureis pellicum longus ordo sequitur. Separatum à regina agmen

est, aquatq́ luxuria. Fœminæ epulas parant. Ab ijsdem vinum ministratur, cuius omnibus Indis largus est vsus. Regem mero somnoq́ sopitum in cubiculum pellices referunt, patrio carmine noctium inuocantes Deos. Quis credat inter hæc vitia, curam esse sapientiæ? vnũ agreste & horridum genus est, quos sapientes vocant. Occupare fati diem pulchrum, & viuos se cremari iubent, quibus aut segnis ætas, aut incommoda valetudo est. Expectatam mortem pro dedecore vitæ habẽt: nec vllus corporibus quæ senectus soluit, honos redditur. inquinari putant ignem, nisi qui spirantes recepit. Illi qui in vrbibus publicis moribus degunt, siderum motus scitè spectare dicuntur, & futura prædicere: Nec quemquam admouere lethi diem credunt, cui expectare interritio liceat. Deos putant quidquid colere cœperunt, arbores maximè, quas violare capitale est. Menses in quinos denos descripserunt dies: anni plena spacia seruant, Lunæ cursu notant tempora, non vt plerique cum orbem sidus impleuit, sed cum se curuare cœpit in cornua: & idcirco breuiores habent menses, qui spatium eorum ad hunc lunæ modum dirigunt. Multa & alia traduntur, quibus morari ordinem rerum haud sanè operæ videbatur.

OTIVM SERENDIS RVM. APTVM)

Otium reges simul & beatas Perdidit vrbes.

Ita supra lib.6. *Igitur ne in seditionem res verteret, otium interpellandum erat.* Idem rursus 7: *Seditiosæq; voces referebantur ad regem, queis ille haud sanè motus satisque prudens otij vitia negotio discuti* Tacitus de morib. Germ. *Otiosa porrò armatorum manus facilè lasciuiunt.* Ad quem locum illustrandum multa ex multis auctoribus colligit eruditus vir Ianus Gruterus, quem videbis in prolixioribus commentarijs ad aliquot insigniora loca Taciti, parte altera p.177.

SEMPER BELLO QVAM POST VICTORIAM CLARIOR) Verè Senatius, *Rex ferè foris bea-*
a l.10. *tus, non beatus est domi.* Quod de Artaxerxe a Iustinus, de Augusto b Tacitus quoque referunt. Et
b Annal. 3. c.24. Curtius infrà c: *Vos modò me ab intestina fraude & domesticorum insidijs præstate securum. Belli Mar-*
c l.9.c.12. *tisque discrimen impauidus subibo. Philippus in acie tutior, quàm in theatro fuit; hostium manus sæpè vitauit, suorum effugere non valuit. Aliorum quoque regum exitus si reputaueritis, plures à suis quàm ab hoste interemtos numerabitis.* Hegelochus supra lib.6.c.20. *Qui proauum huius Alexandrum, qui deinde Archelaum, qui Perdiccam occisos vltus est?* Ita apud Iustinum l. 3. Xerxes ab Artabano præfecto suo per insidias interemptus est. Ita Darius vltimus à Besso duce suo multis vulneribus confossus interijt. Ita Ninyas matrem Semiramidem, ita Senacheribum Assyriorum regem Adramelechus & Sarasarus filij patrem in fano trucidarunt. Ptolemæus Philopater patrem & matrem sustulit. Nullus finis apparebit, si per gentium historias curram. Apud Romanos vt omittam incerta, de Augusto Tiberio & alijs, Caligula, Claudius, Nero, Domitianus, Commodus, Pertinax, Iulianus, omitto obscuriores Pescennios, Albinos, Macrinos, Heliogabalos, Diadumenos, Caracallos, Getas, xxx. tyrannos. Perijt etiam nobilissimus Imperator Alex. Seuerus, Gordiani, Philippi, & alij quamplures, quos longum esset nominare, ne dicam describere.

INDIA TOTA FERE SPECTAT ORIENTEM) Mirum dictu, quàm multi res Indiæ & situm regionis, & naturæ ingenium, & fluminum magnitudinem, & spacia terræ Indiæ perscripserint, & quàm pauci dolente & execrante Strabone, vera; ex quibus alij vnà cum fabulis suis toti periere, alij si non toti, saltem magnam sui partem exoleuerunt. Non apparet è veteribus Daimachus, Patrocles, Hipparchus, Iambulus, Pytheas, Clitarchus, Nicolaus Damascenus, Bethon, Posidonius, Megasthenes, Megachlenes, Onesicritus, Megillus, Gorgus metallarius, Eratosthenes, Nearchus, Dionysius, non ille Periegetes, Agatharchidis excerpta. Extant Herodotus, Ctesias aliqua sui parte apud Photium, Dionysius Periegetes, Strabo, Ptolemæus, Arrianus, Diodorus Siculus, Aethicus Artemidorus ineditus tamen, Marcianus Heracleotes, Plinius, Mela, Solinus, Philostratus, Orosius, noster Q. Curtius, Apuleius 1. Flor. Et hi omnes veteres. Ex recentioribus Io. Goropius Becanus, Petrus Maffæus, Osorius, Io. Metellus, Ioannes Barrius, Ludouicus Vartomannus, Maximilianus Transyluanus, Cosmas Indopleutes, Ioannes Macer I.C. Castagnedo Hispanus, Abrahamus Ortelius in Theatro orbis, cuius tabulam geographicam Indiæ considerabis. Petrus Iarricus, Franciscus Sachinus; & alij patria lingua. Atque hic tantum de India quæ Orientem spectat; Noua namque & nuper à Magelliano reperta & Mexicana nihil hîc ad nos. Iam Curtius ad hæc verba Indiam ferè totam spectare ad Orientem plerosq; omnes geographos & scriptores rerum habet suffragatores. Princeps est Strabo vice omnium:
l.15. ipso exordio. Νῦν δ' ἀπὸ τῆς Ἰνδικῆς ἄρχθον πρώτη γὰρ ἔκκειται πρὸς τὰς ἀνατολὰς μεγίστη. *Nunc ab India ordiemur: nam & prima versus orientem iacet, & maxima est.*

Idem canit Periegetes.

Πρὸς δ' αὐγὰς Ἰνδῶν ἐρατεινὴ πέπταται αἶα
Πασάων πυμάτη παρὰ χείλεσιν ὠκεανοῖο

Ηψαρ'

Ἣν ῥα τ' ἀνερχόμενος μακάρων ἐπὶ ἔργα καὶ ἀνδρῶν
Ἠέλιος πρώτῃσιν ἐπιφλέγει ἀκτίνεσσι.
Ortum autem versus Indorum amœna expanditur terra
Omnium extrema ad littora Oceani.
Quam, exoriens Diuorum ad opera & hominum
Sol primis accendit radijs.

Apuleius 1. Florid. *Indi gens populosa, cultoribus & finibus maxima, procul à nobis ad Orientē siti, prope Oceani reflexus & Solis exortus, primis sideribus, vltimis terris.*

MINVS IN LAT. QVAM RECTA REG. SPACIOSA) minus latam ait, quàm longam. Non ignorandum Indiam esse peninsulam, & ex vno tantum latere adhærere terræ, qua Caucasum, seu Tauri extrema, hoc est, Septentrionem spectat, & ex tribus lateribus allui aquis, ab Oriente Gange; ab occidente Indo: à meridie Erythræo mari, in quod se & Ganges & Indus exonerant. Forma terræ Indiæ habet se ritu tessellæ, vt hodie tradunt. Periegetes, & Geographus rhombo comparant. Diodorus Siculus, *India*, inquit, *forma quatuor laterum existit, quorum vnum ad Orientem vergens, & alterum quod meridiem respicit, ingens illud Oceanus circumdat. Quod arctos versus tendit Hemodus mons à Scythia, quam Sacæ habitabant, diuidit. Quartum ad occidentem Indus post Nilum maximus omnium distermiuat. Totius Indiæ magnitudinem ab ortu versus occasum duodetriginta millibus stadiorum. à Septentrionibus versus meridiem* XXXII. *millibus definiunt.* Hæc Siculus. Ergo latitudinem circumscribit octingentis septuaginta quinque milliaribus germanicis, longitudinem mille. Ex quo colligis non esse perfectum tetragonon, cum longitudo vincat latitudinem. Subijcit Siculus regionem sub tropico æstiuo sitam, & nullas interdiu per gnomonas iaci vmbras: vrsasque latere, vmbrasque ad austrum cadere. Postremus Sacchinus noster, linguæ comparat. Cùm ergo rhombus habeat obliquos angulos, via ab Oriente ad occidentem longior est, longiusque se extendit India, quam à Septentrione ad meridiem. De Schemate Indiæ plura Periegetes: p.132. Strabo, p.474. Eustathius ad Dionysium. Arrianus p. 169. Hodierni scriptores re certius exploratâ omnia etiam certiora tradidere. P. Iarricus thesauro rerum Indicarum. P. Franciscus Sacchinus in historia Soc. IESV parte secunda, anno CIↃ.IↃCXX. edita. lib.1.n.17.pag.2.& 3. Tradunt de eadem Hieronymus, Osorius & Petrus Maffeius, quorum libri omnium manibus teruntur: proinde ne sim longior, ad Curtium redeo. Curtius magis in longum quàm latum Indiam porrigi tradit, quod Strabo discretè docet cum rhombi formam longiorem quàm latiorem obtinere Indiam affirmauit.

QVAE AVSTRVM ACCIPIVNT) Hunc locum carpit Glareanus, *Habet*, inquit, *hæc Alexandri historia in locorum descriptione, vt in superioribus satis luculenter ostendimus, quædam ab vera ac geographica traditione prorsus aliena. Nam quemadmodum ante de Iaxarte, ex Plinio diximus, quem hic author Tanain putauit. Tauri item iuga, quæ Asiam mediam secundum longitudinem secant, Macedones Caucasum vocarunt. Sic in hac Indiæ descriptione, multa Ptolemæi aliorumq́; geographorum traditioni contraria produntur: vt cùm hoc loco dicit, Quæ Austrum accipiunt, in altius terræ fastigium excedunt: quum omnia Indiæ flumina à Septentrione in meridiem fluāt. Nec Ganges, quod hoc loco ab authore narratur, à meridiana regione decurrit: sed contrà, à Septentrione in meridiem, quanquam paulum ad ortum. Nec quæ propiora sunt mari, Aquilones maximè deurunt, vt paulò pòst est dicturus. Id quod semel lectorem admonuisse satis fuerit.* Bona venia Glareani dixerim: sæpè reprehendimus quod non intelligimus, atque ita intelligendo facimus, vt nihil intelligamus. Ego Curtium nihil hic contra geographiam peccasse existimo, & doceo primùm, haud ignorandum, quod affirmat, minus in latitudinem, quàm recta regione patere, hoc est magis lōgam quàm latam esse, quod verissimum est, si procurrens è Septentrione in Austrum spectes promōtorium: si inquam diametrum à mōte Imao vsque ad promontorium Comorinum, quæ sunt duo extrema Indiæ, dimetiare, minimum enim quadringentis inter se leucis distant, vt Iarricus ostendit, quæ Germanica efficiunt milliaria viginti suprà trecenta. Iam quod dicit Curtius, ea quæ Austrum accipiunt, in altius terræ fastigium excedere, hoc est, promontorium Comorinum esse altius terra reliquâ Indiæ media, quæ plana est, verissimum est, extrema enim vtrinque sunt alta, Imaus mons & promontoriū Commorinum: cùm inter vtrumque hunc angulum montes interiaceant continua per Indiam serie, vsque ad caput Commorinum. Quod continua serie dicit, hoc est, per totam Indiam extendi montes: accipe latus occidentale totum, quod septentrio stringit, & ab alto alluitur. Atque inde est quod Herodotus in Thalia affirmat, Indiam Austro obnoxiam. Quod autem Iarricus ex aliorum sententia moneat, Indiam referre formam tessellæ, est hoc ita capiendum, vt doceatur linea ab Indi ostijs ad ostia Gangis excluso promontorio Comorino. Melius Periegetes & Strabo formam per rhombum & inæqualia latera expresserunt. Melius etiam Sacchinus terram Indiam in modum linguæ Austrum versus excurrere. Aspice tabulam Ortelianam.

INDVS GELIDIOR CAETERIS) Quia à Septentrione in occidentem fertur, Ganges tepidior, vt Ouidius in Ibin vocat, quia in Orientem flectit.

GANGES O. A. O. M. A MERIDIANA REGIONE DECVRRIT) Hoc quoque non placet Gla-

reano: sed enim non it negatum Curtius Gangem è Caucaso existere, cum ipse paullò ante docuerit ex Caucaso monte multos inclitos amnes defluere, & quis magis Gange inclitus? Sed à montibus euolutum in meridiem deflectere, ac demum à meridie in oceanum deferri, Strabo. l.15. nem do testem: *Tota*, inquit, *India fluminibus irrigatur, quorum quadam in duo maxima irrumpunt, Indum atque Gangem. quadam propriis ostiis in mare exeunt: omnia è Caucaso, primò ad meridiem feruntur, postea alia eundem seruant cursum, praesertim qua in Indum influunt: alia flectuntur ad Orientem, vt Ganges.*

GANGES OMNIVM AB ORTV MAXIMVS) Strabo: *Hic à montibus descendens, cum in planiciem peruenit, ad Orientem conuersus, & Palibothra ciuitatem maximè praterfluens in mare, quod isthic est, vno ostio effunditur, quamquam omnium Indicorum fluminum maximum sit. Indus in mare meridionale duobus ostiis exit, Patalenam complectẽs,* Indum aiunt alij Aegyptio delta persimilem, quod ta- p.482. men negat Strabo.

De magnitudine Gangis ita Arrianus: *Flumina tot sunt in India, quot in reliqua Asia. In his maximi sunt Ganges & Indus, à quo & regio nomen accepit, vterque & Nilo Aegyptio, & Istro Scythico, etiamsi in vnum alueum confluerent, maior est.* Gangem tamen longè maiorem Indo Megasthenes scribit. Idem sentiunt omnes alij qui Gangis mentionem in scriptis suis faciunt: patet autem Gãges quà maximè angustus est, centum stadia, milliaria inquam germanica tria, eoque amplius. Atque ita veteres omnes censuere, Gangem totius orbis fluminum esse maximum.

l.2.c.6.p. 37. Sed Iosephus à Costa, è nostra familia scriptor, in libro de nouo orbe, vbi Peruanam regionẽ describit, Maraonium, Paraguayanum, & Magdalenianum flumina, testatur singula maiora esse Nilo & Gange, quamuis in vnum alueum collectis.

IN EVM OBIECTAE RVPES) Tota enim India montibus distincta est. Itaque ferretur & ipse in Occidentem à meridie, nisi rupes obstarent, quæ illum clam quærere viam cogunt, & in Orientem dirigunt.

VTERQVE RVBRO MARI ACCIPITVR) olim legebatur, *vtque rubro mari accipitur*; Modius ex MSS. rescripsit *vterq;* pro *vtq;*. Acidalius dissimulat loci difficultatẽ & transilit. Ego, quamuis & Constantiensis codex chirographus, & vetus poeta Gualtherus suffragentur Modio, retineo tamen veterem & vulgarem scripturam, quod alioqui Curtius nihil dicat, nec sententia constet. Nã si omnia quæ eadẽ periodo sequuntur attẽdas, & componas, animaduertas non conuenire omnia vtrique, præsertim illa: *Acesines eum auget*, quæro quem *eum*? Indum an Gangem? an vtrumque. Atque alij tantum in Indum ferri tradunt, solus Curtius à Gange intercipi affirmat, nemo ab vtroque, quod ne fieri quidem potest. Sed si Gangem per vocem *eum* accipias, quid est, quod statim subijciat Curtius: Ganges decursurum in mare intercipit, quasi antea de alio esset locutus? Atqui non potuit aliter loqui Curtius, nisi dubiam faceret orationem: etenim si dixisset *qui decursurum in mare intercipit*, incertum erat an *rò qui* ad Acesinem, an ad Gangem referendum esset: expressit ergo Gangem, quamuis eundem per vocẽ *eum* intellexisset. Atque ita diluitur etiam alter error, qui ex priore mendo extiterat, si legeres vterque. Neque enim dixit Curtius Indum rubro mari excipi. Si legas, *vtque*, omnia erunt salua. Locum hunc totum Gualtherus his versibus expressit ipsi libri 9. procemio.

India tota ferè nascenti subdita Phœbo
Eoum spectat audaci vertice tractum,
Ac qua parte situm Libyes despectat & Austrum,
Altius erigitur tellus & vi athera tendit.
Catera plana iacent, vbi magni nominis à se
Caucasus emittit, rapiduo occursibus amnes.
Sed reliquis à quo sortita est India nomen,
Indus frigidior, Australi parte rugosis
Montibus inuehitur, directo iurgite Ganges
Totius fluuius Orientis maior, vterque
Turbidus extensis rubrum mare verberat vndis:
Robora multa solo radicitus eruta magna
Absorbet cum parte soli, si fortibus vndis
Molle solum repetit, stagnat, tellusque fluentem
Insula facta bibit, intercipit in mare Ganges
Decursurum Athesin, magnis decurrit vterque
Motibus, & rapido inter eos colliditur ictu.

In quibus versibus duo sunt menda in impresso codice; primum in illo,

Altius erigitur tellus & vi athera tendit,

Pro *vi* lego *in*, & in æthera tendit.

Alterum in hoc:

Decursurum Athesin.

Athesis

Athesis est fluuius Tiroleos, qui Germanis est, die Etsch / à quo das Etschlandt / Gualterus scripserat per compendium reor *Acesin* pro *Acesinem* versus caussa.

Et illo versu:

Totius fluuium Orientis maior, vterque Turbidus,

intelligis illum in vitiosum codicem incidisse: nondum enim typographia erat illius æuo cognita, neque enim vterque Indus & Ganges rubrum mare verberat vndis, sed Indus tantum. Ganges in Oceanum Orientalem defertur.

VTQVE RVBRO MARI) De Erythræo mari mox infra copiosè disseram, vbi proprius locus, hoc ipso capite monebit. plerique Scriptores Indum in Oceanum Atlanticum, quà spectat Occidentem, deuolui. Gange in Erythræum, seu Oceanum, qua Orientem respicit, vt ex hydrographia Indiæ cognoscis.

ACESINES EVM AVGET) Acesinem non semel laudat Strabo, sed disertius Arrianus, qui Nilo & Istro maiorem affirmat, vbi Hydaspe, Hydraste, & Hyphasi in suum alueum receptis in Indum fertur, adeò, vt eius latitudo triginta stadia efficiat, quæ propè milliarium Germanicum continent. Obserua etiam Acesinem cum Indo non Gange misceri, contra quàm Curtius scripsit, quod & alij Scriptores prodidere. Acesinis mentio est etiam lib. 9. c. 7. & 8. vbi Hydaspen cum Acesine confundi docet, & omnia tria flumina misceri, illaque tria flumina (excepto Gange) Indiæ maxima appellat, Indum, Acesinem, & Hydaspen: secumque pugnare videtur Curtius, cum hoc loco Acesinem in Gangem infert; infra cum Indo & Hydaspe miscet, nisi mendosus codex sit, & aliena inserta, quod factum sæpè.

Glareanus existimat pro Acesine ex Arriano reponendum Commenesen, vel Erinesen. Sed omnia exemplaria in Acesinem coniurant.

ASPERRIMVM OS) os ad originem & caput amnis refertur, ostium ad finem, quo flumen, vel in mare, vel in aliud flumen, vel lacum defertur. Os Gangis hic dicit ratione Acesinis, quo Gangem exhausit, non ratione ipsius Gangis, cuius fontes, qui in Caucaso nascuntur. Sed Metaphoræ perelegantes sunt obseruandæ, cum à rebus animatis ad inanimas, voces transferuntur: Os enim in animali & propriè hominis est, non in fluminibus.

NEC REPERCVSSAE AQVAE CEDVNT) sed se mutuo elidunt, & ingentes fluctus cient, lateque campos inundant.

DYARDENES) nemo vnus hunc fluuium vllo in libro, qui in manibus est hodiè, laudauit, nec mirum, quia minus auditu & in vulgus celeber fuit, vt ipse monuit Curtius, sed monstris marinis nobilis, vt qui crocodilos, delphinas, vt Nilus, aliasque etiam alijs gentibus ignotas beluas & phocas alat. testatur idem Arrianus, sed generatim de feracibus monstrorum Indiæ fluminibus: Quin etiam, inquit, Indiæ fluuij perinde, ac Nilus AEthiopicus, & AEgyptius crocodilos gignunt & pisces, ac balænas eiusdem generis, ac Nilus, excepto Hippopotamo, seu equo fluuiatili; sed & hos etiam gignere Onesicritus tradit. Idem in 15. Strabo narrat.

ERIMANTHVS) Quàm Græcis olim notus mons & ciuitas Arcadiæ hoc nomine fuit, tam ignotus est Græcis & barbaris eodem nomine flumen Erimanthus. Sed Curtius auctores legit, quos posteritas nunquam vidit.

AB ACCOLIS RIGANTIBVS CARPITVR) caussam obscuritatis huius fluminis adfert, quod alueus ipsius ab ijs, qui ad Erymanthum colunt & degunt, deducatur in multos riuos, quibus agros & campos irrigant, quo fit, vt amisso nomine per tenues & multos, & ignobiles riuulos in mare serpat. Notanda vox *carpitur*, quod de solidioribus vsitatius dicitur, carpimus poma, vuas, herbas, cibos, genas, & per translationem maligno dente carpimus aliorum dicta, facta, scripta, more; carpimus etiam aeris & vitales auras. Ouidius tamen in Ibin eandem vocem in aqua haurienda vsurpauit:

Et summam Lybico de mare carpat aquam.

MVLTIS PRAETER HOS AMNIBVS) Arrianus octo supra quinquaginta fluminibus ait irrigari, ijsque omnibus nauium patientibus, è quibus alia in Gangem, alia in Indum feruntur, alia suis alueis in mare exeunt. Ganges excipit Cainam, Erannoboam, Cossoanum, Sonum, Sittocatim, & Solomatim, quę omnia naues vehunt. Dein Condochatem, Sambum, Magonem, Agoranim & Omalim. Ingentem præterea fluuium * Comminasen, Cacuthim, Andomatim, Amystim, Catadapam, Oxymelim, Erinesem, quos omnes Mæandro pares, ait Megasthenes. Indum augent Hydrastes, Hyphasis, Saranges, Neudrus, Acesines, Hydaspes, Sinarus, Tutapus, Cophenes, Malamantus, Soaltus, Garæas, Ptarenus, Saparnus, Soanus. Strabo in 15. flumina quindecim nomine digna Indo misceri affirmat, Indumque ad centum stadia extendi. * Commenesen.

QVAE PROPIORA SVNT MARI AQVILONES MAXIME DEVRVNT) Hoc negat Glareanus, quasi ingenium Indiæ terræ perspectissimum haberet, cùm paulò pòst subijciat Curtius tantas & tam varias esse vices regionis illius, vt nulla pars mundi illi par sit, nec causam huius varietatis vlli Philosophorum cognitam esse. Dixit Curtius

deurunt

deurunt, quod translatè dictum, pro, Quæ loca sunt adsita mari à ventis Septentrionalibus frigidis & gelidis omnia corrumpuntur: adurit enim frigus non minùs quàm ignis, quamuis diuerso modo, diuersaque vi, & contraria calori affectione & facultate. Vrit enim hyems & frigus, vt optimi scriptores loquuntur. Et promontoria ab Aquilone, siue Septentrione (Aquilo enim ex ventis est Septentrionalibus) procurrunt in pelagus, quod à meridie obijcitur, secumque gelidos Aquilones trahunt.

II COHIBITI IVGIS MONTIVM) qui sunt Indiæ à Septentrione, vt Imaus Emodus, Tauri extrema seu Caucasus, & qui in meridiem excurrunt, in alta montium impacti retunduntur, nec in planam meridiei regionem retusi possunt descendere. Atque inde remotiora à mari & montibus sunt fertiliora, quod mitiores ventos experiantur.

IN ILLA PLAGA) in illo climate, vt Mathematici cum Græcis loquuntur. Climata mundi Latini plagas, aut regiones appellant. Quare autem tam contrariæ sint cœli, sub eodem climate, seu plaga affectiones negat scire posse, caussasque eius varietatis satis deprehendi.

al 1.p.35. 1.2.p.42. VBI SE NATVRAE CAVSA INGESSIT) Et hoc est, quod nobis Maffæus, Iarricus & alij dicunt. *Inter vtrunque hunc angulum*, inquit Iarricus, *montes interiacent continua per Indiam serie ad vsque Commorinum caput, in quibus admirabilis illa temporum anni diuersitas, quæ etiam subtilissimos quosque philosophos reddit elingues, vtpote cum veram dare rationem nequeant, qui fieri possit, vt eodem in climate, & eodem in latitudinis Septentrionalis gradu, cùm ab occidua horum montium parte acerrima sæuiat hyemis asperitas, & mira aeris intemperies, eodemque tempore ab Orientali incredibilis fit cœli clementia, qualis vere vel æstate haberi solet: mare quoque quietum fit, & nauigationi peridoneum.* Idem lib. 2. cap. 7. p. 441. *Maximè verò admirandum, & diuinam sapientiam (vt Scriptura loquitur) ludere in orbe terrarum euidenter ostendit, quod in eodem climate & eleuationis eiusdem poli gradu, dum cis montes æstiuum tempus est, trans illos non nisi pluuiæ, tempestates, ac turbines sæuiant; denique tempus adeò inclemens atque immite, vt verè hiemem dicat, idque tam exiguo locorum interuallo, vt nonnullis in locis ab ora vna in aliam terrestri itinere, non nisi viginti sit leucarum interuallum, ad summum septuaginta. Imò verò, quod maximè mirere, in vno montis latere serenum tempus ac sudum erit, in altero tonitrua, fulgura, pluuiæque assiduæ hyemem constituent. Hinc si Cocino ad oppidum S. Thomæ per montes Gati mense Ianuario proficisci velis, ascendendo optatum & egregium habebis tempus, descendens turbulentum.* Hæc Iarricus.

Fuere qui caussam tam contrariorum effectuum in cœlum empyreum referrent, quos Co-
1.2.q.2.c.3 nimbricensis Academia his verbis refutat: *Responderi*, inquit, *potest diuersitatem illam effectuum*
p.195. *in eodem climate nasci ex diuersitate proprietatum, quibus vnumquodque solum ab auctore natura in ipsa mundi nascentis origine donatum est. Itaque non à stellarum aspectu duntaxat, sed ab ipso regionis habitu, & innata terra vi, atque ingenio prouenit, vt non omnes terræ ferre omnia possint, sed India mittat Ebur, molles sua thura Sabæi: has leges, æternaque fœdera certis imposuit natura locis.*

MARE CERTE QVO ALLVITVR, NEC COLORE QVIDEM ABHORRET A CAETERIS) Ita lege, à *colore* inquam, non *calore*, quod operarum sphalma est, in nostra puri Curtij editione. Rubrum mare ait simile reliquis aquis marinis esse colore, nec rubere, nec ob eam caussam dictum esse rubrum mare, quasi rubeant, vti rudes existimant, aquæ: sed nomen ab Erythro rege illi inditum. Quæritur ergo hic inter naturæ interpretes an aquæ maris Erythræi rubeant? Multa inter veteres & hodiernos scriptores super ea re quæstio est. Ego primum quid veteres senserint exponam; deinde quid ij, qui ipsimet oculis rem inspexerunt, & mare illud pernauigarunt, aquam hauserunt, omnia præsentes curiosissimè explorarunt, aperiam, sed tribus quod aiunt verbis.

Curtij sententiam ab Erythro, (quem alij Erythrum vocant) rege, Erythræum dici mare, non à colore aquæ, confirmant Agatharchidas apud Strabonem & Ctesiam & Photium pag. 458. qui tres aliorum Priscorum opiniones, & caussas refutat, negatque aquas rubere, neque vllum, vel ex montium, vel arenarum rubentium, vel solis repercussum colorem trahere, sed ab Erythra domini illius maris, Erythræ, vel Erythræum dici. Eandem nominis caussam reddit Stephanus περὶ πόλεων. ab Erythro Heroe appellatum Erythræum, quamuis ex Vranij vetustissimi scriptoris mente addat, à montium rubentium, & imbrium, inde in mare decurrentium colore dici Erythræum. Eusthathius ad Periegeté existimat vocatum à terra miniata, vndis subiecta Erythræum, vel vt alij à solis ardentis, & montium anaclesi. Eandem nominis caussam Eratosthenes apud Strabonem, qua de sole & montibus adfert. Ctesias à fonte minio pleno in mare rubrum cadente Erythræum refert vocitatum. Philostratus & Arrianus cum Curtio faciunt, sicut & Xyphilinus in Troiano, & Plinius cum Mela, qui tamen non negat coloré. Solinus quoq; ab Erythro Persei F. nomen deducit. Varro caussam nominis in fon-

in fontem refert, ex quo oues ait feruescere. Nostri sæculi scriptores æquè dissentiunt in caussa nominis assignanda. Pererius c.14. Exod. q. 8. tota, Curtij sententiam sequitur, quamuis locum Curtij non producat. Ioannes Barrius à plerisque recentioribus laudatur, qui in rem præsentem venit, & à corallijs sub imis vadis latentibus rubere aquas tradidit, quem secuti sunt Conimbricenses Philosophi & Cornelius Cornelij. Sed Sebastianus Barradas Itin. Israelitico Barriũ ex Matthiolo refutat, & negat rubentis aquæ caussam exploratam esse, ita hodieque in re incerta incerti sumus, vtrum ab Erythro Rege à fontibus, vel maculis, vel arenis, vel corallijs, vel splendore solis, vel imbribus & montibus, vel simul ab omnibus nomen traxerit. Auctorum nomina qui ea de re disputarunt expressi, quos curiolo licebit inspicere, multa enim & alia, & de nomine Hebræo rubri maris, & alijs rebus admiscent admiranda. Ego ad Curtium redeo.

TERRA LINI FERAX) Ab aquarum, fluminum, & maris natura transit ad ingenium terræ Indiæ; à terra ad mores, & instituta indigenarum. De lino porrò docet idem Arrianus ex Nearcho: Linea veste vtuntur Indi, vt ait Nearchus, lino ex arboribus facto, qua de re mihi iam dictũ est: & hoc quidem linum aut reliquis omnibus linis est candidius, aut nigri ipsi cum sint, faciunt, vt candidius id quam est, esse videatur. Est autem ipsis subucula linea crure medio tenus: amiculum autem partim humeris, partim capiti circumiectum. Philostratus de eodem in Apollonij lib. 2. scribit autem Damis, homines qui secus Indum flumen habitant, lineis vestibus amiciri. Linum autem in agris plurimum nasci: calceamenta autem, ex arborum corticibus facta gestare. In Periplo.

Plinius aliud quoddam lini genus Indicum prodidit viuum, Græcis ἄσβεστον dictum, quod igne non exuritur, sed splendescit magis quam si lauaretur. *Inuentum, inquit, iam est etiam quod ignibus non absumeretur. Viuum id vocant, ardentesq; in focis conuiuiorum ex eo vidimus mappas, sordibus exustis splendescentes igni magis quàm possent aquis. Regum inde funebres tunicæ corporis fauillam ab reliquo separant cinere. Nascitur in desertis adustisq; sole India, vbi nõ cadunt imbres, inter diros serpentes, assuescitq; viuere ardendo, rarum inuentum est, difficile textu propter breuitatem. Rufus de cætero color, splendescit igne. Cùm inuentum est, æquat precia excellentium margaritarum.* Vocatur autẽ Græcis asbestinum ex argumento naturæ. Anaxilaus auctor est, linteo eo circumdatam arborẽ, surdis ictibus, & qui non exaudiantur cædi. Ergo huic lino principatus in toto orbe. Sed de hoc nihil opinor Curtius, cuius linum & apud Arrianum candet, quamuis nullam coloris mentionem faciat, facit autem Arrianus accuratè.

LIBRI ARBORVM) tam teneri, quàm tenerrima nostra charta, nisi quod cãdor desideretur in his quæ ego vidi, sed colores omnis generis tam auidè accipiant & bibũt, quam vlla charta. Ostẽdunt hoc etiam icones impressæ & libri. Sed de phylicis seu libris arborum disputatum est copiosiùs ad XIV. Martialis epigram. X.

Non sunt munera, quæ putas, puella,
Cùm donat vacuas poeta chartas.

AVES AD IMITANDVM) Psittacos* intelligit, de quibus ad XIV. Martialis epigrammá:

Psittacus à vobis aliorum nomina discam,
Hoc didici per me dicere, CAESAR AVE.

* Ctesiam vide apud Photium in excerptis. Tom. 1.

Multa ex multis scriptoribus allata. Quibus addes quæ Vlysses Aldrouandus toto lib. 11. Ornithologiæ tradidit, vbi formas iconibus expressas tredecim lectori spectandas proponit; quatuordecim descripsit. Sed omnium elegantissimum adiecit Carolus Clusius in auctario Exoticorum, cuius iconem ibi expressam miraberis, mihi indigitasse satis. De coruis & picis auibus, vocum quoque humanarum imitatricibus, etiam ad Martialem dictum. l. 14.

ANIMALIA INVSITATA CAETERIS GENTIBVS NISI INVECTA) Ex inusitatis & Europæ inusitatis * Martichoras est, quam in palatio nostri Serenissl. Electoris cum effigie Alex. M. inspexi, quam ex Ctesiæ Indicis Aelianus * describit.

* Mantic/horas Plinius.
* l. 4. animal. c. 21.

Iarchas tamen rex Indorum in III. Philostrati de hac prodigiosa fera rogatus, negauit se quicquam inaudisse. Photius de eadem in Excerptis Ctesiæ. * Plinius Montichoram, non Martichoram appellat. Meminit & in Bœoticis Pausanias. Inuectæ autem in Italiam, Græciam, adeoque totam Europã feræ sunt posterioribus annis ex Africa, Asia & India Elephanti, Panthera, tigres, rhinocerotes, leones, cercopitheci, hippopotami, vnicornes seu monocerotes, Indici cameli.

Euseb. in Hieroclẽ.
* l. 8. c. 2. 1.

Cæterùm de feris Indicis testatur Philostratus esse & multas & multorum generum. Breuiter *Solinus. *Sunt illic multæ ac mirabiles bestiæ, quarum è multitudine & copia per particulã persequemur. Leucrocuta velocitate præcedit feras vniuersas: ipsa asini feri magnitudine, ceruinis clunibus, pectore ac cruribus leoninis, capite * melium, bisulca vngula, ore adusque aures dehiscente, dentium loco osse perpetuo. hoc quo ad formam. nam voce loquentium hominũ sonos æmulatur. Est & Eale, aliàs vt equus: cauda (verò) elephanti, nigro colore, maxillis aprugnis, præferens cornua vltra cubitalem modum longa, ad obsequium cuius velit motus accommodata. neque enim rigent sed mouentur, vt vsus exigit præliandi: quorum alterum, cum pugnat, protendit, alterum replicat: vt si ictu aliquo alterius acumen offenderit, acies succedat alterius. Hippopotamis comparatur, & ipsa sanè aquis fluminũ gaudet. Indicis tauris color fuluus est, volucris pernicitas, pilus in contrarium versus, hiatus omne quod caput. hi quoq; circumferunt*

l. 4. p. 197.
* c. 55.
* Felium.

ferunt cornua flexibilitate qua malint, tergi duritia omne telum respuentes, tam immiti ferocitate, vt capti animas proijciant furore. Manticbora quoque nomine inter hac nascitur, triplici dentium ordine coeünte vicibus alternis, facie hominis, glaucis oculis, sanguineo colore, corpore leonino, cauda veluti scorpionis aculeo spiculata: voce tam sibila, vt imitetur fistularum modulos, tubarumque concentum. Humanas carnes auidissimè affectat. pedibus sic viget, saltu sic potest, vt morari eam nec extentissima spatia possint, nec obstacula latissima. Sunt praterea boues vnicornes & tricornes, solidis vngulis nec bifidis. Sed atrocissimum est Monoceros, monstrum mugitu horrido, equino corpore, elephanti pedibus, cauda suilla, capite ceruino. cornu è media eius fronte protenditur, splendore mirifico, ad lõgitudinem pedum quatuor, ita acutum, vt quicquid impetat, facilè ictu eius perforetur. Viuus non venit in hominum potestatem: & interimi quidem potest, capi non potest. Aqua etiam gignunt miracula non minora. Anguillas ad tricenos pedes longas educat Ganges: quem Statius Sebosus, inter pracipua miracula, ait vermibus abundare, caruleis nomine & colore. Hi bina habent brachia longitudinis cubitorum non minus senûm, adeò robustis viribus, vt elephãtos ad potum venientes, morsu comprehensa ipsorum manu rapiant in profundum. Indica maria balenas habent vltra spatia quatuor iugerum. Sunt & quos Physeteras nuncupant, qui enormes vltrà molem ingentium columnarum, super antennas se nauium extollunt, haustosq; fistulis fluctus ita eructant, vt nimbosa alluuie plerumque deprimant alueos nauigantium.

RHINOCEROTA SALIT, NON GENERAT) Quæ ergo terra inquies aut regio creat rhinocerotas, si India non generat? Aethiopia opinor, quòd Pausanias in Eliacis & Bœoticis, rhinocerotem taurum Aethiopicum appellet. Nam ita Pausanias. *Vidi etiam Aethiopicos tauros, quos ex re*

p.123. in græco Lat.p.159 al.136. *ipsa rhinocerotas (quas tu diceres, naricornes) nominant, quod illis è nare extrema cornu prominet, & paullò alterum non sanè magnum in capite nullum prorsus habent.* Sed de hac immani belua pluribus actum commentario ad spectacula Martialis, vbi illos versus * expoluimus,

p.297. al.251.
Præstitit exhibitus tota tibi Cæsar arena
Quæ non promisit prœlia Rhinoceros.

* ep.8. Et ad illos:

Sollicitant pauidi dum rhinocerota magistri.

ep.21. Hic pluribus nil opus. effigiem habes apud Gesnerum.

l.1. de quadru.p.60. * p.485. ELEPHANTORVM MAIOR EST VIS) Idem Strabo * per Onesicritũ testatur: *Maiores,* inquit, *Lybicis ac calidiores, cum ipse tum alij perhibent, cum proboscidibus propugnacula deijciant, & arbores radicitus euellant, in posteriores pedes erecti.* Idem Siculus: *Plurimos certè ac prægrandes elephãtos pascuis abundè suppeditatis nutrit. quod etiam facit, vt id genus belua isthic locorum Africanas viri-*

l.8.c.11. *bus multò præstent. Elephantes fert Aphrica,* inquit Plinius, *vltra Syrticas solitudines, & in Mauritania ferunt Aethiopes & Troglodyta, vt dictum est, sed maximos India, bellantesque cum ijs perpetua discor-*

Plin.l.6. c.22. *dia dracones. Sed Indos elephantes vincunt in insula Taprobane nati Onesicrato teste maiores & bellicosiores.* Curtius communi nomine Indos omnes extra Africam & Aethiopiam natos appellauit. Plura de elephantis ex instituto Plinius l.8.c.1. vsque ad cap.13. Nos etiam ex varijs alijs scripto-

Spect.ep. 16.&18. ribus ad illa Martialis in spect. epigrammata:

Quod pius & supplex elephas te, Cæsar, adorat,
Qui modò per totam flammis stimulatus arenam
Sustulerat raptas taurus in astra pilas,
Occubuit tandem cornuto ardore petitus,
Dum facilem tolli sic elephanta putat.

Plurima de elephantis Indicis Arrianus lib.8. vbi de venatione & mira illorum docilitate.

l.33.c.4. AVRVM FLVMINA VEHVNT) Plinius de auriferis fluminibus: *Aurum,* inquit, *inuenitur nostro orbe, vt omittamus Indicum, atque à formicis aut gryphibus apud Scythas erutum, Apud nos tribus modis: fluminum ramentis vt in Tago Hispania, Pado Italia, Hebro Thracia, Pactolo Asia, Gange India,*

* Martial. l.10.ep 7. addidisset Plinius * Rheno Germaniæ in Istro Pannoniæ. Sed hic de Indico auro & fontibus & fluminibus agamus. Plinius vltimo cap. vltimi libri, *Gemmiferi amnes sunt Acesines & Ganges.*

Sic & cornib. aureus receptis. Ctesias antiquissimus scriptor in Indicis apud Photium, scripsit de fonte qui quotannis auro humido impletur, ex quo fonte * centum vrcei fictiles singulis annis hauriuntur: ideoq; fictiles esse

*80000.fl. oportet, quoniam aurum, dum hauritur, concrescit, vt ad ipsum extrahendum frangere vas necesse sit. Fons hic quadratus est, cuius ambitus est sexdecim cubitorum, altitudo vnius vlnæ, singuli autẽ vrcei, qui auro pleni hauriũtur, talenti põdus exæquãt. Sed Iarchas rex Indorũ apud Philostratũ negat se quidquã de hoc fonte cognouisse, sicut & de Marticlora. Sed negat Ctesias etiã quod Curtius affirmat, in fluminibus reperiri aurũ, vt in Pactolo, sed quod multi & vasti montes illud suppeditent, & gryphes custodiant. Contra Tzetzes p.448. n.375. Tu locum ipse, si libet, vide.

Megasthenes apud Arrianum testatur, aurum apud Indos à formicis quæ magnitudine vulpes superent, erui. Arrianus rem in medio relinquit. Herodotus in Thalia affirmat & copiosè explicat. De gryphibus aurum custodientibus, & ab Indis decipi solitis, etiam Aelianus l.4. c.27. copiosè. De Formicis etiam Strabo, p.485.

Sed redeamus ad flumina aurum vehentia, de his enim Curtius, qui doctorem eius rei

Mega-

Megasthenem apud Strabonem habere potuit, præter eos qui nobis interciderunt: ἐγγύτερω δὲ πίστεως φησὶν ὁ Μεγασθένης ὅτι οἱ ποταμοὶ καταφέρουσι ψῆγμα χρυσοῦ καὶ ἀπ' αὐτοῦ φόρος ἀπάγοιτο τῷ βασιλεῖ· τοῦτο γὰρ καὶ ἐν ἰβηρίᾳ συμβαίνει. *Propinquius veritati est quod refert Megasthenes, flumina auri micas deferre, ex quibus regi tributum aduehatur, quod & in Iberia contingit.*

Herodotus in Thalia tribus modis aurum ab Indis docet erui. vel enim effoditur, vel è fluminibus & montibus hauritur, vel à formicis erutum clam subripitur, eoque modo ait infinitam vim auri ab Indis comparari, è qua regi Persarum aureum vectigal pendebant, trecena sexagena talenta aureorum ramentorum. Quod si Babylonica pecunia ad Euboicum pondus redigatur, fiunt nouies mille quingenaque & quadraginta talenta argenti, quæ in summam redacta ex communi taléto (non Euboico quod maius est) octuagies millies quadringenta triginta sex millia aureorum siue Philippeorum, hoc est, vt vulgus loquitur, octo milliones quadringenta triginta sex millia aureorum siue Philippicorum. Budæum vide de asse. l. 9.

GEMMAS MARGARITASQVE) De gemmarum, lapillorum & margaritarum discrimine disputant iuris prudentes: Et gemmas aiunt esse pellucidas, vt sunt adamantes, chrysolithi, smaragdi, saphiri, amethisti: lapillos opacos & contrariæ gemmis naturæ, vt Obsidiani, Veientani: margaritas concharum partus, vel vt illas Tertullianus appellat, verrucas. S. Hieronymus, rubri maris grana; margaritas ita describit, *Concha sunt, in quibus hoc genus lapidum* * *requiritur, quæ certo anni tempore luxuriante conceptu sitiunt rorem velut maricum, cuius desiderio hiant, & cum luxatu maximè linquuntur, aspergines oscitatione quadam hauriunt humorem concupitum. Sic concipiunt grauidaque fiunt: & de saginæ qualitate reddunt habitus vnionem.* Scripsimus super hac re ex Vlpiano & Plinio ad illum Martialis Scazontem: * reperitur

Cui nec lapillos præferas Erythræos. Quibus adde, si placet, ex Petro Iarrico p. 445. vbi docet, quomodo margaritæ è mari in ora piscaria legantur. l. 5. ep. 38.

De margaritarum natura, nobilitate, precio, loco & patria, plurima toto capite Plinius lib. 9. cap. 37. De gemmis verò & lapillis idem toto libro 37. siue extremo. Addam de vnica gemma è Ctesia Cnidio miraculi loco, quæ magnetis vim habet, non vt ferrum, sed gemmas trahat: De *pantarba gemma*, inquit Photius in excerptis (*scripsit Ctesias*) *& quomodo septuaginta septem gemmas & lapides preciosos in flumen proiectos (quæ omnia erant cuiusdam Bactriani institoris) pantarba retraxerit inter se cohærentes.* Arrianus ex Megasthene docet concham margaritæ marinæ retibus capi solitam. *Versari autem circa eam agmen multarum concharum, velut apum examen. Regem enim suum etiam aut reginam margaritas habere, vt apes; ac si fortè contingat, regem capi, reliquum etiam margaritarum examen celeriter ei circumfundi: si verò rex piscatores euadat, ne reliquas quidem conchas capi posse. Earum carnes Indos vbi eas ceperint putrescere finere; osse ad ornatum vti. esse autem margaritas quæ contra triplum aurum obrizum, et quod quidem in India effossum, veneant.* Cæterum de preciosis lapidibus scripsit antiquissimus poetarum Orpheus nobilem libellum, qui hodieque legitur. p. 174.

VITIORVM COMMERCIVM) Melius hoc, quàm quod vulgò legitur *vicinorum.* Plinium audiemus, nobis accinentē. *Sed quota portio hæc est reputantibus purpuras, conchylia margaritas? parum scilicet fuerat in gulas condi maria, nisi manibus, auribus, capite, totoque corpore à fœminis iuxta virisque gestarentur. Quid mari cum vestibus? quid vndis fluctibusque cum vellere? non rectè recipit hæc nos rerum natura, nisi nudos. Esto sit tanta ventri cum eo societas, quid tergori? parum est, nisi qui vescimur periculis, etiam vestiamur. adeò per totum corpus anima hominis quæsita maximè placent. Principium ergo culmenque omnium rerum pretij, margaritæ tenent. Indicus maximè has mittit Oceanus, inter illas belluas tales tantasque, quas diximus, per tot maria venientes tā longo terrarum tractu, è tantis solis ardoribus, atque Indis quoque in Insulas petuntur & admodum paucæ.* Paullò ante ex Iarrico intellexisti, ad oram piscariam Indiæ margaritarū caussa subinde ex varijs terris & gētibus sexaginta millia mercatorum confluere plura toto capite passim sparsa, sed & quotquot apud Græcos olim, & nunc apud Romanos ditiores sunt, maiore adhuc studio emunt margaritam marinā, ita Indorum lingua dictam. l. 9. c. 35.

AESTVANTIS FRETI PVRGAMENTA) Qua fretum per æstum accedit & recedit, relinquit partus sui indicia, conchas, phocas, aliaq; maris monstra. omnia maria plenilunio purgantur, sed paucas margaritas expuunt. Suprà ex Iarrico audisti mare, vbi margaritæ, non altius esse octo vlnis, quære ergo in littore.

PRECIO QVOD LIBIDO CONSTITVIT) Cleopatræ vnio seu margarita aceto macerata & hausta septingentis millibus aureorum fuit æstimata: volebat alteram aceto frangere vt precium duplicaret. hoc est illud immane precium, quod libido margaritis constituit. Plin. l. 9. c. 35.

CORPORA VSQVE PEDES CARBAS. VEL.) Strabo ὡς δ' εἰπεῖν Ἰνδοὺς ἐσθῆτι λευκῇ καὶ σινδόσι λευκαῖς χρῆσθαι καὶ καρπάσοις: Et vt verbo dicam, Indos veste candida & sindonibus & carbasis vti. Et idem suprà: ὑπεναντίως δὲ τῇ ἄλλῃ λιτότητι κοσμοῦνται χρυσοφοροῦσι γὰρ καὶ διαλίθῳ κόσμῳ χρῶνται σινδόνας τε φοροῦσιν εὐανθεῖς. *In cultu corporis contra nimij sunt. nam & aurum* Strabo 15. p. 494. p. 488.

gestant, & distincto lapillis ornatu vtuntur, & sindonas floridas induunt. Carbasus autem est tenuissimæ & delicatissimæ telæ seu lini genus, multum à poetis celebratum. Ctesias ditissimos lino tegi affirmat.

SOLEIS PEDES) Arrianus in Indicis, *Calceos ex corio albo gestant, eosq́; accuratè atque eleganter confectos, ita vt altiores varijsq́; coloribus distinctas soleas, quo proceriores esse videantur.* Philostratus calceamenta ex arborum corticibus confecta gestare supra monuit.

CAPITA LINTEIS) Strabo *errantem crinē ait, mitra redimire*: suprà iā hoc ex Arriano quoque, *Amiculum*, inquit, *partim humeris, partim capiti circumiectum: quin & barbam fucant, vt alijs Nearcho teste, quàm maximè alba appareat, alijs russa, alijs purpurea, alijs viridis.*

LAPILLI EX AVRIBVS PENDENT) Arrianus inaures ex ebore factas Indis suspēdit, & his locupletiores, quibus vulgus non vtitur, ferunt. Sed de inauribus antiqua res est, vti & de armillis & bracchialibus. Nec apud Indos tantùm, vbi aurum, lapilli & margaritæ nascuntur, sed in omni ferè orbe: de quibus Plinius, l.9.c.35. quem videbis.

Reges Persarum etiam inaures gestabant: testis Arrianus in VII. qui sepulchro Cyri etiā ἐνώτια
p.144. siue inaures illatas memorat. Et Procopius de Perosa Persarum rege testatur, μάργαρος, inquit, λευκότητί τε καὶ μεγέθους ὑπερβολῇ ἔντιμος ἐξ ὠτὸς τοῦ δεξιοῦ ἀπεκρέματο. *Margarita candore & magnitudine eximia & preciosa ex aure dextra pendebat. Parthorum quoque id familiare fuisse ex Tertulliano*
p.40. *Brissonius ostendit. Scrupulosa Deus auribus vulnera intulit, & tanti habuit vexationem operis sui & cruciatus infantia tunc primum dolentis, vt ex illis ad ferrum nati, corporis cicatricibus grana nescio quæ penderent. quæ planè Parthi per omnia quaque sua bullarum vice inserunt.*

REGVM TAMEN LVXVRIA) Mirum hoc quod sequitur *super omnium gētium est*. Quanta referuntur de luxu regum, De cultu corporis quem ipse Curtius l.3.c.8. in Dario descripsit; de regijs eorum quæ Susis, Ecbatanis, Persepoli Pasargadis, Babylone spectabātur: de aurea domo Persarum Philostrato laudata, de aurea sella, aureo lecto, aureo tabernaculo, aurea platano, aurea vite, aureo tecto ab Apuleio ex Aristotele celebrato. Hæc tamen omnia propè nihil ad Indorū regum magnificentiam, splendorem & maiestatem Curtio videntur, nec Curtio tantùm, Aelianum audi, *In regijs ædibus Indiæ, vbi regum maximus illic regna tenentium ætatem degit, quum alia permulta*
l.13. p.180. *& magnam hominum admiratione, & nullam comparationem habent, quibuscum sanè nec Memnonia Susa, neque tota eorum sumptuositas conferri possunt, neq; Ecbatanorum magnificentia cum his in comparatione coniungenda est. etenim illa, Persici fastus vanitas, si cum ijs comparentur, videri possint.* Pori quoque regia laudatur in epistola Alexandri ad Aristotelem, quam tamen spuriam putamus.

CVM REX IN PVBLICO SE CONSPICI PATITVR) Fuere qui nunquam in publicum prodirent, vt Herodotus in Clio de Deioce Medorum rege prolixè narrat: & Diodorus Siculus, de Sabæorum regibus, *Infelix horum conditio est, quatenus nunquam è regia exire illis licet. Si contra egerint, plebs lapidum iactu, iussu veteris oraculi, eos obruit.* Eadem ratio apud Sinas hodie seruatur, nisi quod ab Eunuchis & domesticis adeatur. Apud Indos quatuor ob causas prodibat in publicum, cum bellum vrgeret: cum ius diceret: cum sacrum faceret: cum venaretur: è quibus Curtius tres duntaxat, profert, bellum, venationes, iudicia. De pompa verò & publicis cele-
p.494. britatibus ex Clitarcho & alijs ita Strabo, *In solennibus pompis multos elephantes mitti auro & argento ornatos, & multas quadrigas, & boum paria, deinde exercitum instructum sequi, & ingentes lebetes deauratos & magnos crateras, & mensas ex Indico ære, & sellas, & pocula, & labra: ferè omnia smaragdis & beryllis & Indicis carbunculis distincta. Item vestem variam auroqúe intertextam .... & pardales, & leones mites, & variarum eleganterqúe canentium auium multitudinem. Clitarchus refert, magnis praditas frondibus arbores in plaustris quaternarum rotarum deportari, & ex eis aues mansuetas excuti, quarum canorissimum dicit Orionem, aspectu pulcherrimum, atque viarum, catreum nomine, specie pauoni persimilem: reliqua verò imaginis pictura ab illo sumenda est.*

LECTICA) non est idem quod sella: In hac sedebant, in illa gestabantur. De hac & supra, & ap Martialem dictum.

CARBASA QVAE IN D. EST) In singulari Carbasus genere muliebri sæpius: est cum & virili pronunciatur. multitudinis casus neutrius sunt. de carbaso paulò antè dictum.

REGIA COLVMNAS AVREAS HABET) qualis apud Nasonem erat solis:

Regia solis erat sublimibus alta columnis
Clara micante auro, flammasq́; imitante pyropo
Cuius ebur nitidum fastigia summa tegebat.

Et quæ sequuntur.

VITIS CAELATA) vt suprà regis Persarum, de qua Brissonius multis l.1. de reg. Pers.

CVM CAPILL. PECT. ATQVE ORNAT) Strabo etiam strigilibus à tribus perfrictoribus
p. 488. destrictū ait. *Præter exitū*, inquit, *regis ad bellū, alius est cū ad ius dicendū exit, per diē totū audiens, etiāsi hora sit, vt corpus curet: id autē fit strigilū perfrictione: nā simul & audit, & à trib. perfrictorib perfricatur.*

Lectita.

lactitatum idem apud Romanos in balneis, quod Martialis, Persius, & alij docent: 54. Apoph.

Pergamus has misit, curuo destringere ferro,
Non tam sæpè teret lintea fullo tibi.

Ad quod distichum nos multa in Martialem. Persius Sat. 5.

I puer & strigiles Crispini ad balnea defer.

Sed hoc apud Indos memorabilius, reges non solùm pectinibus & strigilibus destrictos fuisse, sed etiam, quod epistolæ Indicæ docent, humi stratos pedibus proculcatos, donec multus è toto corpore sudor exprimeretur.

PEDES ILLINVNTVR) Hic mos vngendi pedes non apud Indos tantùm, sed Hebræos, Græcos, & Romanos vsurpatus fuit. Magdalena apud S. Lucam vnguento vnxit pedes Christi: a- c. 7.
pud Romanos in balneis totum etiam corpus, in conuiuijs caput inunctum fuit. Græci in hoc genere singulares fuere: qui etiam singulis partibus corporis singularia adhibebant vnguenta: Athenæum accipe: ὅτι δὲ διὰ σπουδῆς ἦν τοῖς παλαιοτέροις ἡ τῶν μύρων χρῆσις, δῆλον ἐκ τοῦ καὶ ἐπιτάδευσαι, ποῖόν τι ἑκάστῳ τῶν μελῶν ἡμῶν ἐστὶν ἐπιτήδειον. Ἀντιφάνης γοῦν ἐν τοῖς Θορικίοις ἢ Διορύττοντί φησι. * λοῦτ' αἰδὼ ἀληθῶς ἀλλά τι ἐν χρυσοκολλήτῳ δὲ κάλπιδος μύρῳ Αἰγυπτίῳ μὲν τοὺς πόδας καὶ τὰ σκέλη, φοινικίνῳ δὲ τὰς γνάθους καὶ τιτθία, σισυμβρίνῳ δὲ τὸν ἕτερον βραχίονα, ἀμαρακίνῳ δὲ τὰς ὀφρῦς, καὶ τὴν κόμην, ἑρπυλλίνῳ δὲ τὸ γόνυ καὶ τὸν αὐχένα. *Antiquos in vnguentorum vsu fuisse curiosos & diligentes, hoc est indicio, quod priuatim vnicuique parti corporis idonea scirent. Antiphanes in Vinosis, aut Fossore.* l. 15 p. 689. E.

* Locus in Græco corruptus in alijs exemplaribus omnino desideratur, nec interpres ex fide reddidit.

Lauat is in aureo quodam solio: vnguento
Aegyptio pedes linit & crura:
Phœnicino buccas & vbera;
Sisymbrino verò vtrumque brachium:
Amaracino supercilium & comam.
Serpyllino ceruicem atque genua.

Apud Plinium M. Otho Neroni monstrauit pedum vestigia vnguentis tingere. Diogenes aliquando vnguentatis pedibus incessit: quod à capite odor in aerem dissipetur, à pedibus verò in caput rectà feratur. In Aulularia Plauti, Myrobathrarij sunt qui calceamenta muliebria, vt bene olerent, vnguentis imbuebant. Plura de vnguētis & vnctionibus nos ad illud Martialis phaleciū.

Vnguentum fateor bonum dedisti. l. 3. ep. 60.

VENATVS MAXIMVS LABOR EST) Strabo locum hūc nobis explanat, ex quo multa passim Curtius. *Tertio ad venationem, vbi Bacchico more maxima mulierum catenâ circumfunditur, stipatores exterius manent; nam via funibus obtexitur: quod si quis interius ad mulieres vsq; accedit, interficitur. Præcedunt regem tympana & tintinabula, cum in locis septis venatur, e solio sagittat, assistentibus duobus tribusue mulieribus armatis, cum in locis non clausis venatur, sagittat ab elephante.* l. 17. p. 428.

VIVARIO) Viuarium nunc scriptoribus pro piscina & ἰχθυοτροφεῖῳ accipitur, nunc pro roborario seu θηριοτροφεῖῳ, seu loco vbi cerui, leones, vrsi includuntur, vt hoc loco.

INTER VOTA CANTVSQVE PELLICVM) vouent enim seu precantur, vt venatio regi feliciter cedat, ferasque certius & celerius figat.

BINVM CVBITORVM) trium ergo pedum; cubitum enim sesquipedem æquat.

IN HABILI PONDERE) si iaculantis vires sagittarum ponderi respondeant, non videtur inhabile telum: quo maius enim teli pondus, hoc grauius ferit, si ferientem habeat ponderi respōdentem. Sed vbi nulla inter sagittarium & sagittam est symmetria, tum inhabile fit telum, & languidus cassusque ictus. Arrianum alia narrantem audi: *Sagittis*, inquit in Indicis, *vtuntur triū paullò minus cubitorum, nihilq; est, quod non Indici sagittarij telum penetret, non scutum, non thorax, aut aliud armaturæ genus, quantumuis validum.*

PELLICVM LONGVS ORDO) Strabo: *Ex mulieribus, alia curribus, alia equis, alia elephantis vehuntur, quemadmodum & militiæ vnà sunt, militant, omni armorū genere instructa.* Hæc Strabo. Persarum quoque regem ad bellum proficiscētem pellices comitabantur, vt supra lib. 3. c. 7. cognouisti.

ELEPHANTI VEHVNT: CVRRVM ET TANT.) verè distinxit locum hunc Acidalius, *Elephanti vehunt*, regem nempè: deinde colon ponendum *vehunt: currum & tantarum*, &c. *auro regūt.*

REGEM MERO SOMNOQVE SOPITVM) diuersa ab his Strabo, *Regis corpus*, inquit, *mulieres curant, ea quoque de parentibus empta. Qui regem custodiunt, & reliquus exercitus manent extra portas. Si qua mulier regem ebrium occiderit, id præmij habet, vt cum illius successore iungatur: succedunt autem filij. regi interdiu dormire non licet, nocte cogitur cubilia per horas mutare, idq; propter insidias.* l. 15. p. 483.

NOCTIVM INVOCANTES DEOS) Erebum, Noctem ipsam quæ priscis inter deas: & nocte natos natasq; Eumenidas, Erinnyes, Parcas, Tenebras, Somnia, Somnū, Mortem, Dolū, Metum, Laborē, Inuidentiam, Senectutem, Fatum, & hoc genus alia monstra. Natalis mytholog. l. 3. c. 12. & præced. & seq. Gyrald. de natura deor. dial. 1. p. 59.

VNVM AGRESTE ET HORRIDVM GENVS EST) Apud Strabonem totam Indorum gentem & populum in septem genera diuidi (dicunt) *quorum philosophi honore antecedunt, numero* Plinium vide l. 6. c. 19. l. 15. p. 484

verò paucißimi sunt: vtuntur eorum vnoquoque priuatim, qui mactant & sacrificant: publicè verò reges in eo conuentu, qui maximus apud eos fit, cum nouo anno incipiente philosophi omnes ad regis fores conueniunt, & quicquid quisque composuerit, vel obseruarit eo anno de fructibus, de animalibus, de repub. in medium proferunt. Vbi quis falsus fuisse deprehenditur, ei per totam vitam lege silentium indicitur; qui vera dixerit, immunis & omni tributo exemtus habetur. Secundū genus agricolarum est, qui plurimi sunt & probißimi. Hi ob immunitatem à militia, & securam opus faciendi licentiam, neq. vrbem, nec publicū negotium, nec vllum aliud munus attingunt, quamobrem eodem tempore, & eodem loco alij pugnant, & cum hoste pedem conferunt: alij arant vel fodiunt sine vllo periculo, cum illos propugnatores habeant. Et cum regio tota sit regis, ipsi eam conductam excolunt, pacti mercedis loco quartam fructuum partem. Tertium genus est pastorum ac venatorum, quibus solis & venari, & pascere pecora, & vendere, & iumenta locare licet: pro eo autem quòd terram bestijs liberant, & ab auibus semina legentibus dimensum frumenti à rege accipiunt, vagi errabundiq. vitam in tabernaculis agunt. Priuato homini equum & elephantem non alere licet: vtrumq. enim regis possessio censetur, suntq. harum rerum curatores. Subijcit deinde

p. 486. quartum genus: *Post venatores ac pastores, quartum genus ponit eorum qui artes exercent: item institores, & quicunq. corpore victum quærunt. horum alij tributa pēdunt, ac statuta munia obeunt: alij verò, vt sunt qui arma & naues fabricantur, alimenta & stipendia ab rege habent, cui & soli eperis sui seruiūt, arma militibus præbet exercitus præfectus, & classis præfectus naues nauigantibus & mercatoribus precio locat. Quintum genus est bellatorum, qui reliquum tempus ociosi agunt, in locis ab rege constitutis, vbi & victus eis præbetur; vt cū opus sit, citò exeant, nihil de suo afferētes præter corpora. Sexti sunt inspectores, quorū partes sunt, vt quæ agūtur inspiciant, & regi omnia clam renuncient. Hi in vrbe vrbanas meretrices sibi adiutrices adhibēt, in castris verò castrēses: delegūtur autē viri optimi ac fidelißimi. Septimi sunt consiliarij & assessores regis, à quibus & magistratus, & iudicia, & rerum omnium administratio geritur. Nō licet ex alio genere in aliud matrimonio contrahendo transire, aut ab vnius generis instituto ad aliud descendere: neq. simul pluribus se dare tractādis, nisi philosophus quis sit. huic enim ob virtutē conceditur.*

Deinde redit ad philosophos, illosq; rursus in duo genera distinguit: in Brachmanas & Germanes, & illos his præponit; Ex his Hylobios, id est syluicolas esse honoratissimos, de vtrisq; copiosissimè disputat.

Eandem gentem Arrianus in totidem tribus partitur.

Eadem, sed breuiùs, exequitur Diodorus Siculus lib. altero bibliothecæ, quem p. 125. videbis.

Li.p.35. Maffeius hodiernos Indos in quatuor hominū ordines distribuit, Is (*rex Zamorinus*) *quatuor ordinum homines habet in suo regno. dynastas ac satrapas, quos vulgo Caimales vocant. Sacrorum antistites & procuratores: ij vetustißima originis & nominis Brachmanæ sunt. rei bellicæ studiosos è nobilitate duntaxat, qui Naires dicuntur. quartum obtinent locum opifices & agricolæ. reliquum vulgus institorum est, magna ex parte Arabum Persarumq., & Aegyptiorū ex hæresi Mahometana & Iudaica: qui preciosis mercibus admirabili solertia & peritia permutandis ad amplas fermè opes pecuniasq. perueniunt. Cæterùm apud omnes præcipuo in honore Brachmanæ sunt, patetq. ea secta latißimè. horum scitu omnia publica & priuata sacra subiecta sunt hi cærimonias & iusta funebria suo arbitratu præscribunt, ijdemq. magno suo quæstu prodigia, sortes, auguria & omnia interpretantur. horum disciplina institutisq. reges ipsi imbuuntur, omnibus magnis paruisq. in rebus mirandum in modum illis obnoxij. Sed non vnum est Brachmanorum genus: quippe alij liberis operam dant, viuuntq. in hominum frequentia. alij cœlibem agunt vitā, quos hodie proprio vocabulo Iogues appellant: gymnosophistas olim Græci dixere: ijq. partim longißimè peregrinantur, stipem emendicantes: & victus vestitusq. asperitate nacti existimationem & fidem, credulas hominum mentes portentosis mendacijs, varijsq. superstitionibus in fraudem impellunt: partim in solitudinibus auijs & subterraneis specubus durißimo vitæ genere, inedia, vigilia, nuditate, frigoris æstusq. patientia semetipsi discruciant, abstinentq. ab omni corporis voluptate ad certū annorum spaciū: quo exacto, in Abdutos (id nomen ordini) magna cum gloria referuntur. ij tāquam humano fastigio celsiores, & omnium rerum licentiam adepti, nullis iam tenentur legibus, & in omni scelerum & flagitiorum genere impunè volutantur. est etiam suusIoguibus rector maximus, qui vectigalia perampla dispensat, vocatosq. ad se certis temporibus impostores, varias in regiones ad prædicanda impia vanitatis deliramenta dimittit.*

(QVOS SAPIENTES VOCANT) Brachmanas, de quibus præterea quæ iam è Strabone, Siculo, Arriano, Maffeio, Osorio, Nicolao Orlandino, Iarrico narrantur, non pauca Philostratus; Diogenes Laertius, à magis ortos arbitratur. Olim gymnosophistæ dicti Græcis, vt Plinius & Solinus tradunt, hodie Iogues dicuntur, Strabo, Arrianus, Siculus Brachmanas appellant, quorum imma-

p. 156. nia scelera detexere hodierni scriptores, Suidas tamen & Stephanus de vrbibus valdè celebrarunt, quorum verba omissis Græcis, latina vel interpretis antiqui vel mea apponam. *Brachmanæ gens est religiosißima, & pauperis vitæ studiosißima, in Oceani habitans insula, hanc prouinciam diuinitus sortita. Quò cū peruenisset Alexander Macedo, columnæ inscripsit. Ego magnus Alexander rex huc usq. perueni. In hac insula homines longæui habitant. Viuunt enim annos centenos quinquagenos, propter insignem puritatem & temperiem aeris. Apud hos nulla quadrupes est, non ager, non ferrū, non ædificiū, non ignis, non aurum, non panis, non vinum, non carnis esus. Sed cùm habeāt liquidum & summum temperatū aërem, ab omni lue & corruptione alienum, paucis pomis & lympidißima fruentes aqua, Deum sincerè colunt, & continenter adorant.*

Stepha-

Stephanum ego sic intelligo: Brachmanes Indicæ gentis sapientissimi, quos & Brachmas vocant. Hierocles in studiosis historiæ: *post hac*, inquit, *visum est opera precium genus etiam Brachmanum cognoscere. viros sapientia cultores, deumque amicos, & soli potissimum initiatos. Abstinent à carnium esu, deguntq; semper sub puro Ioue. veri amantissimi. Ad cultum corporis adhibent lineam vestem ex petra lapide confectam, filo mollissimo & vellere qua contexunt: ex quibus etiam sindones conficiuntur qua nec igne comburuntur, nec aqua lauantur: sed vbi sordibus & maculis inquinata sunt, coniecta in ignem candida & pura pellucidaq; fiunt.*

HORRIDVM GENVS) sanè horridum, quod Plinius & Solinus ferè iisdem testantur verbis. *Philosophos eorum*, inquit ille, *quos Gymnosophistas vocant, ab exortu ad occasum perstare contuentes solem immobilibus pedibus: feruentibus harenis toto die, alternis pedibus insistere.* Hic: *Philosophos habent tuds (gymnosophistas vocant) qui ab exortu adusque solis occasum contentu oculis orbem candentissimi sideris contuentur, in globo igneo rimantes secreta quadam, arenisque feruentibus perpetem diem alternis pedibus insistunt.* Alia horum horrentia vitæ & victus studia iam ex Suida & aliis didicisti. Et Plutarchus testis velut ἐπίμετρος accedit in 1. de Fort. Alexand. *Iam verò quidam illic perhibentur esse solidiori cuidam, atque adeò nuda adsueti philosophia, sancti homines suis legibus viuentes, deo prorsus addicti supra Diogenem etiam frugi. adhuc non egentes, vt qui in diem horamq; viuant, terra ipsis assiduè recentia suppeditante, potumque fluminibus: cubile verò illis strata passim arborum folia, herbaque solum scatens.*

OCCVPARE FATI DIEM PVLCHRVM P.) Atque Megasthenes, vetus apud Strabonem scriptor, contra hos venit, nec omnibus hoc dogma fuisse Brachmanibus tradit. Ita Strabo libro 15. *Megasthenes*, inquit, *nullum philosophis decretum esse de morte sibi consciscenda affirmat: sed temerarios haberi qui hoc in se admittant: ac natura quidem duros in vulnus vel præcipitium ferri: doloris patientes in profundum maris, dolorum impatientissimos strangulari, igneos in ignem detrudi, ac talem Calanum fuisse incontinentem sanè hominem, & mensa Alexandri mancipium. eapropter hunc vituperari, Mandanim verò summoperè laudari, qui omnes Alexandri minas, omniaque munera contemsit, negauitque Iouis filium.*

Alij tamen plerique scriptores Calanum valde celebrarunt, qui simul sapientum cum Alexandro colloquium referunt, quæ passim in Curtio hiante & exeso desiderantur. *Ex gymnosophistis, qui præcipue Sabbam ad defectionem impulerant, & plurimum fatigauerant Macedonas, decem acres ad respondendum & contractos habitos cepit. His quæstiones obscuras posuit, necem denuncians primo, qui parum rectè respondisset, inde ordine reliquis, vnde natu maximum dedit iudicem. Primus interrogatus, Viuosne plures esse, an mortuos censeret, Viuos ait, neque enim iam esse eos, qui mortui sunt. Secundus, Terram, an pelagus grandiores gignere beluas? Terram; quippe huius*, inquit, *pelagus portio est. Tertius, Quod callidissimum esset, Quod hactenus*, inquit, *homo nō cognouit. Quartus requisitus, Quamobrem Sabbam ad rebellionē concitasset? responsum dedit, Quò honestè viueret, aut * malè periret. Quintus rogatus, Diem an noctem putaret fuisse priorem? Diem ait, vno die. Adiecit autem (cum id rex admiraretur) Implicatarum interrogationum necesse esse, vt essent implicata responsiones. Ita progrediens sextum percunctatus est, Quemadmodum quis maximè se efficiat charum? Si potentissimus*, inquit ille, *nec formidabilis esset. Ex reliquis alius rogatus, Quemadmodum ex mortalis quis deus euadat? Si quid fecerit*, inquit, *quod facere denegatum sit homini. Alius, De vita & morte, vtra valentior? respondit, vitam tā multa tolerantem mala. Postremus quatenus hominem viuere deceat? Eatenus cùm mori, quàm viuere non censeat præstare. Ita tandem versus ad iudicem pronunciare eum iussit sententiam, qui cùm, alium alio, dixisset, segnius respōdisse, Ergò tu*, inquit, *primus moriere, qui ita decernis: Minimè verò, rex*, inquit ille, *nisi tu mentiaris, qui primum dixisti interfecturum te illum qui pessimè respondisset. Hos igitur muneribus honoratos dimisit.* Plura apud Plutarchum de Dandami; & alij, quæ tute otiosus leges. De Calano etiam multa apud Siculum disces, præsertim de morte & rogo, in quem se viuus cum annum ageret tertium supra septuagesimum cōiecit li. 17. p. 573. De eodem Calano & Dandami multa apud Geographum & Arrianum cognosces, quæ breuitatis studio transeo. Prædixit Alexandro Calanus illum Babylone periturum. quod de oraculo etiam M. Tullius de diuinatione & 3. Tuscul. Quæst. Suidas quoque, & Aelianus, qui de certamine Symposiaco ab Alexandro in gratiam Calani instituto narrat l. 2. c. 21. & de eiusdem l. 5. c. 6. Plura etiam Geographus lib. 15. p. 495. & Plutarchus p. 555.

Plutarchus parua edit. p. 589.

* Græcè quidē est κακῶς. sed fortasse rectius καλῶς vt honestè viueret, vel honestè moreretur.

ILLI QVI IN VRBIB. PVB. MOR. VIVVNT) Aliud genus sapientum apud Indos, hoc est propè contrarium superiori; quemadmodum enim illi * Hylobij extra vrbes in rupibus, syluis & agris degebant: ita hi in populi frequentia, in vrbibus, & regijs cum multis viuere consuerant. Illi vltrò mortem sibi consciscere pulchrum putabant; hi turpe; illi fortium virorum, occupare fati diē: hi timidi erāt, vt qui mortem, & genus mortis, quod natura vel casus præscripsit, metuebant. qui & ipsis suos suffragatores habebāt, vt supra apud geographū ex Megasthene cognouisti.

Sapientes apud Indos se omnia nosse dictitāt, & Deos esse. Philostrat. l. 3. c. 6.

* Sylnicolæ.

SIDERVM MOTVS SPECTARE) Astronomiæ & Astrologiæ addicti, de quibus Naso:

Felices anima quibus hac cognoscere cura
Inque domos superas scandere cura fuit.

Ouid. 3. Fast.

Credi-

est, æquatq; luxuria. Fœminæ epulas parant. Ab ijsdem vinum ministratur, cuius omnibus Indis largus est vsus. Regem mero somnoq; sopitum in cubiculum pellices referunt, patrio carmine noctium inuocantes Deos. Quis credat inter hæc vitia, curam esse sapientiæ? vnũ agreste & horridum genus est, quos sapientes vocant. Occupare fati diem pulchrum, & viuos se cremari iubent, quibus aut segnis ætas, aut incommoda valetudo est. Expectatam mortem pro dedecore vitæ habẽt: nec vllus corporibus quæ senectus soluit, honos redditur. inquinari putant ignem, nisi qui spirantes recipit. Illi qui in vrbibus, publicis moribus degunt, siderum motus scitè spectare dicuntur, & futura prædicere: Nec quemquam admouere lethi diem credunt, cui expectare interrito liceat. Deos putant quidquid colere cœperunt, arbores maximè, quas violare capitale est. Menses in quinos denos descripserunt dies: anni plena spacia seruant. Lunæ cursu notant tempora, non vt plerique cum orbem sidus impleuit, sed cum se curuare cœpit in cornua: & idcirco breuiores habent menses, qui spatium eorum ad hunc lunæ modum dirigunt. Multa & alia traduntur, quibus morari ordinem rerum haud sanè operæ videbatur.

OTIVM SERENDIS RVM. APTVM)

Otium reges simul & beatas Perdidit vrbes.

Ita supra lib. 6. *Igitur ne in seditionem res verteret, otium interpellandum erat.* Idem rursus 7. *Seditiosaq; voces referebantur ad regem, quas ille haud sanè motus satisque prudens otij vitia negotio discuti* Tacitus de morib. Germ. *Otiosa porrò armatorum manus facilè lasciuiunt.* Ad quem locum illustrandum multa ex multis auctoribus colligit eruditus vir Ianus Gruterus, quem videbis in prolixioribus commentarijs ad aliquot insigniora loca Taciti, parte altera p. 177.

a l. 10. b Annal. 3. c. 24. c l. 9. c. 12.

SEMPER BELLO QVAM POST VICTORIAM CLARIOR) Verè Senarius, *Rex ferè foris beatus, non beatus est domi.* Quod de Artaxerxe a Iustinus, de Augusto b Tacitus quoque referunt. Et Curtius infrà c: *Vos modò me ab intestina fraude & domesticorum insidijs præstate securum. Belli Martisque discrimen impauidus subibo. Philippus in acie tutior, quàm in theatro fuit; hostium manus sæpè vitauit; suorum effugere non valuit. Aliorum quoque regum exitus si reputaueritis, plures à suis quàm ab hoste interemtos numerabitis.* Hegelochus supra lib. 6. c. 20. *Quis proauum huius Alexandrum, quis deinde Archelaum, quis Perdiccam occisos vltus est?* Ita apud Iustinum l. 3. Xerxes ab Artabano præfecto suo per insidias interemptus est. Ita Darius vltimus à Besso duce suo multis vulneribus confossus interijt. Ita Ninyas matrem Semiramidem, ita Senacheribum Assyriorum regem Adramelechus & Sarasarus filij patrem in fano trucidarunt. Ptolemæus Philopater patrem & matrem sustulit. Nullus finis apparebit, si per gentium historias curram. Apud Romanos vt omittam incerta, de Augusto Tiberio & alijs, Caligula, Claudius, Nero, Domitianus, Commodus, Pertinax, Iulianus, omitto obscuriores Pescennios, Albinos, Macrinos, Heliogabalos, Diadumenos, Caracallos, Getas, xxx. tyrannos. Perijt etiam nobilissimus Imperator Alex. Seuerus, Gordiani, Philippi, & alij quamplures, quos longum esset nominare, ne dicam describere.

INDIA TOTA FERE SPECTAT ORIENTEM) Mirum dictu, quam multi res Indię & situm regionis, & naturæ ingenium, & fluminum magnitudinem, & spacia terræ Indiæ perscripserint, & quam pauci dolente & execrante Strabone, vera; ex quibus alij vnà cum fabulis suis toti periere, alij si non toti, saltem magnam sui partem exoleuerunt. Non apparet è veteribus Daimachus, Patrocles, Hipparchus, Iambulus, Pytheas, Clitarchus, Nicolaus Damascenus, Bethon, Posidonius, Megasthenes, Megachlenes, Onesicritus, Megillus, Gorgus metallarius, Eratosthenes, Nearchus, Dionysius, non ille Periegetes, Agatharchidis excerpta. Extant Herodotus, Ctesias aliqua sui parte apud Photium, Dionysius Periegetes, Strabo, Ptolemæus, Arrianus, Diodorus Siculus, Aethicus Artemidorus ineditus tamen, Marcianus Heracleotes, Plinius, Mela, Solinus, Philostratus, Orosius, noster Q. Curtius, Apuleius 1. Flor. Et hi omnes veteres. Ex recentioribus Io. Goroplus Becanus, Petrus Maffæus, Osorius, Io. Metellus, Ioannes Barrius, Ludouicus Vartomannus, Maximilianus Transyluanus, Cosmas Indopleutes, Ioannes Macer I.C. Castagnedo Hispanus, Abrahamus Ortelius in Theatro orbis, cuius tabulam geographicam Indiæ considerabis. Petrus Iarricus, Franciscus Sachinus; & alij patria lingua. Atque hic tantum de India quæ Orientem spectat; Noua namque & nuper à Magellano reperta & Mexicana nihil hic ad nos. Iam Curtius ad hæc verba Indiam ferè totam spectare ad Orientem plerosq; omnes geographos & scri-

l. 15. ipso exordio.

ptores rerum habet suffragatores. Princeps est Strabo vice omnium: Νῦν δ' ἀπὸ τῆς Ἰνδικῆς ἀρξόμεθα· πρώτη γὰρ ἔκκειται πρὸς τὰς ἀνατολὰς μεγίστη. *Nunc ab India ordiemur: nam & prima versus orientem iacet, & maxima est.*

Idem canit Periegetes.

Πρὸς δ' αὐγὰς Ἰνδῶν ἐρατεινὴ πέπταται αἶα
Πασάων πυμάτη παρὰ χείλεσιν ὠκεανοῖο

Ηὐρατ'

Ἣν ῥά τ' ἀνερχόμενος μακάρων ἐπὶ ἔργα καὶ ἀνδρῶν
Ἠέλιος πρώτῃσιν ἐπιφλέγει ἀκτίνεσσι.
Ortum autem versus Indorum amœna expanditur terra
Omnium extrema ad littora Oceani.
Quam, exoriens Diuorum ad opera & hominum
Sol primis accendit radijs.

Apuleius 1. Florid. *Indi gens populosa, cultoribus & finibus maxima, procul à nobis ad Orientē siti, prope Oceani reflexus & Solis exortus, primis sideribus, vltimis terris.*

MINVS IN LAT. QVAM RECTA REG. SPACIOSA) minùs latam ait, quàm longam. Non ignorandum Indiam esse peninsulam, & ex vno tantum latere adhærere terræ, qua Caucasum, seu Tauri extrema, hoc est, Septentrionem spectat, & ex tribus lateribus allui aquis, ab Oriente Gange; ab occidente Indo: à meridie Erythræo mari, in quod se & Ganges & Indus exonerant. Forma terræ Indiæ habet se ritu tessellæ, vt hodie tradunt. Periegetes, & Geographus rhombo comparant. Diodorus Siculus, *India*, inquit, *forma quatuor laterum existit, quorum vnum ad Orientem vergens, & alterum quod meridiem respicit, ingens illud Oceanus circumdat. Quod arctos versus tendit Hemodus mons à Scythia, quam Sacæ habitabant, diuidit. Quartum ad occidentem Indus post Nilum maximus omnium distermiuat. Totius Indiæ magnitudinem ab ortu versus occasum duodetriginta millibus stadiorum. à Septentrionibus versus meridiem* XXXII. *millibus definiunt.* Hæc Siculus. Ergo latitudinem circumscribit octingentis septuaginta quinque milliaribus germanicis, longitudinem mille. Ex quo colligis non esse perfectum tetragonon, cum longitudo vincat latitudinem. Subijcit Siculus regionem sub tropico æstiuo sitam, & nullas interdiū per gnomonas iaci vmbras: vrsasque latere, vmbrasque ad austrum cadere. Postremus Sacchinus noster, linguæ comparat. Cùm ergo rhombus habeat obliquos angulos, via ab Oriente ad occidentem longior est, longiusque se extendit India, quam à Septentrione ad meridiem. De Schemate Indię plura Periegetes: p. 132. Strabo, p. 474. Eustathius ad Dionysium. Arrianus p. 169. Hodierni scriptores re certius explorata omnia etiam certiora tradidere. P. Iarricus thesauro rerum Indicarum. P. Franciscus Sacchinus in historia Soc. IESV parte secunda, anno CIↃ.IↃCXX. edita. lib. 1. n. 17. pag. 2. & 3. Tradunt de eadem Hieronymus, Osorius & Petrus Maffeius, quorum libri omnium manibus teruntur: proinde ne sim longior, ad Curtium redeo. Curtius magis in longum quàm latum Indiam porrigi tradit, quod Strabo discretè docet cum rhombi formam longiorem quàm latiorem obtinere Indiam affirmauit.

QVAE AVSTRVM ACCIPIVNT) Hunc locum carpit Glareanus. *Habet*, inquit, *hæc Alexandri historia in locorum descriptione, vt in superioribus satis luculenter ostendimus, quædam ab vera ac geographica traditione prorsus aliena. Nam quemadmodum ante de Iaxarte, ex Plinio diximus, quem hic author Tanain putauit. Tauri item iuga, quæ Asiam mediam secundum longitudinem secant, Macedones Caucasum vocarunt. Sic in hac Indiæ descriptione, multa Ptolemæi aliorumq́; geographorum traditioni contraria produntur: vt cùm hoc loco dicit, Quæ Austrum accipiunt, in altius terræ fastigium excedunt: quum omnia Indiæ flumina à Septentrione in meridiem fluāt. Nec Ganges, quod hoc loco ab authore narratur, à meridiana regione decurrit: sed contrà, à Septentrione in meridiem, quanquam paulum ad ortum. Nec quæ propiora sunt mari, Aquilones maximè deurunt, vt paulò pòst est dicturus. Id quod semel lectorem admonuisse satis fuerit.* Bona venia Glareani dixerim: sæpè reprehendimus quod non intelligimus, atque ita intelligendo facimus, vt nihil intelligamus. Ego Curtium nihil hic contra geographiam peccasse existimo, & doceo primùm, haud ignorandum, quod affirmat, minùs in latitudinem, quàm recta regione patere, hoc est magis lōgam quàm latam esse, quod verissimum est, si procurrens è Septentrione in Austrum spectes promōtorium: si inquam diametrum à mōte Imao vsque ad promontorium Comorinum, quæ sunt duo extrema Indiæ, dimetiare, minimum enim quadringentis inter se leucis distant, vt Iarricus ostendit, quæ Germanica efficiunt milliaria viginti suprà trecenta. Iam quod dicit Curtius, ea quæ Austrum accipiunt, in altius terræ fastigium excedere, hoc est, promontorium Comorinum esse altius terra reliqua Indiæ media, quæ plana est, verissimum est, extrema enim vtrinque sunt alta, Imaus mons & promontoriū Commorinum: cùm inter vtrumque hunc angulum montes interiaceant continua per Indiam serie, vsque ad caput Commorinum. Quod continua serie dicit, hoc est, per totam Indiam extendi montes: accipe latus occidentale totum, quod septentrio stringit, & ab alto alluitur. Atque Inde est quod Herodotus in Thalia affirmat, Indiam Austro obnoxiam. Quod autem Iarricus ex aliorum sententia moneat, Indiam referre formam tessellæ, est hoc ita capiendum, vt doceatur linea ab Indi ostijs ad ostia Gangis excluso promontorio Comorino. Melius Periegetes & Strabo formam per rhombum & inæqualia latera expresserunt. Melius etiam Sacchinus terram Indiam in modum linguæ Austrum versus excurrere. Aspice tabulam Ortelianam.

INDVS GELIDIOR CAETERIS) Quia à Septentrione in occidentem fertur, Ganges tepidior, vt Ouidius in Ibin vocat, quia in Orientem flectit.

GANGES O. A. O. M. A MERIDIANA REGIONE DECVRRIT) Hoc quoque non placet Glareano:

reano: sed enim non it negatum Curtius Gangem è Caucaso existere, cum ipse paullò ante docuerit ex Caucaso monte multos inclitos amnes defluere, & quis magis Gange inclitus? Sed è montibus euolutum in meridiem deflectere, ac demum à meridie in oceanum deferri, Strabonem do testem: *Tota*, inquit, *India fluminibus irrigatur, quorum quædam in duo maxima irrumpunt, Indum atque Gangem, quædam proprijs ostijs in mare exeunt: omnia è Caucaso, primò ad meridiem feruntur, postea alia eundem seruant cursum, præsertim quæ in Indum influunt: alia flectuntur ad Orientem, vt Ganges.*

l. 15.

GANGES OMNIVM ABORTV MAXIMVS) Strabo: *Hic à montibus descendens, cum in planiciem peruenit, ad Orientem conuersus, & Palibothra ciuitatem maximè præterfluens in mare, quod istbic est, vno ostio effunditur, quamquam omnium Indicorum fluminum maximum sit. Indus in mare meridionale duobus ostijs exit, Patalenam camp ectẽs*, Indum aiunt alij Aegyptio delta persimilem, quod tamen negat Strabo.

p. 482.

De magnitudine Gangis ita Arrianus: *Flumina tot sunt in India, quot in reliqua Asia. In his maximi sunt Ganges & Indus, à quo & regio nomen accepit, vterque & Nilo Aegyptio, & Istro Scythico, etiamsi in vnum alueum confluerent, maior est.* Gangem tamen longè maiorem Indo Megasthenes scribit. Idem sentiunt omnes alij qui Gangis mentionem in scriptis suis faciunt: patet autem Gãges quà maximè angustus est, centum stadia, milliaria inquam germanica tria, eoque amplius. Atque ita veteres omnes censuere, Gangem totius orbis fluminum esse maximum.

l. 2. c. 6. p. 87. Sed Iosephus à Costa, è nostra familia scriptor, in libro de nouo orbe, vbi Peruanam regionẽ describit, Maranonium, Paraguayanum, & Magdalenianum flumina, testatur singula maiora esse Nilo & Gange, quamuis in vnum alueum collectis.

IN EVM OBIECTAE RVPES) Tota enim India montibus distincta est. Itaque ferretur & ipse in Occidentem à meridie, nisi rupes obstarent, quæ illum clam quærere viam cogunt, & in Orientem dirigunt.

VTERQVE RVBRO MARI ACCIPITVR) olim legebatur, *vtque rubro mari accipitur*; Modius ex MSS. rescripsit *vterq;* pro *vtq;*. Acidalius dissimulat loci difficultatẽ & transilit. Ego, quamuis & Constantiensis codex chirographus, & vetus poeta Gualtherus suffragentur Modio, retineo tamen veterem & vulgarem scripturam, quod alioqui Curtius nihil dicat, nec sententia constet. Nã si omnia quæ eadẽ periodo sequuntur attẽdas, & componas, animaduertas non conuenire omnia vtrique, præsertim illa: *Acesines eum auget*, quæro quem *eum*? Indum an Gangem? an vtrumque. Atque alij tantum in Indum ferri tradunt, solus Curtius à Gange intercipi affirmat, nemo ab vtroque, quod ne fieri quidem potest. Sed si Gangem per vocem *eum* accipias, quid est, quod statim subijciat Curtius: Ganges decursurum in mare intercipit, quasi antea de alio esset locutus? Atqui non potuit aliter loqui Curtius, nisi dubiam faceret orationem: etenim si dixisset *qui decursurum in mare intercipit*, incertum erat an τὸ *qui* ad Acesinem, an ad Gangem referendum esset: expressit ergo Gangem, quamuis eundem per vocẽ *eum* intellexisset. Atque ita diluitur etiam alter error, qui ex priore mendo extiterat, si legeres vterque. Neque enim dixit Curtius Indum rubro mari excipi. Si legas, *vtque*, omnia erunt salua. Locum hunc totum Gualtherus his versibus expressit ipsi libri 9. procemio.

India tota ferè nascenti subdita Phœbo
Eaum spectat audaci vertice tractum,
Ac qua parte situm Libyes despectat & Austrum,
Altius erigitur tellus & vi æthera tendit.
Cætera plana iacent, vbi magni nominis à se
Caucasus emittit, rapidis accursibus amnes.
Sed reliquis à quo sortita est India nomen,
Indus frigidior, Australi parte rugosis
Montibus inuehitur, directa iurgite Ganges
Totius fluuius Orientis maior, vterque
Turbidus extensis rubrum mare verberat vndis:
Robora multa solo radicitus eruta magna
Absorbet cum parte soli, si fortibus vndis
Molle salum repetit, stagnat, tellusque fluentem
Insula facta bibit, intercipit in mare Ganges
Decursurum Athesin, magnis decurrit vterque
Motibus, & rapido inter eas colliditur ictu.

In quibus versibus duo sunt menda in impresso codice; primum in illo,

Altius erigitur tellus & vi æthera tendit.

Pro *vi* lego *in*, & In æthera tendit.

Alterum in hoc:

Decursurum Athesin.

Athesis est fluuius Tiroleos, qui Germanis est, die Etsch / à quo das Etschlandt / Gualterus scripserat per compendium reor *Acesin* pro *Acesinem* versus caussa.

Et illo versu:

Totius fluuius Orientis maior, vterque Turbidus,

intelligis illum in vitiosum codicem incidisse: nondum enim typographia erat illius æuo cognita, neque enim vterque Indus & Ganges rubrum mare verberat vndis, sed Indus tantum. Ganges in Oceanum Orientalem defertur.

VTQVE RVBRO MARI) De Erythræo mari mox infra coplosè differam, vbi proprius locus, hoc ipso capite monebit. plerique Scriptores Indum in Oceanum Atlanticum, quà spectat Occidentem, deuolui. Gange in Erythræum, seu Oceanum, qua Orientem respicit, vt ex hydrographia Indiæ cognoscis.

ACESINES EVM AVGET) Acesinem non semel laudat Strabo, sed disertius Arrianus, qui Nilo & ultro maiorem affirmat, vbi Hydaspe, Hydraste, & Hyphasi in suum alueum receptis in Indum fertur, adeò, vt eius latitudo triginta stadia efficiat, quæ propè milliarium Germanicum continent. Obserua etiam Acesinem cum Indo non Gange misceri, contra quàm Curtius scripsit, quod & alij Scriptores prodidere. Acesinis mentio est etiam lib. 9. c. 7. & 8. vbi Hydaspen cum Acesine confundi docet, & omnia tria flumina misceri, illaque tria flumina (excepto Gange) Indiæ maxima appellat, Indum, Acesinem, & Hydaspen: secumque pugnare videtur Curtius, cum hoc loco Acesinem in Gangem infert; infra cum Indo & Hydaspe miscet, nisi mendosus codex sit, & aliena inserta, quod factum sæpè.

Glareanus existimat pro Acesine ex Arriano reponendum Commenesen, vel Erinesen. Sed omnia exemplaria in Acesinem coniurant.

ASPERRIMVM OS) os ad originem & caput amnis refertur, ostium ad finem, quo flumen, vel in mare, vel in aliud flumen, vel lacum defertur. Os Gangis hic dicit ratione Acesinis, quo Gangem exhausit, non ratione ipsius Gangis, cuius fontes, qui in Caucaso nascuntur. Sed Metaphoræ perelegantes sunt obseruandæ, cum à rebus animatis ad inanimas, voces transferuntur: Os enim in animali & propriè homine est, non in fluminibus.

NEC REPERCVSSAE AQVAE CEDVNT) sed se mutuo elidunt, & ingentes fluctus eiens, lateque campos inundant.

DYARDENES) nemo vnus hunc fluuium vllo in libro, qui in manibus est hodiè, laudauit, nec mirum, quia minus auditu & in vulgus celeber fuit, vt ipse monuit Curtius, sed monstris marinis nobilis, vt qui crocodilos, delphinas, vt Nilus, aliasque etiam alijs gentibus ignotas belluas & phocas alat. testatur idem Arrianus, sed generatim de feracibus monstrorum Indiæ fluminibus: Quin etiam, inquit, Indiæ fluuij perinde, ac Nilus AEthiopicus, & AEgyptius crocodilos gignunt & pisces, acbalænas eiusdem generis, ac Nilus, excepto Hippopotamo, seu eq uo fluuiatili; sed & hos etiam gignere Onesicritus tradit. Idem in 15. Strabo narrat.

ERIMANTHVS) Quàm Græcis olim notus mons & ciuitas Arcadiæ hoc nomine fuit, tam ignotus est Græcis & barbaris eodem nomine flumen Erimanthus. Sed Curtius auctores legit, quos posteritas nunquam vidit.

AB ACCOLIS RIGANTIBVS CARPITVR) caussam obscuritatis huius fluminis adfert, quod alueus ipsius ab ijs, qui ad Erymanthum colunt & degunt, deducatur in multos riuos, quibus agros & campos irrigant, quo fit, vt amisso nomine per tenues & multos, & ignobiles riuulos in mare serpat. Notanda vox *carpitur*, quod de solidioribus vlitatius dicitur, carpimus poma, vuas, herbas, cibos, genas, & per translationem maligno dente carpimus aliorum dicta, facta, scripta, more; carpimus etiam aeris & vitales auras. Ouidius tamen in Ibin eandem vocem in aqua haurienda vsurpauit:

Et summam Lybico de mare carpat aquam.

MVLTIS PRAETER HOS AMNIBVS) Arrianus octo supra quinquaginta fluminibus ait irrigari, ijsque omnibus nauium patientibus, è quibus alia in Gangem, alia in Indum feruntur, alia suis alueis in mare exeunt. Ganges excipit Cainam, Erannoboam, Cossoanum, Sonum, Sittocatim, & Solomatim, quę omnia naues vehunt. Dein Condochatem, Sambum, Magonem, Agoranim & Omalim. Ingentem præterea fluuium * Comminasen, Cacuthim, Andomatim, Amystim, Catadapam, Oxymelim, Erinesem, quos omnes Mæandro pares, ait Megasthenes. Indum augent Hydrastes, Hyphasis, Saranges, Neudrus, Acesines, Hydaspes, Sinarus, Tutapus, Cophenes, Malamantus, Soastus, Garæas, Ptarenus, Saparnus, Soanus. Strabo in 15. flumina quindecim nomine digna Indo misceri affirmat, Indumque ad centum stadia extendi. * Commenesen.

QVAE PROPIORA SVNT MARI AQVILONES MAXIME OBRVVNT) Hoc negat Glareanus, quasi ingenium Indiæ terræ perspectissimum haberet, cùm paulò pòst subjiciat Curtius tantas & tam varias esse vices regionis illius, vt nulla pars mundi illi par sit, nec causam huius varietatis vlli Philosophorum cognitam esse. Dixit Curtius

deerunt

deurunt, quod translatè dictum, pro, Quæ loca sunt adsita mari à ventis Septentrionalibus frigidis & gelidis omnia corrumpuntur: adurit enim frigus non minùs quàm ignis, quamuis diuerso modo, diuersaque vi, & contraria calori affectione & facultate. Vrit enim hyems & frigus, vt optimi scriptores loquuntur. Et promontoria ab Aquilone, siue Septentrione (Aquilo enim ex ventis est Septentrionalibus) procurrunt in pelagus, quod à meridiè obijcitur, secumque gelidos Aquilones trahunt.

Ii cohibiti ivgis montivm) qui sunt Indiæ à Septentrione, vt Imaus Emodus, Tauri extrema seu Caucasus, & qui in meridiem excurrunt, in alta montium impacti retunduntur, nec in planam meridiei regionem retusi possunt descendere. Atque inde remotiora à mari & montibus sunt fertiliora, quod mitiores ventos experiantur.

In illa plaga) in illo climate, vt Mathematici cum Græcis loquuntur. Climata mundi Latini plagas, aut regiones appellant. Quare autem tam contrariæ sint cœli, sub eodem climate, seu plaga affectiones negat scire posse, caussasque eius varietatis satis deprehendi.

al 1.p.35. Vlli se natvrae cavsa ingessit) Et hoc est, quod mellera Maffæus, Iarricus
l.1.p.42. & alij dicunt. *Inter vtrunque hunc angulum,* inquit Iarricus, *montes interiacent continua per Indiam serie ad vsque Commorinum caput, in quibus admirabilis illa temporum anni diuersitas, qua etiam subtilissimos quosque philosophos reddit elingues, vtpote cum veram dare rationem nequeant, qui fieri possit, vt eodem in climate, & eodem in latitudinis Septentrionalis gradu, cùm ab occidua horum montium parte acerrima sæuiat hyemis asperitas, & mira aeris intemperies, eodemque tempore ab Orientali incredibilis sit cœli clementia, qualis vere vel æstate haberi solet: mare quoque quietum sit, & nauigationi peridoneum.* Idem lib.2.cap.7.p.441. *Maximè verò admirandum, & diuinam sapientiam (vt Scriptura loquatur) ludere in orbe terrarum euidenter ostendit, quod in eodem climate & eleuationis eiusdem poli gradu, dum cis montes æstiuum tempus est, trans illos non nisi pluuia, tempestates, ac turbines sæuiant; denique tempus adeò inclemens atque immite, vt verè hiemem dicant, idque tam exiguo locorum interuallo, vt nonnullis in locis ab ora vna in alteram terrestri itinere, non nisi viginti sit leucarum interuallum, ad summum septnaginta. Imò verò, quod maximè mirere, in vno montis latere serenum tempus ac sudum erit, in altero tonitrua, fulgura, pluuiæque assiduæ hyemem constituent. Hinc si Cocino ad oppidum S. Thomæ per montes Gati mense Ianuario proficisci velis, ascendendo optatum & egregium habebis tempus, descendens turbulentum.* Hæc Iarricus.

Fuere qui caussam tam contrariorum effectuum in cœlum empyreum referrent, quos Co-
l.1.q.2.c.3 nimbricensis Academia his verbis refutat: *Responderi,* inquit, *potest diuersitatem illam effectuum*
p.195. *in eodem climate nasci ex diuersitate proprietatum, quibus vnumquodque solum ab auctore natura in ipsa mundi nascentis origine donatum est. Itaque non à stellarum aspectu duntaxat, sed ab ipso regionis habitu, & innata terra vi, atque ingenio prouenit, vt non omnes terra ferre omnia possint, sed India mittat Ebur, molles sua thura Sabæi: has leges, æternaque fœdera certis imposuit natura locis.*

Mare certe qvo allvitvr, nec colore qvidem abhorret a caeteris) Ita lege, à *colore* inquam, non *calore*, quod operarum sphalma est, in nostra puri Curtij editione. Rubrum mare ait simile reliquis aquis marinis esse colore. nec rubere, nec ob eam caussam dictum esse rubrum mare, quasi rubeant, vti rudes existimant, aquæ: sed nomen ab Erythro rege illi inditum. Quæritur ergo hic inter naturæ interpretes an aquæ maris Erythræi rubeant? Multa inter veteres & hodiernos scriptores super ea re quæstio est. Ego primum quid veteres senserint exponam; deinde quid ij, qui ipsimet oculis rem inspexerunt, & mare illud pernauigarunt, aquam hauserunt, omnia præsentes curiosissimè explorarunt, aperiam, sed tribus quod aiunt verbis.

Curtij sententiam ab Erythro, (quem alij Erythrum vocant) rege, Erythræum dici mare, non à colore aquæ, confirmant Agatharchidas apud Strabonem & Ctesiam & Photium pag. 458. qui tres aliorum Priscorum opiniones, & caussas refutat, negatque aquas rubere, neque vllum, vel ex montium, vel arenarum rubentium, vel solis repercussum colorem trahere, sed ab Erythra domini illius maris, Erythræ, vel Erythræum dici. Eandem nominis caussam reddit Stephanus περὶ πόλεων. ab Erythro Heroe appellatum Erythræum, quamuis ex Vranij vetustissimi scriptoris mente addat, à montium rubentium, & imbrium, inde in mare decurrentium colore dici Erytræum. Eusthathius ad Periegetē existimat vocatum à terra miniata, vndis subiecta Erythræum, vel vt alij à solis ardentis, & montium anaclesi. Eandem nominis caussam Eratosthenes apud Strabonem, qua de sole & montibus adfert. Ctesias à fonte minio pleno in mare rubrum cadente Erythræum refert vocitatum. Philostratus & Arrianus cum Curtio faciunt, sicut & Xyphilinus in Troiano, & Plinius cum Mela, qui tamen non negat coloré. Solinus quoque ab Erythro Persei F. nomen deducit. Varro caussam nominis in son-

in fontem refert, ex quo oues ait feruescere. Nostri sæculi scriptores æquè dissentiunt in caussa nominis assignanda. Pererius c.14.Exod.q.8. tota, Curtij sententiam sequitur, quamuis locum Curtij non producat. Ioannes Barrius à plerisque recentioribus laudatur, qui in rem præsentem venit, & à corallijs sub imis vadis latentibus rubere aquas tradidit, quem secuti sunt Conimbricenses Philosophi & Cornelius Cornelij. Sed Sebastianus Barradas Itin. Israelitico Barriū ex Matthiolo refutat, & negat rubentis aquæ caussam exploratam esse, ita hodieque in re incerta incerti sumus, vtrum ab Erythro Rege à fontibus, vel maculis, vel arenis, vel corallijs, vel splendore solis, vel imbribus & montibus, vel simul ab omnibus nomen traxerit. Auctorum nomina qui ea de re disputarunt expressi, quos curioso licebit inspicere, multa enim & alia, & de nomine Hebræo rubri maris, & alijs rebus admiscent admiranda. Ego ad Curtium redeo.

TERRA LINI FERAX) Ab aquarum, fluminum, & maris natura transit ad ingenium terræ Indiæ; à terra ad mores, & instituta indigenarum. De lino porrò docet idem Arrianus ex Nearcho: Linea veste vtuntur Indi, vt ait Nearchus, lino ex arboribus facto, qua de re mihi iam dictū est: & hoc quidem linum aut reliquis omnibus linis est candidius, aut nigri ipsi cum sint, faciunt, vt candidius id quam est, esse videatur. Est autem ipsis subucula linea crure medio tenus: amiculum autem partim humeris, partim capiti circumiectum. Philostratus de eodem in Apollonij lib.2. scribit autem Damis, homines qui secus Indum flumen habitant, lineis vestibus amiciri. Linum autem in agris plurimum nasci: calceamenta autem, ex arborum corticibus facta gestare. In Penplo.

Plinius aliud quoddam lini genus Indicum prodidit viuum, Græcis ἄσβεστον dictum, quod igne non exuritur, sed splendescit magis quam si lauaretur. *Inuentum,* inquit, *iam est etiam quod ignibus non absumeretur. Viuum id vocant, ardentesq; in focis conuiuiorum ex eo vidimus mappas, sordibus exustis splendescentes igni magis quàm possent aquis. Regum inde funebres tunicæ corporis fauillam ab reliquo separant cinere. Nascitur in desertis adustisq; solo Indiæ, vbi nō eadunt imbres, inter diros serpentes, assuescitq; viuere ardendo, rarum inuentum est, difficile textu propter breuitatem. Rufus de cætero color, splendescit igne. Cùm inuentum est, æquat precia excellentium margaritarum.* Vocatur antè Græcis asbestinum ex argumento naturæ. Anaxilaus auctor est, linteo eo circumdatam arborē, surdis ictibus, & qui non exaudiantur cædi. Ergo huic lino principatus in toto orbe. Sed de hoc nihil opinor Curtius, cuius linum & apud Arrianum candet, quamuis nullam coloris mentionem faciat, facit autem Arrianus accuratè.

LIBRI ARBORVM) tam teneri, quàm tenerrima nostra charta, nisi quod cādor desideretur in his quæ ego vidi, sed colores omnis generis tam auidè accipiant & bibūt, quam vlla charta. Ostēdunt hoc etiam icones impressæ & libri. Sed de phylicis seu libris arborum disputatum est copiosiùs ad XIV. Martialis epigram. X.

Non sunt munera, quæ putas, puella,
Cùm donat vacuas poeta chartas.

AVES AD IMITANDVM) Psittacos * intelligit, de quibus ad XIV. Martialis epigramma:

Psittacus à vobis aliorum nomina discam,
Hoc didici per me dicere, CAESAR AVE.

Multa ex multis scriptoribus allata. Quibus addes quæ Vlysses Aldrouandus toto lib. 11. Ornithologiæ tradidit, vbi formas iconibus expressas tredecim lectori spectandas proponit; quatuordecim descripsit. Sed omnium elegantissimum adiecit Carolus Clusius in auctario Exoticorum, cuius iconem ibi expressam miraberis, mihi indigitasse satis. De coruis & picis auibus, vocum quoque humanarum imitatricibus, etiam ad Martialem dictum.

* Ctesiam vide apud Photium in excerptis. Tom. 1. l.14.

ANIMALIA INVSITATA CAETERIS GENTIBVS NISI INVECTA) Ex inusitatis & Europæ inuisis * Martichoras est, quam in palatio nostri Serenissi. Electoris cum effigie Alex. M. inspexi, quam ex Ctesiæ Indicis Aelianus * describit.

Iarchas tamen rex Indorum in III. Philostrati de hac prodigiosa fera rogatus, negauit se quicquam inaudisse. Photius de eadem in Excerptis Ctesiæ. * Plinius Montichoram, non Martichoram appellat. Meminit & in Bœoticis Pausanias. Inuectæ autem in Italiam, Græciam, adeoque totam Europā feræ sunt posterioribus annis ex Africa, Asia & India Elephanti, Pantheræ, tigres, rhinocerotes, leones, cercopitheci, hippopotami, vnicornes seu monocerotes, Indici cameli.

* Mantichoras Plinius. * l.4. animal. c.21. Euseb. in Hieroclē. * l.8. c.2.1. l.4.p.197.

Cæterùm de feris Indicis testatur Philostratus esse & multas & multorum generum. Breuiter * Solinus. *Sunt illic multa ac mirabiles bestiæ, quarum è multitudine & copia per particulā persequemur. Leucrocuta velocitate præcedit feras vniuersas: ipsa asini feri magnitudine, ceruinis clunibus, pectore ac cruribus leoninis, capite * melium, bisulca vngula, ore adusque aures dehiscente, dentium locu osse perpetuo. hoc quo ad formam. nam voce loquentium hominū sonos æmulatur. Est & Eale, aliàs vt equus: cauda (verò) elephanti, nigro colore, maxillis aprugnis, præferens cornua vltra cubitalem modum longa, ad obsequium cuius velit motus accommodata. neque enim rigent sed mouentur, vt vsus exigit præliandi: quorum alterum, cum pugnat, protendit, alterum replicat: vt si ictu aliquo alterius acumen offenderit, acies succedat alterius. Hippopotamis comparatur, & ipsa sanè aquis fluminū gaudet. Indicis taurus color fuluus est, volucris pernicitas, pilus in contrarium versus, hiatus omne quod caput. hi quoq; circumferunt*

* c.55. * Felium.

ferunt cornua flexibilitate qua malint, tergi duritia omne telum respuentes, tam immiti ferocitate, vt capti animas proijciant furore. Manticbora quoque nomine inter hac nascitur, triplici dentium ordine coeũte vicibus alternis, facie hominis, glaucis oculis, sanguineo colore, corpore leonino, cauda veluti scorpionis aculeo spiculata: voce tam sibila, vt imitetur fistularum modulos, tubarumque concentum. Humanas carnes auidissimè affectat. pedibus sic viget, saltu sic potest, vt morari eam nec extentissima spatia possint, nec obstacula latissima Sunt prater ea boues vnicornes & tricornes, solidis vngulis nec bifidis. Sed atrocissimum est Monoceros, monstrum mugitu horrido, equino corpore, elephanti pedibus, cauda suilla, capite ceruino. cornu è media eius fronte protenditur, splendore mirifico, ad lõgitudinem pedum quatuor, ita acutum, vt quicquid impetat, facilè ictu eius perforetur. Viuum non venit in hominum potestatem: & interimi quidem potest, capi non potest. Aqua etiam gignunt miracula non minora. Anguillas ad tricenos pedes longas educat Ganges: quem Statius Sebosus, inter pracipua miracula, ait vermibus abundare, caruleis nomine & colore. Hi bina habent brachia longitudinis cubitorum non minus senûm, adeò robustis viribus, vt elephãtos ad potum ventitantes, mordicus comprehensa ipsorum manu rapiant in profundum. Indica maria balenas habent vltra spatia quatuor iugerum. Sunt & quos Physeteras nuncupant, qui enormes vltrà molem ingentium columnarum, super antennas se nauium extollunt, haustosq; fistulis fluctus ita eructant, vt nimbosa alluuie plerunque deprimant alueos nauigantium.

RHINOCEROTAS ALIT, NON GENERAT) Quæ ergo terra inquies aut regio creat rhinocerotas, si India non generat? Aethiopia opinor, quòd Pausanias in Eliacis & Bœoticis, rhinocerotem taurum Aethiopicum appellet. Nam ita Pausanias. *Vidi etiam Aethiopicos tauros, quos ex re*
p.123. in græco Lat p. 159 al.136. *ipsa rhinocerotas (quasi tu diceres, naricornes) nominant, quod illis è nare extrema cornu prominet, & paullò alterum non sanè magnum in capite nullum prorsus habent.* Sed de hac immani belua pluribus actum commentario ad spectacula Martialis, vbi illos versus * exposuimus,

p.297. al.251. * ep.8.

Prastitit exhibitus tota tibi Casar arena
Qua non promisit pralia Rhinoceros.

Et ad illos:

Sollicitant pauidi dum rhinocerota magistri.

ep.21. Hic pluribus nil opus. effigiem habes apud Gesnerum.

l.1. de quadru.p.60. * p.485. ELEPHANTORVM MAIOR EST VIS) Idem Strabo * per Onesicritũ testatur: *Maiores,* inquit, *Lybicis ac calidiores, cum ipse tum alij perhibent, cum proboscidibus propugnacula deijciant, & arbores radicitus euellant, in posteriores pedes erecti.* Idem Siculus: *Plurimos certè ac pragrandes elephãtos pascuis abundè suppeditatis nutrit. quod etiam facit, vt id genus belua isthic locorum Africanas viribus multò prastent.*
l.8.c.12. *Elephantes fert Aphrica,* inquit Plinius, *vltra Syrticas solitudines, & in Mauritania ferunt Aethiopes & Troglodyta, vt dictum est, sed maximos India, bellantesque cum ijs perpetua discor-*
Plin.l.6. c.22. *dia dracones. Sed Indos elephantes vincunt in insula Taprobane nati Onesicrato teste maiores & bellicosiores.* Curtius communi nomine Indos omnes extra Africam & Aethiopiam natos appellauit. Plura de elephantis ex instituto Plinius l.8 c.1. vsque ad cap.13. Nos etiam ex varijs alijs scriptoribus ad illa Martialis in spect. epigrammata:

Spect.ep. 16.& 18.

Quod pius & supplex elephas te, Casar, adorat,
Qui modò per totam flammus stimulatus arenam
Sustulerat raptas taurus in astra pilas,
Occubuit tandem cornuto ardore petitus,
Dum facilem tolli sic elephanta putat.

Plurima de elephantis Indicis Arrianus lib.8. vbi de venatione & mira illorum docilitate.

l.33.c.4. AVRVM FLVMINA VEHVNT) Plinius de auriferis fluminibus: *Aurum,* inquit, *inuenitur nostro orbe, vt omittamus Indicum, atque à formicis aut gryphibus apud Scythas erutum, Apud nos tribus modis: fluminum ramentis vt in Tago Hispania, Pado Italia, Hebro Thracia, Pactolo Asia, Gange India,*
* Martial. l.10.ep 7. addidisset Plinius * Rheno Germaniæ in Istro Pannoniæ. Sed hic de Indico auro & fontibus &
fluminibus agamus. Plinius vltimo cap. vltimi libri, *Gemmiferi amnes sunt Acesines & Ganges.*
Sic & cornib. aureus receptis. Ctesias antiquissimus scriptor in Indicis apud Photium, scripsit de fonte qui quotannis auro humido impletur, ex quo fonte * centum vrcei fictiles singulis annis hauriuntur: ideoq; fictiles esse
*80000.fl. oportet, quoniam aurum, dum hauritur, concrescit, vt ad ipsum extrahendum frangere vas necesse sit. Fons hic quadratus est, cuius ambitus est sexdecim cubitorum, altitudo vnius vlnę, singuli autẽ vrcei, qui auro pleni hauriũtur, talenti põdus exęquãt. Sed Iarchas rex Indorũ apud Philostratũ negat se quidquã de hoc fonte cognouisse, sicut & de Martichora. Sed negat Ctesias etiã quod Curtius affirmat, in fluminibus reperiri aurũ, vt in Pactolo, sed quod multi & vasti montes illud suppeditent, & gryphes custodiant. Contra Tzetzes p.448. n.375. Tu locum ipse, si libet, vide.

Megasthenes apud Arrianum testatur, aurum apud Indos à formicis quæ magnitudine vulpes superent, erui. Arrianus rem in medio relinquit. Herodotus in Thalia affirmat & copiosè explicat. De gryphibus aurum custodientibus, & ab Indis decipi solitis, etiam Aelianus l.4. c.27. copiosè. De Formicis etiam Strabo, p.485.

Sed redeamus ad flumina aurum vehentia, de his enim Curtius, qui doctorem eius rei

Mega-

Megasthenem apud Strabonem habere potuit, præter eos qui nobis interciderunt: ἐγγύτερω δὲ πίστεως φησὶν ὁ Μεγασθένης ὅτι ἐν ποταμοῖς καταφέρουσι ψῆγμα χρυσοῦ, καὶ ἀπ' αὐτοῦ φόρος ἀπάγοιτο τῷ βασιλεῖ· τοῦτο γὰρ καὶ ἐν Ἰβηρίᾳ συμβαίνει. *Propinquius veritati est quod refert Megasthenes, flumina auri micas deferre, ex quibus regi tributum aduehatur, quod & in Iberia contingit.*

Herodotus in Thalia tribus modis aurum ab Indis doceri vult. vel enim effoditur, vel è fluminibus & montibus hauritur, vel à formicis erutum clam subripitur, eoque modo ait infinitam vim auri ab Indis comparati, è qua regi Persarum aureum vectigal pendebant, trecena sexagena talenta aureorum ramentorum. Quod si Babylonica pecunia ad Euboicum pondus redigatur, fiunt nouies mille quingenaque & quadraginta talenta argenti, quæ in summam redacta ex communi taleto (non Euboico quod maius est) octuagies millies quadringenta triginta sex millia aureorum siue Philippeorum, hoc est, vt vulgus loquitur, octo milliones quadringenta triginta sex millia aureorum siue Philippicorum. Budæum vide de asse. l. 9.

GEMMAS MARGARITASQVE) De gemmarum, lapillorum & margaritarum discrimine disputant iuris prudentes: Et gemmas aiunt esse pellucidas, vt sunt adamantes, chrysolithi, smaragdi, saphiri, amethisti: lapillos opacos & contrariæ gemmis naturæ, vt Obsidiani, Veientani: margaritas concharum partus, vel vt illas Tertullianus appellat, verrucas. S. Hieronymus, rubri maris grana; margaritas ita describit, *Concha sunt, in quibus hoc genus lapidum* * *requiritur, qua certo anni tempore luxuriante conceptu sitiunt rorem velut maritum, cuius desiderio hiant, & cum luxatu maximè liquuntur, aspergines collatione quadam hauriunt humorem concupitum. Sic concipiunt grauidæque fiunt: & de sagina qualitate reddunt habitu vnionem.* Scripsimus super hac re ex Vlpiano & Plinio ad illum Martialis Scazontem: * repetitur

Cui nec lapillos præferas Erythræos. Quibus adde, si placet, ex Petro Iarrico p. 445. vbi docet, quomodo margaritæ è mari in ora piscaria legantur. l. 5. ep. 38.

De margaritarum natura, nobilitate, precio, loco & patria, plurima toto capite Plinius lib. 9. cap. 37. De gemmis verò & lapillis idem toto libro 37. sine extremo. Addam de vnica gemma è Ctesia Cnidio miraculi loco, quæ magnetis vim habet, non vt ferrum, sed gemmas trahat: De *pantarba gemma*, inquit Photius in excerptis (*scripsit Ctesias*) & *quomodo septuaginta septem gemmas & lapides preciosos in flumen proiectos (qua omnia erant cuiusdam Bactriani institoris) pantarba retraxerit inter se coharentes.* Arrianus ex Megasthene docet concham margaritæ marinæ retibus capi solitam. *Versari autem circa eam agmen multarum concharum, velut apum examen. Regem enim suum etiam aut reginam margaritas habere, vt apes; ac si fortè contingat, regem capi, reliquum etiam margaritarum examen celeriter et circumfundi: si verò rex piscatores euadat, ne reliquas quidem conchas capi posse. Earum carnes Indos vbi eas ceperint putrescere finere; osse ad ornatum vti. esse autem margaritas qua contra triplum aurum obrizum, et quæ id quidem in India effossum, veneant.* Cæterum de preciosis lapidibus scripsit antiquissimus poetarum Orpheus nobilem libellum, qui hodieque legitur. p. 174.

VITIORVM COMMERCIVM) Melius hoc, quàm quod vulgò legitur *vicinorum*. Plinium audiemus, nobis accinentē. *Sed quota portio hac est reputantibus purpuras, conchylia margaritas? parum scilicet fuerat in gulas condi maria, nisi manibus, auribus, capite, totoque corpore à fæminis iuxta virisque gestarentur. Quid mari cum vestibus? quid vndis fluctibusque cum vellere? non rectè recipit hac nos rerum natura, nisi nudos. Esto sit tanta vetri cum eo societas, quid tergori? parum est, nisi qua vescimur periculis, etiam vestiamur. adeò per totum corpus animo hominis quasita maximè placent. Principium ergo culmenque omnium rerum pretij, margarita tenent. Indicus maximè has mittit Oceanus, inter illas belluas tales tantasque, quas diximus, per tot maria venientes tā longo terrarum tractu, è tantis solis ardoribus, atque Indi quoque in Insulas petuntur & admodum paucas.* Paullò ante ex Iarrico intellexisti, ad oram piscariam Indiæ margaritarū causa subinde ex varijs terris & gētibus sexaginta millia mercatorum confluere plura toto capite passim sparsa, sed & quotquot apud Græcos olim, & nunc apud Romanos ditiores sunt, maiore adhuc studio emunt margaritam marinā, ita Indorum lingua dictam. l. 9. c. 35.

AESTVANTIS FRETI PVRGAMENTA) Qua fretum per æstum accedit & recedit, relinquit partus sui indicia, conchas, phocas, aliaq; maris monstra. omnia maria plenilunio purgantur, sed paucas margaritas expuunt. Suprà ex Iarrico audisti mare, vbi margaritæ, non altius esse octo vlnis, quære ergo in littore.

PRECIO QVOD LIBIDO CONSTITVIT) Cleopatræ vnio seu margarita aceto macerata & hausta septingentis millibus aureorum fuit æstimata: volebat alteram aceto frangere vt precium duplicaret. hoc est illud immane precium, quod libido margaritis constituit. Plin. l. 9. c. 35.

CORPORA VSQVE PEDES CARBAS. VEL.) Strabo ὡς δ' εἰπεῖν Ἰνδοὺς ἐσθῆτι λευκῇ καὶ σινδόσι λευκαῖς χρῆσθαι καὶ καρπάσοις: Et vt verbo dicam, Indos veste candida & sindonibus & carbasis vti. Et idem suprà: ὑπεναντίως δὲ τῇ ἄλλῃ λιτότητι κοσμοῦνται χρυσοφοροῦσι γὰρ καὶ διαλιθοκόσμῳ χρῶνται σινδόνας τε φοροῦσιν εὐανθεῖς. *Inculti corporis contra nimij sunt. nam & aurum* Strabo 15. p. 494. p. 488.

gestant, & distincto lapillis ornatu vtuntur, & sindonas floridas induunt. Carbasus autem est tenuissimæ & delicatissimæ telæ seu lini genus, multum à poetis celebratum. Ctesias ditissimos lino tegi affirmat.

SOLEIS PEDES) Arrianus in Indicis, *Calceos ex corio albo gestant, eosq; accuratè atque eleganter confectos, ita vt altiores varijsq; coloribus distinctas soleas, quo proceriores esse videantur.* Philostratus calceamenta ex arborum corticibus confecta gestare supra monuit.

CAPITA LINTEIS) Strabo *errantem crinē* alt, *mitra redimire*: suprà iā hoc ex Arriano quoque, *Amiculum*, inquit, *partim humeris, partim capiti circumiectum: quin & barbam fucant, vt alijs Nearcho teste, quàm maximè alba appareat, alijs russa, alijs purpurea, alijs viridu.*

LAPILLI EX AVRIBVS PENDENT) Arrianus inaures ex ebore factas Indis suspēdit, & his locupletiores, quibus vulgus non vtitur, ferunt. Sed de inauribus antiqua res est, vti & de armillis & bracchialibus. Nec apud Indos tantùm, vbi aurum, lapilli & margaritæ nascuntur, sed in omni ferè orbe; de quibus Plinius, l. 9. c. 35. quem videbis.

p. 144. Reges Persarum etiam inaures gestabant: testis Arrianus in VII. qui sepulchro Cyri etiā ἐνώτια siue inaures illatas memorat. Et Procopius de Perosa Persarum rege testatur, μάργαρος, inquit, λευκότητί τε καὶ μεγέθους ὑπερβολῇ ἔντιμος ἐξ ὠτὸς τοῦ δεξιοῦ ἀπεκρέματο. *Margarita candore & magnitudine eximia & preciosa ex auro dextra pendebat. Parthorum quoque id familiare fuisse ex Tertulliano*

p. 40. *Brissonius ostendit. Scrupulosa Deus auribus vulnera intulit, & tanti habuit vexationem operis sui & cruciatus infantia tunc primum dolentis, vt ex illis ad ferrum nati, corporis cicatricibus grana nescio quæ penderent. qua planè Parthi per omnia quaque sua bullarum vice inserunt.*

REGVM TAMEN LVXVRIA) Mirum hoc quod sequitur *super omnium gētium est.* Quanta referuntur de luxu regum, De cultu corporis quem ipse Curtius l. 3. c. 8. in Dario descripsit; de regijs eorum quæ Susis, Ecbatanis, Persepoli Pasargadis, Babylone spectabātur: de aurea domo Persarum Philostrato laudata, de aurea sella, aureo lecto, aureo tabernaculo, aurea platano, aurea vite, aureo tecto ab Apuleio ex Aristotele celebrato. Hæc tamen omnia propè nihil ad Indorū regum magnificentiam, splendorem & maiestatem Curtio videntur, nec Curtio tantùm, Aelianum audi, *In regijs ædibus Indiæ, vbi regum maximus illic regna tenentium ætatem degit, quum alia permulta*

l. 13. p. 180. *& magnam hominum admiratione, & nullam comparationem habent, quibuscum sanè nec Memnonia Susa, neque tota eorum sumptuositas conferri possunt, neq; Ecbatanorum magnificentia cum his in comparatione coniungenda est. etenim illa, Persici fastus vanitas, si cum ijs comparentur, videri possit.* Pori quoque regia laudatur in epistola Alexandri ad Aristotelem, quam tamen spuriam putamus.

CVM REX IN PVBLICO SE CONSPICI PATITVR) Fuere qui nunquam in publicum prodirent, vt Herodotus in Clio de Deioce Medorum rege prolixè narrat: & Diodorus Siculus, de Sabæorum regibus, *Infelix horum conditio est, quatenus nunquam è regia exire illis licet. Si contra egerint, plebs lapidum iactu, iussu veteris oraculi, eos obruit.* Eadem ratio apud Sinas hodie seruatur, nisi quod ab Eunuchis & domesticis adeatur. Apud Indos quatuor ob causas prodibat in publicum, cum bellum vrgeret: cum ius diceret: cum sacrum faceret: cum venaretur: è quibus Curtius tres duntaxat, profert, bellum, venationes, iudicia. De pompa verò & publicis cele-

p. 434. britatibus ex Clitarcho & alijs ita Strabo, *In solennibus pompis multos elephantes mitti auro & argento ornatos, & multas quadrigas, & boum paria, deinde exercitum instructum sequi, & ingentes lebetes deauratos & magnos crateras, & mensas ex Indico ære, & sellas, & pocula, & labra: ferè omnia smaragdis & beryllis & Indicis carbunculis distincta. Item vestem variam auroque intertextam .... & pardalos, & leones mites, & variarum elegantérque canentium auium multitudinem. Clitarchus refert, magnis praditas frondibus arbores in plaustris quaternarum rotarum deportari, & ex eis aues mansuetas excuti, quarum canorissimum dicit Orionem, aspectu pulcherrimum, atque viarum, catreum nomine. specie pauoni persimilem: reliqua verò imaginis pictura ab illo sumenda est.*

LECTICA) non est idem quod sella: In hac sedebant, in illa gestabantur. De hac & supra, & ap. Martialem dictum.

CARBASA QVAE IN D. EST) In singulari Carbasus genere muliebri sæpius: est cum & virili pronunciatur. multitudinis casus neutrius sunt. de carbaso paulò antè dictum.

REGIA COLVMNAS AVREAS HABET) qualis apud Nasonem erat solis:

Regia solis erat sublimibus alta columnis
Clara micante auro, flammasq; imitante pyropo
Cuius ebur nitidum fastigia summa tegebat.

Et quæ sequuntur.

VITIS CAELATA) vt suprà regis Persarum, de quia Brissonius multis l. 1. de reg. Pers.

CVM CAPILL. PECT. ATQVE ORNAT) Strabo etiam strigilibus à tribus perfrictoribus

p. 482. destrictū ait. *Præter exitū*, inquit, *regis ad bellū, alius est cū ad ius dicendū exit, per diē totu audiens, etiāsi hora sit, vt corpus curet: id autē fit strigilū perfrictione: nā simul & audit, & à trib. perfrictorib. perfricatur.*

Lactita.

lactitatum idem apud Romanos in balneis, quod Martialis, Persius, & alij docent: 14. Apoph.

Pergamus has misit, curuo destringere ferro,
Non tam sæpe teret lintea fullo tibi.

Ad quod distichum nos multa in Martialem. Persius Sat. 5.

I puer & strigiles Crispini ad balnea defer.

Sed hoc apud Indos memorabilius, reges non solùm pectinibus & strigilibus destrictos fuisse, sed etiam, quod epistolæ Indicæ docent, humi stratos pedibus proculcatos, donec multus è toto corpore sudor exprimeretur.

PEDES ILLINVNTVR) Hic mos vngendi pedes non apud Indos tantùm, sed Hebræos, Græcos, & Romanos vsurpatus fuit. Magdalena apud S. Lucam vnguento vnxit pedes Christi: apud Romanos in balneis totum etiam corpus, in conuiuijs caput inunctum fuit. Græci in hoc genere singulares fuere: qui etiam singulis partibus corporis singularia adhibebant vnguenta: Athenæum accipe: ὅτι δὲ διὰ σπουδῆς ἦν τοῖς παλαιοτέροις ἡ τῶν μύρων χρῆσις, δῆλον ἐκ τοῦ καὶ ἐπίστασθαι, ποῖόν τι ἑκάστῳ τῶν μελῶν ἡμῶν ἐστὶν ἐπιτήδειον. Ἀντιφάνης γοῦν ἐν τοῖς Θορικίοις ἢ Διορύττοντί φησι. * λοῦτ' αὐτοῦ ἀληθῶς ἀλλά τι ἐν χρυσοκολλήτου δὲ κάλπιδος μύρῳ Αἰγυπτίῳ μὲν τοὺς πόδας καὶ τὰ σκέλη, φοινικίνῳ δὲ τὰς γνάθους καὶ τιτθία, σισυμβρίῳ δὲ τὸν ἕτερον βραχίονα, ἀμαρακίνῳ δὲ τὰς ὀφρῦς, καὶ τὴν κόμην, ἑρπυλλίνῳ δὲ τὸ γόνυ καὶ τὸν αὐχένα. *Antiquos in vnguentorum vsu fuisse curiosos & diligentes, hoc est indicio, quod priuatim vnicuique parti corporis idonea sciebant. Antiphanes in Vinosis, aut Fossore.* c. 7. l. 15 p. 689. E. * Locus in Græco corruptus in alijs exemplaribus omnino desideratur, nec interpres ex fide reddidit.

Lauat is tu aureo quodam solio: vnguento
Aegyptio pedes linit & crura:
Phœnicino buccas & vbera;
Sisymbrino verò vtrumque brachium:
Amaracino supercilium & comam.
Serpyllino ceruicem atque genua.

Apud Plinium M. Otho Neroni monstrauit pedum vestigia vnguentis tingere. Diogenes aliquando vnguentatis pedibus incessit: quòd à capite odor in aerem dissipetur, à pedibus verò in caput rectà feratur. In Aulularia Plauti, Myrobathrarij sunt qui calceamenta muliebria, vt bene olerent, vnguentis imbuebant. Plura de vnguētis & vnctionibus nos ad illud Martialis phaleciū.

Vnguentum fateor bonum dedisti. l. 3. ep. 60.

VENATVS MAXIMVS LABOR EST) Strabo locum hūc nobis explanat, ex quo multa passim Curtius. *Tertio ad venationem, vbi Bacchico more maxima mulierum caterua circumfunditur, stipatores exterius manent; nam via funibus obtexitur: quod si quis interius ad mulieres vsq; accedit, interficitur. Præcedunt regem tympana & tintinabula, cum in locu septu venatur, e solio sagittat, aßistentibus duobus tribúsue mulieribus armatis, cum in locu non clausis venatur, sagittat ab elephante.* l. 17. p. 488.

VIVARIO) Viuarium nunc scriptoribus pro piscina & ἰχθυοτροφεῖον accipitur, nunc pro roborario seu θηριοτροφεῖον, seu loco vbi cerui, leones, vrsi includuntur, vt hoc loco.

INTER VOTA CANTVSQVE PELLICVM) vouent enim seu precantur, vt venatio regi feliciter cedat, ferasque certius & celerius figat.

BINVM CVBITORVM) trium ergo pedum; cubitum enim sesquipedem æquat.

IN HABILI PONDERE) si iaculantis vires sagittarum ponderi respondeant, non videtur inhabile telum: quo maius enim teli pondus, hoc grauius ferit, si ferientem habeat ponderi respōdentem. Sed vbi nulla inter sagittarium & sagittam est symmetria, tum inhabile fit telum, & languidus cassusque ictus. Arrianum alia narrantem audi: *Sagittis*, inquit in Indicis, *vtuntur triū paulò minus cubitorum, nihilq; est, quod non Indici sagittarij telum penetret, non scutum, non thorax, aut aliud armaturæ genus, quantumuis validum.*

PELLICVM LONGVS ORDO) Strabo: *Ex mulieribus, aliæ curribus, aliæ equis, aliæ elephantis vehuntur, quemadmodum & militiæ viri sunt, militant, omni armorū genere instructa.* Hæc Strabo. Persarum quoque regem ad bellum proficiscētem pellices comitabantur, vt supra lib. 3. c. 7. cognouisti.

ELEPHANTI VEHVNT: CVRRVM ET TANT.) verè distinxit locum hunc Acidalius, *Elephanti vehunt*, regem nempè: deinde colon ponendum *vehunt: currum & tantatum*, &c. *auro tegit.*

REGEM MERO SOMNOQVE SOPITVM) diuersa ab his Strabo, *Regis corpus*, inquit, *mulieres curant, eæ quoque de parentibus empta. Qui regem custodiunt, & reliquus exercitus manent extra portas. Si qua mulier regem ebrium occiderit, id præmij habet, vt cum illius successore iungatur: succedunt autem filij. regi interdiu dormire non licet, nocte cogitur subinde per horas mutare, idq; propter insidias.* l. 15. p. 483.

NOCTIVM INVOCANTES DEOS) Hebum, Noctem ipsam quæ priscis inter deas: & nocte natos natasq; Eumenidas, Erinnyes, Parcas, Tenebras, Somnia, Somnū, Mortem, Dolū, Metum, Laborē, Inuidentiam, Senectutem, Fatum, & hoc genus alia monstra. Natalis mytholog. l. 3. c. 12. & præced. & seq. Gyrald. de natura deor. dial. 1. p. 59.

VNVM AGRESTE ET HORRIDVM GENVS EST) Apud Strabonem totam Indorum gentem & populum in septem genera diuidi (dicunt) *quorum philosophi honore antecedunt, numero* Pliniū vide l. 6. c. 19. l. 15. p. 484

Yy 2 verò

Stephanum ego sic intelligo: Brachmanes Indicæ gentis sapientissimi, quos & Brachmas vocant. Hierocles in studiosis historiæ: *post hæc*, inquit, *visum est opera precium genus etiam Brachmanum cognoscere. viros sapientiæ cultores, deumque amicos, & soli potissimum initiatos. Abstinent à carnium esu, deguntq; semper sub puro Ioue, veri amantissimi. Ad cultum corporis adhibent lineam vestem ex petra lapide confectam, filo mollissimo & vellere quæ contexunt: ex quibus etiam sindones conficiuntur quæ nec igne comburuntur, nec aqua lauantur: sed vbi sordibus & maculis inquinata sunt, coniecta in ignem candida & pura pellucidaq; fiunt.*

HORRIDVM GENVS) sanè horridum, quod Plinius & Solinus pœnè iisdem testantur verbis. *Philosophos eorum*, inquit ille, *quos Gymnosophistas vocant, ab exortu ad occasum perstare contuentes solem immobilibus pedibus: ferventibus harenis toto die, alternis pedibus insistere.* Hic: *Philosophos habent Indi (gymnosophistas vocant) qui ab exortu adusque solis occasum contentis oculis orbem candentissimi sideris contuentur, in globo igneo rimantes secreta quædam, arenisque feruentibus perpetem diem alternis pedibus insistunt.* Alia horum horrentia vitæ & victus studia iam ex Suida & aliis didicisti. Et Plutarchus testis velut ἐπίμετρος accedit in t. de Fort. Alexand. *Iam verò quidam illic perhibentur esse solidiori cuidam, atque adeò nudæ adsueti philosophiæ, sancti homines suis legibus viuentes, deo prorsus addicti supra Diogenem etiam frugi. adhuc non egentes, vt qui in diem horamq; viuant, terra ipsis assiduè recentia suppeditante, potuque fluminibus: cubile verò illis strata passim arborum folia, herbaque solum scatens.*

OCCVPARE FATI DIEM PVLCHRVM P.) Atque Megasthenes, vetus apud Strabonem scriptor, contra hos venit, nec omnibus hoc dogma fuisse Brachmanibus tradit. Ita Strabo libro 15. *Megasthenes*, inquit, *nullum philosophis decretum esse de morte sibi consciscenda affirmat: sed temerarios haberi qui hoc in se admittant: ac natura quidem duros in vulnus vel præcipitium ferri: doloris patientes in profundum maris, doloris impatientissimos strangulari, igneos in ignem detrudi, ac talem Calanum fuisse incontinentem sanè hominem, & mensæ Alexandri mancipium. ocpropter hunc vituperari, Mandanim verò summopere laudari, qui omnes Alexandri minas, omniaque munera contemsit, negauitque Iouis filium.*

Alii tamen plerique scriptores Calanum valde celebrarunt, qui simul sapientum cum Alexandro colloquium referunt, quæ passim in Curtio hiante & exeso desiderantur. *Ex gymnosophistis, qui præcipue Sabbam ad defectionem impulerant, & plurimum fatigauerant Macedonas, decem acres ad respondendum & contractos habitos cepit. His quæstiones obscuras posuit, necem denuncians primo, qui parum rectè respondisset, inde ordine reliquis, vnde natu maximum dedit iudicem. Primus interrogatus, Viuosne plures esse, an mortuos censeret, Viuos ait, neque enim iam esse eos, qui mortui sunt. Secundus, Terram, an pelagus grandiores gignere beluas? Terram; quippe huius, inquit, pelagus portio est. Tertius, Quod callidissimum esset, Quod hactenus*, inquit, *homo nō cognouit. Quartus requisitus, Quamobrem Sabbam ad rebellionē concitasset? responsum dedit, Quò honestè viueret, aut * malè periret. Quintus rogatus, Diem an noctem putaret fuisse priorem? Diem ait, vno die. Adiecit autem (cum id rex admiraretur) implicatarum interrogationum necesse esse, vt essent implicatæ responsiones. Ita progrediens sextum percunctatus est, Quemadmodum quis maximè se efficiat charum? Si potentissimus*, inquit ille, *nec formidabilis esset. Ex reliquis alius rogatus, Quemadmodum ex mortali quis deus euadat? Si quid fecerit*, inquit, *quod facere denegatum sit homini. Alius, De vita & morte, vtra valentior? respondit, vitam tā multa tolerantem mala. Postremus quatenus hominem viuere deceat? Eatenus cùm mori, quàm viuere non censeat præstare. Ita tandem versus ad iudicem pronunciare eum iussit sententiam, qui cùm, alium alio, dixisset, segnius respōdisse, Ergò tu*, inquit, *primus moriere, qui ita decernis: Minimè verò, rex*, inquit ille, *nisi tu mentiaris, qui primum dixisti interfecturum te illum qui pessimè respondisset. Hos igitur muneribus honoratos dimisit.* Plura apud Plutarchum de Dandami; & alii, quæ tute otiosus leges. De Calano etiam multa apud Siculum disces, præsertim de morte & rogo, in quem se viuus cum annum ageret tertium supra septuagesimum cōiecit li. 17. p. 573. De eodem Calano & Dandami multa apud Geographum & Arrianum cognosces, quæ breuitatis studio transeo. Prædixit Alexandro Calanus illum Babylone periturum. quod de oraculo etiam M. Tullius de diuinatione & 3. Tuscul. Quæst. Suidas quoque, & Aelianus, qui de certamine Symposiaco ab Alexandro in gratiam Calani instituto narrat l. 2. c. 21. & de eiusdem l. 5. c. 6. Plura etiam Geographus lib. 15. p. 495. & Plutarchus p. 555.

Plutarchus parua edit. p. 589.

* Græcè quidē est κακῶς. sed fortasse rectius καλῶς vt honestè viueret, vel honestè moreretur.

ILLI QVI IN VRBIB. SVB MOR. VIVVNT) Aliud genus sapientum apud Indos, hoc est propè contrarium superiori; quemadmodum enim illi * Hylobii extra vrbes in rupibus, syluis & agris degebant: ita hi in populi frequentia, in vrbibus, & regiis cum multis viuere consuerant. Illi vltrò mortem sibi consciscere pulchrum putabant; hi turpe; illi fortium virorum, occupare fati diē: hi timidi erāt, vt qui mortem, & genus mortis, quod natura vel casus præscripsit, metuebant. qui & ipsis suos suffragatores habebāt, vt supra apud geographū ex Megasthene cognouisti.

SIDERVM MOTVS SPECTARE) Astronomiæ & Astrologiæ addicti, de quibus Naso:

Felices animæ quibus hæc cognoscere cura

Inque domos superas scandere cura fuit.

Sapientes apud Indos se omnia nosse dictitāt, & Deos esse. Philostrat. l. 3. c. 6.

* Sylnicolæ.

Ouid. 1. Fast.

Credibile est illos pariter vitijsq́, locisq́,
Altius humanis exeruisse caput.
Admouêre oculis distantia sidera nostris,
Atheraq́, ingenio supposuêre suo.

FVTVRA PRAEDICERE) Iam suprà ex geographo hoc genus philosophorum laudaulmus, vbi omnem multitudinem Indorum in septem genera distinxit, quorum primi sunt philosophi, qui reliquos honore antecedunt, *numero verò paucißimi sunt*;

De eisdem Nearchus apud Strabonem, qui hoc genus Brachmanum in ciuitatibus versari & reges sequi, & ijs à consilijs esse affirmat. Idem ferè ex Artiano paullò ante didicisti, vbi primum genus Indorū explicat. Idem prorsus Diodorus Siculus altero volum. Biblioth. nec pluribus opus.

Epist. 24. NEC QVEMQVAM ADMOVERE LETHI DIEM CREDVNT) Seneca: *Obiurgat Epicurus non minùs eos, qui mortem concupiscunt, quàm eos qui timent, & ait: Ridiculum est, currere ad mortem tædio vitæ, cum genere vitæ, vt currendum esset ad mortem, effeceris. Item alio loco dicit: Quid tam ridiculum, quam appetere mortem: cum vitam tibi inquietam feceris metu mortis? His adijcias & illud eiusdem notæ licet, tantam hominum imprudentiam esse, imò dementiam, vt quidam timore mortis cogantur ad mortem. Quicquid horum tractaueris, confirmabis animum, vel ad mortis, vel ad vitæ patientiam. in vtrumque monendi ac firmandi sumus, & ne nimis amemus vitam, & ne nimis oderimus etiam cum ratio suadet finire, non temere, nec cum procursu capiendus est impetus. Vir fortis ac sapiens non fugere debet è vita, sed exire. Et ante omnia ille quoque vitetur affectus, qui multos occupauit libido moriendi. Est enim, mi Lucili, vt ad alia, sic etiam ad moriendum inconsulta animi inclinatio, quæ sæpe generosos atque acerrimæ indolis viros corripit, sæpè ignauos iacentesq́, illi contemnunt vitam, hi grauantur. quosdam subit eadem faciendi videndique satietas, & vitæ non odium, sed fastidium.*

Atque hæc quidem Seneca in epistola, in qua tamen paullò suprà contrarium laudarat: adeò atrum & album, frigidum & calidum ex eodem ore & manu.

Martialis de Deciani Stoici dogmate huc facit:

L. 1. ep. 8. *Quòd magni Thrasea consummatiq́, Catonis*
Dogmata sic sequeris, saluus vt esse velis,
Pectore nec nudo strictos incurris in enses,
Quod fecisse velim te, Deciane facis.
Nolo virum, facili redimit qui sanguine famam:
Hunc volo, laudari qui sine morte potest.

Et idem in Fannium:

L. 2. ep. 80. *Hostem cum fugeret, se Fannius ipse peremit,*
Hic rogo non furor est, ne moriare mori?

Ad prius epigramma nos multa, quæ huc faciunt, quæ tu illinc potes petere.

ARBORES MAXIMÆ) In pseudoepistola Alexandri ad Aristotelem ex India scripta mira fabulatum monstra de arboribus Solis & Lunæ, deque oraculis Alexandro ab arboribus editis traduntur, quo fato sit perfuncturus, quo mater & sorores. Est & apud Philostratum vlmus iussu Thespesionis gymnosophistæ Aegyptij loquax. perinde enim est Acherunteo Ioui siue per arbores & truncos, siue per alia ferarum aut prodigiorum monstra generi humano illudat. De arboribus etiam Alexander Neapol. & Cælius Rhodiginius ab Indis cultis referunt, sed vnius Curtij testimonio nituntur. Coluerunt & Iouem Pluuium, & Gangem fluuium, & Indigetes, & quicquid denique colunt, pro Deo habent. Solem tamen Brachmanas potissimum inter deos, vt ex Philostrati Apollonio ostenditur, coluêre.

MENSES IN QVINOS DENOS DESC. DIES) quindecim ergo diebus finiunt mensem, & hoc, cum luna quindecim diebus crescit, & totidem decrescit. Incipiunt autem, cùm se post silentium, rursus ostendit in nouilunio, & rursus antequam ad silentium redeat.

BREVIORES HABENT MENSES) dimidiatos nempe & quindecim tantum diebus circumscriptos, ita vt viceni quaterni menses efficiāt annum, quod perinde est, ac si menses haberent 12. triginta dierum, qui continent dies 360. quibus tamen quinque cum suis horis adijciunt, vt annus solaris compleatur. Et hoc est quod dicit Curtius illos anni spacia plena seruare, quamuis tempora sua lunæ ordine metiantur. Disputat quidem emendator temporum de anno Indico, sed non nisi ab vsque Iulio Cæsare incipit, priorum temporum rationem non habet.

Glareanus: *Mirum*, inquit, *hoc authorem tradere ausum: Cum illa in cornua curuare, aquè certo tempore fiat atque orbis impletio. nec mensis ob hoc fit breuior. Quanquam sensus esse potest, eos mensis initium sumere non à plenilunio, sed à nouilunio: & breuiores menses intelligi respectu solarium mensium.*

Sed miror ego Glareanum hoc ausum scribere, & breuiores menses respectu solarium intelligendos, cum Curtius disertè dicat, solitos Indos mensem in quinos denos dies describere, qui nec lunaribus respondent; vt qui apud veteres triginta dies continuerint.

MVLTA ALIA) quæ iam suprà adiecimus in septem generibus hominum explicatis.

CAPVT

CAPVT XVIII.

ARGVMENTVM.

Indiam partim deditione, partim vi & armis occupat.



Gitur Alexandro fines Indiæ ingresso gentium suarum reguli occurrerunt, imperata facturi: illum tertium Ioue genitum ad ipsos peruenisse memorantes, Patrem Liberum, atque Herculem fama cognitos esse: ipsum coram adesse cernique. Rex benignè exceptos sequi iussit ijsdem itinerum ducibus vsurus. Ceterum cum amplius nemo occurreret, Hephæstionem & Perdiccam cū copiarum parte præmisit ad subigendos qui auersarentur imperium: iussitque ad flumen Indum procedere, & nauigia facere, quis in vlteriora transportari posset exercitus Illi, quia plura flumina superanda erant, sic iunxere naues, vt soluta plaustris vehi possent, rursusque coniungi. Post, se Cratero cum phalange iusso sequi, equitatum ac leuem armaturam eduxit, eosque qui occurrerunt, leui prælio in vrbem proximam compulit. Iam superuenerat Craterus. Itaque vt principio terrorem incuteret genti, nondum arma Macedonum expertæ, præcepit ne cui parceretur, munimentis vrbis quam obsidebat, incensis. Ceterum dum obequitabat mœnibus, sagitta ictus est. Cepit tamen oppidum, & omnibus incolis eius trucidatis, etiam in tecta sæuitum est.

Fines Indiae ingresso)Si verè propriéque de India loquamur, Alexander nondum fines Indiæ ex mente aliorum scriptorum attigerat: cùm enim Curtius hoc loco agat de regionibus cis Indum, occidentem versus sitas & India, vt supra demonstratum est, sita sit intra Indum & Gangem, sicut Mesopotamia inter Euphratem & Tigrim, & vetus Germania inter Danubium & Rhenum; non potuit fines Indiæ fuisse ingressus Alexander, cum India trans Indum incipiat, vt Arrianus docet. p.169.l.8.

Curtius Indicæ gentis nomine eas etiam gentes complectitur, quæ cis Indum sedes habent, vt sunt Astaceni, Assaceni, Nisæi, Peucelaotæ, Turæi. Idem geographus in 15. docet Indum fuisse limitem Indiæ, sed addit post ab Alexandro etiam ea quæ cis Indum sunt, Indis accensa. ipso princip. de rebus Indicis.

Gentivm svarvm regvli occvrrervnt) Et inter hos Omphis qui postea Taxilis est dictus. Arrianus in iv. *Inde Nicæam profectus, sacro Palladi facto ad Cophenem amnem processit, & caduceatore præmisso Taxilem Acuphim ac cæteros qui trans amnem incolebant, obuiam sibi progredi iussit. Et Taxiles quidem reliquique præsides obuiam venerunt, dona quæ apud Indos censentur amplissima offerentes.* Sed de Taxili noster infrà c.22. quem Diodorus trans Indum regnasse credidit.

Illvm tertivm iove genitvm ad ipsos pervenisse) Bacchum ex Ioue & Semele natum, Herculem, (de qua re mox infrà copiosius,) Ioue & Alcmena, Alexandrum Ioue Ammone & Olympiade. De prioribus, omnes poetarum fabulę garriunt, quas apud Phurnutum, Palæphatum, Gyraldum, Natalem Comitem & sexcentos alios leges. De Alexandro dictum ante in prolusionibus: & lib.3.

Nemo amplivs occvrreret) Nec Assaceni, nec Astaceni, nec Nysæi legatos miserant vel occurrerant.

Hephaestionem et Perdiccam)principes amicorum, de quibus sæpe supra; & infrà sæpius, vti & de Cratero. Arrianus: *Ibi exercitu diuiso Hephæstionem & Perdiccam in Peucelaotidem regionem mittit*, & quæ ibi sequuntur.

Plvrima flvmina) cis & trans Indum currentia, quorum pleraque nomina superiori capite ex Arriano expressi. & tota India plena est fluminibus.

Solvtae)quod in ratibus facillimum, quæ & ipsæ naues dicuntur: ægrius veræ naues soluuntur & compinguntur.

In vrbem proximam) Arrianus in iv. plenius hanc obsidionem explicat, *Ipse sumpto secum equitatu vniuerso & Macedonum peditibus IↃ CCC scuta pedestria gestantibus in equos imposi-* p.93.f.

tis, summa celeritate contendit, quòd barbari eius regionis in montes confugisse nunciarentur, & in vrbes muniti ores ad repugnandum sese recepisse. quarum vrbium primam in ipso itinere sitam adortus, oppidanos pro mœnibus instructa acie stantes, primo impetu vt potuit repressos intra portas reiecit: ipse verò telo per thoracem ictus vulnus in humero accepit. Leuius tamen id fuit, quod thorax quo minus telum altius in humerum penetraret, obstiterit. Ptolemeus etiã Lagi F. & Leonnatus vulnerati. Tum Alexander, qua parte commodior ad oppugnandum murus videbatur, ad vrbem castra locat, posteroque die sub lucem (duplici enim muro cincta vrbs erat) exteriorem, qui minus firmus erat, Macedones paruo negotio aliquandiu restitere. Postquam verò admotis scalis propugnatores omni ex parte telis peterentur, neque diutius sustinere possent, protinus eruptione per portas facta, in montes sese proripiunt. quos insecuti Macedones, non paucos in fuga cadunt. quotquot autem viui in potestatem venerunt, eos etiam animis ob Alexandri vulnus ira inflammatis, omnes interficiunt. multi eorum in montes non procul ab vrbe dissitos euaserunt.

IN TECTA SAEVITVM EST) Solo æquatam dicit Arrianus vrbem.

CAPVT XIX.

ARGVMENTVM.

Nysæ à Baccho conditæ descriptio, oppugnatio, deditio. Exercitus operatur Libero, & Bacchanalia viuit.

IN de domita ignobili gente, ad Nysam vrbem peruenit. Forte castris ante ipsa mœnia in siluestri loco positis, nocturnum frigus vehementius quàm alias horrore corpora affecit. opportunumque remedium ignis oblatum est: cæsis quippe siluis flammam exeitauerunt, quæ igni alita, oppidanorum sepulchra comprehendit. Vetusta cedro facta erant, conceptumque ignem latè fudere, donec omnia solo æquata sunt. Et ex vrbe primum canum latratus, deinde etiam hominum fremitus auditus est. tum & oppidani hostem, & Macedones ad vrbem ipsos venisse cognoscunt. Iamque rex eduxerat copias, & mœnia obsidebat, cum hostium qui discrimen tentauerant, obruti telis sunt. Aliis ergo deditionem, aliis pugnam experiri placebat; quorum dubitatione comperta, circumsideri tantum eos, abstineri cædib. iussit: tandem & obsidionis malis fatigati dedidere se. A Libero patre conditos se esse dicebant, & vera hæc origo erat. Sita est sub radicibus montis quem Meron incolæ appellabant: Inde Græcs mentiendi traxere licentiam, Iouis femine Liberum patrem esse celatum. Rex situ montis cognito ex incolis, cum toto exercitu præmissis commeatibus verticem eius ascendit. multa hedera vitisque toto gignitur monte; multæ perennes aquæ manant. pomorum quoque varii salubresque luci sunt, suâ sponte fortuitorum seminum fruges humo nutriente: lauri, baccæ, & multa in illis rupib. agrestis est silua. Credo equidem non diuino instinctu, sed lasciuia esse prouectos, vt passim hederæ ac vitium folia decerperent, redimitique fronde toto nemore similes bacchantibus vagarẽtur. Vocibus ergò tot millium præsidẽ nemoris eius deũ adorantium iuga montis collesque resonabant, cum orta licentia à paucis (vt ferè fit) in omnes se repente vulgasset: quippe velut in media pace per herbas aggestamque frondem prostrauerant corpora. Et rex fortuitam licentiam non auersatus, large ad epulas omnibus præbitis, per dies decem Libero patri operatum habuit exercitum. Quis neget eximiam quoque gloriam sæpius fortunæ, quàm virtutis esse beneficium? quippe ne epulantes quidem & sopitos mero aggredi ausus est hostis, haud secus bacchantiũ vlulantiũque fremitu perterritus, quàm si prælantium clamor esset auditus. Eadẽ felicitas ab Oceano reuertentes temulentos commessantesque protexit.

IGNOBILI GENTE) De regia sede huius gentis Mazagis seu Massagis, infrà cap. 20. plenius tractabitur.

AD NYSAM VRBEM PERVENIT) huic cognomines vrbes apud Stephanum decem lego; primam omnium In Helicone, alteram in Thracia, tertiam in Caria, IV. in Arabia, V. in Aegypto, VI. in Naxo, VII. apud Indos, VIII. in Caucaso monte, IX. in Libya, X. in Eubœa, vbi vno eodemque die vitem aiunt florere & vuam excoquere. Multa super eadem Nyssa Eustathius ad Dionysium Periegeten.

Nysa non solùm cis Gangem, sed etiam cis Indum ad Cophenem fluuium sita fuit. Arrianum lib. 8. lege, vt Glareano non fuerit dubitandum. Nysam appellatam Bacchus omnium scriptorum auctoritate condidit (vno reclamante Goropio, qui Noachi opus affirmat (quem tamen & ipse Bacchum interpretatur) aliamque nominis originationem excogitat, vt mox ostendam) dictam à Nysa seu Nyssa Bacchi nutrice, vel insula Nysa, vel monte Nysa, Arrianus lib. 8. de reb. Indicis, *Nysæi verò Indorum gens non sunt, sed ex ijs originem ducunt, qui olim cum Libero patre in Indiam venerant, Græcis fortasse, qui in bellis quæ Dionysius cum Indis gessit inutiles bello facti fuerant. Fortassis autem etiam indigenas voluntarios in eandem cum Græcis coloniam deduxit, regionemque Nysæam à monte Nysa vocauit, vrbemque ipsam Nysam.* in qua educatus est Bacchus, quam Siculus in Arabia sitam ait, vel inter Phœnicem & Nilum, vt Homerus canit. Inde Bacchum, Dionysum seu Dionysium, à Ioue, cuius filius erat, & Nysam insulam dictam affirmat in tertio bibliothecæ; vbi tres Bacchos facit, & res illorum gestas recenset. hanc verò Nysam in India situm oppidum esse à Dionysio seu Baccho conditum. Sed Goropij etymon videamus, qui in Indoscythicis, *Huic*, inquit (Noachum intelligit) *Nysa originem acceptam fert, nomen sortita in eadem lingua, à libando reuerenterque degustando: quo monemur vinum non esse affatim ingurgitandum, sed veluti sacrum quendam & cælestem potum, modicè bibendum.* Nütsen *enim siue* Nüttere, *nihil aliud est, quàm cum reuerentia quadam sobriè degustare. Primogenium est* Nott, *id est necessarium, à quo* Nut, *id est vtile & conueniens;* Nütten *igitur nil aliud est quàm sumere aliquid eo modo, vt necessitatem vtilitatemque natura non egrediamur. Sed Græci Tau in* Nütsen *exciderunt, quod concursus Tau cum sigma non ferè sit in vsu: Sed duæ hæ literæ in Zeta transeunt, vel prior eliditur, vti hic videmus. Non sine magna ratione ciuitati id nominis datum, posteaquam ipse inuentor modum in sumendo vino egressus, ludibrium se filio suo fecisset. Debemus itaque libare potius quàm bibere, eo quòd alio modo sumtum nullam adferat vtilitatem, imò contra noxium sit & exitiale venenum. In sacrosancta cœna, in qua Corporis & sang. Christi conuiuium agimus, dicimus vernacula nostra lingua* Nütßen *vel* Nutten *i. sobriè, & cum reuerentia ad vtilitatem nostram & necessitatem sumere. Quæ vox igitur potius populo illi danda fuisset, in quo tam largo cornu, vinum Genius infundebat, vt nihil æquè fuerit verendum, quàm vt omnes perinde atque Liber, vltra sumerent, quàm vel vtilitas, vel necessitas postularet.* p. 520. nüßen nos Germani superiores.

Obserua Lector Goropium Belgica lingua duplici tt. pro duplici SS. dixisse Belgarum more, nütten, pro quo Germani dicunt nüssen seu niesen, id est sumere cibum : perinde enim se habet Belgica lingua ad Germanicam, sicut Attica ad communem Græcam; vbi enim Græci dicunt θάλασσα, Attici dicunt θάλαττα, vulgares γλῶσσα, Attici γλῶττα, πράσσω, & πράττω, & sexcenta alia. Nύσα autem dicunt Græcia communi lingua, Latini simplici litera Nysa: Vnde Nysæa & Nysæa regio. Bacchum autem Goropius, vt supra etiam docui, Noam interpretatur, vitis colendæ & vini exprimendi repertorem, quod minimè improbabile est, quando mythologi totas de Baccho fabulas ad viti sationem & cultum trahunt & exponunt.

CASTRIS ANTE IPSA MAENIA POSITIS) Non eodem modo Plutarchus, Arrianus, & Siculus hanc obsidionem & oppugnationem describunt. Plutarchus narrat detrectasse Macedonas oppugnationem propter fluminis, qui vrbem alluit, altitudinem.

Copiosius hæc Arrianus, qui negat expectasse Nysæos oppugnationem, sed sub primum statim Alexandri accessum ad Nysam misisse legatos ad dedendam vrbem; pulchra est legati Acuphis oratio & colloquium cum Alexandro, quod Arrianus l. 5. repræsentat.

Cæterum, Quod Arrianus de Acuphi Alexandri aspectu territum procidisse tradit, fieri etiã inde potuit, quod Eustathius ad Homerum prodidit, ex Alexandri dimicantis armis tantum fulgorem emicuisse, vt barbari apud Indos putauerint ignem aut spectrum aliquod Alexandri corpus præcedere: Eustathij verba ad illa Homeri de Diomedis galea & scuto sunt hæc. p. 512. & 513

Δαῖέ οἱ ἐκ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ
Ἀστέρ' ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον, ὅς τε μάλιστα
Λαμπρὸν παμφαίνῃσι λελουμένος ὠκεανοῖο.
Τοῖόν οἱ πῦρ δαῖεν ἀπὸ κρατός τε, καὶ ὤμων.

Hæc sunt : κατὰ καὶ ἐπὶ τοῦ μεγάλου Ἀλεξάνδρου συνέπεσε. κινδυνεύων γὰρ ἐκεῖνός ποτε ἐν Ἰνδοῖς ἐξέλαμψε τοῖς ὅπλοις κατὰ τὴν ἱστορίαν. οἱ δὲ βάρβαροι, σέλας ἢ καὶ φάσμα πρὸ τοῦ σώματος ἔδοξαν φέρεσθαι.

Sed Plutarchus id factum refert in oppugnatione Mallorum, cum solus desiliisset in vrbem.

SEPVLCHRA OPIDANORVM) Hoc præter Curtium nemo vel Latinorum, vel Græcorum qui hodie leguntur, quod equidem meminerim, annotauit.

A LIBERO PATRE) à Baccho. Bacchum autem repertorem vini Goropius Noachum fuisse

isse non improbabili ratione confirmat. certè Diodorus in III. & Mythologi totam de Baccho fabulam ad vini sationem cultum & potionem referunt, quæ omnia in Noachum conueniunt.

MERON INCOLAE APPELLANT) Ex verbi notatione docet Curtius Græcos mentiendi licentiam traxisse vt fabularentur Bacchum Iouis femine cælatum & natum esse. Orpheus.

Hymno in Sabazium.

Κλῦθι πάτερ κρόνυ ὑὲ Σαβάζιε κύδιμε Δαῖμον
Ὃ Βάκχον Διόνυσον ἐρίβρομον εἰραφιώτην
Μηρῷ ἐγκατέῤῥαψας, ὅπως τετελεσμένος ἔλθῃ
Τμῶλον εἰς ἠγάθεον ———
Audi magne pater Saturno nate Sabazi.
Qui Bacchum horrisonum Dionysium vt adultus adiret
Frondosum Tmolum femori insita arte fuisti.

l. 9. Dimarchus ait Iouem ex femore Baccho fœtum claudicasse.
De femore & apud Euripidem in Bacchis leges.
Hos imitatus Naso cecinit in lib. 3. transform.

Pontanus hos omisit in 3.

Imperfectus adhuc infans genetricis ab aluo
Eripitur: patrioque tener (si credere dignum est)
Insuitur femori, maternaque tempora complet.

c. 55. Solinus in Meri montis specu nutritum ait Bacchum, atque inde natam fabulam Liberum femine natum. Mela: *Vrbium quas incolunt* Indi *sunt autem plurima, Nysa est clarissima & maxima: montium Meros Ioui sacer. famam hinc præcipuam habent, quod in illa genitum,* l. 3. c. 8. *in huius specu Liberum arbitrantur esse nutritum; vnde Græcis auctoribus vt femori Ioui insutum dicerent, aut materia ingessit aut error.*

l. 6. c. 21. Idem ferè Plinius: *Nec non & Nysam vrbem plerique India adscribunt, montemque Merum Libero patri sacrum. vnde origo fabulæ Iouis femine* (lego femine) *natum.* Plinius correctus.

l. 8. Arrianus: *Mons verò vrbi vicinus, ad cuius radicem sita est Nysa. Merus hoc est femur vocatus ob infortunium, quod illi statim ac natus est accidit.*

l. 3. p. 198. Infortunium Siculus explicat, *Cùm ergo Semele precibus à Ioue extorsisset vt pari se atque Iunonem honore dignaretur, tonitru & fulmine armatus ille accessit, quorum vim cum puella sufferre non posset, exanimata abortum fecit. Infantem verò Iupiter confestim exceptum femori insuit, eumque ad iusti incrementi tempus enixus Nysam Arabiæ deportauit, vbi à Nymphis educatus, à patre simul & loco Dionysi (quod Nysium Iouis filium sonat) nomen adeptus est.*

Goropius alia omnia de etymo montis Meri cogitat, vocemque è Cymbrica seu Scythica, hoc est Germanica lingua deducit, Meer enim *plus* sonat, quod mons ille & dulcissimo succo vitis, & omni genere frugum abundaret, exoptandi modo plures huius modi montes optabat Iacchus seu Noacchus.

l. 15. p. 473 De monte hoc & Macedonibus ibidem debacchantibus, mox è Philostrato plura, Geographus è Sophocle de Nyssa & Mero Baccho sacro.

Ὅθεν κατεῖδον τὴν βεβακχιωμένην
Βροτοῖσι κλεινὴν Νῦσαν ἣν ὁ βούκερως
Ἴακχος αὑτῷ μαῖαν ἡδίστην νέμει
Ὅπου τίς ὄρνις οὐχὶ κλαγγάνει.
Vnde conspiciens bacchatam mortalibus claram Nyssam
Quam corniger Bacchus iucundam sibi nutricem colit,
Vbi ales non clangit.

Dicitur etiam Bacchus in femore insutus eductusque.
Et idem paulò infrà: *Ex his autem Nyssæam gentem quandam nominarunt, & Nyssam vrbem à Baccho conditam, & montem Merum vrbi imminentem, id est femur.*

CAELATVM) fabricatum, creatum, natum. *cælatum* dixit, quod non vt fæmina pepererit Bacchum, sed quasi cælarit & fabricarit.

Cælatum. MVLTA HEDERA) de hac testatur geographus, sed vitem parum laudat *ἀγαλλασάμενοι, καὶ τὸν αὐτόθι κιττὸν καὶ ἄμπελον, οὐδὲ ταύτην τελεσίκαρπον, ἀποῤῥεῖ γὰρ ὁ βότρυς πρὶν περκάσαι διὰ τοὺς ὄμβρους τοὺς ἄδην. argumento hederæ ibi nascentis & vitis quanquam fructum ad maturitatem hæc non perducit, nam racemus priusquam maturescat, defluit, propter imbrium abundantiam.*

Mira de cultu huius montis & templo Bacchi narrat Philostratus, qui montem ipsum Nysam appellat: *Eo flumine superato in continentem venerunt regiæ ditioni subiectam: vbi Nysa mons in altum protenditur, ad summum verticem plantis consitus, veluti in Lydia est Tmolus. Licet autem cuique in ipsum faciliter ascendere, cum sit propter culturam vndequaque peruius. Ascendentibus autem occurrit Bacchi templum, quod plantatis lauris ipsummet Bacchum sibi instruxisse perhibent, tantum soli in gyrum complexum, quantum mediocri templo satis est. Eius autem contegendi causa vites atque edera,*

circum-

circumque lauros complexa, quasi parietum structuram efficerent. In medio autem statuam suam erexit, iam tum coniiciens fore, vt tempore coalescentes arbores locum ipsum contectura essent: quod iam tū ita perfectum erat, vt neque pluuia ingredi, neque intus spirare venti possent. Falces autem, cophinos & torcularia, & cetera vindemiæ instrumenta partim aurea, partim argentea, in templo suspensa Dionysio, vt vindemianti, conspiciuntur. Bacchi verò simulacrum ex albo lapide fabricatum adolescentis Indi effigiem prefert. Quotiescunque autem bacchatur, & Nysam concutit, à subiectis vrbibus, qua vna saliunt, audiri fertur.

Et infrà, vbi de duobus Bacchis disputationem finit, subijcit: *cùm è contrario Thebanus orgia sacra, celebranda illum docuerit, dixeritque se Ioue genitum, in primis femore vsque ad partus maturitatem fuisse gestatum, inueneritque montem Nysæ propinquum, quem coxam seu femur nuncupauit. Nysam verò vt illi tradunt, in honorem Bacchi vitibus consereuerunt homines, qui Thebis vitium semina eò transtulerunt.* Arrianus nusquam in India hederam nisi in Mero nasci affirmat, quem luculenter cum Curtio describit: *Post hæc,* inquit, *Alexandrum cupido cepit visenda illius vrbis, in qua Nysæi monimenta quædam Dionysij esse gloriabantur: adeundi etiam montis Meri cum equitatu amicorum & peditum agmine, vt montem hedera lauroque refertum, lucosque opacos, omnisque ferarum genere abundantes videret. Macedonibus hedera conspectum iucundum fuisse, quam nimirum à multo tempore non vidissent (neque enim Indorum regio hederam fert, ne ibi quidem vbi vites sunt) coronasque ex ea fecisse, & capita redimitos Dionysio hymnos cantasse, varijs eum appellationibus inuocantes: Alexandrum Dionysio sacrificium fecisse, & cum amicis epulatum esse.* p.102.

CREDO EQVIDEM NON DIVINO INSTINCTV) Arrianus ex aliorum quoque sententia Macedones diuino Bacchi numine correptos debacchari cœpisse, auctor est in manibus.

Sed longè diuersa ab his narrat Philostratus, qui negat Alexandrum Nysam ascendisse, quod vereretur, ne vitium aspectu Macedones rerum domesticarum desiderio tangerentur, aut eos vini cupiditas caperet, iam diu aquæ bibendæ assuefactos. Hæc Philostratus testatur se ex vero scribere, quamuis sciret se parum grata alijs dicturum fuisse, sed apud se studium veri præpotuisse. Iustinus tamen cum pluribus sentit, quem lib. 12. p. 122. videbis. c. 4. l. 2. p. 65.

NE EPVL QVIDEM AGGR. AVS. EST HOSTIS) Quia non hostis amplius, sed ingratiam deditione acceptus.

AB OCEANO REVERT.) Hanc bacchantis & triumphantis exercitus ab Oceano redeuntis graphicè describit infrà Curtius l. 9. c. vlt.

QVIS NEGET EXIM.) hunc locum Acidalius mallet ita legi: *gloriam sæpius fortuna beneficium, quàm virtutu esse meritum.* Non reijcit tamen vulgatam, quam & nos retinendam putauimus, quod nil temerè in auctore sit mutandum, nisi manifestum, appareat mendum.

CAPVT XX.

ARGVMENTVM.

Varias vrbes & regiones expugnat: Inter has Mazagas & Cleophen reginam. Rex vulneratus sentit se hominem esse.



Inc ad regionem quæ Dædala vocatur, peruentum est. Deseruerant incolæ sedes, & in auios siluestresque montes confugerant. Ergo Acadera transit, æquè vasta & destituta incolentium fuga. Itaque rationem belli necessitas mutauit. diuisis enim copijs, pluribus simul locis arma ostendit: oppressisque & qui non expectauerant hostem, omni clade perdomiti sunt. Ptolemæus plurimas vrbes, Alexander maximas cepit; rursusque, quas distribuerat copias iunxit superato deinde Choaspe amne, Cœnon in obsidione vrbis opulentæ (Beiram incolæ vocant) reliquit: Ipse ad Mazagas venit nuper Assacano (cuius regnum fuerat) demortuo. regioni vrbique præerat mater eius Cleophes. triginta octo millia peditum tuebantur vrbem, non situ solùm, sed etiam opere munitam. Nam quà spectat Orientem, cingitur amne torrenti, qui præruptis vtrimque ripis aditum ad vrbem impedit. Ab occidente & à Meridie velut de industria rupes prealtas admolita natura est,* * Cleophe

est; Infra quas cauernæ & voragines longa vetustate in altum cauatæ iacent; quaque desinunt, fossa ingentis operis obiecta est. XXX stadia murus vrbem complectitur, cuius inferiora saxo, superiora crudo latere sunt structa. Lateri vinculum lapides sunt, quos interposuere, vt duriori materiæ fragilis incumberet, simulque terra humore diluta, nec tamen vniuersa consideret, interpositæ erant trabes validæ; quibus iniecta tabulata muros & tegebant, & peruios fecerant. Hæc munimenta contemplantem Alexandrum, consiliique incertum (quia nec cauernas nisi aggere poterat implere, nec tormenta aliter muris admouere) quidam è muro sagitta percussit. forte in suram incidit telum, cuius spiculo euulso admouere equum iussit, quo vectus, ne obligato quidem vulnere haud segnius destinata exsequebatur. Ceterùm cum crus saucium penderet, & cruore siccato frigescens vulnus aggrauaret dolorem, dixisse fertur, se quidem Iouis filium dici, sed corporis ægri vitia sentire. Non tamen antè se recepit in castra, quàm cuncta perspexit, & quæ fieri vellet edixit. Ergo sicut imperatum erat, alij extra vrbem tecta moliebantur, ingentemque vim materiæ faciendo aggeri detrahebant: alij arborum magnarum stipites cumulis, ac moles saxorum in cauernas deijciebant. Iamque agger æquauerat summa fastigium terræ. itaque turres erigebantur, quæ opera ingenti militum ardore intra nonum diem absoluta sunt. Ad ea visenda rex nondum obducta vulneri cicatrice processit, laudatisque militibus, admoueri machinas iussit, è quibus ingens vis telorum in propugnatores effusa est. præcipuè rudes talium operum terrebant mobiles turres: tantasque moles nulla ope quæ cerneretur, adiutas, deorum numine agi credebant. Pila quoque muralia, & excussas tormentis prægraues hastas, negabant conuenire mortalibus: itaque desperata vrbis tutela, concessere in arcem. Inde quia nihil obsessis præter deditionem placebat, legati ad regem descenderunt veniam petituri: qua impetrata, regina cum magno nobilium feminarum grege aureis pateris vina libantium processit. ipsa genibus regis paruo filio admoto, non veniam modo, sed etiam pristinæ fortunæ impetrauit decus: quippe appellata regina est, & credidere amplius formæ quàm miserationi datum: puero quoque certè postea ex ea vtcunque genito, Alexandro nomen fuit.

QVAE DAEDALA VOCATVR) Dædala Dædalorum vt Glareanus arbitratur, numero multitudinis gens Dædalorum & regio nostro Curtio Indica. Iustinus Dædalos montes appellat in XII. Ptolemæus lib. VII. Dædala facit ciuitatem Caspiræorum intra Gangem. Stephanus multas huius nominis ciuitates enumerat: Δαίδαλα, inquit, πόλις τῆς Ῥόδου ἢ χωρίον, Στράβων ιδ. ἔστι καὶ ὄρος τῆς Λυκίας τὰ Δαίδαλα. ἡ δὲ πόλις ἀπὸ Δαιδάλου τοῦ Ἰκάρου ἡ ἐν Λυκίᾳ ἐστί, καὶ Ἰνδικῆς, καὶ Κρήτης ἄλλη. *Dædala ciuitas est Rhodi, aut castellum seu regio, vti* Στράβων *in XIV. tradit, est & mons Lyciæ Dædala dictus. ciuitas autem à Dædalo Icari patre in Lycia nomen accepit. est & alia ciuitas in India, & alia in Creta Dædala appellata.* Hæc Stephanus περὶ πόλεων. Hîc ergo ciuitas aut regio est Indiæ cis Indum Curtio: Ptolemæus paullò latius regionem intra Gangem accipit, cui præter Arriani sententiam etiam populos cis Indum adiungit. Dædala autem sub aduentum Alexandri incolæ metu armorum deseruere, & in montes tanquam asilum se recepere.

ACADERA) Modius, Acadira, edit. omnes priores Acadera, etiam MS. Constantiensis; sed æquè obscura sunt Acadira & Acadera, nulli scriptorum præter Curtium laudata.

Quid sit, inquit Glareanus, *Acadera transit, non satis scio: suspicor sanè non esse nomen proprium, sed adiectiuum corruptum: quasi dicat; ergo desolata atque vsta & destituta incolentium fugâ transit.* Modius; *Neutrum*, inquit, *Glareanus probat, sed legit nescio qua confidentia desolata transit atque vsta. quod homini alias muliebriter timido, vnde in mentem venire potuerit, nisi forte musarum ira eo dementia processit, excogitare planè non possum.*

AEQVE VASTA) Acidalium secuti *vasta* pro *vsta* scripsimus, nulla enim vstionis mentio antea facta, sed deserta ab incolis omnia.

Sed de voce Acadira seu Acadera nobis quæstio est, sitne κύριον an ἐπίθετον? proprium esse non dubitamus. præcedunt enim & sequuntur alia æquè propria; & ostendit vox *æque* ac si diceret: Acadera æquè ac Dædala deserta & vasta transijt. Sita sunt Acadera inter Mazages & Dædala regiones adhuc cis Indum sitas.

RATIONEM BELLI, NECESSITAS MVTAVIT) Quia hostes non vno loco, & vrbe, & regione sparsi erant, opus fuit, diuidere exercitum ad sparsos vndique persequendos.

PTOLEMAEVS PLVRIMAS VRBES ALEXAND. MAX. CEPIT) quinquies mille vrbes India numerat. Sed hæc omnia de Alexandro & Ptolemæo Arrianus in extremo quarto exponit, vbi multa & præclara Ptolemæi & Alexandri facinora prædicat. & inter oppida expugnata vel occupata recenset Andaca Euaspla seu Euaspolim, Massaga Baziram, Oram, Orobatim, Dirtam,

Aornum

Aornum petramè quibus infrà nonnullas etiam Curtius memorat, vt Mazagas, quas easdem cũ Massagis credimus, sicut & Aornum.

BEIRAM) Arriani Baziram, Noram, * Ecbolima & alia. Et hoc est quod sequenti capite Curtius ponit multa ignobilia opida deserta ab incolis venisse in regis potestatem, quod ijsdem propè verbis Arrianus scripsit: *Multa præterea ignobilia opida ad Indum sita subegit.* Diodorus etiam; *complures alias vrbes expugnauit: & opponere se ausos interemit.*

* Arrian nõ procul Aorno Massaga Assacenorum maxima vrb. p. 96.

CHOASPE AMNE) Laudatus hic amnis & ex alijs descriptus est l. 5. c. 7. vbi de delicata eius aqua è Periegete, Strabone, & alijs dictum: vt non sit opus hic pluribus. Aelianum tamen videbis lib. 12. c. 40. de commeatu Xerxis.

BEIRAM INCOLAE VOCANT) editiones vetustiores Beziram habent: Arrianus Baziram appellat, ex quo discas verius Baziram vel Beziram, quàm Beiram dici: Eandem autem vrbé esse ex eo constat, quod Arrianus eundem Cœnum ad eam oppugnandam missum & relictum, cum Curtio tradit. Alia est regio Bazaria in Sogdianis de qua suprà c. 2. Sed quis euentus obsessæ Bazirae seu Beiræ fuerit, Curtius in medio relinquit. Arrianus ergo sit Curtij interpres. *Exinde,* p. 97. inquit, *Cœnum Baziram mittit, ratus opidanos, Assacenorum expugnatione audita deditionem facturos, Attalum verò & Acetam ac Demetrium equitatus præfectum ad Oram oppidum mittit, vtq. vrbem muro in orbem ducto intercludant, tantisper dum ipse aduenerit, iubet. Oppidani in Alcetam excursionem faciunt, quos Macedones facilè repulsos atq. in vrbem reiectos muris clauserunt. At Cœno Bazirensium obsidio non statim ex sententia successit. siquidem opidani loci munitione freti (erat enim vrbs excelso loco sita, & valido muro omni ex parte cincta) nullam deditionis significationem edebant. Quo cognito, Alexander confestim eò mouit, cumq. accepisset nonnullos barbarorum finitimorum in Oram clam se immissuros, ab Abissaro ad id missos, Cœnum apud Bazira munitam arcem extruere, præsidioq. in ea relicto, quod opidanis agri vsum impedire posset, reliquum exercitum ad se ducere iubet. Bazirenses Cœnum cum maxima copiarum parte discessisse conspicati, contemta Macedonum, qui relicti erant paucitate, in planitiem excurrunt, acrisque inter eos conflictus fit: quingentis barbaris ea pugna cæsis, viuis supra LXX. captis: reliqui in vrbem repulsi acrius deinceps ab excursione in agrum ab ijs qui in arce, ex aduerso murorum extructa, erant, arcebantur. Neque verò laboriosa Alexandro Oreorum obsidio fuit. primo enim impetu vrbem expugnauit, elephantis, quos ibi reperit, captis. Bazirenses Oreorum expugnatione audita, viribus suis diffisi, sub media nocte deserta vrbe in petram confugiunt, quod & reliqui barbari imitati sunt. Omnes enim deserto opido in petram sese receperunt, quam Aornon vocant.*

IPSE AD MAZAGAS VENIT) Massaga Arrianus appellat, Massaca Siculus, Μασόγα Strabo. maximam Assacenorum seu Assacanorum seu Massacanorum vrbem.

MATER EIVS CLEOPHES) Iustinus Cleofis: Arrianus nomen reginæ non exprimit. Diodorus an expresserit non constat, pars enim huius capitis desideratur.

TRIGINTA OCTO MILLIA) è quibus ex Indis conducti erant septem millia fortissimorum propugnatorum, vt auctor est Arrianus: reliqui opidani.

NON SITV SOLVM) Nemo tam accuratè huius vrbis situm, munitiones, naturæ & artis propugnacula, muros, fundaméta mœnium, torrentem qui vrbem alluit, altissimas eius ripas, fossas, & alia, quæ vrbem firmiorem faciunt, quàm Curtius describit. Ab Oriente ait munitam amne torrentis instar deuoluti & vrbem cingente: à contraria plaga & meridie rupibus: à septentrione altissima fossa. Alexander quatuor diebus vrbem oppugnauit, vt Arriano placet: nouem Curtio. Sed intelligo Curtium de machinis loqui & aggere, nouem diebus aggesto, quatuor inde diebus oppugnatam. ibique vulnus accepit, ex quo se hominem agnouit.

TRIGINTA QVINQVE STADIA) milliare germanicum, & passus 375.

ADMOLITA NATVRA EST) hoc quidem eleganter Curtius: sed reapse ars vrbem rupibus admouit, & admolita est, non natura rupes vrbi.

SIMVLQVE TERRA HVMORE DILVTA) Lateres, inquit, & terra humore diluta à lapidibus interiectis firmabantur, ne dissiparentur, sed veluti vinculo constringerentur. Ac ne tempestatibus & imbribus infirmior ars & terra dilueretur, aut omnino subsiderent, interpositæ validiores trabes erant, quæ superiniecta tabulata fultinebãt, à quibus fragilior muri pars defendebatur, & sub quibus vltro citroque commeari poterat. Locum ergo hunc Curtij interpunge, non vt à Modio distinctus est, sed vti demum obseruaui cum explanare inciperem. Lateri vinculũ lapides sunt, quos interposuere vt duriori materiæ fragilis incumberet, simulque terra humore diluta, ne tamen vniuersa consideret, interpositæ erant trabes, & quæ sequuntur. Ita Coloniensis apud Allobroges editio, etiam hunc locum interpunctum præfert.

IN SVRAM INCIDIT) Sura pars tibiæ posterior & carnolior, quam ventrem tibiæ Hippocratis alumni vocitant.

NE OBLIGATO QVIDEM VVLNERE) En inuictum regis animum, & vulnus & dolorem quàm diu potuit dissimulantis.

CORPORIS AEGRI VITIA SENTIRE) se corpus mortale trahere, & vulneris dolores persentiscere. Arrianus tamen calcem pedis leuiter sagitta perstrictum ait: in Græco est ἐτρώθη τοξεύματι ἀπὸ τοῦ τείχους ἐς τὸ σφυρὸν οὐ χαλεπῶς *sagitta è muro ictus in talo seu malleolo pedis, non grauiter.* Sed

 Plu-

Plutarchus ingenti dolore cruciatū ait, simulq́; per iocum festiuè fuisse ex Homero: ὕστερον δὲ πληγῇ περιπεσὼν ὑπὸ τοξεύματος καὶ περιαλγὴς γενόμενος τοῦτο μὲν εἶπεν, ὦ φίλοι τὸ ῥέον, αἷμα, καὶ οὐκ ἰχώρ.

— οἷός πέρ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσι

Postea sagitta ictus, atque ingenti pressus dolore; Hic inquit, amici, qui fluit sanguis est (humanus) nō talis — dijs vt solitus manare beatis

Versus hic Homericus est in 5. Iliad. vbi Poeta Venerem canit à Diomede vulneratam,

— ῥεῖ δ' ἄμβροτον αἷμα θεοῖο
ἰχὼρ οἷός πέρ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσι

Idem Plutarchus in II. de Fort. Alex. adducit eundem Homeri locum, vbi de eodem vulnere Alexandri apud Assacanos accepto loquitur.

INGENTEM VIM MATERIAE) Materia de arbore & lignis dicitur, vnde & materiarij opifices Zimmerleüt/ subinde tamen latiùs verbi vis accipitur, vt paullò antè duriorem materiam lapides dixit.

NVLLA OPE QVAE CERNERETVR) quia rotis impositæ turres ab ijs, qui intra turres latebant, mouebantur.

p. 32. DEORVM NVMINE AGI CREDEBANT) Ita Indi Mosambicani balistis Lusitanorum territi infestum ad se numen venisse arbitrati sunt. Maffeius rem eleganter narrat. *Nondum, inquit, apparuerant gentibus ijs noua subtilitatis & operis admirandi ballistæ, oblongum in tubum & æqualiter teretem ex ære fusili figuratæ: quæ non funibus aut neruis intentæ singula mittunt spicula, sed inexcogitata priscis ratione ad applicitos tenui ab tergo foramine igniculos, cum incremento multiplici rapiendos, certo primùm nitrati ac sulphurei pulueris modulo temperata, infertos dein ore patēte ferreos ex arte globos, catenasq́; & alia obturamenta, fulminum instar flammis eluctantibus cum horrendo fragore contorquēt. Eiusmodi tormenta complura Lusitanus de more disposita & collibrata ad nauium fenestellas habebat: sed ab ijs exercendis, ne perterritos metu incolas abalienaret ab se, consultò abstinuerat. Verùm vbi fraudē ac vim, & suos pænè circumuentos animaduertit; indignatione commotus, extemplo disploderent, magistris edixit. Illi sine mora exequuntur imperium, ac primò videlicet fumus ater, & fumo intermicantia fulgura, & crebra tonitrua cælo sereno, attonitos defixosq́; rei nouitate barbaros tenuere. At vbi ante pedes prætoris ipsius, momento laceri & exanimes quatuor simul viri conspecti sunt, enimuerò tum, quasi haud dubiè infenso infestoq́; numine, correpti vndique ac pænè depressi turba nauigijs, lymphati amentesq́; in proximam continentem ex insula sese cuncti proripiunt.*

l. 6. frag. PILA MVRALIA ET PRAEGRAVES HASTAS) Pili telum, inquit Polybius, lignum habet plerunq; bicubitale, crassitudine bicubitali, spiculum vnius spithamæ, palmi inquam maioris, eo vsque attenuatum & acutum, vt mox primum post iactum necessario flectatur, sitque inhabile ad remittendum, alioqui commune fieret telum. Stevvechium lege ad primū Vegetij c. 20. De eod. copiosissimè Lips. de milit. Rom. l. 3. dial. 4. disputauit. Sed pila Curtiana ab his diuersa, quia muralia; quod vel ex muris in oppugnantes vel ab oppugnantibus in obsessos de turribus iacerentur, formam eandem reor fuisse, cum ijs quæ manu vibrabantur in acie, sed muralia maiora. de quibus Cæsar lib. de bello Gallico VII. an tormentis excussa in hostem, quales ferratas omnes missas canit Silius in 1.

Phoceis effundit vastos ballista molares,
Atque eadem ingentis mutato pondere teli
Ferratam excutiens ornum media agmina rumpit.

Non reor; Cæsar enim Gallos à Romanis ad Alesiumè vallis & turribus pilis muralibus traiectos narrat, quod Græcus Cæsaris interpres dixit: ἡ καὶ ἐκ τοῦ ἐρύματος καὶ τῶν πυργῶν ξυστοῖς διαπειρόμενοι. pila muralia vno verbo ξυστοῖς expressit. ξυστὸν Suidas interpretatur δορύλλιον, ἀκόντιον, καὶ τὸ τέλειον δόρυ, hastulam, iaculum, hastam. Polybius pilum ὑσσὸν appellat, quod alij verutum, alij pilum vertunt De pilo murali quod mireris, altum apud omnes silentium, cum tamen & Cæsar, & Curtius pila muralia dixisse videntur, vt à pilis legionarijs pila muralia distinguerent. Manu iacta è vallis non maiora, sed fortasse etiam minora fuere; è tormentis haud dubiè maiora, si tamen vlla, vel scorpionibus, vel balistis, vel catapultis excussa: vt de hastis nulla est dubitatio, sed pilum hasta propriè non est.

LEGATI AD REGEM DESCENDERVNT) Hanc totam obsidionem expugnationem Mazagarum aliter atque aliter referunt Græci rerum scriptores: Diodorus qui ex alta lacuna hîc rursū emersus persequitur historiam, Plutarchus in Alexandro, Arrianus, & è Latinis Iustinus. Siculus rem hic perfidè gestam ab Alexādro memorat, & inustam gloriæ ipsius notam etiam Plutarchus testatur: Arrianus colorem factis inducit, & scelus Alexādri dissimulat. Alexander ergo cum regina pactus illam in gratiam recepit: sed mercenarijs militibus, quibus data fide promiserat se incolumes dimissurum, necem attulit.

REGINA) Cleophes seu Cleofis. Hoc de Cleofidis deditione & congressu cum Alexandro
l. 12. p. 122. paullò exertiùs tradit Iustinus, *Inde montes Dædalos, regnaq́; Cleofidis reginæ petit, quæ cum se dedidisset ei, concubitu redemtum regnum ab Alexandro recepit, illecebris consecuta, quo virtute non potuerat, filiumq́; ab eo genitum, Alexandrum nominauit, qui postea regnum Indorum potitus est. Cleofis regina propter prostratam pudicitiam scortum regium ab Indis exinde appellata est.* GE-

GENIBVS REGIS) Plinius, *Hominis*, inquit, *genibus religio quædam inest obseruatione gentium: hæc supplices attingunt; ad hæc manus tendunt, hæc vt aras adorant: fortassis quia inest ijs vitalitas.* Seruius ad illum Virgilij versum: l. 11. c. 45.

Dixerat & genua amplexus, genibusq; volutans
Hærebat

Docet physicos genua misericordiæ cõsecrasse. Plurima Tiraquellus ex Homero, Ouidio, Claudiano, Diodoro Siculo, Liuio, Apuleio adfert ad illustrandum illum Alexandri Neapolitani l. 2. c. 19. locũ. *Hominis præterea genibus quandam esse religionem & pietatem nouimus: Etenim supplicantes & qui prẽ exorare aliquid volunt, deorum hominumq; genua amplectuntur, manu apprehendunt, ad genua procumbunt, illaq; tanquam sacra suppliciter venerantur & colunt: In his numen & sedem miserationis esse arbitrati.*

Tu Tiraquellum consule, hæc omnia exemplis auctorum confirmantem. & si placet, Eustathium ad Homerum. Hunc ergo more Cleofis secuta filium paruulum genibus Alexãdri admouit, vt cum matre supplice in fidem & clientelam reciperetur. Arrianus tamen in IV. matrem Assaceni cum filia, non filio captam ait, græcè, Ἀσσακηνοῦ τὴν μητέρα καὶ τὴν παῖδα nisi legas τὸν παῖδα, sed editio τὴν exertè habet.

Ex hac historia pertextam reor fabulam de regina Candace, quæ Alexandrum priuato habitũ ad se tanquam legatum venientem agnouerit, itaque compellarit. Alexander Rex tu orbem terrarum cepisti; à fœmina captus es. Et miror eandem fabellam apud Suidam legi.

VTCVNQVE GENITO) siue ex Alexandro verè, siue simulatè & falsò, atque ex alio suscepto, siue per speciem coniugij, siue spe prolis ex Alexandro concipiendæ, vt Thalestris fecerat; siue quocunque titulo licentiæ regiæ.

CAPVT XXI.

ARGVMENTVM.

Noram occupat. petram Aornin describit Curtius, quam obsidet rex, fugiunt obsessi & trucidantur: vsque ad Indum penetrat.



INC Polypercon ad vrbem Noram cum exercitu missus inconditos oppidanos prælio vicit: intra munimenta compulsos secutus, vrbem in ditionem redegit. Multa ignobilia opida deserta à suis venere in regis potestatem: Quorum incolæ armati petram Aornin nomine occupauerunt; hanc ab Hercule frustra obsessam esse, terræque motu coactum absistere, fama vulgauerat. Inopem consilij Alexandrum, quia vndique præceps & abrupta rupes erat, senior quidam peritus locorum cum duobus filijs adyt, si pretium operæ esset, aditum se monstraturum esse promittens. LXXX. talenta constituit daturum Alexander, & altero ex iuuenibus obside retento ipsum ad exsequenda quæ obtulerat, dimisit. Leuiter armatis dux datus est Mullinus scriba regis. hos enim circuitu, qui fallerent hostem, in summum iugum placebat euadere. Petra non, vt pleraque, modicis ac mollibus cliuis in sublime fastigium crescit, sed in metæ maximè modũ erecta est: cuius imaspactiosiora sunt, altiora in artius coeunt, summa in acutum cacumen exsurgunt. Radices eius Indus amnis subit, prealtis vtrinq; & asperis ripis ab altera parte voragines cluuiesq; præruptæ sunt: nec alia expugnandi patebat via, quàm vt replerentur. Ad manũ silua erat, quam rex ita cædi iussit, vt nudi stipites iacerẽtur, quippe rami fronde vestiti impedissent ferentes. Ipse primus truncam arborem iecit, clamorq; exercitus, index alacritatis secutus est, nullo detrectante munus quod rex occupasset. Intra septimum diem cauernas expleuerant, cũ rex sagittarios & Agrianos iubet per ardua niti, iuuenesq; promtissimos ex sua cohorte XXX. legit. duces his dati sunt Charus & Alexander, quem rex nominis quod sibi cũ eo commune esset, admonuit. Ac primo, quia tam manifestũ periculum erat, ipsum regem discrimẽ subire non placuit. Sed vt signum tuba datum est, vir audaciæ promta conuersus ad corporis custodes, sequi se iubet, primusque inuadit in rupem. Nec deinde quisquam Macedonum substitit, relictisque stationibus sua sponte regem sequebantur. Multorum miserabilis fuit casus, quos ex prærupta rupe lapsos amnis præterfluens hausit. triste spectaculum etiam non periclitantibus, cùm verò alieno exitio quid ipsis timendum

foret, admonerentur, in metum misericordia versa, non extinctos, sed semetipsos deflebant. Et iam eo peruentum erat, vnde sine pernicie nisi victores redire non possent, ingentia saxa in subeuntes prouoluentibus barbaris, qui perculsi instabili & lubrico gradu praecipites recidebant. Euaserant tamen Alexander & Charus, quos cum XXX. delectu praemiserat rex, & iam cominus pugnare coeperant. Sed cum superne tela barbari ingererent, saepius ipsi feriebantur. Ergo Alexander & nominis sui, & promissi memor, dum acrius quam cautius dimicat, confossus vndique obruitur. quem vt Charus iacentem conspexit, ruere in hostem, omnium praeter vltionem immemor, coepit: multosque hasta, quosdam gladio interemit. Sed cum vnum tot incesserent manus, super amici corpus procubuit exanimis. haud secus quam par erat promtissimorum iuuenum, caeterorumque militum interitu commotus rex, signum receptui dedit. Saluti fuit quod sensim & intrepide se receperunt. & barbari hostem depulisse contenti, non institere cedentibus. Caeterum Alexander cum statuisset desistere incepto, quippe nulla spes potiundae petrae offerebatur, tamen speciem ostendit in obsidione perseuerantis. Nam & itinera obsideri iussit, & turres admoueri, & fatigatis alios succedere. Cuius pertinacia cognita, Indi per biduum quidem ac duas noctes eum ostentatione non fiduciae modo, sed etiam victoriae, epulati sunt, tympana suo more pulsantes. tertia vero nocte tympanorum quidem strepitus desierat audiri: caeterum ex tota petra faces refulgebant, quas accenderant barbari, vt tutior esset ipsis fuga obscura nocte per inuia saxa cursuris. Rex Balacro, qui specularetur praemisso, cognoscit petram fuga Indorum esse desertam. tum dato signo vt vniuersi conclamarent, incomposite fugientibus metum incussit. Multique (tanquam adesset hostis) per lubrica saxa, perque inuias cotes praecipitati occiderunt. plures aliqua membrorum parte multati ab integris deserti sunt. rex locorum magis quam hostium victor, tamen magnae victoriae sacrificiis & cultu deum satis fecit. arae in petra locatae sunt Mineruae Victoriaeque. Ducibus itineris, quos subire iusserat leuiter armatos, etsi promissis minora praestiterant, pretium cum fide redditum est. petrae regionisque ei adiunctae Sosicosto tutela permissa. Inde processit Ecbolima: & cum angustias itineris obsideri XX. millibus armatorum ab Erycee quodam comperisset, grauius agmen exercitus Caeno ducendum modicis itineribus tradidit. ipse praegressus, cum funditore ac sagittario deturbatis qui obsederant saltum, sequentibus se copiis viam fecit. Inde siue odio ducis, siue gratiam victoris inituri, Erycem fugientem adorti interemerunt, caputque eius atque arma ad Alexandrum detulerunt. ille facto impunitatem dedit, honorem denegauit exemplo.

HINC POLYPERCON) de Polyperconte multa supra.

AD VRBEM NORAM) Arrianus Oram appellat: atque ita suffragante Ptolemaeo appellanda videtur. Nora etiam Sardiniae ciuitas est & Castellum Phrygiae: apud Curtium nostrum hic Ora, cum Arriano & Ptolemaeo, non *Nora* scribendum est. Arrianus primum eo missos ait Attalum, Alcetam & Demetrium, vt vrbem ducto muro includerent, quoad ipse cum reliquo exercitu accederet. In 4. p. 97.

VRBEM IN DITIONEM REDEGIT) Arrianus non à Polyperconte, sed ab ipso Alexandro, & quidem primo impetu captam narrat.

QVORVM INCOLAE ARMATI PETRAM AORNIN OCCVPAVERVNT) Liceat nobis per Modium aliquid hoc loco hiscere, certis ab ipso, non omnia lecta, imò nec cognita, nec visa: ac primùm de ipso etymo vocis, cur petra dicatur Graecis ἄορνις siue ἄορνος. Nam vtroq; modo scribitur, vti ad Periegetem Eustathius docet. Ὄρνις Graecis est auis, ex qua voce fit ἄορνις siue ἄορνος, locus carens auibus, à particula α, priuatiua, quam illi στερητικὸν appellãt, Latini locum illum Auernum etiam ab auibus dicunt. Petra ergo ἄορνος est auerna, qua non transmittunt aues, aut illico pereunt. Eiusmodi plures varijs in regionibus traduntur.

Lycophron apud Eustathium circa Adiabenen huiusmodi pestilentem locum esse testatur, os nempè fontis cuiusdam auernum & aornum auibus inuium, quod inde pestifer spiritus exhalet, qui statim exanimet, quicquid spirans deprehenderit.

Τοὔνεκά μιν (inquit Dionysius) καὶ φῶτες ἐπικλείουσιν Ἄορνιν, quapropter illum Aornin appellant, loquitur de hac ipsa Curtiana petra.

De huiusmodi locis auernis eleganter Lucretius canit in VI. qui & caussas addit. Versus subjicio: p. 164. in paruo. alia edit. Lamb. p. 813.

Nunc age, Auerna tibi quae sint loca cunque, lacusque
Expediam, quali natura praedita constent.
Principio, quod auerna vocantur nomen id ab re

Impo-

Impositum est, quia sunt auibus contraria cunctis,
E regione ea quod loca cum aduenere volantes
Remigij oblitæ pennarum vela remittunt.
Præcipitesq́, cadunt, molli ceruice profusæ
In terram, si fortè ita fert natura locorum,
Aut in aquam, si fortè lacus substratus auerno est
Qualis apud Cumas est ocru vipera montis,
Pompeij calidis vbi fumant fontibus aucti.
Est & Athenais in mœnibus, arcis in ipso
Vertice, Palladis ad templum Tritonidos almæ,
Quo nunquam pennis appellunt corpora raucæ
Cornices, non quom fumant altaria donis:
Vsque adeò fugitant non iras Palladis acreis
Peruigili causa, Graiûm vt cecinere poëtæ:
Sed natura loci hoc opus efficit ipsa sua vi.

Et princeps poetarum in VI.

Spelunca alta fuit vastoq́, immanis hiatu, l.6.v.237. & seq.
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumq́, tenebris,
Quam super haud ulla poterant impune volantes
Tendere iter pennis: talis sese halitus atris
Faucibus effundens supera ad conuexa ferebat
Vnde locum Graij dixerunt nomine Auernum.

Huius Cumani lacus etiam Aristoteles περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων mentionem fecit, quem & ipse ἄορνον ab auibus appellat, quamquam ibi nullam nominis rationem reddit. sed in eodē libro haud procul ab Eridano de alio loco tradit, cuius aqua calens aues superuolantes deijciat & enecet, additque nullum animal ex illo bibere. Atque hæc de etymo & causa etymi ἄορνις, similibusque locis & auernis. Nunc pergamus hiscere, & petram ipsam ascendamus, Herculem * terræ motu coactum abstitisse ab Aorni expugnatione docet Curtius. Addit Strabo ter ab Hercule nequicquam fuisse tentatā, Philostratus * docet quindecim stadia latam fuisse, nec procul à Nysa abesse. plura Arrianus, Iustinus, Orosius, Diodorus, Eustathius, Philostratus, Strabo.

* Idem Siculus tradit.
* l.2.c.5.

AB HERCVLE FRVSTRA TENTATAM) Cùm Arrianus lib. 4. extremo idem quod alij de Hercule frustrà Aornon tentante scripsisset, aliud tamen in Indicis prodidit, vbi affirmat tantùm Macedonicam fuisse iactantiam. *Cæterùm*, inquit, *quod Aornō petram, quam Alexander vicepit, Hercules expugnare non potuerit, Macedonica quadam iactantia mihi videtur.* & quæ ibid. sequitur.

VNDIQVE PRAECEPS & ABRVPTA RVPES ERAT) hoc plerique omnes testantur, & infrà magis ab ipso Curtio explicatur, vbi metæ comparatur.

SENIOR QVIDAM PERITVS LOCORVM) hoc quoque & Siculus & Arrianus testantur: sed explicatissimè Diodorus: *Loci difficultatem speculatus Alexander, vbi se vi expugnare illum non posse intellexit, senior quidam cum duobus filijs eum adijt, qui cum extrema paupertate conflictans diu in locis illis vitam tolerauerat, domiciliumque in specu quodam, vbi tres lectuli erant, petra incisi, habebat. Hic dum senex cum filijs commoratur, locorum peritiam sibi comparauerat. Is itaque cum ad regem progressus, de conditione sua illum edocuisset: per inuias & abruptas loci angustias se ducem fore, & vt barbaris rupem insidentibus superior euadat effecturum. pollicetur. hoc igitur ductore, cui ingens operæpretium promiserat, Alexander vsus, primò aditum qui vnicus in saxi ducebat verticem, occupaunt: & quia nusquam exitus alibi patebat barbaros obsidione conclusit, vt auxilij nihil superesset.* P.556.

LXXX. TALENTA) Diodorus ingens precium fuisse ait, sed numerum nō exprimit: octoginta autem talenta apud nos efficiunt phillppæos (vno viginti * victoriatis æstimato) quadragies, octies mille.

* Batzijs vulgo, 48000.

MVLLINVS SCRIBA REGIS) aliter Arrianus qui Ptolemæum Lagi F. cum ductore missum affirmat.

PETRAE NON VT PLERAEQVAE) descriptio ipsa Aorni sequitur: cuius altitudinem nō exprimit. Siculus ambitum studiorum fuisse centum, altitudinem sedecim tradit. centum stadia efficiunt milliaria germanica tria, eoque amplius. sedecim dimidium. Arrianus duplo maiorē ambitum petræ complectitur, ducentorum studiorum fuisse affirmat: altitudinem qua humillima est, non nisi vndecim. Rursum Diodorus ab Curtio dissentit in fastigio petræ, quod Curtius in acutum cacumen assurgere dicit. Diodorus, *Superficies*, inquit, *plana, & ex omni parte rotunda erat.* Arrianus autem verticem tam planum facit, vt & siluam, & agrum haberet, qui araretur, & ab admodum mille coleretur.

RADICES EIVS INDVS SVBIT) Idem Diodorus, *Radices ad meridiem Indus fluuiorū per Indiam maximus alluebat: partes alias præaltæ voragines & inuia rupes cinxerant.* Idē quoq; Strabo: *Cuius radices Indus nō procul à fontib. hic alluit*, Nec verū est quod Glareanus ait à Siculo tradi hęc in Bactris L.15.p.475.

acta,

ecta, disertè enim in India Aornum sitam, & post Nysam expugnatā: legisset Glareanus capita Indicis lib. 17. animaduertisset, & quæ desiderantur, & illud singillatim, ἐμβαλεῖν εἰς τὴν Ἰνδικὴν & quæ sequuntur de Nysa, de Massacis, de Aorno & Taxili. Nec fuit quod negligentiæ notaret & rideret auctores, & inter hos Curtium hoc loco, qui dixerit Aorni radices ab Indo allui, deinde sextis decimis demum castris Alexandrum expugnata petra ad Indum peruenisse. Curtius enim signauit locum Indi, quo traiecit illum iam grandem & altum & latum. petra autem Aornus non procul à fontibus Indi sita erat, vt docet Strabo. Recessit enim Alexander rursus ab Indo profectus ab Embolima, & angustias cis Indum adhuc ab Eryce cum viginti millibus obsessas, quem hostem noluit à tergo relinquere Alexander, ne cis Indum occupata & pacata Eryx turbaret & reciperet. Atque inde demum sextis decimis castris siue XVI. die ad Indum, vbi illum Hephæstion ponte iam facto expectabat, Alexander peruenit.

AD MANVM SILVA ERAT) Incipit descriptio acerrimæ & septemdialis oppugnationis, contrà quàm Geographus & ex illo Eustathius tradidêre. Sed Curtius suffragatores habet Diodorum & Arrianum, qui hunc etiam Curtij locum illustrabunt.

PRIMVS TRVNC. ARB. IECIT) hoc solenne habuit Alexander vt in omnibus arduis rebus suis ducibus & militibus exemplo præiret, non ignarus *totum componi- et orbem regis ad exemplum*. Multa iam supra talium Ia. inorum Alexandri similia facta legisti, in acie, in superandis itinerum difficultatibus; in expugnandis oppidis, primus etiam hîc in rupem euadit.

INTRA SEPTIMVM DIEM CAVERN. EXPLEVERANT.) Diodorus: *primò aditum, qui vnicus in saxi ducebat verticem, occupauit Et quia nusquam exitus alibi petebat, Barbaros obsidione conclusit, vt auxilij nihil superesset: hinc infinita aggerentium opera effecit, vt valli & radix petra explerentur; & de propinquo cum hoste rem gerens, oppugnationem acerrimam instituit.* De valle tamen & radice montis materiâ expletis nihil Arrianus, qui narrat Alexandrum per ardua enixum ad Ptolemæi castra euasisse, atque inde aggerem ad oppugnandam obmolitum.

CARVS ET ALEXANDER) cum Plutarchus vix vno alteróue verbo huius petræ (cuius tamen neque nomen exprimit) mentionem faciat, Alexandrum tamen hunc fortissimum iuuenem celebrat, quamuis Carum quoque omittat. *Alteram*, inquit, *perinde abscissam (petram) cum Macedonum iuuentute adortus, quendam Alexandrum nomine appellauit, &, Te verò*, inquit, *fortem esse vel nominis caussa decet. Quum hic iuuenis fortiter pugnans cecidisset, haud mediocriter perculsus est.* Siculus & Arrianus vtrumque prætereunt. Similia facta leges apud Cæsarem, Virgilium & alios.

MVLTORVM MISERABILIS FVIT CASVS) His ferè paria suprà li. 5 c. 10. legisti, similiora libro priore cap. 26.

DESISTERE COEPTO) quomodo ergo primo impetu capta? Diodorum audiamus; quot diebus & noctibus, nunquam intermisso prœlio petram oppugnarit. *Qua*, inquit, *pugna nempe, assiduis nec interruptis per septem dies totidemq. noctes cōflictibus durauit.* Arrianus omnia prolixius, quem videbis.

BALACRO) Hunc ducem & prætorem Alexandri Curtius suprà l. 4. c. 17. laudauit.

PETRAM FVGA INDORVM ESSE DESERTAM) mirum dictu: nulla horologia tam dissentiunt in malè composita ciuitate, quam biographi de rebus Alexandri, adeò nemo vnus narrat quod alter. Curtius, vt vides, ait petram ab Indis vltro fugientibus desertam: Arrianus missum ait caduceatorem ab Indis ad Alexandrum, qui de pace & deditione ageret, interim tamen fugam meditatos, ac demum laxatis de industria custodijs viarum & aditûs, profugisse. *Barbari*, inquit,
p.100. *ob incredibilem Macedonum, qui collem illum sup. rant, audaciam attoniti, aggeremq. iam ad collem perductum conspicati, à defensione desistunt, missoq. ad Alexandrum caduceatore spondent sese si pacisci cum ijs vellet, petra deditionem facturos. consilium verò ipsorum erat, vt totum illum diem pactionibus faciendis transigentes, noctu sese quisque in domos suas reciperent. Quo cognito Alexander, tempus satis amplum ijs ad discedendum concessit, omni præsidio per circuitum amoto. ipseq. ibi tantisper dum discedere inciperent, mansit. Post hæc assumptis ex custodibus corporis & argyraspidibus DCC. primus in desertam ab hostibus petram conscendit. Macedones quoque, alius aliâ sese mutuo subtrahentes, eodem ascenderunt. exinde in recedentes barbaros signo dato conuersi, multos in fuga interfecerunt. Illorum plerique trepidè fugientes per præcipitia delapsi perierunt. Alexander potitus petra quam ne Hercules quidem ipse superare potuerat, sacrificio in ea facto, præsidium imposuit, eiq. Sisicoptum præfecit.* Strabo & Eustathius petram, vt dixi, aiunt primo impetu captam, quod omnes alij infitiantur: Diodorus cum Curtio facit, vel hic potius cum illo, plerunque enim Curtius sequitur Diodorum.

c.25. MINERVAE VICTORIAEQVE) patrijs numinibus. Ita lib. 3. Ioui, Herculi, Mineruæ aras in Pinari ripa constituit. Ita quarto, Ioui, Mineruæ & Victoriæ c. 29. ante pugnam ad Gaugamela fecit. Nec alia tropæa Macedones quam aras ponebant. de qua re supra.

SOSOCOSTO) Arriano est Sisicoptus.

INDE PROCESSIT ECHOLIMA) Arrianus ante Aorni obsidionem Embolimas (sic ipse appellat vrbem) venisse Alexandrum scripsit. vrbis huius nomen expressit etiam Ptolemæus.

An

AB ERYCE QVODAM) Diodorus præfectum Aphricen appellat, & fortasse binominis fuit.

ERYCEN INTEREMERVNT) Siculus: *Eo tempore Indus quidam Aphrices cum* CCIↃↃ CCIↃↃ *exercitu & XV. elephantibus illis in locis subsistebat. Hunc quidam interemere, atque interemti capite ad Alexandrum delato, incolumitatem sibi munere illo compararunt.*

HONOREM DENEGAVIT EXEMPLO) Quod suum ipsi ducem interemissent; sicut Spitamenis vxori. nullus enim honos proditoribus habendus, quantumuis hosti vtilibus.

CAPVT XXII.

ARGVMENTVM.

Omphim seu Taxilem regem in fidem recipit; certant muneribus, quibus offensi Macedones.



Inc ad flumen Indum sextis decimis castris peruenit, omniaque, vt præceperat, ad traijciendum præparata ab Hephæstione reperit. Regnabat in ea regione Omphis, qui patri quoque fuerat auctor dedendi regnum Alexandro: & post mortem parentis legatos miserat, qui consulerent eum, regnare se interim vellet, an priuatum opperiri eius aduentum, permissoq; vt regnaret, non tamen ius datum vsurpare sustinuit. Is benignè quidem exceperat Hephæstionem, gratuitum frumentum copijs eius admensus, non tamen ei occurrerat, ne fidem vllius, nisi regis, experiretur. Itaque obuiam venienti cum armato exercitu egressus est; elephanti quoque per modica interualla militum agmini immixti procul castellorum fecerant speciem. Ac primò Alexander non socium, sed hostem aduentare credebat. Iamq; & ipse arma milites capere, & equites discedere in cornua iusserat, paratos ad pugnam. At Indus cognito Macedonum errore, iussis subsistere ceteris, ipse concitat equum quo vehebatur. Idem Alexander quoque fecit: siue hostis, siue amicus occurreret, vel sua virtute, vel illius fide tutus: coiere, quod ex vtriusq; vultu posset intelligi amicis animis. Ceterùm sine interprete non poterat conseri sermo. Itaque adhibito eo, barbarus occurrisse se dixit cum exercitu, totas Imperij vires protinus traditurum, nec expectasse dum per nuncios daretur fides. Corpus suum & regnum permittere illi, quem sciret gloria militantem, nihil magis quàm famam timere perfidiæ. Lætus simplicitate barbari rex, & dextram fidei suæ pignus dedit, & regnum restituit. LVI. elephanti erant quos tradidit Alexandro, multaq; pecora eximiæ magnitudinis, tauros ad III. millia, pretiosum in ea regione, acceptumque animis regnantium armentum. Quærenti Alexandro plures agricultores haberet an milites; eum duobus regibus bellaunti sibi, maiore militum quàm agrestium manu opus esse respondit. Abisares & Porus erant. Sed in Poro eminebat auctoritas. Vterq; vltra Hydaspen amnem regnabat, & belli fortunam, quisquis arma inferret, experiri decreuerat. Omphis permittente Alexandro & regium insigne sumsit, & more gentis suæ, nomen quod patris fuerat, Taxilem appellauere populares, sequente nomine imperium, in quemcunque transiret. Igitur cum per triduum hospitaliter Alexandrum accepisset, quarto die & quantum frumenti copijs, quas Hephæstion duxerat, præbitum à se esset, ostendit; & aureas coronas ipsi amicisque omnibus; præter hæc signati argenti LXX. talenta dono dedit. Qua benignitate eius Alexander mirè lætus, & quæ is dederat remisit, & mille talenta ex præda quam vehebat adiecit, multaq; alia conuiualia ex auro & argento vasa, plurimum Persicæ vestis, XXX. equos ex suis cum ijsdem insignibus, quis assueuerant, cùm ipsum veherent. Quæ liberalitas sicut barbarum obstrinxerat, ita amicos ipsius vehementer offendit. à quibus Meleager super cœnam largiore vino vsus gratulari se Alexandro dixit, quod saltem in India reperisset dignum talentis mille. Rex haud oblitus quàm ægre tulisset quòd Clitum ob linguæ temeritatem occidisset, iram quidem tenuit, sed dixit, inuidos homines nihil aliud, quàm ipsorum esse tormenta.

SEXTISDEC. CASTRIS) Sexto nempe decimo die ab Aorno & Ecbolimis ad Indum peruenit, quamuis Indus Aorni radices lambat, vt suprà ostendi. Traiecit autem Indum Alexander ad vrbem Peucolaitidem (vt auctor est Strabo) quæ procul abest ab Aorno.

OMNIAQVE, VT PRAECEP. AD TRAIIC. PRAEPARATA AB HEPHAESTIONE REPERIT) Hæc ex Diodoro Curtius: *Hinc, inquit, ad Indum progressus, naues quas à triginta remorum vsu triaconteres appellant, constructas, & fluuium ponte iunctam inuenit. Vbique statiuis per triginta dies ad recreandum exercitum habitu magnifica dijs sacra peregit.* Hephæstionis ergo diligentia laudanda, qui quæ in mandatis acceperat, tam accuratè & expeditè executus est. Idem paucis etiam Arrianus: *Alexander vbi ad Indum peruenit, pontem iam ab Hephæstione perfectum reperit, multaque minora nauigia, duas verò naues triginta remorum.* Sed quærit deinde alio loco Arrianus, quomodo pons ille confectus fuerit : *Quonam autem modo Alexander Indum amnem ponte*

p. 105. 106.

iunxerit, neque Aristobulus, neque Ptolemæus, quos ego maximè secutus sum, scribunt. neque ego certi aliquid affirmare ausim, an nauigijs pons iunctus fuerit, quemadmodum Hellespontus à Xerxe & Bosphorus ac Danubius à Dario: an verò continuus pons flumini impositus fuerit. Mihi certè probabilius videtur nauibus vinctum fuisse neque enim pontem iaci pateretur amnis altitudo, neque adeo breui temporis spacio tam ingens opus perfici potuisset. At si omnino nauigijs pons iunctus fuit, an ea rudentibus colligata atque ita in ordinem ducta ponti iungendo suffecerint (vt Herodotus testatur Hellespontum ponte stratum fuisse) an verò ea ratione qua Romani Danubium aut Rhenum Celticum ponte iunxerunt, & per Euphraten ac Tigrim quoties necesse fuit pontem duxerunt, ne hoc quidem ipsum compertum habeo. Porro facillima expeditissimaque fuit Romanorum, quod nerim, struendorum pontium ratio; quam quidem ego, quod commemoratu digna est, hic recensebo. Naues dato signo in amnem demittebantur, non quidem rectà, sed tanquam puppibus inhibita. atque has quidem subducit (vt par est) cursus fluminis: remigiorum verò impulsus retinet, donec ad statum locum peruenerint. tum crates vimineas in pyramidum modum extructas, selectis ad id saxis oppletas, ad proras singularum nauium demittunt, ad inhibendum fluminis cursum. cumque iam vna nauium ita firmata fuerit, aliam continuò aduersa prora admouent, tanto spacio ab ea separatam, quantum onus quod ei inferuendum est, requirere videtur. Exinde tigna iniectu, qua ad vtriusque nauis extremitatem pertingerent, tabulas transuersas, quibus tigna inter se iungantur colligenturque imponunt. atque ita deinceps per naues reliquas quæ ad iungendum ponte flumen sufficiant, eadem operis ratio seruatur. Ad vtrumque verò pontis caput amplos gradus ligneos affigunt, quò tutior sit equorum atque curruum traiectus. Breui porrò tempore, totum opus perficitur, neque suus operi in speciem tumultuario ordo deest. & gubernatorum per singulas naues celeusmata, atque illorum qui segniores in officio sunt obiurgationes nihil impediunt, quo minus mandata confestim auribus excipiantur, opusque summa celeritate conficiatur. atque hanc quidem veteres Romani rationem tenuerunt. Quonam verò pacto Indus amnis ponte iunctus fuerit, mihi non constat. neque enim qui cum Alexandro militarunt, vllam eius mentionem fecerunt. putarim tamen eos proximè ad hanc rationem accessisse. Si verò alia quapiam arte vsi fuerint, illa valeat.

* Multa exẽplaria habent Τοξίλυς Toxilos gens est Indica. Sed Strabo Taxillos appellat, & per a non, o scribit. Est & ciuitas Taxilla. ibid. Magna & ferax optimisque legibus instituta. l. 15.

REGNAB. IN EA REG. OMPHIS) Hunc regem Omphim Siculus permutatis duabus primis literis Mophim vocat; vter verius, haud dispicio, quod ex linguæ cognitione pendet. Cæteri scriptores omnes Taxilen, vel Taxilum dicunt; & gentem Taxilos, præter Periegetem, qui Toxilos cognominat:

Τῶν δὲ μέσοι ναίουσι Σάβαι καὶ τόξιλοι ἄνδρες.

Horum autem (fluuiorum) *medij habitant Saba atque Toxili.*

Ad quem locum Eostathius Scholiastes: δὲ, inquit, καὶ πολλὰ τῶν ἀντιγράφων, * Τοξίλυς γράφουσι τὸ Ἰνδικὸν ἔθνος· ἀλλ' ὁ Γεωγράφος ταξίλλυς γράφει, διὰ τοῦ α, καὶ Τάξιλα τὴν κατ' αὐτοὺς πόλιν μεγάλην αὐτὴν καὶ εὐδαίμονα καὶ ἔννομον τάττων.

Taxilem Strabo inter Indum & Hydaspem imperasse tradit, cuius regionem à fertilitate omniumque rerum vbertate commendat. Plutarchus, in Alexandro, tam latum obtinuisse regnum ait, quam tota fuerit Aegyptus, Strabo etiam maius Aegypto. Nominis prioris ratio hæc est: Mophis Taxilæ regis filius erat: Taxiles autem commune regis in ea prouincia nomen est, Mophis proprium. vt enim apud Aegyptios omnes ante Ptolemæum Pharaones; in Parthia Arsacæ; in vlteriore India Pori; in Europa Cæsares, ita Taxilæ seu Taxili apud Indos & Pori, in suoquisque regno vocabatur. Hinc est quod idem Mophis seu Omphis post mortem patris, & ipse Taxiles audiuit. Proinde Siculus addit, *Lætus hoc barbari facto Alexander regnum illi restituit, eumque deinceps amicum & socium constantem Taxilem cognominatum fuit expertus.* Et Curtius infrà; *Omphis permittente Alexandro & regium insigne sumsit, & more gentis suæ nomen, quod patris fuerat: Taxilem appellauere populares, sequente nomine imperium, in quemcunque transiret.*

p. 363. hoc lib. c. 22.

QVI PATRI QVOQVE AVCTOR FVERAT DEDENDI REGNVM ALEXANDRO) hoc declarat Siculus, *Traductis inde copijs res insolens nec inopinata illi cótigit. Taxili, qui illic locorum regnauerat, pridem defuncto Mophis filius in regnum successerat. Is iam antea legatione ad Alexandrum in Sogdiana hærentem missa, contra Indos regi obsistaturos armorum societatem obtinuerat. Sed ex tunc per legatos regnum se ipsi traditurum spopendit.*

p. 537.

CVM ARMATO EXERCITV EGRESSVS EST) Idem Diodorus: *Iamque XXX stadia* (paullò minus milliari germanico) *rex aberat, cum ille exercitu ad bellum instructo, elephantisq; velut ad* P.557. *pugnam adornatis, amicos simul adducens, regi occurrit. Quare tam numerosum aduentare exercitum instructa acie vbi vidit Alexander, fraudem pollicitis Indum subtexere credens, nempe vt imparatos hoc pacto Macedones opprimeret, pugnæ signum tubicines dare iubet: explicataq; acie obuiam Indus procedit. at Mophis repentina Macedonum commotione intellecta, cum quid rei esset, facilè ratiocinari posset, iussis subsistere copijs, cum paucis concitato equo excurrit, omnemq; Macedonibus errorem exemit: dum se & exercitum (regni vires) regis in fidem tradit.*

OCCVRRISSE SE DIXIT) Plutarchus amicam planè salutationem & colloquium inter p.582. Alexandrum & Taxilem refert: *Taxilus*, inquit, *perhibetur Indiæ obtinuisse, Aegypto non angustiorem laxitate portionem pabulo autem latam fœcundamque fructibus imprimis, ac vir ipse sapiens fuisse, atque cum salutaret Alexandrum dixisse, Quid bellis inter nos & prælio Alexander opus est, quum neque aquam nobis ademptum, neque victum necessarium venerit? pro quibus solis necesse habent homines sani decertare. Reliquis opibus & facultatibus quas vocant, si ego abundantior sum, impertiar tibi libens. sin inferior, non recuso accipere abs te grato animo beneficium. Delectus ea oratione Alexander, illumque complexus, An tu, inquit, pugna arbitraris ex tali sermone & comitate colloquium fore immune? at nihil proficis, quippe contendam tecum & depugnabo beneficijs ne, me superes benignitate.*

LVI. ELEPHANTI ERANT) Certatum inde inter duos reges regijs donis: Arrianus tãtùm triginta ponit; boues tamen etiam tria millia, & addit decem millia ouium.

PRECIOS. IN EA REG. ACCEPTVMQVE ANIMIS REGNANT. ARMENTVM) Inde tradit noster Sacchinus in 5. hist. Soc. Iesu de Monopotaparum Indorum rege. *Vicißim è Consal-* p.221. *uo sciscitatur, quantum auri, quantum agri & prædiorum velit. postremò quam multos boues. Quippe bobus apud eam gentem haud minus quam auro pretium ferunt esse. an quod animas defunctorum ex Pythagora & Brachmanarum disciplina in boues credant immigrare.* Maffeius rer. Ind. 1. *Elephantis etiã religionem numinis tribuunt. Bobus autem eo maiorem, quod hominum vita functorum animos in eam maximè belluam immigrare opinantur.* Hinc etiam creuit honor bobus, quod apud Indos, vt idem Maffeius est auctor, Dæmon in forma bouis adoraretur, vt apud Aegyptios bos Apis.

PLVRES AGRICVLTORES) Iam suprà demonstrauimus, quot genera hominum, & quàm diuersis studijs dedita alat India. inter quæ agricolarum tribus erat, qui, totis regnis bellorum incendijs flagrantibus, ipsi tamen extra periculorum aleam & sortem erant, omnes sacrosancti, omnibusque pereuntibus salui, nec ferrum nec hostem timebant, vtilì sanè omnium gentiũ documento, vt qui nocerent nemini, prodessent omnibus, à nemine etiam læderentur, ab omnibus defenderentur, vt hostes & amici haberent vnde viuerent.

ABISARES ET PORVS) De his duobus regibus cap. sequenti.

VLTRA HYDASPEN) Intra Gangem tamen: nam longè lateque patebat India etiam illa tantum intra Gangem & Indiam conclusa. Hydaspen fluuium ipse Curtius infra cap. XXIII. describit, vbi in quatuor stadia diffusum ait, profundo alueo speciem vasti maris referentem.

CVM PER TRIDVVM HOSPITALITER ALEXANDRVM ACCEPISSET) Taxilis hoc factum, quæ vrbs regni Taxilæ caput erat. *Transmisso ita Indo*, inquit Arrianus, *Alexander dijs patrio more sacrum facit, atque inde profectus Taxilam vrbem populosam atque opulentam peruenit. Est enim hac omnium, quæ inter Indum & Hydaspen sunt, oppidorum maxima: Taxiles quique in vrbe erant Indi amicè eum exceperunt: Alexander ijs tantum finitimæ regionis, quantum petierit, adiecit.* Ead. ferè Geographus, *Inter Indum & Hydaspen Taxila est magna ciuitas, & legibus optimis constituta. Circũiacens regio præclara & valde ferax, iam campis vicina eius incolæ & Taxilus eorum rex perhumaniter Alexandrũ susceperunt, ac plura ab illo receperunt, quam ij ipsi præbuere: adeò vt Macedones inuidiã correpti dicerent, Quasi verò Alexander non habuisset, quibus benefaceret, priusquam Indum traijceret.* De eadem vrbe Philostratus l. 2. c 9. *Taxila verò altitudine ab antiqua Nino multum differt, & græco more ædificata est.*

AMICIS OMNIBVS) Sapienter hoc Taxiles; nam quòd Orsines nobilißimus Persarum vnicum ex amicis indonatum prçterijsset, insidijs sceleratissimæ Bagoç eunuchi circumuentus, morte luit. c. 3. l. 10. adi.

SIGNATI ARGENTI TALENTA LXXX.) Signatũ argentum est pecunia; rude, vel in massis & laminis; elaboratum in poculis, phialis, crateribus & mensæ apparatu. octoginta talenta efficiunt quadraginta octo millia philippæorum. Arrianus ducenta fuisse memorat, quç essent centum viginti millia coronatorum, seu philippæorum.

REMISIT) en nobile regiæ liberalitatis certamen. Satis fuit Alexandro animum Taxilæ erga se liberalem experiri, sed Alexander præstitit quod apud Plutarchum promiserat. *Nihil* inquit, *Macedo, proficis, quippe contendam tecum & depugnabo beneficijs, ne me superes benignitate.*

MILLE TALENTA) quæ sexcenta millia sunt nostratium philippæorum.

CVM IISD. INSIGNIBVS) Phaleris, frænis, stragulis, habenis regijs, & Macedonicis & Persicis.

Me-

MELEAGER) Hic infelix Meleager inter principes Alexandri amicos, post mortem Alexandri, Perdiccæ insidijs interceptus miserè perijt. lib. 10. c. 12.

AMICOS OFFENDIT) idem testatus, vt audisti, Strabo. cui adde Plutarchum, *Ac muneribus multis acceptis, datisque pluribus, denique mille talentum argenti signati ei propinauit. Quare torsit amicos acriter, sed barbaros multos sibi reddidit mansuetiores.*

CLITVM) Regredere ad caput 3 huius libri.

INVIDOS HOM. NIHIL ALIVD QVAM IPSORVM ESSE TORMENT.) Idem testatur epigrammatographus quisquis ille est,

1. anthol. c. 8.

Ὁ φθόνος ἐστὶ κάκιστον, ἔχει δ' ἔν τι καλὸν ἐν αὐτῷ·
Τήκει γὰρ φθονερῶν ὄμματα καὶ κραδίην,
Grande malum liuor, tamen est bonitatis in ipso
Nonnihil, osorum lumina corq; vorat.

Et quod eiusdem sententiæ monostichon,

Ὁ φθόνος αὐτὸς ἑαυτὸν ἑοῖς βελέεσσι δαμάζει
Telis ipsa suis se domat inuidia.

Multa alia extant in anthologiæ primo περὶ φθόνου; Sed hæc maximè huc faciunt.

2. Pyth.

Accinit his Pindarus----- στάθμας
δέ τινος ἑλκόμενος
περισσᾶς, ἐνέπαξεν ἕλ-
κος ὀδυναρὸν ἑᾷ πρόσθε καρδίᾳ
πρὶν ὅσα φροντίδι μητίονται τυχεῖν
Qui facultate alicuius tangitur abundanti
Infixit vlcus suo antè animo
Quàm quæ secum corde molitur assequatur.

Optimè Alciatus finxit, depinxit & descripsit inuidiam cultu habituque fæminæ, quæ liuentibus oculis, pallenti viperam ore mandit, cor manu, dextra gerit scipionem, sinistra è paliuro seipsamque vulnerat, cui hoc tetrastichon subiungit:

Squallida vipereas manducans fœmina carnes
Cuiq; dolent oculi, quæq; suum cor edit.
Quam macies & pallor habent, spinosaq; gestat
Tela manu: talis pingitur Inuidia.

Ad hæc multa Claudius Minos Alciati Scholiastes.

CAPVT XXIII.

ARGVMENTVM.

Abisares rex deditur. Porus bellum cogitat. Defectores quidam capti ducuntur; ad Hydaspen Alexander Porum habet obuium cum octoginta quinque elephantis, CCC. curribus, XXX. millibus peditum. Describitur ipse Porus, & Hydaspis & insulæ in illo.



Postero die legati Abisaræ adière regem, omnia ditioni eius, ita vt mandatum erat, permittebant, firmataque inuicem fide remittuntur ad regem. Porum quoque nominis sui fama ratus ad deditionem posse compelli, misit ad eum Cleocharem, qui denunciaret ei vt stipendium penderet, & in primo finium suorum aditu occurreret regi. Porus alterum ex his facturum sese respondit, vt intranti regnum suum præstò esset, sed armatus. Iam Hydaspen Alexander superare decreuerat, cum Barzaentes defectionis Arachosijs auctor vinctus, xxx que elephanti simul capti perducuntur, opportunum aduersus Indos auxilium. quippe plus in beluis, quàm in exercitu spei ac virium illis erat. Gamaxusque

usque rex exiguæ partis Indorum, qui Barzaenti se coniunxerat, vinctus adductus est. Igitur transfuga & regulo in custodiam dato, elephantis autem Taxili traditis, ad amnem Hydaspen peruenit. In cuius vlteriore ripa Porus consederat transitu prohibiturus hostē. LXXXV. Elephantos obiecerat eximio corporum robore, vltraque eos currus CCC. *& peditum* XXX. *ferè millia: in quis erant sagittarij (sicuti antè dictum est) grauioribus telis, quàm vt aptè excuti possent. Ipsum vehebat elephantus super ceteras beluas eminēs, armaq́; auro & argento distincta corpus raræ magnitudinis honestabant. Par animus robori corporis, & quanta inter rudes poterat esse sapientia. Macedonas non adspectus hostiū solum, sed etiam fluminis quod transeundum erat, magnitudo deterrebat. Quatuor in latitudinem stadia diffusum, profundo alueo, & nusquam vada aperiente, speciem vasti maris fecerat. Nec pro spatio aquarum latè stagnantium impetum coercebat, sed quasi in artum coeuntibus ripis torrens & elisum ferebatur, occultaq́; saxa inesse ostendebant pluribus locis vndæ repercussæ. terribilior facies erat ripæ, quam equi virique compleuerant. Stabant ingentes vastorum corporum moles, & de industria irritatæ horrendo stridore aures fatigabant. hinc amnis, hinc hostis capacia quidem bonæ spei pectora, & sæpè se experta improuiso tamen pauore percusserant: quippe instabiles rates nec dirigi ad ripam, nec tutò applicari posse. Erant in medio amne insulæ crebræ, in quas & Indi & Macedones nantes leuatis super capita armis transibant. Ibi leuia prælia conserebantur, & vterque rex paruæ rei discrimine, summæ experiebatur euentum.*

ABISARAE) Ambisarum alibi Arrianus, alibi Abissarem. & Ablasarem appellat: *Eo loci*, inquit, *legati ad Alexandrum ab Ambisaro montanorum Indorum rege cum ipsius Ambisari fratre alijs aliquot primoribus comitato venerunt.* Mira de draconibus in his montium spelæis stabulantibus ex Onesicrito Geographus: *Suprà hanc* Taxilæ regionem *in montibus est Abisari* (ita Strabo vocat) *regio, apud quem legati ab eo missi nunciauerunt, duos dracones nutriri, alterum octoginta cubitorum longitudine, alterum centum quadraginta, vt Onesicritus refert.* Alter ergo ad centum viginti, alter ad ducentos decem pedes porrectus erat. cubitum enim sesqui pedem complectitur. Diodorus hunc Abisarem seu Ambisarum, Embisarum dixit, Poroque auxilia portasse, nec militum numero Poro inferiorem fuisse. Sed antea prælium cum Poro commissum, quam Embisarus accederet. nam tardius cum Poro coniunctus, illo victo territus vltro victori manus dedit, & conditiones accipit, vt infrà idem Siculus docet.

PORVM) quæ sequuntur in octauo libro Curtij omnia, paucis demtis, ad res ab Alexandro cum Poro gestas, pertinent. de quo mox plura.

CLEOCHAREM) Huius nomen extra Curtium apud neminem alium, nisi me fallit memoria, nec alias apud ipsum Curtium legi, ex quo facile intelligo, eum non fuisse ex maiorum gentium ordine, numero & loco.

STIPENDIVM PENDERET) Hoc est, se victum ante victoriam, & seruum Alexandri fateretur, & Alexandro ad fines tanquam è subiectis occurreret. Respondit Porus, se posterius facturum, sed vt regem, & parem, & armatum occursurum, deque virtute, regno, vita decertaturum. & hoc sanè regiè Porus, ad regem.

BARZAENTES) de hoc suprà lib. 6. Satrapa Drangarum, *Hac*, inquit, *manu adiecta, Drangas peruenit.* bellicosa natio. Satrapes erat Barzaentes sceleris in regem suum particeps Besso. is suppliciorum, quæ meruerat metu, profugit in Indiam. Hic ergo Alexandro, ab ipsis ad quos transfugerat Indis, vinctus Alexandro sistitur. Arrianus in 3.

IPSE ALEXANDER) vnà cum ijs qui cum Cratero relicti erant in zarangæos profectus, eò peruenit, vbi gentis illius regia erat. Barzaentes verò qui tum eam regionem obtinebat, vnus ex ijs qui Darium in fuga oppresserant, cognito Alexandri aduentu ad Indos, qui cis Indum flumen incolunt, fugit. quem Indi comprehensum ad Alexandrum mittunt. Alexander illum ob perfidiam, qua erga Darium vsus fuerat, interfici iussit. est eiusdem mentio apud Siculum in XVII.

GAMAXVSQVE REX) Nihil admodum de hoc regulo cognoui; nihil enim Arrianus, Plutarchus, Siculus, Strabo, alij. interfectus haud dubiè cum Barzaente hoste Alexandri, cum quo se coniunxerat.

IN VLTERIORE RIPA PORVS CONSEDERAT) Hic locus est, vt de Poro magno Indorum rege (cuius serus successor itidem Porus Augusti æuo sexcentis regibus imperitabat) narremus. Nemo ferè celebrium scriptorum, qui è veteribus aliquid de Indis post Alexandri æuum prodidere, præsertim è Græcis, Porum silentio transmisit. Laudat hunc Geographus, laudat Siculus, Philostratus, Arrianus, Plutarchus ex ipsius Alexandri epistolis, Eustathius. è Latinis præter Curtium Iustinus, Orosius, Galterus poeta. Singulos suo quemque loco ad testimonium citabo.

TRAN-

TRANSITV PROHIB. HOSTEM) non poterat commodiore loco, vbi simul cum vndis & hoste pugnandum erat Alexandro.

ELEPHANTOS LXXXV. OBIECERAT) Arrianus vbi vniuersum Pori exercitum recenset, quo occurrit Alexandro, equitum ponit quatuor millia, currus trecentos, elephantos ducentos, peditum triginta millia. Addit Arrianus, præter hos ex elephantis aliquot cum firmo præsidio in castris relictos, qui Crateri equitatum in aduersa ripa stantem transitu prohiberent, ipse cum toto reliquo exercitu in Alexandrum pergeret. Siculus peditum quinquaginta millia, equitum tria millia, currus mille & amplius, elephantos centum triginta. Reliqui scriptores numerum prætereunt. Sed multo maiores copias Alexander sub signis habebat, qui cum centum & XX. millibus, vt suprà demonstratum est, Indiæ fines est ingressus.

GRAVIORIB. TELIS) binum cubitorum sagittis inhabili pondere. reuolue c. 17.

IPSVM VEHEBAT ELEPHANTVS) de hac belua plura, capite extremo.

CORPVS RARAE MAGNITVDINIS) De proceritate & magnitudine corporis Pori cõplures meminere. Siculus. *Hoc agmine impreßione in hostes facta, prolixam edit cædem, eò potißimum, quod viribus corporis omnes secum militantes superabat. Nam cubitos quinque longus erat, craßitudine autem tanta, vt lorica eius duplo excederet loricas aliorum, qui robore excellerent. Quamobrem vernis ab eo proiectis tanta vis inerat, vt non multum citra catapulta iactum sufficerent.* Quod de statura quinque cubitorum dicit Siculus; sciendum cubitum vnum continere sesquipedem; quinque cubitos autem, septem pedes & semis. Eustathius ad Periegetem multos apud Indos ait πεντaπήχεις reperiri. Porum autem ὑπὲρ πεντάπηχυν excelsisse modum quinque cubitorum affirmat, hoc est; ad octo pedes geometricos accessisse. Idem Arrianus: *Poro obuiam iuit Alexander, magnitudinem* p.114. *Pori (erat enim quinque cubitis procerior) & pulchritudinem simul admiratus est.* Itaque reor Plutarcho inesse mendum, qui in vita Alexandri, Porum palmo tantum quatuor cubitos superasse. verba Plutarchi: *οἱ δὲ πλεῖστοι τῶν συγγραφέων ὁμολογοῦσι τὸν Πῶρον ὑπεραίροντα τεσσάρων πηχῶν σπιθαμῇ τὸ μῆκος, ἱππότου μηδὲν ἀποδεῖν πρὸς τὸν ἐλέφαντα συμμετρίᾳ διὰ τὸ μέγεθος, καὶ τὸν ὄγκον τοῦ σώματος, καίτοι μέγιστος ἦν ὁ ἐλέφας. Porum plerique scriptores consentiunt quatuor cubitos palmo excedentem, ob corporis eminentiam & molem, elephanto, quantumuis fuerit grandis equitis portione respondisse.* Itaque cum reliqui scriptores πεντάπηχυν καὶ ὑπὲρ πεντάπηχυν fuisse tradiderint, pro τεσσάρων πηχῶν legerim ego πέντε πηχῶν. Philostratus, τοιοῦτον τὸν Ἰνδὸν τοῦτον ἱστοροῦσι. γενέσθαι δέ φασιν αὐτὸν κάλλιστον Ἰνδῶν, καὶ μῆκος, ὅσον οὔπω τινὰ ἀνθρώπων μετὰ τοὺς Τρωικοὺς ἄνδρας, εἶναι δὲ κομιδῇ νέον ὅτε τῷ Ἀλεξάνδρῳ ἐπολέμει. *Talem igitur hunc Indũ historici referunt, aiuntque illum pulcherrimum omnium Indorum fuisse: proceritate autem corporis tanta, quanta post Troiana tempora nemo extitit, fuisse quoque admodum adolescentem, quando cum Alexandro pugnauit.* Galterus de eiusdem immensa mole:

——— sed in illis maximus oris
Solus Aexandro Magno certamine Porus
Obuius ire parat, veluti cum parte reuulsa
Alpinis lateris, ruit alta per auia rupes
Obuia confringens sinuoso turbine saxa.
Si verò Stygios penetrans radice recessus
Instar ei montis occurret saxea moles,
Fit fragor, & magnis confligunt montibus amba.

Et intrà.

Humaniq; modum transgressum corporis auro
Arma tegunt Regem, niueo distincta metallo
Par animus membris, & quanto corpore cunctos
Excedit, tanto est reliquis præstantior Indis.

FLVMINIS) Hydaspis, quod hic flumen Curtius accuratè describit, & quatuor stadia latum, hoc est, octauam partem milliaris Germanici, actam altum, vt nusquam vada aperirentur. quæ Galterus ita carmine conclusit, vt fermè etiam verba Curtij tantum in numerum coacta retineret:

Terruerat Græcos non tantum turbidus hostis,
Sed vehemens fluuij rate traijcienda vorago
Instar erat maris vndisoni, speciesq; profundi
Quatuor in latum stadijs diffusus Hydaspes
Alueus altus erat, nusquam vada, transitus ergo &c.

Contra Onesicritus apud Plutarchum affirmat, Macedones relictis ratibus eluuiem fluminis sub armis superasse, pertingente ad pectus vnda. tam nihil vnum referunt scriptores, Arrianus per æstatem negat vado transiri posse in hieme, quod illa tempestate flumina decrescant, æstate solutis niuibus infleotur & intumescant, sed tunc in æstiuo solstitio alicubi reperta vado transitum inuenisse. Auctor de fluminibus, qui Plutarcho falso inscribitur, cum nominis etymon, seu fabulam potiùs de rege se in flumen inijcientis exposuisset, ex Dercyllo 3. de montibus

refert

refert montem flumini subiectum appellari elephantem hanc ob caussam. Alexandro cum exercitu Indiam inuadenti visum incolis armis occurrendum esse. Pori verò terrarum illarum regis elephas quo vehebatur repente æstro percitus tumulum Solis conscendit, ibique humana voce vsus, Domine rex, inquit, qui genus * ab Gegasio ducis, nihil contra Alexandrum moliare, est enim Ioue natus; & cum dicto occubuit. Quo Porus audito, trepidus, ad Alexandri genua accidit, pacemque orauit, qua potitus montem à belua elephantem appellauit, quemadmodum in 3. de montibus Derbyllus narrat. Hæc auctor de fluminibus, quem Latinè nondum vidi: locum è Græco transtuli. totum tamen librum fabulis aspersum reperio. Nos ad certiora vertamur.

* ἀπὸ γηγασίω.

TERRIBILIOR FACIES ERAT RIPAE) Idem Arrianus, sed multo luculentius noster Curtius, præ quo frigidus est Græcus, quantumuis se Atticè loqui glorietur. Latina tantùm apponam, ex quibus de Græcis quoque neruis & cultu poteris existimare. Prolixius tamen ille & copiosius, vt ferè Græci solent. *Porus, inquit, in aduersa ripa cum omni exercitu conspiciebatur, elephantis stipatus qui quidem qua parte Alexandrum castra posuisse videbat, ipsemet transitum tuebatur: ad reliquas verò fluminis partes, quà facilius transiri posse videbatur, præsidia mittebat, ducesque singulos præficiebat, qui Macedones transitu fluminis prohiberent. Hæc animaduertens Alexander, sibi quoque exercitum in varias partes mittendum esse statuit, vt Pori consilia turbaret, dubiaque redderet. Diuiso itaque in multas partes exercitu, alios aliò atque aliò diuisos, partim quacunque hostilia erant vastans, partim contemplans qua commodiùs transmitti flumen posset: ducum etiam alios atque alios mandatis additis in varias partes dimisit. Multum præterea frumenti ex omni regione Hydaspen sita in castra conuehebatur, vt Poro fides fieret Alexandrum ibi ad ripam mansurum, donec aqua fluminis per hyemem subsidente facultas ei diuersis partibus transeundi fieret. Nauigia etiam in aliam atque aliam partem ducta, & pelles tentoriorum stramentis repleta, totaq; ripa equitatu pariter ac peditatu obsessa, anxium atq; solicitum Porū tenebant: neq; si quid consilij quod ad ripæ custodiā expediret cœpisset, id omnino exequi sinebant. Accedebat huc, quòd eo tempore omnes Indiæ fluuii multam eamque turbulentam aquam trahebant, & rapido cursu ferebantur. Erat enim per id anni tēpus Solstitium æstiuū; quo quidem tēpore creberrimi imbres è cælo in Indorum regionem ruunt, & Caucasi niuibus (quo in mōte multi fluuiorum fontes oriuntur) æstu solutis amnes summopere augentur. hyeme verò rursum & niuos sese continent, amnesq; minores purioresq; fiunt, ac nonnullis in partibus vado transiri possunt, excepto Indo & Gange, & fortassis alio aliquo. Hydaspes certè vado transiri potest. hoc itaque anni tempus expectaturum se Alexander vulgauerat si tum temporis transitu prohiberetur. nihilominus tamen insidias locarat, ea spe, vt alicubi clam hostibus celeriter flumen transmitteret. Quumque ea quidem parte qua Porus castra posuerat ad ripam Hydaspis transiri posse diffideret, cùm ob multitudinem elephantorum, tum quòd ingens exercitus in suas copias flumen egredientes impetum facturus esset: præterea quod existimaret se equos ipsos difficulter in vlteriorem ripam perducturum, elephantis occurrentibus, qui ipso aspectu & clamore equis terrorem incussuri essent. Sed ne ipsos quidem equos apud pelles iuxta flumē contineri posse suspicabatur, sed statim atque elephantos in aduersa ripa positos, conspexissent attonitos amnem petituros.*

CAPACIA BONAE SPEI PECTORA) de Macedonibus loquitur, aspectu elephantorum & equitum armatorumque in aduersa ripa tamquam turres & cautes consistentium territis. Diodorus breuissimè nō tam de ripa, quàm ipsa Pori acie: *Tota igitur acies, vrbis speciem exhibebat. nam elephantorum statio turribus, & militum inter hos ordines extenti, muris erant assimiles.*

CAPVT XXIV.

ARGVMENTVM.

Duorum iuuenum infelix audacia. Alexander stratagemate Hydaspen superat.



AEterùm in Macedonum exercitu temeritate atque audacia insignes fuere Hegesimachus & Nicanor nobiles iuuenes, & perpetua porrum felicitate ad spernendum omne periculum accensi. Quis ducibus promtissimi iuuenum lanceis armati modò tranauere in Insulam, quam frequens hostiu tenebat, multosq; Indorum nulla re melius, quàm audacia armati interemerunt. Abire cum gloria poterant, si vmquam temeritas felix inueniret modum. Sed dum superuenientes contemtim & superbè quoq; expectant, circumuenti ab iis qui occulti enauerāt, eminus obruti telis sunt. Qui effugerant hostē, aut impetu amnis ablati sunt, aut verticibus implicati, eaq; pugna multum fiduciā Pori

erexit cũcta ternentis è ripa. Alexãder inops cõsilij tandẽ ad fallendũ hostẽ talem dolũ intendit. Erat insula in flumine amplior cæteris, siluestris eadem, & tegendis insidijs apta. fossa quoque prealta haud procul à ripa, quàm tenebat ipse, non pedites modò, sed etiam cũ equis viros poterat abscõdere. Igitur vt à custodia huius opportunitatis oculos hostium auerteres, Ptolemæum cum omnibus turmis obequitare iussit procul insula, & subinde Indos clamore terrere, quasi flumen tranaturus foret. Per complures dies Ptolemæus id fecit, eoque consilio Porum quoque agmen suum ei parti, quam se petere simulabat, coegit aduertere. Iam extra conspectum hostis insula erat: Alexander in diuersa parte ripæ statui suum tabernaculum iussit, assuetamque comitari ipsum cohortẽ ante tabernaculum stare, & omnem apparatum regiæ magnificentiæ hostium oculis de industria ostendi. Attalũ etiam æqualem sibi, & haud disparem habitu oris & corporis, vtique cùm procul visceretur, veste regia exornat; præbiturum speciem ipsum regem illi ripæ præsidere, nec agitare de transitu. Huius consilij effectum primò morata tempestas est, mox adiuuit, incommoda quoque ad bonos euentus vertente fortuna. Traijcere amnem cum cæteris copijs in regionem insulæ (de qua antè dictum est) parabat, auerso hoste in eos, qui cum Ptolemæo inferiorẽ obsederant ripam, cùm procella ingens imbrem vix sub tectu tolerabilem effudit: obrutique milites nimbo in terram refugerunt, nauigijs ratibusque desertis. Sed tumultuantium fremitus obstrepentibus ventis ab hoste non poterat audiri. Deinde momento temporis repressus est imber. Cæterùm adeò spissæ intendere se nubes, vt conderent lucem, vixq́; colloquentium inter ipsos facies noscitaretur. Terruisset alium obducta nox cælo, cum ignoto amne nauigandum esset, forsitan hoste eam ipsam ripam, quam cæci atque improuidi, & ex periculo gloriam accersentes petebant occupante: obscuritatem, quæ cæteros terrebat, suam occasionem ratus, dato signo vt omnes silentio ascenderent in rates, eam qua ipse vehebatur, primam iussit expelli. Vacua erat ab hostibus ripa quæ petebatur: quipppe adhuc Porus Ptolemæum tantum intuebatur. Vna ergo naui, quam petra fluctus illiserat hærente, cæteræ euadunt. Armaq́ue capere milites, & ire in ordines iussit.

AVDACIA INSIGNES FVERE HEGESIMACHVS ET NICANOR) Hanc iuuenum audacissimorum narrationem præter Curtium & Galterum poetam, veterum scriptorum exequitur nemo, vt scisi non possit, vnde illam, vt & multa alia, Curtius hauserit, cuius pleraque verba numeris illigauit Galterus, aliquidq́ue adiecit de suo: sed propria iuuenum nomina corrupit, cùm pro Hegesimacho posuit Symachum, primamq́ue contra leges elisa altera litera corripuit, vt & in Nicanore cum Græcis *νικάω* prima perpetuò tendatur. Edita tamen in altero habent Symmacho non Hegesimacho. apponerẽ versus Galteri, nisi vererer, ne delicato lectori mouerem stomachum.

PERPETVA PARTIVM FELICITATE) ab Alexandri semper felicis, semper victoris partibus stabant, cum Alexandro domo egressi. Cæterum duo Nicanores à Curtio prædicantur, Parmenionis filius, & hic Nicanor, de Hegesimacho nihil præterea Curtius.

SI NVNQVAM TEMERITAS FELIX INVEN. MODVM) edita priora, temeritas infelix: sed emendatius MSS *felix*. nam si temeritas, inquit Gruterus, infelix fuerit, eo ipso sibi vltro ponat modum necesse est, neque tam dicatur temeritas, quàm infamia, & clades inde accepta caret solatio.

EAQVE PVGNA MVLTVM FIDVC. PORI EREXERAT) Sed illa non fuit diuturna Alexandro; quamuis anxio, mox tamen offensam suorum corrigente.

INOPS CONSILII) cùm vix haberet aut videret, quo se verteret, à vi ad artes & dolos prouocauit.

— Quid enim? dolus an virtus quis in hoste requirat?

p.108 INSVLA ERAT) Arrianus de hoc dolo & insula paullò prolixiùs. *Furtiuo itaque transitu*, inquit, *vtendum sibi esse ratus, ita rem instituit. noctu equitibus ad diuersas ripæ partes adductis, clamore sublato, & classico cani iusso, omnibusque ad transitum preparatis ingens tumultus excitabatur. Porus contra ad eam partem qua clamor edebatur elephantos adducit. Alexander more suo se hostis aciei opposuit. Cumq́ue multo tempore hoc fieret, neque aliud præter clamores ederetur, Porus ad equitum incursiones moueri destitit. metus enim causa intellecta, eo loci vbi castra fixerat, mansit, speculatoribus per varia ripæ loca dispositis. Alexander vt iam Poro metum nocturnarum excursionum exemeras, huiuscemodi quid molitur. Rupes erat ad ripam Hydaspis sita, ex parte qua amnis sese magnopere flectit, arboribus varij generis perfrequens, iuxta rupem insula in medio amne erat siluosa, atque*

ob soli-

absolitudinem inaccessa,quam cùm animaduertisset ex aduerso rupis,& vtrinque siluestria loca quaque Macedones transitum tentantes occulere possent,hac parte exercitum transmittere statuit. Distabat ea rupes atque insula à magnis castris CL. *stadijs.porrò per omnem ripam custodia disposita erant,tanto inter se spatio distincta,vt alij alios cernere,facileq; mãdata excipere posset.* Plutarchus ex ipsius Alexãdri epistola,ait;Porum interlabente vtraque castra Hydaspe elephantos semper infestos tenẽtem captasse Alexandri transitum,ipsum verò Alexandrum strepitũ in castris & tumultũ quotidie ingentem excitasse,quo assuefaceret suos non formidare barbaros. hinc nocte brumali & obscura cum parte peditum & lectissimis equitibus procul se ab hostibus progressum,in insulam non magnam transmisisse. Quod Plutarchus noctem brumalem, noli hiemem accipere, quam fortasse interpres respexit: solstitio enim æstiuo omnia quæ hic narrantur, Arriano teste, accidere: sed noctem fœdam tempestatibus, terribilem fulminum ictibus, tonitruum fragoribus, fulgetris, imbribus, ventis: qualem denique Curtius infrà, & ipse Plutarchus describit.

FOSSA QVOQVE PRAEALTA) hanc rupes faciebat, quæ non procul à ripa aberat, vt ex Arriano audisti.

SILVESTRIS) iuxta rupem insula in medio flumine sinuosa, Ptolemæũ cum omnibus turmis obequitare. Arrianus, *Clamores etiam noctu varijs ex locis id multis vocibus edi, ignesque excitari iubet.*

IAMQVE EXTRA CONSPECTVM HOSTIS INSVLA ERAT) Ptolemæus enim procul ab insula ripa stantem abduxit, atque vt ibi Porum distineret Alexander in speciem suum tabernaculum fixit, & Attalum os humerosque sibi similem regia insignia & ornamenta comitatum, custodes corporis adhibere, & imitari regem ipsum iussit; vt Porus deceptus imagine falsa Alexandri, putaret in castris Alexandrum versari. apud Arrianum Craterus castris præficitur. plura ibid. Arrianus p.108

ATTALVM ETIAM) de hoc paullò aliter Arrianus, *Medio autẽ loco*, inquit, *inter insulã & castra apud qua Craterũ reliquerat, Meleagrum atque Attalum & Gorgiam cum mercenarijs equitibus ac peditibus statuit, mandatu addito, vt diuiso in partes exercitu, quum Indos pugna implicitos cernerent, etiam ipsi traijcerent. Ipse delecto amicorum agmine & equitatu Hephæstionis, Perdicca & Demetrij, Bactrianis etiam & Sogdianis, & Scythis equitibus, & Daarum equestribus sagittarijs, ex phalange verò sumtis argyraspidibus Clitique ac Cœni copijs, & sagittarijs atque Agrianis, remotius nonnihil à ripa, ne ab hostibus ad rupem atque insulam (qua traijcere statuerat) sese conferens cerneretur, exercitum duxit.*

CVM PROCELLA INGENS) Alexander ipse testis apud Plutarchum, *Ibi*, inquit, *imbre ingentibus procellis fuso, crebrisque in exercitum presteribus & fulguribus cadentibus, soluisse tamen, quanuis interire nonnullos & perstringi fulmine videret, ex insula se ad vlteriorem ripam contendisse. Hydaspen, cùm ex illa tempestate torrens & tumidus ferretur, perrupisse grandi eluuie ripam, magnamq; partem illac vnda decurrisse. Terram se intermediam cepisse non satis, ab vbi pede, vtpote lubricam, quam vndique lacerabat vnda. Ibi dixisse autumant eum, Quis credat, Athenienses, quanta pericula vestri praconij causa subeam?* p.583.

Et Arrianus, *Tum per noctem pelles iam multò antè eò allata stramentis implentur, accurateque consuuntur. largus etiam imber ea nocte è cœlo effusus effecit, vt apparatus qui ad traijciendum fiebat minus sentiretur, cum & tonitruorum & imbrium sonus strepitum armorum & clamores imperantium ducum intercipéret.* Diodorus tantùm conflictum describit, tempestatem declinauit. p.109.

QVA IPSE VEHEBATVR) *Pleraque etiam nauigia*, inquit Arrianus, *dissecta ad eum locum aduecta, & clam compacta in silua occultabantur, atque inter alia naues triginta remorum. Sub lucem itaque vento pariter atque imbre sedato, equitatus ac peditatus, quantum aut pelles aut nauigia ferre potuerunt, in insulam euasit, ita vt non prius à speculatoribus, quos Porus ad ripã statuerat, conspecti fuit, quàm praterita insula, iam non procul ab ripa abessent. Ipse conscensa naue* XXX. *remorum in ripam euasit, vnaque cum eo Ptolemæus & Perdiccas ac Lysimachus corporis custodes, ex socijs etiam Seleucus cui postea regnare contigit, & argyraspidum dimidia pars. reliquos argyraspidas alia naues triginta remorum vexerunt. simulac verò exercitus insulam prætergressus est, conspiciente iam hoste in ripam contendebant.* Ex hac narratione animadnertis dissentire Curtium ab Arriano, qui Ptolemæum ait cum Alexandro traiecisse: Curtius, distinuisse eum ad alium ripæ locum Porum. incertum cui magis credas, Græco an Latino, cùm accuratè etiam scripserit Græcus. Alexander ipse apud Plutarchum ait, Macedonas relictis ratibus & nauibus, sub armis eluuiem illam superasse, pertingente ad pectus vnda. p.109.

CAPVT XXV.

ARGVMENTVM.

Prœlium Alexander cum Poro committit, vincit, fugientem capit, capto parcit, maioremq; regem efficit.



IAMQVE agmen in cornua diuisum ipse ducebat, cum Poro nunciatur armis virisque ripam obtineri, & rerum adesse discrimen. ac primo humani ingenij vitio spei suæ indulgens, Abisarem belli socium, & ita conuenerat, aduentare credebat. mox liquidiore luce aperiente hostem, C. quadrigas & IV. millia equitum venienti obiecit. Dux erat copiarum, quas præmisit, Hages frater ipsius. summa virium in curribus. senos viros singuli vehebant, duos clypeatos, duos sagittarios ab vtroque latere dispositos: aurigæ erãt cæteri, haud sanè inermes: quippe iacula cõplura, vbi cominus præliandum erat, omissis habenis in hostẽ ingerebãt. Cæterũ vix vllus vsus huius auxilij eo die fuit. namque, vt supra dictum est, imber violentiùs quàm aliàs fusus, campos lubricos & inequitabiles fecerat. grauesque & propemodum immobiles currus illuuie ac voraginibus hærebant. Contrà Alexander expedito ac leui agmine strenuè inuectus est. Scythæ & Dahæ primi omnium inuasere Indos. Peraccã deinde cum equitibus in dextrum eorum hostium emisit. Iam vndique pugna se mouerat, cum ij qui currus agebant, illud vltimum auxilium suorũ rati, effusis habenis in medium discrimen ruere cœperunt. anceps id malum vtrisque erat. Nam & Macedonum pedites primo impetu obterebantur, & per lubrica atque inuia immissi currus excutiebant eos à quibus regebantur. aliorum turbati equi non in voragines modò lacunasque, sed etiam in amnem præcipitauêre curricula. Pauci tenus hostium exacti penetrauêre ad Porum acerrimè pugnam cientem. Is vt dissipatos tota acie currus vagari sine rectoribus vidit, proximis amicorum distribuit elephantos. Post eos posuerat peditem ac sagittarios tympana pulsare solitos. Id pro cantu tubarum Indis erat, nec strepitu eorum mouebantur, olim ad notum sonum auribus mitigatis. Herculis simulacrum agminis peditum præferebatur. Id maximum erat bellantibus incitamentum; & deseruisse gestantes militare flagitium habebatur: Capitis etiam sanxerant pœnam ijs, qui ex acie non retulissent, metu quem ex illo hoste quondam conceperant, iam in religionem venerationemque conuerso. Macedonas non beluarum modò, sed etiam ipsius regis adspectus parumper inhibuit. beluæ dispositæ inter armatos speciem turrium procul fecerant. Ipse Porus humanæ magnitudinis propemodum excesserat formam. Magnitudini adijcere videbatur belua qua vehebatur, tantum inter cæteras eminens, quantum alijs ipse præstabat itaque Alexander contemplatus & regem & agmen Indorum, Tandem, inquit, par animo meo periculum video. cum bestijs simul & cum egregijs viris res est. intuensque Cœnon, Cum ego, inquit, Ptolemæo Perdiccaque & Hephæstione comitatus in læuum hostium cornu impetum fecero, viderisque me in medio ardore certaminis, ipse in dextrũ moue, & turbatis signa infer. Tu Antigone, & tu Leonate, & Tauron inuehimini in mediam aciem, & vrgebitis frontẽ. hastæ nostræ prælõgæ & validæ nõ aliàs magis quàm aduersus beluas rectoresq; earum vsui esse poterunt. deturbate eos qui vehuntur, & ipsas confodite. anceps genus auxilij est, & in suos acrius furit: in hostem enim imperio, in suos pauore agitur. Hæc elocutus, concitat equum primus: iamque, vt destinatum erat, inuaserat ordines hostium, cum Cœnus ingenti vi in dexterum cornu inuehitur. Phalanx quoque in mediam Indorum aciem vno impetu perrupit. At Porus quà equitem inuehi senserat, beluas agi iussit: Sed tardum & penè immobile animal equorum velocitatem æquare nõ poterat. nec sagittarum quidem vllus erat barbaris vsus: quippe longas & prægraues, nisi prius in terra statuerent arcum haud satis apte & commode

commodè imponunt. tum humo lubrica, & ob id impediente conatum, molientes ictus, celeritate hostium occupantur. Ergo spreto regis imperio (quod ferè fit) vbi turbatis acriùs metus quàm dux imperare cœpit, totidem erāt imperatores, quot agmina errabant. alius iungere aciem, alius diuidere, stare quidam, & nonnulli circumuehi terga hostiū iubebant. nihil in medium cōsulebatur: Porus tamen cum paucis, quibus metu potior fuerat pudor, colligere dispersos, obuius hosti ire pergit, elephantosq́; ante agmen suorū agi iubet. magnum belua iniecere terrorem, insolitusq́; stridor nō equos modò, tam pauidum ad omnia animal, sed viros quoque ordinesq́; turbauerat. iam fuga circumspiciebant locū paulò antè victores, cùm Alexander Agrianos & Thracas leuiter armatos meliorē concursatione, quàm cominus militem, emisit in beluas. ingentem ij vim telorum iniecere, & elephantis & regentibus eos. phalanx quoque instare constanter territis cœpit. Sed quidam auidius persecuti, beluas in semet irritauere vulneribus. obtriti ergo pedibus earum, cæteris vt parciùs instarent, fuere documentum. præcipuè terribilis illa facies erat, cùm manu arma virosque corriperent, & super se regentibus traderent. anceps ergo pugna nunc sequentium, nunc fugientium elephantos, in multum diei varium certamen extraxit, donec securibus (id namque genus auxilij præparatum erat) pedes amputare cœperunt. Copidas vocabant gladios leuiter curuatos, falcibus similes, quis appetebant beluarum manus. nec quidquam inexpertum non mortis modò, sed etiam in ipsa morte noui supplicij timor omittebat. ergo elephanti vulneribus tandem fatigati suos impetu sternunt: & qui rexerant eos, præcipitati in terrā ab ipsis obterebantur. Itaque pecorū modo magis pauidi, quā infesti, vltra aciem exigebantur; cū Porus destitutus à pluribus tela multò antè præparata in circumfusos ex elephāto suo cœpit ingerere, multisq́; eminus vulneratis, expositus ipse ad ictus, vndiq; petebatur. nouem iā vulnera hinc tergo, illinc pectore exceperat, multoq́; sanguine profuso languidis manibus, magis elapsa, quàm excussa tela mittebat. nec segnius belua instincta rabie, nōdum saucia, inuehebatur ordinibus, donec rector beluæ regem conspexit fluentibus membris, omissisq́; armis vix compotem mentis. tum beluam in fugā concitat sequente Alexandro. Sed equus eius multis vulneribus confossus deficiensq́; procubuit, posito magis rege quā effuso. itaq; dum equū mutat, tardiùs insecutus est. Interim frater Taxilis regis Indorum præmissus ab Alexandro monere cœpit Porum, ne vltima experiri perseueraret, dederetq; se victori. at ille, quanquam exhaustæ erant vires, deficiebatque sanguis, tamen ad notam vocē excitatus, agnosco, inquit, Taxilis fratrem imperij regnique sui proditorem, & telum quod vnum fortè non effluxerat, contorsit in eum: quod per medium pectus penetrauit ad tergum. hoc vltimo virtutis opere edito fugere acrius cœpit. sed elephantus quoque, qui multa exceperat tela, deficiebat. Itaque sistit fugam, peditemque sequenti hosti obiecit. Iam Alexander consecutus erat, & pertinacia Pori cognita, vetabat resistentibus parci. Ergo vndique & in pedites, & in ipsum Porum tela congesta sunt, quis tandem grauatus labi ex belua cœpit. Indus qui elephantum regebat, descendere eum ratus, more solito elephantum procumbere iussit in genua: qui vt se submisit, cæteri quoq; (ita enim instituti erant) demisere corpora in terrā. Ea res & Porū, & cæteros victoribus tradidit. ex spoliari corpus Pori, interemptum esse credens, iubet: & qui detraherent loricam vestemq́;, concurrere, cum belua dominum tueri, & spoliantes cœpit appetere, leuatumq; corpus eius rursus dorso suo imponere. ergo telis vndiq; obruitur, confossoq́; eo in vehiculum Porus imponitur. quem rex vt vidit alleuantem oculos, non odio sed miseratione commotus, Quæ malum, inquit, amentia te coegit, rerum mearū cognita fama, belli fortunam experiri, cum Taxiles esset in deditos clementiæ meæ tam propinquum tibi exemplum? At ille, Quoniam, inquit, percontaris, respondebo ea libertate quam interrogādo fecisti. Neminem me fortiorem esse censebam. meas enim noueram vires, nondum expertus tuas. fortiorem esse te, belli docuit euentus. Sed ne sic quidem parū felix sum, secundus tibi. Rursus interrogatus quid ipse victorem statuere debere censeret? Quod hic, inquit, dies tibi suadet: quo expertus es quàm caduca fœlicitas esset. Plus monendo profecit, quàm si precatus esset: quippe magnitudinem animi eius interritam, ac ne fortuna quidem infractam, non misericordia modò, sed etiā honore excipere dignatus est. Aegrum curauit haud secus, quàm si pro ipso pugnasset. confirmatum contra spem omnium in amicorum numerum recepit, mox donauit ampliore regno, quàm tenuit. Nec sanè quid-

 quam

quam ingenium eius solidiùs aut constantiùs habuit, quàm admirationem veræ laudis & gloriæ. Simpliciùs tamen famam æstimabat in hoste, quàm in ciue: quippe à suis credebat magnitudinem suam destrui posse: eandem clariorem fore, quo maiores fuissent quos ipse vicisset.

Sequitur vltimum nobilissimi huius libri caput, & vltimum simul fœlicium Alexandri operum, nam quæ duobus extremis libris describuntur, nil ferè nisi luctus & seditiones, funera, discordias, & demum ipsius Alexandri tristissimam mortem, totiusque stirpis excidium continent, paullum subinde adhuc quasi interlucente fortuna, cùm Liberi patris cum exercitu redeunte imitatus est triumphum, & Susis nouos celebrauit nuptiarum cum amicis pompas. cætera pleraque omnia, τραγικώτατα & funestissima, non sine luctu & dolore ipse cognosces: quanquam sit & quædam flere voluptas, & tristia non sine delectatione legantur.

Luc. 2.

Suaue, mari magno turbantibus æquora ventis
E terra magnum alterius spectare laborem,
Non quia vexari quemquam, est iucunda voluptas,
Sed quibus ipse malis careas, quia cernere suaue est.

Ita spectamus & legimus non sine voluptate, Tragicorum dramata, quantumuis tristia.

CVM PORO NVNCIATVR) Arrianum hic interpretem adhibe. p. 109. 110.

HVMANI ING. VITIO SPEI SVAE INDVLGENS) Spes enim omnium vltima afflictos deserit. Tardius credimus aduersa quàm secunda. Spem Porus in Abisaris auxilijs posuerat, sed is non nisi serum auxilium tulit, adeoque se & socium perdidit.

CENTVM QVADRIG. ET QVAT. MILL. EQVIT. HOSTI OBIECIT) Cùm pulsis tenebris illustrior dies Poro Alexandrum hostem, non Abisarem amicum ostendisset, tum ad eum præpediendum Hagen fratrem cum centum quadrigis & IV. millibus equitum misit. Mira hic scriptorum rursus dissensio, aliud Curtius, Plutarchus, aliud Aristobulus, aliud Ptolemæus apud Arrianum narrant; quos ipse adibis.

HAGES FRATER) atqui Ptolemæus, Aristobulus, & ipse Arrianus aiunt Pori filium, nulla fratris facta mentione aduersus Alexandrum filiumque Pori, in prœlio occubuisse.

VIX VLLVS VSVS HVIVS AVX. EO DIE FVIT) vitio tempestatis, quæ terrã cœno miscuit, vt currus in luto hærerent. Idem narrat Siculus: γενομένης δὲ μάχης τὸ μὲν πρῶτον τοῖς ἱππεῦσι πάντα σχεδὸν τὰ ἅρματα τῶν Ἰνδῶν διεφθάρη. Conflictu ergo ab equitibus primum inito, statim currus Indorum ferè omnes fracti periere. Aristobulus apud Arrianum ait, currus esse captos, quod tardiores essent in fuga, & limus cursum impediret.

SCYTHAE ET DAHAE) qui in castris Alexandri pro Alexandro pugnabant.

PAVCI TENVS HOSTIVM EXACTI) ita chirographi libri: editi veteres *tamen* pro *tenus* habent. sensus est, pauci ex curribus & aurigis ex hostibus elapsi ad Porum properarunt, ex tota hostium acie exacti, seu in fugam coniecti.

In Indicis p. 171.

TYMPANA PVLSARE SOLITOS) Arrianus in Indicis: *Primus etiam Dionysius, id est Bacchus, boues aratris iunxit, & plerosque Indorum ex pastoribus aratores fecit, Martijsque armis armauit, & cultum cum aliorum deorum, tum sui ipsius docuit, quem tympanorum & cymbalorum pulsu fieri iussit, adeo vt ad Alexandri vsque tempora cymbalis & tympanis prælia inierint.* Diodorus in II. Biblioth. de Libero patre locutus: *Fœminarum quoque agmen in exercitu circumduxisse, & in acie tympanis cymbalisque tuba nondum reperta vsum memorant.* Strabo: *Post vrbis præfectos*, inquit de Indis, *est tertium collegium, quod circa rem militarem versatur ad eundem modum in quinterniones sex diuisum, quorum vnum adiungunt classis præfecto, secundum qui bobus præest: ijdem ministros præbent, qui tintinabulis vtuntur: item stratores & machinarum fabros, & horum famulos, quos pabulatum ad tintinabulum emittit, imo regem ad venationem egredientem præcedunt etiam tympana & tintinabula.*

HERCVLIS SIMVLACRVM) huius rei testem Curtius vix inueniat ex ijs qui hodie leguntur.

QVEM EX ILLO HOSTE) Hercule, quem vt hostem primo horruere, postea vt Deum coluere.

BELVAE DISPOSITAE) Quo ordine & loco & modo fuerint in exercitu Pori collocati, mox infrà in icone & totius aciei dispositione tabulis expressa spectabis & intelliges.

PORVS HVM. MAG. PROP. EXCESS. FORMAM) iam suprà dixi ad quinque cubitos & palmum ipsius altitudinem fuisse, hoc est, septem pedes & semis cum palmo. Goliathus in 2. regum, vno cubito & palmo excelsit Porum, octo pedes longus cum palmo: & pedes hic accipio geometricos, non communem hominis. nam alioqui quisque hominum qui iusta symmetria constat, & non est mendosus, septem pedes est longus & latus brachijs extentis, sui pedis dimensione, siue sit infans, siue puer, siue vir, siue mulier. positusque in vmbilico, qui medium hominis

minis punctum & cardinem occupat, circuli pes alter circumductus extremos pedum & manuum articulos attingit, non secus atque angulos rectos in corpore ad vnguem quadrare. Iam pes geometricus communem hominis communis pedem longè excedit. Cæterum, ex quouis articulo hominis iusti, potest illius magnitudo colligi, non secus quam ex pede Herculis, stadium ipsius, vel potius ex stadio illius, ipse Hercules. quod doctiores statuarij, pictores & architecti probè norunt.

MAGNITVD. ADIIC. VIDEB. BELVA QVA VEHEBATVR) Elephantum dicit Pori tãto maiorem reliquis elephantis fuisse, quanto Porus ipse maior reliquis hominibus erat. Accipe quid Philostratus de hoc elephanto tradat: *Elephantum*, inquit Morellus doctissimus interpres, l.2.c.10. *quo in pugna vti debebat, coram adductum gubernator ostendens, Iste, inquit, ô rex te feret: imo verò, inquit Porus, ego ipsum feram, si vir mihi similis ero.*

TANDEM, INQVIT, PAR ANIMO PERIC. VIDEO) Antehac cum Persis & fæminis pugnaui, nunc in parem mihi virum incidi, nec virum tantùm, sed immanissimas feras, cum quibus simul certandum est.

IN LAEVVM HOSTIVM CORNV) Nemo diligentius exercitus compositam & dispositam aciem Pori describit, quàm Arrianus, quem hoc loco pro interprete Curtij adducam, vt intelligatur, quo ordine vtriusque regis exercitus constiterit. Descriptioni subiiciam ideam & formam copiarum vtrinque ad prælium paratarum. ergo Alexandri acies, vti apud Curtium legis, ita stetit. Alexander cum suo equitatu obuersus fuit cornu læuo Pori: Cœnus dextro: Antigonus, Leonnatus, Tauron in medio contra frontem & mediam aciem Pori, hoc est, contra elephantos constitère. & hi omnes equites quos à tergo phalanx est secuta, cuius latera sagittarij & Agriani tegebant. Arrianus Alexandri aciem non adeò explicatè tradit, multò clarius Pori ex- p.109 f. ercitum disponit, *Agmen*, inquit, *equitum ad dextrum cornu*, Alexander nempe, *traduxit, delectu optimis quibusque equitum præfectis. Sagittarios verò equites vniuerso equitatui præposuit. peditum autem primos argyraspidas regios, quos ducebat Seleucus, equitatui adiunxit. proximè his agmen regium, exinde reliquos argyraspidas, prout singulis præfectura contigerant. ab vtroque phalangis latere sagittarios atque Agrianos & iaculatores constituit. acie ita instructa, peditatum sex circiter millium ordine & sensim sequi iubet. Ipse, quod equitatu superior futurus videretur, equitum solummodo V. millibus assumtis, celeriter contendit, Taurone sagittariorum præfecto sagittarios ad equitatum festinanter adducere iusso.* Explicatius vt vides Curtius hanc partem; sed illam Pori Arrianus; *Ipse assumto vniuerso equitatu (qui quatuor millium erat) & curribus CCC. elephantis CC peditibus verò qui vsui esse possent XXX mill.bus, aduersus Alexandrum contendit; cumque ad campum minimè lutosum venisset, quem arena planum firmumque fecerat, & ducendo circumagendo equitatui idoneum, exercitum hoc pacto instruit. Elephantos primum in fronte collocat, centum pedum spatio inter se disiunctos, qui ante vniuersam peditum phalangem exporrecti starent, metumque Alexandri equitibus incuterent. neque enim putabat quemquam hostium per illa elephantorum interstitia penetrare ausurum, sed ne equites quidem, equitum metu: pedites verò multò minus, quod & armati milites eos ex aduerso ferientes propulsaturi & elephanti proculcaturi essent. Post hos collocati erant pedites, non quidem in eadem cum elephantis serie, sed secundo post elephantos ordine, adeò vt ferè ipsis interstitijs interiecta essent agmina. Adhæc ad cornua aciei pedites elephantis imposuerat. vtrumque verò peditum latus equitatu cinxerat: equitatum vtrinque curribus muniverat. atque hæc quidem Pori acies erat.*

Siculus ad eundem fere modum eandem Pori aciem collocat, nisi quod inter illis inter elephantos immisceat pedites, quos Arrianus primùm post elephantos collocat: *Quem (Alexandrum) simul ac imminere sensit Porus, ordines ita explicauit, vt equitatum in cornua distribueret;* p.118. *elephantes autem ad terrorem hostium instructos, in fronte paribus interuallis collocaret, interque ipsos grauis armaturæ militibus locum assignaret. His vt beluis tutarentur, & missilium à latere ictus prohiberent, imperatum fuit. tota igitur acies vrbis speciem exhibebat; nam elephantorum statio turribus, & militum inter hos ordines extenti, ordines extenti, muris erant assimiles. qua hostici exercitus ordinatione considerata Alexander, suas contrà, vt res exposcere videbatur, copias disponit.*

TV IN DEXTERVM MOVE) Malè accipit hoc loco Glareanus Curtium, quasi nihil pensi habuerit quod scriberet, adeoque paucis versibus pugnantia tradidisse: *primum*, inquit, *initio huius pugnæ Perdiccam cum equitibus in dextrum cornu hostium mittit. Hic cum Ptolemæo Hephæstione ac* p.322. n.136. *ipso Alexandro, qui in dextro sui exercitus cornu erat, in leuum cornu hostium impetum facit: rursus Cœnus hic iubetur dextrum hostium cornu mouere. at mox post aliquot versus, idem Cœnus ingenti vi in læuum cornu inuehitur. Ita videmus (nisi in codicum errores omnia reijcere placet) quàm nihil pensi habuerit, quid scriberet. quod in quinto libro de Darij exercitu ac eius ordinatione conquesti sumus. Arrianus planè Cœnum ducem, non leuum, quemadmodum hic perperam scriptum putamus, sed dextrum inuasisse hostium cornu scripsit.* Bona verba Glareane, parcius ista viris; si Curtij verba accuratius expendisses, & mentem perspexisses, alia omnia de Curtio & sensisses & scripsisses. nam quod ais, initio pugnæ Perdiccam in cornu dextrũ missum, postea in sinistrũ cũ ipso Alexandro mouisse; nihil est quod offendat, nec quicquam à Curtio est peccatum. Sed tu non assecutus, quod narrauit

uit Curtius, ipse tibi τὰ ἀναντία & somnia fingis: Nam Curtius de duabus diuersis pugnis loquitur, id quod debebas didicisse, primum ad ripam Hydaspis, in quam eua serat Alexander; in quem cum curribus præmissus est Hages frater Pori, cum quo primum initum est prælium, & in hoc dextrum Hagis cornu iussus est inuadere Perdicca. Hage autem cum curribus fuso & dissipato, itum est rectà aduersus ipsum Porum, qui cum omnibus copijs Alexandrum in amplissimo & equitabili campo expectauit. In hunc cum iret Alexander, iterum aciem aliter direxit, & Perdiccam secum retinuit, cum quo læuum Pori ipsius cornu est aggressus, sicut Cænus dextrum, vitiosa enim & mendosa scriptura codices occupauit, qui læuum post aliquot versus pro dextro proferunt, vitio vel antiquariorum, nam & chirographi *læuum* habent, vel operarum. Solet autem vsu venire, vt librarij omnes eundem errorem sequantur, quod & in Lexicographis sæpius deprehendimus, non secus atque oues arietem in ignes aut aquas insilientem certatim, etiam cum exitio suo, sequuntur. Quis enim credat Curtium accuratissimum & nobilissimum scriptorem intra paucos versus sibi contraria & pugnantia scripsisse, vti mirer, quomodo criticus Acidalij stilus hoc mendum non effoderit, aut saltem non animaduerterit. De quinti libri dubia scriptione suo loco dictum est. Illud verò quod Modius neglexit, iustè restituit Acidalius, *in dextrum moue*, non, dextrum moue. nam Alexander ipse dextrum mouebat in læuum Pori; Cœnus autem sinistrum mouebat in dextrum Pori.

INVEHIM. IN MED. ACIEM ET VRGEBITIS FRONTEM) Irasci meritò possis ἢ τῇ ἀμαθείᾳ, ἢ τῇ ἀβελτερίᾳ Modij, qui etiam hunc Curtij locum sanum & integrum in prauum detorsit, dum particulam ἀρνητικὴν, non, adiecit, quæ totum Curtij locum & sensum corrumpit & euertit: & tamen sibi arridendo hîc miris modis plaudit. *Risi*, inquit, *scripturam vulgatam, quæ erat*, (*inuehimini in mediam aciem & vrgebitis frontem*) *risi inquam, sed ita, vt non minus indignarer interim, nam cuius foret patientiæ tam supinam quorundam oscitantiam aliter ferre? inuehi potest quisquam in mediam aciem & frontem vrgere? tum ille profectò nobis Amphytruonis Plautina exemplum renouabit*, & quod factum est nunquam, neque pote adeo fieri, vnus faciet. *verùm mittamus ista sic sunt homines, quibus harum rerum cura commissa est.*

p. 157.

Hæc Modius. Acidalium illi respondentem audi, qui negationem meritissimo vt reiecit & sensus poscebat, omisit. Tu Antigone, & tu Leonnate & Tauron inuehimini in mediam aciem (*non in mediam aciem*, habet Modius) & vrgebitis frontem: *Ita omnino rectè*, inquit verè Acidalius, *satis ex superioribus liquet; neque mihi libet vel in explicando vltra Curtio, vel exagitando Modio tempus hoc abuti. Meruerat totidem & eadem, quæ hic in alios ipse iacit; nisi beneficijs reliquis non hanc modò noxam, sed plures redimeret; apud me sanè facillimè nec diffiteor, apud alios quos ero etiam ipse tā aequi illi velint esse, quam sibi quisque quemque velit in simili errore. Homines sumus & humani* (*quid humanius autem quàm labi?*) *nihil à quoquam alienum*. Hæc Acidalius. Ignoscamus ergo Modio, qui nobis etiam ignosci volumus, & meminerimus nos homines esse. Interim aduerte, lector, triplicem aciem veluti cornigero animantis capite componi, vt enim extrema bubuli capitis cornua occupant, & quod inter cornua est, frons est, & dicitur, ita in triplici acie sinistra & dextra acies cornua, media frons dicitur. Hoc Modius ex lib. 4. Curtij c. 18. poterat discere, vbi eod. modo triplex acies instructa & appellata; *Alexander*, inquit Curtius, *phalangem, qua nihil apud Macedonas validius erat, in fronte* (hoc est in medio) *constituit; dextrum cornu Nicanor Parmenionis filius tuebatur*, & quæ sequuntur. in læuo quod ad mare pertinebat, Craterus & Parmenio erant. equites ab vtroque cornu locati.

p. 111. f. 2.

Iconismum adiunxi, vt quod calamus docuit, hoc Chalcographus oculis subijceret.

Est & apud Liuium lib. 37. n. 39. non dissimilis aciei dispositio ab Antiocho aduersus Romanos facta, quam cum hac doctus lector poterit componere, vbi videbis duo cornua, mediam autem aciem in fronte, etiam cum elephantis. quid clarius & certius? nec pluribus opus.

VRGEBITIS FRONTEM) Mediam Pori aciem, quæ ex elephantis, vt in iconismo spectas, constabat. proinde subijcit apud Curtium Alexander: *Hastæ nostræ prælonga & valida aduersus beluas*, his gubernatores & magistros beluarum deturbandos esse.

li. 3. c. 24. p. 70.

Cognosces etiam ex Vegetio quomodo Romani se contra elephantos defenderint in acie, quibusque armis eosdem oppugnarint.

ANCEPS AVXILII GENVS EST) Ita Liuius de falcatis curribus locutus: *Eumenes*, inquit, *haud ignarus pugnæ, & quam anceps esset auxilij genus*. Sed hic de elephantis loquitur, quod item & vel maximè anceps auxilij genus est, nec rarius ferè in suos quàm in hostes desæuiere elephanti.

Lucretium nobis accinentem audi l. 5.

* ita elephantos vocat.

*Vt nunc sæpe * boues Lucæ, ferro malè mactæ*
Diffugiunt fera facta suis cum multa dedere,
Sic fuit vt facerent. Sed vix adducor vt antè
Non quierint animo præsentire atq; videre
Quàm commune malum fuerat, fœdumq; futurum.

En com-

En commune malum vocat auxilia elephantorum, tam suis, quàm hostibus perniciosum; proindeab scriptoribus communes hostes appellati sunt. De hac re Stevvechius: *Illud*, inquit, p.267. *certè silentio prætereundum non est, sæpè commune partis vtriusque periculo productos in campum elephantos. testis mihi Hirtius de bello Africano, Plutarchus in Pyrrho, Q. Curtius l. 8. eo quod bestiæ in suos frequenter se converterent. testis Appianus de bellis Punicis. luculentissimum quoque eiusdem testimonium laudandum puto ex libro de bello Hispaniensi, Vnus, inquit, elephantorum grauiter percussus saxo de muro caput, furere atque effrenatè ferri cœpit inque amicos horrendo clamore furens se coniecit, quemuis obuiam trudens ac proterens. similiter & reliqui elephanti, illius clamoribus exterriti fecerunt. quod quidem sæpenumerò solent, cum insaniunt, quemuis vt inimicum accipientes. ob quam eorum perfidiam à quibusdam communes hostes appellati.*

Arrianus certè ita etiam in hoc prælio vsu venisse docet in 5. *Belua verò*, inquit, *cùm iam in angustum redacta essent, non minus damni suis quàm hostibus inferebant, multi dum vexantur atque agitantur, protriti.* Idem Siculus narrat, sed multis antea Macedonibus elisis. Plinius l. 8. c. 9. *iidem minimo suis stridore terrentur, vulneratique & territi retro semper cedunt, haud minore partium pernicie.* Et Curtius ipse mox infrà, *Ergo elephanti vulneribus tandem fatigati suos impetu sternunt, & qui rexerant eos, præcipitati in terram ab ipsis obterebantur.* c.17. & 22.

PRIMVS) Vbique primus Alexander: quæ res mirificè duces omnes & milites ad gloriam bellicam incitauit. vix vnum Cæsarem Alexandro parem in hoc genere inuenias.

COENVS ING. VI IN DEXTRVM CORNV) Ita ex mente Curtij, si non ex calamo, certissimò legendum, non *in læuum*. ita etiam Arrianus. *Cœnum ad dextrum cornu mittit.*

PHALANX IN MEDIAM ACIEM) cuius frontem nudare cœpit Porus elephantis in equites & Alexandrum auersis. Itaque phalanx in pedites medios impetum fecit. Sed Poro res malè cessit ob tarditatem elephantorum ab hostibus occupato.

NEC SAGITTARVM VLLVS BARBARIS VSVS ERAT) Quia pondere graues erant & inhabiles, vt suprà demonstrarat: *grauioribus*, inquit, *telis*, *quàm vt commodè excuti possent.* Accedebant hic duo incommoda, quod arcus humi statuere cogerentur, cum neruum vellent adducere & tela excutere, quæ res longæ moræ erat; deinde quod humus imbribus irrigata solum instabile & lubricum fecisset. cap. 13.

TVRBATIS ACRIVS METVS, QVAM DVX IMPERARE COEPIT) Idem *senarius* hinc credo natus:

Timor magis turbatis quàm dux imperat.

TOT IMPERATORES QVOT AGMINA) Imò quot milites; rebus enim turbatis omnes imperant, nemo paret. ita infrà l. 9. c. 16. actum in dissipata per æstum classe, & quæ sequuntur.

ALIVS IVNGERE ACIEM, ALIVS DIVIDERE) Quinque formas hic generales componendorum ordinum attingit Curtius: vel cum duæ acies diuersæ in vnam iunguntur; vel contra, cum iunctæ diuiduntur; vel cum aliæ stare, aliæ in hostem ire; vel denique cum hostem à tergo circumuenire iubentur. & hæc facilè capiuntur. Sunt aliæ multiplices copiarum dispositiones, iugationes, conuersiones, euolutiones, de quibus copiosè Aelianus lib. de instruendis aciebus.

PORVS TAMEN CVM PAVCIS) Perturbatis omnibus, solus cùm paucis è suis sibi constitit, nec de fuga, sed inuadendo hoste, cogitauit, ac dissipatos quoad potuit, collegit.

MAGNVM BELVAE INIECERE TERROREM) Porus præ se agi elephantos præcepit, quibus ita terruit equos virosque hostium, vt victores ipsi de fuga circumspicerent: cùm Alexander mox restituit rem.

AGRIANOS ET THRACAS) Equites sagittarios, qui miris modis, concursationibus, & velitationibus, nunc concurrendo, nunc refugiendo, moxque redeundo fatigabant hostem. hi ergo elephantos imbre telorum ingruente conterruerunt: territis phalanx tardius instabat & acriter vrgebat.

OBTRITI PEDIBVS) Siculus, *Conflictu ergo ab equitibus inito statim currus Indorum ferè omnes confracti pereunt. Post, cùm mole corporum & roboris impetu elephanti in loco vterentur, Macedonum alij beluarum incursu obtriti, vnà cum armis simul contusis intereunt.*

CVM MANV ARMA VIROSQVE CORRIPERENT) Diodorus, *Alij manibus (προνομαίαις) correpti, inque altum eleuati solo rursum alliduntur, indignamque mortem oppetunt. multi etiam inflictu dentium per totum corpus sauciati illico iacturam faciunt.* Arrianus multis verbis totam hanc pugnam describit, quem videbis.

MANV) Cicero lib. altero de natura deor. Veget. l. 3. c. 24. manum, Plinius ex Aristotele proboscidem appellat, quo nomine & Oppianus vtitur. Siculus cum Philostrato προνομαίαν, μυκτῆρα etiam Aristoteles, Suidas ἐλέφαντος ῥῖνα, anguimanos. Lucretius in 5. vocat elephantos & 2.

Sicuti quadrupedum cum primis esse videmus
In genere anguimanos elefantos, India quorum

Mil-

Millibus è multis vallo munitur eburno
Vt penitus nequeat penetrari, tanta ferarum
Vis est ———

Quibus, inquit Lambinus, *manus est tortilis, flexilis, lubrica, volubilis, serpentis in morem.*

ANCEPS ERGO PVGNA) ita & Arrianus ferè: *At Macedones maiorem loci amplitudinem ex animi sententia nacti, irruentibus in se beluis cedebant: contrà recedentes iaculis confodiebant. At Indi qui circum elephantos versabantur, maiore damno afficiebantur. postquam verò belua defatigata non iam amplius validos impetus facerent, sed ægrè membra trahentes instar nauis puppi inhibita pedem retro ferrent, Alexander repentè omni equitatu hostibus circumfuso signo dato imperat, vti pedites inter se consertis scutis, confertißimaque phalange in eos ferrentur. atq; ita vndiq; circumuenti Indorum equites omnes ferè, in pugna cæsi sunt.*

IN MVLTVM DIEI CERTAMEN EXTRAXIT) Alexander ipse apud Plutarchum testatur octo horis pugnatum: *Beluarum*, inquit, *& hostium multitudinis metu in alterum* * *cornu inuectum se, cæteros misisse omnes in dextrum. vtroque cornu auerso eos, qui premebantur, globo facto ad bestias semper se recepisse. inde promiscuè pugnatum, & vix octaua hora hostes terga dedisse.* Hæc ipse prælij auctor recensuit in epistolis. ita Plutarchus locutus est de Alexandro, ex Alexandri epistolis.

* læuum.

SECVRIBVS PEDES AMPVT. COEPERVNT) quinque genera armorum in elephantos parauerant Macedones: prælongas hastas equites gerebant, *hastæ*, inquit Alexander ad equites, *vestra prælonga & valida, non alias magis quàm aduersus beluas rectoresque earum vsui esse poterunt.* Sarissas quibus phalangitæ vsi aduersus mediam aciem in qua elephanti erant. tela & iacula quorum magnam vim Agriani & Thraces in beluas coniecere: secures & copidas; & securibus, elephantorum pedes amputabant, copidibus proboscides recidebant. atque his armis victæ procubuere beluæ, vel extra aciem pecudum ritu tam innoxiæ exigebantur. De securibus & copidibus adhibitis nulla hic apud alios scriptores mentio, nec apud Vegetium, qui tamen ex instituto de instrumentis & machinamentis aduersus beluas adhibitis & adhibendis disputauit, cuius verba paullò antè attulimus. Et quidem secures notum genus ferri.

COPIDAS VOCABANT) has ipse Curtius describit. vox est græca à κόπτω. κόπτειν in medio, vnde κοπὶς κοπίδος gladius in modum falcis inflexus: laudatur in Xenophonte bis, ter, in Cyripædia qui Sagarim, machæram & copidem pro eodem ponit, sicut copidem & machæram coniungit Polybius de arte equestri. Est eiusd. mentio apud Plutarchum in Alexandro, & Aristidem qui Persas in Platæensi pugna copidibus vsos ostendit. Et Polemon in Callimachi epitaphio κοπίδα περσικὴν appellat. Quod verò nonnulli ex hoc Curtij loco docent copidem & securim idem esse teli genus, mihi falli videntur: Curtius enim disertè copidas à securibus distinguit, & his osseos & duros elephantorum pedes ait infractos, qui falcibus leuioribus non poterant tam facilè incidi. manus autem seu promuscides erant molles, flexiles & tortiles, & nullo negotio gladijs & falcibus, vt & Vegetius refert, amputabantur. Infrà l. 9. c. 5. Secures & falces coniungit, quibus ait vasta beluarum corpora debilitata & mutilata cum securibus pedes infracti, falcibus promuscides amputatæ, vt copidas videatur falces interpretatus.

NOVI SVPPLICII TIMOR) terruerant Macedonas elephanti, cùm alios pedibus obtererent, alios proboscide arreptos humo sublimes tollerent, soloque afflictos eliderent, vel necandos suis rectoribus traderent. Nihil ergo intentatum reliquere Alexandri milites, quo feras vel conficerent, vel ex acie eijcerent.

CVM PORVS DESTITVTVS A PLVRIBVS) tandem tota belli moles plerisque Indorum iam aut cæsis, aut fugatis incubuit, qui sanè non primus è prælio vt Darius, sed vltimus editis antè multis virtutis facinoribus ex acie excessit. Multus est Curtius in Pori laudatione, multus Philostratus, Arrianus, Plutarchus, vt mox videbis, nec minus eius elephantus celebratur.

NOVEM IAM VVLNERA, HINC TERGO, ILLINC PECTORE EXCEPERAT) ante fugam: nam expositus omnium telis ab alijs antè, ab alijs ponè iaculis impetebatur; Arrianus tamen nonnihil à Curtio diuertit, & tantum in dextro humero vulneratum ait: *Porus qui in ea pugna*, inquit Arrianus, *rem præclarè gesserat, non ducis solum, verùm etiam strenui militis officio functus, conspecta equitum cæde, cumque elephantorum alios prostratos, alios absque rectoribus & saucios errare, peditatus etiam maximam partem interijsse cerneret: non tamen veluti magnus ille rex Darius, qui ex suis fugam primus inierat, trepidus fugit, sed quamdiu partem aliquam Indorum pugnantem vidit, tamdiu etiam ipse conflixit. cùm verò in dextro humero, quem quidem solum in pugna nudum ferebat, vulnus accepisset (nam à reliquo corpore thorax facilè tela propulsabat) ipse alioqui insigni & robore & membrorum conuenientia præditus, vt postea eius conspectus docuit, conuerso elephanto recessit.* Siculus egregiè: *Magna hinc perturbatione exorta. Porus cùm quo loco res foret animaduerteret, elephantum præstantißimo insidens, de beluis XL. nondum consternatas circum se consistere iubet. Et hoc agmine impreßione in hostem facta, prolixam edit cædem, eo potißimum, quod viribus corporis omnes secum militantes superabat.* * *Hæc virtutis in Poro eminentia Macedonibus, contra illum in acie stantibus nonnihil* ter-

p. 112.

p. 558.

* Et infrà.

terroris iniecerat. sagittariis igitur & leuis armaturae ordinibus accitus, Alexander edicit, vt omnes ipsum Porum telis incessant. Hi quod iussi erant peragunt. ergo dum crebra in Indum missilia congeruntur, nec, quod tam crassa ictibus moles exposita esset, aberrant: Porus tandem, cum heroicè depugnasset, prae multitudine vulnerum exsanguis animo deficit, & viribus infractus è belua ad terram delabitur.

NEC SEGNIVS BELVA INSTINCTA RABIE NONDVM SAV. INV. ORDINIBVS) Plutarchus locum Curtij illustrabit, *Mirificam solertiam hac belua demonstrauit & solicitudinem pro rege. Qua cum adhuc valentem adorientes animosè excepit & reiecit, vt verò telorum & vulnerum vi sensit confectum, veritus ne defluerer, genibus leniter humi demisit se, & promuscide singula iacula sensim ex corpore eius euulsit.*

SED EQVVS EIVS) Bucephalus omnium propè literis monumentisque celebratus, cuius memoriae & nomini Alexander pro mausoleo & cenotaphio vrbem * Bucephalem dictam, vt lib. 9. c. 7. Curtius memorat, condidit. Testantur idem alij: Onesicritus tamen & Arrianus senio confectum sine vulnere defecisse memorant. Alia aliorum est narratio, è quibus Plutarchum audiamus: *Ex praelio cum Poro commisso Bucephalus mortuus est, non extemplo, sed post, vt plerique produnt, sub vulnerum curatione: vt Onesicritus est autor, ob senium labore confectus. nam triginta annorum aetate ait eum decessisse. mortem eius tulit Alexander grauiter; non aliter existimans quàm si familiarem & amicum amisisset. In memoriam eius super Hydaspen condidit vrbem. quam appellauit Bucephaliam.* Arrianus plura p. 114. Diodorus idem breuissimè de Nicaea & Bucephala. plura de Bucephalo in nostris prolusionibus. * Bucephalan. Bucephaliam. p. 585.

FRATER TAXILIS) Arrianus non fratrem regis, sed ipsum regem Taxilem fuisse missum tradit, nec occisum à Poro, sed fuga elapsum declinasse hastae ictum.

ELEPHANTVS QVOQVE) Addam hic scholion pro scholis. Sosipater Carisius antiquus & nobilis grammaticus, negat ab Latinis elephantem dici tertio ordine, Elephas elephantis; sed secundo tantùm, elephantus elephanti, ita vt è secundo casu Graecorum Latini formarint rectum. Sed contra Carisium & Stevvechium, qui Carisium sequitur, non Plinium tantùm, sed M. Tullium principem latinitatis testes excitare possis, qui libro de senectute; secundo casu dixit, elephantis. atque ne dubites, ipsa tibi verba Ciceronis adnumerabo: *Non plus, inquit, quàm adolescens vires tauri aut elephantis desiderabã.* Plinio indiscriminatim lib. 8. c. 1. & seq. nunc elephas, nũc elephantus seu elephanti dicuntur, tertia & secunda inflexione. Lucretius optimus & ipse cultissimusque scriptor, nunquam dixit in recto, elephas, nisi cum de morbo elephantiasi loquitur, sed semper elephantus, vel qui inde casus descendunt. Cicero alibi semper elephantus, nusquam elephas elephantis. Ille autem locus de senectute, videtur in codicibus mendosus, vt & in ora annotatum est, elephanti. Plinium, Martialem, & hoc genus veluti sequioris aeui scriptores Graecorum casus vsurpantes, cum recentioribus nihil moror. adeoque Carisij edictum videtur sequendum. a. 140. fol.

PROCVMBERE IVSSIT IN GENVA) de Elephantorum indole, docilitate, ingenio, intellectu supra dictum; & habes apud Plinium, lib. 8. multis à principio capitibus, & L. ipsium singulari epistola. Sed de hoc Pori elephanto iam ex Plutarcho cognouisti, quomodo regi in terram demisso è vulneribus tela sensim & leuiter extraxerit. Audi quae de eod. tradat Philostratus nullo modo praetermittenda, mira sanè & memoranda. *De Elephantorum,* inquit, *aetate, & quod longissima vita sunt, ab alijs pluribus scriptum est: veruntamen hi penes Taxila vrbem, omnium vrbium, quae apud Indos sunt, maximam, elephantum inuenisse perhibent, quem inungebant, & vittis ac myrteis coronis indigenae ornabant: asserentes vnum ex his esse qui pro rege Poro aduersus Alexandrum pugnauerat, quem propterea quod in pugna promtissimè versatus esset, Alexander Soli dedicauit. esse autem illi torques aureos circa dentes, seu potius cornua libeat appellare, & in torquibus literas Graecas insculptas haec verba referre: ALEXANDER IOVIS FILIVS AIACEM SOLI. hoc enim Aiacis nomen ipse elephanto imposuit, magnum magno nomine exornans. Conijciunt autem indigenae annos quinquaginta supra trecentos ab ea, quam diximus, pugna, ad ea tempora intercessisse: cum tamen scire non possint, quot fuerit natus annos, quando pugnae interfuit.* l. 1. c. 6. p. 69

Multa alia de elephantis & hoc capite, & superiore Philostratus, praesertim de puero & elephanto pueri.

TELIS VNDIQVE OBRVITVR) elephantus quod Porum defenderat, telis est obrutus & occisus, vt hîc Curtius narrat. Philostratus videtur eum superstitem credidisse, & adhuc, vt audisti, trecentos quinquaginta amplius annos vixisse; sed non disertè hunc ipsum ait fuisse, qui Porum gestauit, sed vnum ex illis qui cum Poro in acie versati sint, & cum illo capti, de quibus ipsis etiam hîc Curtius: *Ea res Porum & caeteros* (elephantos intellige) *victoribus tradidit.* dixerat enim procumbente in genua Pori elephanto, caeteros omnes regem cingentes, corpora, prout instituti erant, in terram demisisse.

ALLEVANTEM OCVLOS) quem interemtum crediderat, cum eius corpus spoliari antè iussisset, sed belua, quoad ipsa concideret, prohibuisset.

QVAE,

QVAE, MALVM, AMENTIA TE COEGIT) Quomodo captus sit Porus, paullò aliter narrat Arrianus: *Alexander, inquit, ne hanc quidem ob causam* (quod Taxilem regem ab Alexandro missum voluerit occidere) *Poro succensebat, sed alios atque alios nihilominus submittebat, & in ijs Meroëm hominem Indum, quod veterem ei cum Poro amicitiam intercessisse accepisset. Porus Meroë oratione audita, & quod vehementi siti premebatur, cum elephanto substitit, atque ex eo descendit. Cumque bibisset, ac nonnihil respirasset, continuò illum ad Alexandrum adducit. Alexander vt eum appropinquare intellexit, nonnihil ante aciem progressus, amicis aliquot comitatus, Poro obuiam iuit, equumque sistens, magnitudinem Pori (erat enim quinque cubitos altus) & pulchritudinem simul admiratus est, quodque nullum adhuc seruitutis animo concepta specimen præ se ferre videretur, sed vt generosus cum alio generoso viro congressus pro regno suo aduersus alium regem decertasset. Tum Alexander prior eum compellans, quid sibi fieri cuperet dicere iussit. cui Porum respondisse ferunt, vt me regiè tractes Alexander. Porrò Alexander ea oratione delectatus, hoc tibi, inquit, Pore, mea causa continget, tu quod tua causa tibi gratum sit postula. cui Porus omnia ijs quæ dixisset, contineri respondit.*

QVOD HIC DIES TIBI SVADET) ante obitum neminem dicendum esse beatum, quod antè Crœsus ab Solone doctus Cyrum docuerat, & Cyrus à Tomyri cum omnibus copijs deletus, serius verum esse expertus est. Est enim

Felicitas hoc fluxior, quo vastior. Nam,

Felicitatu grata est infelicitas.

βασιλικῶς Plutarchus cum Arriano simpliciter tradit rogatum ab Alexandro Porum, respondisse *regiè* seu *regaliter*, atque in eo esse omnia. multo elegantior & vrbanior est narratio Curtij.

p. 585. DONAVIT AMPLIORE REGNO QVAM TENVIT) Suffragatur Plutarchus: *Igitur, inquit, non pristinum modò ei regnum sub satrapa nomine restituit, verum etiam adiecit liberorum sibi populorum quos subegit, regionem, in qua nationes quindecim, vrbium non mediocrium quinque millia, & vicos quamplurimos memorant fuisse.* Arrianus, *Quo responso lætior Alexander, Poro regnum Indorum* p. 224. *restituit, & vltra pristinum imperium aliam ei regionem vetere ampliorem adiecit. atque ita & regè hominem generosum tractauit, & fido in posterum amico ad omnia est vsus.*

ADMIRATIONEM VERAE LAVDIS) Nobile totius libri epiphonema, cum eximia commendatione Alexandri, vt qui semper in hoste etiam virtutem sit admiratus; quod non nisi ab generosissimo, laudisque veræ cupidissimo proficiscitur.

SIMPLICIVS TAMEN FAMAM AESTIM. IN HOSTE QVAM IN CIVE) sincerius & candidiùs iudicabat de fama ab hoste collecta, quàm à suis, quos experimento sæpius cognorat obtrectare laudibus suis: documento erant Clitus, Callisthenes, Polypercon, præter Philotam, Hermolaum, Hegelochum & alios. Quamuis enim & suis admirationi esse poterat, tamen suspecta erant præconia, an è sincero pectore proficiscerentur, nihilque admixtæ adulationis aut simulationis haberent. Accedebat quod Macedones omnes illi subiecti essent, neminemq; è suis sibi parem sciret aut ferret.

QVO MAIORES) maximam è victoria Pori laudem sibi quæsisse visus est, quem regum & hostium maximum & potentissimum videri voluit, cum dixit, *Tandem par animo meo periculum video.* Atque hæc de prælio cum Poro, in quo ex Diodori sententia è Pori exercitu cecidere supra CCIↃↃ CIↃ CIↃ, hoc est, duodecim millia, inter quos duo fuere Pori filij, summique exercitus præfecti & ducum clarissimi. capti nouem millia cum octoginta elephantis. Ex Macedonibus equites trecenti, pedites septingenti. Arrianus auget numerum, & pedites ait prope viginti millia, equites tria millia cæsos, currus omnes dissipatos, duos Pori filios interemptos. Spitacem præsidem regionis, curruum & elephantorum præfectos omnes. ex Alexandri peditatu tantùm octoginta desideratos: ex omni equitatu ducentos triginta. Multa & præclara Philostratus de Poro & hac pugna, lib. 2. c. 10. p. 81. denarrat lectu sanè dignissima & memoranda, ad quem lectorem, quod locus sit longior, ablegamus. Multa enim de dictis Pori, de eius proceritate corporis, de pugna hac in templo postea condito depicta, de morte ipsius Alexandri, & quomodo Porus illam tulerit, nec vnquam se regem appellari voluerit, donec Alexander moreretur, ibid. traduntur.

Tarik: Mircond Persa. Addam huic libro coronidem ex * Taricio Mircondo Persa, cuius de rebus Persarum historia magnopere laudatur, in Hispanum sermonem à Petro Teixeira nobili Lusitano translata. è qua hæc decerpta sunt: Alexander (qui Persis Ascander est) Indiam ingressus, ex regibus Indorum potentissimum accepit esse Porum (qui Indis For appellatur) cui per legatos imperauit, vti suum Alexandri imperium agnosceret, & imperata faceret. cui Porus cum armatus occurrisset, ab Alexandro victus profugit. Sed collectis viribus Alexandrum rursus aggressus, ipsis viginti diebus cum eodem velitatus est. & cum Macedo videret se viribus Poro imparem & victum, ad singulare certameo Indum prouocauit: nec Porus duellum detrectauit. In patenti ergo campo paribus armis & animis congressi; cum in medio conflictu ingens ex Pori castris clamor accideret, miratus quid esset, respexit; simulque vulnere ab Alexandro occupatus concidit. Cæso Poro cunctis diffugientibus, Alexander Indiam ingressus, illam suæ ditionis fecit. In hac Teixeiræ historia

storia, quædam vera, quædam fabulosa credi possunt, aut contra reliquorum scriptorum fidem. De secundo nempe prœlio & viginti dierum velitatione, quam tamen ad ripam Hydaspis ab vtroque rege obsessam, & transitum tentatum posis referre. De duello Alexandri & Pori etiam non caret Teixeira suffragatore, quamuis non illico mortuum concidisse alij velint. Sed Alexandrum à Poro, non Porum ab Alexandro ad monomachiam prouocatum tradant. Iustinum in XII. audi: *Vnus ex regibus Indorum fuit Porus nomine, viribus corporis & animi magnitudine pariter insignis, qui bellum iam pridem audita Alexandri opinione in aduentum eius parabat. Commisso itaq; prœlio exercitum suum Macedonas inuadere iubet; sibi regem eorum priuatum hostem deposcit. nec Alexander pugnæ moram fecit, sed prima congressione vulnerato equo cum præceps ad terram decidisset, concursu satellitum seruatur. Porus multis vulneribus obrutus capitur. qui victum se adeò doluit, vt cum veniam ab hoste accepisset, neque cibum sumere voluerit, neque vulnera curari passus sit, ægreque sit ab eo obtentum, vt vellet viuere. Quem Alexander ob honorem virtutis incolumem in regnum remisit. Duas ibi vrbes condidit, vnam Nicaam: alteram ex nomine equi Bucephalen vocauit.*

Sed quo tempore, anno, ætate Alexandri hæc perpetrata? Annum & anni tempus signauit Arrianus, *Huiusmodi*, inquit, *exitum habuit pugna Alexandri aduersus Porum & Indos trans Hydaspen amnem colentes, Archonte Athenis Hegemone, mense Martio.* p.114.

At enim suprà idem Arrianus de hoc ipso tempore, quo Hydaspen traiecit, sui immemor, vt videtur, scripsit, fuisse tum solstitium æstiuum ἦν γάρ, inquit, ὥρα ἔτους ἡ μετὰ τροπὰς μάλιστα ἐν θέρει τρέπεται ὁ ἥλιος. Erat enim id anni tempus solstitium æstiuum. Et hic dicit hęc contigisse mense Martio, quo est æquinoctium. Aequinoctium & solstitium in nullo cœli climate, nullo tempore, nullo loco, aut regione, simul concurrunt, quod omnis mathematicorum antiquitas, disciplina & monumenta docent. Itaque auctori conciliandam relinquo & remitto. Diodorus IX. hunc imperij annum Alexandri, & XXIX. ætatis Chremete archonte Athenis, non Hegemone, vt Arrianus scripsit; cum Diodoro facit ἀναγραφὴ ὀλυμπιάδων. anno olymp. ΡΙΓ ΧΡΕΜΗΣ. Ἀλέξανδρος παρατάξει τὸν Πῶρον νικᾷ.

De hoc anno vide e. 7. prolusionum. Cū Poro congressus est ętatis xxx. regni xi. imperij vi.

Eandem pugnam & victoriam Alexandri canit heroo vel potius hexametro Galterus, quem hic prætereo, simulque librum cum felicitate Alexandri finio.

FINIS LIBRI VIII.



Q. CVRTII RVFI
HISTORIARVM MAGNI ALEXANDRI MACEDONIS
LIBER NONVS.

SINOPSIS HVIVS LIBRI.

INteriorem Jndiam, victis paßim gentibus, peragrat: Claßem parat, ingentes in saltibus serpentes & rhinocerotes reperit, canes miro ingenio pro munere accipit, hortatur militem adfutura bella suscipienda, miles abnuit. Cœnus pro milite caussam agit. Rex dat manus votis exercitus, aras finium, quos attigerat, monumentum ponit. Cœni mors. Nicaam & Bucephalan urbes condit. Supplementum militum è Græcia accipit, per flumen Acesinem portat copias Oceanum aditurus. Ad Sobios Herculis posteritatem peruenit. Oxydracas & Mallos expugnat, miles in seditionem rursus vertitur, quã sedat Rex. In oppido Oxydracarum vltimum vita discrimen adit, agreq; tãdem eripitur, oppidum exscinditur, Rex curatur, amici hortãtur, ne deinceps se tantis discriminibus obijciat, ab illius vita vitam pendere omnium: respondet Alexander, & gloria studium infinitum præ se fert, Græci Coloni circa Bactra & Scythas, relictis colonijs in patriam abeunt. Legatos duarum gentium se dedentium audit. Dioxippus athleta prouocatorem vincit, deinde seipsum interficit. Variæ gentes se regis fidei permittunt, alia vi subiguntur. Ptolemai vulnus, periculũ & curatio claßis in ore fluminis ad Oceanũ ingens discrimen adit. Adnauigant inde proximè Oceanum, & in fluminis insulis æstu maris inundatis, omnes vita periclitantur. Rex æstum secutus CCCC. stadia prouehitur in mare, inde redit ad claßem, qua aduerso flumine reuecta militem exponit, Alexander complures vrbes cõdit. Nearchus & Onesicritus nauarchi explorant Oceanum. Alexander copias terrestri itinere reducit. Incidunt in barbaros, & vltimam patiuntur famem, inde in morbos & mortes dantur multi. Rex commeatum aliunde curat, tandem omnis redit felicitas, imitatur rex Bacchi triumphum. Aspastem Carmania Satrapen interficit.

CAPVT

CAPVT I.

ARGVMENTVM.

Hortatur militem ad persequẽdum bellum spe prędæ, duas vrbes ad Hydaspem constituit, donat fortes pręmijs, Abisares deditionem reformidat. Rex ad interiorem Indiam transit.



Lexander tam memorabili victoria lætus, qua sibi Orientis fines apertos esse censebat, Soli victimis cæsis, milites quoque, qui promptioribus animis reliqua belli obirent, pro concione laudatos docuit, quidquid Indis viriũ fuisset, illa dimicatione prostratum: cæteram opimam prædam fore, celebratasque opes in ea regione eminere quam peterent. Proinde iam vilia & obsoleta esse spolia de Persis: gemmis, margaritisque, & auro atque ebore Macedoniam Græciamq́; non suas tantùm domos repleturum. Auidi milites & pecuniæ & gloriæ simul, quia nunquã eos affirmatio eius fefellerat, pollicẽtur operam: dimissisq́; cum bona spe, nauigia exædificari iubet: vt cum totam Asiam percucurrisset, finem terrarum mare inuiseret. Multa materia naualis in proximis montibus erat, quam cædere aggressi, magnitudinis inusitatæ repperêre serpentes. Rhinocerotes quoque rarum animal alibi, in ijsdem montibus erant. Cæterum hoc nomen beluis eis inditum à Græcis, sermonis eius ignari, aliud lingua sua vsurpant. Rex duabus vrbibus conditis in vtraque fluminis quod superauerat, ripa, copiarum duces coronis, & mille aureis singulos donat. Cæteris quoque pro portione aut gradus quem in amicitia obtinebant, aut nauatæ operæ honos habitus est. Abisares, qui prius quàm cum Poro dimicaretur, legatos ad Alexandrum miserat, rursus alios misit, pollicentes omnia facturum quæ imperasset, modo ne cogeretur corpus suum dedere. Neque enim aut sine regio imperio victurum, aut regnaturum esse captiuum. Cui Alexander nunciare iussit, si grauaretur ad se venire, ipsum ad eum esse venturum.

SOLI VICTIMIS CAESIS) Siculus: *Solem præterea, cuius beneficio partes Orientis subegisset, sacrificio veneratur.* O quanto sanctiùs auctori Iuli s, cuius instinctu in Asiam mouit, Darium vicit, regnum in potestatem adduxit, Indiam subiecit, sacrificasset: Sed in ipso Sole cæcutiebat. Arrianum vide lib 5.

PRO CONCIONE LAVDATOS) Nihil gratius gloriosis illis pyrgopolinicis accidit, quàm cũ ab Imperatore fortes viri victoresque appellantur: quos rex spe amplioris prædæ ad militiã prosequendam, totamque Indiam subigendam prolexit. Et Curtius quidem operam pollicitos ait, sed Plutarchus segniores illã cum Poro pugna redditos affirmat, vt abnuerent in vlteriorem Indiam expeditionem.

NAVIGIA EXAEDIFICARI IVBET) Siculus idem, quem videbis.

MAGNITVDINIS INVSITATAE REPERERE SERPENTES) Diodorus: *Alebat hæc regio miræ vastitatis serpentes ad* XVI. *vsq; cubitorum longitudinẽ,* hoc est, quatuor & viginti pedes *porrectos.* Idem Arrianus in Indicis testatur, qui tamen addit etiam multo maiores, ex Indorum narratione reperiri. Sed quid hæc ad Strabonẽ, qui ex Onesicrito refert, in Abisari (ad quẽ mox à Poro contendit Alexander) regione duos dracones nutritos, quorũ alter octoginta cubitos, alter centũ quadraginta longitudine æquaret, qui ducentos decem pedes efficiunt. Adde, quæ Plinius ex Megasthene accepit, In India serpentes in tantam magnitudinem adolescere, vt solidos hauriant ceruos taurosque. Metrodorus circa Rhyndacum amnem in ponto, vt superuolantes, quamuis altè perniciterque alites haustu raptas absorbeant. Nota est in Punicis bellis ad flumen Bagradam à Regulo Imperatore balistis tormentisque, vt opidum aliquod, expugnata serpens CXX. pedũ longitudinis: pellis eius maxillæque vsque ad bellum Numantinum durauere Romæ in templo faciunt his fidem in Italia appellatæ boæ, in tantam amplitudinem exeuntes, vt Diuo Claudio principe occisæ Vaticano solidus in aluo spectatus sit infans. aluntur primo bubuli lactis succo, vnde nomen traxere. l. 15. p. 806. l. 8. c. 14.

Quæ Scholiastes è Strabone adducit, iam suprà collocauimus. sed errat ille, cum centum quadraginta, aut octoginta pedes longos fuisse docet, cum Strabo non pedes, sed cubitos nominarit, quorũ locus sesqui pedem efficit, ac proinde illum centum quadraginta cubitorum, fuisse ducentorum decem pedum ὀγδοήκοντα πηχῶν, & τετταράκοντα πρὸς τοῖς ἑκατόν.

c.55.p.96. Polyhistor de Indicis serpentibus. *Enormitas in serpentibus tanta est, vt ceruos, & animantium alia ad parem molem tota hauriant: quin etiam Oceanum Indicum, quantus est, penetrent, insulasq; magno spatio à continenti separatas, pabulandi petant gratia, idq; ipsum palàm est, potētia amplissima magnitudinis fieri, vt per tantam salis latitudinem, ad loca permeent destinata.*

p.266. Sed omniū narrationes vincit Maximus Tyrius dissertatione 38. *Magnus autem Alexander deuictis iam Persis, Babylone expugnata, capto Dario, terram Indorum petijt, quæ nunquam, vt dicebant ipsi, exercitum externum, præterquam Bacchi & ipsius Alexandri admiserat. Græus eo tempore inter se contentione dissidebant duo reges, Porus & Taxilus: & Porus quidē vi pugnans capitur: in fidem societatemq; à rege recipitur Taxilus. & ille quidem quidquid vel admiratione dignum in India, vel homini Græco nouum videri poterat, regi ostendit: fluuios maximos aues varias, plantas odoratas. In his omnibus animal erat maximum Baccho sacrum, cui victimas quotidie Indi mactabant. hoc animal Draco erat, qui ingera terra quinq; corpore æquaret: is deuexo in loco, anfractuoso, profundo, altissimis desuper muris circūsepto alebatur.* Diodorus, & Strabo, & alij eadem in regione & loco Cercopithecos, siue simias caudatas miris modis venatione capi docēt; sed cum apud Curtiū nulla mentio, ego quoq; taceo.

RHINOCEROTES) suprà l.8.c.17. negauit Rhinocerotes generari in India, sed aliunde illatos ali: hic ijsdem in montibus fuisse narrat, sed nō addit, an inibi nasci, vel ex Aethiopia inferri soliti sint. De ipsa fera dictum ibi, & commentario ad Martialem.

INDITVM NOMEN A GRAECIS) à cornu quod è naribus extat dicti, vt suprà docui.

ALIVD LINGVA SVA VSVRPANT) Sandabenamet Indi vocant, vt docet Gesnerus, Reem Hebræi, Karas Chaldæi nominant, vel Karasās: Latinis Bos vel taurus Aethiopicus.

DVABVS VRBIBVS) Nicæa & Bucephala, de quibus infrà c.7. pleniùs, & tradunt vberiùs Strabo, Diodorus, Arrianus, Plutarchus, qui terram Perittā à cane gratiore ibidē amisso dictā ait.

CORONIS) cum mille aureis. coronis, vt victores; pecunia, donatiuo & honorario. nec dubito, quin coronæ quoq; aureæ fuerint. Idem Arrianus, Plutarchus, Diodorus, qui tamen nullum numerum addunt, nec coronas exprimunt.

ABISARES) dictum de hoc li. superiore c.22.3.& 5. Legatos ante pugnā miserat ad Alexandrum, qui regis nomine prouinciam illi dederent. pòst, mutato consilio, Poro auxilia promisit, quæ seriùs præstitit. victo, rursus alios allegauit, qui omnia dederent, præter corpus regiū, quod timeret, ne Alexander memor incōstantię ipsius & perfidiæ, in ipsum corpus animaduerteret, aut certè se regno priuaret. Legationis etiam Strabo * testis est: sed quid Arrianus * & Siculus narrent, cognosces. Ex quibus discis quid illa sibi Alexandri verba apud Curtium velint: *Si grauarentur ad se venire, ipsum ad eum esse venturum*, exitio nempe ipsius. Quibus territus Abisares, videtur ipse Alexandro se coràm stitisse, quod Siculus * docet: *De hinc*, inquit, *Embisarum* (ita Abisarem appellat) *qui auxilium Poro ferendum procrastinarat, Alexander terrore incusso ad imperata faciendā adegit.* Arrianus tamen * morbo impeditum negat ad Alexandrum venisse: reconciliatum illi tamen, & in gratiam demum receptum: *In hoc*, inquit, *rerum statu Arsaces, prouincia Abisari finitimæ præses, & frater Abisaris aliiq; amici ad eum venerunt, dona adferentes, quæ apud Indos censentur maxima: elephantos etiam ab Abisare missos triginta: Abisarem ipsum morbo impeditum venire non potuisse dicentes. quod cum legati qui ab Alexandro ad Abisarem missi fuerant, confirmarent, facilè persuasus rē ita se habere, Abisarem prouinciæ ipsius satrapam constituit, atq; Arsacem Abisaris imperio adiunxit.*

* l.15. p. 480.
* l.5.p. 115. vel p. 221.
* p.560.
* in 5. extremo.

CAPVT II.

ARGVMENTVM.

Interioris Indiæ descriptio. rex multas gentes partim vi, partim vltro deditas recipit.



INC Poro amne superato ad interiora Indiæ processit. Siluæ erant propè in immensum spatium diffusa, procerisq; & in eximiam altitudinem editis arboribus vmbrosæ. Pleriq; rami instar ingentium stipitum flexi in humum, rursus qua se curuauerāt, erigebantur, adeò vt species esset non rami resurgentis, sed arboris ex sua radice generatæ. Cæli temperies salubris: quippe & vim solis vmbræ leuant, & aquæ largæ manant è fontibus. Cæterùm hic quoque serpentium magna vis erat, squamis fulgorem auri reddētibus. Virus haud vllū magis noxiū est: quippe morsum præsens mors sequebatur, donec ab incolis remedium oblatum est. Hinc per deserta ventū est ad flumen Hiarotim. Iunctum erat flumini nemus opacum arboribus alibi inusitatis, agrestiumq; pauonum multitudine frequens. Castris inde motis, oppidum haud procul oppositum corona capit, obsidibusq; acceptis stipendium imponit. Ad magnam deindè (vt ea regione) vrbem peruenit, non muro solum, sed etiam palude munitam. Cæterùm Barbari vehiculis inter se iunctis dimicaturi occurrerunt

rerunt

rerunt.tela alijs hastæ,alijs secures erant.transilliebatque in vehicula strenuo saltu, cùm succurrere laborãtibus suis vellent. Ac primò insolitũ genus pugnæ Macedonas terruit, cum eminus vulnerarentur. Dein spreto tam incondito agmine, ab vtroque latere vehiculis circumfusi repugnantes fodere cœperunt. Et vincula,quis conserta erant,iussit incidi,quò facilius singula circumuenirentur. Itaque DCCC. suorum amissis,in oppidum refugerunt. Postremo die scalis vndique admotis muri occupantur. Paucis pernicitas saluti fuit,qui cognito vrbis excidio paludem tranauere: & in vicina oppida ingentem intulere terrorem,inuictum exercitum,& deorum profectò, aduenisse memorantes. Alexander ad vastandam eam regionem Perdicca cum expedita manu misso, partem copiarum Eumeni tradit,vt is quoque Barbaros ad deditionem compelleret. Ipse cæteros ad vrbem validam, in quam aliarum quoque confugerant incolæ,duxit. Oppidani, missis qui regem deprecarentur,nihilominus bellum parabant,quippe orta seditio in diuersa cõsilia diduxerat vulgum. Alij omnia deditione potiora,quidam nullam opem in ipsa esse ducebant. Sed dũ nihil in commune consulitur,qui deditioni imminebant,apertis portis hostem recipiunt. Alexander quamquam belli auctoribus iure poterat irasci,tamen omnibus venia data, & obsidibus acceptis, ad proximam deinde vrbem castra mouit. Obsides ducebantur ante agmẽ: quos cum ex muris agnouissent,vtpotè gentis eiusdem. in colloquium vocauerunt. Illi clementiam regis,simulq́; vim commemorando,ad deditionem eos compulere: cæteras q́; vrbes simili modo deditas in fidem accepit.

PORO AMNE SVPERATO) Omnes editiones Modianis antiquiores habẽt, *Poro amneq; superato*, quæ lectio,inquit Modius,ab ijs procul dubio manauit,qui amnẽ etiã hoc nomine in India ignorabant. Sed velim discere ex Modio,apud quem geographum,aut historicũ, aut scriptorẽ, amnem Porum legerit? Ptolemæus quidem Poruaros Indiæ populos laudat,sed de ipso flumine Poro nulla apud illum vox,nisi dicas Poruaros à Poro amne deriuari. In chirographo Constantiensi *Poro amne superato* scriptum est:quomodo legit etiam in suis MSS. Modius & edidit. Si Porus amnis non fuit,quæro,quem amnẽ victo Poro superauit,cùm ante conflictũ Hydaspen,ad quem castra habebat Porus,traiecisset, Pori autem nulla prius facta sit mentio. sequor ergo Modium,quoad in meliorem rei cognitionem veniam. Diodorus etiam amnem non exprimit, sed in fertilem tantùm regionẽ & siluas venisse narrat. Arrianus * Alexandrum rectà è Pori regno in Glaucanicas seu Glaucasas mouisse,nulla amnis mẽtione facta, affirmat: vrbes septẽ & triginta deditione recepisse cum compluribus & frequentibus pagis, eamq; totã regionem Pori regno adiecisse: Taxilemque à Poro, conciliante Alexandro, in gratiam & amicitiam receptum. Inde ad Acesinem amnem venisse,de quo noster infra cap. VII. Idem in Indicis docet, Alexandrum per Hydaspem ad Acesinem vbi confluunt nauigasse, naueisque duxisse octingentas. * lib. 5. circa med.

SILVAE ERANT PROPE IN IMMENSVM SPATIVM DIFFVSAE) nam pro magnitudine arborum,etiam siluæ extendebantur de arboribus autem sequitur: *Procerisque & in eximiam altitudinem editis arboribus vmbrosa*. Suffragatur his Siculus, cuius locum videbis lib. 17. p. 560.

Geropius quoque de his arboribus multa & mira ex Theophrasto *a*, Strabone *b*, Plinio, Solino, putatque ficum fuisse, sub qua decerpserit exitiale sibi & generi humano malum, quod infinita mundo mala inuexit: miris que modis exultat, quod aliquid præ cæteris scriptoribus dignũ & memorabile ad litteras sacras explicandas inuenerit. ipsum hic sibi applaudentem, & simul arborem describentem subijcerẽ, nisi loci prolixitas deterreret, quã non nimis onerandus est commentarius. Extat p. 485. in Indoscythicis, cuius cuius initium est, *scripserunt in Genesim*, & quæ sequuntur. Habes porro harum arborum iconismum apud Carolum Clusium. Exotic. lib. 2. vbi hunc quoque Curtij locum adducit. *a* li. de plãtis 4. *b* lib. geographiæ 15

Diodorus Siculus *Transmisso*, inquit, *cum copijs amne per regionem eximiè fertilem perrexit. nam insolitis hic generis arbores erant ad LXX. cubitos in altum editæ, & crassitie tanta, vt difficulter IV. illas viri complecterentur, vmbram verò ad tria plethra (CCC. pedes) de se proiectabant.* Rhodomanus πλέθρα cẽtum pedes vertit, rectè vereque, nõ, (vt alij) iugerũ. de quo vide comm. ad Mart. epig. 1.

SERPENTIVM MAGNA VIS ERAT) testatur Siculus: *In hoc etiã (inquit) tractu, magna vis serpentum erat, qui specie quidem exiles, sed varietate corporum insignes erant. nam alij virgas aneas colorus specie exhibebant: alij densam piliq; hirsutam attingebant cristam: tanta morsus efficacitate, vt mors exemplò sequeretur. si quis ictus esset, horrendis torquebatur doloribus, & cruentus per totum corpus sudor profluebat. Macedones ergò contra hanc pestem se tutantes, lectos ex arboribus habentes suspensos, maiorem noctis partem insomnem ducebant: donec ab incolis de remedio veneni, radice quadam edocti, malo illo liberati sunt.*

AD FLVMEN HIAROTIM) Hydraotem Arrianus appellat: Hyarotidem Geographus, * qui cum Arriano Hyarotidem post Acesinem ponit, & hoc ordine transitos ab Alexandro amnes dicit: *Post Cophen, inquit, erat Indus, postea Hydaspes, inde Acesines, ab hoc Hyarotis, postremò* * l. 15. p. 101

postremo Hypasis. vlterius progredi cauit. Obserua ergo, Alexandrum non peruenisse ad Gangem, quod & Arrianus testatur. sed de hoc infrà.

ARBORIBVS ALIBI INVSITATIS) De his præter alios Geographus * in 15. *Fructus arboreos multos gigni, radices stirpium, præsertim magnarum arundinum, & natura, & decoctione dulces esse, aqua à solibus tepefacta, tam cœlesti, quàm pluuiali. Quodammodo igitur id videtur dicere eam, quæ apud alios & fructuum & succorum maturitas dicitur, apud illos concoctionem esse, quæ tantum ad suauitatem saporis conducat, quantum ea quæ per ignem fit. Idcirco etiam ramos arborum flexiles esse dicit, è quibus rota fiant, ob eandem causam in quibusdam lanam innasci, ex qua Nearchus ait sindones subtilis & reticulati operis texi, & Macedones ea pro tomento vsos, ac clitellis subiecisse: serica etiam eiusdem generis esse, bysso scilicet ex corticibus quibusdam excarminata. tradit idem arundinem mel sine apibus gignere; & cum non sit arbor fructifera, ex fructu tamen ebrium facere.*

* p 47. ante med. vel pa. 787

Subijcit dein idem de arboribus iam suprà ex Theophrasto & ipso Strabone laudatis. Addit tamen ex Aristobulo *arborem esse non magnam, quæ magnas siliquas habeat fabarum similes, denorum digitorum longitudine, mellis plenas, quas qui ederint, non facilè euadant mortem. Qui dixerunt trans Hyarotidem visam fuisse arborem, quæ vmbram in meridie faceret quinque stadiorum, cunctorum de arborum magnitudine sermonem excesserunt. Idem tradit lanigerarum arborem florem nucleum habere: quo exempto reliquum, lanæ in morem, carminetur.* Ante Strabonem Ctesias de Indicis arboribus scripsit, *Habent*, inquit, *Indi arbores cedro aut cupresso proceritate pares, quarum folia palmæ folijs paulo latiora, alioqui sunt similia, & axillis carẽt. Florem qualem laurus mas emittunt, sed fructum nullum ferunt. nomen illis est Indicum, carpion: græcum, myrorhoda. sunt autem rara ex illis olei guttæ distillant, quas lana arbori impressa excipientes, in lapideos alabastros, illam exprimendo, infundunt. Est autem id subrubrum & crassiusculum, adeoque fragrans, vt ad quinque stadia eius odor perueniat. Soli autem regi eiusque propinquis id possidere conceditur. ex eo rex Indiæ ad Persarum regem misit: se que Ctesias id vidisse, & odorem qui nec dici, nec cuiquam alij assimilari possit, se percepisse narrat.*

pag seq.

Ctesias p. 12. vel p. 666. cũ Herodoto. editus in fol.

l. 20. Ornithol. p. 526. AGRESTIVMQVE PAVONVM) horum iconismum spectabis apud Vlyssem Aldrouandũ. Græcis ταὼς ἄγριος vocatur, latinis recentioribus Vanellus, Aristoteli ἀἴξ, vulgò capella, *Auis est pulchra, columbina magnitudine, cristato capite, vt pauo, in collo viridi colore & lucente, reliquo corpore varia. Turnerus sic describit, Cornice minor est, plumis ferè viridibus nigris per totum dorsum & caput, ventre albo, longa & semper erecta in capite crista plumea, alis obscurioribus.* plura Ornithologus, & Bellonius cognitu sanè iucunda: sed hæc nobis satis.

CORONA CAPIT) quid sit vrbem aut opidum *coronâ capere*, suprà exposuimus, cùm inquam totus exercitus vrbi circumfunditur, quæ & simul ex omni parte oppugnatur, & simul expugnatur: opidum autem hoc ex Arriano * Pimprama fuisse arbitror, illa enim vrbs post Hydraotem traiectum prima occurrit Alexandro.

* lib. 5.

AD MAGNAM DEINDE, VT EA REGIONE, VRBEM PERVENIT) huic vrbi nomen, vt est apud Arrianum, Sangala fuit.

NON MVRO SOLVM, SED ETIAM PALVDE MVNITAM) de eodẽ muro & stagno Arrianus: *Murus enim*, inquit, *in circuitu amplior erat, quam vt ab exercitu totus in orbẽ cingi posset: vacuis verò peditatu locis (vbi & stagnum quoddam non procul à muris situm erat) equitatum circumduxit, sciens id stagnum parum profundum esse.*

CAETERVM BARBARI VEHICVLIS INTER SE IVNCTIS DIMICATVRI OCCVRRERVNT) multò hæc omnia explicatiùs & prolixiùs Arrianus, p. 116. 117. 118. ego dictis faciam compendium. Barbari illi Indi fuere Sangalani, Cathæi, Oxydraces, Mallj. Adraistæ verò Pimpramani statim deditionem fecerunt, simul Alexander castra admouit. Sed Sangalani & Cathæi collem armati occuparunt, & Alexandrum hostem expectarunt, & castra triplici curruum ordine munierunt. Quos contra Alexander aciem instruxit, eosdem dissipatis curribus in fugam cõiecit, qui omnes in vrbem refugerunt. Quam Alexander mox obsidione cinxit, ac tandem frustrà se hostibus subducere conantibus, vrbem expugnauit. In qua XVII. millia cæsi, capti amplius LXX. millia, currus trecenti, equites quingenti. Macedonum non plures centum tota obsidione desiderati, mille tamen & quingenti vulnerati, inter quos Lysimachus corporis custos.

IVSSIT INCIDI) desunt opinor duo triaue hîc verba, vel fortasse vnica vox (Rex,) nec enim benè oratio hæc cum superioribus aliquot versibus coniungitur. Quis enim iussit incidi? Alexãder certè Sed is vbi est in proximis versibus, vbi quid hostes, quid ipsi Macedones egerint, narratur. Legerim ergo interiecta vnica voce, Rex, *Et rex vincula quæ conserta erant, iussit incidi.*

INVICTVM EXERCITVM ET DEORVM PROFECTO ADVENISSE) ante id tẽpus enim ipsi se inuictos credebant, vt quos nec Porus, nec Abisares coniunctis etiam copijs aggressi, expugnare poterant: quæ ipsa res illorum animos efferauit, vt auderent Alexandrum spernere, & obsidionem experiri.

EVMENI TRADIT) hic domo Cardianus fuit, olim Philippi regis scriba, de cuius primis officijs & negotijs multa Aemilius Probus in huius vita, quam ipse recognosces.

p. 172. Arrianus in V. *Post hæc Alexander, cæsis patrio more sepultis, Eumenem scribam ad duas vrbes, quæ*

vna

vnà cum Sangalis defecerant, mittit, trecentis equitibus ei adiunctu, qui oppidanis denuncient, Sangala vrbem ab se expugnatam, &c.

IPSE CAETEROS AD VALIDAM VRBEM DVXIT) triginta septem vrbes ordine ferè simul occupauit, vt Arrianus testatur. Et hoc est quod dicit in fine capitis hîc Curtius: *caeterasque vrbes simili modo deditas in fidem accepit.* Diodorus: *Interea expeditione in Andrestarum gentem suscepta, vrbium alias vi, alias deditione subiungit.* Iustinus * plura. * p. 561. alia edit. Glareani p. 118.

CAPVT III.

ARGVMENTVM.

Sophitis regnum deditur. De canibus venaticis admiranda.



Inc in regnum Sophitis peruentum est. Gens (vt barbari) sapientiâ excellit, bonisq; moribus regitur. Genitos liberos, non parentum arbitrio tollunt, aluntq;, sed eorũ, quibus spectandi infantũ habitũ cura mandata est: si quos insignes, aut aliqua mẽbrorũ parte inutiles notauerũt, necari iubent. Nuptijs coeũt, nõ genere ac nobilitate cõiunctu, sed electa corporũ specie: quia eadẽ æstimatur in liberis. Huius gentis oppidũ, cui Alexander admouerat copias, ab ipso Sophite obtinebatur. clausa erant porta, sed nulli in muris turribusque se armati ostendebant; dubitabantque Macedones deseruissent vrbẽ incola, an fraude se occulerent: cùm subitò patefacta porta rex Indus cũ duobus adultis filijs occurrit, multũ inter omnes Barbaros eminens corporis specie. Vestis erat auro purpuraq; distincta, qua etiam crura velabat, aureis soleis inseruerat gemmas. Laceri quoque & brachia margaritis ornata erant. Pendebant ex auribus insignes candore ac magnitudine lapilli. Baculum aureum berylli distinguebant. Quo tradito precatus, vt sospes acciperet, se liberosque, & gentem suam dedidit. Nobiles ad venandum canes in ea regione sunt. Latratu abstinere dicuntur cùm videre feram, leonibus maximè infesti. Horum vim vt ostenderet Alexandro, in conspectu leonem eximia magnitudinis iussit emitti, & IV omnino admoueri canes, qui celeriter feram occupauerunt: cum ex ijs qui assueuerant talibus ministerijs, vnius canis leoni cum alijs inhærentis crus auellere, & quia non sequebatur, ferro amputare cœpit. Nec sic quidem pertinacia victa, rursus aliam partem secare instituit, & inde non segnius inhærentem ferro subindè cadebat. Ille in vulnere fera dentes moribundus quoque infixerat, Tantam in illis animalibus ad venandum cupiditatem ingenerasse naturam memoria proditum est. Equidem plura transcribo, quàm credo: Nam nec affirmare sustineo, de quibus dubito, nec subducere qua accepi.

HINC IN REGNVM SOPHITIS) Græcis Σωπίθης, in secundo casu σωπίθους apud Strabonem, Σωπείθης apud Arrianum, σωπείθην in IV. casu apud Diodorum. vnde coniectura est, Latinis Sopithen non Sophiten dictum, nisi quod videatur Curtius mutatis literis ad σοφίαν respexisse, qua à sophia sophitis sit appellatus, præsertim cum addat: Gens (vt barbari) sapientia excellit, bonisque moribus regitur. Geographus hunc vnum ex nomarchis & regulis illius regionis appellat. *Sunt*, inquit, *qui Catheam, Sopithis regionem, qui vnus fuit è nomarchis, hoc est, prouinciarum certarum regulis, inter hos amnes locauerunt huius regionem Gandaridem vocant.* lib. 15. pag. 802.

BONIS MORIBVS REGITVR) Idem Siculus affirmat: *hinc*, inquit, *ad vrbes Sopithæ addictas exercitum adduxit, quæ cum legibus optimè constitutis regantur, inter alia. &c.*

GENITOS LIBEROS NON PARENTVM ARBITRIO TOLLVNT) Strabo de eadem gente, & eiusdem moribus & consuetudine ex Onesicrito ait, puerum post duos à partu menses publicè iudicari, vtrum legitimam formam habeat, & vita dignam nec ne, cumque ab eo iudicatus fuerit, qui rei præest, vel viuere vel interimi.

SI QVOS INSIGNES) in malam partem hac à Curtio vox hoc loco vsurpatur, pro ijs qui labe aliqua corporis notati, næuo aliòue vitio laborant, vt lusci, strabones, manci, claudi, cæci, qui græcis ἐπίσημοι ab aliqua nota vel signo impresso sunt fœdi & turpes. Cicero 3. de legib. *In-* Cicero.

signis

signis ad deformitatem puer, breui tempore creatus, multoque tetrior & fœdior nato est. Vsurpatur frequenter per translationem & metaphoram in malam etiam partem *insignis* improbitas, iniuria, turpitudo, temeritas, & hoc genus alia apud M. Tullium. frequentius tamen in laudem. Sed de re & moribus huius gentis etiam Siculus: *Etiam*, inquit, *hoc obseruant, vt forma honestatem inter preciosissima æstiment. ideoque ab incunabulis, qui sit infantum habitus, diiudicant. qui membris sunt integris & rectè compositis, naturamque habent ad formæ decorem ac robur idoneam, hos educant: at mancos & corporis habitudine infirmos, ceu indignos educatione è vita tollunt.* Possis & Germanorum veterum consuetudinem his addere, qui Rheno legitimos explorare partus solitabant, clypeoque impositos, si innatarent, legitimam sobolem existimare, si mergeretur, spuriam.

Lipsius ad Germ. Taciti p.66.n. 62. Rhenus ἐλεγχίγαμος & purus Rhein dictus.

NVPTIIS COEVNT) idem prorsus Siculus, vt exscripsisse, seu è verbo interpretatus Curtius ex illo videri possit: *Consimili*, inquit, *ratione etiam matrimonia contrahunt. posthabita enim dote, cæteroque magno pretij apparatu ad pulchritudinem & proceritatem corporis vinculum habent respectum. Hinc fit, vt qui in vrbibus illis habitant, plerique alijs dignitate formæ sint conspectiores.* Et inde est, vt opinor, quod Strabo docet, sponsos sponsasque sibi ipsis deligere, quibuscum degant, iuraque tori & matrimonij ineant. Geographus tam studiosos elegantiæ & formæ esse tradit hosce Catheos, vt vario colorum genere tingant capillos, & barbas, & vestes, omneque studium ad ornatum corporis conferant: cætera frugales esse. hoc tamen incommodi habent, quod cum defunctis viris etiam vxores comburantur. *ob hanc causam, quod* (vt Strabo refert) *cùm aliquando adolescentulos adamarent, à viris secedebant, vel eos veneno tollebant, vt ergo veneficia desinerent, hanc legem latam esse.* Ad huius regis Sophitæ opidum admouerat Alexander copias: sed cùm nullus in mœnibus aut muris, aut turribus apparet, qui hostes defenderet, vrbem tutaretur, res fuit suspecta Alexandro, omnesque aut deserta vrbe profugisse, aut insignem aliquam fraudem machinari arbitrabatur: cùm repentè apertis portis rex ipse Sophites cum liberis & optimatibus inermis, & nihil hostile præ se ferens ad Alexandrum est egressus. habitum regis, formam, cultumque corporis, & omnia quæ ad ornatum pertinebant, Curtius eleganter & planissimè describit, cui argumentum, vt arbitror, præscripsit Diodorus: *Præ omnibus autem*, inquit, *Sopithes rex formæ elegantia & corporis maiestate conspicuus erat, IV. enim cubitos excedebat. Is ex vrbe* (*in qua tunc regia erat*) *progressus, se & regnum Alexandro dedidit, illudque benignitate victoris postliminiò recepit. Idcirco totum exercitum ad dies aliquot epulo magnifico excepit.* Onesicritus apud Geographum, apud eosdem Cathæos in more positum esse narrat, vt ex omni genere hominum pulcherrimum eligerent regem, vt inde natam existimem de excellenti corporis specie parœmiam, *formam regno dignam.* De aliorum etiam regnum apud Indos cultu & luxu multa superiore libro cap. XVII.

lib.15.pag. 203.

p.561.

BERYLLI) De his Solinus c. LV. *Beryllos in sexangulas formas Indi atterunt, vt hebetem coloris lenitatem, angulorum repercussu excitent ad vigorem. Beryllorum genus diuiditur in species multifariam, eximij interuirent e glauci & cærulei temperamento, quandam præferunt puri maris gratiam. infra hos sunt Chrysoberylli, qui languidius micantes, aurea nube circumfunduntur. Chrysoprasos quoque ex auro & porraceo mixtam lucem trahentes, aquè Beryllorum generi adiudicauerunt.* Vide & Plinium. Periegetes Beryllos etiam in Babylonia ex ophite lapide nasci canit:

Ναὶ μὴν καὶ χρυσοῖο φέρει χαριέστερον ἄλλο
ὑγρῆς βηρύλλου γλαυκὸν λίθον, ἣ περὶ χῶρον
φύεται ἐν προβολῆς ὀφίτιδος ἔνδαθι πέτρης.
Iam verò & auro fert plus gratiæ habens aliud
Humidæ Berylli glaucum lapidem, qui in loco illo
Nascitur apud effluuia (torrentium) *ophiten intra lapidem.*

ad quem locum plura Eustathius.

NOBILES AD VENANDVM CANES IN EA REGIONE SVNT) hanc de canibus Indicis narrationem ipse Curtius infirmat, & dubiam reddit, quando sub finem addit, *Equidem plura transcribo, quàm credo.* non credidit ergo quæ de canibus narrauit, sed referre tamen voluit, quod illa apud græcos scriptores legisset. Sed tam multi huius rei sunt testes, qui hodieque leguntur, non græci tantùm, sed & latini, vt vel nulli veterum auctorum calamo fides habenda sit, vel hæc tam certa, quam vlla alia videri possint. Nos prius ad Curtium respiciamus, dein auctores.

LATRATV ABSTINERE DICVNTVR) hoc ipsum argumentum est generosæ indolis in cane, non multùm latrare. nam vt est in parœmia; *timidi canes vehementius latrant*; sicut torrentes magis strepunt, quàm altissima flumina, quæ minimo sono labuntur, vt suprà audisti. paucorum Spartani verborum erant, sed maximæ virtutis. nihil fœmina loquacius, nihil timidius. parœmiographum lege.

LEONIBVS MAXIME INFESTI) minores enim feras sua virtute inferiores iudicant, lepores, ceruos, apros, & vrsos dedignantur; leones & elephantos dignos putant quibuscum committantur.

HORVM VIM VT OSTENDERET ALEXANDRO) Sophitis IV. canes) In narratione huius

huius venationis & modo, ſcriptores inter ſe nonnihil diſſentiunt; quamuis re ipſa & hiſtoria conſentiant. Adi Geographum lib. xv p.841. Diodorum p.561. Aelianum de animalibus lib.8. c.1. optimè hæc deſcribentem. Plinium lib. 11x. cap. 1xv. toto. Solinum c.xx. p.47. Recentiores nihil moror.

CAPVT IV.

ARGVMENTVM.

Phegeles rex deditur, natura loci deſcribitur, & Ganges fluuius & Agrammes rex potentiſsimus. dubius rex de milite an eſſet ſecuturus, concionem habet.



Elicto igitur Sophite in ſuo regno, ad fluuium Hypaſin proceſſit, Hephaſtione, qui diuerſam regionem ſubegerat, coniuncto. Phegelus erat gentis proxima rex, qui popularibus ſuis colere agros (vt aſſueuerant) iuſſis, Alexandro cum donis occurrit. Nihil quod imperaret detrectans, biduum apud eum ſubſtitit rex, tertio die amnem ſuperare decreuerat, tranſitu difficilem, non ſpatio ſolùm aquarum, ſed etiam ſaxis impeditum. Percontatus igitur Phegela, quæ noſcenda erant, XI. *dierum vltra flumen per vaſtas ſolitudines iter eſſe cognoſcit: excipere deinde Gangem maximum totius Indiæ fluminum. Vlteriorem ripam colere gentes Gangaridas & Pharraſios, eorumque regem eſſe Aggrammen,* XX. *millibus equitum,* CC, *que peditum obſidentem vias. ad hoc quadrigarum* II. *millia trahere, & præcipuum terrorem elephantos, quos* III. *millium numerum explere (dicebat.) Incredibilia regi omnia videbantur. Igitur Porum (nam cum eo erat) percontatur, an vera eſſent, quæ dicerentur. Ille vires quidem gentis & regni haud falſo iactari affirmat: ceterum qui regnaret, non modo ignobilem eſſe, ſed etiam vltimæ ſortis: quippe patrem eius tonſorem, vix diurno quæſtu propulſantem famem, propter habitum haud indecorum cordi fuiſſe reginæ: ab ea in propiorem eius qui tum regnaſſet amicitiæ locum admotum, interfecto eo per inſidias, ſub ſpecie tutelæ liberûm eius inuaſiſſe regnum, necatiſque pueris hunc qui nunc regnat, generaſſe, inuiſum vilemque popularibus, magis paternæ fortunæ quàm ſuæ memorem. Affirmatio Pori multiplicem animo regis iniecerat curam. hoſtem beluaſque ſpernebat, ſitum locorum, & vim fluminum extimeſcebat. relegatos in vltimum pene rerum humanarum perſequi terminum, & eruere, arduum videbatur. Rurſus auaritia gloriæ, & inſatiabilis cupido famæ nihil inuium, nihil remotum videri ſinebat. Et interdum dubitabat, an Macedones tot emenſi ſpatia terrarum in acie & in caſtris ſenes facti, per obiecta flumina, per tot naturæ obſtantes difficultates ſecuturi eſſent. Abundantes onuſtoſque præda magis parta frui velle, quàm acquirenda fatigari. Non idem ſibi & militibus animi eſſe: ſe totius orbis imperium mente complexum, adhuc in operum ſuorum primordio ſtare: militem labore defatigatum, proximum quemque fructum finito tandem periculo expectare. Vicit ergo cupido rationem, & ad concionem vocatis militibus ad hunc maximè modum diſſeruit.*

AD FLVVIVM HYPASIN PROCESSIT) triplex huius fluminis nomen lego, Hypaſis Curtio, Plinio, Solino dicitur; Hypanis Dionyſio Periegetæ, Straboni, Ouidio: Hyphaſis Arriano & Philoſtrato. Hîc obſeruandum, Hypanin homonymon etiam eſſe Ponti flumen, de quo Solinus, Hypanis oritur inter Anchetas Scythicorum amnium princeps. De eodem Herodotus, Melas, Euſtathius, qui diſertè Indicum à Scythico ad Periegeten diſtinguit: Ouidius in 15. metamorph.

Quid non & Scythicis Hypanis de montibus ortus,
Qui fuerat dulcis, ſalibus vitiatur amaris.

Ste-

Stephanus de vrbibus:

Ὕπανις ποταμὸς καὶ πόλις μεταξὺ τοῦ πόντου καὶ τῆς Μαιώτιδος λίμνης. Hypanis est nomen fluuij & ciuitatis, inter Pontum & Maotidem paludem. Sed hunc Hypanim amnem Scythicum, hinc in Scythiam ablegemus, & hic de Indico quamuis τριωνύμῳ seu trinomine agamus. *Hic*, inquit Diododorus, qui Hyphasin vocat, *septem stadia latus est, & sex orgyas, seu vlnas altus, cursu vehementer concitato & transitu perquam difficili.* Philostratus copiosius & elegantius omnia, quem Morellus latio donauit, quem leges.

l. yc. 1 p. 108. Plinius l. 2. c. 73. Supra Hypatim flumen, solstitij die nullas laci vmbras dicit; sicut in Syene opido, quod est supra Alexandriam in Aegypto Solinus, *Hypasis etiam nobilissimus ibi, qui Alexandri iter terminauit, sicut aræ in ripa eius posita probant.* Sed de termino Alexandri M. & aris alibi videbimus. Dionysius aurum vehere canit:

> Γαργαρίδαι ναίουσι ὅθι χρυσοῖο γενέθλην
> Δαιδαλέην ὕπανίς τε φέρει θεῖός τε Μέγαρσος
> Λαβρότατοι ποταμῶν.
> *Gargaridæ habitant, vbi auri originem* (materiam)
> *Pulchram Hypanisque vehit, vastusque Megarsus;*
> *Rapidissimi fluuiorum.*

Hos è monte Emodo ortos in Gangeticam regionem decurrere ibidem affirmat. Addit Eustathius ex Dionysio Hypanim seu Hypanidem & Megarsum in Emodis ortos, postea euanescere, & rursus emergere. De Hypanide verò, Πολὺς δὲ, inquit, ἐν ταῖς ἱστορίαις ὁ Ὕπανις ἐπαινεῖται· ἀρίστη γὰρ φασὶν, ἡ πέραν αὐτοῦ, καὶ οἱ χρυσωρύχοι μύρμηκες αὐτοῦ που λέγονται εἶναι. Καὶ ἄλλα δὲ πολλὰ ὅτι τῷ προστερατεύονται φασὶ δὲ καὶ τὸν Ἀλέξανδρον μέχρις αὐτοῦ ἐλθόντα περαιτέρω κωλυθῆναι προσελθεῖν μαντείοις προσέχοντα, καὶ διὰ τὸ ἀπαγορεύσαι τὴν στρατιάν. οἱ δὲ περαιτέρω τοῦ Ὑπάνιος ἐκεῖνόν φασι προελθεῖν μέχρι καὶ Γάγγου. *Multa*, inquit, *mentio est in historij. de Hypanide Indico optimam trans illum terram, ibique formicas esse quæ aurum effodiant, multaque alia prodigiosa loco illi affinguntur. Aiunt etiam* * *ad Hypanin progressum, prohibitum vlterius progredi, cùm oraculis deterritum, tum quod exercitus porrò progredi recusaret.*

* Alexandrum.

QVI DIVERSAM REGIONEM SVBEGERAT) atqui Arrianus Hephæstioni imperatum ait ab Alexandro, vt quam celerrimè ad Sophitis, seu Sopithi (vt ipse appellat) regiam contenderent. Quis mihi græcos hos cum latinis componat? sed non sunt in hoc siue mundi fortunæ. Diodorus sentit cum Curtio, imò Curtius cum Diodoro.

PHEGELIS ERAT GENTIS PROXIMAE REX) Nunquàm ferè & nusquam, vitio librariorum vel operarum, nomina vel vrbium vel hominum, vel fluminum propria rectè exprimuntur: & hinc illa lectionum varietas, vt paullò antè in Hypasi, nunc in rege Phegele; quem in alijs editionibus Phegelam leges, apud Diodorum Phegeam. Arrianus nomen omninò dissimulat.

BIDVVM APVD EVM SVBSTITIT REX) Alexander apud Phegelin seu Phegelā, vt quartum casum format Curtius, non Phegelis apud Alexandrum biduum substitit. *Et proximum inde Phegei regnum*, inquit Diodorus, *inuadit*, Alexander inquam, *vbi cum incolis acceptus esset Macedonum aduentus, & Phegeus ipse multis cum muneribus obuiam procederet, vt beneficio suo regnum obtineret, concessit: & biduum cùm exercitu splendidè ab illo tractatus, ad Hyphasin fluuium promouit.*

Lib. 17. pag 564.

GANGARIDAS; hos Periegetes Gargaridas vocat, Bacchi cultores

> ——— μετὰ τοὺς δὲ Διωνύσου θεράποντες Γαργαρίδαι ναίουσι ———

Strabo, Diodorus, Plutarchus, Stephanus *Gandaridas*. cum Curtio autem Gangaridas appellant Virgilius, Ptolemæus, Vibius Sequester, Plinius, Solinus, Iustinus, haud dubiè à Gange, cuius accolæ sunt, vt docent cum Curtio omnes.

PHARRASIOS) hos Plutarchus, Prasios, Præsidas seu Præsidias; Diodorus Tabrasios, Iustinus Prasios Strabo & Solinus nominat, qui Palibotram vrbem incolunt.

AGRAMMEN) Diodoro idem Xandrames est.

p. 586. XX MILLIBVS EQVITVM) multis millibus auget hos Plutarchus, cuius locum videbis. Modestius omnia Diodorus cum Curtio *Tum*, inquit, *è Phegee cognoscit, quod trans Indum regio XII. dierum itinere per vastas solitudines excurrat, quam Ganges fluuius excipiat, latitudine stadiorum XXXII. ac profunditate tanta, vt omnia per Indiam flumina superet. Vlteriores autem ripas Tabrasiorum & Gandaridarum gentes colere, regemque horum esse Xandramen, viginti equitum & ducentis peditum millibus, curribus insuper bis mille & quater mille elephantis, ad bellum adornatis, instructum. Incredibilia hæc regi visa.* Iustinus paucis, *Inde Adrestas, Stabenos, Pasidas, Gangaridas, cæsis eorum exercitibus, expugnat. cum ad Eufites venisset, vbi eum cum CC. millibus hostium equitum opperiebantur, omnis exercitus non minus victoriarum numero, quàm laboribus fessus, lacrymis eum deprecatur, vt finem tandem belli faceret.*

p. 526.

p. 118. edit. Glareani

DICEBAT) hanc vocem expungit Acidalius, quæ fuit caussa vt parenthesi includeretur, ne quereretur lector contra omnium codicum & chirographorum & editorum fidem deletam.

In

INCREDIBILIA OMNIA REGI VIDEBANTVR) Idem prorſus Siculus: p. 502. m.

NECATISQVE PVERIS) legitimis & regijs ſuum filium ſubſtituit hæredem.

MAGIS PATERNAE FORTVNAE, QVAM SVAE MEMOREM) degenerem dicit hunc regem fuiſſe, & potius tonſoris animum, quam regium geſſiſſe. tonſor enim pater fuerat, qui non ſolùm crines, ſed capita etiam regum detonderat, vt ipſe regnaret. filium patri diſſimilem audacia, ingenio & indole, nihil de patris animo præter officium & fortunam patris, hoc eſt, tonſoris habere.

AFFIRMATIO PORI MVLTIPLICEM ANIMO REGIS INIEC. CVRAM) Quinque regi occurrebant rationes, quas ſuis conſilijs & gloriæ cupiditati obſtare videbat. hoſtis magnus & numeroſiſsimus & bellicoſiſsimus, & in intimis atque extremis terrarum latebris orbiſque terminis collocatus: beluæ & elephanti plurimi, qui veluti cautes & turres in acie ſtabant: vaſtæ XI. aut XII. dierum ſolitudines intrandæ & ſuperandæ: fluminum maximorum & altiſsimorum traiectus: & quod erat ſuper omnia, Macedones iam bello diuturno ſenioque fracti & fatigati. Hæ rationes quamuis grauiſsimæ & digniſsimæ, quæ mentem regis meritiſsimò à conatu vlteriore deterrerent, tamen immenſum gloriæ calcar & cupido famæ & laudis inexplebilis ſtimulabat animum regis ad omnia tentanda. primum ergo omnium pertentandos ſuorum animos cenſebat, quos ad concionem coegit. Atque hæc breuiſsimè Curtius. paullò fuſius omnia * Diodorus, quem adibis. *p. 562.

Vide etiam Arrianum, cuius oratio luculenta eſt, quam cum Curtiana poteris componere: à Diodoro & Plutarcho omninò neglectam.

CAPVT V.

ARGVMENTVM.

Suadet militi vltimũ reſtare bellum. eleuat conceptam de hoſtis potentia opinionem. laudat virtutem ſuorum, nec tamen perſuadet. oritur omnium fletus.



Non ignoro, milites, multa quæ terrere vos poſſent, ab incolis Indiæ per hos dies de induſtria eſſe iactata. Sed non eſt improuiſa vobis mentientium vanitas: ſic Ciliciæ fauces, ſic Meſopotamiæ campos, Tigrim & Euphratem, quorum alterum vado tranſiuimus, alterum ponte, terribilem fecerant Perſæ, nunquam ad liquidum fama perducitur. Omnia, illa tradente, maiora ſunt vero. noſtra quoque gloria cùm ſit ex ſolido, plus tamen habet nominis quàm operis. Modò quis beluas offerentes mœnium ſpeciem, quis Hydaſpen amnem, quis cætera auditu maiora quàm vero ſuſtinere poſſe credebat? Olim hercule fugiſſemus ex Aſia, ſi nos fabulæ debellare potuiſſent. Creditiſne elephantorum greges maiores eſſe, quàm vſquam armentorum ſunt, cùm & rarum ſit animal, nec facilè capiatur, multoque difficilius mitigetur? atqui eadem vanitas copias peditum equitumque numerauit. Nam flumen quò latius fuſum eſt, hoc placidius ſtagnat, quippe anguſtis ripis coercita, & in artiorem alueum eliſa torrentes aquas inuehunt: contra ſpatia aluei ſegnior curſus eſt. præterea in ripa omne periculum eſt, vbi applicantes nauigia hoſtis expectat. Ita quantumcunque flumen interueniet, idem futurum diſcrimen eſt euadentium in terram. Sed omnia vera iſta eſſe fingamus. vtrumne vos magnitudo beluarum, an multitudo hoſtium terret? quod pertinet ad elephantos, præſens habemus exemplum, in ſuos vehementius quàm in nos incurrerunt. tam vaſta corpora ſecuribus falcibuſque mutilata ſunt. quid autem intereſt, totidem ſint, quot Porus habuit, an tria millia, cùm vno aut altero vulneratis ceteros in fugam declinare videamus? dein paucos quoque incommodè regunt. Congregata verò tot millia ipſa ſe eliduntur, vbi nec ſtare, nec fugere potuerint, inhabiles vaſtarum corporum moles. equidem ſic animalia iſta contemſi, vt cùm haberem, ipſe non oppoſuerim: ſatis gnarus, plus ſuis quàm ho-

Hi-

stibus periculi inferre. At enim equitum peditumque multitudo vos commouet, cum paucis enim pugnare soliti estis, & nunc primùm inconditam sustinebitis turbam. testis aduersus multitudinem inuicti Macedonum roboris Granicus amnis, & Cilicia inundata cruore Persarum, & Arbela, cuius campi deuictorum à nobis ossibus strati sunt. Serò hostium legiones numerare cœpistis, postquam solitudinem in Asia vincendo fecistis. Cum per Hellespontum nauigaremus de paucitate nostra cogitandum fuit. nunc nos Scythæ sequuntur, Bactriana auxilia præstò sunt, Dahæ Sogdianique inter nos militant. nec tamen illi turbæ confido. vestras manus intueor, vestram virtutem, rerum quas gesturus sum vadem prædemque habeo. quàm diu vobiscum in acie stabo, nec meos, nec hostium exercitus numerauero. Vos modò animos mihi plenos alacritatis ac fiduciæ adhibete. non in limine operum laborumque nostrorum, sed in exitu stamus. Peruenimus ad solis ortum & Oceanum, nisi obstat ignauia; inde victores perdomito fine terrarum reuertemur in patriam. Nolite (quod pigri agricolæ faciunt) maturos fructus per inertiam amittere è manibus maiora sunt periculis præmia. diues eadem & imbellis est regio. itaque non tam ad gloriam vos duco, quàm ad prædam. digni estis qui opes quas illud mare littoribus inuehit, referatis in patriam. digni qui nihil inexpertum, nihil metu omissum relinquatis. Per ego vos, gloriamque vestram, quâ humanum fastigium exceditis, perque & mea in vos, & in me vestra merita, quibus inuicti contendimus, oro quæsoque, ne humanarum rerum terminos adeuntem alumnum commilitonemque vestrum, ne dicam regem, deseratis. cætera vobis imperaui, hoc vnum debiturus sum. Et is vos rogo, qui nihil vnquam vobis præcepi, quin primus periculis me obtulerim; qui sæpè aciem clypeo meo texi, ne infregeritis in manibus meis palmam, qua Herculem Liberumque patrem, si inuidia abfuerit, æquabo. date hoc precibus meis, & tandem obstinatum silentium rumpite. vbi est clamor ille alacritatis vestræ index? vbi ille meorum Macedonum vultus? non agnosco vos milites, nec agnosci videor à vobis. Surdas iam dudum aures pulso. auersos animos & infractos excitare conor. Cumque illi, in terram demissis capitibus, tacere perseuerarent, Nescio quid, inquit, in vos imprudens deliqui, quod me ne intueri quidem vultis. In solitudine mihi videor esse. nemo respondet, nemo saltem negat. quos alloquor? quid autem postulo? vestrã gloriam & magnitudinem vindicamus. vbi sunt illi quorum certamen paullo antè vidi contendentium, qui potissimum vulnerati regis corpus exciperent? desertus, destitutus sum, hostibus deditus. Sed solus quoque ire perseuerabo. obijcite me fluminibus & beluis, & illis gentibus, quarum nomina horretis. inueniam qui desertum à vobis sequantur. Scythæ Bactrianique erunt mecum, hostes paullò antè, nunc milites nostri. mors præstat, quàm precariò imperatorem esse. ite reduces domos, ite deserto rege ouantes. ego hic, à vobis desperatæ victoriæ, aut honestæ mortis locum inueniam. Nec sic quidem vlli militum vox exprimi potuit. Expectabant, vt duces principesque ad regem perferrent, vulneribus & continuo labore militiæ fatigatos non detrectare munia, sed sustinere non posse. cæterum illi metu attonitis in terram ora defixerant. igitur primò fremitus sua sponte, deinde quoque gemitus oritur, paullatimque liberius dolor erigi cœpit manantibus lachrymis: adeo vt rex, ira in misericordiam versa, ne ipse quidem, quanquam cuperet, temperare oculis potuerit.

Huius orationis quæ in secundo genere caussarum consistit, (conatur enim persuadere militi vlteriorem militiam) œconomiam distinxit noster Caussinus in XIII. quem ad manum habes, pag. 576.

Nos ad singula explicanda accedamus.

MVLTA ESSE IACTATA) de hostium copijs, elephantis, fluminibus, solitudine, atque alijs.

CILICIAE FAVCES) l. 3. c. 8. & 9.

MESOPOTAMIAE CAMPOS) l. 4. c. 23.

ALTERVM VADO) vado Tigrim, ponte Euphraten vt l. 4. c. 23. explicatum est.

TERRIBILEM FECERAT) l. 4. c. 16.

NVNQVAM AD LIQVIDVM FAMA PERDVCITVR) Ouid. l. 12. transform.

Mixtaq́, cum veris passim commenta vagantur
Millia rumorum, confusaque verba volutant.
E quibus hi vacuas implent sermonibus aures,

Hi

Hi narrata ferunt aliò, mensuraq; ficti
Crescit, & auditis aliquid nouum adijcit error.
Illic credulitas, illic temerarius error,
Vanaq; lætitia est, consternatiq; timores,
Seditioq; recens, dubioq; auctore susurri.

Ex solido) cum nos reuera magnas res gesserimus, tamen fama illas adhuc maiores facit, quam sunt.

Belvas offerentes moenium speciem) alij, inquit, augēt magnitudinem elephātorum, tanquam murorum & turrium in acie stantium.

Quis Hydaspen, quis caetera auditu maiora) omnia fama in maius auxit; flumina, quæ tamen superauimus, Porum, quem vicimus; Aornon petram, Herculi quoq; desperatam, occupauimus.

Elephantorum) qui & pauci sunt, & ægrè capiuntur, & ægriùs cicurantur, & ad rem bellicam instituuntur.

Rarum animal) In Europa propter frigora nullum, frequens in India, non tamen tam frequens, quam armenta boum, quia tardius & rarius pariunt. toto enim decennio gestare vterū dicuntur. Plautus in Sticho.

Audiui sæpè hoc vulgò à multis dicier,
Solere elephantum grauidam perpetuos decem
Esse annos ——

hoc est quod dicunt Græci *κύσκονται δεκαετίαν, decennio ferunt vterum*: vnde parœmia in tardos, *Elephanti citiùs pariunt.*

Aristoteles: *tantùm biennio, nec amplius* existimat *quam semel gignere, pluresvè, quàm singulos.* [Plin. l. 8. c. 10.] Arrianus in Indicis: *Elephas Venerem appetit verno tempore, quemadmodum bos aut equa, cum fœminis spiracula quædam circa tempora adaperta expirant. feritq; in vtero fœtum minimùm XVI. menses, summùm XVIII. parit autem elephas vnicum, sicut equa, atque hunc lacte suo in octauum vsque annum nutrit.* Idem prorsus Strabo l. 15. nisi quod dicat sex, non octo annis nutriri à matre. Et Diodorus l. 2. bibliothecæ.

Nec facile capiatur) quomodo capiātur, exertè & perspicuè præ reliquis docet Strabo in quintodecimo volum. *Elephantum autem,* inquit, *sic venantur. Locum aliquem ab omni purgatum materia, quatuer aut quinque stadiorum profunda fossa circumdant: tum ingressum, ponte angustissimo iungunt: deinde tres quatuorvè elephantes fœminas de mansuetis immittunt: ipsi in tugurijs occulti insidiantur. per diem siluestres non accedunt, noctu autem singulatim introeunt: quibus ingressis venatores clam aditum occludunt. postea nonnullos è cicuribus certatoribus fortissimos inducentes, cum illis pugnant, simul etiam fame eos fatigant. Cùm verò iam defessi fuerint, aurigarum audacissimi clam descendentes, quisq; sui elephantis vterum subeunt, atq; hinc subitò siluestrium vterū subeuntes, cōpedes illis inijciunt. quo facto cicures instigant, vt vinctos verberent, quousq; in terram cadant. postquā ceciderint, bubulis loris eorum colla ad domitorum colla adstringunt: & ne ascensores excutere possint, colla circumcidentes, in casuris vincula imponunt, vt præ dolore vinculis cedant, & quietem agant. De captis seliguntur, quicunq; vel senio, vel iuuenta inutiles sunt: reliqui in stabula ducūtur, & pedibus inuicē vinctis, ac colla ad columnā validè infixā fame domantur: deinde herba vel arundine viridi reficiuntur, pòst cicurātur, alij oratione, alij cantu aliquo, vel tympani sonitu deliniti. Rari sunt, qui non facilè mansuescant: sunt enim à natura mites & māsueti, & ad rationē vtentis animalis ingeniū proximè accedūt. quidā aurigas suos, qui in certamine ceciderint, è prælio efferūt. quidā per anteriores pedes vterum subeuntes propugnando seruauerunt. quod si quem ex curatoribus magistrisvè per irā interfecerint, adeò illum desiderant, vt præ mœrore à cibo abstineant, interdum etiam sibi mortem consciscant.* [p. 484. vel 807.] Ad eundem ferè sensum Arrianus p. 177. in Indicis.

Alia pro illa ratione venandi Aethiopes vtuntur, quam describit in tertio libro bibliothecæ Diodorus, quā hic nōn pono, parum enim hoc ad Indos & Curtiū. Aelianum tamen non possum silentio transmittere, qui vel maximè docet quàm ægrè, & quanto cū periculo capiantur. *Insidias,* inquit per interpretē, *quas elephantis venatores instruxerint, nō eos facilè latēt. nam cùm ad foueam, quàm contra ipsos suffodere venatores solēt, proximè accesserunt, seu naturali quadā intelligentia, seu retrusa & abdita præsensione & sciētia rerū futurarum, à progrediendo vlterius se sustinent, ac quā vltra itinere conuerso, in venatores inuadūt, viq; & impressione sese in medios insidiatores incitāt, simul & eos euertere conantur, fuga vt salutē cōtra insidias superiores facti adipiscantur. Id igitur tēporis cùm atrox pugna, tùm verò vel hominū vel elephantorū cædes & occisio fit multiplex. huius pugnæ ratio talis est hic: homines quidē eminùs hastas & iacula intorquentes ac collimātes, ictu directo eos feriūt: contrà elephanti, ex hominibus si quē cecidisse animaduerterint, statim violenter illū & corripiunt, & ad terrā à se abiectū proterunt & conculcant simul & cornibus, siue dentibus tamdiu profligāt, quoad miserabili & referta acerrimis doloribus morte, hūc proiectū affecerint. Cū autē huiuscemodi animalia inuadūt, tanquā vela ex animi incitatione, quàm contentissimè aures quas habēt patulas, intendunt & pandunt, more magnatum* [l. 8. c. 10. & c. 15.]

struthionum;

strutbionū: quæ vel dū fugiūt, vel dum inuaduntexplicatis alis feruntur. Itemq; promuscidibus, sub cornua redactis & contractis, quēadmodum rostra nauium plenissimis velis propulsa sic elephanti vehementi impressione irruentes, multos mortales funditus euertunt. tumque perinde, vt tuba, belli classicum sonans, clamores vastissimos edunt. Humi porrò prostratorum, & genibus contritorum, & ossium obtritorum, tātus est strepitus, vt vel illinc longissimè exaudiatur: nec non sæpè elisis oculis, naribus distractis, fronte disrupta, facieique forma amissa; non vel à proximis cognatione sibi noscuntur. Iam ex ijs nonnulli ad hunc modum inopinatò seruantur. quamuis enim sanè venatorem belua cursus celeritate comprehenderit: præ tamen vehementi impetu hunc transcurrens, genibus in terram præcipitibus actis, cornua aut in radicem, fruticumué, aut in quippiā aliud tale compingit: ex quo retinetur, ac vix dum se retraxit, cum venator elapsus iam salutem fugâ est consecutus. In hac igitur pugna elephanti sæpè vincunt, sæpè item varijs terroribus iniectis vincuntur. tubarum enim clangor vastum clamorem efficit, ipsiq; homines armis concrepantes, clypeos videlicet hastis contūdentes, strepitu vndiq; omnia circumsonare faciunt: tum verò partim in terra ignem incendentes, partim in sublime tollentes, ac tanquam fundā eum contorquentes, ignitosq; torres iaculantes, atque etiam longas faces in ferarum oculos magna vi inferentes & intrudentes, eis hæc omnia ægrè intuentibus, timorem afferunt. Vnde adeò impelluntur, exterrènturque, vt interdum in foueam, quam antè declinabant, detrudantur & compingantur. Memorabile etiam est, quod infrà narrat idē

l.8.c.15. de elephantis fossas transeuntes. *Cùm, inquit, elephanti fossam transilire non queūt, de his vnus aliquis in hanc sese dimittit. & transuersus fossæ stans, partim vacuitatem occupat, partim ponti se vicariū præstat. cæteri supra hunc gradientes transmittunt & euadunt. simul & eum qui pontis loco erat, hoc modo ex fossa conseruant. superiore enim ex loco quispiam porrigit pedem, quem is qui infrà est, promuscide circumplicat: reliqui autem virgultorum fasces celeriter deijciunt, quos ille conscendens, & ad pedem demissum fortiter cauteq; inhærens facilè subtrahitur.*

p.323. Et Tzetzes:

Inter alia, & elephantes sunt ex mutuò se amantibus,
Neque omnino deserentes in calamitatibus se inuicem.
Fugientes enim venatores, primum non dispergentur,
Robusta autem & iuuenes abeunt in circulum,
Intra circulum agentes senes atque matres,
Et omne quod vbera sugit atque pullorum genus.
Permittunt cibi prima antiquioribus
Senescentes enutriunt patres proprios.
Aquas traijcientes masculi pullos
Proboscidibus suis impellunt in altum:
Qui autem lactentes sunt, deferunt matres
Vel rostris suis, vel geminis dentibus.
Fossas autem si pertranseant profundas atque immeabiles,
Omnibus robustior atque maior magnitudine
Stans medius, vti pons, transmittit omnes.
Alij autem ingerentes deinde sarmenta multa fossæ
Eum seruant qui traiecit illos.
Pullis verò cadentibus, sæpè in profundis fossis
Cadentes vnà pereunt, occisis recenter natis,
Atque à patria longè abducti, eiulant.

l.10.c.10. MVLTOQVE DIFFIC. MITIGETVR) hoc quoq; singulari capite docet Aelianus, *Quid elephantis, postquā capti sunt faciant, vt mansuescant, dicendum est. Primò in siluā non ita longo interuallo ab ea fossa, vbi comprehensi fuerint, distantem, sic eos strictè constrictos funibus trahunt, vt ne permittant quidē, néve hi præcurrant, néve rursus retrahātur: deinde, certo & dimenso spatio horum quemq; ad maximam arborem alligantes, ita vt neu in anteriorem partem insilire, neu rursus admodū in posteriorem resilire queant, néve ipsis ex funis laxitate facultas sit ad inferendū iniuriam. victus tenuitate & fame, horum robur frangunt. postea verò quàm eorum domitores duritiam animi tamdiu paulatim molliuerūt, quoad pristina inexpugnabilis feritatis eos ceperit obliuio, de manu cibum sumendum dant. Hi necessitate pressi, cùm non malitiosè iam tum verò oculis mansuetioribus quàm essent soliti, & tanquā se lassos cōsistentes, intuentur. Horum autē, qui sunt ætate robusti, vinculis ruptis, cùm dētium robore, tum verò promuscide arbores reuellunt, aut cū impetu irruentes frangunt, vixq; serò admodū, partim fame, partim ciborū illecebris, partim stimulis mansuefiunt. Dum verò cicurantur, panibus maximis, hordeo, caricis, vuis, cæpis, allijs, & melle copiosè: item iunco, palma, hederarum fascibus, & alijs, quibus assueti fuerint, gaudentq; esculentis eos pascunt.* Quid Arrianus & Strabo de eadem re, iā suprà cognouisti, quomodo cymbalis demulcerentur. Plurima super hac re Gesnerus ex antiquis scriptoribus adducit l.1. de quadrupedibus, voce de elephanto, lit. E. p.432. vbi superioribus sequentibusque paginis totam de elephantis & iucundā sanè auditu historiā cognosces. Nos & suprà passim multa attigimus, & hîc nihil opus pluribus ad Curtium capiendum iudicauimus. Videbis etiam si placet Polybium li. v. Lybici cedunt Indicis omni ex parte.

EADEM

EADEM VANITAS COP. PED. EQVIT. NVMERAVIT) hoc Alexander oratoriè vt vanum eleuat, sed veram fuisse narrationem omnes alij scriptores testantur, vt suprà ostendi.

NAM FLVMEN) situm locorum & vim fluminum extimescebat, suprà dixerat Curtius. hûc etiam timorem quem ipse conceperat, eximere militi conatur, quod duabus rationibus efficere velle videtur. Flumen, inquit, quò maius est, hoc latiùs se diffundit: quò latius est, hoc segnius fluit, vt magis angusta, quàm lata pertimescenda sint: hæc enim magno impetu feruntur, illa placidissimè stagnant. Præterea qualecunque sit flumen, perinde est, cùm in ripa duntaxat superanda, periculum omne existat.

SECVRIBVS ET FALCIBVS) suprà li. 8. c. 25. secures & copidas coniunxit, & has falces seu curuos gladios est interpretatus.

CAETEROS IN FVGAM DECLINARE) redi ad c. 25. l. 8. *Tandem*, inquit, *fatigati suos impetu sternunt*. & ; *Itaq. pecorum modo magis pauidi, quàm infesti vltra aciem exigebantur.*

MVLTITVDO VOS COMMOVET) quasi verò, inquit, vlla vos multitudine terreamini, aut vnquam territi fueritis, cùm semper pauci aduersus propè innumeros dimicantes nunquam non victores ex prœlio recesseritis. quod pugna ad Granicum aduersus duces Darij, aduersus ipsum Darium, ad Issum in Cilicia & Assyria ad Arbela & Gaugamela testantur.

DE PAVCITATE NOSTRA) cùm non nisi triginta quatuor millia, summum quadraginta sub signis haberem: nunc suprà centum XX. millia aut ducenta nos comitentur.

AD SOLIS ORTVM ET OCEANVM) Macedoniæ India & Oceanus Indicus est àd ortum, sicut & toti Europæ.

MARE LITTORIBVS INVEHIT) gemmas & margaritas, vt suprà docuimus, l. 8. c. 17.

PER EGO VOS) peroratio plena affectus & humanitatis, adeoque solicitudinis. animaduerterat enim è singulorum vultibus auersum ab vlteriore expeditione animum.

HVMANARVM TERMINOS) terras enim Oceano finiri veteres existimarunt.

CLYPEO MEO) cùm primus starem in acie, & hostem ceruicibus vestris imminentem repellerem.

VBI EST CLAMOR ILLE ALACRITATIS VESTRAE INDEX) l. 6. c. 5. cum ad militē pro concione dixisset, & ad persequendam victoriam hortatus esset, *Summa*, inquit Curtius, *militum alacritate, iubentium, quocunque vellet, duceret, oratio excepta est*. Et l. 7. c. 26. *His animis regem audierunt, vt iam cepisse verticem viderentur*. Infrà c. IX. *non aliàs tam alacer clamor*. & quæ sequuntur.

VVLNERATI REGIS CORPVS EXCIPERENT) hoc elegans equitum & peditum certamen descripsit l. 7. c. 15. Longè alia oratione vsus est Alexander apud Arrianum, p. 119. ex quo apparet vtramque esse à scriptoribus fictam. Multo tamen neruosior est Latina, quàm Græca, quod plerūque animaduertes, si scriptores inter se composueris.

EGO HIC A VOBIS DESERT. VICT. AVT HON. MORTI LOCVM INVENIAM) Mēs Curtij hæc est: Ego hîc in India à vobis desperatæ victoriæ victoriam, seu victoriæ locum, aut certæ generosæ morti occasionem inueniam.

NEC SIC QVIDEM VLLI MIL. VOX EXPR. POTVIT) Nihil tantis verborum, quærelarum, conquæstionum machinis ad aures militum admotis profecit. Obfirmarat enim animum miles periculis, itineribus, pugnis, fluminibus, armis, vulneribus fractus. Cùmque nemo contra regem auderet hiscere, tandem tota concio in fremitus & gemitus lachrymasque erupit: quibus ipsum regem fregerunt, vt & ipse, quamuis inuitus, collachrymaret, animum tamen & consilium non mutaret.

CAPVT VI.

ARGVMENTVM.

Cœnus respōdet orationi regis, & deprecatur loco exercitus longiorem militiam. soluitur lachrymis concio. rex indignatus se includit.



Andem vniuersa cōcione effusiùs flente, Cœnus ausus est cūctantibus cæteris propiùs tribunal accedere, significans se loqui velle: quē vt videre milites detrahentem galeam capiti (ita enim regem alloqui mos est) hortari cœperunt, vt caussam exercitus ageret; tum Cœnus, Dij prohibeant, inquit, à nobis impias mentes; & profectò prohibent. idem animus est tuis, qui semper fuit, ire quo iusseris, pugnare, periclitari, sanguine nostro commendare posteritati tuum nomē. Proinde

 si per-

si perseueras, inermes quoque, & nudi, & exāgues, vtcumque tibi cordi est, sequimur vel antecedimus. Sed si audire vis non fictas tuorum voces, verùm necessitate vltima expressas, praebe quaeso propitias aures imperium atque auspicium tuum constantissimè secutis, & quocumque pergis, secuturis. Vicisti rex magnitudine rerum non hostes modò, sed etiam milites. Quidquid mortalitas capere poterat, impleuimus. Emensis maria terrasque, melius nobis quàm incolis omnia nota sunt. Penè in vltimo mundi fine cōsistimus; in alium orbem paras ire, & Indiam quaeris, Indis quoque ignotam. Inter feras serpentesque degentes eruere ex latebris & cubilibus suis expetis, vt plura quam sol videt, victoria lustres. Digna prorsus cogitatio animo tuo, sed altior nostro. Virtus enim tua semper in incremento erit, nostra vis iam in fine est. Intuere corpora exsanguia tot perfossa vulneribus, tot cicatricibus putria. Iam tela hebetia sunt, iam arma deficiunt. Vestem Persicam induimus, quia domestica subuehi non potest. In externum degenerauimus cultum. Quoto cuique lorica est? quis equum habet? Iube quaeri quàm multos serui ipsorum persecuti sunt, quid cuique supersit ex praeda. Omnium victores, omnium inopes sumus. Nec luxuria laboramus, sed bello instrumenta belli consumpsimus. hunc tu pulcherrimum exercitum nudum obiicies beluis? Quarum vt multitudinem augeant de industria Barbari, magnum tamen esse numerum etiam ex mendacio intelligo. Quod si adhuc penetrare in Indiam certum est, regio à Meridie minus vasta est: qua subacta, licebit decurrere in illud mare, quod rebus humanis terminum voluit esse natura. Cur circuitu petis gloriam quae ad manum est? Hic quoque occurrit Oceanus. Nisi mauis errare, peruenimus quo tua fortuna ducit. Haec tecum quàm sine te cum his loqui malui, non vti inirem circumstantis exercitus gratiam, sed vt vocem loquētium potius quàm gemitum murmurantium audires. Vt finem orationi Coenus imposuit, clamor vndique cum ploratu oritur, regem, patrem, dominum confusis appellantium vocibus. Iamque & alij duces, praecipueque seniores, quis ob aetatem & excusatio honestior erat, & auctoritas maior, eadem precabantur. Ille nec castigare obstinatos, nec mitigare poterat iratos. Itaque inops consilij desiluit è tribunali, claudique regiam iussit, omnibus, praeter assuetos, adire prohibitis.

COENVS AVSVS EST CVNCT. CAET. PROP. TRIB. ACCEDERE) Quis hic Coenus vnus ex omnibus ausus & suam & totius exercitus caussam contra regem omnium victorem agere? Erat ex intimis & fidissimis Alexandri amicis cum Cratero, Perdicca, Hephaestione facilè comparandus. Arrianus vol. VI. vbi mortem Coeni describit, Κοῖνος μὲν, inquit, ἐν τοῖς πιστοτάτοις Ἀλεξάνδρῳ ἑταίρων, νόσῳ τελευτᾷ. Hic idem Spitamenem Satrapam acri praelio fregit, vt idem in IV. testatur. Apud Curtium multa eius & semper inter maximos duces mentio l. 3. c. 18. vbi acies contra Darium in Cilicia disposita, *dextrum cornu Nicanor Parmenionis F. tuebatur: huic proximi stabant Coenos, & Perdiccas, & Meleager, & Ptolemaeus, & Amyntas.* l. 4. c. 32. ad Gaugamela: *Hic Nicanor Parmenionis F. praeerat, in subsidijs cum manu sua Coenos.* & non ignotum, in subsidijs fortissimos collocari. eod. l. c. 38. vbi post praelium duces laudat, qui etiam vulnera acceperāt, *Hephaestionis brachium hasta ictum: Perdiccas, ac Coenos, & Menides sagittis propè occisi.* Hic idem Philotae reo magnoperè nocuit, acerrimè in illum inuectus, quamuis sororem Philotae in matrimonio haberet, imò quē & saxo ferire & occidere voluerit, sed vt Curtius interpretatur, vt illum è quaestionibus & tormentis, quae imminebant, eriperet. de morte eiusdem paullò inferiùs agemus. Hic ergo tantus princeps, copiarum ductor, & saepè pro Imperatore bellum gerens, meritò prae caeteris ausus μετὰ παῤῥησίας agere.

DETRAHENTEM GALEAM CAPITI) hoc honoris caussa. Posseuinus de Magno Moschorum duce Basilio, si rite memini, legato, sibi consuetum honorem non exhibenti, pileum clauo adacto iussit capiti affigi. Macedonum mores & honores, quibus reges colebant, satis moderati & modesti fuēre: superbi Persarum & Parthorum, de quibus (vt alio loco ostendimus) multa Brissonius regno Persarum l. 1. pag. 8. & 16.

DII PROHIBEANT A NOBIS) huic Coeni orationi hanc Oeconomiam vnà cum argumēto praefixit Causinus: *Artificiosissima*, inquit, *haec responsio, in qua primùm milites dant manus suo Imperatori, promptissima quaque obsequia polliciti, mox leni insinuatione spargunt mites querimonias, quarum tanta sunt illecebra, vt querendo auidissimum gloriae iuuenem, molliori tractent articulo, & vehementer laudent: sibi quoque subsidium, & cessationem laborum in hac aerumnosissima expeditione suauiter, & magna rationum efficacitate flagitēt.* Verum dixit Causinus, verè enim artificiosa est, Curtij reor potiùs, quàm Coeni, responsio. quamuis enim aegrè tulerit Alexander libertatem Coeni: non habuit tamen quod contrà diceret, quamuis indignationem, tridui moerore omnique sui adeundi exclusa potestate declarauerit.

Dii

DII PROHIBEANT A NOBIS IMPIAS MENTES) dixerat in extrema oratione Alexander, *Desertum, destitutum suum, hostibus deditum: obijcite me fluminibus & beluis, & illis gentibus, quorum nomina horretis.*

Ad hoc vltimum caput, primùm respondet Cœnus, & cum exclamatione refutat: *dij*, inquit, *prohibeant à nobis impias mentes*, vt te deseramus, destituamus, hostibus dedamus, fluminibus, beluis, barbaris obijciamus. Si ita decretum est tibi, pergere ad Gangem, ad elephantes, ad armatum, acerrimum, & numerosissimum hostem, etiam inermes & nudi sequemur, parati vitam pro nominis tui immortalitate proijcere.

SI AVDIRE VIS) proponit argumētum orationis, iustissimas, inquam, totius exercitus querelas, quas tam artificiosè insinuat, vt interim in laudes immensas regis excurrat, ne querelis exasperetur.

VICISTI REX) vicisti hostes & amicos fortitudine, patientia, gloria. nemo ex mortalibus immortalem & diuinum animum tuum vllis conatibus assequi potest. Nos quidquid supra mortales non est, executi sumus, omnemque orbem emensi ad mundi fines peruenimus. tu quem orbis non cepit, alium orbem adeoque Indiam in India quæris. & quas latebras & cubilia ferarum Sol ipse penetrare non potest, scrutaris. tua velut numinis virtus non solum non hebescit, sed in dies etiam crescere videtur: nobis mortalibus obrepit senium, sanguis hebet, vires cadunt, vulnera putrescunt, vita exhausta est, *turpe senex miles*. vt taceam omnem corporis cultum detritum, vestes absumtas, nudam à seruis, iumentis instrumentisque omnibus inopiam. Nudos ergo & rerum omnium egentes immanissimis obijcies feris? paucos infinitis; inermes armatis? at Oceanum quæris veluti terminum orbis terrarum? quid est opus illum in oriente trans Gangem quærere, cùm hic è propinquo à meridie occurrat. Peruenimus ergo eò quo tendis.

CICATRICIBVS PVTRIA) Acidalius emendat turpia, non equidem malè, sed Modiana scriptura æquè commoda.

HAEC TECVM) quod est aperti & sinceri pectoris, apertè nempè in os dicere, quod aliàs fieret in circulis, tabernaculis, colloquijs clandestinis, non sine seditionis vel periculo vel suspicione. Atque ita Curtius hunc locum tractauit. Videndus hic Arrianus p. 120.

CLVDI REGIAM) cum & duces & exercitum à suis consilijs auersos videret, ne contra torrentem niteretur, destitit à cœptis, & indignabundus se tabernaculo, exclusis omnibus præter eos qui illi à cubiculis erant, inclusit.

ADIRE PROHIBITIS) ita lege, *adire* inquam, non audire, quæ labes operarum est. Plutarchus * omnia tribus (vt aiunt) verbis absoluit: *His primum, inquit, animi mœrore & ira tabernaculo* * in Alex.
inclusus, abiecit se in terram pœnitebatque, eum rerum perpetratarum, nisi Gangem superaret, & procō p. 699.
fessione victum se esse, habebat reditum. Siculus non pluribus, sed omnia frigidissimè, *Omnes, inquit,*
in concionem aduocauit. ibi probè meditato sermone ad illos disseruit, vt promti & alacres Gandaridas se- l. 17 p. 56
cum arma inferrent: sed cum nullo Macedones pacto ad voluntatem eius se accommodarent, ab incepto
destitit. atque ibi terminum expeditionis suæ facere statuit. In secundo tamen bibliothecæ Sicu- p. 122.
lus ait, Alexandrum ad Gangem vsque progressum, *Ipse etiam Alexander redactâ sub iugum Asiâ totâ, solos Gandaridas bello intactos reliquit. Postquam enim ad Gangem cum omni exercitu venisset, alijs retrò Indis iam deuictis, simul ac Gandaridas quater mille elephantes ad bellum egregiè instructos habere animaduertit, expeditionem in illos omittendam censuit.* Iustinus & ipse quidem non multis p. 123. vel
hæc persequitur, sed omnia calenti stilo, *Cùm ad Cuphites, inquit, venisset, vbi eum cum CC. millibus* 148. edit.
hostium equitum operiebantur. omnis exercitus non minus victoriarum numero, quàm laboribus fessus, Glar.
lacrymis eum deprecatur, vt finem tandem belli faceret, aliquando patriæ reditusque meminisset, respiceret militum annos, quibus vix ætas ad reditum sufficeret: ostendere alius canitiem, alius vulnera, alius ætate consumpta corpora, alius cicatricibus exhausta. Solos se esse qui duorum regum Philippi Alexandrique continuam militiam pertulerint: tandem orare, vt reliquias saltem suas paternis sepulcris reddat, quorum non studijs deficiatur, sed annis. ac si non militibus, vel ipse sibi parcat, ne fortunam suam nimis onerando fatiget. Orosius contra plerorumque omnium fidem: *Cumque ad Cophides ventum esset, ibi* Fallum
contra CC. millia equitum hostium pugnam conseruerunt. & cum ætate detriti, animo ægri, hoc.
viribus lassi, difficilè vicissent, castra ob memoriam plus solito magnifica condiderunt.

CAPVT VII.

ARGVMENTVM.

Signat terminos expeditionis. Redit quà venerat. Cœni mors.ad Acesinem flumẽ, nouum supplementum accipit. Duos reges cõciliat.duo oppida condit.Classis ad Sobios deuenit.



Iduum iræ datũ est, tertio die processit, erigiq; XII. aras ex quadrato saxo monumentum expeditionis suæ munimenta quoq; castrorũ iussit extendi, cubiliaque amplioris formæ, quàm pro corporum habitu, relinqui, vt speciem omnium augeret posteritati fallax miraculũ præparans. Hinc relegens quæ emensus erat, ad flumẽ Acesinem locat castra. Ibi fortè Cœnus morbo extinctus est, cuius morte ingemuit quidem rex, adiecit tamen propter paucos dies longam orationem eum exorsum, tanquam solus Macedoniam visurus esset. Iam in aqua classis, quam ædificari iusserat, stabat. Inter hæc Memnon ex Thracia in supplementum equitum, VI. millia, præter eos ab Harpalo VII. millia adduxerat, armaq; XXV. M. auro & argenteo cælata pertulerat: quis distributis vetera cremare iussit. mille nauigijs aditurus Oceanum. Discordes & vetera odia retractantes Porum & Taxilem Indiæ reges firmata per affinitatem gratia reliquit in suis regnis, summo in ædificanda classe amborum studio vsus. Oppida quoque duo condidit, quorum alterum Nicæam appellauit, alterum Bucephalon, equi quem amiserat, memoriæ ac nomini dedicans vrbem. Elephantis deinde & impedimentis terra sequi iussis, secundo amne defluxit, quadraginta ferme stadia singulis diebus procedens, vt opportunis locis exponi subindè copiæ possent.

p.121.f. BIDVVM IRAE DATVM EST) Arrianus triduum ponit. **Hæc Cœni oratio**, inquit, *fremitu quodam audientium excepta est: multorum etiam lacbryma subsecuta sunt. quod ipsum maiori documẽto erat, inuitos sese vlteriora pericula adituros: reditum verò in patriam periucundum ipsis fore. Alexander Cœni libertate loquendi, & reliquorum ducum ignauia offensus concionem dimisit, quã postridie rursum iracundè conuocatã. se quidem vlterius perrecturum dixit, neminem verò Macedonum ad sequendũ coacturum. neque enim defuturos, qui regem suum sua spõte sequerentur: ijs autem qui abire statuissent, per se liberum esse: vtq; amicis nunciarent sese rege suo in medijs hostibus destituto, domum reuerti. Hæc cùm dixisset, in tabernaculum se recepit, neq; quemquam amicorum ad tertium ab eo diem in colloquium admisit: expectans, si qua fortè animorum mutatio (vt plerunque in turba militari euenire solet) Macedonibus ac socijs incidisset, qua faciliores persuasu eos redderet.*

ERIGIQVE DVODEC. ARAS) Idem Arrianus de aris XII. Sed multò copiosiùs & enucleatiùs quàm Curtius: pag. 122. ante med. Vocatos enim (aiunt) ab Alexandro in concilium duces & familiares, mentemque illis aperuisse, sibi decretum domum reuerti, vocemq; ab omnibus faustissimis clamoribus exceptam, aras inde ingentes XII. instar turrium pro monumento expeditionis positas, ludos gymnicos & equestres celebratos, Porum toti regioni vsque ad Hy-
p.563. phasin præfectum. Diodorus etiam cubitis aras dimensus est. *Ante omnia*, inquit, XII. *dijs aras* L. *cubitorum erexit*, qui geometricos pedes efficiunt quinque suprà septuaginta. Fecit harum etiam mentionem Geographus in tertio. p. 118.

Plutarchus in Alexandro narrat Præsiorum reges, traiecto flumine, posteris temporibus ibi hostias immolasse, græcoque ritu aras illas Alexandri (tanta maiestas Alexandri apud barbaros
* c.55. erat) veneratos esse. Fixæ sunt hæ aræ in ripa, vt Solinus * ostendit. Et expreßè Philostratus, qui alia quædam addit illustria, quæ apud ipsum reperies: l. 2. c. vlt. p. 106. & 107.

MVNIMENTA QVOQVE CASTRORVM IVSSIT EXTENDI) Hæc omnia ad pedem di-
p.563. mensus est Siculus: *Hinc castra*, inquit, *triplo maiore, quã prior fuerat, ambitu complexus, fossã pedes* L. *latam, & X. altã duxit. E terra autem intra fossam accumulata murũ nõ contemnẽdum extruxit. Peditos etiã iussit: vt in tabernaculo quisq; suo duo cubilia quinũm cubitorũ exstrueret. equites autẽ, vt cubilibus*

libus etiam præsepia, altero tanto vsitatis ampliora, adderent, eademque ratione cæterorum magnitudines extenderent. Hæc eo consilio peragenda curabat, tum vt heroicam fecisse expeditionem memoraretur: tum vt virorum prægrandium vestigia & roboris vsitatum excedentis modum, argumenta incolis relinqueret. Plutarchus *a* eadem, sed incerto spatio extendit. *b* Iustinus etiam. *a* p.586. *b* pag.124. edit. Glareani p.18.

AD FLVMEN ACESINEM) de hoc suprà & infrà Curtius.

COENVS MORBO EXTINCTVS EST) de huius morte etiam * Arrianus: *Per id*, inquit, *tempus Cœnus ex intimis fidelißimisque Alexandri amicis, morbo interijt.* * p.123.

ADIECIT TAMEN) hoc, præter Curtium, tradidit nemo. Nondum decoxerat παῤῥησίαν Cœni etiam mortui Alexander, quod ipsum ab vlteriore expeditione impediſſet. Si, inquit, Cœnus præuidiſſet, se intra paucos dies vita cessurum, superſediſſet labore & oratione. est acerba simul irrisio. De alio Cœno leges infrà l.10.c.4.

IAM IN AQVA CLASSIS Q. AD I. STABAT) statim atque ad Acesinem redierat, cœpit peritis negotium dare, vt classem ædificarent. Arrianus: *Ipse, quæ ad nauigationem Oceanum versus necessaria erant, parare cœpit.* Diodorus: *His perfunctus, cum vniuersis copijs, eodem quo venerat itinere, ad Acesinem flumen regreditur. Ibi naues, quas constructas inuenerat, absoluit, alijsque fabricandis operam adhibet.* Et paucis interiectis. *classe verò cũ armamentis perfecta (adornata autem fuerant naues apertæ CC, & actuaria ↄↄ CCC)* & quæ sequuntur. p.561.

INTER HAEC MEMNON EX THRACIA IN SVPPLEM. EQVIT. VI. MILLIA) Siculus. *Sub id verò tempus noua ex Græcia supplementa tum auxiliariorum, tum stipendijs militantium, ductu imperatorum aduentant XXX. amplius peditum millia, & sex millia fermè equitum: arma simul eleganter fabricata in viginti quinque millia pedites & medicamentorum C. talenta tunc aduecta.* Arrianus duplo numerum nauium auget. *Nearchum*, inquit, *vniuersæ classi præficit, Onesicritum nauis suæ gubernatorem constituit, qui quidem in ea historia, quam de Alexandro conscripsit, etiam hoc mentitur, quòd se classis præfectum fuisse scribat, cum gubernator nauis tantùm esset. Erat autem nauium omnium numerus (vt Ptolemæus Lagi filius tradit, quem ego potißimum sequor) naues triginta remorum LXXX at in vniuersum omnes naues, tam quæ equos vehebant, quàm actuaria & fluuiales, quæ aut multo antè, aut tum temporis constructa fuerant, circiter bis mille.* p.124.

Hanc classem summo studio Taxiles & Porus reges, vt Curtius docet, ædificarunt, quos Alexander rursum disſidentes, odiaque vetera recoquentes in concordiam reduxit, & vt firmior constantiorque eſſet amicitia, eandem affinitate nuptiarum colligauit.

MEMNON) l.7.c.3. Arachosijs antè prætor datus erat, posteam in Græciam & Thraciam missus ad nouum militem conquirendum & deducendum. De Harpalo depeculatore & harpage infrà l.10.c.4. plenius.

NICAEAM) à victoria de Poro exportata dictam. Græcis νίκη victoria. Stephanus περὶ πόλεων octo cognomines Nicæas enumerat, primam Bithyniæ, vbi celebratum Concilium Nicænum: alteram Locrensium, III. Illyricam, IV. hanc Indicam Alexandri, V. Cyrnensem in Insula Cyrno, VI. Leuctricam Bœotiæ, VII. Celticam, VIII. Thracicam. Addit & alias esse ad Thermopylas, & in Thracia.

BVCEPHALON) seu Bucephalan seu Bucephalea, seu Bucephalen, seu Bucephaliam variè scriptam reperies. Stephanus Βουκεφάλειαν scribit: πόλις, inquit, ἐπὶ τῷ Βουκεφάλῳ ἵππῳ ἣν ἔκτισεν Ἀλέξανδρος ἐν Ἰνδίᾳ παρὰ τὸν Ὑδάσπην ποταμόν. Strabo Βουκεφαλίαν. Has vrbes intellexit Curtius suprà c.1. *Rex duabus vrbibus conditis in vtraque fluminis, quod superauerat, ripa.* Iustinus: *Duas ibi vrbes condidit, vnam Nicæam, alteram ex nomine equi Bucephalem. Iuxta vrbes*, inquit Strabo, *in vtraque fluminis ripa à se conditas, vbi, eo transmisso, Porum vicit, quarum alteram Bucephaliam nominauit, ab equo, qui in eo prælio cecidit. Is bucephalus à latitudine frontis quasi bouis capite præditus, dictus est, quo semper Alexander in certaminibus vtebatur; erat enim bellator optimus. alteram Nicæam à victoria appellauit.* plura suprà lib.8.cap.vlt. p.480.v.10.a f.

SECVNDO AMNE DEFLVXIT) Acesine, vt hîc docet Curtius, & cum Curtio Diodorus; Hydaspe vt Strabo & Arrianus, qui hanc nauigationem elegantisſimè & copiosisſimè describit, quem tamen studio breuitatis transeo, qui tibi non transeundus. Diodorus * verò: *Tandem cum amicis naues ingreſſus, amne secundo in Oceanum, qui versus meridiem est, nauigationem intendit. Sed bona exercitus pars iuxtà influminis ripa, Crateri & Hephæstionis ductu iter faciebat.* * p.124.& 5.

CAPVT VIII.

ARGVMENTVM.

Sobios describit. rex opida vi occupat, per fluminum concursum in vortices abripitur, & tantùm non hauritur.



Eruentum erat in regionem in qua Hydaspes amnis Acesini committitur. hinc decurrit in fines Sobiorum. hi de exercitu Herculis maiores suos esse memorant, ægros relictos cepisse sedem, quam obtinebant. pelles ferarum pro veste, claua tela erant. multaque etiam cùm Græci mores exoleuissent, stirpis ostentabant vestigia. Hinc excursione facta CC *&* L *stadia processit. depopulatusque regionem, oppidum caput eius coronâ cepit.* XL. *peditum millia alia gens in ripa fluminum opposuerat, quæ amne superato in fugam compulit, inclusosque mœnibus expugnat. puberes interfecti sunt, ceteri venierunt. alteram deinde vrbem expugnare adortus, magnaque vi defendentium pulsus, multos Macedonum amisit. Sed cùm in obsidione perseuerasset, oppidani, desperata salute, ignem subiecêre tectis, se quoque ac liberos coniugesque incendio cremant. quod cum ipsi augerent, hostes extinguerent, noua forma pugnæ erat. delebant incolæ vrbem, hostes defendebant: adeo etiam naturæ iura bellum in contrarium mutat. Arx erat oppidi intacta, in qua præsidium dereliquit. ipse nauigio circumuectus est arcem: quippe* III. *flumina tota India præter Gangem maxima, munimento arcis applicant vndas. A septentrione Indus alluit, à meridie Acesines Hydaspi confunditur. Ceterùm amnium cœtus maritimis similes fluctus mouet, multoque ac turbido limo, aquarum concursu subinde turbatur, iterque qua meant nauigia, in tenuem alueum cogitur. itaque cum crebri fluctus se inueherent, & nauium hinc proras, hinc latera pulsarent, subducere nautæ cœperunt. Sed ministeria eorum hinc cœtu, hinc prærapida celeritate fluminum occupantur. In oculis omnium duo maiora nauigia submersa sunt; leuiora, cum & ipsa nequirent regi, in ripam tamen innoxia expulsa sunt; ipse rex in rapidissimos vertices incidit: quibus intorta nauis obliqua & gubernaculi impatiens agebatur. Iam vestem detraxerat corpori, proiecturus semet in flumen: amicique vt exciperent eum, haud procul nabant, apparebatque anceps periculum tam nataturi, quam nauigare perseuerantis. ergo ingenti certamine concitant remos, quantaque vis humana esse poterat, admota est, vt fluctus qui se inuchebât, euerberarentur. Findi crederes vndas, & retro gurgites cedere. quibus tandem nauis erepta non tamen ripæ applicatur, sed in proximum vadum illiditur. cum amni bellum fuisse crederes. ergo aris pro numero fluminum positis, sacrificioque facto* XXX. *stadia processit.*

QVA HYDASPES AMNIS ACESINI COMMITTITVR) Regio hæc tota Indiæ, vergit ad meridiem. Alexander enim recusantibus Macedonibus Hypasim transire, & Orientem Gangemque petere, coactus est se ad meridiem conuertere, vt ibi ad Oceanum penetraret. de concursu verò Hydaspis & Acesinis magnorum etiam flum num (Acesinem Arrianus in Indicis Nilo & Istro maiorem affirmat, vbi Hydaspem, Hyphasim, & Hydraotem in se recipit, & cum
* lib. 8. c. 24 his in Indum defertur, Hydaspem suprà Curtius * *quatuor stadia in latitudinem diffusum, profundo alueo, speciem vasti maris referre* dixerat) Diodorus, ex quo sua Curtius hic descripsisse videri po-
* pag. 564. test, * *Peruentum erat in regionem vbi Hydaspes Acesini committitur.* Sed de his mox infrà ex Arriano quoque plenius.

DECVRRIT IN FINES SOBIORVM) Malim cum Strabone & Arriano, *Sibarum.* Diodorus Ibos appellat: *Hic,* inquit, *expositis militibus, Iborum ad fines procedit.*

HI DE EXERCITV MAIORES SVOS ESSE MEM.) *Hos,* inquit ibidem Diodorus, *ex posteritate illorum esse memorant, qui cum Hercule petram Aornon oppugnauerant. & post irritum conatum, in regione illa, Herois auspicio collocati erant. Tum castris non obscuri nominis vrbi admotis, quorum*

præ-

præcipua erat auctoritas, exeunt, inque colloquium regis admissi, necessitudinis antiquæ memoriam renouant, & cupidè omnia se facturos, quomodo cognatos deceat, pollicentur. Quod & munerum haud vulgarium exhibitione testatum faciunt. Grata horum beneuolentia regi accidit; ideoque omnes illorum ciuitates liberas esse iubet. De cultu vestium apud Sibas seu Sobios cum Curtio tradit Geographus: *Cum Alexander petram quandam Aornum nomine primo adortu cepisset, cuius radices Indus non procul à fonte suo alluit, gloriosè dixerunt Herculem ter petram adortum, ter inde repulsum fuisse. Ab ijs autem, qui cum illo militauerant, profectos volunt Sibas, generis signum seruantes, quod pellibus amiciantur, quemadmodum Hercules, & quod clauas gerant, easq; bobus & mulis pro nota inurant.*

CCL. STADIA) septem milliaria germanica cum quadrante, eoque amplius.

INCLVSOSQVE MOENIBVS EXPVGNAT) arbitror eosdem esse, quos Arrianus describit è gente Mallorum, *Alexander*, inquit, *curato corpore, & quiete suis data, ad primam noctis vigiliam progressus est, magnumque iter ea nocte emensus, sub diluculum ad Hydraotem fluuium peruenit, ac multos quidem Mallorum iam amnem transgressos cognouit; alios alueum transeuntes adortus, plerosq; interfecit, amneque pertransito, eos qui transmiserant consequutus, multos ex ijs cecidit, multos cepit, maxima tamen pars in opidum natura atque opere munitum se recepit. Alexander, postquam peditatus aduenit, Pythonem in eos mittit, cum suo alijsque duobus equitum agminibus: qui quidem primo impetu illapsi opidum capiunt, omnibus qui eò confugerant (qui quidem in illo impetu interfecti non erant) in seruitutem redactis, quo facto Python in castra redijt.* Diodorus ait, Agalenses fuisse: *Inde*, inquit, *conterminas ad gentes se conuertit. inter has Agalenses quadraginta peditum, & tria equitum millia coëgisse reperit. committitur pugna, & vincit Alexander, vbi plerique conciduntur; superstites in finitima & vicina opida confugiunt, quibus expugnatis, seruituti mancipantur.* p. 127.

ALTERAM DEINDE VRBEM EXPVGNARE ADORTVS) Diodorus; *De cæteris etiam incolis, qui ad arma concursauerant XX M. in magna quadam, vrbe tutandi sui caussa, congregatos vi expugnat. Sed cum obseptis viarum angustijs, fortiter è tectis propugnarent, vi summa pulsus, Macedonum haud paucos amittit.*

INCENDIO CREMANT) Siculus contrà, à Macedonibus propter cladem acceptam ignes vrbi subiectos ait: *Opido*, inquit, *per iram incenso, maximam illorum partem comburit.*

Arrianus cum Curtio facit.

NATVRAE IVRA BELLVM IN CONTRARIVM MVTAT) elegans gnome.

Omnia natura contraria legibus audet
Mars fauus ——

Aliàs hostes obsessas vrbes incendunt, hîc incolæ; aliàs incolæ incendium conantur extinguere, hîc hostes extinguebant, ciues incendebant.

ARX OPIDI ERAT INTACTA) planè diuersa hic Curtius, Diodorus, & Arrianus narrant. Curtius nec oppugnatam, nec à ciuibus defensam. Diodorus ex incendio vrbis in arcem elapsos, cum veniam rogassent, impetrasse. Arrianus vrbem & arcem vi captam, incolas tectis suis vltro incensis, partim eodem rogo sepultos, partim cæsos, paucissimos captos, *tanta*, inquit, *virtus eorum erat*. Ita cum nemo vnus narrat quod alter, nemini certò credi potest. accedit, quod nec ordinem eundem expugnatarum vrbium obseruent, aliusque alio loco & tempore rem gestam exponat. Et hæc dissensio scriptorum, passim obuia, nec quidquam ferè in latina veterum & græca historia frequentius. Notum, quantis interuallis Liuius & Polybius de eadem re, ijsdemq; bellis narrantes inter se abeant, & non rarò omnia pugnantes tradant, vt cum alter Hannibalem cautes aceto maceratas, cum elephantis transijsse refert, alter tanquam stultam fabulam explodat.

CIRCVMVECTVS EST ARCEM) non ad eam oppugnandam, quam iam cum præsidio tenebat, sed vt per flumina vlterius progrederetur.

TRIA FLVMINA) Acesines, Hydaspes, Indus. Omnes demum cum Indo iuncti in Oceanum, meridiem versus, erumpunt.

MVNIMENTO) alij *munimenta*, mihi Acidaliana arrisit emendatio, seruaq; τὸ *munimento*.

AMNIVM COETVS) eleganter hoc, ab animatis ad res inanimas translata significatione. Cœtus idem est quod coitus; Lucretius in 1.

Quippe suam quicquam in cœtu variantis acerui

Id est, inquit Lambinus, in concilio & congressu varij acerui. cœtus idem significat, quod coitus: Imò verò coitus & cœtus idem sunt. Proinde non fuisset opus emendare vocem *coitum* è loco, quæ antea legebatur, cum idem sonent, idem valeant.

Totam hanc classis cum omnibus luctam seu bellum potius, vt Curtius appellat, etiam Arrianus accuratè describit, quem hoc loco pro interprete adhibere potes. p. 125. Addas his licet & Diodorum propius ad mentem Curtij collineantem. p. 565. v. 1.

SVBDVCERE) ad ripas applicare. Virgil. 1. *subducite classem*, hoc est, in terra, in nauale & portum.

HINC COETV) coitu, congressu, concursu fluminum.

Dvo

DVO MAIORA NAVIG.) ita apud Virg. 1. Aen.

Vnam, qua Lycios, fidumque vehebat Orontem,
Ipsius ante oculos ingens e vertice pontus
In puppim ferit, excutitur, pronusq; magister
Voluitur in caput; ast illum ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, & rapidus vorat aequora vortex.

CAPVT IX.

ARGVMENTVM.

Ad Oxydracas & Mallos accedit, seditionem militarem compescit.



IN de ventum est in regionem Oxydracarum Mallorumque, quos aliàs bellare inter se solitos, tunc periculi societas iunxerat. IX millia iuniorum peditum in armis erant, præter hos equitum X. millia, DCCCC quadrigæ. at Macedones qui omni discrimine iam defunctos se esse crediderant, postquam integrum bellum cum ferocissimis Indiæ gentibus superesse cognouerunt: improuiso metu territi rursus seditiosis vocibus regem increpare cœperunt; Non quidem Gangem amnem, & quæ vltra essent coactos transmittere, non tamen finisse, sed mutasse bellum. indomitis gentibus se obiectos, vt sanguine suo aperirent ei Oceanum. trahi extra sidera & solem, cogique adire quæ mortalium oculis natura subduxerit. Nouis identidem armis nouos hostes existere. quos vt omnes fundant fugentque, quod præmium ipsos manere? caliginem ac tenebras, & perpetuam noctem profundo incubantem, repletum immanium beluarum gregibus fretum, immobiles vndas, in quibus emoriens natura defecerit. Rex non sua, sed militum sollicitudine anxius, concione aduocata docet imbelles esse quos metuant. Nihil deinde præter has gentes obstare, quominus terrarum spatia emensi ad finem simul mundi laborumque perueniant. Cessisse illis metuentibus Gangem, & multitudinem nationum, quæ vltra amnem essent, declinasse iter eò vbi par gloria, minus periculum esset. Iam prospicere se Oceanum, iam perflare ad ipsos auram maris, ne inuiderent sibi laudem quam peteret, Herculis & Liberi patris terminos transituro, ipsos regi suo paruo impendio immortalitatem famæ daturos. paterentur se ex India redire, non fugere. Omnis multitudo & maximè militaris, mobili impetu fertur: ita seditionis non remedia quàm principia maiora sunt. Non aliàs tam alacer clamor ab exercitu est redditus, iubentium duceret dijs secundis, æquaretque gloria quos æmularetur. Lætus his acclamationibus ad hostes protinus castra mouit.

OXYDRACARVM) Oxydracæ & Malli vicinæ gentes ad Indiæ meridiem colentes, à scriptoribus plurimum à fortitudine bellica, numero militum, equitum, peditum, quadrigarum commendantur. præsertim, quod Alexander in oppugnatione vrbis Oxydracarum solus intra mœnia opidi desilierit, & vulnus grauissimum acceperit, vti sequenti capite videbimus. Quæ verò hic Curtius de Oxydracis, Mallis, numeroque militum recenset, ex Diodoro decerpta, vel potius descripta videri possunt. Nisi quod existimem mendum irrepsisse apud Curtium in notas, quibus peditum numerus exprimitur, vbi non nisi IX. millia ponuntur, cum Diodorus octoginta millia, eoque amplius exprimat, vt non dubitem, vel octoginta vel etiam nonaginta millia

pag. 565. rescribendum esse. *Hinc*, inquit Diodorus, *in Oxydracas & Mallos, populosissimas Indiæ gentes & pugnaces, ducto exercitu, ita paratos inuenit incolas, vt plus quàm XXC. millia peditum & X M. equitum, cum IC CC. curribus* (Curtius octingentos numerauit) *sub signis haberent. Hi ante regis aduentum* (idem Curtius narrat) *bellum inter se gerebant, sed regis iam imminentis metus ad concordem armorum societatem eos compulerat, datuque & acceptu vltro citroque denu virginum millibus, per affinitatem illam inter se reconciliati erant. nec tamen coniunctis in aciem viribus descenderunt: sed dissensione de summa imperij exorta, in propinquas huc illuc vrbes dilapsi fuerant.* Geographus de vtra-

que

que gente paucis, *Deinceps*, inquit, *inferius habitant Siba, de quibus antè dictum est, & Malli, & Oxydraca magna nationes. Malli sunt, apud quos Alexander mortis periculum adijt in expugnatione oppidi cuiusdam vulneratus.* Quod Strabo cum Plutarcho, & Arriano, & Eustathio apud Mallos factum ait, hoc Curtius & Diodorus apud Oxydracas, vt infrà referemus, accidisse narrant. Sed Arrianus disertè contra tendit, & apud Mallos, non Oxydracas, vulnus acceptum ostendit.

GANGEM AMNEM ET QVAE VLTRA ESSENT COACTOS TRANSMITTERE) sequitur locus, ad quem explanandum vel Oedipo, vel Dædalo, vel Theseo, vel Delio aliquo natatore opus sit. pugnat enim rectà fronte cum superiore c. 7. explanato, vbi cum explicasset, quomodo Macedones transmissionem Gangis & vlteriorum regionum multis lacrymis perorante Cœno deprecati essent, subijcit, Alexandrum ad Hypasim progressum (vt cap. IV. docuerat) ibi recusantibus Macedonibus vlteriorem profectionem, XII. aras monumentum expeditionis erexisse, posteaque relegisse, quæ emensus erat, & ad Acesinem reuersum, ibi castra posuisse; & quod amplius est, Curtio suffragantur scriptores propè omnes, Diodorus inquam, Plutarchus, Arrianus, Philostratus, Solinus, Strabo; solus Craterus, referente Strabone (quod & Eustathius ex eodem narrauit) in fabulosa epistola ad Aristopatram matrem scripta affirmat, Alexandrũ ad Gangem vsque progressum. Sed Strabo docet illum à fide remotiora tradere. Cum ergo Alexander non solum non Gangem, sed nec Hyphasim transierit, quomodo hoc loco queruntur Macedones *se coactos Gangem transmittere, & cessisse illis Gangem*, cum hoc antè Curtius nusquam posuerit, nusquam narrarit, sed disertè & exertè contrarium scripserit? Expectabam hic crisin Modij, ἀκρίβειαν Acidalij. Conticuére omnes, pressis vox faucibus hæsit. Glareanus tamen *coactos* mutandum putauit in *coactum*, vt de Alexandro ab exercitu coacto intelligeretur. Sed quando, vbi, & quomodo exercitus coegit Alexandrum Gangem transmittere, quem ipse recusauit sequi? ἄνοτα πάντα. auxit difficultatem, non sustulit, aut minuit. Quod si Glareanus *coactum transmittere* exponat, *non traijcere* ἀντονόματος erit, & contraria voci significatio, transmittere enim flumen aut mare, est traijcere, non contrà, omittere vel non transire. Si quis dicat, aliam mentem esse Glareani, coactum nempe Alexandrum ab exercitu, quem pœnituerat prioris consilij, quod impedisset transmissionem Gangis, coegisse verò postea, & exercitum secutum. Primum hoc nusquam dicit Curtius; deinde, non conueniunt huic explanationi quæ sequuntur in oratione Alexandri, vbi dicit, se illis cessisse Gangem metuentibus, & iterà Gange & vlterioribus declinasse, redijsse ad Acesinem. Diuinabo ergo veram Curtij scripturam: imò non diuinabo, sed certò definiam & affirmabo, non è manu librorum vel librariorum, sed mente Curtij, inseramque τὸ μέγα ἄρρητον negationem inquam *non*, & locum ita constituam. *Non quidem Gangem amnem & qua vltra essent, coactos transmittere, non tamen finisse bellum.* Vera hæc scriptura, & certa lectio ex historiæ fide. Offenderat credo imperitum aliquem, nec mentem Curtij assecutum, gemina particula *non* paucis verbis interiectis repetita, qui illam ex Curtio expunxit, & totum simul historiæ sensum euertit. Iam attende, quomodo ex hac nostra emendatione, & vnius voculæ necessaria interiectione, omnia sibi bellè respondeant, omnia constent, omnia cohæreant. Macedones cum ab Hypaside flumine Alexandrum auertissent, vicissentque, ne vellet vlterius progredi, nec Gangem petere, nec quæ vltra Gangem sita sunt, & iam ad Acesinem regressi essent, adeoque finem omnium laborum, & secura quietem, patriamque cogitarent & sperarent; posteaquam viderunt regem suum ad Oceanum, quamuis non Orientem, sed Meridiem versus tendere, multasque & feroces & pugnaces gentes transeundas, manusque cum illis cõferendas, versi in seditionem, ægrè tulerunt, se ad Oceanum, hoc est, æternam noctem & finem mundi, caliginem, & tenebras duci, & iterum cum fortissimis bellicosissimisque populis, adeoque feris & indomitis gentibus dimicandum, in has voces contra Alexandrum erupére. Non quidem se coactos Gangem & quæ vltra Gangem sint, transmittere, vbi ipsos tot immanes elephanti, tot millia equitum, tot centena millia peditum expectabant; non tamen, vti sperauerant & optauerant, finisse bellum, sed tantum mutasse: hostem nempe alium quæsitum, & alium bello delectum locum. præterea trahi se ad extrema mundi, extra solis mundique vias, & extra ipsa sidera, vbi æterna noctis caligine & tenebris sint inuoluendi, immanissimisque maris beluis, phocis, cetis, & monstris sint obijciendi. hæc sua fore præmia belli. Atque ita ex mente Curtij seditiosus miles. Nunc Alexandrum respondentem, & dictis trucia pectora placantem audiamus, quomodo & illius oratio nostræ, hoc est, Curtij narrationi ad vnguem conueniat.

REX NON SVA) quia interritus nullas gentes, quantumuis feroces, metuebat, imo quo bellicosiores erant, hoc ardentius bellum cum illis & prælium expetebat, à quibus victis maiorem famam & gloriam esset reportaturus. cùm enim illi nunciatum esset; quàm validæ gentes trans Gangem, & quanto cum milite illum expectarent, *vehementi* inquit Arrianus, *eius animum vlterius procedendi studio exstimulabant.*

SED MILITVM SOLICITVDINE ANXIVS) Illorum enim animi fatiscebant, & nouo hoste obiecto exanimabantur.

IMBELLES ESSE) respondet ad primum Macedonum trepidantium argumentum: *cum fero-*

ferocißimis gentibus bellum integrum esse, hoc diluit, negatque fortes esse, sed imbelles illas gentes, nulloque negotio vinci & deleri posse. Et credebat miles regi nunquam fallenti, vt alibi testatus est Curtius: deinde illas vnas & solas, easque ipsas imbelles superesse, nullos nouos hostes alios pertimescendos, & his superatis, mox ad vltimos mundi fines peruenturos. se fecisse illis hanc gratiam, vt nullum cogeret traijcere Gangem, quem metuissent, & aduersus gentes vltra Gangem sitas belligerare, iterque inde ad Oceanum, quà meridiem spectat, deflexisse, vt id quod vltra Gangem quæsiturus erat, citra Gangem cum minori periculo & maiori gloria assequeretur. proinde, par esse, vt sibi quoque vltra Bacchi & Herculis terminos tendenti obsequerentur, nec illam sibi laudem & immortalitatis famam inuiderent, nec cogerent se, ex India fugere, sed cum triumpho velut deuictis hostibus redire: iam proximos esse Oceano, iam auram maris ad ipsos vsque perflantem sentire. Hæc oratio, sed obliqua, fuit Alexandri, in qua singillatim illud quod dictum est, non lippis oculis transibis, cessisse illis metuentibus Gangem & multitudinem nationum, quæ vltra amnem essent: hoc est, se cessisse illis, & locum precibus illorum dedisse, ne, quem timuissent Gangem, cogerentur transmittere, & cum populis vltra Gangem sitis, quorum arma & elephantos formidassent, manus conserere. Sed se, relicto Gange, & quidquid vltra est, iterad reditum declinasse, atque ad Acesin rediisse. Tuam fidem, lector, vtrum non hoc ex ipsa Curtij mente, pectore & sensu? Diligenter omnia verba expendi, & statim ab initio hanc labem inesse Curtio, sibi, vt antea verba iacebant, ipsi in se pugnanti, animaduerti. Non transisse

p.574. Gangem, etiam Siculus testatur: *Quia enim Gangem transire Macedones detrectarent, & subinde in concionibus regi clamore suo obstrepebant, ortumque ex Hammone suggillabant; agmen hoc Persarum eiusdem ætatis, quod phalangi Macedonicæ opponi posset, sibi comparauit.*

OMNIS MVLTITVDO) Rectè seditiosus populus maris fluctibus nunc intumescentibus, nunc residentibus, à scriptoribus comparatur. sicut Maro fluctus ipsos cum populo tumultuante composuit:

1. Aeneid.

Ac veluti magno in populo cum sæpè coorta est
Seditio, sæuitque animis ignobile vulgus;
Tum pietate grauem ac meritis si forte virum quem
Conspexère, silent, arrectisque auribus astant,
Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

NON ALIAS TAM ALACER CLAMOR) de his clamoribus & acclamationibus, suprà c. 5. ad illa Curtij, *vbi est clamor ille alacritatis vestræ index*, dictum.

Priusquam hoc caput finiam, quædam ex hoc capite relicta, velut analecta hic colligenda sunt, & explananda, quod in explicatione contextus fieri non potuit, nisi abrumperetur sententia narrationis; videndum ergo quid illa sibi velint, *Vel sanguine sua aperireut illi Oceanum, trahi se extra sidera & solem, cogique adire quæ mortalium oculis natura subduxerit*, & quæ ibidem de Oceano sequuntur. Extat apud Senecam philosophi patrem & declamatorem, suasoria prima, hac inscriptione:

Deliberat Alexander an Oceanum nauiget. Dicuntur velut in senatu variæ sententiæ, omnesque eò decurrunt, vt dissuadeant nauigationem. sequuntur dein prolixæ latinæ & græcæ declamatorum sententiæ: quas ipse videbis, si vacabit. p. 9. 10. 11. sed in minori edit. p. 1481.

In libros Arist. meteor. c. 2. p. 78. Quod ad rem ipsam pertinet, subijciam hic ex Conimbricensibus, quid omnino de Oceano sentiendum sit. *Quatuor potißimum, quinquéue maria ab hydrographis numerantur: mare Oceanum, mare Mediterraneum, mare rubrum, mare Persicum & Caspium. Mare Oceanum, quod reliqua maria vastitate & magnitudine vincit, ambitque totam terram, è Gaditano freto & Herculis columnis tanquam è portu soluens circumquaque in immensum funditur, diuersas mundi oras, variorumgentium litora continentem, insulas, promontoria flexuoso meatu oberrans, à quibus varia sortitur nomina. dicitur enim Oceanus Occiduus ab Occidente, Eous ab Oriente, Aethiopicus ab Aethiopia, Atlanticus, Scythicus, Britannicus, Germanicus, à monte Atlante, à Scythia, à Britannia, à Germania, atque ita alijs indidem vocabulis.*

Explicant deinde singula, quæ huc non pertinent, nos Oceano hoc traiecto, ad Curtium redeamus.

CA-

CAPVT X.

ARGVMENTVM.

Hostes fugat. opidum obsidet. vltimum vitæ discrimen contemto vate adit. solus in opidum hostile desiliens ægrè tandem per suos iam saucius cripitur. hostes internecione delentur.



Validissimæ Indorum gentes erant, & bellum impigrè parabant, ducemque ex natione Oxydracarum spectatæ virtutis elegerant, qui sub radicibus montis castra posuit, lateque ignes, vt speciem multitudinis augeret, ostendit: clamore quoque, ac sui moris vlulatu identidem acquiescentes Macedonas frustra terrere conatus. Iam lux appetebat, cum rex fiducia ac spei plenus alacres milites arma capere, & exire in aciem iubet. Sed metune, an oborta seditione inter ipsos, subito profugerunt barbari. certè auios montes & impeditos accupauerunt quorũ agmen rex frustra persecutus, impedimenta cepit. peruentũ deinde est ad opidũ Oxydracarum, in quod plerique confugerant, haud maiore fiducia mœnium quàm armorũ. Iam admouebat rex, cùm vates monere cœpit, ne committeret aut certè differret obsidionem, vitæ eius periculum ostendi. Rex Demophoonta (is namque vates erat) intuens, Si quis, inquit, te arti tuæ intentum, & exta spectantem sic interpellet, non dubitem, quin incommodus ac molestus videri tibi possit. Et cùm ille ita prorsus futurum respondisset, Censésne, inquit, tantas res, non pecudum fibras ante oculos habenti, vllum esse maius impedimentum, quàm vatem superstitione captum? nec diutius quàm respondit moratus, admoueri iubet scalas: cunctantibusque cæteris euadit in murum. Angusta muri corona erat, non pinnæ, sicut alibi fastigium eius distinxerant, sed perpetua lorica obducta transitum sepserat. Itaq; rex hærebat magis, quàm stabat in margine, clypeo vndiq; incidentia tela propulsans. nam vndiq; eminus ex turribus petebatur. nec subire milites poterant, quia supernè vi telorum obruebantur. Tandem magnitudinem periculi pudor vicit: quippe cernebant cunctatione sua dedi hostibus regem. sed festinando morabantur auxilia. nam dum pro se quisque certat euadere, onerauere scalas, quis non sufficientibus deuoluti vnicam spem regis fefellerunt. Stabat enim in conspectu tanti exercitus velut in solitudine destitutus. Iamque læuam, qua clypeum ad ictus circumferebat, lassauerat, clamantibus amicis vt ad ipsos desiliret, stabantq; excepturi, cùm ille rem ausus est incredibilem atq; inauditam, multoq; magis ad famam temeritatis quàm gloriæ insignem. namq; in vrbem hostium plenã præcipiti saltu semet ipse immisit, cum vix sperare posset, dimicantem certè & non inultum esse moriturum: quippe antequam assurgeret opprimi poterat, & capi viuus: sed fortè ita librauerat corpus, vt se pedibus exciperet. Itaq; stans init pugnam, & ne circuiri posset, fortuna prouiderat. Vetusta arbor haud procul muro ramos multa fronde vestitos velut de industria regem protegentes obiecerat. huius spatioso stipiti corpus, ne circuiri posset applicuit, clypeo tela quæ ex aduerso ingerebãtur, excipiens. nã cùm vnum procul tot manus peterent, nemo tamen audebat propiùs accedere. Missilia ramis plura quàm clypeo incidebant. Pugnabat pro rege primùm celebrati nominis fama, deinde desperatio magnum ad honestè moriendũ incitamentũ. Sed cũ subinde hostis afflueret, iã ingentẽ vim telorũ exceperat clypeo, iã galeã saxa perfregerant, iã cõtinuo labore grauia genua succiderant. Itaq; contemtim & incautè qui proximi steterant incurrerũt, è quib. duos gladio ita excepit, vt ante ipsũ exanimes procũberent. nec cuiquã deinde propius incessendi eũ animus fuit. procul iacula sagittasq; mittebãt. ille ad oẽs ictus expositus ægrè, iã exceptũ poplitibus corpus tuebatur, donec Indus duorũ cubitorũ sagittã (namq; Indis, vt antea diximus, huius magnitudinis sagittæ erãt) ita excussit, vt per tho-

racē paullū ſuper latus dextrū infigeretur. quo afflictus, magna vi ſanguinis emicante remiſit arma, moribundo ſimilis, adeóq́; reſolutus, vt ne ad vellendū quidē telū ſufficeret dextra. Itaq; ad ſpoliādum corpus, qui vulnerauerat, alacer gaudio occurrit. quē vt iniicere corpori ſuo manus ſenſit, credo vltimi dedecoris indignitate cōmotus linquentē reuocauit animum, & nudum hoſtis latus ſubiecto mucrone hauſit. Iacebant circa regem tria corpora procul ſtupentibus cæteris. Ille vt antequam vltimus ſpiritus deficeret, dimicans iā extingueretur, clypeo ſe alleuare conatus eſt, & poſtquam ad conitendum nihil ſupererat virium, dextra impendentes ramos complexus tentabat aſſurgere. Sed ne ſic quidem potis corporis rurſus in genua procumbit, manu prouocans hoſtes, ſi quis congredi auderet. Tandem Peuceſtes per aliam opidi partem deturbatis propugnatoribus muri veſtigia perſequens regis ſuperuenit. Quo conſpecto Alexander iam non vitæ ſuæ, ſed mortis ſolatiū ſuperueniſſe ratus, clypeo fatigatum corpus excepit. Subit inde Timæus, & paullò poſt Leonatus, huic Ariſtonus ſuperuenit. Indi quoq; cùm intra mœnia regem eſſe comperiſſent, omiſſis cæteris illuc concurrunt, vrgebantque protegentes, ex quibus Timæus multis aduerſo corpore vulneribus acceptis, egregiaque edita pugna cecidit. Peuceſtes quoque tribus iaculis confoſſus, non ſe tamen ſcuto, ſed regem tuebatur. Leonnatus dum auidè ruentes barbaros ſubmonet, ceruice grauiter icta ſemianimis procubuit ante regis pedes. Iam & Peuceſtes vulneribus fatigatus ſubmiſerat clypeum. in Ariſtono ſpes vltima hærebat. hic quoque grauiter ſaucius tantam vim hoſtium vltra ſuſtinere non poterat. Inter hæc ad Macedones regem cecidiſſe perlata eſt fama. Terruiſſet alios, quod illos incitauit. namque periculi omnis immemores dolabris perfregere murum, & quà molitierant aditum irrupere in vrbem, Indoſque plures fugientes quàm congredi auſos occiderunt. non ſenibus, non fœminis, non infantibus parcitur. quiſquis occurrerat ab illo vulneratum regem eſſe credebant. tandemq́; internecione hoſtium iuſta ira parentatum eſt. Ptolemæum, qui poſtea regnauit, pugnæ affuiſſe, auctor eſt Clitarchus, & Timagenes: ſed ipſe ſcilicet gloriæ ſuæ refragatus abfuiſſe ſe miſſum in expeditionem, memoriæ tradidit. tanta componentium vetuſta rerum monumenta vel ſecuritas, vel par huic vitium credulitas fuit.

VALIDISSIMAE) nobiliſſimum hoc caput eſt, & res in eo perſcripta à plurimis celebrata ſcriptoribus propter inauditum facinus Alexandri, auſi in medios hoſtes è muro ſaltu ſe demittere, vbi vnus pugnauit in omnes. quamquam hoc facinus non omnes probent, ſed, vt temerarium, in duce damnent, quod infrà demonſtrabimus. Validiſſimæ duæ gentes erant Oxydracæ & Malli.

* lib. 6. DVCEMQVE EX NATIONE OXYDR. SP. VIRT. ELEGERANT) Arrianus* negat quod Curtius ſuprà cum Diodoro affirmarat, Mallos vnquam cum Oxydracis iunctos fuiſſe: voluiſſe tamen iungi, ſed Alexandri celeritate occupatos non potuiſſe copias coniungere.

CLAMORE QVOQVE) Dixeram ſuprà, generoſos canes non latrare, perindeque Macedones, vociferantibus & ritu elephantorum barritum tollentibus barbaris, conticuiſſe, nec vilis clamoribus territos, repentè in hoſtem inſiluiſſe. In ipſo tamen congreſſu & concurſu primo etiam ab Romanis atrociter clamatum. Sed de huiuſmodi clamoribus bellicis habes apud Vegetium *a*, Stevvechium *b*, & Lipſium de militia Romana *c*; vnde quæ voles ad hunc locum petes: quibus & Tzetzæ verſus addere poteris, pag. 338. idem ex Homero affirmantis.

a li. 3. c. 18.
b in c. 18. pag. 204.
c l. 4. dial. 11. toto, p. 318.

AD OPID. OXYDRACARVM) Mallorum, non Oxydracarum tradit *Arrianus. *Plutarchus, *In Mallis verò, quos Indorum perhibent bellicoſiſſimos fuiſſe, penè conciſus eſt*, Idem de Fort. Alexandri. *Apud Mallos tripedana ſagitta ictus*, ſpiculo per loricam & pectus ad ceruicem pertingente, vt auctor eſt Ariſtobulus. Idem Strabo & Euſtathius. De Oxydracis tamen Philoſtratus mira, eorumque vrbe: lib. 2. c. 14. p. 96. Ex quo ſimul diſces, Hyphaſidem & Gangem, vti aliàs docui, ab Alexandro nunquam traiectum; quod tamen aliqui affirmant.

* lib. 6.
* In Alex. lib. 2.

VATES ADMONERE COEPIT) Vates Demophoon. Diodorus plura docebit, qui Demophoontis auguria ab Alexandro contemta ait.

SVPERSTITIONE CAPTVM) quin ipſe aliàs ſæpè etiam Alexander eadem ſuperſtitione captus fuit, cum rebus in arctis verſaretur, libro quinto capite decimo. *Tum caſtris vndique aperto loco poſitis, non conſultare modò quid agendum eſſet, ſed vates quoque adhibere cœpit à ſuperſtitione animi.* Et libro ſeptimo cap. 18. *Itaque qui poſt Darium victum ariolos & vates conſulere deſierat, rurſus ad ſuperſtitionem humanarum mentium ludibrio reuolutus, Ariſtandrum, cui credulitatem ſuam addixerat, explorare euentum rerum ſacrificijs iubet.* En Alexandri pietatem; In ſecunda fortuna & felici rerum decurſu omnium vatum eſt oblitus: vbi fœlicitas hæſit, ibi rurſus cœpit eſſe pius. Non vni hoc Alexandro vſu venit. Mala, quibus premimur, ad Deum pro-

uocare

uocare nos cogunt. tempestates, fulmina, hostis ingruens, imminens naufragium, & hoc genus alia nos cœli memores esse iubent. Apud Curtium duo Augures potissimum celebres, Aristander & Demophoon. Hic Demophoon, passim alibi Aristander, qui Alexandro etiam superstes fuit, & eius cadauer, ne à ducibus negligeretur, curauit. lib. 10. cap. 7. consule; vbi multa ex Aeliano de Aristandro & corpore Alexandri.

PECVDVM FIBRIS) de his sacrificandi ritibus & pecudum fibris, suprà lib. 7. c. 18. dictum. Hic Demophoon Alexandrum iam muros ascendere parantem importunissimè interpellauit, gratiamque ab rege exiguam iniit, quantumuis bono animo, de imminente periculo admoneret.

MVRI CORONA) coronæ in muris & parietibus & ædificijs, sunt testaceæ structuræ sub tegula, altitudine sesquipedali cum proiecturis coronarum. *ita*, inquit Vitruuius in secundo, *vitari poterunt, quæ solent in his fieri, vitia. cùm in tecto tegulæ fuerint fractæ, aut è ventis deiectæ, quà possit ex imbribus aqua perpluere, non patietur lorica testacea lædi parietem, sed proiectura coronarum reijciet extra perpendiculum stillas, & ea ratione seruauerit integras latericiorum parietum structuras.* Hæc Vitruuius. Ad hæc verba Guilelmus Philander: *Corona*, inquit, *hic dicuntur protecta siue proiecta, meis Gallis Larmenij. Bononiensibus grunda, id est, prominentia & veluti supercilia parietum arcendis stillicidijs inuenta, quod etiam admonuit Budæus. Eā proiecturam paullò pòst loricam testaceam vocat.* aliàs, lorica est tectorium vt, lib. 7. cap. 1. docetur. quando hic Curtius docet angustam fuisse muri coronam, vult ostendere proiecturas coronarum non multum excelsisse ipsum murum. aliàs in corona muri, quòd extra murum extaret, stari poterat. tectum autem erat pronum, vbi vestigia figi non poterant; quà coronam tegebat, molliùs declinabat. Vitru. li. 2.

NON PINNAE FASTIGIVM EIVS DISTINXERANT) ergo nec in summo tecto, vbi pinnæ erant, poterat consistere, nec in imo, vbi coronæ erant angustiores. Pinnæ, inquit Varro de lingua latina, summa tectorum ab his quas insigniti milites habere in galeis solent, & in gladiatoribus Samnites. Sunt ergo plumatæ cristæ è galea, militis aut gladiatoris ornatus, extantes: in tectis signa, columellæ, acroteria, tritones, pyramides, statuæ, galli gallinacei, lunæ, stellæ, ventilabra, & id genus alia tectorum ornamenta in summo & fastigio tecti collocata, vt & in aggeribus castrorum. Cæsar de bello lib. 7. numero 72. *Post eos aggerem & vallum XII. pedum extruxit, huic loricam pinnasque adiecit grandibus ceruis eminentibus ad commissuras pluteorum atque aggeris, qui adscensum hostium tardarent.* A pinnis tecti, apud Liuium de bello Macedonico, suspenso miles fune se è muro demisit. Alia huius vocis de *pinnis piscibus*, & piscium pinnis, significata hic prætereo. Itaque cum nulla in muro & fastigio muri pinnæ essent, non potuit se ad illas applicare, vt pedem figeret, vel manu sustineret corpus.

PERPETVA LORICA OBDVCTA) Philander ad II. Vitruuij. cap. 8. lorica testacea, aliàs lorica tectorium est. Coronam quoque muri Vitruuius loricam appellat lib. 7. ad illa verba Vitruuij. *Et suprà lorica ex calce & arena inducantur*, id est, inquit Philander, *tectorium, crusta, corium, vnde loricare parietes Varroni lib. de re rust. 1. c. 57. & Plinio lib. 8. cap. 24. de Ichneumone limo se mergente, siccanteque sole & huiusmodi corijs se loricante. Loricam diximus libro secundo esse testaceam structuram, id est, veluti cornices proiectas, siue semifastigia, quæ stillicidium à muris arcerent. Apud Vegetium libro quarto, loricula significat id munimentum, quod vrbium obsessores vltra iactum teli ædificant, fossa, vallo, sudibus & turriculis instructa, vt erumpentibus è ciuitate obsistere possint. Et loriculam in tecto Hieronymus contra Pelagianos libro primo, ex Deuteron. capite vigesimosecundo, vertit pro murulo, qui in circuitu tectorum fit, ne quis in præceps labatur: quod interpretes septuaginta στεφάνην dixerunt. Nam quod Ezechielis capite quadragesimo περίβολον Symmachus & illi verterunt. (si modò eorum est versio, de qua video plerosque dubitare, neque id fortasse abs re, nam D. Hieronymus, non vno tantum loco, sed & Iosephus in præfatione Iudaicarum antiquitatum, tradunt septuaginta illos duos, legem tantum, id est Mosis libros in græcam linguam transtulisse) Aquila autem & Theodotio murum, vt scribit Hieronymus. Id verò loriculā dici oportuisse contendimus.* Nō poterat ergo consistere pedibus Alexander in muro, cum corona seu lorica esset angustior, nullisque murus fastigiorum pinnis, quas prenderet, distingueretur, & lorica transitum sepsisset & impedisset, nec miles ipsius è turribus hostium telis vndique petitus & prohibitus, murum subire posset, & ipse in periculo vltimo versaretur, ne hostibus dederetur. tandem exercitus, pudore victus, ne regem deseruisse & hostibus dedidisse videretur, spreto omni periculo, muro succedere, scalas applicare, properè eniti: ipse interim vim telorum, circumlato vndique scuto, excipere, cum repentè per scalas euadere conati, ruptis radijs, præcipites deuolui, aliterque alterum secum in casum trahere, spem regis vnicam destituere, quem amici infrà stantes magnis clamoribus hortabantur, vti ad se resiliret, se desilientem molliter excepturos. puduit regem inuictum, tergum hosti vertere. Itaque cùm remedium nullum superesse cerneret, vnus contra omnes pugnaturus præcipiti saltu in medios hostes præter omnium expectationem se deiecit. Hanc rem non ad vrbis iam occupatæ mœnia, sed p. 297. & 298.

arcis, in quam se hostes receperant, oppugnationem Diodorus * & alij referunt. Erit hic opera etiam *a* Arrianum omnia prolixè enarrantem adire, imò & *b* Plutarchum.

* pag. 565. *a* p. 128. *b* pag. 587. in paruo.

REM AVS. EST INGREDI B. ATQVE INAVD. MVLTOQVE MAGIS AD FAM. TEMERIT. QVAM GLOR. INSIGNEM) Hoc incredibile, nec vnquam ante Alexandrum, nec pòst auditum, scriptores rerum non mediocriter carpunt; inter primos ipsius Alexandri duces, de quibus apud Arrianum. lib. 6. p. 132. vel pag. 257.

Lucianus quoque in dialogis mortuorum, vbi Philippum patrem cum Alexandro apud inferos facit loquentem, cùm Alexander interrogasset patrem, quid sentiret de illo apud Oxydracas facto: *Non probo*, inquit Philippus, *neque id, quia pulchrũ esse negẽ, vulnerari quandoque imperatorem, & in subeundis periculis prætentare viam: sed quia ex tua re isthuc erat minimè. siquidem pro deo habitus, quos oro risus præbebas spectatoribus, quãdo post acceptum vulnus, ab exercitu magno tumultu direptus mœrens ac eiulans sanguine fluitabas.* & quæ apud Lucianum sequuntur. Proinde Onosander cap. 33. pag. 46. verè monet, imperatorem ipsum non debere manum cum hoste conferere, ne vniuersum exercitum in periculum conijciat.

Rectè in acie Romanorum, imperator medium locum, velut cor in corpore occupat, nisi quando vsus & necessitas vrgent, quod in Iulij Cæsaris historia & factis legimus. Nunc ad Alexandrum reuertamus, videamusque, quomodo in ipsa ciuitate solus aduersus omnes depugnarit.

ITA LIBRAVERAT CORP. VT SE PED. EXCIPERET) hoc primum & virtutis & fortunæ specimen fuit, quod in saltu non conciderit, sed pedibus rectus institerit, alioqui nullo negotio, priusquam se colligeret, opprimi poterat. Testatur idem Plutarchus, *Librato corpore in medio, saltu se immisit in hostes, & fortè fortuna se pedibus excepit. cuius vibrantibus armis iubar aliquod & spectrum barbaris videbatur pro corpore eius obuersari; vnde primùm in fugam effusi sunt.* Idem Plutarchus hoc Alexandri facinus miris modis multisque verbis prædicat in extremo de Fort. Alex. p. 638. & seqq.

Idem Eustathius Commentario testatur.

VETVSTA ARBOR) alterum fortunæ præsidium, ingens arbor ibidem ramos explicarat, ad cuius latum stipitem se applicuit, neà tergo circumueniri posset. Diodorus * medium inter arborem & murum stetisse docet. *Et mox*, inquit, *Indis irruentibus, magna fiducia impetum barbarorum sustinuit, cumq́ à dextra arborem radicibus muro adfixam, à sinistra murum ipsum pro munimento sibi fecisset, tutius hostes propulsabat.* De muro etiam Arrianus meminit, de arbore tacet. Iustinus * vtrumque munimentum cum Curtio & Plutarcho memorat.

* pag 566.

* lib. 12.

DVOS GLADIO ITA EXCEPIT, VT EXANIMES ANTE IPSVM PROCVMBERENT) sequitur prœlium & duellum, quod sanè eleganter Iustinus * describit: meritò hic videndus.

Arrianus * ipsum Indorum ducem ait ab Alexandro interfectum. Diodorus hic quoq; consulendus. p. 566. circa med. Sed hæc omnia illigauit Galterus heroo versu, quem iuuabit non iniucundè canentem audire:

* l. 12. circa med. * p. 129. post med.

p. 1.

Iamque manus, clypeum qua sustentabat ad ictus,
Lassa minabatur defectum, iamq́ monebant
Clamantes socij, celer vt resiliret, & ipsum
Exciperent, cùm rex (ausus mirabile dictu
Atque fidem maius) saltu de prapete, dira
Barbarie plenam præceps se immisit in vrbem,
Indignum reputans diuino stemmate princeps
Tot clarus titulis, si tergum ostenderet hosti,
Quæritur an fortis, facto an temerarius isto
Rex fuerit, sed si contraria iungere curas,
Et facto fortis fuit, & temerarius isto:
Cumq́ capi viuus posset, perimivè priusquam
Surgeret, excußit fortuna potenter vtrumque
Et miro miranda modo protexit alumnum.
Sic etenim Macedo corpus librauerat, vt se
Exciperet pedibus, stans ergo lacessere pugnam
Cœpit, & à tergo ne posset ab hoste moueri,
Magnipotens fortuna duci prouiderat ante:
Stabat enim laurus annoso stipite tanquam
Nata ducem Macedũm patulis defendere ramis;
Huius vt applicuit trunco insuperabile corpus,
Vitio cælestis, clypeum circumtulit, ictus
Telorum excipiens, tamq́ omnes eminus vnum
Impeterent, propiùs accedere nemo, manúmve

Conferre

Conferre audebat, celeberrima fama verendi
Nominis, edomitum iam dilatata per orbem,
Praduce pugnabat, & desperatio magna
Virtutis stimulus, & honesta occasio mortis.
Sed clypeum iam missilium perfoderat imber,
Fractaq; plangebat saxorum turbine cassis,
Lubrica succiderant genua & labefacta laborũ
Pondere continui, vix sustentare valebant
Egregium corpus, quod tum spoliare pararent,
Qui stabant propiùs, sic hos mucrone recepit
Magnus, vt ante ipsum, vita fugiente, iacerent
Exanimes gemini, quorum sic terruit omnes
Subdrachas abitus, vt nemo lacessere deinceps
Cominus auderet collato robore magnum.
Ille tamen genibus exceptum corpus ad omnes
Ictus expositum, non agrè, tigridis instar,
Ense tuebatur, donec per inane sagitta
Accelerans latus in dextrum scelus ausa cucurrit,
Cum ad introitum crudo de vulnere tantum
Sanguinis emicuit vt, rex tremefactus & amens
Non posset telum tunc anti euellere dextra.
Exangues igitur afflicti corporis artus
Applicuit lauro moribundus, & arma remisit,
Concurrens alacer iaculum qui miserat Indus,
Exanimem credens regem, spoliare parabat,
Quem simul, ac sensit, corpus regale profana
Attrectare manu Maceda, proh dedecus, inquit,
Méne ducem Macedum nosti? nec plura locutus
Languentem reuocans animum, nudum latus hostis
Subiecto mucrone fodit, iungitq; duobus
Exanimem socijs: talem decet ire sub vmbras,
Inquit, Alexandrum, talis mihi nuncius esto.
Dixit, & vt moriens inuictus dimicat antè,
Quàm sacer in tenues erumpat spiritus auras,
Se clypeo & lauri ramis attollere tentat,
Sed neq; se proferre potens venerabile corpus
Poplite succiduo rursus procumbit, & hostem
Prouocat, exerto siquis confligere ferro
Audeat, & tanta spolium sibi sumere palma.

QVO VVLNERE AFFLICTVS) In hoc ingens Alexandri vulnus omnes rerum scriptores, qui res Alexandri tradiderunt, calamum immittunt, & omni posteritati spectandum proposuerunt, ex quo tanquam ex fonte, nil nisi gloria Alexandri profluxit.

DVORVM CVBITORVM SAGITTAM) tripedalem, inquam, quales, vt antè dictum, Indi vibrabant. Plutarchus plura. Quod de duobus armigeris refert, nemo præter Plutarchum narrat, nisi quod Arrianus,* quasi Plutarchum exponens, doceat, Peucesten, Abream, ac Leonnatũ in murum euasisse, antequam scalæ frangerentur, & regem in vrbem desilientem secutos pro illo in vrbe depugnasse. *Peucestes Palladis Iliaca scuta intersecto, regem protegebat, Leonnatus quoq; lateri affusus, venientes ictus excipiebat. Sed & hi quoque grauiter vulnerantur, parumque aberat quin vita Alexandrum simul cum sanguine deficeret.* Spiculum autem tres digitos latum, quatuor longum fuisse, hoc est, aciem sagittæ, testatur Plutarchus in 2. de fort. Alex. sagittam ipsam tripedanam affirmauit. Strabo tantùm attingit. Eustathius: *ἰστέον δὲ καὶ ὅτι ἔθνος ἐστὶ μαχιμώτατον Ἰνδικὸν οἱ Μαλλοὶ πληθυντικῶς, ἵνα παρὰ βραχὺ ἐκινδύνευσεν, εἰς ζωὴν ὁ μέγας Ἀλέξανδρος. Sciendum, Mallos numero multitudinis dici, & gentem Indicam esse bellicosissimam, vbi Alexader vltimum vitæ periculum adijt.*

*lib. 6. pag. 129. 130. vel pag. 251. 252. in 8.

TANDEM PEVCESTES) Hunc omnes testantur Alexandro periclitanti adstitisse, & pro ipso propugnasse. Plutarchus, Arrianus, Siculus. De Leonnato non omnes consentiunt, vt nec de Abrea duplario. Rursùs alij, Alexandrum fuisse ad galeam ictum caligine oculis oborta procidisse scribunt, cumque se denuò erexisset, thorace traiectum sagittam pectore excepisse.* *Ptolemæus Lagi filius in pectore solùm vulneratum fuisse tradit.*

* Arrianus p. 131.

Peucestes, quamuis grauiter vulneratus, vixit tamen, sicut & Leonnatus, & post mortem Alexandri, Persidi cum imperio præfuit. De Aristono nulla apud alios mentio in hoc Alexandri

discrimine. alioqui inter primos etiam Alexandri duces, qui l. 10. c. 11. de creando rege dixit sententiam.

INTER HAEC, AD MACEDONES REGEM CECIDISSE PERLATA FAMA EST) Quid interim exercitus ipse molitus sit, quomodo in muros euaserit, mœnia subruerit, portas effregerit, vrbem occuparit, & in oppidanos sine modo sæuierit, grassatusque sit, multis verbis exponit
p. 130. v. 5. Arrianus. Diodorum quoque consulas. Adde, quæ Arrianus de nuncio mortis Alexandri in castra allato, subiungit, quis motus in exercitu, quæ lamenta, quis eiulatus fuerit excitatus.

PTOLEMAEVM QVI POST. REGN.) Iam hunc locum suprà ex Arriano explicatum legisti. At enim Pausanias in Atticis * tradit Ptolemæum *Alexandro in Oxydracis periclitanti præ cunctis regis amicis auxilio fuisse.*
lib. 1. p. 10.

VEL SECVR. VEL CREDVL.) imò, teste Strabone, multi in rebus Indicis multa scientes volentes confinxére. vt iucunda lectori narratio esset & lectio.

CLITARCHVS) Quintiliano Clitarchi probatur ingenium, fides infamatur. Certè Curtius hic eiusdem fidem labefactat.

TIMAGENES) de eod. Quintilianus, Longo post interuallo temporis natus est Timagenes, vel hoc ipso probabilis, quod intermissam historias scribendi industriam noua laude reparauit.

CAPVT XI.

ARGVMENTVM.

Vulnus curat non sine cura deploratæ vitæ; nec omnino curatus pergit rursus in hostes.



Ege in tabernaculum relato, medici lignum sagittæ corpori infixum, ita ne spiculum moueretur, abscindunt, corpore deinde nudato, animaduertunt hamos inesse telo, nec aliter id sine pernicie corporis extrahi posse, quàm vt secando vulnus augerent. Cæterùm ne secantes profluuium sanguinis occuparet, verebantur. quippe ingens telum adactum erat, & penetrasse in viscera videbatur. Critobulus inter medicos artis eximiæ, sed in tanto periculo territus, manus admouere metuebat, ne in ipsius caput parum prosperæ curationis recideret euentus, lachrymantem eum ac metuentem, & solicitudine propemodum exsanguem rex conspexerat. Quid, inquit, quodvè tempus expectas, & non quã primum hoc dolore me saltem moriturũ liberas? an times ne reus sis cũ insanabile vulnus acceperim? At Critobulus tandẽ vel finito vel dissimulato metu hortari eum cœpit, vt se continendum præberet, dum spiculum euelleret. etiam leuem corporis motum noxium fore. Rex cùm affirmasset, nihil opus esse iis, qui semet continerent, sicut præceptum erat, sine motu præbuit corpus. Igitur patefacto latiùs vulnere, & spiculo euulso, ingens vis sanguinis manare cœpit. linquiq; animo rex, & caligine oculis offusa veluti moribundus extendi. cumq; profluuium medicamentis frustra inhiberent, clamor simul atq; ploratus amicorum oritur, regem expirasse credentium. tandem cõstitit sanguis. paullatimq; animum recepit, & circumstantes cœpit agnoscere. Toto eo die, ac nocte quæ secuta est, armatus exercitus regiam obsedit, confessus omnes vnius spiritu viuere. Nec prius recesserũt, quàm compertum est, somno paulisper acquiescere. Hinc certiorem spem salutis eius in castra retulerunt. Rex septem diebus curato vulnere, necdũ obducta cicatrice, cùm audisset conualuisse apud barbaros famam mortis suæ, nauigiis duobus iunctis statui in medium vndique conspicuum tabernaculum iussit, ex quo se ostenderet, periisse credentibus. conspectusque ab incolis, spem hostium falso nuncio conceptã inhibuit. secundo deinde amne defluxit, aliquantum interualli à cætera classe præcipiens, ne quies per inualido adhuc necessaria, pulsu remorum impediretur. quarto postquam nauigare cœperat die, peruenit in regionem desertam quidem ab incolis, sed frumento & pecoribus abundantem. placuit is locus & ad suam & admilitum requiem.

MEDICI

MEDICI LIGNVM SAG. INFIX. ITA NE SPIC. MOV. ABSCINDVNT) Plutarchos
* *Interea circumfundentibus se Macedonibus abreptus, semianimisque iam in tabernaculum est relatus:* * In Alex.
& mox regem vulgatum est in castris, expirasse. Ingenti difficultate ac labore sagitta, qua lignea erat, p. 700.
abscindunt.

CORPORE DEIN NVDATO ANIMAD. HAMOS INESSE TELO) Plutarchus, Tum detracto tandem thorace, accingunt se ad euellendum spiculum, qood vni ossi erat infixum.

SECVNDO VVLNVS AVGERENT) Arrianus: *Dehinc regem pessimè affectum scuto efferunt, viueret nec ne, incerti. Sunt qui scribant* Critodemum (Critobulum Curtius appellat) *medicum Coum ex stirpe Aesculapij, resoluta plaga sagittam euulsisse, alij Perdiccam, cum medicus vrgente necessitate, non adesset, iubente Alexandro, ense vulnus rescidisse, telumquè exsecuisse, inque euulsione magnam sanguinis vim erupisse, cumquè Alexander rursum animo linqueretur, syncopen ipsam sustinendo sanguini remedio fuisse.*

INGENS TELVM ADACTVM ERAT) Plutarchus vt suprà: *Apud Mallos tripedana sagitta* 2 de fort. AL
ictus, spiculo per loricam & pectus ad ceruicem pertingente, vt auctor est Aristobulus. Atqui in Alexandri vita idem Plutarchus scripserat, ossi fuisse infixum. Quid mirum, si diuersi diuersa tradant, cum vnus idemque Plutarchus non vnum idemque scribat. Curtius cautè, *penetrasse in viscera videbatur*; non, hæsisse in osse, vti videbatur Macedonibus primùm priusquam explorassent iotimum vulnus. Plutarchus tres digitos latum, quatuor longum ferrum sagittæ fuisse prodidit.

CRITOBVLVS) seu Critodemus, vt monui. vbi Philippus Acarnan, qui in Cilicia ad Tarsum curauerat Alexandrum? an extinctus interim? an clinicam tantùm, non vulnerariam professus? alij enim medicorum ophthalmici, alij clinici, alij vulnerarij, rarò vnus omnes medicinæ partes profitebatur aut exercebat, vti nec hodie. vbi Osthanes, de quo Plinius XXX. c. 1. *Non leuem & Alexandri M. temporibus auctoritatem addidit professioni secundus Osthanes, comitatu eius exornatus, planequè, quod nemo dubitet, orbem terrarum peragrauit.* Sed Philippus Acarnan etiam vulnerarius fuit, vt ex c. 19. lib. 4. apparet, sed postea extinctum credo, quando nulla amplius eius mentio.

NE IN IPSIVS CAP. PARVM PROSP. CVRATIONIS RECID. EVENTVS.) Glaucum certè, qui Hephæstionem neglexerat, aut certè parum feliciter curarat, ipse Alexander in crucem egit.

INSANABILE VVLNVS ACCEPERIM) hoc vt chirurgo adderet animum, ne trepidatione ipsa manum vacillantem vulneri admoueret, Alexander dixit.

VT SE CONTINENDVM PRAEBERET) Laudat ab hac animi fortitudine & patientia Tuscul.
suum Marium, M. Tullius, negatque eiusmodi fortitudinis exemplum in Romana historia ante Quæst.
Marium repertum. Sed enim quid miramur viros & duces belli & reges, cum pueros etiam ignes 2. n. 47.
constantissimo animo pertulisse legamus. Valerium Max. adi l. 3. c. 3. de patientia; vbi ephebi Macedonis patientiam commendat, meritissimo commendandam: in cuius brachium (sacrificante Alexandro) ardens carbo incidit, quem dolorem silentio pressit, & brachium immobile tenuit. Digna sanè virtus regio puero, & rex tali puero non indignus, cum alter alteri fortitudinis & patientiæ tanta præbuit documenta. Habuit id genus specimina Ecclesia cùm vetus Hebræorum, tùm recentior Christianorum; quæ tanquam in vulgus etiam nota cum alijs etiam ignotis, quòd hæc ad hunc locum illustrandum sufficiant, prætermitto.

VELVTI MORIBVNDVS EXTENDI) mors corpora extendit. Persius, Saty. 3.

Compositus lecto crassisque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit. ——

Virgilius quoque ita locutus est.

Victorem Buten immani corpore qui se
Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat,
Percutit, & fulua moribundum extendit arena.

Homerus -- ὃδ' ὕπτιος ἐξετανύσθη – &, ὕπτιος ἐξετάθη *supinus extensus est*.

Patria inde nata imprecatio, *vt te mors tendat*, Daß dich der Tod streck.

CVMQVE PROFLVVIVM MEDICAMENTIS FRVSTRA INHIBERENT) sanguis, vt ex Arriano dixi, per syncopen & defectionem, quam Alexander passus est, obstupuit & constitit: quemadmodum de Seneca traditur, quamuis omnes propè venas, & quidem in calenti balneo, incidisset, horrore tamen mortis credo, venæ obstupuerunt, vt diu cruciatus ægrè tandem expiraret. Sed Alexander respirauit.

CONSENSVS OMNES VNIVS SPIRITV VIVERE) Exercitus, qui cum Alexandro ad Mallos seu Oxydracas erat, ille pro regia ad fores excubuit, reliquus exercitus, & quidem maior pars in castris ad confluentes Acesinis & Hydraotis erat, vt docet Arrianus. Sed hinc eximia cura Macedonum erga regem suum & amor eluxit, quando cum rege moriturientc, vt opinabantur, quodammodo omnes animam agebant, quasi spiritus omnium ab vnius regis anima, spiritu, & vita penderet. Ita Philippus Acarnan medicus l. 3. c. 10. cum regi potionem medicam propinasset,

nasset, Rex, inquit *semper quidem spiritus meus ex te pependit, sed nunc verè arbitror sacro & venerabili ore trahitur.* Plutarchus breuissimè, *Cùm ex periculo emersisset, esset tamen adhuc imbecillus, diuque in victus ratione & curâ hereret, vbi tumultuantes videndi sui desiderio Macedonas animaduertit, sumpto pallio prodijt, & cum dijs sacra fecisset, iterum conscendit naues.* Cura verò omnium omninò militũ Alexandri, & præsertim, qui in castris ad flumina manserant, quanta fuerit, & quas solicitudines, quantumque mærorem excitarit & crearit, eleganter (vt suprà monui) exponit Arrianus.

p.131. CERTIOREM SPEM IN CASTRA RETVLERVNT) non credebant etiam nuncijs de valetudine meliore & spe salutis legiones Alexandri, qui in castris versabantur. Et primùm vbi nauem prætoriam conspexêre, putarunt cadauer defuncti ad se deferri; vbi autem viuum con-

p.132. vel p.136. spexêre, *Tum verò ingenti clamore,* inquit, Arrianus, *sublato, alij in cælum, alij in Alexandrum manus tendunt, multis præ insperato gaudio lacrymæ sponte obortæ sunt. Cumque argyraspides ei nauem egresso lecticam adferrent, ipse equum adduci iussit: quem vt inscendit, ab vniuerso rursum exercitu applausum est, ripis ac siluis circumvicinis clamore resonantibus. Tabernaculo autem appropinquans, ex equo desilijt, vt & pedibus incedens conspici posset. tum certatim alij atque alij accurrebant, alij manus, alij genua, alij vestem ipsius contigisse, alij vel vidisse tantùm contenti, salutem felicitatemque ei precantes, alij corollas, alij flores, quoscunque fert Indorum regio, inspergere, donec in tabernaculum sese contulit.*

Concludit Arrianus hanc de curatione vulneris Alexandri narrationem ab alijs plerisque

p.130 post med. multis mendacijs fuisse asperlam: *Multa præterea,* inquit, *alia de hoc Alexandri casu ab historicis scripta sunt, quæ fama à primis mendacij auctoribus sparsa in hunc vsque diem transmisit: neque desinet mendacij fides etiam in posteros propagari, nisi hoc scripto finis ei imponatur.* Magnum sanè operæ precium tulisset, si mendoso historicorum & scriptorum calamo finem imposuisset, sed perinde posteri priorum vestigia secuti, fabulis suos libros infarserunt.

CONVALVISSE APVD BARBAROS FAMAM MORTIS SVAE) Quamuis hoc nullus aliorum scriptorum testetur, tamen probabile, adeoque verum fuit, vt non solum barbari spem libertatis ex morte Alexandri concepisse videantur, sed etiam Græci in colonias & nouas ciuitates distributi, sublatis quasi signis iter in patriam adornarint (vt infrà narrabimus) horum spem, Alexandri præsentia eluit, famamque omninò oppressit.

REGIONEM DESERTAM) Nullus gentis nomen & regionis exprimit. Sed intra Oxydracas & Mallos ea gens & regio fuit.

CAPVT XII.

ARGVMENTVM.

Monent amici regem, ne se in posterum tantis committat periculis, nullam sequi gloriam ex ignobili hoste petitam. Respondet rex vbique laudis materiam offerri, vbi liceat fortiter agere, ipsi regem suum a domesticis insidijs defendant, de hoste ne sint solliciti.



Mos erat principibus amicorum, & custodibus corporis excubare ante prætorium, quoties aduersa regi valetudo incidisset. Hoc tum quoque more seruato, vniuersi cubiculum eius intrant. Ille solicitus ne quid noui adferrent, quia simul venerant, percontatur, num hostium recens nunciaretur aduentus. At Craterus, cui mandatum erat vt amicorum preces perferret ad eum, Credisne, inquit, aduentu magis hostium, vt iam in vallo consisterent, quàm cura salutis tuæ, vt nunc est (tibi velis) nos esse solicitos? Quantalibet vis omnium gentium conspiret in nos, impleat armis virisque totum orbem, classibus maria consternat, insuitatas beluas inducat, tu nos præstabis inuictos. sed quis deorum hoc Macedoniæ columen ac sidus diuturnum fore polliceri potest, cùm tam auidè manifestis periculis offeras corpus, oblitus

litus tot ciuium animas trahere te in casum? quis enim sibi superstes aut optat esse aut potest? eò peruenimus, auspicium atque imperium secuti tuum, vnde nisi te reduce nulli ad penates suos iter est. Quin si adhuc de Persidis regno cum Dario dimicares, & si nemo vellet, tamen admittere quidem posset, iam promta esse te ad omne discrimen audacia (nam vbi paria sunt periculum ac præmium, & secundis rebus amplior fructus est, & aduersis solatium maius) ignobilem vicum emi. quis ferat, non tuorum modò militum, sed vllius gentis barbaræ, qui tuam magnitudinem norit? Horret animus cogitatione res, quam paullo antè vidimus. eloqui timeo ad inuicti corporis spolia inertißimos, manus fuisse iniecturos, nisi te interceptum misericors in nos fortuna seruasset. totidem proditores, totidem desertores sumus, quot te non potuimus persequi. vniuersos licet milites ignominia notes, nemo recusabit luere id, quod ne admitteret, præstare non potuit. patere nos quæso alio modo esse viles tibi. quocunque iusseris ibimus. obscura pericula & ignobiles pugnas nobis deposcimus: temetipsum ad ea serua, quæ magnitudinem tuam capiunt. citò gloria obsolescit in sordidis hostibus. nec quidquam indignius est, quam consumi eam vbi non possit ostendi. Eadem ferè Ptolemæus, & similia iis cæteri. Iamque confusis vocibus flentes eum orabant, vt tandem exsatiatæ laudi modum faceret, ac saluti suæ, id est, publicæ parceret. grata erat regi pietas amicorum. itaque singulos familiarius amplexus considere iubet, altiusque sermone repetito, Vobis quidem, inquit, ò fidißimi piißimique ciuium atque amicorum, grates ago habeoque, non solùm eo nomine, quod hodie salutem meam vestræ præponitis, sed quòd à primordiis belli nullum erga me beneuolentiæ pignus atque indicium omisistis: adeò vt confitendum sit, nunquam mihi vitam meam fuisse tam charam, quàm esse cæpit, vt vos diu frui possim. Ceterùm non eadem est cogitatio eorum qui pro me mori optant, & mea, qui quidem hanc beneuolentiam vestram virtute meruisse me indico. Vos enim diuturnum fructum ex me, forsitan etiam perpetuum percipere cupitis. ego me metior, non ætatis spatio, sed perennitatis. Licuit paternis opibus contento, intra Macedoniæ terminos per otium corporis expectare obscuram & ignobilem senectutem. Quinquam ne pigri quidem sibi fata disponunt, sed vnicum bonum diuturnam vitam existimantes, sæpè acerba mors occupat. verùm ego qui non annos meos, sed victorias numero, si munera fortunæ bene computo, diu vixi. Orsus à Macedonia imperium, Græciam teneo. Thraciam, & Illyrios subegi. Triballis Medisque impero. Asiam quà Hellesponto, quà rubro mari subluitur, possideo. iamque haud procul absum fine mundi. Quem egressus aliam naturam, alium orbem aperire mihi statui. Ex Asia in Europæ terminos momento vnius horæ transiui. victor vtriusque regionis post nonum regni mei, post vicesimum atque octauum ætatis annum, videorne vobis in excolenda gloria, cui me vni deuoui, posse cessare? ego verò non deero. & vbicunque pugnabo, in theatro terrarum orbis esse me credam. dabo nobilitatem ignobilibus locis. aperiam cunctis gentibus terras, quas natura longè submouerat. In his operibus extingui mihi (si fors ita feret) pulchrum est. Ea stirpe sum genitus, vt multam prius, quàm longam vitam debeam optare. Obsecro vos, cogitate, nos peruenisse in terras, quibus fœminæ ob virtutem celeberrimum nomen est. quas vrbes Semiramis condidit? quas gentes redegit in potestatem? quanta opera molita est? nondum fœminam æquauimus gloria, & iam nos laudis satietas cepit? dii faueant, maiora adhuc restant. Sed ita nostra erunt, quæ nondum adiimus, si nihil paruum duxerimus, in quo magnæ gloriæ locus est. Vos modò me ab intestina fraude & domesticorum insidiis præstate securum. Belli martisque discrimen impauidus subibo. Philippus in acie tutior quàm in theatro fuit. hostium manus sæpè vitauit, suorum effugere non valuit. aliorum quoque regum exitus si reputaueritis, plures à suis quàm ab hoste interemtos numerabitis. Ceterùm quoniam olim rei agitatæ in animo meo, nunc promendæ occasio oblata est, mihi maximus laborum atque operum meorum erit fructus, si Olympias mater immortalitati consecretur, quandoque excesserit vita. Hoc si licuerit ipse præstabo. si me præceperit fatum, vos mandasse mementote. Ac tum quidem amicos dimisit. ceterum per complures dies ibi statiua habuit.

PRINCIPIB. AMIC. ET CVSTOD. CORPORIS) suprà cùm etiam ex vulnere decumberet, Hephæstion, Craterus, & Erygius erant cum custodibus in tabernaculum admissi. l.7.c.19. &17.

VNIVERSI CVBICVLVT EIVS INTRANT) Quia hoc præter morum accidit, suspicari potuit

potuit nouam aliquam coniurationem concinnatam, aut certè hostem pro foribus esse, nihil nimis suspicio vsitati expectat aut conijcit.

CREDISNE) Elegantissima hæc Crateri, vel potius Curtij oratiuncula est & artificij plena, quà mollissimè tractat non tam corporis quàm animi vulnus Alexandri, hoc est, temeritatem è superbia & nimia gloriæ cupidine natam. Et quia rex hostes adesse ratus erat, orditur à cura sua, amicorum inquam, & amore omnium erga regem, communique nomine principum, negat ipsos vlla hostium cura tangi, se omnes pro vno ipso esse solicitos. nam, quod ad hostes attinet, inquit, te saluo & sospite salui & securi sumus: nihil formidamus, etiamsi totus orbis, omnes barbaræ gentes, omnia maria, omnes feræ & siluæ in nos conspirent, exsurgant, incurrant: tu tamen si viuas, perire non possumus.

SED QVIS DEORVM) incipit delicatissimè per lenissimam insinuationem reprehendere summam audaciam & temeritatem regis, quam nobilissimis epithetis temperat, dum columen & sidus Macedoniæ appellat.

CVM TAM AVIDE MANIFESTIS PERICVLIS CORPVS OFFERAS TVVM) hoc est crimen Alexandri; cùm ab ipsius salute omnium pendeat salus, nullam tamen sui curam habeat, sed se, iuxta que secum omnes in præsens exitium trahat. nam te sublato nemo vel potest, vel etiam vult viuere. tu pluris es nobis, quam integra natio: sæpè spes opesque in vno sitæ sunt viro.

Nam vitam sibi rex qui negat, multa negat.

VBI PARIA SVNT PERICVLVM ET PRAEMIVM) Non esset, inquit, iste interritus & inuictus animus tuus, tam ad omnia discrimina periculorum promptus vnquam reprehendendus, si cum pari hoste, vt olim cum Dario, & nuper cum Poro congredereris; quia inde vel par præmium etiam est sperandum, vt ex victo Dario accepisti, aut si victus esses, habuisses solatium, quod à tanto rege esses victus. Sed nullo modo ferendum est, quod laureolam ex mustaceo, hoc est, gloriam tanto periculo tuo & tuorum ex barbaro, ignobili, & ignoto loco captes. Non æquo hoc animo miles ferat tuus, non barbarus laudet vilus, sed hostis ipse miretur tuam audaciam. Adhuc omnes horremus, cum de tuo periculo cogitamus, quando iam ad regium & insuperabile corpus tuum contrectandum & spoliandum tantùm non fœminæ accurrerunt. perieras, nisi clemens te tibi nobisque omnibus propitia fortuna seruasset. non possumus infitias ire, nos omnes abs te vno victos, prodidimus te hosti, deseruimus & destituimus; sed ignosce, tuam virtutem nec assequi, nec capere potuimus.

VNIVERSOS LICET MILITES IGNOM. NOTES) de pœnis militaribus & ignominiosis dimissionibus copiosè ex Polybio Lipsius lib. 5. dial. XVIII. & sequenti. Proditores hic non propriè accipit; nec enim hosti prodiderant regem suum, nisi deserendo. desertores autem ignominia notabantur, & subinde etiam morte, prout periculum inde existens paruum aut grande fuit, cùm deserendo ordines vel ducem destituendo, vel per secessionem & seditionem peccatum est. Sed hic nihil horum est, actum verè & ex animo, omnia casus rexerat.

ALIO MODO VILES ESSE TIBI) si nos cum animi tui magnitudine componas, meritò tibi viles sumus, & abs te velut degeneres contemnimur, vt qui tuam virtutem capere non possimus. Sed hoc dolet nobis, quod nec viliora quidem nobis committas, cum te ipsum discrimini offers. proinde rogamus, vti deinceps nobis obscuros hos & ignobiles hostes expugnandos committas, teipsum autem nulli periculo exponas, nisi quod tibi par sit, & tua maiestate, dignitate, animique magnitudine dignum, vnde & parem laudem, gloriam, præmium expectare & capere possis.

CITO GLORIA OBSOLESCIT IN SORDIDIS HOSTIBVS) Illustri gnoma claudit orationem Craterus. Gladiatores quoque, quando cum imparibus componuntur, indignantur, & ignominiam putant cum deteriore in arenam descendere.

CONSVMI EAM VBI OSTENDI NON POSSIT) inter gnomas ethicopoliticas hæc verba paullùm immutata leges:

Gloriam indignè consumas, vbi ostendi non potest.

Gloria enim ex inglorijs peti non potest. Atque hactenus Craterus, cuius orationem omnes duces, precibus & lacrymis confirmarunt, quibus magnopere regis animum ceperunt & flexerunt, vt singulos quàm familiarissimè complecteretur & exoscularetur, adeoque longa oratione testaretur, nihil sibi gratius optatiusque accidere potuisse, quàm curam ipsorum erga se & amorem in suum regem. Talia quidem Curtius, cui sequentem orationem, qua respondet Alexander, accommodat. Sed Arrianus ingratam fuisse reprehensionem seu potius admonitionem, vt suprà docui, ostendit.

Obserua in Crateri oratione, prima exordij verba: *Credisne?* amare ita loqui in orationibus Curtium. Alexander suprà: *Creditisne elephantorum greges*, &c. Et l. 8. c. 12. Callisthenes, *Credisne illos vnius conuiuij decreto deos factos?* Et similem huic loco illum: l. 4. c. 25. *Videsne in te Tyriore locum mendacij non esse.* & cap. sequenti: *Videsne vt nauigia, quamodum excedunt, regi nequeant?*

c. 5.

VOBIS QVIDEM Ô FIDISSIMI) præfatur ducto à persona amicorum eorumque laudibus, beneuolentia, & studio erga se, exordio. dein ingreditur orationem, quâ docet omnia sua studia semper fuisse relata, & deinceps relatum iri ad gloriam, famam, & nominis immortalitatem cõparandam: se non longam optare æstatem, non multos annos, non senectutem, sed multam laudem & gloriam. Ei se à puero studuisse, hoc docere quicquid ante in Græcia, Illyrico, Asia, Perside, India gesserit, semperque deinceps id vnum & maximè spectaturum acturumque, se decurso hoc Oceano, definito orbe, alium quæsiturum. nullum se hostem ignobilem credere, aut si qui sint, eis fama sua nobilitatem daturum; se enim quasi in orbis theatro versari, in quo nihil latere possit. adhuc parum profectum; à fœminis se superatum. grassandum vlterius ad gloriam, nec ante mortem, nec cum morte gloriam, quam quæreret sempiternam, vnquam finiendam. Duo tamen ab ipsis petere, vt ab insidijs domesticis, quibus plerique reges perierint, vitam suam tueantur. Et si ipse fatis præceptus non possit, ipsi matrem Olympiadem inter diuos referri curent.

NVNC SINGVLA EXCVTIAMVS, PIISSIMI CIVIVM) Hanc vocem *pijßimus* M. Tullius * princeps eloquentiæ à toto Latio proscripsit: *Tu porrò,* inquit, *ne pios quidem, sed pijßimos quæris, & quod verbum omnino nullum in lingua latina est, id propter tuam diuinam pietatem nouum inducis.* Barbarus ergo noster Curtius? si barbarus Antonius, æqualis Ciceroni, si barbarus Seneca declamator, & filius declamatoris, non multo posterior aut deterior: quod vtrumque & *pijßimè & fortißimè tulit.* Et: *principis pijßimi recreat clementia.* Frequentius apud Ausonium, hanc vocem deprehendas, & siquid etiam Apuleius auctoritate valet: *pijßimis* sacrorum arcanis. Valla certè mauult dicere *pijßimus quisque* quàm *pius quisque.* Intrepidè ergo, inquit, lib. de componenda epistola Despauterius, iis vtemur, vt *pijßimus*, a quibus Seneca & alij non abhorrent. non est ergo pro barbara ducenda vox *pijßimus*, nec barbarus Curtius. Laudatur etiam à Grammaticis Liuius, apud quem tamen ego hanc vocem nondum obseruaui. * Philip. 5. De breu. vitæ.

VT VOS DIV FRVI POSSIM) offensus credo grammaticus rescripsit, vt vulgò est editum *vobis frui.* Modius ex membranis *vos frui.* Non ignoro ego iunctum hoc verbum cum quarto subinde casu, sed perrarò. chartæ Constantienses chirographæ *vobis*, non, *vos* habent, & vt, quod sentio dicam, malim ego cum Cicerone *vobis*, quàm cum priscis Cælijs aut Plautis cum quarto casu iungere. *vobis*, reor Curtium dixisse, scribamus ergo deinceps *vobis* fruar, non *vos*, & comicos casus comicis relinquamus.

NON AETATIS SPACIO, SED PERENNITATIS) non quod me moriturum negem, sed quod sciam spacium vitæ breue; gloriæ, famæ & laudis sempiternum, quod vnum ego specto. Si voluissem cessare, & famam negligere, poteram deses & inglorius domi residere, & in voluptatibus ac delicijs consenescere. quamquam persæpe falluntur, qui sibi ipsi longa vitæ somnia potius quàm spacia fingunt. sæpè enim mors inexpectata omnia illorum gaudia abrumpit, & è medio tollit. ego si res à me gestas, & bella, & victorias, quibus meam vitam metior, spectem, diu iam vixi, & plerosque reges qui ætatem ad centum etiam annos propagarunt, factis & rerum gestarum gloria superaui. quod iam ab enumeratione partium ostendit.

ORSVS A MACEDONIA IMPERIVM) Macedonia proprium fuit Alexandri regnum, cuius ex asse fuit hæres, proinde non bellum, sed imperium cœpit à Macedonia.

GRAECIAM TENEO) statim enim à morte patris in Peloponnesum profectus, omniũ (exceptis Lacedæmonijs) votis creatus est Imperator Græcorum aduersus Persas: cumque postea in Thracas, Illyrios, & alios arma moueret, & Thebani interim ab ipso deficerent, reuersus, Thebas excîdit, & totam Græciam in officio continuit. Atque hoc est quod hic dicit, *Græciam teneo*, quod nos in primi libri synopsi exposuimus.

TRIBALLIS, MOEDISQVE IMPERITO) de Triballis etiam in primi libri synopsi dictum. Sed qui hoc loco Medi seu Mædi? (nam litera duplici seu diphthongo vox *Mædi* hîc, vt in editione Coloniensi Allobrogum rectè per æ, Mædi, expressa est, scribenda, non simplici ɛ, vt distinguamus illos à Medis Asiaticis ad mare (aspium sitis) nulla horum Mædorum apud vllos scriptores, qui de Alexandro tradidêre, in Græcia, vel Thracia, vel Macedonia, vel Europa mentio est. Tacet Arrianus, Plutarchus, Siculus, Iustinus, alijsque omnes. Nec tamen, hic gratis posita est ab Curtio. Non tacet hos ipsos Mædos Stephanus περὶ πόλεων. Μαιδοὶ ἔθνος Θρᾴκης πλησίον Μακεδονίας. ἐκ τούτων μεταβάντες τινὲς εἰς Μακεδόνας Μαιδοβίθυνοι ἐκλήθησαν τὸ ἐθνικὸν Μαιδικοὶ καὶ Μαιδική. Cosmographus quoque Ptolemæus in tabulis Europæ, & lib. 3 c. xi. hos laudat: *Versus Macedoniam*, inquit, *& Aegæum mare similiter prætura* (στρατηγίαι) *sunt Mædica, Drosica, Caletica.* Confirmat hic Stephani & Curtij locus valde nostri * Iacobi Saliani sententiam in Ecclesiasticis Annalibus veteris testamenti, qui Mædos hos à Madai tertio Iapeti seu Iapheti filio, Noachi nepote deducit. * Anno. mun di 193. n. 24. p. 175

Nihil ergo Macedonici & Europæi Mædi ad illos Caspianos, quos postea tamen, traiecto Hellesponto & victo Dario, etiam imperio suo subiecit. Non aduertit hoc Glareanus, vt & multa alia præterijt. Erit tamen fortasse, qui volet pro Mædis, Mœsis reponere, Mœsos enim seu Mysios

ſos Pomponius Mela inter Thraces ponit. Ego ſinceram ſcripturam ſeruo, & Medos retineo.

ASIAM QVA HELLESP. QVA RVBRO MARI SVBLVITVR, POSSIDEO) hoc eſt, à finibus Europæ vſque ad Indos & Oceanum. tantum erat ac tam latè patens Darij regnum, vt ipſe l. 4. c. 34. teſtatur: *Terrarum*, inquit, *quas Oceanus hinc alluit, illinc claudit Helleſpontus, paullo ante domini.* & quæ ſequuntur.

HAVD PROCVL ABSVM A FINE MVNDI) Oceano enim ambiri totam terram, ſcripſere Geographi & Hydrographi. Oceanus enim è Gaditano freto & Herculis columnis tanquam è portu ſoluens, circumquaque in immenſum funditur, diuerſas mundi oras, variarum gentium litora, continentem, inſulas, promontoria flexuoſo meatu oberrans, à quibus varia ſortitur nomina.

Conimbr. tract. 8. ad meteor. Ariſt. c. 2.

QVEM EGRESSVS) in India ad meridiem, quæram per Oceanum alia regna, terras, alium orbem.

MOMENTO VNIVS HORAE) traiecto nempe Tanai, qui Europam ab Aſia diuidit. ita exiſtimarunt Macedones, cùm tamen reuera eſſet Iaxartes, vt ſuprà docuimus, non Tanais. Tanais enim in alia parte orbis quà ſeptentrionem ſpectat, diuidit Europam ab Aſia: Helleſpontus autem eandem Aſiam diuidit ab Europa ad Occidentem; Thracia enim ad Helleſpontum, Aſiæ ab Occidente obiecta eſt.

POST NONVM REGNI MEI, POST XXVIII. AETATIS ANNVM) de hac re vide Profuſionum cap. VII. vbi omnes anni, ætatis, & imperij ſunt annumerati.

VIDEORNE VOBIS IN EXC. GL. C. M. V. D. POSSE CESSARE?) corrumperem omnē laudem, prioribus annis collectam, ſi iam ceſſarem, & ignauo me otio dederem.

IN THEATRO TERRARVM ORBIS) Nullus locus tam ignobilis & obſcurus erit, qui mihi non ſit pro ipſo theatro totius orbis, in quo potero virtutem meam exercere. ita faciam, vt propter Alexandrum; locus quantumuis obſcurus & ignobilis, nobilitetur. quemadmodum de Ariſtippo legimus in apophthegmatis * *Is iuſſus aliquando è ſua philoſophia nonnihil dicere, cumq; detrectantem vrgeret Dionyſius, Ridiculum, inquit ſiquidem me, vt de philoſophia loquar, rogas, & quando oporteat loqui ipſe me doces. Senſit hoc ipſum eſſe philoſophi, ſcire quando loquendum ſit, quando tacendum: at qui petit vt audiat aliquid ex philoſophia, declarat ſe philoſophiam à philoſopho velle diſcere: rurſus qui cogit ad loquendum, is videtur ipſo philoſopho doctior, vt qui melius norit loquendi tempus, quàm philoſophus ipſe. Ob hoc Ariſtippi reſponſum indignatus rex, iuſſit illum in conuiuio infimum omniū accumbere. hic Ariſtippus nihil offenſus, Hunc, inquit, locum, ô rex, illuſtrare vis ac honorificum reddere, ſignificans non locum reddere hominem viliorem; ſed ex dignitate hominis, honorem addi loco.*

* p. 198. a. 25.

QVAS NAT. LONGE SVBMOVERAT) A quis diuiſerat. Oceanus enim cum totam terram ambiat, nec omnes adhuc ſint per Oceanum aditæ, quæram illas, & alijs aperiam.

IN HIS OPERIS. EXTINGVI, MIHI PVLCHRVM EST) eſt enim viri fortis, mori antequàm mortem inuocet.

MVLTAM PRIVS QVAM LONG. VIT. DEB OPTARE)

Virtus vbi feſtinat, annos tranſilit.

NONDVM FAEMINAM AEQVAVIMVS GLORIA) de Semiramide, multa nobis dicta * l. 5. c. 4. vbi Babylon cum ſuis miraculis deſcripta. Rurſus l. 5. c. 16. ad illa Curtij verba, *Quippe non alium gentium illarum magis admiratus, quam hunc regem & Semiramin, in quis & magnitudinem animi & claritatem rerum longè emicuiſſe.* Sed hoc loco tria de Semiramide capita æternitatis memoria digna attingit Alexander apud Curtium; Vrbes conditas, gentes bello victas & imperio ſubiectas, alia opera quæ molita eſt. Atque de vrbe principe Aſſyriorum Babylone dictum eſt l. 5. de alijs vrbibus, Diodorus Siculus. *Cæterùm*, inquit, *Semiramis alias etiam vrbes*, poſt Babylonem, *ad Euphraten & Tigrim condidit, vbi emporia illis conſtituit, qui merces è Media & Paratacene totaquè vicinia important.*

* pleraque ibi ob longitudinem inducta, ex auctoribus ipſis petēda ibid. laudatis. Lib. 2. Biblioth.

De gentibus verò quas redegerit in poteſtatem copioſè narrat Siculus: * Aegyptum, inquam, Libyam vſque ad Iouem Hammonem quem adijt, magnam Aethiopiæ partem, Bactra quoque ſubegit, Indis bellum intulit, ſed inde repulſa eſt. Addit & Iuſtinus multa lib. 1. pag. 4. Strabo itē ex Nearcho pag. 472. & 496. Siculus demum etiam admiranda eius ædificia celebrat, p. 99.

* p. 92. & 103.

Plutarchus de fort. Alex. l. 2. *Siquidem ijſdem opibus, eodem imperio freta Semiramis fæmina claſſes inſtruebat, phalangas armabat, Babylones condebat, rubrum denique mare nauigio perluſtrabat, Aethiopiæ atque Arabiæ ſubigendo populos.* Inter opera eiuſdem etiam corporis robur in fæmina admirandum, audaciamque ſummam laudat Aelianus, vt quæ contempſerit leones, & cum ferociſſimis tantum leænis ipſa quoque leæna congreſſa ſit. Aeliani * verba ſunt è Græco tralata, quæ ſimul Perdiccæ leoninum pectus deſcribunt: *Perdiccas*, inquit, *Macedo, qui ſecutus eſt Alexandrum in bellis, vſque adeo fuit audax, vt aliquando in ſpeluncam, leanæ latibulum ſolus introiret. Verùm leænam ipſam non deprehendit, ſed catulos eius ſecum exportauit: & magnam hominum admirationem Perdiccas hoc facto meruit. Etenim non ſolum apud Græcos robuſtiſſimum & bellicoſiſſimum animal leæna putatur*

* li. 12. var. cap. 39. p. 326.

tatur esse, verùm etiam apud barbaros. proinde dicunt Semiramidem Aßyriam, non, si quando leonem cepisset, aut pardalim, similémue feram interfecisset, sed si leanam prehendere potuisset, animum extulisse, sibiq; in eo placuisse.

Subijciam hic ex monumentis Romanis iconem huius immortalis heroidis, vt Lector etiam os fœminæ contempletur, quæ propè omnes viros vicit, victum certè Alexander ab illa se hoc loco professus est.

SEMIRAMIS BABYLONIA.



Plura de hac lib. 5. Multa de eadem fabulosa traduntur, quæ hic omitto. Hoc tamen postremum ex Aeliani l. 7. cap. 1. addo, seu fabula sit seu historia; nam apud nullum alium è veteribus memini legere: recentiores certatim prædicant. *De Semiramide*, inquit, *alij alia dicunt. Ea fuit inter omnes fœminas speciosißima, tametsi remißiùs & negligentiùs formam curabat. Cùm autem venisset ad regem Aßyriorum, vocata propter famam pulchritudinis, ille vbi vidit, statim deperire eam capit. At illa petijt ab rege munus, stolam regiam, Asiaq; imperium ad quinque dies, & eorum, quæ in hoc tempore gererentur, potestatem: neque frustrata est eam petitio. Cùm verò collocasset eam rex super thronum, ipsaq; cognouit in sua omnia esse potestate, & à suo consilio omnia pendere, mandauit satellitibus, vt regem interficerent. Atque sic Aßyriorum imperium obtinuit. refert hac Dinon.* Muretus in 6. Variarum c. 17. vnum duntaxat diem petijsse à Nino imperium scribit, & ille se ex Græcorum commentarijs accepisse id tradit, nec nomen auctoris exprimit. l. 7. c. 1.

SI NIHIL PAR. DVXER. IN QVO M. LOCVS EST) vbicunque rei benè gerendæ locus est, ibi virtus exeri, gloria & fama comparari & augeri poterit.

DOMESTICORVM INSIDIIS) iam sæpè per Attalum, Philotam, Hermolaum, & socios coniurationum intentatis: quibus tamen vltimò Babylone succubuit.

PHILIPPVS IN ACIE TVTIOR, QVAM IN THEATRO FVIT) Redi ad librum 6. cap. 10. vbi Hegelochus ita loquitur: *Quis proauum huius Alexandrum, quis deinde Archelaum, quis Perdiccam, occisos vltus est?* Verum hoc esse quod hic Alexander affirmat, testatur historia sacra & profana, Græca & Romana, atque adeo omnium prope gentium annales, in quibus leges imperatores, reges, principes, ab vxoribus, liberis, cognatis, amicis, familiaribus interfectos. recognosce libros Regum in literis sacris, lege Herodotum, Iustinum, Suetonium, alios sexcentos. Nec id antiquis duntaxat sæculis apud biographos factitatum intelliges, sed in recentiore historia, nostris etiam seculis, & vltimis ferè his annis. Res in promptu est, nec infarciam exemplis per se patentibus chartas: verum enim est, quod dicit Satyricus:

Ad generum Cereris sine cæde & vulnere pauci
Descendunt reges, & sicca morte tyranni.

SI OLYMPIAS MATER IMMORTALITATI CONSECRETVR) si per ἀποθέωσιν referatur in numerum cælestium. sed nihil erat opus illam immortalitati consecrare; consecrauit illam factis suis filius, Alexander inquam, imò & ipsa se ipsam suis factis, vti sub finem libri 10. & vltimi ad illa Curtij verba docebo: *Soboles deinde excepit, interfectis omnibus quicunque Alexandrum etiam longa cognatione contigerant.*

SI ME PRAECEPERIT FATVM) nisi mors consilia mea interceperit & occuparit. Ita M. Tullius loquitur: *Ingenij magni est præcipere cogitatione futura.* Ita Lucretius (Lambino interprete) hac voce vsus l. 6.

L. de offic. n. 114.

Propterea quia nimirum prius æstus vbi aris
Præcepit, ferriq́; vias possedit apertas.

præcipit, id est, præoccupauit, vt probè Lambinus explicat, quamuis nonnulli legant *percepit*, sed melior est scriptura *præcepit*, Lambino etiam probata. Idem supra:

Carbonumq́; grauis vis atque odor insinuatur
Quàm facile in cerebrum, nisi aquam præcepimus antè.

præcepimus, antè hausimus, bibimus. Ita Virgilius, Liuius, & optimi quique scriptores hanc vocem vsurparunt. & huiusmodi deliciæ sermonis Romani fuissent ab Hadrianis, Iunijs, & Schoris obseruandæ.

STATIVA) æstiua, hiberna; statiua sunt militum sedes, quibus per hyemem, per æstum, aut post longa itinera, aut labores conquiescunt, quòd aliquandiu vno in loco resideant & consistant. De quibus suprà etiam ex Vegetio disputauimus lib. 7. cap. 8.

CAPVT XIII.

ARGVMENTVM.

Colonia Græcorum Bactriana deficit, & relictis barbaris Græciam repetit.

HAec dum in India geruntur, Graci milites nuper in Colonias à rege deducti, Carabactra, orta inter ipsos seditione defecerant, non tam Alexandro infensi quàm metu supplicij: quippe occisis quibusdam popularium, qui validiores erant, arma spectare cœperant: & Bactriana arce, qua casu negligentius asseruata erat, occupata, barbaros quoque in Societatem defectionis impulerant. Athenodorus erat princeps eorum, qui regis quoque nomen assumserat, non tam imperij cupidine, quam in patriam reuertendi cum ijs, qui auctoritatem ipsius sequebantur. Huic Bicon quidam nationis eiusdē, sed ob æmulationem infestus, comparauit insidias, inuitatumq́; ad epulas per Boxum quendam Macetanum in conuiuio occidit. Postero die concione aduocata, Bicon, vltro insidiatum sibi Athenodorum plerisque persuaserat. sed alijs suspecta erat fraus Biconis, & paullatim in plures cœpit manare suspicio. Itaque Graci milites arma capiunt, occisuri Biconem, si daretur occasio. cæterùm principes eorum, iram multitudinis mitigauerunt. Præter spem suam Bicon præsenti periculo ereptus, paullò pòst insidiatus auctoribus salutis suæ est: cuius dolo cognito, & ipsum comprehenderunt, & Boxum. Cæterum Boxum protinus placuit interfici, Biconem etiam per cruciatum necari. Iamq; corpori tormenta admouebantur, cùm Graci, incertum ob quam causam, lymphatis similes ad arma discurrunt: quorum fremitu exaudito, qui torquere Biconem iusserant, omisere, veriti ne id facere tumultuantium vociferatione prohiberentur. Ille, sicut nudatus erat, peruenit ad Græcos, & miserabilis facies supplicio destinati in diuersum animos repente mutauit, dimittiq́; eum iusserunt. Hoc modo pœna bis liberatus, cum cæteris qui colonias à rege attributas reliquerunt, reuertit in patriam. Hæc circa Bactra & Scytharum terminos gesta.

GRAECI MILITES) Principium huius capitis confirmat Diodorus * de defectione Græcorum in Colonias apud Bactra & Sogdianos distributorum. *Interea*, inquit, *dum rex complures curationi vulneris dies insumit: Græci per Bactrianam & Sogdianam in Colonias distributi, quod & iam pridem sedes inter barbaros assignatas molestè ferrent, & tunc rumore defuncti ex vulnere regis erigerentur, à Macedonum rege deficiunt: ad tria enim millia confluxerant; qui deinde cùm magno reditum in patriam conatu tentassent, omnes post Alexandri interitum concisi fuerunt.*

* lib. 17. p. 566. in fin.

Ergo

Ergo vt vides, huius defectionis occasio arrepta est ex rumore de morte Alexãdri, cum aliàs etiam ad patriam aspirarent: sed viuo rege nemo audebat se commouere. Quæ sequuntur in hoc capite de Bicone, Athenodoro, Boxo, & tumultu militum sine teste narrantur à Curtio.

CARABACTRA) Ortelius corruptam putat vocem, & *circa Bactra* legendum existimat. Cōstantiensis MS. habet *Garabactra*. Glareanus existimat compositum ex Cara & Bactra, sicut Tyros Palætyros, Paphos, Palæpaphos. Fieri potest, vt dicta sint *noua Bactra* propter coloniam nouam eò deductam. Ortelij tamen coniecturæ fauet, quod Curtius ipse in fine capitis addat: *Hac circa Bactra & Scbytarum terminos.*

OCCISIS QVIBVSDAM POPVLARIVM) Hûc ego locum ita intelligo, Græci partim Macedones, partim è reliqua Græcia regem secuti, & vel ob ætatem vel morbos bello iam inutiles, in colonias circa Bactra & Sogdianos nouas deducti, accepto, de morte Alexandri quamuis falso nuncio, tumultuari cœpére, & ab Alexandro eiusque præfectis deficere; non tam quod regē hunc odissent, quam quod supplicium ob quorundam Græcorum seu Macedonum (omnes enim, ratione barbarorum, populares erant inter se Græci & Macedones) cædem commeritorum formidarent.

Qui validiores ergo ex seditiosis erant, & pœnas metuebant, arma sumserunt arcemque Bactrianam in ipsis Bactris sitam, negligentiùs, quod custodes nullum externum hostem timerent, custoditam occuparunt, & ipsos Bactrianos, seu Bactris, seu in arce Bactriana Græcis & Macedonibus mixtos, seditiosi, in societatem belli & defectionis ab Alexandro impulerunt. Factiones erant duæ: alterius dux Athenodorus, qui cum suis patriam spectabant, & regis nomen tantisper assumserat, vt haberent seditiosi, quem maiori auctoritate sequerentur: alterius Bicon itidem Græcæ nationis (nam Athenodorum Græcum fuisse ipsa vox docet, & cùm Bicon eiusdem nationis fuerit, Græcum fuisse oportet. Hic Athenodoro regium nomen & dignitatem, quam ipse affectabat, inuidebat, quem tamen, odio per suorum fraudem dissimulato, per speciem amicitię ad conuiuium vocatum, inter ipsas epulas, per quendam barbarum gente Macerianum, Baxum nomine, adortus interfecit. Iam quæ ad finem vsque capitis sequuntur, satis liquent.

Hæc mihi visa Curtianæ narrationis sententia à principio huius capitis vsque ad illa: *postero die*. Paullò aliter Glareanus hunc locum in quadam animaduersione explicauit, cuius verba adscribo: *Illud*, inquit, *quod sequitur magis considerandum, Quippe occisis*, inquit, *popularium, qui validiores erant. τὸ popularium, Bactrianósne an Græcos sui corporis referat, obscurū est. Sunt, qui ita ordinē faciunt: Et occisis quibusdam, cœperunt spectare arma popularium, qui validiores erant. vt genitiuum popularium, regatur ab accusatiuo*, arma. *Quando Diodorus nono anno clarè scribat, Græcos milites in Bactris contra Macedonas insurrexisse: videntur enim ex Macedonibus quosdam occidisse, & cum scirent hoc non impunè fore, conati sunt ad se allicere populares, hoc est, Bactrianos, qui validiores erant, quàm Alexandri præsidium. idq; declarat manifestiùs arx occupata. Huic dubitationi haud dissimile est, quod post quinq; aut sex versus sequitur, Huic Bicon, inquit, quidam nationis eius. τὸ eius, amphibolon Bactrianæne an Græca.* Hæc Glareanus. Ego nihil dubito, quin per vocem *populares* Græci, siue illi Macedones, siue è reliqua Græcia essent, sint accipiendi, nō Barbari aut Bactriani. Nec verum est quod ex Diodoro affirmat Glareanus, Græcos milites in Bactris contra Macedones insurrexisse; hoc non docet Diodorus, sed ait, Græcos colonos in Bactrianis à rege Macedonum defecisse. Inter colonos autem erant tàm Macedones, quàm alij Græci, & tam Macedones ipsi quàm alij Græci patriā spectabant, vt suprà audisti, vbi recusabant regem vltra Hypasin & Gangem sequi; *vbi*, inquit, *illo meorum Macedonum vultus non agnosco vos milites*. Idem apparet ex libri 10. c. 6. Nec de Bicone vlla dubitatio, quin fuerit Græcus, non barbarus, cùm eiusdem cum Athenodoro nationis eum fuisse Curtius affirmet.

num. 169.

lib. 9. c. 13.

MACERIANVM) Martianum putat legendum Glareanus, quod Marciani Medi essent. Omnia exemplaria habent Maceriani. Vnde ego conijcio à Macis dictos Macerianos, secundamque syllabam diphthongo αι, & latinè æ scribendam. Stephanus Μάκαι ἔθνος μεταξὺ καρματίας (scribo καρμανίας) καὶ Ἀραβίας *Maca populus inter Carmaniam & Arabiam*. Carmani autem Indi sunt.

VLTRO SIBI INSIDIATVM) summæ improbitatis exemplum, cuiusmodi multa leguntur.

PER CRVCIATVM INTERFICI) ita meritus erat, si vera narrat Curtius.

POENA BIS LIBERATVS) primò per principes Græcorum, quibus mox consceleratus homo pro gratia sibi facta summoque beneficio, necem inferre, vt Athenodoro, conatus est. deinde per tumultum panicum Græcorum, liberatus.

REVERTIT IN PATRIAM) Diodorus * contrà, omnes post Alexandri mortem concisos affirmat.

* l. 18. pag. 592. & seq.

* * *

CAPVT XIV.

ARGVMENTVM.

Oxydracæ & Malli gentes se dedunt regi. Legati adhibentur conuiuio. Dioxippus prouocatus duello aduersarium vincit; furti per inuidiam falsò insimulatus in se manus vertit.



Nterim regem duarum gentium (de quibus ante dictum est) C. legati adeunt. Omnes curru vehebantur, eximia magnitudine corporum, decoro habitu: lineæ vestes intexta auro, purpuraq́ distincta. Et se dedere, ipsos vrbes agrosq́ referebant, per tot ætates inuiolatam libertatem illius primùm fidei ditioniq́ permissuros. deos sibi deditionis auctores, non metum: quippe intactis viribus iugum excipere. Rex consilio habito deditos in fidem accepit, stipendio, quod Arachosiis vtraq; natio pensitabat, imposito. Præterea II. millia & D. equites imperati: & omnia obedienter à barbaris facta. Inuitatis deinde ad epulas legatis gentium, regulisq́ exornari conuiuium iussit. Centū aurei lecti modicis interuallis positi erant. lectis circūdederat aulæa purpura auroq́ fulgentia quidquid aut apud Persas vetere luxu, aut apud Macedonas noua immutatione corruptum erat, confusis vtriusq́ gentis vitiis, in illo cõuiuio ostendēs. Intererat epulis Dioxippus Atheniensis, pugil nobilis. & ob eximiam virtutem virium regi pernotus & gratus. Inuidi maligniq́ increpabant per seria & ludum, saginati corporis sequi inutilem beluam. cùm ipsi prælium inirent, oleo madentem præparare ventrē epulis. Eadem igitur in conuiuio Horratas Macedo iam temulentus exprobrare ei cæpit, & postulare vt si vir esset, postero die secum ferro decerneret: regē tandē vel de sua temeritate, vel de illius ignauia iudicaturum. & à Dioxippo contemtim militarem eludente ferociā accepta conditio est. Ac postero die rex, cùm etiam acriùs certamē exposcerent, quia deterrere non poterat, destinata exsequi passus est. Ingens hîc militū, inter quos erant Græci qui Dioxippo studebant, conuenerat multitudo. Macedo iusta arma sumserat, æreū clypeū, hastam, quam sarissam vocāt laua tenens; dextra lanceā, gladioq́ cinctus velut cū pluribus simul dimicaturus. Dioxippus oleo nitēs & coronatus, læua puniceū amiculum, dextra validum nodosumq́ stipitē præferebat. Ea ipsa res omnium animos expectatione suspēderat, quippe armato congredi nudum, dementia, non temeritas videbatur. Igitur Macedo haud dubius eminus interfici posse, lāceam emisit, quā Dioxippus cùm exigua corporis declinatione vitasset, antequā ille hastam transferret in dextrā, assiluit, & stipite mediā eā fregit. Amisso vtroq; telo Macedo gladiū cæperat stringere, quē occupatum complexu pedibus repentè subductis, Dioxippus arietauit in terram, ereptoq; gladio pedem super ceruicem iacentis imposuit, stipitem intentans elisurusq; eo victum, ni prohibitus esset à rege. Tristis spectaculi euentus non Macedonibus modò, sed etiā Alexandro fuit. maximè quia Barbari affuerant. quippe celebratā Macedonū fortitudinē ad ludibriū recidisse. Hinc ad criminationem inuidorum adaperta sunt regis aures. & post paucos dies inter epulas aureū poculū ex composito subducitur, ministriq; quasi amisissent quod amouerāt, regem adeunt. Sæpè minus est constantia in rubore, quàm in culpa. Coniectū oculorū quibus vt fur destinabatur, Dioxippus ferre non potuit. Et cū excessisset conuiuio, literis conscriptis quæ regi redderentur, ferro se interemit. Grauiter mortem eius tulit rex, existimans indignationis esse, non pœnitentia testem. vtiq; postquam falso insimulatum eum, nimium inuidorum gaudium ostendit.

DVARVM GENTIVM, DE QVIBVS ANTEA DICTVM EST C. LEGATI ADEVNT) Duas præclaras cõtinet res hoc caput, honorificentissimam Oxydracarum & Mallorum (nam illæ duæ sunt gentes, de quibus antea dictū erat) legationem ad Alexandrum, qua se & gentes suas illi dediderunt. alterum est eximium duorum athletarum duellum, Horratæ Macedonis & Dioxippi Atheniensis. de legatione primum videamus.

CENTVM LEGATI) pertinebat hoc & ad gentium dignitatem, & regis maiestatem. Arrianus his addit quinquaginta. Raro tam splendidam, & illustrem, & numerosam, ac cum tanta pom-

pa

pa institutam legationem reperies. Virgilius tamen magnificam adornat Aeneæ legationem ad regem Latinorum:

Tum satus Anchisa delectos ordine ab omni 7. Aeneid.
Centum oratores augusta ad mœnia regis
Ire iubet, ramis velatos Palladis omnes,
Donaq; ferre iubet, pacemq; exposcere Teucris.

OMNES CVRRV VEHEBANTVR) hoc quoque auctoritatem legatorum augebat, quando curru, quasi triumphabundi magnifico corporum etiam grādium cultu exornati, velut reges, nō supplices vt victi, aut rei, aut arma Alexandri metuentes regē adierunt. Porrò deditionis caussam negabant metum, quod nempè adhuc vires gentium essent integræ & inuiolatæ, nō infractæ aut debilitatæ. Sed deos ipsos sibi auctores esse, vt gentes suas Alexandro tanquam nouo deo ad eos à superis misso dedant, totosq; ei se permittant, quamuis nulli vnquam antea seruijssent, aut cuiusquam se iugo subijssent. De eadem legatione Arrianus p.132 133.

STIPENDIO, QVOD ARACHOSIIS VTRAQVE NATIO PENSITABAT, IMPOSITO) si Malli & Oxydracæ Arachosiorum stipendiarij fuere, quomodo libertatem per tot ætates inuiolatam laudabant? certè qui alteri stipendium pendit, illius seruus est. Inde apud Varronem stipendiarij populi, qui stipem, id est, stipendia & æs militare pendebant. Hinc Ennius:

——— *Pœni stipendia pendunt.*

Cicero etiam in Verrem, Hispanis & plerisq; Pœnorum, vectigal stipendiarium dicit impositū. Malli ergo & Oxydracæ, Arachosiorum serui stipendiarij fuêre? stipendiarij quidē fuêre, sed nō serui, nec regem vllum, nec magistratum extra suā gentem agnouêre, nec ipsi vni alicui parebāt, sed rempub. liberā habuêre, suisq; legibus viuebant, quamuis Arachosiorum Imperium agnoscerent, illisq; stipendia penderent, vt Pœni Romanis, qui tamen nullum ex Romanis vel prætorem, vel præsidem prouinciæ, vel proconsulem ad excidium vsque suum admisêre. Sed Mallos & Oxydracas tutelæ potius caussa aliquid dependisse crediderim Arachosijs, alioqui prorsus liberos, vt apud Heluetos pagus Gersauianus est nemini mortalium subiectus, qui tamen Schvvizeris pēdit aliquid non subiectionis, sed protectionis, vt vocant, hoc est, tutelæ nomine. Gersau.

EXORNARI CONVIVIVM IVSSIT) Diodorus nulla facta legatorum mentione, tantum ait magnificas epulas instructas, Athenæus verò l.1. dipnosophist. *Sedebant*, inquit, *in cœnis heroës, non accumbebant, qui mos, vt inquit Duris, etiam interdum seruabatur apud Alexandrum regem. Is enim aliquando quadringentos duces in sellis aureis & argenteis, veste purpurea stratis, sedentes ac reclinatos, conuiuio excepit* Curtius tamen lectis recubuisse hic tradit. Et Athenæum reor de Susianis nuptijs locutum, quamquā de illis ipsis infrà disertè loquatur, & illius conuiuij nuptialis magnificētiam & pompam multis verbis describat. quem locum l. 10. ad Curtium adseremus. Arrianus de hoc præsenti conuiuio nullum verbum, vti nec Plutarchus, nec Iustinus.

DIOXIPPVS ATHENIENSIS) hunc Athenæus in VI. παγκρατιαϛὴν quinquertionem appellat, Ἀριϛόβυλός, inquit, φησὶν ὁ κασσανδρεὺς διώξιππον τὸν Ἀθηναῖον παγκρατιαϛὴν τρωθέντος ποτὲ τῦ Ἀλεξάνδρυ καὶ αἵματος ῥέοντος εἰπεῖν

ἰχὼρ οἷός πέρ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσι.

Aristobulus Kassandreus refert, Dioxippum Atheniensem quinquertionem, cum vulneratus aliquando fuisset Alexander, manante sanguine dixisse:

Est sanguis qualis Diuis fluit ipse beatis.

Aelianus de eodem: *Dioxippus pugil Olympionices Atheniensis, cum more pugilum Athenas introiret eques, magnaq; hominū multitudo confluerет, atq; alius aliunde spectandi cupiditate dependeret, in ijs fœmina forma decentissima visum accurrerat. Quā videns Dioxippus subitò pulchritudine victus, indesinenter fixos in mulierem oculos habuit: conuersusq; & vultu in plurimas colores mutata, animaduersus est ab omni multitudine non oscitanter neq; otiosè fœminā contemplari maximè verò hunc eius affectū redarguit Diogenes Sinopensis. Etenim aureum speculū aperit Corinthij vendebatur, in quo ille (demōstrato pugile) dicebat ad proximas: En pugilem vestrum magnum, quemadmodum puella ei ceruicem confringit.* l.12.c.58. p.342.

Plinius l.35.c.11. Dioxipppum hunc ab Alcimacho depictum laudat, qui pancratio Olympiæ citra pulueris iactum, quod vocant ἀκονιτὶ, vicit.

Fuit & alius Dioxippus Atheniensis Comicus, de quo Suidas.

PVGIL NOBILIS) de pugilatu, qui fuit inter gymnica certamina, multis passim locis Petrus Faber in Agonisticis, Mercurialis de arte gymnastica l.2.c.9 De pugilato, & pancratio, & cestibus inscripto. Alexander odit hoc genus certaminis, vt in vita eiusdem docet Plutarchus.

HORRATAS MACEDO) sequitur descriptio nobilis duelli inter Horratā & Dioxippum, in quo Dioxippus cum ingenti Græcorū applausu & Macedonū rubore victor è certamine discessit. Hanc narrationem videtur Curtius propè ad verbū descripsisse è Siculo & latinè vertisse. Siculū ipsum adi cum interprete, apud quem Horratas audit Coragi, seu Corragi, sicut & apud Aelianū. pag.567.

Aelianus à Dioxippo omninò interfectū ait, *Dioxippus*, inquit, *in Alexādri Macedanumq; presētia, correpta claua, Corragum armatum ex Macedonibus ad certamē prouocauit: & cum ei hastā excussisset,*

vt rapuit hominem cum armis,& iacentis collũ calcauit.strictoq; gladio ipsum,quo cinctus erat,armatum interemit quamobrem Alexander illum odio habuit, quod cum videret, animum despondit,& tristitia mœroreq; confectus,viuere desiit.

DIOXIPPVS OLEO NITENS ET CORONATVS) Luctatores, & pancratiastæ potissimum vngebantur,non item pugiles,aut cursores,vt docet Mercurialis l.1.c.8. Faber tamen etiã pugiles ait inunctasgestasse vestes,sed nõ nisi ad subligaculum aut campestre, vocẽ vestis refert li.2.c.2. nudum certè ait Dioxippum Curtius fuisse, nisi nudum exponas inermem comparatione Horratæ,coronatus autem,veluti vel prioribus olim certaminibus victor, vel quasi certus de futura etiam cum Horrata victoria. De coronis multa Faber in Agonisticis.

Köstenbraun. PVNICEVM) phœniceus castanearum colorem imitatus,spadix ad rubrum accedit, & est inter atrum & rubrum medius.

EXIGVA CORPORIS DECLINATIONE) Cicero in Catilinam prima: *quot ego petitiones tuas ita coniectas,vt vitari non posse viderentur,parua quadam declinatione,& vt aiunt,corpore effugi!*

QVEM OCCVPATVM) in stringendo gladio. dum vagina educere conaretur gladium, anteuertit,arreptumque subductis & elisis pedibus deiecit in terram.

ARIETAVIT IN TERRAM) elegans metaphora. apud Ciceronem *In Bruto Accij ita loquitur*

1. de diuin. Tarquinius Superbus:

Visum est in somnis pastorem ad me appellere,
Duos consanguineos arietes inde eligi,
Pecus lanigerum eximia pulchritudine:
Deinde eius germanum cornibus conniti in
In me arietare,eoq; ictu me ad casum dari:
Exin prostratum terra grauiter saucium
Resupinum,in cœlo contueri maximum
Ac mirificum facinus ———

Virgilius quoque vsus est hac voce XI. Aeneid. extremo:

Pars in præcipites fossas vrgente ruina
Voluitur:immissis pars cæca,& concita frenis
Arietat in portas,& duros obijce postes.

ELISVRVSQVE EO VICTVM, NI PROHIBITVS ESSET A REGE) Aelianus omninò interfectum ait. Siculus cum Curtio facit. Aelianus, ex eo, refert, Dioxippum Alexandro inuisum fuisse, tum luctu & mœrore confectum interijsse. alia omnia, vt sequitur, Curtius & Diodorus.

AC CRIMINATIONES INVIDORVM) sequuntur arcesaulicæ, quibus petitus & circumuentus Dioxippus perijt, vt antea Sisenes, & posteà Orsines. Nec est exitiosior pestis per aulas imperatorum, regum, principum grassari passim sueta.

SAEPE MINVS EST CONSTANTIAE IN RVBORE, QVAM IN CVLPA) inde gnoma apud Gruterum ex his verbis concinnata.

Sæpius minus in rubore est, quàm in culpa constantia.

Maior sæpè rubor & verecundia inest innocentibus, quàm peccantibus & nocentibus, vt si idem flagitium objicias castæ virgini & prostibulo, quia illi insolens est eiusmodi criminatio; hęc iam antè depuduerat.

NON POENITENTIAE TESTEM) cum adhuc nesciret innocentem fuisse, & per improborum inuidiam circumuentum.

INDIGNANTIS) indignè ferentis, quod notaretur digito propter sublatum aureum poculum, cùm plus meritus videatur. Ita Alexander interpretabatur voluntariã Dioxippi cædẽ, priusquam eius innocentia deprehensa esset, quam aperuit gaudium improborum ex morte innocentis captum.

CAPVT XV.

ARGVMENTVM.

Gentium duarum legati dimissi & reuersi ferunt mũnera. Rex varias gentes & oppida expugnat.



Ndorum legati dimissi domos paucis post diebus cum donis reuertuntur, CCC. erant equi, mille XXX. currus, quos quadriiugi equi ducebãt. Lineæ vestis aliquantum, mille scuta Indica, & ferri candidi talenta centum, leonesq; raræ magnitudinis, & tigres, vtrumq; animal ad mãsuetudinem domitum; lacertarum quoq; ingentium pelles, & dorsa testudinũ. Cratero deinde imperat rex, haud procul amne per quẽ erat ipse nauigaturus, copias duceret. Eos autem, qui comitari eum solebãt,

imponit

*Imponit in naues, & in fines Mallorum secundo amne deuehitur. Inde Sabracas adijt va-
lidam Indiæ gentem, quæ populi, non regum Imperio regebatur; LX. millia peditum habe-
bant, equitum VI. millia: has copias currus D. sequebantur. tres duces spectatos virtute
bellica elegerant. at qui in agris erant proximi flumini (frequentes autem vicos maximè
in ripa habebant) vt videre totum amnem, quà prospici poterat, nauigijs constratum, &
tot militum arma fulgentia territi noua facie, deorum exercitum, & alium Liberum pa-
trem, celebre in illis gentibus nomen aduentare credebant. Hinc militum clamor, hinc re-
morum pulsus, variaque nautarum voces hortantium pauidas aures impleuerant. Ergo
vniuersi ad eos qui in armis erant, currunt, furere clamitantes, & cum dijs prælium ini-
turos nauigia non posse numerari, quæ inuictos viros veherent. tantumque in exercitum
suorum intulere terroris, vt legatos mitterent gentem dedituros. His in fidem acceptis ad
alias deinde gentes quarto die peruenit. Nihilo plus animi his fuit, quàm cæteris fuerat.
Itaque opido ibi condito, quod Alexandriam appellari iusserat, fines eorum qui Musica-
ni appellantur, intrauit. Hic de Terioltе Satrapa, quem Paropamisadis præfecerat, ijsdem
arguentibus cognouit, multaque auarè ac superbe fecisse conuictum interfici iussit. Oxa-
tres prætor Bactrianorum non absolutus modò, sed etiam amplioris imperij donatus est
finibus. Musicanis deinde in ditionem redactis, vrbi eorum præsidium imposuit. Inde
Prallos & ipsam Indiæ gentem peruentum est. Porticanus rex erat, qui se munita vrbi
cum magna manu popularium incluserat. Hanc Alexander tertio die quàm cœperat obsi-
dere, expugnauit: & Porticanus cùm in arcem confugisset, legatos de conditione deditio-
nis misit ad regem. Sed antequam adirent eum, duæ turres cum ingenti frago-
re prociderant, per quarum ruinas Macedones euasere in arcem, quæ capta Porticanus
cum paucis repugnans occiditur. Diruta igitur arce, & omnibus captiuis venundatis, Sa-
mi regis fines ingressus est: multisque opidis in fidem acceptis validissimam gentis vrbem
cuniculo cepit barbaris simile monstri visum est rudibus militarium operum: quippe in *xxc. M.
media ferme armati è terra existebant, nullo suffossi specus ante vestigio facto. * DCCC.
Indorum in ea regione cæsa Clitarchus est auctor, multosque captiuos sub corona venisse.
Rursus Musicani defecerunt, ad quos opprimendos missus est Phyton, qui capium princi-
pem gentis, eundemque defectionis auctorem adduxit ad regem. Quo Alexander in cru-
cem sublato, rursus amnem in quo classem expectare se iusserat, repetit. quarto deinde die
secundo amne peruenit ad opidum, quod in regno erat Sami. Nuper se ille dediderat, sed
opidani detrectabant imperium, & clauserant portas: quorum paucitate contemta rex
D. Agrianos mœnia subire iussit. & sensim recedentes elicere extra muros hostem, secu-
turum profectò si fugere eos crederet. Agriani (sicut imperatum erat) lacessito hoste su-
bitò terga verterunt: quos barbari effuse sequentes, in alios, inter quos ipse rex erat, inci-
dunt. Renouato ergo prælio ex III. millibus barbarorum DC cæsi sunt, mille capti, ceteri
mœnibus vrbis inclusi. Sed non vt prima specie læta victoria ita euentu quoque fuit: quip-
pe barbari veneno tinxerant gladios; itaque saucij subinde expirabant: nec caussa tam
strenuæ mortis excogitari poterat à medicis, cùm etiam leues plagæ insanabiles essent.
barbari autem sperauerant, incautum & temerarium regem excipi posse. & fortè inter
promtissimos dimicans, intactus tamen euaserat. Præcipuè Ptolemæus læuo humero leuiter
quidem saucius, sed maiore periculo quàm vulnere affectus, regis sollicitudinem in se con-
uerterat sanguine coniunctus erat, & quidam Philippo genitum esse credebant: certè pel-
lice eius ortum constabat. Idem corporis custos promtissimusque bellator, sed pacis artibus
quàm militia maior & clarior, modico ciuilique cultu liberalis imprimis. aditu que facili,
nihil ex fastu regio assumserat: ob hæc regi an popularibus clarior esset, dubitari poterat.
tùm certè primùm expertus suorum animos, adeò vt fortunam in quam postea ascendit,
in illo periculo Macedones ominati esse videantur: quippe non leuior illis Ptolemæi fuit
cura quàm regis; qui & prælio, & sollicitudine fatigatus, cum Ptolemæo assideret, lectum
in quo ipse acquiesceret, iussit inferri. in quem vt se recepit, protinus altior insecutus est
somnus. ex quo excitatus, per quietem vidisse se exponit speciem draconis oblatam her-
bam ferentis ore. quam veneni remedium esse monstrasset colorem quoque herbæ refere-
bat, agniturum, si quis reperisset affirmans, inuentamque deinde (quippe à multis simul
erat requisita) vulneri imposuit, protinusque dolore finito, intra breue spatium cicatrix*

quoque obducta est. barbaros vt prima spes fefellerat, se ipsos vrbemque dediderunt. hinc in proximam gentem Pathaliam peruentum est. Rex erat Maris, qui vrbe deserta in montes profugerat. itaque Alexander opido potitur, agrosque populatur. magna inde præda acta sunt pecorum armentorumque, magna vis reperta frumenti.

MILLE XXX. CVRRVS) Arrianus quingentos tantùm numerauit. nemo tam accuratè dona Mallorum & Oxydracarum expressit, quàm Curtius. Diodorus omnia tacuit, nec apud Plutarchum vlla mentio. Arrianus generatim dona, quæ apud Indos amplissima censentur, allata dicit.

QVADRIIVGI) In morem triumphantium iuncti in vno versu, non bini se mutuo sequentes, vt hodie fit.

LINEAE VESTIS) de lino Indico suprà dictum cap. 17. l. 8.

MILLE SCVTA INDICA) Arrianus in Indicis: In sinistra, inquit, peltas ex crudo corio bubulo, angustiores, quam ij qui eas gestant, longitudine propè æquales.

FERRI CANDIDI TALENTA CENTVM) sexaginta millia aureorum efficiunt centum talenta argenti, miserunt autem tantum candidi ferri, vt tantam summam efficeret, quę quidem summa parua esset, si nihil aliud misissent. Sed reor tanti æstimatum, quanti aurum. candidum

* lib. 34. p. 818. porrò aut natura fuit eiusmodi, aut arte factum & politum. Sericum optimæ notæ Plinius affirmat * apud Seres Indos erutum. *Ex omnibus autem generibus*, inquit, *palma Serico ferro est*. Iu-

* Vide Excerpta ex Ctesia post Herodotũ p. 658. edit. Francof. risconsultis l. fin. §. species ff. de pub. appellatur ferrum Indicum. *De ferro*, inquit, Ctesias * *quod in fundo huius fontis extat: ex quo duos gladios se habuisse dicit ipse Ctesias, vnum à rege, alterum à regis matre Parysatide donatum. Id ferrum si in terram defigatur, nebulas & grandines turbinesque auertere: & se ipsum hæc vidisse, rege bis periculum faciente, commemorat*. Plinius lib. 34. c. XIV. de natura ferri toto capite disputat, & Sericum maximè laudat, sed de candido, quod meminerim, nihil. De ferri natura, vsu, præstantia, expoliendi modo librum singularem composuit Nicolaus Monradus.

L. 15. p. 483. vel p. 806. TIGRES) de leonibus dictum suprà c. 5. de tigridibus Strabonem paucis audi. *Megasthenes auctor est, Tigres apud Prasios gigni, magnitudine duplos ferè ad leonem, adeo robustos, vt vnus de mansuetis à quatuor hominibus ductus, mulum posteriore pede apprehenderit, atq; ad se pertraxerit*. Plinius toto capite 18. l. 8. Gesnerus de animalibus.

VTRVMQVE ANIMAL AD MANSVETVDINEM DOMITVM) de domitis tigribus multa à nobis dicta ex Aeliano, & alijs, ad XVII. epigramma Martialis lib. Spectac.

Lambere securi dextram consueta magistri
Tigris, ab Hircano gloria rara iugo.

De leone dictum etiam spectac. ep. 9. Et lib. 1. epig. de omnis ferè generis domitis feris.

ep. 105. seu 84.
Picto quòd iuga delicata collo
Pardus sustinet, & quæ sequuntur.

Sed tu Gesnerum consule, hæc omnia copiosè pertractantem de animal. quadripedibus.

* l. 8. c. 39. LACERTARVM QVOQVE INGENTIVM PELLES) In Nysa Indiæ monte Plinius * lacertas ait longitudine 24. pedum reperiri. Tradit etiam Gesnerus quædam ex Bellonio.

DORSA TESTVDINVM) concharum, conchyliorum, testudinum, ostreorum, ostracodermatum, testarum, cochlearum tanta est varietas, vt propè innumeræ horum sint formæ & discrimina. terga horum & cutes, & testacea operimenta Curtius vocat dorsa, quorum haud dubiè ingens numerus est Alexandro collatus, vt regi admirationem mouerent. accedebat magnitudo & varietas testarum, de quibus toto lib. 3. copiosissimè Vlysses Aldrouandus de Testaceis, vbi & iconas ferè sexcentas testudinum & ostreorum expressit, quæ Dei ipsius infinitam sapientiam

* l. 9. c. 10. p. 211. potentiam & prouidentiam ostendunt. Tu tantùm * Plinij locum de Indicis testudinibus inspicias, vt rem Alexandro & posteritatis admiratione dignam credas, ab Oxydracis & Mallis muneris & honoris nomine repræsentatam.

HAVD PROCVL AMNE) Indo ex Curtij sententia, iam Hydaspe & Acesine aucto, vt su-

* p. 133. prà cap. 8. docuerat. Sed * Arrianus, (cui facilè hic subscribas) per amnem Hydraotem a Mallis nauigasse, donec veniret ad confluentem Acesinis & Hydraotis, tum perrexisse donec ad Indi & Acesinis confluentem appelleret.

IN FINES MALLORVM) nam omnia ante hac gesta apud Oxydracas Curtius acta docuit, cùm, vt monui, alij apud Mallos facta affirmarint.

a pag. 132. SABARACAS) Agastanos Arrianus a appellat, Sambestas Diodorus, b qui de his plura.

b pag. 568. Plutarchus pro more suo nihil enucleatè in hoc genere, *cùm dijs*, inquit, *sacrificia fecisset, iterũ conscendit naues. In transitu latum tractum, vrbesque amplas domuit.*

LX. MILLIA PEDITVM. VI. EQVITVM) perscriptum fuerat antea mendosissimè VI. millia peditum, VIII. millia equitum. quomodo cum VI. millibus peditum, & octo millibus equitum, hoc est, quatuor decem millibus contra centum viginti millia ducentem, & victorem gentium ausi fuissent non dicam dimicare, sed vel è longinquo comparere? Ex Diodoro igitur, quem plerunque sequitur Curtius, rescribo, LX. *millia peditum*, VI. *millia equitum*, vt peditũ numero ex proportione etiam equitum numerus respondeat.

TOTVM AMNEM NAVIGIIS CONSTRATVM) nõ amnem tantum, sed ripas etiam, vt Diodorus testatur, milite occupatas, qui secundum ripas armatus incedebat.

LIBERVM PATREM) nihil de hac re alij, & videtur commentum Curtij, sed opportunum & probabile, si non verum.

AD ALIAS DIE QVARTO PERVENIT) ad Sodras & Massanos, vt est apud Siculum, Sogdas apud Arrianum, non Sogdianos; quibus Ossadios addit liberos quoque populos.

OPIDO IBI CONDITO QVOD ALEXANDRIAM APPELL. IVSSERAT) testes Siculus & Arrianus, quamuis hic nomen non exprimat.

MVSICANI APPELLANTVR) Musicani vergunt maximè ad Austrum, vt ait Strabo. Ptolomæus Susicanam regionem vocat. Regnum & regionem ex Onesicrito, laudat Geographus in XV. vbi & gẽtis mores & terræ ingenium describit, quæ tibi ex illo reddo: *Multum est*, inquit* Strabo, *in Musicani terra commendanda, nonnulla incolis eius cum alijs Indis communia memorans, vt de longitudine vitæ quod centum & triginta viuant annos. nam & Seres his longæuiores dicuntur. Item de vitæ frugalitate & salubritate, quanquam regio rebus omnibus abundet. Id eis proprium est, quod Laconicorum in morem Syssitiorum cibum in publico capiunt. item, quod opsonium venatione quærunt: & auro & argento non vtuntur, quanquam metallis abundent. Item quod adolescentibus ætate integris loco seruorum vtuntur, quemadmodum Cretenses Aphamiotis, & Lacones Helotibus vtebantur. Item, quod nullas artes exquisitè discunt, præter medicinam, nam in quibusdam nimium exerceri, vt in bellicis ac similibus, maleficium putant. Ac quod iudicium ijs non est nisi cædis & contumeliæ, cùm homo præstare non possit, ne ijs afficiatur: quæ verò in contractibus fiunt, ea sint penes vnumquemque, ideo ferendum esse, si quis fidem violarit: sed videndum cui credatur, & non implendam esse vrbem controuersijs.* Et suprà ex Aristobulo: *In Musicani regione frumentum sponte nasci tritico persimile ait, itemque vites viniferas, cùm cæteri vino carere Indiam dicant, adeò vt nec ibi tibia sit, vt Anacharsis aiebat, nec vllum aliud musicum instrumentum præter cymbala & tympana & crepitacula, quibus vti præstigiatores soient.*

Non est Malaca aut aurea Chersonesus vt Ortelius tradit.

*p. 482. vel pag. 804.

p. 478. vel pag. 798.

MVSICANIS IN DITIONEM REDACTIS) coniungam quæ ad Musicanos pertinent: postea regrediar ad ea, quæ inferuntur de Teriolte & Oxatre Satrapis. De Musicano rege & Musicanis planè contraria narrant Arrianus & Siculus. Curtius neutri repugnat, sed generatim dicit vrbi Musicanorum præsidium impositum. Diodorus *a* Musicanum interfectum ab Alexandro, *b* Arrianus non solum vita donatum, sed regno restitutum ait. Siculus autem tribus verbis: *Hinc ad Musicani regnum peruenit, quem captum interemit & gentem suæ ditionis fecit.* Poterunt tamen scriptores hi inter se reconciliari. Nam quod vno verbo Diodorus ait captum & interemtum, hoc postea testatur Arrianus, cùm Musicanum regno suo restitutum ab Alexandro defecisse narrat, captoque gulam laqueo fractam. *Dum hæc geruntur*, inquit Arrianus, *Musicani defectio nunciatur, quapropter Pythone Agenoris filio, satrapa, cum idoneo exercitu in eum misso, ipse vrbes Musicano subditas adortus, alias direptas subuertit, alijs præsidia imposuit, arcesque in ijs extruxit. His gestis ad castra & classem rediit, quò Musicanus à Pythone captus adducitur: Alexander illum in sua regione laqueo suspendi iubet, vnaque cum eo quotquot Brachmani Musicanum ad defectionem instigarant.*

a pag. 569.
b pag 134.

HIC DE TERIOLTE) Variè corruptum est huius satrapæ nomen, sicut & ipse varijs superbiæ, auaritiæ, improbitatis vitijs corruptus erat, & eo nomine etiam interfectus fuit, vt Curtius testatur; abdicatus tantùm, vt Arrianus docet, qui Tiryestem velut alterum Thyestem appellat. editiones antiquiores Curtianæ Desteriolem.

MVLTAQVE AVARE ET SVPERBE FECISSE) oratoria & accusatoria formula. Cic. in Verrem.

PAROPAMISADIS) De his suprà c. 4. l. 7. sed nihil de Teriolte.

OXATRES PRAETOR BACTRIANORVM) crediderim hunc socerum fuisse Alexandri, propter Roxanem filiam, de quo lib. 10. c. 6. *Ipse Oxatris Persæ filiam mecum in matrimonio iunxi.* Sed lib. 8. c. 10. videtur Cohortanum patrem Roxanes nominasse. quanquam ibi hiatus est in Curtio, & nomen Oxatris desideratur.

Arrianus hoc loco Tiryestæ subiungit Oxyartem Paropamisadis prætorem datum. & Curtius dicit non solùm absolutum, sed maiore dynastia donatum. Bactrianis ergo & Paropamisadis præfuit, & post Alexandri mortem solis Paropamisadis, & qui Caucaseis montibus subiecti sunt, vt est apud Dexippum. Addit rursùm infrà hoc ipso loco Arrianus totius regionis, quæ à confluentibus Acesinis ad Indi ad mare vsque pertinet Oxyartem & Pythonem satrapas constitutos. Est & alius Oxathres Darij frater, quem suprà non semel laudauimus, inter amicos Alexandri rescriptus.

INDE PRAESTOS) Confundunt aliqui hos Præstos cum Pharrasijs, & Prasijs seu Basijs, de quibus suprà ca. 4. dictum. De Præstis nulla apud alios, quod sciam, mentio. de rege tamen eorũ Porticano propè omnes. Quæ Ortelius in tabulis & thesauro adfert, tantùm ex Curtio petita sunt.

* pag. 134. PORTICANVS REX ERAT) Eodem nomine Porticanus apud Siculum est, qui de eodẽ eadem plura memorat: Arrianus* Oxycanum præsidem prouinciæ, non regem appellat Sed res eadem cum Curtio & Diodoro.

Geographus Porticanum cum Curtio vocat:

SAMI REGIS FINES INGRESSVS) De Musicanis, Porticanis seu Oxycanis, Præstis, Sogdis, Sabis seu Sambis Ita Glareanus: *Strabo, Diodorus, ac Arrianus Musicanum, regem faciunt; Curtius populum. Arrianus Paropamisadarum satrapen, non Tyriespen: Curtius Desteriolem. Præstorum regulum Curtius Porticanum, Arrianus Oxycanum nominat Pro Præstis Sogdios ponit Arrianus Strabonis codices Porticanum quoque habent, vt quidam Curtij codices. Ita paulò post, Sabi, in Arriano Sambi, pro rege: ex quo Diodorus populum facit. Item paulò pòst octo millia Indorum cæsa: in quibusdam Curtij libris legitur, quum Diodorus suprà octoginta millia cæsa tradit. Porrò vrbem, ad quam Ptolemæus Lagi vulneratus est, Diodorus Harmata vocat, & Brachmanam vrbem facit, Curtius Sabi regis vrbem. Strabo libro 15. Inter Oritas hosce numerat, vbi de Ptolemæo vulnerato. Tanta nominum locorum, ac historia confusio apud authores, vt referre pudeat. ad alia properemus.* L. 361.

Quid pudeat? perinde in Romana historia, vnica tamen gente, variant scriptores. Confer Polybium cum Liuio, Liuium cum Tranquillo, ac deinceps alios atque alios, sæpè animaduertes de eadem re alios atrum, alios album denarrare, vt hodie nulli inter se heretici (vti nec olim) consentiunt. Liuius ipse testatur sæpè eos qui ante se de rebus Pop. Rom. scripserunt dissentire, cum Fabium, Quadrigarium, & alios inter se comparat.

SAMI REGIS) Sambum appellat Arrianus,* apud quem de hoc plura. Fuit Sambus etiam Indiæ fluuius Arriano in Indicis, à quo terra & rex fortasse nomen traxerunt. Plura Siculus de rege Sambo, Plutarchus Sabbam appellat, eumque à Brachmanis ad defectionem solicitatum ait, qui de Brachmanis subijcit quæ nos supra retulimus, vbi de Calano dictum. Iustinus Ambigerum, Orosius Ambiram appellat.

VRBEM CVNICVLO CEPIT) de cuniculis militaribus suprà lib. VII. cap. 16. actum Martialis in XIII.

Gaudet in effossis habitare cuniculus antris,
Monstrauit tacitas hostibus ille vias.

ID CCC. INDORVM IN EA REGIONE CAESA) neque numerus iustus est, neque syntaxis; Quis enim ita loquitur, octingenti Indorum cæsa, vel octingenta Indorum cæsa, nisi *millia* subaudiatur: optimè contrà: octingenta millia cæsi. Editio Coloniensis Allobrogum, octo millia Indorum cæsa. Diodorus, vt legitur, octoginta millia posuit. ὑπὲρ τὰς ὀκτὼ μυριάδας κατέκοψε. *supra octoginta millia barbarorum deleuit.* Si legas *octingenta millia*, nimium numerus excedit occisorum, si octo millia exiguus est pro totius regionis ratione, cum Siculo profectò legerim *octoginta millia*, ita vt pro octingentis vel octo millibus reponendum putem LXXX. M.

* pag. 569. AD OPIDVM QVOD IN REGNO ERAT SAMI) hoc opidum Diodorus * Harmateliam appellat, & Brachmanarum vrbem fuisse ait, ibique vulneratum Ptolemæum: qui de his omnia copiosè.

ID AGRIANOS) Leuis armaturæ equites, sed expeditos, vt hodie Pannones seu Vngari sunt; magno passim vsui fuere Alexandro, vt è III & IV maximè constat. ex Pœonia gente, quæ inter Hæmum & Rhodopen sedes habuit. de quibus suprà largiùs dictum.

VENENO TINXERANT GLADIOS) acriter inuehitur Plinius* in eos, qui venenis ad hominum exitium abusi sunt, quasi non sat multæ ad interitum hominis viæ sint: nullam feram alieno veneno pugnare, * lib. 18. p. 436.

De trist. l. 3 eleg. 10. Et Ouidius de Sarmatis seu Getis queritur:

Pars cadit hamatis miserè confixa sagittis;
Nam volucri ferro tinctile virus inest.

Et l. 5. eleg. 77.

In quibus est nemo, qui non coryton, & arcum
Telaq; vipereo lurida felle gerat.

De Ponto l. 1. eleg. 2.

Qui, mortis sæuo geminent vt vulnere caussas,
Omnia vipereo spicula felle linunt.

Sed puto ego plures veneficijs per cibos & potiones, quam telis venenatis interijsse,

Lurida terribiles miscent aconita nouercæ.

Hinc tot à medicis excogitata alexipharmaca, theriaca, Mithridatica.

TAM STRENVAE MORTIS) noui morbi & incogniti tam cito non reperiunt amuletum; vbi caussæ deprehensæ sunt, facilis sæpè medicina.

PTO-

PTOLEMAEVS LAEVO HVMERO LEVITER SAVCIVS)hanc de Ptolemæi vulnere, & periculo, & curationne historiam complures tradidere; Cicero imprimis de diuinatione 2. Strabo in 15.pag. 497 Iustinus l.12.pag. 125. Orosius.Omnium clarissimè Diodorus, cuius verba suprà collocaui, quem secutus est Curtius, sed doleo à nullo scriptorum, herbæ à dracone Alexandro ostensæ speciem, aut nomen, aut formam expressam, quam diu nec quicquam quæsiui, rebar dracunculum vel dracontion dici, de quo multa herbarij, sed incerta ex nomine coniectura.

PELLICE EIVS ORTVM CONSTABAT) Pausanias in Atticis lib.1. *Ptolemaeum quidem Macedones re Philippi Amyntæ filij, verbo Lagi filium fuisse existimant. eius enim matrem vterum ferentem à Philippo, Lago vxorem datam ferunt.* Fuit ergo Ptolemæus frater Alex. Magni ex patre. Elegans est locus seu potius conuitium cuiusdam grammatici in Ptolemæum, quod ita habet. *Cùm*(vt est in apophthegmatis Ptolemæi)*grammaticum notasset inscitiæ, quærens ab eo, quis esset Pelei pater, vicissimq; audisset, dic tu prius quis sit Lagi pater, amicis inuitantibus ad tantæ improbitatis vindictam, Si regium est,* inquit, *nō pati, vt à quoquam dicto attingatur, nec illud regium est, quenquam dicto lacessere. Iniquè petit vindictam, qui prior lacessiuit, cuiuscunque dignitatis fuerit. nec suæ dignitatis meminisse debet, qui referitur, cùm eius prærogatiuam lacessendo deposuerit.* Lagus homo obscurus erat Ptolemæi, vt ferebatur, pater. Obiecit ergo tacitè Ptolemæo patrem eius vel obscurum esse & terræ filium, vel ipsum ex adulterio susceptum, cum Philippi regis F. crederetur.

FORTVNAM IN QVAM POSTEA ASCENDIT)rex Aegypti factus, à quo omnes postea reges Aegypti, Ptolemæi dicti, quoad Aegyptus ab Romanis, deuictis regibus, in prouinciæ formam est redacta. De hac re infrà sub finem vltimi libri plura.

COLOREM QVOQVE HERBAE)nec colorem, nec odorem, nec saporem, neque nomen quidem apud vllum auctorem memini legere. Apud Dioscoridem tamen lego, quomodo id genus vulnera toxicata, & quibus herbis fuerint curata: sic enim ille lib.2. parabillum cap.140. * πρὸς * p.121.
τοὺς ζωθέντας ὑπὸ βέλους φαρμακωθέντος. εἰς τὰ τοξευόμενα δὲ ἐπιχρίεται τὸ ξίφος φάρμακα, ἁρμόζει ὀπὸς σιλφίου πινόμενος μετ' οἴνου, καὶ ἐπιπλασσόμενος τοῖς τραύμασι μετά τινος τῶν θερμαντικῶν ἀποζεμάτων. *Iis, qui venenato telo gladione icti sunt, conuenit, laserpitij liquor è vino potus, itidemq; vulneribus impositus cum decocto aliquo calfaciente.*

BARBAROS)seu Harmatelios, seu Oritas, seu Brachmanas.

PATHALIAM)Patalenam vocat Geographus *a*, illamque per Indum in duos alueos diuisum, *a* p.482.
ait, factam, quam ibidem fusè describit Arrianus *b*, qui & Pattalam vrbem primariam appellat, *b* p.135.&
multaque alia adiungit, quæ apud ipsum leges. Quibus & Philostratum *c*, de eisdem plura narran- de rebus
tem, & Eustathium *d* ad Periegetem adddea. Indicis p.169.

Maffæus Cambaiæ oram facit Pattalenam. *Hunc Maimames regionum peritus præter littus Ara-* *c* lib.5. pag
bium superato sinu Persico ad insulam & oppidum ora Cambaica seu Patalena Dium adduxit, quam 154.
regionem priscis Carmaniam fuisse nonnulli recentiores falsò putarunt. Dalecampius cum Maffæo *d* p.134.v.6
sentit: *Patalis,* inquit, *nunc Cambaia regnum, veteri lingua Indorum hoc significat insulam triangularem, qualis est Cambaia.* Patalem adhuc Indi vocant, nunc Patam Diupætam oppidum populosissimum, & mercatura celeberrimum. Fuit triquetra figura, vt Plinius ait, & Græci similem literæ Δ affirmant, quod idem est. Stephanus, Πάταλα πόλις Ἰνδική, λέγεται δὲ καὶ πατάλη. τὸ ἐθνικὸν, Παταληνὸς καὶ Παταλαῖος. *Patala vrbs Indica, quæ & Patale dicitur. Possessiuum, Patalenicus & Pataleus.* Benè Ortelius hanc insulam in expeditione Alexandri expressit. Ptolemæo, vt & Geographo Patalene, Plinio * Patales, *In eadem,* inquit, *India Patalis celeberrimo portu, sol dexter oritur,* * l.2.p.32.
vmbra in meridiem cadunt, Septentrionem, ibi Alexandro morante, annotatum, prima tantum noctis parte aspici, & ea loca appellari Ascia, nec horas dinumerari ibi. Videtur quibusdam Potana, de qua Siculus l. 3. vbi de fortunatis Insulis agit, ad has vndique mercatores commeant, in primis à Potana, quam Alexander ad Indum flumen condidit, vt commodam in illa Oceani ora nauium stationem haberet.

REX ERAT MOERIS(huius regis nomen extra Curtium nusquam legi.

CAPVT XVI.

ARGVMENTVM.

Per amnem ad Oceanum peruenit, ex æstu maris classis vltimum discrimen adit, iubet explorari Oceani naturam, oppida condit.



Vcibus deinde sumtis amnis peritis, defluxit ad insulam medio ferme alueo enatam.[b] *Ibi diutius subsistere coactus, quia duces socordius asseruati profugerant, misit qui cōquirerent alios: nec repertis, peruicax cupido incessit visendi Oceanum, adeuntique terminos mundi sine regionis peritis, flumini ignoto caput suum totq́ fortissimorum virorum salutem permittere. nauigabant ergo, omnium per quæ ferebantur ignari, quantum inde abesset mare, quæ gentes colerent, quàm placidum amnis os, quam patiens longarum nauium esset, anceps & cæca æstimatio augurabatur. vnum erat temeritatis solatium, perpetua felicitas. Iam CCCC. stadia processerant, cùm gubernatores agnoscere ipsos auram maris, & haud procul videri sibi Oceanum abesse, indicant regi. lætus ille hortari nauticos cœpit; incumberent remis. adesse finem laboris omnibus votis expetitum. iam nihil gloriæ deesse, nihil obstare virtuti. sine vllo Martis discrimine, sine sanguine orbem terræ ab illis capi: nec naturam quidē longiùs posse procedere. breui incognita, nisi immortalibus, esse visuros. paucos tamen nauigio emisit in ripam, qui agrestes vagos exciperent, è quibus certiora nosci posse sperabat. illi scrutati omnia tuguria, tandem latentes reperere. qui interrogati, quàm procul abessent mari, responderunt, nullum ipsos mare ne fama quidem accepisse: ceterum tertio die peruenire posse ad aquam amaram, quæ corrumperet dulcem. intellectum est mare destinari ab ignaris naturæ eius. itaque ingenti alacritate nautici remigant, & proximo quoque die, quò propiùs spes admouebatur, crescebat ardor animorum. tertio iam die mixtum flumini subibat mare, leni adhuc æstu confundente dispares vndas. tum aliam insulam medio amni sitam euecti paulò lenius, quia cursus æstu reserebatur, applicant classem, & ad commeatus petendos discurrunt, securi casus eius qui superuenit ignaris. tertia fermè hora erat, cùm stata vice Oceanus exæstuans inuehi cœpit, & retro flumen vrgere. quod primò coercitum, deinde vehementiùs pulsum maiore impetu aduersum agebatur, quia torrentia præcipiti alueo incurrūt. ignota vulgo freti natura erat, monstraq́ & iræ deûm indicia cernere videbantur; identidem intumescere mare, & in campos paullò antè siccos descendere superfusum. iamque leuatis nauigijs, & tota classe dispersa, qui expositi erant, vndique ad naues trepidi & improuiso malo attoniti recurrunt. sed in tumultu festinatio quoque tarda est. hi contis nauigia appellebant, hi dum considerent, remos aptari prohibebant: quidam enauigare properantes, sed non expectatis qui simul esse debebant, clauda & inhabilia nauigia languidè moliebantur: aliæ nauium inconsultè ruentes non receperant, pariterq́ & multitudo & paucitas festinantes morabatur. clamor hinc expectare, hinc ire iubentium, dissonaq́ voces nusquam idem ac vnum tendentium, nō oculorum modò vsum, sed etiam aurium abstulerant. ne in gubernatoribus quidem quidquam opis erat, quorum nec exaudiri vox à tumultuantibus poterat, nec imperium à territis incompositisq́ seruari. Ergo collidi inter se naues, abstergerique inuicem remi. & alij aliorum nauigia vrgere cœperunt. crederes non vnius exercitus classem vehi, sed duorum nauale inisse certamen. Incutiebantur puppibus proræ, premebātur à sequentibus qui antecedentes turbauerant, iurgantiū ira perueniebat etiā ad manus. Iamq́ æstus totos circa flumen campos inundauerat, tumulis duntaxat eminentibus velut insulis paruis, in quos plerique trepidi omissis nauigijs enare poterāt. dispersa classis partim in præalta aqua stabat, qua sub-*

subsederant valles, partim in vado hærebat, vtcunque inæquale terræ fastigium occupauerant vndæ: cùm subitò nouus & pristino maior terror incutitur, reciprocare cœpit mare, magno tractu aquis in suum fretum recurrentibus, reddebatque terras paulò antè profundo salo mersas. Igitur destituta nauigia alia præcipitantur in proras, alia in latera procumbunt. Strati erant campi sarcinis, armis, auulsarum tabularum, remorumque fragmentis. Miles nec egredi in terram, nec in naue subsistere audebat, identidem præsentibus grauiora quæ sequerentur exspectans. vix quæ perpetiebantur, videre ipsos credebant, in sicco naufragia, in amni mare. nec finis malorum, quippe æstum paullò pòst mare relaturum: quo nauigia alleuarentur, ignari: famem & vltima sibimet ominabantur. beluæ quoque fluctibus destitutæ terribiles vagabantur. iamq; nox appetebat. & regem quoq; desperatio salutis, ægritudine affecerat: non tamen inuictum animum cura obruunt, quin tota nocte præsideret in speculis, equitesq; præmitteret ad os amnis, vt cum mare rursus exæstuare sensissent, procederent. nauigia quoq; & lacerata refici & euersa fluctibus erigi iubet, paratosque esse & intentos, cùm rursus mare terras inundasset. Tota ea nocte inter vigilias adhortationesq; consumta, celeriter equites ingenti cursu refugere, & secutus est æstus: qui primò aquis leni tractu subeuntibus cœpit leuare nauigia: mox totis campis inundans etiam impulit classem, plaususque militum nauticorumque insperatam salutem immodico celebrantium gaudio, litoribus ripisque resonabat: vnde tantum redisset subitò mare: quò pridie refugisset: quænam esset eiusdem elementi natura modò discors, modò imperio temporum obnoxia mirabundi requirebant. Rex cùm ex eo quod acciderat, coniectaret, post solis ortum statum tempus esse, media nocte, vt æstum occuparet, cum paucis nauigijs secundo amne defluxit: euectusque os eius CCCC. stadia processit in mare, tandè voti sui compos, præsidibusq; & maris & locorum dijs sacrificio facto, ad classem rediit. hinc aduersum flumen subit classis. & altero die appulsa est, haud procul lacu salso, cuius incognita natura plerosque decepit temerè ingressos aquam: quippe scabies corpora inuasit, & contagium morbi etiam in alios vulgatum est. oleum remedio fuit. Leonato deinde præmisso vt puteos foderet, qua terrestri itinere ducturus exercitum videbatur: quippe sicca erat regio. ipse cum copijs substitit vernum tempus exspectans. interim & vrbes plerasque condidit. Nearcho atque Onesicrito nauticæ rei peritis imperauit, vt validissimas nauium deducerent in Oceanum: progressiq; quoad tutò possent, naturam maris noscerent: vel eodē amne vel Euphrate subire eos posse, cùm reuerti ad se vellent.

Dvciavs deinde svmtis) ex eius loci incolis. Arrianus negat vllos duces principiò habuisse, omnes enim incolas ad famam aduentus Alexandri in montes & siluas antè profugisse, quàm Alexander ad ea loca accederet.

Parvi rax cvpido incessit visendi Oceanvm) Multis hic nominibus nimium gloriæ studium Alexandri carpit scriptor, quòd eius impulsu cupidinis se & suos, fortissimos viros in præsentissimum salutis periculum coniecerit, dum ignotum flumen sine ducibus regionis & amnis peritis ingrederetur, ignarus quantum inde abesset, quę ripas adsiderent gentes, quo impetu ostium Indi in mare præcipitaret, an mare pacatius venientem amnem velut hospitem placidè acciperet, an flumen ipsum largas naues admitteret. Sed omnia rex sua felicitate metiebatur, quæ hic etiam nonnihil hæsisse primum visa, ad extremum tamen omnes ex omnibus periculis explicauit.

Navigabant ergo, omnivm, per qvae ferebantvr, ignari) Non habeo meliorem huius capitis & nauigationis comitem, ducem & doctorem ipso Arriano (nā Diodorus * vix vno alteróve verbo rem attingit) qui accuratè omnia exponit, quem hoc loco pro me haud a paullo meliorem interpretem substituo: *Ipse*, inquit, *(Alexander nempè) *cum delectis nauibus velocioribus progreditur exploraturus, an ea parte, quà flumen in mare exit, facilis classi transitus futurus esset: progressusq; ab insula CC. circiter stadia. aliam insulam prospicit iam in mari sitam. Tum ad priorem fluminis insulam redit, atque ad eius promontorium appulsus, dijs quibus ab Ammone se sacrificare iussum esse dicebat, sacrum facit. Postero die ad aliam in Oceano sitam insulam nauigat. quò vbi venit, alijs hostijs, alijs etiam dijs, alio quoque modo sacrificat id quoque ex Ammonis oraculo facere se prædicans. Ipse Indi amnis ostia prætergressus, in vasto pelago nauigauit, exploraturus (vt ipse quidem dicebat) an aliqua regio vicina mari appareret: meo verò iudicio, præcipuè vt in Oceano qui vltra Indos est, nauigasse diceretur. Ibi tauros Neptuno cæsos in mare proiecit, libationeque sacrificio superaddita, phialam auream & crateras aureos, gratias agens, in vndas immisit: precatus, vt exercitum naualem, quem cum Nearcho in sinum Persicum, atque ostia Euphratis & Tigridis mittere statuerat, saluum & incolumem traducat.*

a l. 17. pag. 57 sub finem.
* l. 6. pag. 266 in 8.

Nos tamen ad singula Curtij etiam verba, vbi visus erit, accedemus; nec enim eadem semper Arrianus & Curtius tradunt. Hic alter plura, alter pauciora narrat; mox contrà, alter copiosior, alter breuior est, vt fieri solet in eiusdem rei enarratione.

IAM CCCC. STADIA PROCESSERAT) duodecim nempè milliaria germanica & amplius semis.

AGNOSCERE AVRAM MARIS) quia cruda, aspera, incocta, vento præsertim flante & æstu maris impellente, vel ab illo impulso: sicut sentiunt ij qui à Noto, Austro, & meridie, arcticas regiones niue & glacie horridas petunt.

a cap. 17. b cap. 6. ADESSE FINEM LABORIBVS) nulla vnquam concio regis gratior fuit Macedonibus. Sed vehementer decepti sunt, vt infra & hoc a ex libro, & mox sequenti b patebit.

NEC NATVRAM LONGIVS POSSE PROCEDERE) Quàm hoc vanum! vbi Sinæ, Aurea Chersonesus, Moluccæ, Philippinæ, Iapones? & ad Occidentem Peruana & Mexicana amplissimæ regiones: illis quidem temporibus & multis etiam postea sæculis incognitæ gentes, & hodiè celeberrimæ, omniumque literis & monumentis celebratæ.

NAVTICI REMIGANT) sæpius vtitur hoc nomine Curtius, quo comprehendit remiges, nautas, naucleros, nauarchos, & gubernatores.

DISPARES VNDAS) salsas & dulces.

LENI ADHVC AESTV) æstus, est reciprocatio maris, hoc est, accessus & recessus. de quo mox plenius.

ALIAM INSVLAM) reor hanc esse, quam Arrianus Cillutam appellat, qui in Indicis alias, tres alueos Indi fluminis nominat, in quos classis Alexandri priusquam Oceanum attingeret, delata est, Sturam, Carmana, Coreatim, aliamque insulam Corcala dictam. Plutarchus * Schillustin & Psiltucim vocatam ait.

* In Alex. p. 701. in fin.

PAVLLO LENIVS) quia propinquiores erant mari, cuius iam æstum retardantem aquas fluminis, amnis sentiebat.

TRIA FERME HORA ERAT, CVM STATA VICE OCEANVS EXAESTVANS INVEHI COEPIT, ET RETRO FLVMEN VRGERE) Non disputabo hic de motu fluxuque maris, vel naturali, (cùm vel à Septentrione in Austrum, vel Oriente in Occidentem fertur) vel de violento, cùm ventis agitatum nunc huc, nunc illuc contrarijs motibus impellitur. Sed de æstu duntaxat pauca, ad locum hunc explanandum, hic collocabo. Aestus maris est, cum illud nunc intumescit, nunc rursus detumescit, idque certis horis siue senis, siue septenis, siue octonis, atque aliter hoc, aliter alio in mari, de quibus doctè & eruditè Conimbricenses in meteoris tract. 8. c. 4. & seq.

In litore Cambaia, inquit, *quæ est in faucibus Indi, mare binis horis triginta circiter leucas accessu obtegit: binis, totidem, recessu detegit. Itaque tanta rapiditate agitur, vt homines ingruentem è pelago vndam vix cursu euadant. Ne verò incautos æstus arripiat, cymbali sonitu admonentur. Nec naues ibi possent commorari, nisi haberent lacunas ad eum vsum defossas, in quibus mari abeunte consistunt. Postremò, nec eodem diei tempore vbique æstus incipit ac desinit: quandoquidem singulis diebus vnâ ferè hora mare tardiùs ascendit.*

Hic obserua lector illa verba *In littore Cambaia*, & quæ sequuntur, omninò ad hunc Curtij locum pertinere: Cambaia enim est in faucibus Indi, vt suprà monuimus.

Quærunt deinde naturæ interpretes, quæ sit sit res, quæ tantos maris æstus cieat, vbi alij mũdum aiunt esse animal, & in Oceani profundis nares habere, per quas emissa anima vel hausta inflet maria, & resorbeat: alij arbitrantur sub Oceano, vel circa, quosdam genios versari, qui inuitent & recipiant mare: alij crediderunt à fluminibus ex altis montibus præcipitantibus, mare impelli: alij terræ situi aut motibus, alij Soli, alij alijs caussis æstus adscripsere. Sed tota propè sapientum & veterum & recentium natio rationes æstuũ Lunæ impressionibus assignant. Apuleius de Mundo libro primo. *Sentitur etiam cœli marisque cognatio, cum menstruis cursibus Lunæ, detrimenta & accessus fretorum atque æstuum deprehenduntur*; Hanc sententiam etiam laudat & sequitur Conimbricensis Academia, quomodoque id fiat eruditè exponit, simulque ad varias inde natas quæstiones & dubitationes respondet, quas tu capite sexto & septimo tractat. octauo cognosces.

TERTIA FERME HORA) ante meridiem, post solis ortum, quæ apud nos est nona antemeridiana.

Tempora æstus iam suprà ex cap. 4. Conimbr. didicisti.

ADVERSVM) in seretortum, retrorsum actum, reciprocum.

IGNOTA VVLGO FRETI NATVRA ERAT) Imò non turbæ nauticæ & militari tantum ignota, sed ipsi Alexandro & sapientum collegio. Quamuis enim ex Græco & Aegeo mari, atque Euripis, de alijs quoque maribus conijcere possent: Indici tamen Oceani ingenium, ante id ætatis Europæ prorsus erat ignotum, nec coniectura assequi poterant, quantis illic exæstuaret fluctibus, quantoque impetu ferretur, & quo tempore exundaret.

SED IN TVMVLTV) elegans hypotyposis ingentis perturbationis velut oculis subiecta

quam,

quam lector, non oculis spectare, sed ipse quoque trepidare, festinare, timere, nec sine voluptate videtur. Verum enim, quod ait Lucretius * in re non absimili, aut etiam diuersa. *l. 2. v. 1. & seqq.

Suaue, mari magno turbantibus aquora ventis
*E terrâ * magnum alterius spectare laborem.* *E libro
Non quia vexari quemquam est iucunda voluptas,
Sed, quibus ipse malis careas, quia cernere suaue est.
Suaue etiam belli certamina magna tueri,
Per campos instructa, tua sine parte pericli.

CONTIS) longis & robustis perticis & hastis.

DVM CONSIDERENT) milites, dum quisque locum in naui quæreret, vbi consideret, impediebant remiges, vt remos applicare non possent.

CLAVDA ET INHABILIA NAVIGIA) clauda, non omnibus partibus integra; deerant enim & multi remi & remiges, & qui necessarijs rebus naues instruerent nauclcri, desiderabantur. Inde fiebat, vt non possent citò enauigare, vel in ripam, vel in medium flumen.

MVLTITVDO ET PAVCITAS) in quibusdam erant nimis pauci, in quibusdam nimis multi. Ita vtraque res moram nauigationi iniecit, nimium, inquam, & minimum.

CLAMOR) vt suprà * de perturbatione prœlij, & confusa Pori acie dixerat, tot fuisse imperatores, quot agmina. licebit hic affirmare tot fuisse gubernatores, quot vectores, omnes imperabant, nemo parebat, nihil in medium consulebatur. *l. 3. c. 25.

COLLIDI INTER SE NAVES) confer ista cum Arriani verbis: *Orta tempestas ventusque æstui contrarius canas vndas ciebat nauesque inter se collidebat*, &c.

ABSTERGERIQVE INVICEM REMI) similem fere casum, in pugna tamen naualí & seria describit Liuius: l. 28. p. 694. num. 30.

Abstergere & detergere idem est, & valet, quod frango, vt Virgilius loquitur, *Franguntur remi*, vel abscindo. Aulus Hirtius de bello Alexandrino: *Nullius remi detergerentur.* Cæsar lib. de bello ciuili: *aut remos transcurrentes detergere, si possent, contendebant.* Abstergo & abstergeo, detergo & detergeo dicitur, secundi & tertij ordinis.

RECIPROCARE COEPIT) recipere se intra littus suum, & ad priorem redire statum.

STRATI ERANT CAMPI SARCINIS)

Arma virum, tabulæque, & Troia gaza per vndas. Virg. l. 1. Aen. v. 118.

IN SICCO NAVFRAGIA) eleganter hoc & acute, à contrario, cùm naufragia in alto fieri soleant, hic in terra faciebant naufragia. Ita permutata rerum natura, vt vbi terra fuerat, esset mare.

FAMEM ET VLTIMA SIBI OMINABANTVR) omnia enim circum loca sterilibus obsita arenis, nihil alimentorum pollicebantur.

BELVAE FLVCTIBVS DESTITVTAE TERRIBILES VAGABANTVR) palpitabant in æstuariam tenui & deficiente, hærebantque in vadis, vel frustrà conabantur æstum sequi, vt immanes phocæ, quales nostra tempestate apud Batauos per æstum in littus eiectas accepimus, vt per gradus & scalas in tergum beluæ esset enitendum. Apud Osorium * quoque legimus in Cananorensis arcis obsidione, cùm Lusitani maxima famæ premerentur, magnam ingentium squillarum vim per æstum in littus expulsum, quibus famem depulerint. Maffæus * locustam marinam fuisse eiectam, idque in D. Virg. assumtæ die diuinitùs accidisse refert. *l. 4. De rebus Emmanuelis sub fin. *lib 3. hist. Ind. p. 58. in fol.

REX CVM EX EO QVOD ACCIDERAT P. S. O. STATVM TEMPVS ESSE) quia suprà dixerat, hora tertia (quæ nobis ante meridiem nona) Oceanum exæstuasse, obseruauit æstum postridie ante meridiem rediturum.

De Euriporum & reciprocationum maris tempore, suprà ex Conimbricensium chartis ad meteora Arist. c. 4. monitus es. tract. 1.

CCCC. STADIA) idem spacium suprà exposui hoc cap.

TANDEM VOTI SVI COMPOS) redi ad illa huius capitis verba: *Adesse finem laboris*, & cæt.

DIIS SACRIFICIO FACTO) præsidibus maris, Neptuno regi maris. a Virg. l. 1. Geor. v. 437.

a *Glauco, & Panopeæ, & Inoo Melicertæ,*
b *Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo,* b Idem l. 3. Georg. v. 119.
Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

Arrianus suprà laudatus: *Ibi tauros Neptuno cæsos in mare proiecit, libationeque sacrificio superaddita phialam auream & crateras aureos, gratias agens, in vndas immisit.* Siculus: *Tunc cum familiaribus ad Oceanum prouectus duabus illic insulis repertis, magnifico deos sacrificio veneratur, aureaque pocula vsque pauca, nec pondere exigua, vnà cum libamentis in mare proiecit: tandem excitatis in Thetyos & Oceani honorem aris, expeditioni propositâ finem imposuisse ratus, classe per amnem retrò reuehitur.* l. 17. p. 570.

AD CLASSEM REDIIT) Arrianus bis in Oceanum excurrisse Alexandrum, vt vtrumque Indi ostium exploraret, vt per lenius, classem in Oceanum deduci iuberet.

Si Olympias mater immortalitati consecretur) si per ἀποθέωσιν referatur in numerum cælestium. sed nihil erat opus illam immortalitati consecrare; consecrauit illam factis suis filius, Alexander inquam, imò & ipsa se ipsam suis factis, vti sub finem libri 10. & vltimi ad illa Curtij verba docebo: *Soboles deinde excepit, interfectis omnibus quicunque Alexandrum etiam longa cognatione contigerant.*

Si me praeceperit fatum) nisi mors consilia mea interceperit & occuparit. Ita M. Tullius loquitur: *Ingenij magni est præcipere cogitatione futura.* Ita Lucretius (Lambino interprete) hac voce vsus l. 6.

L. de offic. 1. [illegible]

Propterea quia nimirum prius æstus vbi aris
Præcepit, ferriq; vias possedit apertas.

præcipit, id est, præoccupauit, vt probè Lambinus explicat, quamuis nonnulli legant *percepit*, sed melior est scriptura *præcepit*, Lambino etiam probata. Idem suprà:

Carbonumq; grauis vis atque odor insinuatur
Quàm facile in cerebrum, nisi aquam præcepimus antè.

præcepimus, antè hausimus, bibimus. Ita Virgilius, Liuius, & optimi quique scriptores hanc vocem vsurparunt. & hujusmodi deliciæ sermonis Romani fuissent ab Hadrianis, Iunijs, & Schoris obseruandæ.

Stativa) æstiua, hiberna; statiua sunt militum sedes, quibus per hyemem, per æstum, aut post longa itinera, aut labores conquiescunt, quòd aliquandiu vno in loco resideant & consistant. De quibus suprà etiam ex Vigetio disputauimus lib. 7. cap. 8.

CAPVT XIII.

ARGVMENTVM.

Colonia Græcorum Bactriana deficit, & relictis barbaris Græciam repetit.



Aec dum in India geruntur, Græci milites nuper in Colonias à rege deducti, Carabactra, orta inter ipsos seditione defecerant, non tam Alexandro infensi quàm metu supplicij: quippe occisis quibusdam popularium, qui validiores erant, arma spectare cœperant: & Bactriana arce, quæ casu negligentiùs asseruata erat, occupata, barbaros quoque in Societatem defectionis impulerant. Athenodorus erat princeps eorum, qui regis quoque nomen assumserat, non tam imperij cupidine, quam in patriam reuertendi cum ijs, qui auctoritatem ipsius sequebantur. Huic Bicon quidam nationis eiusdē, sed ob æmulationem infestus, comparauit insidias, inuitatumq; ad epulas per Boxum quendam Macetanum in conuiuio occidit. Postero die concione aduocata, Bicon, vltro insidiatum sibi Athenodorum plerisque persuaserat. sed alijs suspecta erat fraus Biconis, & paullatim in plures cœpit manare suspicio. Itaque Græci milites arma capiunt, occisuri Biconem, si daretur occasio. cæterùm principes eorum, iram multitudinis mitigauerunt. Præter spem suam Bicon præsenti periculo ereptus, paullò pòst insidiatus auctoribus salutis suæ est: cuius dolo cognito, & ipsum comprehenderunt, & Boxum. Ceterum Boxum protinus placuit interfici, Biconem etiam per cruciatum necari. Iamq; corpori tormenta admouebantur, cùm Græci, incertum ob quam causam, lymphatis similes ad arma discurrunt: quorum fremitu exaudito, qui torquere Biconem iusserant, omisere, veriti ne id facere tumultuantium vociferatione prohiberentur. Ille, sicut nudatus erat, peruenit ad Græcos, & miserabilis facies supplicio destinati in diuersum animos repente mutauit, dimittiq; eum iusserunt. Hoc modo pœna bis liberatus, cum cæteris qui colonias à rege attributas reliquerunt, reuertit in patriam. Hæc circa Bactra & Scytharum terminos gesta.

Graeci Milites) Principium huius capitis confirmat Diodorus * de defectione Græcorum in Colonias apud Bactra & Sogdianos distributorum. *Interea*, inquit, *dum rex complures curationi vulneris dies insumit: Græci per Bactrianam & Sogdianam in Colonias distributi, quod & iam pridem sedes inter barbaros assignatas molestè ferrent, & tunc rumore defuncti ex vulnere regis erigerentur, à Macedonum rege deficiunt: ad tria enim millia confluxerant; qui deinde cùm magno reditum in patriam conatu tentassent, omnes post Alexandri interitum concisi fuerunt.*

* lib. 17. p. 566. in fin.

Ergo

Ergo vt vides, huius defectionis occasio arrepta est ex rumore de morte Alexādri, cum aliàs etiam ad patriam aspirarent: sed viuo rege nemo audebat se commouere. Quæ sequuntur in hoc capite de Bicone, Athenodoro, Boxo, & tumultu militum sine teste narrantur à Curtio.

CARABACTRA) Ortelius corruptam putat vocem, & *circa Bactra* legendum existimat. Cōstantiensis MS. habet *Garabactra*. Glareanus existimat compositum ex Cara & Bactra, sicut Tyros Palætyros, Paphos, Palæpaphos. Fieri potest, vt dicta sint *noua Bactra* propter coloniam nouam eò deductam. Ortelij tamen coniecturæ fauet, quod Curtius ipse in fine capitis addat: *Hac circa Bactra & Scbytarum terminos.*

OCCISIS QVIBVSDAM POPVLARIVM) Hūc ego locum ita intelligo, Græci partim Macedones, partim è reliqua Græcia regem secuti, & vel ob ætatem vel morbos bello iam inutiles, in colonias circa Bactra & Sogdianos nouas deducti, accepto, de morte Alexandri quamuis falso nuncio, tumultuari cœpére, & ab Alexandro eiusque præfectis deficere; nontam quod regē huncodissent, quam quod supplicium ob quorundam Græcorum seu Macedonum (omnes enim, ratione barbarorum, populares erant inter se Græci & Macedones) cædem commeritorum formidarent.

Qui validiores ergo ex seditiosis erant, & pœnas metuebant, arma sumserunt arcemque Bactrianam in ipsis Bactris sitam, negligentiùs, quod custodes nullum externum hostem timerent, custoditam occuparunt, & ipsos Bactrianos, seu Bactris, seu in arce Bactriana Græcis & Macedonibus mixtos, seditiosi, in societatem belli & defectiónis ab Alexandro impulerunt. Factiones erant duæ: alterius dux Athenodorus, qui cum suis patriam spectabant, & regis nomen tantisper assumserat, vt haberent seditiosi, quem maiori auctoritate sequerentur: alterius Bicon itidem Græcæ nationis (nam Athenodorum Græcum fuisse ipsa vox docet, & cùm Bicon eiusdem nationis fuerit, Græcum fuisse oportet. Hic Athenodoro regium nomen & dignitatem, quam ipse affectabat, inuidebat, quem tamen, odio per suorum fraudem dissimulato, per speciem amicitiæ ad conuiuium vocatum, inter ipsas epulas, per quendam barbarum gente Macerianum, Baxum nomine, adortus interfecit. Iam quæ ad finem vsque capitis sequuntur, satis liquent.

Hæc mihi visa Curtianæ narrationis sententia à principio huius capitis vsque ad illa: *postero die*. Paullò aliter Glareanus hunc locum in quadam animaduersione explicauit, cuius verba adscribo: *Illud*, inquit, *quod sequitur magis considerandum, Quippe occisis, inquit, popularium, qui validiores erant. τὸ popularium, Bactrianósue an Græces sui corporis referat, obscurū est. Sunt, qui ita ordinē faciunt: Et occisis quibusdam, cœperunt spectare arma popularium, qui validiores erant. vt genitiuus popularium, regatur ab accusatiuo,* arma. *Quando Diodorus nono anno clarè scribat, Græcos milites in Bactris contra Macedonas insurrexisse: videntur enim ex Macedonibus quosdam occidisse, & cum scirent hoc non impunè fore, conati sunt ad se allicere populares, hoc est, Bactrianos, qui validiores erant, quàm Alexandri præsidium. idq; declarat manifestiùs arx occupata. Huic dubitationi haud dissimile est, quod post quinq; aut sex versus sequitur, Huic Bicon, inquit, quidam nationis eius τὸ eius, amphibolon Bactrianæne an Græca.* Hæc Glareanus. Ego nihil dubito, quin per vocem *populares* Græci, siue illi Macedones, siue è reliqua Græcia essent, sint accipiendi, nō Barbari aut Bactriani. Nec verum est quod ex Diodoro affirmat Glareanus, Græcos milites in Bactris contra Macedones insurrexisse; hoc non docet Diodorus, sed ait, Græcos colonos in Bactrianis à rege Macedonum defecisse. Inter colonos autem erant tàm Macedones, quàm alij Græci, & tam Macedones ipsi quàm alij Græci patriā spectabant, vt suprà audisti, vbi recusabant regem vltra Hypasin & Gangem sequi; *vbi*, inquit, *ille meorum Macedonum vultus non agnosco vos milites.* Idem apparet ex libri 10. c. 6. Nec de Bicone vlla dubitatio, quin fuerit Græcus, non barbarus, cùm eiusdem cum Athenodoro nationis eum fuisse Curtius affirmet. num. 169. lib. 9. c. 19.

MACERIANVM) Martianum putat legendum Glareanus, quod Marciani Medi essent. Omnia exemplaria habent Maceriani. Vnde ego conijcio à Macis dictos Macerianos, secundamque syllabam diphthongo *αι*, & latinè æ scribendam. Stephanus Μάκαι ἔθνος μεταξὺ καρματίας (scribo καρμανίας) ϗ Ἀραβίας *Maca populus inter Carmaniam & Arabiam.* Carmani autem Indi sunt.

VLTRO SIBI INSIDIATVM) summæ improbitatis exemplum, cuiusmodi multa leguntur.

PER CRVCIATVM INTERFICI) ita meritus erat, si vera narrat Curtius.

POENA BIS LIBERATVS) primò per principes Græcorum, quibus mox conscelératus homo pro gratia sibi facta summoque beneficio, necem inferre, vt Athenodoro, conatus est. deinde per tumultum panicum Græcorum, liberatus.

REVERTIT IN PATRIAM) Diodorus * contrà, omnes post Alexandri mortem concitos affirmat. * l. 18. pag. 592. & seq.

* * *

CAPVT XIV.

ARGVMENTVM.

Oxydracæ & Malli gentes se dedunt regi. Legati adhibentur conuiuio. Dioxippus prouocatus duello aduersarium vincit; furti per inuidiam falsò insimulatus in se manus vertit.



Nterim regem duarum gentium (de quibus ante dictum est) C. legati adeunt. Omnes curru vehebantur, eximia magnitudine corporum, decoro habitu: linea vestes intexta auro, purpuraq́ distincta. Se dedere, ipsos vrbes agrosq́ referebant, per tot ætates inuiolatam libertatem illius primum fidei dicionisq́ permissuros. deos sibi deditionis auctores, non metum: quippe intactis viribus iugum excipere. Rex consilio habito deditos in fidem accipit, stipendio, quod Arachosiu vtraq́ natio pensitabat, imposito. Præterea II. millia & D. equites imperati: & omnia obedienter à barbaris facta. Inuitatis deinde ad epulas legatis gentium, regulisq́ exornari conuiuium iussit. Centum aurei lecti modicis interuallis positi erant. lectis circundederat aulaa purpura auroq́ fulgentia: quidquid aut apud Persas vetere luxu, aut apud Macedonas noua immutatione corruptum erat, confusis vtriusq́ gentis vitijs, in illo cõuiuio ostendẽs. Intererat epulis Dioxippus Atheniensis, pugil nobilis, & ob eximiam virtutem virium regi pernotus & gratus. Inuidi maligniq́ increpabant per seria & ludum, saginati corporis sequi inutilem beluam. cùm ipsi prælium inirent, oleo madentem præparare ventrẽ epulis. Eadem igitur in conuiuio Horratas Macedo iam temulentus exprobrare ei cœpit, & postulare vt si vir esset, postero die secum ferro decerneret: regẽ tandẽ vel de sua temeritate, vel de illius ignauia iudicaturum. & à Dioxippo contemptim militarem eludente ferociã accepta conditio est. Ac postero die rex, cùm etiam acriùs certamẽ exposcerent, quia deterrere non poterat, destinata exsequi passus est. Ingens hîc militũ, inter quos erant Græci qui Dioxippo studebant, conuenerat multitudo. Macedo iusta arma sumserat, æreũ clypeũ, hastam, quam sarissam vocãt, læua tenens; dextra lanceã, gladioq́ cinctus velut cũ pluribus simul dimicaturus. Dioxippus oleo nitẽs & coronatus, læua puniceũ amiculum, dextra validum nodosumq́ stipitẽ præferebat. Ea ipsa res omnium animos expectatione suspẽderat, quippe armato congredi nudum, dementia, non temeritas videbatur. Igitur Macedo haud dubius eminus interfici posse, lãceam emisit, quã Dioxippus cùm exigua corporis declinatione vitasset, antequã ille hastam transferret in dexterã, assiluit, & stipite mediã eã fregit. Amisso vtroq́ telo Macedo gladiũ cœperat stringere, quẽ occupatum complexu pedibus repentè subductis, Dioxippus arietauit in terram, ereptoq́ gladio pedem super ceruicem iacentis imposuit, stipitem intentans elisurusq́ eo victum, ni prohibitus esset à rege. Triste spectaculum euentus non Macedonibus modò, sed etiã Alexandro fuit. maximè quia Barbari affuerant. quippe celebratã Macedonũ fortitudinẽ ad ludibriũ recidisse. Hinc ad criminationem inuidorum adapertæ sunt regis aures. & post paucos dies inter epulas aureũ poculũ ex composito subducitur, ministriq́ quasi amisissent quod amouerãt, regem adeunt. Sæpè minor est constantia in rubore, quàm in culpa. Coniectũ oculorũ quibus vt fur destinabatur, Dioxippus ferre non potuit. Et cũ excessisset conuiuio, literis conscriptis quæ regi rederentur, ferro se interemit. Grauiter mortem eius tulit rex, existimans indignationis esse, non pœnitentiæ testem. vtiq́ postquam falsò insimulatum eum, nimium inuidorum gaudium ostendit.

DVARVM GENTIVM, DE QVIBVS ANTEA DICTVM EST C. LEGATI ADEVNT) Duas præclaras cõtinet res hoc caput, honorificentissimam Oxydracarum & Mallorum) nam illæ duæ sunt gentes, de quibus antea dictũ erat) legationem ad Alexandrum, quæ se & gentes suas illi dediderunt. alterum est eximium duorum athletarum duellum, Horratæ Macedonis & Dioxippi Atheniensis. de legatione primum videamus.

CENTVM LEGATI) pertinebat hoc & ad gentium dignitatem, & regis maiestatem. Arrianus his addit quinquaginta. Raró tam splendidam, & illustrem, & numerosam, ac cum tanta pom-

pa

pa Institutam legationem reperies. Virgilius tamen magnificam adornat Aeneæ legationem ad regem Latinorum:

Tum satus Anchisa delectos ordine ab omni 7. Aeneid.
Centum oratores augusta ad mœnia regis
Ire iubet, ramis velatos Palladis omnes,
Donaq; ferre iubet, pacemq; exposcere Teucris.

OMNES CVRRV VEHEBANTVR) hoc quoque auctoritatem legatorum augebat, quando curru, quasi triumphabundi magnifico corporum etiam grãdium cultu exornati, velut reges, nõ supplices vt victi, aut rei, aut arma Alexandri metuentes regẽ adierunt. Porrò deditionis caussam negabant metum, quod nempè adhuc vires gentium essent integræ & inuiolatæ, nõ infractæ aut debilitatæ. Sed deos ipsos sibi auctores esse, vt gentes suas Alexandro tanquam nouo deo ad eos à superis misso dedant, totosq; ei se permittant, quamuis nulli vnquam antea seruijssent, aut cuiusquam se iugo subijssent. De eadem legatione Arrianus p. 132 133.

STIPENDIO, QVOD ARACHOSIIS VTRAQVE NATIO PENSITABAT, IMPOSITO) si Malli & Oxydracæ Arachosiorum stipendiarij fuere, quomodo libertatem per tot ætates inuiolatam iactabant? certè qui alteri stipendium pendit, illius seruus est. Inde apud Varronem stipendiarij populi, qui stipem, id est, stipendia & æs militare pendebant. Hinc Ennius:

——— *Pœni stipendia pendunt.*

Cicero etiam in Verrem, Hispanis & plerisq; Pœnorum, vectigal stipendiarium dicit impositũ. Malli ergo & Oxydracæ, Arachosiorum serui stipendiarij fuêre? stipendiarij quidẽ fuêre, sed nõ serui, nec regem vllum, nec magistratum extra suã gentem agnouêre, nec ipsi vni alicui parebãt, sed rempub. liberã habuêre, suisq; legibus viuebant, quamuis Arachosiorum imperium agnoscerent, illisq; stipendia penderent, vt Pœni Romanis, qui tamen nullum ex Romanis vel prætorem, vel præsidem prouinciæ, vel procõsulem ad excidium vsque suum admisêre. Sed Mallos & Oxydracas tutelæ potius caussa aliquid dependisse crediderim Arachosijs, alioqui protsus liberos, vt apud Heluetos pagus Gersauianus est nemini mortalium subiectus, qui tamen Schvvizeris pẽdit aliquid non subiectionis, sed protectionis, vt vocant, hoc est, tutelæ nomine. Gersau.

EXORNARI CONVIVIVM IVSSIT) Diodorus nulla facta legatorum mentione, tantum ait magnificas epulas instructas, Athenæus verò l. 1. dipnosophist. *Sedebant*, inquit, *in cœnis heroës, non accumbebant qui mos, vt inquit Duris, etiam interdum seruabatur apud Alexandrum regem. Is enim aliquando quadringentos duces in sellis aureis & argenteis, veste purpurea stratis, sedentes ac reclinatos, conuiuio excepit.* Curtius tamen lectis recubuisse hic tradit. Et Athenæum reor de Susianis nuptijs locutum, quamquã de illis ipsis infrà disertè loquatur, & illius conuiuij nuptialis magnificẽtiam & pompam multis verbis describat. quem locum l. 10. ad Curtium adferemus. Arrianus de hoc præsenti conuiuio nullum verbum, vti nec Plutarchus, nec Iustinus.

DIOXIPPVS ATHENIENSIS) hunc Athenæus in VI. παγκρατιαστὴν quinquertionem appellat, Ἀριστόβουλος, inquit, φησὶν ὁ Κασσανδρεὺς Διώξιππον τὸν Ἀθηναῖον παγκρατιαστὴν τρωθέντος ποτὲ τοῦ Ἀλεξάνδρου καὶ αἵματος ῥέοντος εἰπεῖν

ἰχὼρ οἷός πέρ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσι.

Aristobulus Kassandreus refert, Dioxippum Atheniensem quinquertionem, cum vulneratus aliquando fuisset Alexander, manante sanguine dixisse:

Est sanguis qualis Diuis fluit ipse beatis.

Aelianus de eodem: *Dioxippus pugil Olympionices Atheniensis, cum more pugilum Athenas introiret eques, magnaq; hominũ multitudo conflueret, atq; alius aliunde spectandi cupiditate dependeret, in ijs fœmina forma decentissima visum accurrerat. Quã videns Dioxippus subitò pulchritudine victus, indesinenter fixos in mulierem oculos habuit: conuersusq; & vultu in plurimos colores mutato, animaduersus est ab omni multitudine non oscitanter neq; ociosè fœminã contemplari maximè verò hunc eius affectũ redarguit Diogenes Sinopensis. Etenim aureum speculis operis Corinthij vendebatur, in quo ille (demõstrato pugile) dicebat ad proximos: En pugilem vestrum magnum, quemadmodum puella ei ceruicem confringit.* l. 12. c. 58. p. 342.

Plinius l. 35. c. 11. Dioxipppum hunc ab Alcimacho depictum laudat, qui pancratio Olympiæ citra pulueris iactum, quod vocant ἀκονιτί, vicit.

Fuit & alius Dioxippus Atheniensis Comicus, de quo Suidas.

PVGIL NOBILIS) de pugilatu, qui fuit inter gymnica certamina, multis passim locis, Petrus Faber in Agonisticis, Mercurialis de arte gymnastica l. 2. c. 9 De pugilatu, & pancratio, & cestibus inscripto. Alexander odit hoc genus certaminis, vt in vita eiusdem docet Plutarchus.

HORRATAS MACEDO) sequitur descriptio nobilis duelli inter Horratã & Dioxippum, in quo Dioxippus cum ingenti Græcorũ applausu & Macedonũ rubore victor è certamine discessit. Hanc narrationem videtur Curtius propè ad verbũ descripsisse è Siculo & latinè vertisse. Siculũ ipsum adi cum interprete, apud quem Horratas audit Coragi, seu Corragi, sicut & apud Aelianũ. pag. 567.

Aelianus à Dioxippo omninò interfectũ ait, *Dioxippus*, inquit, *in Alexãdri Macedonumq; presẽtia, correpta claua, Corragum armatum ex Macedonibus ad certamẽ prouocauit: & cum ei hastã excussisset,*

vi rapuit hominem cum armis,& iacentis collū calcauit,strictoq; gladio ipsum,quo cinctus erat,armatum intereunt quamobrem Alexander illum odio habuit, quod cum videret, animum despondit,& tristitia mœroreq; confectus,viuere desiit.

DIOXIPPVS OLEO NITENS ET CORONATVS) Luctatores, & pancratiastæ potissimum vngebantur,non item pugiles,aut cursores,vt docet Mercurialis l.1.c.8. Faber tamen etiā pugiles ait inunctas gestasse vestes,sed nō nisi ad subligaculum aut campestre, vocē vestis refert li.2.c.2.nudum certè ait Dioxippum Curtius fuisse,nisi nudum exponas inermem comparatione Horratæ,coronatus autem,veluti vel prioribus olim certaminibus victor, vel quasi certus de futura etiam cum Horrata victoria. De coronis multa Faber in Agonisticis.

Kösten-braun. PVNICEVM)phœniceus castanearum colorem imitatus,spadix ad rubrum accedit, & est inter atrum & rubrum medius.

EXIGVA CORPORIS DECLINATIONE)Cicero in Catilinam prima: *quot ego petitiones tuas ita coniectas,vt vitari non posse viderentur,parua quadam declinatione,& vt aiunt,corpore effugi!*

QVEM OCCVPATVM)in stringendo gladio. dum vagina educere conaretur gladium, anteuertit,arreptumque subductis & elisis pedibus deiecit in terram.

ARIETAVIT IN TERRAM)elegans metaphora.apud Ciceronem *In Bruto Accij ita loquitur*

1. de diuin. Tarquinius Superbus:

Visum est in somnis pastorem ad me appellere,
Duos consanguineos arietes inde eligi,
Pecus lanigerum eximia pulchritudine:
Deinde eius germanum cornibus conniti in
In me arietare,eoq; ictu me ad casum dari:
Exin prostratum terra grauiter saucium
Resupinum,in cœlo contueri maximum
Ac mirificum facinus ———

Virgilius quoque vsus est hac voce XI. Aeneid.extremo:

Pars in præcipites fossas vrgente ruina
Voluitur immissis pars cæca & concita frenis
Arietat in portas,& duros obijce postes.

ELISVRVSQVE EO VICTVM,NI PROHIBITVS ESSET A REGE) Aelianus omninò interfectum ait. Siculus cum Curtio facit. Aelianus,ex eo,refert, Dioxippum Alexandro inuisum fuisse,tum luctu & mœrore confectum interijsse.alia omnia,vt sequitur,Curtius & Diodorus.

AD CRIMINATIONES INVIDORVM)sequuntur arces aulicæ,quibus petitus & circumuētus Dioxippus perijt,vt antea Sisenes, & posteà Orsines. Nec est exitiosior pestis per aulas imperatorum,regum,principum grassari passim sueta.

SAEPE MINVS EST CONSTANTIAE IN RVBORE,QVAM IN CVLPA) inde gnoma apud Gruterum ex his verbis concinnata.

Sæpius minus in rubore est,quàm in culpa constantia.

Maior sæpè rubor & verecundia inest innocentibus,quàm peccantibus & nocentibus,vt si idem flagitium objicias castæ virgini & prostibulo,quia illi insolens est eiusmodi criminatio;hęc iam antè depuduerat.

NON POENITENTIAE TESTEM)cum adhuc nesciret innocentem fuisse,& per improborum inuidiam circumuentum.

INDIGNANTIS)indignè ferentis,quod notaretur digito propter sublatum aureum poculum,cùm plus meritus videatur.Ita Alexander interpretabatur voluntariā Dioxippi cædē,priusquam eius innocentia deprehensa esset,quam aperuit gaudium improborum ex morte innocentis captum.

CAPVT XV.

ARGVMENTVM.

Gentium duarum legati dimissi & reuersi ferunt mūnera. Rex varias gentes & oppida expugnat.



Ndorum legati dimissi domum paucis pòst diebus cum donis reuertuntur,CCC.erant equi,mille XXX.currus, quos quadrijugi equi ducebāt. Linea vestis aliquantum,mille scuta Indica,& ferri candidi talenta centum,leonesq; raræ magnitudinis,& tigres,vtrumq; animal ad mānsuetudinem domitum,lacertarum quoq; ingentium pelles,& dorsa testudinū. Cratero deinde imperat rex,haud procul amne per quē erat ipse nauigaturus,copias duceret. Eos autem,qui comitari eum solebāt,

imponit

*Imponit in naues, & in fines Mallorum secundo amne deuehitur. Inde Sabracas adijt validam Indiæ gentem, quæ populi, non regum Imperio regebatur; LX. millia peditum habebant, equitum VI. millia: has copias currus D. sequebantur. tres duces spectatos virtute bellica elegerant. at qui in agris erant proximi flumini (frequentes autem vicos maximè in ripa habebant) vt videre totum amnem, qua prospici poterat, nauigijs constratum, & tot militum arma fulgentia territi noua facie, deorum exercitum, & alium Liberum patrem, celebre in illis gentibus nomen aduentare credebant. Hinc militum clamor, hinc remorum pulsus, variaque nautarum voces hortantium pauidas aures impleuerant. Ergo vniuersi ad eos qui in armis erant, currunt, furere clamitantes, & cum dijs prælium inituros. nauigia non posse numerari, quæ inuictos viros veherent. tantumque in exercitum suorum intulere terroris, vt legatos mitterent gentem dedituros. His in fidem acceptis ad alias deinde gentes quarto die peruenit. Nihilo plus animi his fuit, quàm cæteris fuerat. Itaque opido ibi condito, quod Alexandriam appellari iusserat, fines eorum qui Musicani appellantur, intrauit. Hic de Teriolte Satrapa, quem Paropamisadis præfecerat, ijsdem arguentibus cognouit, multaque auarè ac superbe fecisse conuictum interfici iussit. Oxatres prætor Bactrianorum non absolutus modò, sed etiam amplioris imperij donatus est finibus. Musicanis deinde in ditionem redactis, vrbi eorum præsidium imposuit. Inde Præstos & ipsam Indiæ gentem peruentum est. Porticanus rex erat, qui se munita vrbi cum magna manu popularium incluserat. Hanc Alexander tertia die quàm cœperat obsidere, expugnauit: & Porticanus cùm in arcem confugisset, legatos de conditione deditionis misit ad regem. Sed antequam adirent eum, duæ turres cum ingenti fragore prociderant, per quarum ruinas Macedones euasere in arcem, qua capta Porticanus cum paucis repugnans occiditur. Diruta igitur arce, & omnibus captiuis venundatis, Sami regis fines ingressus est: multisque opidis in fidem acceptis validissimam gentis vrbem cuniculo cepit. barbaris simile monstri visum est rudibus militarium operum: quippe in *xxc. M.
media ferme armati è terra existebant, nullo suffossi specus ante vestigio facto. * DCCC. Indorum in ea regione cæsa Clitarchus est auctor, multosque captiuos sub corona venisse. Rursus Musicani defecerunt, ad quos opprimendos missus est Phyton, qui captum principem gentis, eundemque defectionis auctorem adduxit ad regem. Quo Alexander in crucem sublato, rursus amnem in quo classem expectare se iusserat, repetit. quarto deinde die secundo amne peruenit ad opidum, quod in regno erat Sami. Nuper se ille dediderat, sed opidani detrectabant imperium, & clauserant portas: quorum paucitate contempta rex D. Agrianos mœnia subire iussit, & sensim recedentes elicere extra muros hostem, secuturum profecto si fugere eos crederet. Agriani (sicut imperatum erat) lacessito hoste subitò terga verterunt: quos barbari effusè sequentes, in alios, inter quos ipse rex erat, incidunt. Renouato ergo prælio ex III. millibus barbarorum DC cæsi sunt, mille capti, ceteri mœnibus vrbis inclusi. Sed non vt prima specie læta victoria ita euentu quoque fuit: quippe barbari veneno tinxerant gladios; itaque saucij subinde expirabant: nec caussa tam strenuæ mortis excogitari poterat à medicis, cùm etiam leues plagæ insanabiles essent. barbari autem sperauerant, incautum & temerarium regem excipi posse. & fortè inter promtissimos dimicans, intactus tamen euaserat. Præcipuè Ptolemæus læuo humero leuiter quidem saucius, sed maiore periculo quàm vulnere affectus, regis solicitudinem in se conuerterat sanguine coniunctus erat, & quidam Philippo genitum esse credebant: certè pellice eius ortum constabat. Idem corporis custos promtissimusque bellator, sed pacis artibus quàm militiæ maior & clarior, modico ciuilique cultu liberalis imprimis, adituque facilis, nihil ex fastu regio assumserat: ob hæc regi an popularibus clarior esset, dubitari poterat. tùm certè primùm expertus suorum animos, adeò vt fortunam in quam postea ascendit, in illo periculo Macedones ominati esse videantur: quippe non leuior illis Ptolemæi fuit cura quàm regis; qui & prælio, & solicitudine fatigatus, cum Ptolemæo assideret, lectum in quo ipse acquiesceret, iussit inferri. in quem vt se recepit, protinus altior insecutus est somnus. ex quo excitatus, per quietem vidisse se exponit speciem draconis oblatam herbam ferentis ore, quam veneni remedium esse monstrasset. colorem quoque herbæ referebat, agniturum, si quis reperisset affirmans, inuentamque deinde (quippe à multis simul erat requisita) vulneri imposuit, protinusque dolore finito, intra breue spatium cicatrix

LX. MILLIA PEDITVM. VI. EQVITVM) perscriptum fuerat antea mendosissimè VI. millia peditum, VIII. millia equitum. quomodo cum VI. millibus peditum, & octo millibus equitum, hoc est, quatuor decem millibus contra centum viginti millia ducentem, & victorem gentium ausi fuissent non dicam dimicare, sed vel è longinquo comparere? Ex Diodoro igitur, quem plerunque sequitur Curtius, rescribo, *LX. millia peditum, VI. millia equitum*, vt peditū numero ex proportione etiam equitum numerus respondeat.

TOTVM AMNEM NAVIGIIS CONSTRATVM) nō amnem tantum, sed ripas etiam, vel Diodorus testatur, milite occupatas, qui secundum ripas armatus incedebat.

LIBERVM PATREM) nihil de hac re alij, & videtur commentum Curtij, sed opportunum & probabile, si non verum.

AD ALIAS DIE QVARTO PERVENIT) ad Sodras & Massanos, vt est apud Siculum, Sogdas apud Arrianum, non Sogdianos; quibus Ossadios addit liberos quoque populos.

OPIDO IBI CONDITO QVOD ALEXANDRIAM APPELL. IVSSERAT) testes Siculus & Arrianus, quamuis hic nomen non exprimat.

MVSICANI APPELLANTVR) Musicani vergunt maximè ad Austrum, vt ait Strabo. Ptolomæus Susicanam regionem vocat. Regnum & regionem ex Onesicrito, laudat Geographus in lib. xv. vbi & gētis mores & terræ ingenium describit, quę tibi ex illo reddo: *Multum est*, inquit* Strabo, *in Musicani terra commendanda, nonnulla incolis eius cum alijs Indis communia memorans, vt de longitudine vitæ quod centum & triginta viuant annos. nam & Seres his longæuiores dicuntur. Item de vitæ frugalitate & salubritate, quanquam regio rebus omnibus abundet. Id eo proprium est, quod Laconicorum in morem Syssitiorum cibum in publico capiunt. item, quod opsonium venatione quærunt: & auro & argento non vtuntur, quanquam metallis abundent. Item quod adolescentibus ætate integris loco seruorum vtuntur, quemadmodum Cretenses Aphamiotis, & Lacones Helotibus vtebantur. Item, quod nullas artes exquisitè discunt, præter medicinam, nam in quibusdam nimium exerceri, vt in bellicis ac similibus, maleficium putant. At quod iudicium ijs non est nisi cædis & contumeliæ, cùm homo præstare non possit, ne ijs adficiatur: quæ verò in contractibus fiunt, ea sint penes vnumquemque, ideo ferendum esse. si quis fidem violarit: sed videndum cui credatur, & non implendam esse vrbem controuersijs*. Et suprà ex Aristobulo: *In Musicani regione frumentum sponte nasci tritico persimile ait, itemque vites viniferas, cùm cæteri vino carere Indiam dicant, adeò vt nec ibi tibia sit, vt Anacharsis aiebat, nec vllum aliud musicum instrumentum præter cymbala & tympana & crepitacula, quibus vti præstigiatores soient.*

Non est Malaca aut aurea Chersonesus vt Ortelius tradit.
*p. 482. vel pag. 804.
p. 478. vel pag. 798.

MVSICANIS IN DITIONEM REDACTIS) coniungam quæ ad Musicanos pertinent: postea regrediar ad ea, quæ inferuntur de Teriolte & Oxatre Satrapis. De Musicano rege & Musicanis planè contraria narrant Arrianus & Siculus. Curtius neutri repugnat, sed generatim dicit vrbi Musicanorum præsidium impositum. Diodorus *a* Musicanum interfectum ab Alexandro, *b* Arrianus non solum vita donatum, sed regno restitutum ait. Siculus autem tribus verbis: *Hinc ad Musicani regnum peruenit, quemque captum interemit & gentem sua ditioni fecit.* Poterunt tamen scriptores hi inter se reconciliari. Nam quod vno verbo Diodorus ait captum & interemptum, hoc postea testatur Arrianus, cùm Musicanum regno suo restitutum ab Alexandro defe. ille narrat, captoque gulam laqueo fractam. *Dum hæc geruntur*, inquit Arrianus, *Musicani defectio nunciatur, quapropter Pythone Agenoris filio, satrapa, cum idoneo exercitu in eum misso, ipse vrbes Musicano subditas adortus, alias direptas subuertit, aliis præsidia imposuit, arcesque in ijs extruxit. His gestis ad castra & classem redijt, quò Musicanus à Pythone captus adducitur: Alexander illum in sua regione laqueo suspendi iubet, vnaq; cum eo quotquot Brachmanum Musicanum ad defectionem instigarant.*

a pag. 569.
b pag 134.

HIC DE TERIOLTE) Variè corruptum est huius satrapæ nomen, sicut & ipse varijs superbiæ, auaritiæ, improbitatis vitijs corruptus erat, & eo nomine etiam interfectus fuit, vt Curtius testatur; abdicatus tantùm, vt Arrianus docet, qui Tiryestem velut alterum Thyestem appellat. editiones antiquiores Curtianæ Desteriolem.

MVLTAQVE AVARE ET SVPERBE FECISSE) oratoria & accusatoria formul. Cic. in Verrem.

PAROPAMISADIS) De his suprà c. 4. l. 7. sed nihil de Teriolte.

OXATRES PRAETOR BACTRIANORVM) crediderim hunc socerum fuisse Alexandri, propter Roxanem filiam, de quo lib. 10. c. 6. *Ipse Oxatris Persæ filiam mecum in matrimonio iunxi*, Sed lib. 8. c. 10. videtur Cohortanum patrem Roxanes nominasse. quanquam ibi hiatus est in Curtio, & nomen Oxatris desideratur.

Arrianus hoc loco Tiryestæ subiungit Oxyartem Paropamisadis prętorem datum, & Curtius dicit non solùm absolutum, sed maiore dynastia donatum. Bactrianis ergo & Paropamisadis præfuit, & post Alexandri mortem solis Paropamisadis, & qui Caucaseis montibus subiecti sunt, vt est apud Dexippum. Addit rursùm infrà hoc ipso loco Arrianus totius regionis, quæ à confluentibus Acesinis ad Indū ad mare vsque pertinet Oxyartem & Pythonem satrapas constitutos. Est & alius Oxathres Darij frater, quem suprà non semel laudauimus, inter amicos Alexandri relscriptus.

INDE PRAESTOS) Confundunt aliqui hos Præstos cum Pharrasijs, & Prasijs seu Basijs, de quibus suprà ca. 4. dictum. De Præstis nulla apud alios, quod sciam, mentio. de rege tamen eorũ Porticano propè omnes. Quæ Ortelius in tabulis & thesauro adfert, tantùm ex Curtio petita sunt.

PORTICANVS REX ERAT) Eodem nomine Porticanus apud Siculum est, qui de eodẽ
* pag. 134. eadem plura memorat: Arrianus * Oxycanum præsidem prouinciæ, non regem appellat Sed res eadem cum Curtio & Diodoro.

Geographus Porticanum cum Curtio vocat:

SAMI REGIS FINES INGRESSVS) De Musicanis, Porticanis seu Oxycanis, Præstis, Sogdis, Sabis seu Sambis ita Glareanus: *Strabo, Diodorus, ac Arrianus Musicanum, regem faciunt, Curtius*
c. 381. *populum. Arrianus Paropamisadarum satrapen, non Tyriesten: Curtius Desteriolem. Præstorum regulum Curtius Porticanum, Arrianus Oxycanum nominat Pro Præstis Sogdios ponit Arrianus Strabonis codices Porticanum quoque habent, vt quidam Curtij codices. Ita paulò post, Sabi, in Arriano Sambi. pro rege: ex quo Diodorus populum facit. Item paulò pòst octo millia Indorum cæsa: in quibusdam Curtij libris legitur, quum Diodorus suprà octoginta millia cæsa tradit. Porrò vrbem, ad quam Ptolemæus Lagi vulneratus est, Diodorus Harmata vocat, & Brachmanam vrbem facit, Curtius Sabi regis vrbem. Strabo libro 15. Inter Oritas hosce numerat, vbi de Ptolemæo vulnerato. Tanta nominum locorum, ac historia confusio apud authores, vt referre pudeat. ad alia properemus.*

Quid pudeat? perinde in Romana historia, vnica tamen gentè, variant scriptores. Confer Polybium cum Liuio, Liuium cum Tranquillio, ac deinceps alios atque alios, sæpè animaduertes de eadem re alios atrum, alios album denarrare, vt hodie nulli inter se heretici (vti nec olim) consentiunt. Liuius ipse testatur sæpè eos qui ante se de rebus Pop. Rom. scripserunt dissentire, cum Fabium, Quadrigarium, & alios inter se comparat.

SAMI REGIS) Sambum appellat Arrianus, * apud quem de hoc plura. Fuit Sambus etiam Indiæ fluuius Arriano in Indicis, à quo terra & rex fortasse nomen traxerunt. Plura Siculus de rege Sambo, Plutarchus Sabbam appellat, eumque à Brachmanis ad defectionem solicitatum ait, qui de Brachmanis subijcit quæ nos supra retulimus, vbi de Calano dictum. Iustinus Ambigerum, Orosius Ambiram appellat.

VRBEM CVNICVLO CEPIT) de cuniculis militaribus suprà lib. VII. cap. 16. actum Martialis in XIII.

Gaudet in effossis habitare cuniculus antris,
Monstrauit tacitas hostibus ille vias.

IↃ CCC. INDORVM IN EA REGIONE CAESA) neque numerus iustus est, neque syntaxis; Quis enim ita loquitur, octingenti Indorum cæsa, vel octingenta Indorum cæsa, nisi *millia* subaudiatur: optimè contrà: octingenta millia cæsi. Editio Coloniensis Allobrogum, octo millia Indorum cæsi. Diodorus, vt legisti, octoginta millia posuit. ὑπὲρ τὰς ὀκτὼ μυριάδας κατέκοψε. *supra octoginta millia barbarorum deleuit.* Si legas *octingenta millia*, nimium numerus excrescit occisorum, si octo millia exiguus est pro totius regionis ratione, cum Siculo profectò legerim *octoginta millia*, ita vt pro octingentis vel octo millibus reponendum putem LXXX. M.

* pag. 569. AD OPIDVM QVOD IN REGNO ERAT SAMI) hoc opidum Diodorus * Harmateliam appellat, & Brachmanarum vrbem fuisse ait, ibique vulneratum Ptolemæum: qui de his omnia copiosè.

IↃ AGRIANOS) Leuis armaturæ equites, sed expediti, vt hodie Pannones seu Vngari sunt; magno passim vsui fuere Alexandro, vt è III & IV maximè constat. ex Pæonia gente, quæ inter Hæmum & Rhodopen sedes habuit. de quibus suprà largiùs dictum.

VENENO TINXERANT GLADIOS) acriter inuehitur Plinius * in eos, qui venenis ad ho-
* lib. 18. p. 416. minum exitium abusi sunt, quasi non sat multæ ad interitum hominis viæ sint: nullam feram alieno veneno pugnare,

De trist. l. 3 eleg. 10. Et Ouidius de Sarmatis seu Getis queritur:

Pars cadit humatis miserè confixa sagittis;
Nam volucri ferro tinctile virus inest.

Et l. 5. eleg. 77.

In quibus est nemo, qui non coryton, & arcum
Telaq; vipereo lurida felle gerat.

De Ponto l. 1. eleg. 2.

Qui, mortis sæuo geminent vt vulnere caussas,
Omnia vipereo spicula felle linunt.

Sed puto ego plures veneficijs per cibos & potiones, quam telis venenatis interijsse.

Lurida terribiles miscent aconita nouercæ.

Hinc tot à medicis excogitata alexipharmaca, theriaca, Mithridatica.

TAM STRENVAE MORTIS) noui morbi & incogniti tam cito non reperiunt amuletum; vbi caussæ depræhensæ sunt, facilis sæpè medicina.

PTO-

PTOLEMAEVS LAEVO HVMERO LEVITER SAVCIVS)hanc de Ptolemæi vulnere, & periculo, & curatione historiam complures tradidere; Cicero imprimis de diuinatione 2. Strabo in 15.pag.497 Iustinus l.12.pag.225. Orosius. Omnium clarissimè Diodorus, cuius verba suprà collocaui, quem secutus est Curtius, sed doleo à nullo scriptorum, herbæ à dracone Alexandro ostensæ speciem, aut nomen, aut formam expressam, quam diu nec quicquam quæsiui, rebar dracunculum vel dracontion dici, de quo multa herbarij, sed incerta ex nomine coniectura.

PELLICE EIVS ORTVM CONSTABAT) Pausanias in Atticis lib.1. *Ptolemaeum quidem Macedones re Philippi Amyntæ filij, verbo Lagi filium fuisse existimant. eius enim matrem vterum ferentem à Philippo, Lago vxorem datam ferunt.* Fuit ergo Ptolemæus frater Alex. Magni ex patre. Elegans est iocus seu potius conuitium cuiusdam grammatici in Ptolemæum, quod ita habet. Cùm (vt est in apophthegmatis Ptolemæi) *grammaticum notasset inscitiæ, quærens ab eo, quis esset Pelei pater, vicissimq; audisset, dic tu prius quis sit Lagi pater, amicis inuitantibus ad tantæ improbitatis vindictam, Si regium est*, inquit, *nō pati, vt à quoquam dicto attingatur, nec illud regium est, quenquam dicto lacessere. Iniquè petit vindictam, qui prior lacessiuit, cuiuscunque dignitatis fuerit. nec suæ dignitatis meminisse debet, qui referitur, cùm eius prærogatiuam lacessendo deposuerit.* Lagus homo obscurus erat Ptolemæi, vt ferebatur, pater. Obiecit ergo tacitè Ptolemæo patrem eius vel obscurum esse & terræ filium, vel ipsum ex adulterio susceptum, cum Philippi regis F. crederetur.

FORTVNAM IN QVAM POSTEA ASCENDIT) rex Aegypti factus, à quo omnes postea reges Aegypti, Ptolemæi dicti, quoad Aegyptus ab Romanis, deuictis regibus, in prouinciæ formam est redacta. De hac re infrà sub finem vltimi libri plura.

COLOREM QVOQVE HERBAE) nec colorem, nec odorem, nec saporem, neque nomen quidem apud vllum auctorem memini legere. Apud Dioscoridem tamen lego, quomodo id genus vulnera toxicata, & quibus herbis fuerint curata: sic enim ille lib.2. parabilium cap.140. * πρὸς * p.181.
τοὺς ζαθέντας ὑπὸ βέλους φαρμακωθέντος. εἰς τὰ τοξευόμενα δὲ ἐπιχρίεται τὸ ξίφος φάρμακα, ἁρμόζει ὀπὸς σιλφίου πινόμενος μετ' οἴνου, καὶ ἐπιτιθέμενος τοῖς τραύμασι μετά λείου τῶν θερμαντικῶν ἀποζεμάτων. *Iis, qui venenato telo gladioue icti sunt, conuenit, laserpitij liquor è vino potus, itidemq; vulneribus impositus cum decocto aliquo calfaciente.*

BARBAROS) seu Harmatelios, seu Oritas, seu Brachmanas.

PATHALIAM) Patalenam vocat Geographus *a*, illamque per Indum in duos alueos diuisum, *a* p.482.
ait, factam, quàm ibidem fusè describit Arrianus *b*, qui & Pattalam vrbem primariam appellat, *b* p.135.& de rebus Indicis p.169.
multaque alia adiungit, quæ apud ipsum leges. Quibus & Philostratum *c*, de eisdem plura narrantem, & Eustathium *d* ad Periegetem addes.

Maffæus Cambaiæ oram facit Pattalenam. *Hunc Maimames regionum peritus præter littus Arabium superato sinu Persico ad insulam & oppidum oræ Cambaicæ seu Patalenæ Dium adduxit, quam regionem priscis Carmaniam fuisse nonnulli recentiores falsò putarunt.* Dalecampius cum Maffæo sentit: *Patalis*, inquit, *nunc Cambaia regnum, veteri lingua Indorum hoc significat insulam triangularem, qualis est Cambaia.* Patalem adhuc Indi vocant, nunc Patam Diupætam oppidum populosissimum, & mercatura celeberrimum. Fuit triquetra figura, vt Plinius ait, & Græci similem literæ Δ affirmant, quod idem est. Stephanus, Πάταλα πόλις Ἰνδική, λέγεται δὲ καὶ παταλη. τὸ ἐθνικὸν, Παταληνὸς καὶ Παταλαῖος. *Patala vrbs Indica, quæ & Patale dicitur. Possessiuum, Patalenicus & Pataleus.* Benè Ortelius hanc insulam in expeditione Alexandri expressit. Ptolemæo, vt & Geographo Patalene, Plinio * Patales, *In eadem*, inquit, *India Patalis celeberrimo portu, sol dexter oritur, vmbra in meridiem cadunt, Septentrionem, ibi Alexandro morante, annotatum, prima tantum noctis parte aspici, & ea loca appellari Ascia, nec horas dinumerari ibi.* Videtur quibusdam Potana, de qua Siculus l. 3. vbi de fortunatis Insulis agit, ad has vndique mercatores commeant, in primis à Potana, quam Alexander ad Indum flumen condidit, vt commodam in illa Oceani ora nauium stationem haberet.

c lib.3. pag 154.
d p.134.v.6
* L.2.p.32.

REX ERAT MOERIS) huius regis nomen extra Curtium nusquam legi.

CAP.

CAPVT XVI.

ARGVMENTVM.

Per amnem ad Oceanum peruenit, ex æstu maris classis vltimum discrimen adit, iubet explorari Oceani naturam, oppida condit.



Dveibus deinde sumtis amnis peritis, defluxit ad insulam medio ferme alueo enatam. [1] *Ibi diutius subsistere coactus, quia duces socordius asseruati profugerant, misit qui cõquirerent alios: nec repertis, peruicax cupido incessit visendi Oceanum, adeuntique terminos mundi sine regionis peritis, flumini ignoto caput suum totq́. fortissimorum virorum salutem permittere. nauigabant ergo, omnium per quæ ferebantur ignari, quantum inde abesset mare, quæ gentes colerent, quàm placidum amnis os, quam patiens longarum nauium esset, anceps & cæca æstimatio augurabatur. vnum erat temeritatis solatium, perpetua felicitas. Iam CCCC. stadia processerant, cùm gubernatores agnoscere ipsos auram maris, & haud procul videri sibi Oceanum abesse, indicant regi. lætus ille hortari nauticos cœpit; incumberent remis. Adesse finem laboris omnibus votis expetitum. iam nihil gloriæ deesse, nihil obstare virtuti. sine vllo Martis discrimine, sine sanguine orbem terræ ab illis capi: ne naturam quidẽ longiùs posse procedere. breui incognita, nisi immortalibus, esse visuros. paucos tamen nauigio emissis in ripam, qui agrestes vagos exciperent, è quibus certiora nosci posse sperabat. illi scrutati omnia tuguria, tandem latentes reperere. qui interrogati, quam procul abessent mari, responderunt, nullum ipsos mare ne fama quidem accepisse: ceterum tertio die peruenire posse ad aquam amaram, quæ corrumperet dulcem. intellectum est mare destinari ab ignaris natura eius. itaque ingenti alacritate nautici remigant, & proximo quoque die, quò propius spes admouebatur, crescebat ardor animorum. tertio iam die mixtum flumini subibat mare, leni adhuc æstu confundente dispares vndas. tum aliam insulam medio amni sitam euecti paulò lenius, quia cursus æstu reserebatur, applicant classem, & ad commeatus petendos discurrunt, securi casus eius qui superuenit ignaris. tertia fermè hora erat, cum stata vice Oceanus exæstuans inuehi cœpit, & retro flumen vrgere quod primò coercitum, deinde vehementiùs pulsum maiore impetu aduersum agebatur, quia torrenti præcipiti alueo incurrũt. ignota vulgo freti natura erat, monstraq́. & iræ deûm indicia cernere videbantur; identidem intumescere mare, & in campos paullò antè siccos descendere superfusum. iamque leuatis nauigijs, & tota classe dispersa, qui expositi erant, vndique ad naues trepidi & improuiso malo attoniti recurrunt. sed in tumultu festinatio quoque tarda est. hi contis nauigia appellebant, hi dum considerent, remos aptari prohibebant: quidam enauigare properantes, sed non expectatis qui simul esse debebant, clauda & inhabilia nauigia languidè moliebantur: alia nauium inconsultè ruentes non receperant, pariterq́. & multitudo & paucitas festinantes morabatur. clamor hinc expectare, hinc ire iubentium, dissonaq́. voces nusquam idem ac vnum tendentium, nõ oculorum modò vsum, sed etiam aurium abstulerant. ne in gubernatoribus quidem quidquam opis erat, quorum nec exaudiri vox à tumultuantibus poterat, nec imperium à territis incompositisq́. seruari. Ergo collidi inter se naues, abstergerique inuicem remi, & alij aliorum nauigia vrgere cœperunt. crederes non vnius exercitus classem vehi, sed duorum nauale iniisse certamen. Incutiebantur puppibus proræ, premebãtur à sequentibus qui antecedentes turbauerant, iurgantiũ ira perueniebat etiã ad manus. Iamq́. æstus totos circa flumen campos inundauerat, tumulis duntaxat eminentibus velut insulis paruis, in quos plerisq́. trepidi omissis nauigijs enare poterãt. dispersa classis partim in præalta aqua stabat, quà sub-*

subsederant valles, partim in vado hærebat, vtcunque inæquale terra fastigium occupauerant vndæ: cùm subitò nouus & pristino maior terror incutitur, reciprocare cœpit mare, magno tractu aquis in suum fretum recurrentibus, reddebatque terras paulò antè profundo salo mersas. Igitur destituta nauigia alia præcipitantur in proras, alia in latera procumbunt. Strati erant campi sarcinis, armis, auulsarum tabularum, remorumque fragmentis. Miles nec egredi in terram, nec in naue subsistere audebat, identidem præsentibus grauiora quæ sequerentur exspectans. vix quæ perpetiebantur, videre ipsos credebāt; in sicco naufragia, in amni mare. nec finis malorum, quippe æstum paullò pòst mare relaturum: quo nauigia alleuarentur, ignari: famem & vltima sibimet ominabantur. beluæ quoque fluctibus destitutæ terribiles vagabantur. iamq. nox appetebat. & regem quoq. desperatio salutis, ægritudine affecerat: non tamen inuictum animum cura obruunt, quin tota nocte præsideret in speculis, equitesq. præmitteret ad os amnis, vt cum mare rursus exæstuare sensissent, procederent. nauigia quoq. & lacerata refici & euersa fluctibus erigi iubet, paratosque esse & intentos, cū rursus mare terras inundasset. Tota ea nocte inter vigilias adhortationesq. consumtà celeriter equites ingenti cursu refugère, & secutus est æstus: qui primò aquis leni tractu subeuntibus cœpit leuare nauigia: mox totis campis inundans etiam impulit classem, plaususque militum nauticorumque insperatam salutem immodico celebrantium gaudio, litoribus ripisque resonabat: vnde tantum redisset subitò mare: quò pridie refugisset: quænam esset eiusdem elementi natura modò discors, modò imperio temporum obnoxia mirabundi requirebāt. Rex cùm ex eo quod acciderat, coniectaret, post solis ortum statum tempus esse, media nocte, vt æstum occuparet, cum paucis nauigijs secundo amne defluxit: euectusque os eius CCCC. stadia processit in mare, tandē voti sui compos, præsidibusq. & maris & locorum dijs sacrificio facto, ad classem redijt. hinc aduersum flumen subit classis. & altero die appulsa est, haud procul lacu salso, cuius incognita natura plerosque decepit temerè ingressos aquam: quippe scabies corpora inuasit, & contagium morbi etiam in alios vuulgatum est. oleum remedio fuit. Leonato deinde præmisso vt puteos foderet, qua terrestri itinere ducturus exercitum videbatur: quippe sicca erat regio, ipse cum copijs substitit vernum tempus expectans. interim & vrbes plerasque condidit. Nearcho atque Onesicrito nautica rei peritis imperauit, vt validissimas nauium deducerent in Oceanum progressiq. quoad tutò possent, naturam maris noscerent: vel eodē amne vel Euphrate subire eos posse, cùm reuerti ad se vellent.

DVCIBVS DEINDE SVMTIS) ex eius loci incolis. Arrianus negat vllos duces principiò habuisse, omnes enim incolas ad famam aduentus Alexandri in montes & siluas antè profugisse, quàm Alexander ad ea loca accederet.

PERVIRAX CVPIDO INCESSIT VISENDI OCEANVM) Multis hic nominibus nimium gloriæ studium Alexandri carpit scriptor, quòd eius impulsu cupidinis se & suos, fortissimos viros in præsentissimum salutis periculum coniecerit, dum ignotum flumen sine ducibus regionis & amnis peritis ingrederetur, ignarus quantum inde abesset, quę ripas adsiderent gentes, quo impetu ostium Indi in mare præcipitaret, an mare pacatius venientem amnem velut hospitem placidè acciperet, an flumen ipsum largas naues admitteret. Sed omnia rex sua felicitate metiebatur, quæ hic etiam nonnihil hæsisse primum visa, ad extremum tamen omnes ex omnibus periculis explicauit.

NAVIGABANT ERGO, OMNIVM, PER QVAE FEREBANTVR, IGNARI) Non habeo meliorem huius capitis & nauigationis comitem, ducem & doctorem ipso Arriano (nā Diodorus * vix vno alteróve verbo rem attingit) qui accuratè omnia exponit, quem hoc loco pro me haud ᵃ l.17. pag. 57?. sub finem.
paullo meliorem interpretem substituo: *Ipse*, inquit, *(Alexander nempè) *cum delectis nauibus vlterius progreditur exploraturus, an ea parte, quà flumen in mare exit, facilis classi transitus futurus esset: progressusq. ab insula CC. circiter stadia. aliam insulam prospicit iam in mari sitam. Tum ad priorem * l.6. pag. 266 in 8.
fluminis insulam redit, atque ad eius promontorium appulsus, dijs quibus ab Ammone se sacrificare iussum esse dicebat, sacrum facit. Postero die ad aliam in Oceano sitam insulam nauigat. quò vbi venit, alijs hostijs, alijs etiam dijs, alio quoque modo sacrificat id quoque ex Ammonis oraculo facere se prædicans. Ipse Indi amnis ostia prætergressus, in vasto pelago nauigauit, exploraturus (vt ipse quidem dicebat) an aliqua regio vicina mari appareret: meo verò iudicio, præcipuè vt in Oceano qui vltra Indos est, nauigasse diceretur. Ibi tauros Neptuno cæsos in mare proiecit, libatione que sacrificio superaddita, phialam auream & crateras aureos, gratias agens, in vndas immisit: precatus, vt exercitum naualem, quem cum Nearcho in sinum Persicum, atque ostia Euphratis & Tigridis mittere statuerat, saluum & incolumem traducat.*

Nos tamen ad singula Curtij etiam verba, vbi visus erit, accedemus; nec enim eadem semper Arrianus & Curtius tradunt. Hic alter plura, alter pauciora narrat; mox contrà, alter copiosior, alter breuior est, vt fieri solet in eiusdem rei enarratione.

IAM CCCC. STADIA PROCESSERAT) duodecim nempè milliaria germanica & amplius semis.

AGNOSCERE AVRAM MARIS) quia cruda, aspera, incocta, vento præsertim flante & æstu maris impellente, vel ab illo impulso: sicut sentiunt ij qui à Noto, Austro, & meridie, arcticas regiones niue & glacie horridas petunt.

a cap. 17. b cap. 6. ADESSE FINEM LABORIBVS) nulla vnquam concio regis gratior fuit Macedonibus. Sed vehementer decepti sunt, vt infra & hoc a ex libro, & mox sequenti b patebit.

NEC NATVRAM LONGIVS POSSE PROCEDERE) Quàm hoc vanum! vbi Sinæ, Aurea Chersonesus, Moluccæ, Philippinæ, Iapones? & ad Occidentem Peruana & Mexicana amplissimæ regiones: illis quidem temporibus & multis etiam postea sæculis incognitæ gentes, & hodiè celeberrimæ, omniumque literis & monumentis celebratæ.

NAVTICI REMIGANT) sæpius vtitur hoc nomine Curtius, quo comprehendit remiges, nautas, naucleros, nauarchos, & gubernatores.

DISPARES VNDAS) salsas & dulces.

LENTAQVE ÆSTV) æstus, est reciprocatio maris, hoc est, accessus & recessus, de quo mox plenius.

ALTAM INSVLAM) reor hanc esse, quam Arrianus Cillutam appellat, qui in Indicis aliàs, tres alueos Indi fluminis nominat, in quos classis Alexandri priusquam Oceanum attingeret, delata est, Sturam, Carmana, Coreatim, aliamque insulam Corcala dictam. Plutarchus * Schillustin & Psiltucim vocatam ait.

* In Alex. p. 701. in fin.

PAVLLO LENIVS) quia propinquiores erant mari, cuius iam æstum retardantem aquas fluminis, amnis sentiebat.

TERTIA FERME HORA ERAT, CVM STATA VICE OCEANVS EXÆSTVANS INVEHI COEPIT, ET RETRO FLVMEN VRGERE. Non disputabo hic de motu fluxuque maris, vel naturali, (cùm vel à Septentrione in Austrum, vel Oriente in Occidentem fertur) vel de violento, cùm ventis agitatum nunc huc, nunc illuc contrarijs motibus impellitur. Sed de æstu duntaxat pauca, ad locum hunc explanandum, hîc collocabo. Aestus maris est, cum illud nunc intumescit, nunc rursus detumescit, idque certis horis siue senis, siue septenis, siue octonis, atque aliter hoc, aliter aliis in mari, de quibus doctè & eruditè Conimbricenses in meteoris tract. 8. c. 4. & seq.

In li tore Cambaia, inquit, qua est in faucibus Indi, mare binis horis triginta circiter leucas accessu obtegit: binis, totidem, retessu detegit. Itaque tanta rapiditate agitur, vt homines ingruentem è pelago vndam vix cursu euadant. Ne verò incautos æstus arripiat, cymbali sonitu admonentur. Nec naues ibi possent commorari, nisi haberent lacunas ad eum vsum defessas, in quibus mari abeunte consistunt. Postremò, nec eodem diei tempore vbique æstus incipit ac desinit: quandoquidem singulis diebus vnâ ferè hora mare tardiùs ascendit.

Hic obseruet lector illa verba *In littore Cambaia*, & quæ sequuntur, omninò ad hunc Curtij locum pertinere: Cambaia enim est in faucibus Indi, vt suprà monuimus.

Quærunt deinde naturæ interpretes, quæ sit sit res, quæ tantos maris æstus cieat. vbi alij mundum aiunt esse animal, & in Oceani profundis nares habere, per quas emissa anima vel hausta inflet maria, & resorbeat: alij arbitrantur sub Oceano, vel circa, quosdam genios versari, qui inuitent & recipiant mare: alij crediderunt à fluminibus ex altis montibus præcipitantibus, mare impelli: alij terræ situi aut motibus, alij Soli, alij alijs caussis æstus adscripsere. Sed tota propè sapientum & veterum & recentum natio rationes æstûs Lunæ impressionibus assignant. Apuleius de Mundo libro primo. *Sentitur etiam cœli marisque cognatio, cum menstruis cursibus Lunæ, detrimenta & accessus fretorum atque æstuum deprehenduntur.* Hanc sententiam etiam laudat & sequitur Conimbricensis Academia, quomodoque id fiat eruditè exponit, simulque ad varias inde natas quæstiones & dubitationes respondet, quas tu capite sexto & septimo tractat. octauo cognosces.

TERTIA FERME HORA) ante meridiem, post solis ortum, quæ apud nos est nona antemeridiana.

Tempora æstus iam suprà ex cap. 4. Conimbr. didicisti.

ADVERSVM) in retortum, retrorsum actum, reciprocum.

IGNOTA VVLGO FRETI NATVRA ERAT) imò non turbæ nauticæ & militari tantum ignota, sed ipsi Alexandro & sapientum collegio. Quamuis enim ex Græco & Aegeo mari, atque Euripis, de alijs quoque maribus conijcere possent: Indici tamen Oceani ingenium, ante id ætatis Europæ prorsus erat ignotum, nec coniectura adsequi poterant, quantis illic exæstuaret fluctibus, quantoque impetu ferretur, & quo tempore exundaret.

SED IN TVMVLTV) elegans hypotyposis ingentis perturbationis velut oculis subiecta

quam,

quam lector, non oculis spectare, sed ipse quoque trepidare, festinare, timere, nec sine voluptate videtur. Verum enim, quod ait Lucretius * in re non absimili, aut etiam diuersa. *l.2.v.1.& seqq.

Suaue, mari magno turbantibus aequora ventis
E terra magnum alterius spectare laborem.
Non quia vexari quemquam est iucunda voluptas, *E libro
Sed, quibus ipse malis careas, quia cernere suaue est,
Suaue etiam belli certamina magna tueri,
Per campos instructa, tua sine parte pericli.

CONTIS) longis & robustis perticis & hastis.

DVM CONSIDERENT) milites, dum quisque locum in naui quaereret, vbi consideret, impediebant remiges, vt remos applicare non possent.

CLAVDA ET INHABILIA NAVIGIA) clauda, non omnibus partibus integra; deerant enim & multi remi & remiges, & qui necessarijs rebus naues instruerent naucleri, desiderabantur. Inde fiebat, vt non possent citò enauigare, vel in ripam, vel in medium flumen.

MVLTITVDO ET PAVCITAS) in quibusdam erant nimis pauci, in quibusdam nimis multi. Ita vtraque res moram nauigationi iniecit, nimium, inquam, & minimum.

CLAMOR) vt suprà * de perturbatione praelij, & consulta Pori acie dixerat, tot fuisse imperatores, quot agmina. licebit hic affirmare tot fuisse gubernatores, quot vectores, omnes imperabant, nemo parebat, nihil in medium consulebatur. *l.3.c.25.

COLLIDI INTER SE NAVES) confer ista cum Arriani verbis: *Orta tempestas ventusque aestui contrarius canas vndas ciebat naues, inter se collidebat.* &c.

ABSTERGERIQVE INVICEM REMI) similem ferè casum, in pugna tamen nauali & seria describit Liuius: l.28.p.694.num.30.

Abstergere & detergere idem est, & valet, quod frango, vt Virgilius loquitur, *Franguntur remi*, vel abscindo. Aulus Hirtius de bello Alexandrino: *Nullus remi detergerentur.* Caesar lib. de bello ciuili: *aut remos transcurrentes detergere, si possent, contendebant.* Abstergo & abstergeo, detergo & detergeo dicitur, secundi & tertij ordinis.

RECIPROCARE COEPIT) recipere se intra littus suum, & ad priorem redire statum.

STRATI ERANT CAMPI SARCINIS)

Arma virum, tabulaeque, & Troia gaza per vndas. Virg.l.1. Aen.v.118.

IN SICCO NAVFRAGIA) eleganter hoc & acutè, à contrario, cùm naufragia in alto fieri soleant, hic in terra faciebant naufragia. Ita permutata rerum natura, vt vbi terra fuerat, esset mare.

FAMEM ET VLTIMA SIBI OMINABANTVR) omnia enim circum loca sterilibus obsita arenis, nihil alimentorum pollicebantur.

BELVAE FLVCTIBVS DESTITVTAE TERRIBILES VAGABANTVR) palpitabant in aestu iam tenui & deficiente, haerebantque in vadis, vel frustrà conabantur aestum sequi, vt immanes phocae, quales nostra tempestate apud Batauos per aestum in littus eiectas accepimus, vt per gradus & scalas in tergum beluae esset enitendum. Apud Osorium * quoque legimus in Cananorensis arcis obsidione, cùm Lusitani maxima famà premerentur, magnam ingentium squillarum vim per aestum in littus expulsum, quibus famem depulerint. Maffaeus * locustam marinam fuisse eiectam, idque in D. Virg. assumpt. die d' initùs accidisse refert. *l.4. De rebus Emmanuelis sub fin. *lib.3.hist. Ind.p.58.in fol.

REX CVM EX EO QVOD ACCIDERAT PROSTATVM TEMPVS ESSE) quia suprà dixerat, hora tertia (quae nobis ante meridiem nona) Oceanum exaestuasse, obseruauit aestum postridie ante meridiem rediturum.

De Euriporum & reciprocationum maris tempore, suprà ex Conimbricensium chartis ad meteora Arist. c.4. monitus es. tract. 8.

CCCC. STADIA) idem spatium suprà exposui hoc cap.

TANDEM VOTI SVI COMPOS) redi ad illa huius capitis verba: *Adesse finem laboris*, &caet.

DIIS SACRIFICIO FACTO) praesidibus maris, Neptuno regi maris. a Virg.l.1. Geor.v.437.

a *Glauco, & Panopeae, & Inoo Melicertae,*
b *Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo,* b Idem l.3. Georg.v.119.
Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

Arrianus suprà laudatus: *Ibi tauros Neptuno caesos in mare proiecit, libationeque, sacrificia superaddita, phialam auream & crateras aureos, gratias agens, in vndas immisit.* Siculus: *Tunc cum familiaribus ad Oceanum prouectus, duabus illic insulis repertis, magnifica deos sacrificio veneratur, aureaque pocula non pauca, nec pondere exigua, vnà cum libamentis in mare proiecit: tandem excitatum in Thetyos & Oceani honorem aris, expeditioni propositae finem imposuisse ratus, classe per amnem retrò reuehitur.* l.17.p.570.

AD CLASSEM REDIIT) Arrianus bis in Oceanum excurrisse Alexandrum, vt vtrumque Indi ostium exploraret, vt per lenius, classem in Oceanum deduci iuberet.

ADVERSVM FLVMEN) tota classis recessit aliquantulum à mari, & ad falsum locum aqua marina tinctum, classem applicuit.

SCABIES CORPORA INVASIT) de virtutibus & vitijs aquæ marinæ θαλασσίῳ ὕδατος tractat Dioscorides lib. 5. cap 19. Sed nos non profitemur hic medicinam, nec plora vel scabiei abstersionem, maculas codicû, si quæ incurrunt, subinde diluimus & repurgamus. cætera vide apud Aesculapij cultores.

Hic autem, quod docet Curtius, scabiem ex lacu infectis exortam, caussam reor, quod aqua illa non fuerit marina, sed mixta, & in lacu stagnante semiputris, ex qua nata sit psora & scabies. de lacu plura Arrianus p. 137.

PVTEOS FODERET) de puteis testatur etiam Arrianus, quamuis non per Leonnatum. Iustinus: *Inde iter terrestre factum, cum arida loca media dicerentur, puteos opportunis locis fieri præcepit.*

VERNVM TEMPVS EXPECTANS) Arrianus explicat plenius: *Ipse denuò in lacum nauigans, alias portum nauali aque exstruxit, præsidio que ibidem relicto, frumentum in quatuor menses conuexit, aliaque ad nauigationem necessaria parauit. Erat verò id anni tempus ad nauigandum ineptum. Etesiæ enim spirabant qui quidem ea anni parte non à Septentrione vt apud nos, sed ab Oceano ex Austro potissimum exurgunt. Siquidem ab initio hiemis, quæ simul cum occasu Pleiadum incipit, ad solstitium hibernum vsque nauigabilem ijs in locis Oceanum esse narrabant. Tum enim temporis cum regio multis pluuijs madet, leues auras excitari, & ad nauigationem tam velis quàm remis faciendam accommodatas.*

NOVAS VRBES CONDIDIT) quot, & quas, & quo nomine, hoc loco nemo prodidit. alibi docuimus per omnem orbem duas & septuaginta ab illo condi tas, & octodecim, inter has, Alexandrias, alias Nicæam, Bucephalam, Nicopolim, Barcen, hoc loco Iustinus nominat Xylenopolim, Cardusi opidum, Cadrusiam Solinus appellat, sicut Arachosiam Semiramidis, Campyssam Cyri, alias anonymas nobis.

NEARCHO ATQVE ONESICRITO) Nearchus præfectus erat totius classis, Onesicritus gubernatorum, vt Arrianus in Indicis docet, quæ de tota primùm classe Alexandri, mox de Nearchi & Onesicriti paraplo plura narrat p. 180. & seq.

* In Alex. M p. 701. in fol. Plutarchus* de eadē: *Descensus, inquit, Alexandri per flumina ad Oceanum, septem mensium spacium absumsit, vt verò classe ad Oceanum penetrauit, accessit ad insulam, quam ipse Scillustin, Psiltucin alij appellauêre. Ibi exscensione facta, sacrificauit, pelagique & oræ maritimæ quatenus assequi valuit, indolem collustrauit. Inde precatus, ne quis post se mortalium expeditionis sua transcenderet terminos, regressus est. Naues circumuehi iussit, relicta ad dextram India: Classi præfecit Nearchum, magistrum gubernatorum Onesicritum creauit.* Hic ergo Nearchum relinquamus, donec ad eum lib. 10. c. 2. redeamus.

EODEM AMNE VEL EVPHRATE) eodem amne Indo, vel Euphrate, nam & is in Oceanum se exonerat. Aduersis ergo ijs fluminibus poterat ad Alexandrum iam Babylona cogitantem redire.

CAPVT XVII.

ARGVMENTVM.

Varias gentes recipit in fidem. oppidum constituit. maritimos Indos adit. esurit. simul exercitus pestilitate laborat.



Amque mitigata hieme, & nauibus quæ inutiles videbantur crematis, terra ducebat exercitum. Nonis castris in regionem Abaritarum, inde totidem diebus in Cedrusiorum peruentum est. Liber hic populus concilio habito dedidit se, nec quidquam præter commeatus imperatum est. Quinto hinc die venit ad flumen, Arabon incolæ appellãt. regio deserta & aquarum inops excipit, quam emensus in Noritas transit ibi maiorem exercitus partem Hephæstioni tradidit, leuem armaturam cum Ptolemæo Leonatoque partitus est. tria simul agmina populabantur Indos, magnaque præda acta sunt maritimos Ptolemæus, cæteros ipse rex, & ab alia parte Leo-

te Leonatus vrebant. In hac quoque regione vrbem condidit, deductique sunt in eam Arachosii. hinc peruenit ad maritimos Indos: desertam vastámq; regionem latè tenent: ac ne cum finitimis quidem vllo commercij iure miscentur. ipsa solitudo natura quoque immitia efferauit ingenia. prominent vngues nunquam recisi, coma hirsuta & intonsa sunt. tuguria conchis & cæteris purgamentis maris struunt. ferarum pellibus tecti, piscibus sole duratis, & maiorum quoq; beluarum, quas fluctus eijcit carne vescuntur. Consumtis igitur alimentis Macedones primò inopiam, deinde ad vltimum famem sentire cœperunt, radices palmarum (namque sola ea arbor gignitur) vbique rimantes. sed cùm hæc quoque alimenta defecerant, iumenta cædere aggressi, ne equis quidem abstinebant; & cùm deessent quæ sarcinas veherent, spolia de hostibus propter quæ vltima Orientis peragrauerant, cremabant incendio. famem deinde pestilentia secuta est; quippe insalubrium ciborum noui succi: ad hoc itineris labor, & ægritudo animi vulgauerant morbos, & nec manere sine clade, nec progredi poterant. manentes fames, progressos acrior pestilentia vrgebat. ergo strati erant campi penè pluribus semiuiuis, quàm cadaueribus. Ac ne leuius quidem ægri sequi poterant: quippe agmen raptim agebatur, tantum singulis ad spem salutis ipsos proficere credentibus, quantum itineris festinando præciperent. igitur qui defecerant, notos ignotósque vt alleuarentur, orabant. Sed nec iumenta erant quibus excipi possent, & miles vix arma portabat: imminentiáque etiam ipsis facies mali ante oculos erat. Ergo sæpius reuocati ne respicere quidem suos sustinebant, misericordia in formidinem versa. illi relicti deos testes, & sacra communia, regísque implorabant opem: cumque frustra surdas aures fatigarent, in rabiem desperatione versi, parem suo exitum, similésq; ipsis amicos & contubernales precabantur. Rex dolore simul ac pudore anxius, quia causa tantæ cladis ipse esset. ad Phrataphernem Parthienorum satrapem misit, qui subiret camelis cocta cibaria afferre. alios quoque finitimarum regionum præfectos certiores necessitatis suæ fecit: nec cessatum est ab his. Itaque fame duntaxat vindicatus exercitus, tandem in Cedrosiæ fines perducitur omnium rerum solo fertili regio est, in qua statiua habuit, vt vexatos milites quiete firmaret.

NONIS CASTRIS IN REGIONEM ABARITARVM) hos Geographus Arbies appellat, *In ea, inquit, primùm Arbies habitant, eodem nomine quo Arbu flumen appellant, quod eos à sequentibus Oritis deiunxit, mille ferè stadiorum oram habentes, vt Nearchus ait, quæ & ipsa Indorum pars est.* Plura Arrianus *a*, & Siculus *b*, quos videbis: Arbios Plinius *c* vocat. In p. 494. a p. 138. b pag. 591. c li. 6. c. 23.

NONIS CASTRIS) nono die.

IN GEDROSIORVM) ita lege Gedrosiorum, non Cedrasiorum vel Cedrosiorum, est vbique Γ apud Græcos.

Gedrosiam describit Marcianus Heracleotes Ponticus in suo periplo * 1 *Gedrosia*, inquit, *à septentrione Drangianâ & Arachosiâ circumscribitur. ab occasu vsque ad mare Carmaniam habet. ab Oriente parte India quoad Indum flumen pertinet, vsque ad Arachosiam dicta terminos definitur. A meridie Indico Oceano clauditur.* Descendit deinde ad singularem eius regionis descriptionem. Nobis hæc satis. * pag. 14.

AD FLVMEN ARABON) Straboni est Arbis, Ptolemæo Araps; Arabion Arriano; Plinio Arbites. Ptolemæus vrbem in Gedrosia Arbim, populum Arbritas maritimum facit.

NORITAS) Oritas Arrianus * appellat, & reor apud Curtium rescribendum Oritas vel Horitas, mutato N in H, quemadmodum Coloniensis Allobrogum editio habet. sed melius sine aspiratione, quemadmodum est apud Arrianum, Strabonem, Periegetem. Siculus tamen nec Noritas, nec Horitas, nec Oritas, sed Neoritas vocitat, quem contracta syllaba videtur imitatus Curtius. sed in Oritas tres principes veterum Græcorum coniurant, vt meritò illa lectio sit alijs præferenda. Strabo * quoque Oritas vocat, cuius locus huc facit: *Postea, inquit, sunt Oritagenis liberæ conditionis, quarum paraplus seu præternauigatio mille octingentorum est*, id est, quinquaginta sex milliariorum germanicorum cum quadrante. De Oritis plura Periegetes: qui & Aribas rectè cum his coniungit: & ad illum Eustathius. * p. 138. & 10. * l. 15. p. 829

TRIA SIMVL AGMINA POPVLABANTVR INDOS) testatur * hoc Geographus, *Nam copijs, inquit, trifariam diuisis, ipse (Alexander) cum exercitus parte per Gedrosiam profectus est. à mari quingentis stadijs, vbi plurimum iter faciens, vt simul & classi oram commodam pararet, sæpe etiam mari appropinquauit, tametsi id inopes difficilésque & asperas actus habebat.* Curtius tamen non inter Gedrosios hanc barbaram gentem recenset, vt ex fine huius capitis constat; nec Plutarchus. * pag. 828.

ARACHOSII) Alexandrum à Pontica regione in vltimam Indiam secuti. regredere ad l.7.c.3. de eisd. l.4.c.28.

AD MARITIMOS INDIAM) Per Gedrosiam profectus, vt iam ex Strabone quoque ostendimus. Sequitur barbarissimæ Gedrosiorum gentis maritimorum descriptio, quâ feritatem, mores, cultum sine cultu corporis, ædes, victum explicat, omniaque ex Diodoro hausisse videtur, quem adibis p.571. & seq. De tugurijs etiam Arrianus, *iam tuguria*, inquit, *ex conchis congesta facta, tecta ex piscium spinis.* De huius generis tectis è piscium ossibus erectis leges etiam apud Olaum
p 185. M. Idem Arrianus in Indicis: *Erant*, inquit, *capitui crassis corporibus, capite & vnguibus ferinis. siquidem vnguibus loco ferri vti dicebantur, piscesq; ijs discindentes, ligna etiam molliora ijs secabant: ad duriora saxis acutis vtebantur: ferrum apud eos non erat. Ferarum, aut grandium piscium pellibus sese vestiebant.*

CONSVMTIS IGITVR ALIMENTIS) hoc tristissimum Alexandri iter, vltimamque famem & sitim, magnam exercitus stragem complures tradunt scriptores, è quibus princeps est Geographus p.496 & seq. vel pag 828. & seq.

Obserua, quæ à Strabone l.15. pag 829.

περὶ τῶν φοινικῶν ἐγκεφάλου

De palmarum cerebro seu medulla,

dicuntur referri. De hoc cerebro mira ab Antonio * Mureto de ridiculo cuiusdam errore, qui
* l.13. Var. c.12. cum in Plutarcho legerat, Phœnicis cerebrum dulce quidem esse, sed lædere caput, existimauit, de
Phœnicis auis cerebro agi, quod sanè nunquam existimasset, si ipse cerebrum habuisset, eleganter & lepdè rem totam narrat Muretus, si lubet illum videre. Ego propero ad Curtiū. De his plu-
a libr.2. περὶ φυτῶν vbi de palmarum generib. agit. ra Theophrastus a, Plutarchus b, Plinius c, Siculus d, Arrianus e copiosissimè, quem cum cæteris
curiosus lector non sine operæ fructu perleget.

Idem in Indicis breuissimè. *Post Oritas Gadrosii habitant, quorum fines difficulter cum exercitu Alexander transiit, pluraq; incommoda & damna accepit, quàm in tota reliqua expeditione.*

b de vita Alex. p.702. RADICES PALMARVM) Strabo de hac ipsa re suprà laudatus ἀπὸ δὲ τῶν φοινίκων ἡ σωτηρία,
c lib.13.c.4. οὔτε χαρποῦ, καὶ τοῦ ἐγκεφάλου *palmarum tamen & fructus & cerebrū saluti fuit*. At * Plinius ait, milites
d pag 572. Alexandri palmis viridibus strangulatos fuisse. Idemque ante Geographus docuerat in XV. οἱ τε
e p g.138. & seqq. ὠμοὶ φοίνικες πολλοὺς ἔπνιγον, *cruda palma multos suffocabant*. In Gedrosis id factum est pomi gene-
* l 13.c.4. re. Arrianus καὶ τὰς τῶν φοινίκων βαλάνους κατακομίζειν *palmarum etiam dactylos adferre iussit.* Mira
* l.7 hist. Ind. p.194. sunt quæ de Indica palma tradidit noster * Maffæus, illam omnia vitæ necessaria præbere incolis,
vel p.135. f. Gol. edit. victum, potionem, cultum, chartas, naues, vela, funes, & omne nauticum instrumentum largitur.

EA SOLA ARBOR GIGNITVR) hoc quidem & Maffæus affirmauit, sed Arrianus pag. 138. alia narrauit.

FESTINANDO PRAECIPERENT) ita suprà locutus est: *si me præceperit fatum.* Si præoccuparit, anteuerterit. Quæ hîc narrantur exercitûs incommoda, damna, morbi, & strages, eadem iā suprà ex Strabone, Arriano, Plutarcho, Siculo audisti.

MISERICORDIA IN FORMIDINEM VERSA) Cæsar in VII. *In summo periculo timor misericordiam non recipit.*

REX DOLORE SIMVL ET PVDORE) omnia ab Alexandro simulata, testibus Arriano, & Strabone existimata sunt, illumque hæc studio superandi Cyri & Semiramidis famam, non ignarum futurorum malorum, aggressum.

PHRATAPHERNE) de hoc suprà, l.6.c.8. l 8.c.2. & 7.

GEDROSIAE FINES) ita scribe, non Cedrosiæ, vt ante monui.

* pag. 828. OMNIVM RERVM FERTILI SOLO) Geographus * non valde fertile solum affirmat: *Supra hos, inquit, est Gedrosia, minus quàm India exusta, quàm reliqua Asia magis. Ea fructuum & aquarum inopia laborat, nisi æstate, nec multo melior est, quàm regio Ichtyophagorum: fert tamen aromata, præcipuè nardum & myrrham, vt Alexandri exercitus his pro tecto & stratis vteretur, odoratiorem simul & salubriorem aërem habens*, & quæ sequuntur.

Plura Periegetes, Eustathius, Arrianus, Ammianus Marcellinus l.23.p.312. Plutarchus.

CAPVT XVIII.

ARGVMENTVM.

Defectores victi, puniti. Rex damna resarcit exercitus. Bacchi triumphum æmulatur.



Ic Leonati literas accipit, conflixisse ipsum cum octo millibus peditum & CCCC. equitibus Noritarum, prospero euentu. A Cratero quoque nuncius venit, Ozinem & Zariaspem nobiles Persas defectionem molientes oppressos à se, in vinculis esse. Præposito igitur regioni Siburtio (namque Memnon præfectus eius nuper interierat morbo) in Carmaniam ipse processit. Aspastes erat satrapes gentis, suspectus res nouare voluisse, dum in India rex est: quem occurrentem dissimulata ira comiter allocutus, dum exploraret quæ delata erant, in eodem honore habuit. Cùm Indiæ præfecti sicut imperatum erat, equorum, iumentorumque iugalium vim ingentem, ex omni quæ sub imperio erat regione misissent, quibus deerant impedimenta, restituit. Arma quoque ad pristinum refecta sunt cultum, quippe haud procul à Perside aberant, non pacata modò, sed etiam opulenta. Igitur, vt suprà dictum est, æmulatus patris Liberi non gloriam solùm, quam ex illis gentibus deportauerat, sed etiam famam, siue illud triumphus fuit, ab eo primùm institutus, siue bacchantium lusus, statuit imitari, animo super humanum fastigium elato. vicos per quos iter erat, floribus coronisque sterni iubet; liminibus ædium crateras vino repletos, & alia eximiæ magnitudinis vasa disponi: vehicula deinde constrata, vt plures capere milites possent, in tabernaculorum modum ornari, alia candidis velis, alia veste preciosa. Primi ibant amici & cohors regia varijs redimita floribus coronisque. alibi tubicinum cantus, alibi lyræ sonus audiebatur. item in vehiculis pro copia cuiusque adornatis commessabundus exercitus armis, quæ maximè decora erant, circumpendentibus, ipsum conuiuasque currus vehebat, crateris aureis, eiusdemque materiæ ingentibus poculis prægrauis. Hoc modo per dies septem bacchabundum agmen incessit, parata præda, si quid victis saltem aduersus commessantes animi fuisset. Mille hercule viri, modò & sobrij, septem dierum crapula graues in suo triumpho capere potuerant. Sed fortuna, quæ rebus famam pretiumque constituit, hoc quoque militiæ probrum vertit in gloriam. & præsens ætas & posteritas deinde mirata est, per gentes nondum satis domitas incessisse temulentos; barbaris quod temeritas erat, fiduciam esse credentibus. Hunc apparatum carnifex sequebatur: quippe satrapes Aspastis, de quo ante dictum est, interfici iussus est. adeò nec luxuriæ quidquam crudelitas, nec crudelitati luxuria obstat.

PROSPERO EVENTV) contrarium ferè docet Siculus,* *Et dum adhuc,* inquit, *in itinere est* Alexander, *Oritarum quidam Leonnati agmen adorti, numerum haud exiguum prostrauêre. & hinc ad sua se receperunt.* Fuit Leonnatus vnus è septem custodibus corporis Alexandri, qui omnes magni principes & agminum ductores fuere, inter quos duo posteà regnarunt, Ptolemæus & Lysimachus, quibus octauus accesit Peucestes,* teste Arriano. * pag. 57. v. * aliter montanorũ

OZINEM ET ZARIASPEM) Alius Ozines, alius Orsines fuit, de quo lib. seq. Ozinem Arrianus hîc Ὀρδώνην Ordonem appellat τὸν ἀποστάντα καὶ νεωτερίσαντα. *Alexandro,* inquit, *iam Carmaniam ingresso, Craterus ad eum venit, reliquum exercitum & elephantes secum ducens, vnaque Ordonem, quem quod defectionem molitus esset, ceperat.* De Zariaspe Satrapa nihil memini apud alios legere, nisi forte sit Baryaxes Medus apud Arrianum affectati regni postulatus & interfectus. * de rebus gestis Alex. p. 148. Idem in Indicis. pag. 184. f. l. 6 extre.

SIBVRTIO) Sisyrtius est Arriano,* quem Siburtium Curtius vocat, Carmaniæ satrapa, postea Gedrosorum & Arachotorum præses: *Apollophanem, quod nihil eorum, quæ imperata ei fuerant, perfecisset, satrapatu deponit, Thoante in eius locum suffecto: qui quum ex morbo decessisset, Sisyrtius ei successor est datus. Hic ipse Carmaniæ satrapa erat, nuper admodum id muneris ab Alexandro consecutus; tum verò Arachotorum & Gadrosorum imperium illi collatum est. Carmaniam verò Tlepolemus Pythophanis filius tenuit.* * pag. 177. p. 142. vel p. 277. in 8.

* lib. 18. p. 587. sub f. Diodorus etiam Σιβύρτιον appellat, latinè Sibyrtios vel Siburtius.

MEMNON PRAEFECTVS) de hoc Curtius l. 7. c. 3. *Arachosijs Memnon datus prætor.* & lib. hoc cap. 7.

IN CARMANIAM) Carmania parte sui, Marciano Heracleote auctore, Persicum sinum respicit, parte verò, Indicum Oceanum post Persicum sinum: Circumscribitur à septentrione Carmania deserta, ab Occidente, Perside & flumine Bagrada, & parte etiam reliqua sinu Persico, eò quod Carmanico sinu illum respiciant. Ab Oriente Gedrosiam iuxta Persicas alpes respicit à meridie post fauces Persici sinus Oceano Indico. Subijcit deinde singularium partium spacia.
* p. 499. Nec Ptolemæus dissentit, Geographus * paullo plura de Carmania, & eius fertilitate, & fluminibus auro fulgentibus, & moribus refert.

* pag. 21. Plinius eadem de auro & arsenio. Periegetes eadem decantat: ad quem vide * Eustathium.

Docet * Periegetes, quod circa Persicum sinum magna gens Carmani dicti habitent, vbi flumen ramenta auri deferat. Sunt ibidem metalla argenti & Arsenici, & æris, & rubticæ seu minij, & montes duo ex Geographi * sententia, alter Arsenici (quod vulgari lingua Arsenicium vocatur) ferax, alter salis. Fert ibidem vitis racemos sæpè bipedales rotundis & magnis acinis. Significat Carminia, incolarum lingua calorem. Habet ab Oriente Gedrosios.
* lib. 15. p. 837.

ASPASTIS) de hoc prætore Carmaniæ, nihil vel alibi, vel apud alios, quod meminerim, legi; quamuis Arrianus prætores gentium non indiligenter annotarit, huius tamen mentio nulla est. Hunc Aspastiu occidit Alexander inter ipsum Bacchi triumphum, vt sup: à Curtius expositum, cui Tlepolemus suffectus.

INDIAE PRAEFECTI) Philippus, Taxiles, Porus rex, Pytho, Oxyartes, Eudemus, de quibus in VI. Arrianus. Indorum præfectis addit idem Stasanorem Ariorum, & Phrataphernem Hyrcanorum, Mardorum, Parthorum, Tapyrorum prætorem laudat, magnas iumentorum & elephantorum copias ad Alexandrum adducentes. *Stasanor, inquit, & Phrataphernes magnam iumentorum atque elephantorum copiam ad Alexandrum duxerunt, simulac eum in Gadrosios exercitum eadem illa incommoda, quæ passus fuerat, subiturum. Et quidem peropportune cùm ipsi, tum cameli & iumenta aduenerunt omniaque partim in singulos præfectos, partim per centurias & cohortes pro numero elephantorum partitus est.*
p. 143.

IVMENTORVMQVE IVGALIVM) clitellariorum & dorsuariorum, quæ plaustra veherent, aut sarcinas & clitellas, cameli, muli, asini, equi iugales, iugo adsueti.

HAVD PROCVL PERSIDE ABERAT) Carmania enim, vt audisti, ab occidente ad Persidem pertinebat.

IGITVR (vt suprà dictum est) AEMVLATVS PATRIS LIBERI NON GLORIAM SOLVM) suprà lib. 3 cap. 24 de hoc triumpho in hæc verba Curtius scripserat: *Equidem hac continentia animi si ad vltimum vitæ perseuerare potuisset, feliciorem fuisse crederem, quam visus est esse, cù Liberi patris imitaretur triumphum, vsque ab Hellesponto ad Oceanum omnes gentes victoria emensus.* Et lib. 8. cap. 19. huius triumphi meminit toto ferè capite, quod ita concludit: *Eadem felicitas ab Oceano reuertentes temulentos, comessantesque protexit.*

SIVE ILLVD TRIVMPHVS FVIT, AB EO P. INST. SIVE BACCHANTIVM LVSVS) Arrianus negat facta, quæ Curtius scribit, quod nulla huius Bacchici triumphi mentio sit apud Aristobulum & Ptolemæum Lagi, aut alios fide dignos, docetque Alexandrum tantum
* pag. 572. litasse, & ludos Musicos & Gymnicos in Carmanica exhibuisse, Siculus * affirmat, testatur & Plu-
* p. 592. tarchus. * Bacchi verò seu Liberi patris, ex India redeuntis, quem æmulatus dicitur Alexander,
* l. 1. Biblioth. p. 199. triumphum Siculus * paucis hisce verbis spectandum proponit *Liberum porrò memorant impijs vbique grauiter multatis, & benignè habitis cæteris hominibus, ex India in elephanto sublimem Thebas redijsse, & quia totum expeditionis interuallum triennie fuerat, Græcos propterea trieteridas celebrare asserunt. Primum quoque omnium spolijs tantæ expeditionis onustum, cum triumpho in patriam esse inuectum.*

ANIMO SVPER HVMANVM FASTIGIVM ELATO) vbique conatus est non solũ æmulari Herculem & Bacchum, sed etiam vincere. Cætera quę sequuntur in hoc capite ex Plutarcho & Arriano satis liquent.

ASPASTIS INTERFICI IVSSVS) Siculus multos satrapas interfectos post triumphum ait; sed nullius nomen exprimit: *Quibus* inquit, *perfunctus, cum multos satraparum & ducum per vim & iniuriam potestate abusos cognouisset, meritas illis pœnas irrogauit. Qua regis in duces improbè se gerentes, seueritate diuulgata, multi ex præfectis iniuriarum & scelerum sibi conscij timere sibi cœperunt. Ideo nonnulli qui mercenarijs præerant, à rege deficiunt: quidam corrasis vndique pecunijs fugam intendunt: de quibus rex certior factus, ad omnes Asiæ præsides & satrapas scripsit, vt simulac literas perlegissent, extemplo quicquid conductitij militis esset, exauctorarent.* Arrianus Baxyaxem quoque interfectum ait.
p. 572.

NEC LVXVRIAE QVICQVAM CRVDELITAS, NEC LVXVRIA CRVDELITATI OBSTAT) Confirmauêre hoc literæ sacræ & profanæ; Sacræ, in Absolone, qui fratrem inter epulas occidit,

occidit, & Herodes qui Ioannem Baptistam. Profanæ apud Iustinum lib. VII. in Alexandro Amyntæ filio, qui legatos Megabizi omnes inter epulas interfecit. Apud Romanos ad scorti imperium occisus captiuus à L. Quintio Flaminio de quo Liuius lib 39. Val. Max. l. 2. c. 9. Plutarchus in Catone & Quintio. Cicero in Catone. Plura his similia passim occurrunt: hæc ad hunc locum & librum sufficiant.

Omnia Pellæi si persequar acta tyranni,
Nulla meum capiat bibliotheca librum.

FINIS LIBRI IX.



Q. CVRTII RVFI

HISTORIARVM

MAGNI ALEXANDRI

MACEDONIS

LIBER DECIMVS.

SINOPSIS HVIVS LIBRI.

PRætores Cleander & Sitalces accusantur & vinciuntur suo loco interficiendi, eorum satellites scelerum sexcentos mox duci iubet. Nearchus & Onesicritus ab Oceano redeunt, & maris ingenium describunt. Alexander de Africa & Europa aggredienda deliberat. Orsines Pasargadarum Satrapes dona fert Alexandro, circumuenitur Bagoæ scorti insidijs, occiditur. Phradates reus maiestatis è medio tollitur. Alexander in crudelitatem degenerat. Zopyrio Thraciæ prætor cum omnibus copijs perit. Rex Athenas cogitat, quæ exules reiecerant. Harpali nece audita mutat consilium. Veteranos dimittit in patriam, quindecim millia seruat. Aes alienum sui militis dissoluit. Seditionem exercitus paucorum supplicio sedat. Craterum Macedoniæ prætorem loco Antipatri ad se euocati designat. Hephæstion alter Alexander, morbo extinguitur, cui Alexander ambitiosissimè, vt Patroclo Achilles parentat. Rex Babylone veneno absumitur. Inter duces variæ seditiones natæ. Aridæus rex iubetur, Meleager occiditur, Prouinciæ diuiduntur, Alexandri corpus in Aegyptum defertur, tota illius stirps deletur.

CAPVT I.

ARGVMENTVM.

Cleãdri, Sitalcis, & aliorum accuſationes, crimina, vincula, mortes.



Iſdem ferè diebus Cleander & Sitalces, & cum Agathone Eracon ſuperueniunt, qui Parmenionem iuſſu regis occiderant, V. millia peditum cum equitibus mille. Sed & accuſatores eos è prouincia cui præfuerant ſequebantur, nec tot facinora quot admiſerant, compenſare poterant cædis perquam gratæ regi miniſterio: quippe cum omnia profana ſpoliaſſent, ne ſacris quidem abſtinuerant, virgineſque & principes fœminarum ſtupra perpeſſæ corporum ludibria deflebant. Inuiſum Macedonum nomen auaritia eorum ac libido barbaris fecerat. Inter omnes tamen eminebat Cleandri furor, qui nobilem virginem conſtupratam ſeruo ſuo pellicem dederat. Plerique amicorum Alexandri non tam criminum, quæ palàm obijciebantur, atrocitatem, quàm memoriam occiſi per illos Parmenionis, quod tacitum prodeſſe reis apud regem poterat, intuebantur, læti recidiſſe iram in iræ miniſtros, nec vllam potentiam ſcelere quæſitam cuiquam eſſe diuturnam. Rex cognita cauſſa pronunciauit, ab accuſatoribus vnum & id maximum crimen eſſe præteritum, deſperationem ſalutis ſuæ. nunquam enim talia auſuros qui ipſum ex India ſoſpitem aut optaſſent reuerti, aut credidiſſent reuerſurum. Igitur hos quidem vinxit. DC. autem militum qui ſæuitiæ eorum miniſtri fuerant, interfici iuſſit. Eodem die ſumtum eſt ſupplicium de his quoque quos auctores defectionis Perſarum Craterus adduxerat.

Hic liber multis paſsim hiat lacunis, quas in commentario ſuo loco ex alijs ſcriptoribus (nã in Curtij exemplaribus nec editis nec chirographis reperiuntur) diligenter explebimus, aut certè ne prolixiores ſimus, auctorum nomina exprimemus, vbi ea reperienda ſint, quæ deſiderantur.

CLEANDER ET SITALCES) Cleandri prætoris multa mentio eſt apud Curtium lib. 3. ipſo initio, vbi mittitur in Peloponneſum ad militem conquirendum: lib. 4. cap. 10. vbi cum cõducto milite ad Alexandrum redit: lib. 7. cap. 2. Parmenionem interficit in Media. hoc demum capite reus in reum datur, &, quod apud Curtium deeſt, Arriano teſte, occiditur. Fallitur enim editor Curtij Allobrox, qui ad oram lib. x. hoc loco annotauit, *Dat veniam ſcelerum auctoribus humana cenſura: ſed vexat & opprimit ſcelerum miniſtros.* Non dedit veniam Cleandro, Sitalci, Agathoni, Eraconi Alexander, ſed omnes interfecit.

SITALCES) & ipſe è clariſbelli ducibus & prætoribus. Sitalces Cleandri ſocius & ſcelerum & flagitiorum.

CVM AGATHONE) quem arci Babylonis Bagophanis loco præfecerat, vt Curtius lib. 5. cap. 6. narrauit, ꟾↄ CC. Macedonum & CCC. mercede conductis illi ad tuendam arcem relictis.

ERACON) Arriano ἡράκων Suſiorum præfectus.

PARMENIONEM OCCIDERANT) lib. 7. tantùm à Cleandro, præſente Polydamante occiſum dixit, ſed reliquos duces quoque interfuiſſe, Sitalcem & Heraconem docent illa Curtij verba: *Namque cæteri quoque quibus literas regis attulerat, ad eum venturi erant, quibus imperatum erat, vt Parmenionem occiderent.* &, *Cæteri quoque exanimem confodiunt.*

E PROVINCIA CVI PRAEFVERANT) Media; ibi occiſus erat Parmenion.

NE SACRIS QVIDEM ABSTINVERANT) accuſationis capita, quod ſacra profanaſſent, profana cum ſacris ſpoliaſſent, virgines & nobiles matronas conſtupraſſent, & ſeruis conſtuprãdas obieciſſent. Adiecit Alexander maximum crimen ab accuſatoribus prætermiſſum, quod Alexandri reditum ex India deſperaſſent, &, vt illic periret, optaſſent: alioqui nunquam tanta facinora auſuros fuiſſe, quod non neſcirent Alexandrum in reos animaduerſurum eſſe. Hanc rem
p.142. paucis ita tradit Arrianus: *Venerunt etiam duces copiarum, quas cum Parmenione in Media reliquerat,*

Clean-

Cleander, Sitalces & Heracon, magnam & ipsi exercitus partem ducentes. E quibus Cleandrum & Sitalcem accusatos ab indigenis pariter atque exercitu ipso, quod templa spoliassent, veteraque monumenta mouissent, multaque alia in subditos improbe atque auarè perpetrassent. Quæ vt nuntiata sunt, necari eos iussit, vt & reliqui satrapæ aut præsides, aut principes, qui ijs locis constituerentur, metuerent, si officium non fecissent, sese eodem supplicio affectum iri: quod certè, siquid aliud, gentes quæ ab Alexandro vi subactæ essent, vel sua sponte deditionem fecissent (quarum tanta erat multitudo, tantoque locorum internallo inter se disiungebantur) in officio continuit. Neque enim licebat sub Alexandri imperio cuiquam præfecto subditos iniuria afficere. Heracon quidem tum temporis criminationem subterfugerat; cæterum paulò post à Susijs conuictus, quod eorum templum diripuisset, etiam ipse pœnas dedit. Iustinus breuiter & generatim, sed in Babylone id factum affirmat: *Ibi multa deuicta gentes præfectos suos accusauerunt, quos sine respectu amicitiæ Alexander in conspectu legatorum necari iussit.* Plutarchus, & Diodorus, quos extremo libro superiore laudaui, nihil hic singillatim explicant.

INVISVM MACEDONVM NOMEN FECERAT) vt Verres Romanorum.

MEMORIAM OCCISI PER ILLOS PARMENIONIS) adhuc viuebat & vigebat memoria maximi ducis, Parmenionis à Cleandro & socijs occisi. Ita gaudebant iram regis in iræ ministros recidisse, quamuis nemo signum prodere lætitiæ auderet.

TACITVM PRODESSE REIS POTERAT) quod factum occisi Parmenionis tanquam ingens beneficium regi præstitum; poterat quamuis tacitum, iram regis erga reos mitigare, sed præteritum cædis ministerium, præsentia scelera vincebant.

NEC VLLAM POT. SCEL. QVAES. CVIQVAM ESSE DIVTVRN.) nobilis gnome, cui senarius ille respondet:

Potestas scelere parta, scelere desinit.

Nullam potentiam scelere quæsitam, esse diuturnam confirmant magi qui, Cambysi in regno Persarum successerunt de quibus inf. ad cap. 3. plura.

QVOS CRAT. ADD.) de his sup. lib. 9. cap. vlt. *A Cratero quoque nuncius venit, Ozinem & Zariaspem nobiles Persas defectionem molientes oppressos in vinculis esse.*

CAPVT II.

ARGVMENTVM.

Explorati Oceani natura explicatur. Insulæ descriptio. Regis infinitæ molitiones.



Aud multo pòst Nearchus & Onesicritus, quos longius in Oceanum procedere iusserat, superuenerunt. Nunciabant autem quædam audita, alia comperta. Insulam ostio amnis subiectam auro abundare, inopem equorum esse, singulos eos, compererant ab ijs qui ex continenti traijcere auderent, singulis talentis emi. Plenum esse beluarum mare, æstu secundo eos ferri, magnarum nauium corpora æquantes; truci cantu deterritas sequi classem, cum magno æquoris strepitu velut demersa nauigia subisse aquas. Cetera incolis crediderant: inter quæ, rubrum mare non à colore vndarum, vt plerique crederent, sed ab Erythro rege appellari. esse haud procul à continenti insulam palmetis frequentibus consitam, & in medio ferè nemore columnam emiuere, Erythri regis monumentum, literis gentis eius scriptam. Adijciebant, nauigia quæ lixas mercatoresque vexissent, famam auri secutis gubernatoribus, in insulam esse transmissa, nec deinde ab his postea visa. Rex cognoscendi plura cupidine accensus, rursus eos terram legere iubet, donec ad Euphratis os appellerent classem, inde aduerso amne Babylona subituros. Ipse animo infinita complexus, statuerat omni ad Orientem maritima regione perdomita, ex Syria petere Africam, Carthagini infensus: inde Numidiæ solitudinibus peragratis, cursum Gadis dirigere. ibi namque columnas Herculis esse fama vulgauerat. Hispanias deinde, quas Iberiam Græci à flumine Ibero vocabant, adire, & prætervehi alpes Italiaque oram, vnde in Epirum breuis est cursus. Igitur Mesopotamiæ prætoribus imperauit, materia in Libano monte cæsa, deuectaque ad vrbem Syriæ Thapsacum, ingentium carinas nauium ponere, septiremes omnes esse, deducique Babylona.

Cypri-

Cypriorum regibus imperatum, vt as stupamque & vela praberent. Hac agenti Pori & Taxilis regum litera traduntur, Abisarem morbo, Philippum præfectum ipsius ex vulnere interijsse, oppressosque qui vulnerassent eum. Igitur Philippo substituit Eudemonem. dux erat Thracum. Abisaris regnum filio eius attribuit.

NEARCHVS ET ONESICRITVS SVPERVENIVNT) de his duobus ducibus & nauarchis dictum lib.9.cap.16. vbi illos ad Oceanum explorandum Alexander misit. hic ex nauigatione redeunt ad regem & quæ explorarunt, exponunt. Cæterum quæ prima huius capitis parte Curtius tradit, Arrianus singulari libro, eoque magno, cui titulus est Ἀῤῥιανοῦ Ἰνδικά. Arriani Indica; persecutus est. totus enim liber est de rebus Alexandri & eiusdem classe & Indica nauigatione. Nos quæ ad hoc caput illustrandum opportuna videbuntur, inde suo quæque loco delibabimus. faciunt etiam huius nauigationis mentionem Strabo Diodorus & Plutarchus sed perpaucis, *Paulo pòst*, inquit Strabo, *Nearchus in Arabicum sinum classem adduxit, multas cùm alias ærumnas, tum*
p.499. *ob ceterum magnitudinem perpessus.* Plura Strabo ibid. de phyleteribus aquam tanquam fluctus ingentes efflantibus sed tubarum sonitu repulsis.

Diodorus etiam hic videndus, qui multa mira addit p.573. ante m.

Plutarchus tribus quod aiunt verbis, *Huc redijt ad eum Nearchus, latusque ille, intellecta nauigatione instituit ipse magna classe deuectus Eufrate Arabiam & Africam ambire atque per columnas Herculis in mare mediterraneum decurrere.* Ipse Arrianus in fine sexti. Quomodo autem ab Indo flumine ad mare Persicum & Tigritis ostia enauigarit, seorsim conscribam Nearchum sequens, cuius extat Græca de rebus Alexandri historia. Iam operæ erit docere quomodo redierit Nearchus ad Alexandrum, quoue gaudio ac triumpho fuerit exceptus. Cum enim de primo Nearchi aduenientis nuncio ab Alexandro primum tanquam vano comprehenso, narrasset, subijcit, *Interea nonnulli, qui cum equis & vehiculis ad quærendum adducendumque Nearchum missi fuerant, in ipso itinere Nearcho & Archia obuij facti sunt: qui quidem alijs quinque aut sex viris comitati veniebant. neque tamen primo aspectu vel Nearchum vel Archiam agnouerunt: adeò immutati atque ab seipsis diuersi erant, hirsuti & sordidi, salsugineque repleti, rugosi, squalidi, & ex multis vigilijs laboribusque pallidi. Interrogantibus enim illis vbinam esset Alexander, cognito loco, iter suum persecuti sunt. Tum Archias animaduersa re ad Nearchum conuersus ait, Homines istos, Nearche, eadem qua nos via per deserta contendere, non aliam ob causam iudico, quàm quòd nos quæsitum missi sint. Quod verò nos non agnoscunt equidem non miror: ita enim squalidi maleque habiti sumus, vt agnosci non possimus. significemus itaque eis quinam simus, eosque vicissim percontemur, quam ad rem hoc itinere proficiscantur: Nearcho Archiæ consilium perquam opportunum est visum. Rogarunt itaque quonam proficiscerentur, qui respondent, Nearchum se & naualem exercitum quæsitum ire: statimque Nearchum respondisse, Hic ego sum Nearchus, & hic Archias. at vos nobis duces itineris estote: nos Alexandro de classe referemus. Illis itaque in vehicula exceptis ad regem reuertuntur. Nonnulli horum, nuntium celeritate præuertere cupientes, præcurrentes Alexandro nuntiarunt, Nearchum ipsum, & cum eo Archiam ac quinque alios aduentare: de exercitu verò nihil sese explorati quod nuntient, habere. Ex hoc ipso nuntio colligebat Alexander, Nearchum quidem & Archiam præter opinionem & fortuitò seruatos esse, exercitum verò vniuersum perijsse. neque tantum gaudij ex Nearchi & Archiæ salute percepit, quantum ex amissa classe mœroris. nec dum hic sermo desierat, cùm Nearchus & Archias adueniunt, quos Alexander difficulter admodum agnoscere potuit, quòd ita hirsutos & squalidos maleque habitos cerneret: tantoque magis eius dolor ob amissum exercitum naualem confirmabatur. Iniecta tamen Nearcho dextra, eoque seorsim ab amicis & argyraspidibus abducto, multo tempore collacrymatus est, tandem represssis lacrymis, enimuero quòd tu, inquit, Nearche & Archias sospites ac salui redieritis moderatius classis iacturam fero: at verò naues & exercitus quonam pacto perierunt? tum Nearchus regis sermonem excipiens, Salua sunt, inquit, tibi rex & naues & exercitus nos verò huius salutis nuntij venimus. tum vberiores Alexandro lachrymæ manarunt, quod præter omnium expectationem ei exercitus saluus esset, simulque vbi portum ceperint, rogat. Nearchus eas ad fauces Anamidis fluuij consistere ait, atque in terram subductas refici. Posthac Alexander per Iouem Græcorum & Ammonem Lybicum iurans affirmauit, gratius sibi iucundiusque id nuntij accidisse, quàm quod vniuersam Asiam subiugasset. Dolorem enim ob amissum exercitum, vniuersæ felicitati suæ parem fuisse. Præses verò prouinciæ, quem ob nuncij vanitatem comprehendi iusserat, Nearchum præsentem conspicatus, et ad genua prouolutus, Ego, inquit, is sum qui Alexandro nuntiaui vos saluos redijsse. vides quo pacto exceptus sim. tum rogatu Nearchi Alexander eum dimitti iubet, Alexander ob seruatum exercitum Ioui seruatori, atque Herculi & Apollini Alexicaco siue infortuniorum propulsatori, & Neptuno, alijsque dijs marinis sacrum fecit. Ludos etiam gymnicos & musicos edidit, pompamque induxit: pompæ dux Nearchus erat, sertis ac floribus ab omni exercitu petitus. His rebus peractis Alexander ita Nearchum alloquitur, Ego te, Nearche, nulla posthac pericula aut labores adire volo: sed alius classi præfectus eam in Susas ducet. Nearchus regis sermonem excipiens, Equidem, ô rex, inquit, tibi per omnia morem gerere & cupio & debeo. Cæterùm si qua in re mihi gratificari volueris, hoc ne feceris, quin potius*

me

me vniuerso exercitui præfectum esse patiare, donec tibi naues saluas in Susas perduxerim; néve cum res ardua atque difficiles mihi abs te commissæ fuerint, faciles quarum gloria iam in promtu est, alijs in manus dederis. Adhuc loquentem sedat Alexander, *gratiam se illi habere professus: atque ita eum dimittit, exiguo exercitu comitatum, quippe cui per amicam regionem eundum esset.*

Plinius lib.6.c.23 *Festos dies ibi agentem Alexandrum inuenerunt septimo mense postquam digressus ab ijs fuerat Patalis, tertio nauigationis.*

INSVLAM OSTIO AMNIS SVBIECTAM AVRO ABVNDARE) de hac insula Plinius. *Extra ostium Indi Chryse & Argyre fertiles metallis vt credo. nam quod aliqui tradidère aureum argenteumque ijs solum esse, haud facilè crediderim.*

Periegetes plura.

Mela: ad Tanum insula est Chryse, ad Gangem Argyre, altera aurei soli (ita veteres tradidere) altera argentei: atq; ita, vt maximè videtur, aut ex re nomen, aut ex vocabulo ficta fabula est.

INOPEM EQVORVM ESSE) testatur hæc Maffeius in XV. hist. Indicarum: In stabulo regio (Goæ primum ab Lusitanis occupatæ) reperti militares equi permulti quos è Perside aduectos (nam India eiusmodi armentis caret) Malabarici, & Canatini & Narsingæ reges impenso parant precio.

Curtius inde subiungit singulos singulis talentisemi, hoc est, vnum sexcentis Philippicis seu aureis.

PLENVM ESSE BELVARVM MARE) De his iam ex Geographo & Siculo accepisti. Plinius paucis: *Circa has insulas hydri marini viceenum cubitorum adnatantes, terruere classem.* Solinus cap. 55. *Indica maria balænas habent vltra spacia quatuor iugerum. Sunt & quos physeteras nuncupant, qui enormes vltra molem ingentium columnarum super antennas se nauium extollunt, haustosque fistulis fluctus ita eructant, vt nimbosa alluuie plerunque deprimant alueos nauigantium.* Miriora refert Olaus M.

Consulendus hic Arrianus, qui de his beluis marinis plura tradit p.189.

In paucis memorabile est, quod in Indicis Maffeius obseruauit de monstro marino, quæ tute leges l.7.p.202.

De beluis hisce & harum iconibus Rondeletius, & alij, plurima. Gesnerus lib.4.lit.B.& C.in Balænis & Cetis.

RVBRVM MARE) de huius maris nomine & nominis caussis dictum longissimè l.8.c.17. tabulam habes apud Ortelium in parergis XXXVI.

ADIICIEBANT NAVIGIA QVAE LIXAS) incolæ adijciebant, seu referebant inter alia de hac Insula, in quam lixæ & mercatores traiecerunt, exactè Arrianus p.189.v.pen. & Nolalam appellatam, Solique sacram fuisse docet, sed fabulosa esse quæ de illa narrentur:

RVRSVS EOS TERRAM LEGERE IVBET) Remisit Alexander Nearchum ad classem vltro suam operam regi parcere ei volenti offerentem. quo pacto verò, & quam difficulter ad suas naues rediérit, & quas præterea oras lustrârit, accuratè exponit in Indicis Arrianus, è quibus pauca transcribam: *Cæterum, inquit, neque ipsa ad mare profectio (seu reditio) Nearcho laboris expers fuit. Collecta enim vndequaque barbari tuta munitaque Carmania loca occuparant. nam satrapa eorum, iussu Alexandri interfectus fuerat. Tlepolemus autem, qui recens satrapatum inierat, nondum firmum imperium nactus erat. bis itaque ac ter vno atque eodem die diuersis in eum barbaris irruentibus pugnandum fuit. atque ita magno cum labore agrè tandem ac difficulter ad mare salui peruenerunt* Sequitur deinde longa narratio omnium locorum & portuum, quos Nearchus, quoad rediret ad Alexandrum, subijt, quæ nihil ad Curtium explicandum pertinet. Adiungam tamen reditum Nearchi & totius classis ad Alexandrum Susis degêti: hæc enim ad illa Curtij verba explananda pertinent: *donec ad Euphratis os appellerent classem*, & quæ sequuntur. *Ab ostijs Euphratis Babylonem vsque Nearchus stadia* III M.CCC *statuit. eo loci de Alexandri ad Susios profectione nuntiū acceperunt. Ipsi etiam inde retrorsum profecti per Pasitigrim fluuium nauigarunt, vt dextras cum Alexādro iungerent. Oram relegentes, à laua Susios habebant, lacumq́, præteruebuntur in quem Tigris fluuius decurrit: qui ex Armenia fluens iuxta Ninum, magnam olim & opulentam vrbem, regionem efficit quæ inter se & Euphratem media est, ideoque Mesopotamia dicitur. A lacu ad flumen nauigatio est stadiorum* IOC. *Ibi & pagus quidam Susiorum est, quem Aginiin vocant: Is à Susis distat stadijs quingentis, Susiorum ora vsque ad Pasitigris ostia ad* II. M. *stadiorum porrigitur. Inde per Pasitigrim aduerso flumine per regionem bene habitatam atque opulentam vecti sunt: confectisque stadijs* CL. *ibi constiterunt, expectantes reditum eorum quos Nearchus miserat sciscitaturos vbinam locorū rex esse. Ipse dijs seruatoribus sacrum fecit, ludosque edidit vniuerso exercitu nauali in lætitiam effuso. Postquam verò nuntiatum est, Alexandrum appropinquare, rursus aduerso flumine vtentes ad pontem quendam recens factū, per quem Alexander exercitū in Susas traducturus erat, consistunt. eo loci exercitus coniuncti sunt. Alexander pro nauibus simul & milite saluis sacrificia fecit, ludosq́, edidit. Nearchus quoquouersus per castra ibat, floribus ac sertis petebatur, Post hæc Alexander Nearchum & Leonnatum aureis*

P.191.

p.196.f.

coronis donauit; Nearchum ob classem seruatam, Leonnatum ob victoriam quam de Oritis alijsque barbaris Oritarum vicinis reportarat. In hunc modum exercitus ab Indi amnis ostijs saluus Alexandro reductus est.

IPSE ANIMO INFINITA COMPLEXVS) Africam & Europam totas cum Carthagine & Roma, quarum hæc Europæ, illa Africæ domina erat, suo imperio subijcere cogitabat. De his Alexandri molitionibus paullo fusius Arrianus, p. 146. lib. 7. init.

Plutarchus paucissimis: *Huc rediit ad eum Nearchus, latusque ille, intellecta nauigatione instituit ipse Arabiam & Africam ambire, atque per columnas Herculis in mare mediterraneum decurrere.*

pag. 57. Sed in edit. Glar. p. 83. post m. NVMIDIAE SOLITVDINIBVS) Numidia pars Africæ, proxima Carthagini, vt tradit Sallustius de bello Iugurthino: ortósque Numidas ex Herculis exercitu affirmat nauibus in Africam ex Hispania transuecti: *Sed postquam, inquit, in Hispania Hercules, sicuti Afri putant, interijt: exercitus eius compositus ex varijs gentibus, amisso duce, ac passim multis sibi imperium petentibus, breui dilabitur. Ex eo numero Medi, Persæ & Armenij nauibus in Africam transuecti, proximos nostro mari locos occupauêre. Sed Persæ intra Oceanum magis, híque alueos nauium inuersos pro tugurijs habuere: quia neque materia in agris, neque ab Hispanis emendi aut mutandi copia erat. mare magnum, & ignara lingua commercia probibebant. Hi paullatim per connubia Getulos secum miscuêre: & quia sæpe tentantes agros alia deinde, atque alia loca petiuerant, semetipsos Numidas appellauere. Ceterùm adhuc ædificia Numidarum agrestium, quæ mapalia illi vocant, oblongis, incuruis lateribus tecta, quasi nauium carinæ sunt. Medi autem & Armenij ad Libyes accessere (nam hi propius mare Africum agitabant, Getuli sub sole magis, haud procul ab ardoribus) hique maturè oppida habuêre. Nam freto diuisi ab Hispania, mutare res inter se instituerant. Nomen eorum paullatim Libyes corrupêre, barbara lingua Mauros pro Medis appellantes. Sed res Persarum breui adoleuit, ac postea Numidæ propter multitudinem à parentibus digressi, possedêre ea loca, quæ proximè Carthaginem Numidia appellatur.* Plura de Numidis & Numidarum

lib. 1. c. 6. moribus, cultu, ingenio, idem Sallustius. Describit eandem Mela. Solinus; *Quod est à flumine Ampsaga Numidia datur. Huius incolæ quam diu errarunt pabulationibus vagabundis, Nomades dicti sunt*, & quæ sequuntur. Addit partem eius siluestrem esse, & feras, educare, iugisque arduam.

Periegetes:

Post hos immensa Nomadum de semine gentes
Saltibus hos duris asper siluisque vagantes
Victus alit sæua quæsitus cæde ferarum.

Nec pluribus hic opus, vbi per occasionem tantùm à Curtio tangitur.

cap. 26. CVRSVM GADIS DIRIGERE) *In capite Bætica*, inquit Solinus, *vbi extremus est noti orbis terminus, insula à continenti septingentis passibus separatur, quam Tyrij ab Erythræo mari profecti Erythraam, Pœni lingua sua * Gadir, id est, sepem nominarunt.* Mela: *Gades, (id est Gadir seu Gadeis, nam prisci longas syllabas scribebant) fretum attingit, eaque à continenti angusto spatio & veluti flumine abscissa, quà terris propior est, pene rectas ripas agit: qua Oceanum spectat, duobus promontorijs euecta in altum, medium littus abducit, & fert, in altero cornu eiusdem nominis vrbem opulentam; in altero templum Aegyptij Herculis conditoribus, religione, vetustate, opibus illustre Tyrij condidêre.* Plura Diodorus. pag. 299. & seq. v. 15. à f.

* Gätter. p. 41. v. 1.

Abrahamus Ortellus Geographus regius de Gadibus plura perscripsit.

COLVMNAS HERCVLIS) Mira de his columnis, sed incerta, nam alij pro columnis promontoria ponunt, alij montes, alij statuas Herculis, alij turres, alij columnas æreas octo cubitorum: alij freti claustra, alij Gades, alij etiam quippiam vltra Gades situm. Nonnulli pro columnis habent, Calpen & Abilam, qui est mons ex aduerso Calpæ in Africa, quem Eratosthenes ait situm esse in Metagonijs Numidica gente. Strabo de Gadibus & columnis libro tertio, pag. 116. & sequent. copiosissimè disputat, quem lector ipse, si placuerit, videbit. locus enim est prolixior, quàm vt huc transferatur. Interim Melam capite sexto, libri secundi, pag. 30. v. 12. à f. Solinum cap. 26. Philostratum libro vndecimo cap. 97. Nostrum Marianam de rebus Hisp. Periegetem, & ad illum Eustathium. Pindarum in Pythijs, Isthmijs & Nemeis. Nam quæ à Strabone & Eustathio ex Pindaro laudantur, hodie non apparent.

Carolus V. Maximus has transijt, & duas fixit columnas, quibus inscripsit PLVS VLTRA. sed primus non fuit qui illas superauit: Phœnices iam olim ante Christum natum easdem transnauigarant. Pindarus quando gloriam & famam virorum illustriû & Olympionicarum ad vltimos mundi fines propagatam canit, ad columnas Herculis peruenisse affirmat; nec vlterius potuisse dici aut proferri, quod ibi crederet esse fines mundi terræ & maris. Sed hodie omnia alia Sinæ & Iapones docent.

Gades extra orbem conditas ait l. 5. c. 19.

PRAETERVEHI ALPES) è Strabone & Geographicis tabulis facilè disces, quâ facilis ex Iberico

seu

seu Hispanico mari fit in Italiam traiectus,& inde per Adriaticum mare in Epirum quæ adhæret Macedoniæ,vbi patria sede erat Alexandri,qui totum orbem terra marique obire statuerat.

MESOPOTAMIAE PRAETORIBVS)Deditameni Babyloniæ,Laomedonti Syriæ,Amphimacho Mesopotamiæ & Arbelæ.

IN LIBANO MONTE)vide l.4.c.8.Materies ex Libano monte ratibus & turribus faciendis aduehebatur.

THAPSAGAS)hic alij Capsagas, alij Thaphagas alij Tapsacum legunt.Glareanus ex Arriano & Strabone Thapsacum docet scribendum:quæ nobilis est ad Euphratem vrbs.Plinius: *At in Syria opida Europum,Thapsacum quendam,nunc Amphipolis.* Strabo in XVI. *Maxima distantia qua inter se flumij absunt,ad montes est.quantum etiam Eratosthenes à Thapsaco dixit,iuxta quam antiquus Euphratis pons erat.distat Babylone stadijs quater mille octingentis.* lib.5.c.24.

SEPTIREMES)naues onerarias, quæ septem remorum & remigum ordinibus sunt instructæ. Bathium lege de re nauali ἑπτήρεις.

CYPRI REGES)eodem enim tempore plures huic nobilissimæ Insulæ reges imperitabant: Diodorus in XVI. *Erant,*inquit,*in hac Insula nouem magni nominis ciuitates , quibus minora opida iurisdictioni illarum subiecta adstipulabantur. Vnaquæq; suum habebat regem,qui tempub administraret regi tamē Persarum subiectis: Hi omnes facta inter se conspiratione , Phœnicum exemplo, defecuère, & necessarijs ad bellum præparatis merum regnusuis imperium arrogabant.* Hæc Diodorus. Tota tamen Cyprus Alexandro paruit vt suprà quoq; ad Tyrum commoràte eod. Alexand.cognouisti. lib.4.

PHILIPPI. M PRAEFECTVM IPSIVS)de hoc aliquid dictum suprà lib.9.cap.vlt. Hic Arrianus adstipulatur Curtio: *Iamq; Carmaniam versus procefferat rex,cùm ei nunciatur Philippum Indorum satrapam mercenariorum fraude ex insidijs interemtum.ac percussores quidem à Macedonibus, qui Philippo corporis custodes erant,partim in ipsa cæde,partim post perpetratum facinus captos,interfectos esse. Quo cognito, Eudemo & Taxila per literas iubet, vt regionis,quæ antea Philippo subdita fuerat, curam administrationemq; susciptiant,tantisper dum ipse satrapam aliquem eò mittat.* Reor eundem olim Thessalorum equitatui præfuisse a Arbela Balacro natum,de quo etiam Diodorus. Alius Menelai F. mercenariorum præfectus,apud Arrianum lib.3. l. 6.p.741.

ABISARIS REGNO)de Abisare multa superiore lib.8.& 9.

EVDAEMONEM)Eudemum appellat Arrianus.Post Alexandri mortem nulla huius est mêtio in distributis prætoris & dynastis,fortasse antè extincti.

CAPVT III.

ARGVMENTVM.

Orsinis Persæ laudes, liberalitas, criminatio, indignissima cædes.



Entum est inde Pasargadas.Persica est gens,cuius satrapes Orsines erat, nobilitate ac diuitijs inter omnes barbaros eminens.genus ducebat à Cyro quondam rege Persarum,opes & à maioribus traditas habebat,& ipse longa imperij possessione cumulauerat. is regi cùm omnis generis donis, non ipsi modo ea, sed etiam amicis eius daturus occurrit.equorum domiti greges sequebantur,currusq; argento & auro adornati,pretiosa supellex, nobiles gemmæ,aurea magni ponderis vasa,vestesque purpureæ, & signati argenti talentûm IV. millia.cæterum tanta benignitas barbaro caussa mortis fuit. Nam cum omnes amicos regis,donis super ipsorum vota coluisset,Bagoa spadoni,qui Alexandrū obsequio corporis deuinxerat sibi,nullum honorem habuit. Admonitusq; à quibusdam quā Alexandro cordi esset,respondit amicos regis,non scorta se colere,nec moris esse Persis,mares ducere, qui effeminarentur. His auditis spado potentiā flagitio & dedecore quæsitā,in caput nobilissimi & insontis exercuit. namque gentis eiusdem leuissimos falsis criminibus astruxit,monitos tum demum ea deferre cùm ipse iussisset. Interim quotiens sine arbitris erat,credulas regis aures implebat,dissimulans caussam iræ, quo grauior criminantis auctoritas esset. Nōdum suspectus erat Orsines,iam tamē vilior. reus enim in secreto agebatur,latentis periculi ignarus: & importunissimum scortum,ne in stupro quidē & dedecoris patientia fraudis oblitum,quoties amorem regis in se accenderat,Orsinem modò auaritiæ,

interdum etiam defectionis arguebat. Iam matura erant in perniciem innocentis mendacia & fatum, cuius ineuitabilis sors est, appetebat. Forte enim sepulchrum Cyri Alexander iussit aperiri, in quo erat conditum eius corpus, cui dare volebat inferias. auro argentoque repletum esse crediderat: quippe ita fama Persæ vulgauerant. sed præter clypeum eius putrem, & arcus duos Scythicos, & acinacem, nihil reperit. ceterum corona aurea imposita, amiculo cui assueuerat ipse, solium in quo corpus iacebat, velauit, miratus tanti nominis regem tantis præditum opibus, haud pretiosius sepultum esse, quam si fuisset è plebe. Proximus erat lateri spado, qui regem intuens, Quid mirum, inquit, est, inania sepulchra esse regum, cum satraparum domus aurum inde egestum capere non possint? quod ad me attinet, ipse hoc bustum antea non videram, sed ex Dario ita accepi, III. millia talentûm condita esse cum Cyro. hinc illa benignitas in te, vt quod impune habere non poterat Orsines, donando etiam gratiam iniret. Concitauerat iam animum in iram, cùm hi quibus negotium idem dederat, superueniunt. hinc Bagoas, hinc ab eo subornati falsis criminibus occupant aures. Antequam accusari se suspicaretur Orsines in vincula traditus est. Non contentus supplicio insontis spado, ipse morituro manum iniecit: quem Orsines intuens, Audieram, inquit, in Asia olim regnasse fœminas, hoc verò nouum est regnare castratum. Hic fuit exitus nobilissimi Persarum, nec insontis modò, sed eximiæ quoque benignitatis in regem.

PASARGADAS) Pasargada Ptolemæus, Solinus: Pasargadas Curtius, Dionysius, Eustathius Arrianus appellant, vti & Strabo. De hac vrbe Curtius ipse plenius lib. 5. c. 14. vbi & Cyrum eius conditorem facit. ad quem locum nos plura. Hic indignissimum & atrocissimum iniquissimi & improbissimi spadonis exponitur facinus, quo nobilissimum & innocentissimum principem, regia & antiquissima familia Cyri ortum pessimis artibus circumuenit, & pessimis calumniis in crucem egit. quamquam de hac re aliter tradat Arrianus, vt videbimus: & aliter Plutarchus, aliterque Strabo. tanta est scriptorum varietas.

PERSICA EST GENS) in vltimo angulo Persidis, quæ ad ipsum Sinum Persicum colit. Solinus: A meridie Persidem, deinde tractus hic procedit vsque ad castellum quod magi obtineant, Passargada nomine. hic Cyri sepulchrum. idem Plinius l. 6. c. 26.

ORSINES ERAT) Arrianus Orxinem vocat. Celebrat Curtius Orsenis nobilitatem à Cyro rege descendentem, opes regias & liberalitatem, optimos & integerrimos mores. De eodem l. 4. cap. 28. *Orsines summa praerat in VII. Persis oriundus, ad Cyrum quoque nobilissimum regem originem sui referens.* per filias Cyri crediderim descendisse seu Atossam, seu alias. Nam Cambyses Cyri filius nullos ex se natos liberos suscepit aut reliquit.

SIGNATI ARGENTI TALENTVM IV. MILLIVM) signatum argentum est pecunia à signo impresso, vel effigie regis, vel nomine, vel vtroque dictum: cum aliud argentum rude dicatur, aut, si in pocula, phialas, & crateras formatum, argentum elaboratum appellabatur. quatuor millia verò talentûm efficiebant vicies quater centena millia aureorum seu philippicorum. vno philippæo viginti * victoriatis æstimato.

Duo milliones vulgo & quatuor thunnæ.
* Bazijs vulgo.

MARES DVCERE) Oderant Persæ παιδεραστίαν & scorta mascula, quæ naturæ leges violant & corrumpunt: nec pro viris castratos, sed fœminis deteriores ducebant. & Orsines nobilissimus princeps & Persarum satrapes honestissima mente præditus, neque nomen quidem scorti pathici ferebat, nedum, vt donis afficeret, persuaderi poterat. quæ res illi exitio fuit apud regem, sed apud omnes sanos & honesti memores clarissimam æternitatis famam peperit.

BAGOAE SPADONI) de hoc multa sunt libr 6. cap. 10. memorata, vbi etiam hic Curtij locus adductus. Antea Darij, postea Nabarzanis, demum Alexandri scortum. iam deuotum orco pabulum luit cædem innocentis & stupra. De Bagoarum nomine ibidem disputatum. Latinis spadones & castrati dicti.

POTENTIAM FLAGITIO ET DED QVAESITAM) stupris quæsitã & auctam. sed vt quæritur, ita demum perditur, & apud omnem posteritatem æterna laborat infamiã.

GENTIS LEVISSIMOS) adornat & submittit testes donis corruptos: leuissimos, quod cõtra constantiam & suum principem passi sint à fide se deduci.

FATVM CVIVS INEVITABILIS SORS EST) suprà l. 4. c. 14. *Sed vt opinor, ineuitabile est fatum.* vbi multa ex philosophiæ disciplina.

SEPVLCHRVM CYRI) de sepulchro Cyri, quidque in eo repertum & lectum sit, præter Curtium docent Strabo, Arrianus, Eustathius ad Dionysium, Plutarchus. *Deinde*, inquit Geographus, *in Pasargadas venit, vbi erat antiqua regum sedes. Hic Cyri sepulturam in horto vidit, turrim non sanè magnam, arborum densitate occultam, à parte inferiore solidam, superiore tabulatum habentem & cellam, per angusto aditu. Per eum Aristobulus introisse se ait, iussu regis, atque sepulturam exornasse. Vidisse autem aureum lecticam, & mensam cum poculis, & aureum alueum, vestem plurimam, & mun-*

pag. 502.

& mundum gemmis ornatum. Verùm hæc vidisse affirmat, primo aduentu postea direpta fuisse, ac cætera quidem asportata, lecticam verò confractam, & alueo loco moto, cadauer nusquam apparuisse. Non hoc satrapæ, sed prætorum opus fuisse, qui ea reliquerant, quæ asportare nequiuerūt. Euenisse verò hæc, quantumuis magorum custodia imposita esset, qui quotidie ouem accipiebant in alimenta, singulisq; mensibus equum. Enimuerò Alexandri longinqua in Indiam & Bactros expeditione factum, vt multa nouo exemplo fierent, de quibus & hoc fuerit. Hæc Aristobulus, qui & inscriptionem monumenti hanc refert. Subijcit deinde hanc græcè epigraphen:

Ω ΑΝΘΡΩΠΕ, ΕΓΩ ΚΥΡΟΣ ΕΙΜΙ Ο ΤΗΝ ΑΡΧΗΝ ΤΟΙΣ ΠΕΡΣΑΙΣ ΚΤΗΣΑΜΕΝΟΣ, ΚΑΙ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ. ΜΗ ΟΥΝ ΦΘΟΝΗΣΗΣ ΜΟΙ ΤΟΥ ΜΝΗΜΑΤΟΣ. Ὀνησίκριτος δὲ τὸν μὲν πύργον δεκάστεγον εἴρηκε, καὶ ἐν τῇ ἀνωτάτω στέγῃ κεῖσθαι τὸν Κῦρον· ἐπίγραμμα δ' εἶναι Ἑλληνικόν, Περσικοῖς κεχαραγμένον γράμμασιν· ΕΝ ΘΑΔ' ΕΓΩ ΚΕΙΜΑΙ ΚΥΡΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΒΑΣΙΛΗΩΝ.

O homo ego Cyrus sum Asiæ Rex, qui Persis imperium paraui, & Rex Asiæ fui. Ne igitur mihi monumentum inuideas.

Onesicritus ait, turrim x. tabulata habuisse, & in supremo Cyrum iacere cum Græca inscriptione exarata: *Cyrus ego, Rex olim regum conditus hic sum.*

Idem alio epigrammate Persico, in eandem sententiam. Onesicritus quoque illius meminit, quæ in Darij sepultura erat hoc sensu: Amicus amicis fui (non vt interpres habet, *Amicis fui*) & eques, & sagittator optimus, venatores superaui, & omnia facere potui. φίλος ἦν τοῖς φίλοις.

Aristus Salaminius multo his iunior, refert turrim magnam fuisse, & duo tabulata habuisse, in successione Persarum conditam: sepulturam verò asseruari in qua Græcum epigramma inerat (vt antè diximus) & aliud Persicum in eandem sententiam. *Cyrus Pasargadis habuit honorem, quod ibi Astyagem Medum vltimo prælio superauit, & Asiæ imperium in se transtulit, vrbe condita & regia constructa ad rei memoriam.*

* Arrianus verò idem accuratius describit, sed locus longiusculus est. parcendum lectori & chartis. Periegetem quoque cum Eustathio consules. * p.441

CORONA AVREA) hanc Alexander Cyro imposuit, vt vestem ipse sibi suam detraxit, qua vrnam seu sarcophagum Cyri ornauit.

SI FVISSET E PLEBE) ex hac admiratione Alexandri & neglectu sepulchri Cyri, impurissimum mancipium Bagoas occasionem vltimam arripuit, vt Orsinem omnino violenta criminatione pessundaret. Non esse mirandum, vacuum repertum esse sepulchrum, cùm illud Orsines Persa bustirapus spoliarit. se ex ipso Dario rege accepisse; tria millia talentum cum Cyro condita fuisse, quæ efficiunt decies octies cētena millia aureorum. Hinc, inquit, illa è sacrilegio liberalitas, Orsinis, qui ea arte etiam abs te, rex, inire gratiam studuit.

SVPERVENIVNT) testes subornati à Bagoa, qui fidem auro posthabuerunt. Atque hæ sunt artes impiorum in aulis administrorum regum. ita cecidit Dioxippus. huiusmodi documenta etiam in literis sacris, in historia Hesteris, Danielis, & Regum habemus. hinc Phædri, Crispi, &c. Comes nobilissimus ab Othone per vxorem circumuentus perijt. Sed plerunque faba in capita calumniatorum recusa est, vt quas ipsi alijs insidias tetenderant, in ipsos reciderent. Exstat apud Ludouicum Granatum illustre huius rei documentum de milite Lusitano calumniâ circumuento & rogo addicto, quo calumniator diuinitus lege talionis exustus est. lib. 2. catech. cap. 27. §. 10. nec pluribus hic opus.

MORITVRO MANVM INIECIT) ipse lictore & carnifice, digno spadone ministerio functus, à quo in crucem actus est, vti testatur Arrianus, qui tamen non excusat Orsinis, quem Orxinem appellat, innocentiam. Plutarchus non ab Orsine Persa reclusum & apertum ait sepulchrū, sed à Macedone, & quidem ciue Alexandri Pellæo patria. *Hunc, inquit, cùm Cyri conditorium apertum comperisset, interfecit auctorem, quamuis Pellæus esset non ex obscurissimis, qui id admiserat, Polymachus nomine.*

FOEMINAS REGNASSE) Semiramidem, Tomyrim & Amazones.

HOC VERO NOVVM EST REGNARE CASTRATVM) nullū in vllis hominum memorijs & scriptis Eunuchum apud vllas gentes vnquam regnare memini. fasces tamen consulares Eutropij Claudianus totis libris exagitauit. Narses exarchus paullò modestior, quamdiu non fuit exagitatus. Duo Magi fuere Patizithes & Smerdis, quorum hic alterius instinctu aliquandiu alieno tectus nomine regnauit apud Persas: sed neuter eunuchus fuit, vt ex Iustino & Herodoto constat.

HIC FVIT EXITVS) epiphonema tragædiæ, quod plerunque indignis rebus addit historicus, vt sæpè suprà in Dario, Parmenione, Callisthene & alijs cognouisti.

IN PASARG.) Calani mors, rogus & triumphus, quæ tacet omnia Curtius; celebrata, quæ nos suprà commemorauimus. Diod. in Susianis finibus hæc acta narrat,

CAPVT IV.

ARGVMENTVM.

Curtius regis credulitatem & crudelitatem carpit, Europæ, Asiæ, & Græciæ statum exponit.



Odem tempore Phradates regnum affectasse suspectus occiditur. cœperat esse præceps ad repræsentanda supplicia, idem ad deteriora credenda. sic scilicet res secundæ valent commutare naturam, & rarò quisquam erga bona sua satis cautus est. Idem enim paullo antè Lyncesten Alexandrum, delatum à duobus indicibus damnare non sustinuerat. humiliores quoque reos contra suam voluntatem, quia cæteris videbantur insontes, passus absolui, hostibus victis regna reduxerat. ad vltimum à semetipso degenerauit vsque adeo, vt aduersus libidinem animi, arbitrio scorti, alijs regna daret, alijs adimeret vitam. Iisdem ferè diebus à Cœno literas accipit de rebus in Europa & Asia gestis, dum ipse Indiam subigit. Zopyrio Thraciæ præpositus cùm expeditionem in Getas faceret, tempestatibus procellisque subitò coortis cum toto exercitu oppressus erat. qua cognita clade Seuthes Odrysas populares suos ad defectionem compulerat. amissa propemodum Thracia ne Græcia quidem.. Igitur triginta nauibus Sunium transmittunt: promontorium est Atticæ terræ, vnde portum vrbis petere decreuerant. * His cognitis rex Harpalo Atheniensibusque iuxta infestus classem parari iubet, Athenas protinus petiturus. Quod consilium dum clam agitat, literæ ei redduntur, Harpalum intrasse quidem Athenas, pecunia conciliasse sibi principum animos, mox concilio plebis habito iussum vrbe excedere, ad Græcos milites peruenisse, à quibus interceptum, & trucidatum à quodam viatore per insidias. his lætus in Europam traijciendi consilium omisit. Sed exules præter eos qui ciuili sanguine aspersi erant, recipi ab omnibus Græcorum ciuitatibus, quis pulsi erant, iussit. Et Græci haud ausi imperium aspernari, quanquam soluendarum legum id principium esse censebant, bona quoque quæ extarēt, restituere damnatis. Soli Athenienses non sua modò, sed etiam publicæ vindices libertatis, colluuionem hominum, non regio imperio, sed legibus moribusque patrijs regi assueti, prohibuere finibus, omnia potius toleraturi, quàm purgamenta quondam vrbis suæ, tunc etiā exilij, admitterent.*

PHRADATES) fuit Taurorum prætor & satrapes, & ad Arbela inter duces Darij præfectus Caspianorum, Autophradatem Arrianus appellat. de quo Curtius lib. 4. cap. 28. & lib. 6 ca. 8. lib. 8. cap. 8.

COEPERAT ESSE PRAECEPS AD REPRAESENTANDA SVPPLICIA) Arrianus l. 7. *Porrò Alexander promtior iam ad fidem delationibus habendam factus, atrocibus supplicijs leuiter etiam delinquentes afficiebat. quippe quos maiora delicta animo agitasse cogitabat.*

RES SECVNDAE VALENT COMMVTARE NATVRAM) verè dixit Comicus

Rebus secundis mater est ferocia.

lib. 3. cap. 5. de Dario dixerat: *Erat Dario mite ac tractabile ingenium, nisi etiam suam naturam plerunque fortuna corrumperet*, & illud Comici.

Fortuna vel naturam corrumpit suam.

RARO QVISQVAM ERGA BONA SVA SATIS CAVTVS EST) & hoc relatum est inter optimas gnomas:

Rarò quis erga sua bona est cautus satis.

LYCESTEN ALEXANDRVM) regredere ad c. 1. l. 7. illa verba, *A duobus indicibus delatus, tertium iam annum custodiebatur in vinculis.* & lib. 8. c. 16. *Lyncesten verò Alexandrum bis capiti meo insidiatum à duobus indicijs liberaui*, & quæ sequuntur.

REGNA REDVXERAT) olim erat, *regna redixerat.* Modius è chirographo Coloniensi rescripsit, *regna seduxerat.* Nec *segna reduxerat* vt importunum hic placet, nec prisca scriptura *segna*

regna redixerat, quod nihil est dicere. Acidalij prima coniectura & scriptura omissâ prorsus altera arridet, quam ego certè sinceram & germanam arbitror: *regna reduxerat*; Inquit, Curtianum non est, Modianum est, qui tamen auctorem Coloniensem MS. laudat. vulgus librorum habet, *regnare dixerat*. Inde ego *regnare didicerat*. Acerba irrisio est, in contrarium accipienda, summæ antea moderationis rex, & verè rex, victor tandem rex esse didicerat, quasi id verò regium, non ex æquo & iure agere, sed pro sua aut aliorum libidine grassari.

Quæ sequitur coniectura *regnari didicerat*, non videtur ex genio Curtij, quem vtcunque noui.

ADVERSVS LIBIDINEM ANIMI) contra suam voluntatem, vt Curtius quarto antè versu explicauit.

HVMILIORES REOS) ex aliorum, non sua, voluntate absolutos dimisit.

ARBITRIO SCORTI) ita vsurpatur vox, non pro prostibulo aut lupa tantùm, sed pueris, spadonibus, ephebis impuris, cynædis: exempla apud Liuium & alios.

Principes & duces Alexandri cum Bagoæ viderent potentiam, certatim illum sibi demereri studuere, vt per illum quicquid vellent, extorquerent; seu regna, seu inimicorum cædes. exempla tamen nulla addit Curtius præter Orsinem.

IISDEM FERE DIEBVS A CAENO LITERAS ACCIPIT) à quo Cæno? nonne Cænum lib. 9. cap. 7. extulimus? an ergo ab inferis rediuiuus extitit? an ab alio aliquo Cæno? atqui non nisi vnius omnibus libris prioribus mentio facta. Dicam quod sentio. Hæc Curtij verba *Iisdem ferè diebus à Cæno*, & quæ sequuntur, vsque ad asteriscum, *Igitur XXX nauibus Sunium*, esse loco mota, & ad initium sexti libri quod ibi desideratur, reuocanda. Sub illud enim tempus hæc à Zopyrone gesta, cladem que acceptam Iustinus docet, quando hæc sub exordium XII. libri tradit, *Dum hæc aguntur* (post mortem Darij) *epistola Antipatri à Macedonia ei redduntur, quibus bellum Agidis regis Spartanorum in Græcia, Alexandri regis Epiri in Italia, bellum Zopyrionis præfecti eius in Scythia continebatur. quibus variè affectus plus tamen lætitiæ cognitis mortibus duorum æmulorum regum, quàm doloris amissi cum Zopyrione exercitus suscepit. Namque post profectionem Alexandri, Græcia fermè omnis in occasionem recuperandæ libertatis, ad arma concurrerat, autoritatem Lacedæmoniorum secuta, qui Philippi Alexandrique pacem soli spreuerant, & leges respuerant. Dux huius belli Agis, rex Lacedæmoniorum fuerat, quem motum Antipater contractis militibus in ipso ortu oppressit.* edit. Glar. lib. 12. p. 109. pr. Viden hæc iam pridem dum in Parthis ante Indiæ ingressum accidisse? & sequi mox bellum Græciæ. Itaque pro *Cæno*, hic lego *Antipatro*, & pro *India* Asia recipienda, quæ vox in alijs codicibus hic desideratur apud Curtium, scribiturque tantum *de rebus in Europa gestis*, vt Asia pro India sit reponenda. Hæc certa meo animo coniectura est de hoc Curtij loco, vbi mox omnia turbata & lacunis horrida. Nihil tamen in editione mea volui immutare, aliorum codicum ordinem secutus. potuit enim fieri vt alius esset Cœnus (quamquam secus existimem) vel hic ipse sia d illum locũ verba Curtij reducantur. Monuisse tamen oportuit. nunc ad rem,

ZOPYRIO THRACIAE PRAEPOSITVS) Iustinus & Orosius hunc præfectum Ponti faciunt, & Sopyrionem appellant. Paullò copiosius hæc eadem Iustinus in XII. *Dum hæc*, inquit, *aguntur in Italia, Sopyrion quoque præfectus Ponti ab Alexandro Magno relictus, ociosum se ratus, si nihil ipse gessisset. adunato XXX. millium militum exercitu, Scythis bellum intulit. cæsus cum omnibus copijs pœnas temerè illati belli genti innoxiæ luit. Hæc cum nunciata in Parthiam Alexandro essent, simulato mœrore propter Alexandri cognationem, exercitui suo triduo luctum indixit.* p. 116. vel edit. Glar. 111. Facit eiusdem cladis Sopyrionis & victoriæ Scytharum idem mentionem lib. 2. vbi magnopere Scythas prædicat: *Imperium* inquit, *Asiæ ter quæsiêre, ipsi perpetuo ab alieno imperio intacti aut inuicti mansere. Darium regem Persarum turpi ab Scythia fuga submouerunt. Cyrum cum omni exercitu trucidauerunt. Alexandri M. ducem Sopyriona pari ratione cum copijs vniuersis deleuerunt.*

IN GETAS) ad Istrum seu Danubium siti. Strabo in 2. *Is* (Ister) *ab Occasu ortum versus in Euxinum labens mare ad læuam relinquit, Germaniam totam in Rheno orsam, Geticumque tractum totum & Tyrigetas, Bastarnas, Sauromatas vsque ad Tanaim amnem & Mæotidem paludem: ad dextram verò vniuersam Thraciam, Illyricumque & Macedoniam & ipsam reliquam Græciam.* Ergo, vt vides, Ister tantum inter Thraces & Getas interfluxit. Idem lib. VII. *Post hos* (Suebos) *Getarum regio attingit arcta initio, qua iuxta Austrinam partem regio attingit, secundum Istrum protenditur, & è regione finibus Hercyniæ siluæ, partem montium ipsa quoque complectens, deinde versus septemtrionem vsque ad Tyrigetas. Græci Getas existimauerunt esse Thraciam gentem. Hi Getæ ad vtramque Istri partẽ accolebant. Getæ Lysimachum ducem Alexandri, postea regem, ipsis bellum inferentem ceperunt, quem rex illorum Dromicætes hospitio exceptum, & liberaliter habitum ex hoste amicum dimisit.*

Fuere Getæ sicut & Massagetæ, Tyrogetæ, & Sacæ, & Sagæ, & Dahæ, & hoc genus multæ aliæ Scythicæ gentes communi nomine Scythæ appellati.

Cæterum Ouidius barbarissimam & ferocissimam gentem affirmat cùm canit:

Nulla Getis toto gens est truculentior orbe. 2. de Pont. El. 7.

Et v. de Trist. El. 7.

Vox fera, trux, vultus, verissima mortis imago.
Non coma, non vllâ barba resecta manu.
Siue locum specto locus est inamabilis, & quo
Esse nihil toto tristius orbe potest.
Siue homines: vix sunt homines hoc nomine digni
Quamq; lupi, sauæ plus feritatis habent.
Non metuunt leges, sed cedit viribus æquum,
Victaq; pugnaci iura sub ense iacent.

Et quæ ibid. & eleg. XI, sequuntur, ποιητικῶς magis quàm ἱστορικῶς exaggerata.

TEMPESTATIBVS) aliter, vt legisti, Iustinus, qui omnes oppressos & deletos ait, quæ erat grauissima armorum tempestas & procella.

SEVTHES ODRYSAS) Seuthes Odrysarum rex illius opinor Seuthæ vel nepos, vel pronepos, cuius plurima mentio est apud Xenophontem in VII. anabaseos, cuius pater Mesades fuit regno pulsus. Odrysæ verò gens Thraciæ fuit: Stephanus περὶ πόλεων: Ὀδρύσαι ἔθνος θρᾴκης. Σχάβων ἑπτακαιδεκάτη. λέγεται Ὀδρύσιος, καὶ Ὀδρυσία καὶ Ὀδρυσίδαι, καὶ Ὀδρυσιάδες θηλυκῶς, καὶ Ὀδρυσίς.
*πολίτης ἔστι καὶ Ὀδρύσα πόλις αὐτῶν. καὶ Ὀδρυσία λέγεται καὶ Ὀδρυσίτης. Odrysæ natio Thracica, Strabo in XVII. Dicitur & Odrysius & Odrysia & Odrysidæ, & Odrisiades genere muliebri & Odrysis. Est & Odrysa ciuitas illorum, quæ & Odrysia dicitur. & ciuis Odrisites.

Hos Lysimachus post Alexandri mortem Thraciam sortitus primò est bello aggressus, vt auctor est Pausanias in Atticis.

NE GRAECIA QVIDEM) hos omnes motus & defectiones vna Sopyrionis clades concitauit. tanti est vel vna victoria, vel strages.

Ad hunc vsque locum, vt ex Iustino docui, octo versus Curtij pertinent ad initium sexti libri.

IGITVR XXX. NAVIBVS) Hîc ingens est hiatus nobis explendus. ac de Calani quidem rogo in Pasargadis suprà per occasionem Brachmanarum satis disputatum. De Harpali depeculatoris & harpagis thesauro ex Babylone subducto, fuga in Græciam, & cæde nunc trado. Mox deinde de nuptijs apud Susa regis & regiorum procerum octoginta: de Hephæstionis in Ecbatanis funere & funebribus ab Alexandro celebratis dicendum. Sed quod hic ad verba Curtij attinet, dubites an ad superiora adhuc, & Græcorum tumultum & defectionem pertineant: an verò ad Harpalum Athenas properantem. Nam Sunium cùm sit promontorium Atticæ, vt omnes Geographi Curtio suffragantur; quæritur quinam fuerint, qui XXX. nauibus Sunium transmiserint, & portum Athenarum petierint. Ego quantum coniectura assequor, de Græcis Athenas petentibus, & fortasse exulibus, quos, exceptis sicarijs & ciuili sanguine aspersis, & alijs hoc genus facinorosis, patriæ restitui, Alexander præceperat, & sua quemque vrbe recipi, quos tamen Athenienses ex omnibus Græcis contemto regis edicto, nunquam admiserunt. Ante ergo illa verba quę sequuntur: *Hîs cognitis rex*, iterum lacunæ signum ponendum. desunt enim omnia quæ ad nuptias Susianas & Harpalum & Hephæstionem pertinent.

Ego tamen cœptum hoc de rebus Europæ caput, hoc est de Harpalo & Atheniensibus, Demosthene & exulibus exequar: tum ad Susiana & Ecbatana reuertar.

REX HARPALO ET ATHENIENSIBVS IVXTA INFESTVS) quis Harpalus? quid designauit? nam principium narrationis deest. quid Athenienses peccauere? Res ita habet vt narrat Diodorus, *Interea*, inquit, *Harpalus, cuius fidei thesauros Babylonis & vectigalium asseruationem*
p. 574. *commiserat Alexander, quamprimum rex Indicam expeditionem susceperat, nunquam reuersurum sperans, voluptatibus & delicijs se dederat. amplissimæ namque prouinciæ satrapes erat, ac primum ad fœminarum stupra, nefariosque cum barbaris concubitus se conuertit. Et intemperantissimo voluptatum abusu magnam pecuniæ sibi creditæ vim prodegit. A rubro mari per longissimum interuallum magnam piscium copiam sibi afferendam curabat, tantosque in quotidianum victum sumptus profundebat, vt male apud omnes audiret. Ex Athenis insuper famosissimum scortum, cui Pythonices nomen, acciuerat. Hanc & dum vixit, regijs muneribus adfecit, & mortuam impensis maximis extulit, ac preciosissimum in Attica monimentum construxit. Post quam aliam ex Attica meretricem, cui Glyceræ nomen, accersiuit, cum qua tam molliter & luxuriosè vixit, vt ad impendiorum exuberantiam nihil faceret reliquum. Vt verò ad inopinatos fortunæ casus aliquid sibi refugij compararet, populum Atheniensem præcipuè sibi demerendum statuit. Quare cum post reditum suum ex India Alexander multos ex satrapis ad se delatos capitis pœna multasset, ipse etiam metu supplicij, conuasatis quinque millibus talentûm argenti, & militum VI. millibus stipendio conductis, ex Asia versus Atticam contendit. At cum nemo se ad ipsum inclinaret, relictis ad Tænarum Laconiæ militibus, partem aliquam pecuniarum secum auferens, ad populum Atheniensem supplex confugit. Sed Antipatri & Olympiadis literis efflagitatus, grandi pecuniæ summa in oratores qui pro se ad populum agerent, dispertita, euasit, & ad milites in Tænarum nauigauit. Illinc profectus in Cretam à Thimbrone, vno ex amicis, dolo fuit interemtus. Athenienses verò quæstione de Harpali pecunijs instituta, Demosthenem & oratorum quosdam alios, vt largitionibus ab Harpalo corruptos damnauerunt.*

Pau.

Pausanias verò in Atticis breuiter: *Alterum Harpalus Macedo excitauit, is nempe qui Alexandri fugiens ex Asia in Europam classe traiecit, cumquè Athenas venisset, ab Atheniensibus captus, corruptis cum alijs, tum ipsius Alexandri amicis, periculum effugit. Sed is antè Pythionicen vxorem duxerat, cuius neque genus, neque patriam noui: tantum scio, Athenis eam & Corinthi corpus vulgasse. eam verò tam perditè amauit Harpalus, vt mortuæ monumētum posuerit, omnium quæ in Græcia sunt, veterum operum, quod spectetur, dignissimum.* n. 36. p. 21. f

Athenæus lib. 13. plurima de eod. Harpalo, & eius impurissimo scorto Pythonice cui Athenis magnificentissimum posuit monumentum, quod nos transimus, & tu apud Athenæum spectare poteris, p 594. & seq.

Intellexisti quare Harpalo fuerit infestus Alexander. Nunc de Atheniensibus & Demosthene paucis ex Plutarcho & alijs accipe. Harpalus cum pecunia ex Asia seu Syria fugiens venit Athenas & populi tutelæ se commisit, quod oratores populo suadebant, spe prædæ ab Harpalo accipiendæ. Dissuasit solus Demosthenes, ne in vrbem & tutelam reciperetur, imminere bellum ab Alexandro, si recipiant fugitiuum & hostem Alexandri, & depeculatorem ærarij. Sed idem Demosthenes corruptus auro ab Harpalo, simulauit deinceps anginam, quæ erat argentangina, sed deprehensus & damnatus profugit. Fugit & Harpalus, & à Thibrone occisus est, à Tencheritis in crucem actus. Demosthenes ab exilio post Alex. mortem cum ingenti vrbis plausu reuocatus, iterum profugit ab Antipatro postulatus, & ne in hostium manus veniret, hausto veneno perijt. Plura de vtroque Pausanias in Corinthiacis, qui Demosthenem, si Dijs placet, innocentem testatur. Helladius & Arrianus apud Photium, Agellius l. XI. c. IX. Schottus in vitis comparatis plurima.

SED EXVLES) Diodorus paucis: *Sub hæc Alexander cum Olympia celebrarentur, præconum voce publicè in Olympia edixit, vt quotquot forent exules, præter sacrilegos & sicarios, in patriam redirent.* Plutarchus in apophtheg. addit eximios etiam Thebanos fuisse: vnde Eudamidæ Laconis dictum extat: *Cùm*, inquit Plutarchus, *Olympijs præconio ius fecisset, omnibus exulibus in suam cuique patriam redeunti, præterquam Thebanis: Infortunatum quidem, inquit, præconium, sed vobis, ô Thebani, gloriosum: solos enim vos metuit Alexander. etenim qui permittit exulibus reditum in suam patriam, non metuit ne moliantur vindictam. à Thebanis igitur solis metuebat.*

SOLVENDARVM LEGVM PRINCIPIVM) nam cum ex senatus & populi decreto, legibusque in exilium pulsi essent, qui reuocat decreta rescindit, leges violat & soluit.

PVRGAMENTA SVAE VRBIS TVNC ETIAM EXILII) Multæ caussæ potuerunt Athenas deterrere ab exulibus recipiendis: nam vbi potentiores reuocantur, statim in eos à quibus proscripti fuerunt, omni impetu feruntur. vt verè dixerit poeta ——— *regnauit sanguine multo Quisquis ab exilio redijt,* ——— Docent hoc etiam historiæ Romanæ de Caio Mario, Cinna, & huiusmodi pestibus & tempestatibus reip. qui totam ferè nobilitatem Romanam reducti trucidarunt.

Iam hic duæ lacunæ ingentes explendæ sunt, vt quę in Curtio desiderantur, lector cognoscit, & plenam historiæ cognitionem capiat: De nuptijs est altera quas Alexander Susis celebrauit, cum alteram Darij filiam duxit vxorem, alteram Hephæstioni matrimonio iunxit, alias* octoginta principum & satraparum virgines suis ducibus elocauit. Diodorus breuissimè: *a Susamquè profectus Statiram Darij filiam natu maiorem sibi matrimonio iunxit: minorem verò Drypetim Hephæstioni vxorem tradit; amicorum etiam nobilissimis coniugij noui auctor fuit, & generosissimas Persarum heroidas in matrimonium collocauit.* Conuiuium & dona Plutarchus etiam paucis explicauit: *Celebrauit splendidè epulum nuptiale, in quo memorant cuique conuiuarum, quorum fuerit nouem millium numerus, auream phialam ad libandum donatam.* Iustinus tribus verbis. *Filiam post hæc Darij regis Statiram in matrimonium recepit: sed & optimatibus Macedonum lectas ex omnibus gentibus nobilissimas virgines tradidit, vt communi facto crimen regis leuaretur.* Arrianus non solum Barsinem Darij Alexandro nuptam ait, sed & Parysatim Ochi natu minimam, cum iam ante Roxane Oxyartis ducta esset. Exprimit etiam nomina aliarum sponsarum Ducibus & amicis iunctarum, Drypetim Darij, Amastrinem Oxyartis, Artacamam & Artonim Artabazi filias, præter alias LXXX. singulis rex dotes liberalissimè contulit. plura Arrianus. Aelianus lib. 8. c. 7. addit pedestres & nauales copias in aula conuiuijs exceptas, musicosque & histriones, & circulatores magno numero delicias regi & regijs sponsis fecisse. Omnium accuratissimè omnia describit Athenæus ex Charete, quæ non possum in pauca cogere. singula enim sunt singularia. Chares inquit &c. Lacunæ duæ expletæ. * alij. xc.

Peractis nuptijs Alexander Susis Ecbatana regiam Medorum mouit, vbi Hephæstion princeps amicorum Alexandri, adeoque alter Alexander morbo decessit, cui velut heroi & semideo parentauit Alexander, corpus Babylonem curauit deferri. Omnia hæc funebria diligentissimè & fusissimè explicauit Diodorus, ad quem studiosum lectorem amandamus. Perlecuti sunt ead. Iustinus non sine reprehensione Alexandri, Plutarchus, & plenissimè Arrianus. Plutarchum secutus est Zonaras.

Fontes hic lector habes, riuulos negligo. Porrò Alexander in tota hac funebri Hephæstionis pompa volebat Achillis apud Homerum in Patrocli funere exequias imitari & superare, vt ostēderet Hephæstionem sibi eo loco fuisse, quo Patroclus fuisset Achilli. Quod & antea Alexander cum ad Achillis monumentum inuisisset, docuit, quo studio in Achillem, & Patroclum ferretur, cum tumulum Achillis ipse coronauit, vt Patrocli Hephæstion coronaret, quod Aelianus in XII. variarum cap. VII. testatur. Quo verò studio, quaue dicam insania Alexander diuinitatem Hephæstionis asserere conatus sit, Lucianus docebit in Calumnia seu περὶ διαβολῆς, seu περὶ τοῦ μὴ πιστεύειν διαβολῇ, digna planè lectu. Sed nos ad Curtium redeamus, lacuna illius vtcunque expleta.

CAPVT V.

ARGVMENTVM.

Rex partem copiarum dimittere parat. dissoluit æs alienum sui exercitus, decem millia talentûm, hoc est sexagies centena millia aureorum seu Philippicorum.



Lexander senioribus militum in patriam remissis, XIII. *millia peditum & duo millia equitum, quæ in Asia retineret, eligi iussit, existimans modico exercitu contineri posse Asiam, quia pluribus locis præsidia disposuisset, nuperque conditas vrbes quas colonis replesset, res nouare cupientibus obstare. cæterùm priùs quàm excerneret, quos erat retenturus, edixit, vt omnes milites æs alienum profiterentur. graue plerisque esse compererat. & quamquam ipsorum luxu contractum erat, dissoluere tamen ipse decreuerat. Illi tentari ipsos rati, quo facilius ab integris sumtuosos discerneret, prolatando aliquantum extraxerant temporis. Et rex satis gnarus professioni æris pudorem, non contumaciam obstare, mensas totis castris poni iussit, &* X. *millia talentûm proferri. Tum demum fide facta professi sunt. nec amplius ex tanta pecunia quam* C *&* XXX *talenta superfuère. adeò ille exercitus tot ditissimarum gentium victor, plus tamen victoriæ quàm prædæ deportauit ex Asia.*

SENIORIBVS MILITVM IN PATRIAM REMISSIS) ad decies mille sacramento militiæ absolutos Diodorus testatur. Arrianus narrat eam militum missionem parum feliciter cecidisse Alexandro, quod graues inde in exercitu seditiones extiterint. *Opim,* inquit, *cum venit conuocatis Macedonibus pronunciauit, se omnes eos qui vel ætate, vel membrorum mutilatione inutiles ad pugnam facti essent, missos ab exercitu facere, & in domos suas redeundi potestatem dare; qui verò voluntariè manerent, tantum se largiturum. vt meritò alijs, qui domi desideant, inuidiosi sint futuri, aliosq; Macedones excitaturi, vt libenter vnà cum eis pericula ac labores adeant. Atque hæc quidem Alexander animo gratificandi Macedonibus dicebat, ipsi ita interpretati, ac si ab Alexandro despicerentur inutilesq; ad res bellicas iudicarentur, vehementer ea oratione commoti sunt, qua Alexander ad vniuersum exercitum vsus fuerat.*

PRIVSQVAM EXCERNERET) deligeret; apud Columellam hoc verbi leges de frumento & farina, paleis. hic ergo metaphora est, aliæ tamen editiones *secerneret* habent.

AES ALIENVM PROFITERENTVR) & ij quos domum erat missurus, & quos erat retenturus. Omnes ergò milites qui nomina æris aliena contraxerant, iussit edere quantum quisque deberet.

ILLI TENTARI IPSOS RATI) illi tentari se rati, non minus commodè dixisset, quàm ipsos, quasi de alijs cùm de ipsismet ageretur, qui se tentari putabant, est demonstratiuum pro reciproco positum. Habebant ergo hanc munificentiam regis plerique grauiùs obærati suspectam, arbitrati velle regem explorare, aliorum è suis frugalitatem, aliorum luxum & profusionem: proinde rari nomina profitebantur, cum tamen non ignoraret totum propè exercitum obæratum. Ergo totis castris mensas proposuit atque in ijs sexagies centena millia philippæorum (tan-

tum

tum enim efficiunt x. millia talentorum) expoſuit, Iuſtinus xx. millia talentûm ait expoſita, quę duplicem ſummam efficiunt, duodecies inquam millies centena millia philippęorum, duodecim inquam milliones, vt hodie loquuntur.

Diodorus cum Curtio x. millia duntaxat talentum ait prolata, non xx. *Multoſque, inquit, ære alieno obſtrictos eſſe, edoctus, id totum vno die x. millibus talentûm paullo minus diſſoluit.* Quod Diodorus *paullò minus* addit, hoc Curtius expreſsè è decem millibus talẽtum, tantum cxxx. poſt exſoluta nomina ſuperfuiſſe teſtatur, hoc eſt ſeptemmillia philippæorum ſupra octingentos. Arrianus dimiſſis tantum in viaticum tot ait talenta donata, ſingulis nempe ſingula. Ergo cum decem millia, vt Diodorus numerat, vndecim vt Iuſtinus, eſſent in patriam remiſſi, & ſingulis talentum eſſet oblatum, idem numerus talentorum cum Curtio & Diodoro & Plutarcho eſt expreſſus. Sed hic Plutarchus addit ſingulare quiddam de quodam Antigene Luſco falſa creditorum nomina profeſſo, vt maiorem inde vim pecuniæ auferret, qui deprehenſus vix latum vnguem à furca & cruce abiuit. Rem narrat Plutarchus, tibi ad manum.

ADEO ILLE EXERCITVS) Solenne hoc habet Curtius, vt ſemper poſt grauem aliquam aut indignam rei narrationem nobile ſubiungat epiphonema. *plus, inquit, victoriæ quàm prædæ retulit.* Sed poterat etiam prædam referre, ſi non per luxum omnia decoxiſſet, & adhuc nomina feciſſet.

CAPVT VI.

ARGVMENTVM.

Seditionem militarem primum fruſtra conatur oratione ſedare, quam mox paucorum nece reprimit. Macedones ſupplices reijcit, peregrinos ſpretis Macedonibus alloquitur, admittit. Seditioſos mergit aqua, ac tandem popularibus ignoſcit.



Ceterùm vt cognitum eſt alios retineri, perpetuam eum regni ſedem in Aſia habiturum rati, vecordes, & diſciplinæ militaris immemores, ſeditioſis vocibus caſtra complent, regemq́ ferociùs quàm aliàs adorti, omnes ſimul miſſionem poſtulare cœperunt, deformia ora cicatricibus, canitiemque capitum oſtentantes. Nec aut præfectorum caſtigatione, aut verecundia regis deterriti, tumultuoſo clamore & militari violentia volentem loqui inhibebant, palàm profeſſi, nuſquam inde niſi in patriam veſtigium eſſe moturos. Tandem ſilentio facto, magis quia motum eſſe credebant, quàm quia ipſi moueri poterant, quidnam acturus eſſet expectabant. Ille, Quid hæc, inquit, repens conſternatio, & tam procax atque effuſa licentia denunciat? eloqui metuo, palàm certè rupiſtis imperium, & precariò rex ſum, cui non alloquendi, non noſcendi monendique aut intuendi vos, ius reliquiſtis. Equidem cum alios dimittere in patriam, alios mecum paulò pòſt deportare ſtatuerim, tam illos acclamantes video, qui abituri ſunt, quàm hos, cum quibus præmiſſos ſubſequi ſtatui. Quid hoc eſt rei? diſpari in cauſſa idem omnium clamor eſt. Peruelim ſcire, vtrum qui diſcedunt, an qui retinentur, de me querantur? Crederes vno ore omnes ſuſtuliſſe clamorem, ita pariter ex tota concione reſponſum eſt, Omnes queri. Tum ille, Non hercule, inquit, poteſt, vt adducar querendi ſimul omnibus hanc cauſſam eſſe, quam oſtenditis, in qua maior pars exercitus eſt, vtpote cum plures dimiſerim, quàm retenturus ſum. ſubeſt nimirum altius malum, quod omnes auertit à me. Quando enim regem vniuerſus deſeruit exercitus? ne ſerui quidem vno grege profugiunt dominos, ſed eſt quidam in illis pudor à ceteris deſtitutos relinquendi. Verùm ego tam furioſæ conſternationis oblitus,

reme-

remedia insanabilibus conor adhibere. Omnem, hercule, spem quam ex vobis conceperam, damno: nec vt cum militibus meis (iam enim esse desistis) sed vt cum ingratis ciuibus porrò agere decreui. Secundis rebus, quæ circumfluunt vos insanire cœpistis, obliti status eius quem beneficio exuistis meo. digni hercule qui in eodem consenescatis, quoniam facilius est vobis aduersam quàm secundam regere fortunam. En tandem Illyriorum paullo antè & Persarum tributariis Asia, & tot gentium spolia fastidio sunt. modò sub Philippo seminudis amicula ex purpura sordent. aurum & argentum oculi ferre non possunt. lignea enim vasa desiderant, & ex cratibus scuta, rubiginemque gladiorum. Hoc cultu nitentes vos accepi & D. talenta æris alieni, cum omnis regia supellex haud amplius quàm LX. talentorum esset. meorum mox operum fundamenta, quibus tamen (absit inuidia) imperium maximæ terrarum partis imposui. Asiæne pertæsum est, quæ vos gloria rerum gestarum diis pares fecit? In Europam ire properatis rege deserto, cum pluribus vestrum defuturum viaticum fuerit, ni æs alienum luissem, nempe ex Asiatica præda. nec pudet profundo ventre deuictarum gentium spolia circumferentes reuerti velle ad liberos coniugesque, quibus pauci præmia victoriæ potestis ostendere? nam cæterorum dum etiam spei vestræ obuiam itis, arma quoque pignori sunt. Bonis verò militibus cariturus sum, pellicum suarum concubinis, quibus hoc solum ex tantis opibus superest, in quod impenditur. proinde fugientibus me pateant limites, facessite hinc ocius. Ego cum Persis abeuntium terga tutabor. neminem teneo. liberate oculos meos ingratissimi ciues. læti vos excipient parentes liberique sine vestro rege redeuntes. obuiam ibunt desertoribus transfugisque. Triumphabo me hercule de fuga vestra, & vbicunque ero, expetam pœnas, hos cum quibus me relinquitis, colendo præferendoque vobis. Iam autem scietis & quantum sine rege valeat exercitus, & quid opis in me vno sit. Desiluit deinde frendens de tribunali, & in medium armatorum agmen se immisit, notatosque qui ferocissime oblocuti erant, singulos manu corripuit, nec ausos repugnare XIII. asseruandos custodibus corporis tradidit. Quis crederet sæuam paullo ante concionem obtorpuisse subitò metu, cùm ad supplicium videret trahi nihilo ausos grauiora quàm cæteros? siue regis nominis quod gentes quæ sub regibus sunt, inter deos colunt, siue propria ipsius veneratio, siue fiducia tanta vi exercentis imperium conterruit eos: singulare certè ediderunt patientiæ exemplum: adeoque non sunt accensi supplicio commilitonum, cùm sub noctem interfectos esse cognossent, vt nihil omiserint quo singuli magis obedienter ac pie facerent. Nam cùm postero die prohibiti aditu venissent, Asiaticis modò militibus admissis, lugubrem totis castris edidêre clamorem, denuntiantes protinus esse morituros si rex perseueraret irasci. At ille peruicacis ad omnia quæ agitasset animi, peregrinorum militum concionem aduocari iubet, Macedonibus intra castra cohibitis: & cum frequentes coissent, adhibito interprete, talem orationem habuit: Cùm ex Europa traiicerem in Asiam, multas nobiles gentes, magnam vim hominum imperio meo me additurum esse sperabam. nec deceptus sum quod de his credidi famæ. Sed ad illa hoc quoque accessit, quod video fortes viros erga reges suos pietatis inuictæ. Luxu omnia fluere credideram, & nimia felicitate mergi in voluptates. At hercule munia militiæ hoc animorum corporumque robore impigre toleratis, & cum fortes viri sitis, non fortitudinem magis quàm fidem colitis. hoc ego nunc primùm profiteor, sed olim scio. Itaque & delectum e vobis iuniorum habui, & vos meorum militum corpori immiscui. Idem habitus, eadem arma sunt vobis. obsequium verò & patientia imperii longè præstantior est, quàm cæteris. Ergo ipse Oxatris Persæ filiam mecum in matrimonio iunxi, non dedignatus ex captiua liberos tollere. mox deinde cùm stirpem generis mei latius propagare cuperem, vxorem Darii filiam duxi, proximisque amicorum auctor fui ex captiuis generandi liberos, vt hoc sacro fœdere omne discrimen victi & victoris excluderem. proinde genitos esse vos mihi, non ascitos milites credite. Asiæ & Europæ vnum atque idem regnum est. Macedonum vobis arma do. Inueteraui peregrinam nouitatem: & ciues mei estis & milites, omnia eundem ducunt colorem. Nec Persis Macedonum mores adumbrare, nec Macedonibus Persarum imitari indecorum est. eiusdem iuris esse debent qui sub eodem rege victuri sunt.* Quousque, inquit, animo tuo etiam per supplicia & quidem externi moris obsequeris? milites tui, ciues tui, incognita caussa, captiuis suis ducentibus trahuntur ad pœnam. si mortem meruisse iudicas, saltem mini-

ministros supplicij muta. Amico animo, si veri patiens fuisset, admonebatur. sed in rabiem ira peruenerat. Itaq; rursus, nam parumper, quibus imperatum erat, dubitauerant, mergi in amnem, sicut vincti erant, iussit. Nec hoc quidem supplicium seditionem militũ mouit. namq; copiarum duces atq; amicos eius manipuli adeunt, petentes vt si quos adhuc pristina noxa iudicaret esse contactos, iuberet interfici. Offerre se corpora iræ; trucidaret.

Quæ deinceps in Curtio sequuntur velut in comicotragædia, tristissimam habent catastrophen; nihil enim aliud legitur, quam fœdæ militum seditiones, secessiones, supplicia, lachrymæ, vltima denique regis ipsius fata & excessus, quo orbem terrarum veluti pupillum, omniaque regna velut nauem sine gubernaculo & gubernatore destituit. Atque hic est rerum humanarũ modus, finis, triumphus.

VT COGNITVM EST ALIOS RETINERI) Arrianus, vt ante monui, nullos ait coactos in exercitu & Asia remanere, sed si qui vellent cum ipso porrò militare, donec omnia regni negotia composuisset, amplissima illis præmia persoluturũ. omnes indignabundi missionem petiuere.

Male habebat Macedones, quòd barbari amicis accensi essent; quòd nouam è toto imperio suo iuuentutem collegisset, quasi deinceps minus opera Macedonum vsurus. ita certè primùm Arrianus, p. 49. & p. 150. deinde alij atque alij testantur. De compescendis porrò seditionibus extat Vegetij caput 4. lib. 3.

CANITIEMQVE CAPITVM OSTENTANTES) Atqui seniores dimiserat; vtique nõ omnes, sed mutilatos & ad bellum inutiles: plures tamen iuniores fuêre. Iustinum accipe: *Dimissis veteranis exercitum ex iunioribus supplet. sed retenti, veteranorum discessum ægrè ferentes, missionem & ipsi flagitabant, nec annos, sed stipendia sua numerari iubebant, pariter in militia lectes, pariter sacramenta solui æquum censentes: nec iam precibus, sed conuicio agebant, iubentes eum solum cum patre suo Hammone inire bella, vt milites suos fastidiat. contrà ille nunc castigare milites, nunc lenibus verbis monere, ne gloriosam militiam seditionibus infuscarent. ad postremum cùm nihil proficeret verbis ad corripiendos auctores, è tribunali in concionem armatam inermis ipse desiliit, & nemine prohibente XIII. correptos manu sua ipse ad supplicia duxit: tantam vel illis moriendi patientiam metus regis, vel huic exigendi supplicia constantiam disciplina militaris dabat.* p. 121. editi Glareani.

QVID HAEC REPENS CONSTERNATIO) fœda seditio, qua etiam loqui conanti obstrepuére, & vix tandem loquentem audiére.

PRECARIO REX SVM) suprà l. 9. c. 5. *Mori præstat quàm precario imperatorem esse.*

DEPORTARE STATVERIM) quia enim Alexandrum æternam in Asia sedem fixurũ crediderant, cœperunt tumultuari: quorum clamorem primùm verbis acriter retundit, dein etiam supplicijs vindicat. Vtrum autem redire in Græciam statuerit, incertum est. Babylone sedem ponere, & solium regium voluisse existimarunt. nullam certè à quoquam postea mentionem repetendæ patriæ factam, vel ab ipso, vel à scriptoribus video.

ACCLAMANTES) *occlamantes* malim cum Acidalio.

OMNES QVERI) quasi antea coniurassent, ita simul omnes missionem petebant, omnesque querebantur. sed cur omnes quererentur caussa erat, quod dimittendi putarent se abs rege contemtos: alij ægrè ferebant se detineri.

NON, HERCVLE, POTEST, VT ADDVCAR) editiones priores & vulgares *non, hercule, potest fieri vt adducar*, adiecta vox est ab alijs quibus malam gratiam malè merentibus retulit Modius: *Corruperant*, inquit, *hæc imperiti nebulones, qui de suo verbum fieri intruserant.*

PLVRES DIMISERIM QVAM RETENTVRVS SIM) atqui decem millia, summum vndecim millia & duo equitum millia retenta ait. Sed miles seditiosus adhuc numerum mansurorum, vel abiturientium ignorabat, & poterat rex consilium mutare, ac plures exauctorare.

QVANDO REGEM VNIVERSVS EXERCITVS DESERVIT?) Sardanapalum & Astyagẽ apud *a* Herodotum & *b* Diodorum Siculum demum omnino desertos in veteri historia legimus. In Græca & Romana, multa exempla habemus in Mauritio apud Theophylactum, quem *a* lib. 1.
Phocas auctor defectionis interfecit. Desertus etiã ab omnibus Nero, Vitellius, Pertinax, Didius *b* Bibl. 2.
Iulianus & alij. Iambum ex hoc loco natum credo:

Exercitus quando omnis deserit ducem? Suetonius August.

Vegetius l. 3. c. 4. Nunquam ad contumaciam pari consensu multitudo procumbit: sed incitantur à paucis, qui vitiorum scelerumque impunitatem sperant, peccare cum plurimis. hist.

EST QVIDAM IN ILLIS PVDOR) De fugitiuis seruis omnia scriptorum veterũ volumina plena, & notæ Plauti comœdiæ. Nuper etiam Laurentius Pignorius lib. de seruis copiosè tractauit, vt & stigmata fugitiuis inusta, & supplicia recenset, nec pauca nos commentario passim ad Martialem. sed de fide seruorum erga dominos Val. Max. l. 6. c. 8 toto. Ad Alexandri dictum præsens Exemplũ testandum maximè seruit, quod Macrobius qui in manibus est, locum si placebit, ipse inspicies. 1. 7. & vlt.
Saturn. recenset, Antij Restionis mancipium, p. 430.

FVRIOSAE CONSTERNATIONIS) Quamuis hac voce nunquam vsus legatur Cicero; est

tamen benè latini & Liuio, Sallustio alijsque scriptoribus primæ classis vsurpata. Sed hoc obseruandum in illa: Consternationem hic non animi deiectionem valere, sed contumacem seditionem & tumultum: quo intellectu Val. M. x. dixit l. 9. c. 7. quod est de seditionibus. *Creditoru quoq; consternatio aduersum Sempronij Asellion. prætoris vrbani caput intolerabili modo exarsit. quē quia caussam debitorum susceperat, concitati à L. Cassio trib. plebis pro æde Concordiæ sacrificium facientē, ab ipsis altaribus fugere extra forum coactum, inq; tabernulo latitantem, prætextatum discerpserunt.* Aliàs tamen etiam pro desperatione & perturbatione vsurpatur, vt *consternatus animo.* Valla l. 5. c. 9. Consternere est corporis, consternari autem animi, cum mens turbata est de statu mota, & quasi humi strata, ideoque sæpè coniungi animum videmus. vt consternatus animo. Sallustius tamē primo historiarum, Equi, inquit, sine rectoribus exterriti aut saucij consternantur, cum sit vsitatius consternuntur. Imò meo animo rectiùs dixit Sallustius *consternantur*, hoc est, ita perturbantur, vt regi vix amplius possint, & quà data via ruant. Itaque hoc loco accipe pro tumultu, perturbatione & contumaci seditione, non deiectione aut desperatione animi. propterea adiecit *furiosa* consternationis. & paullò antè *repens* consternatio, hoc est procax & effusa licentia.

Valla notatus. Seind schlecht worden.

Remedia insanabilibus) metaphora à morbis immedicabilibus & desperatis, adeoq; à medicis conclamatis ducta. Ita elegāter & Cicero hac translatione vsus, de rep. locutus, plagam insanabilem reipubl. impositam dixit. & in Tusc. morbum insanabilem. Cæterum, morbi insanabiles dicuntur hydrops, apoplexia, elephas, epilepsia, pestis, calculus, podagra, phthisis cum ad supremum gradum peruenit, & hoc genus alij, præsertim hæreditarij, inter quos senectus, quæ ipsa est morbus, ἀνύρως tamen quamuis curari non possit, nisi diuina & antiqua illa Medea accedat, quæ Aesonem capularem recoquat, & in iuuentutem reducat. Medici nullum morbum insanabilem à principio, affirmant, quod & poeta monuit,

Pro Sestio.

--- *Venienti occurrite morbo.*

Hippocrates de apoplexia: λύειν τὴν ἀποπληξίην (ita scribendum est, non vt Heurnius interpres edidit ἀποπληξίη) ἰσχυρὴν, ἀδύνατον. Et de ἐπιληψία in Aphorismis sect. 5. τὰ ἐπιληπτικὰ ὁκόσοισι πρὸ τῆς ἥβης γίνεται μετάστασιν ἔχει, ὁκόσοισι δὲ πέντε καὶ εἴκοσιν ἐτέων γίνεται τουτέοισι τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει.

Apoplexia inueterata curari non potest. Morbus comitialis seu caducus ante annos pubertatis curationē admittit, post quintum & vicesimū raram aut nullam. Ionicè loquitur Hippocrates.

Omnem, hercule, spem --- damno) Tota hæc Alexandri oratio nihil est aliud, quam grauis & cōcitata in Macedonas inuectio, qua illis ingratum animum in se, acerrimè exprobrat, dum ostendit ex mendicis factos opulentos, è seruis liberos, è stipendiarijs & Illyriorum, & Persarum tributarijs, Asiæ dominos, ex vltima inopia ad summam rerum omnium copiam & felicitatem per ipsum euectos, nunc regem suum à subiectis, patrem à ciuibus, ducē ab exercitu desertū esse. Itaque iubet omnes facessere, ac procul à conspectu suo velut hostes recedere.

Secundis reb. q. v. c. insanire coepistis)

Fælicitas caussa omnis insolentia
Res prolabuntur prospera ad superbiam.
Rebus secundis adsita insolentia est.
Rebus secundis mater est ferocia.
Rebus secundis disciplina corruit.
Rebus secundis & Dei obliuiscimur.

Ita comici res secundas & felices commendant.

Illyriorum et Persarum tributariis) olim certè vectigalia pèndere Macedones Illyrijs coacti, & postea etiam à Philippo, qui prius illorū obses erat, pax auro redemta. Bello fractus, inquit Diodorus in sextodecimo bibliothecæ, ab Illyrijs Amyntas vectigalia pendere victoribus cogebatur Hi filium eius natu minimum Philippum obsidis loco tradiderunt; Qui rursus Epaminondæ patri adolescentulum commiserunt. Iustinus in VII. Igitur Alexander (patruus hic Alexandri M. fuerat) inter prima initia regni bellum ab Illyrijs pacta mercede & Philippo fratre (patre Alexandri M.) dato obside redemit. Ac de ipso Philippo, alia (bella) interposita pactione componit, alia redimit. Illyrios tamen postea prælio vicit, & ab eorum imperio Macedonas vēdicauit, vt Diodorus & Iustinus tradidere. Sed Philippo mortuo rursus nouis rebus studuēre, vt auctor est Arrianus proinde priusquam Alexander in Asiam traijceret, in Thraces & Triballos & Illyrios excurrit, quod & vicini essent, & nondum satis domiti. Diodorus quoq; adstipulatur, Tunc & Pæoniam Illyridemque, & contermina shilce terras inuadit, & incolarum plurimis qui à fide regis desciuerant subactis, Barbaros illis finitimos subegit. De Persis autem ipse Curtius l. 4. c. 1. & c. 19. narrat à Dario & Xerxe Græcis & Macedonibus illatum bellū, & Iustinus in VII. *Cùm interim Darius rex Persarum turpi ab Scythia fuga submotus, ne vbiq; deformis militia damnis haberetur, cum parte copiarum ad subigendam Thraciam cæteraq; eius tractus regna; quibus pro ignobili momēto erat accessura Macedonia.* Græcos ergo & Macedonas à Persarum seruitute primum Philippus, deinde Alexander non solum liberauit, sed omne regnum Persarum, adeoq; Asiæ totius & Indiæ imperia Græcis subiecit. quod hic ingratis Macedonibus & Græcis obijcit, qui, nisi per ipsum fuisset, semper mancipia Persarum futuri erant.

Seminudis) mendicitatem & vltimam paupertatem Macedonibus exprobrat, & ex cultu

cor-

corporis sordido, quo vix tegebant membra, supellectilem præterea ligneam, arma, scuta & gladios rubigine exesas, cum præsenti splendore vestium, purpura, scutis argenteis, cultu corporis auro gemmisque fulgente comparat.

ID. TALENTA AERIS ALIENI) hoc est trecenta millia aureorum, quæ Philippus in tabulis & rationibus creditorum mihi reliquit dissoluenda.

LX. TALENTA) sex & triginta millia aureorum seu philippæorum. etiam hanc ipsam pecuniam cum toto patrimonio suo, amicis priusquam in Asiam traijceret diuisit, sibi Asiam sufficere præfatus. Plutarchus *stipendium his LXX. talenta nō amplius cum Aristobulus habuisse memoriæ prodidit. Duris triginta duntaxat dierum cibaria Onesicritus insuper talenta ducenta eum habuisse æris alieni. qui quamuis subsidijs rem suscepit adeò exiguis & angustis, non antè tamen conscendit, quàm considerata rationibus amicorum erogasset huic agrum, illi pagum, alteri vici prouentum vel portus. Quum iam essent vectigalia regia penè omnia distributa, & diplomatū cōsignata, Perdiccas. Tibi ipsi, rex, inquit, quid reliquum fecisti? cui cum ille respondisset spes meas, ergo nos quoq́, inquit, qui auspicia sequimur tua, harum erimus consortes. Repudiautem assignatum sibi diplomate prædium Perdiccam, nonnulli alij ex animo eius sunt imitati. accipientibus & petentibus largitus est benignè. ac patrimonium quidem Macedonum distributum hoc modo profudit.*

MEORVM MOX OPERVM FVNDAMENTA) LX. talenta fuerunt omnium bellorum fundamenta, quibus Asiam, Persidem, Indiam, oppugnaui & expugnaui, & quibus maximæ terrarū parti imperium tanquam ædificium (quod absque inuidia & iactatione dictum acceptumq́; velim) imposui. *Sunt enim*, inquit Cicero de officijs, *qui quod sentiunt, etiamsi optimum sit, tamen inuidiæ metu non audent dicere.* mitigant ergo quod insolentius dictum videri potest, hac formulâ *absit verbo inuidia*, vel, *ne inuidia verbi* labefactetur oratio mea. De finibus.

QVAE VOS GLORIA V. C. DIIS PARES FECIT) domi inglorij, obscuri, ignoti vixissetis & periissetis. Hic in Asia fama rerum gestarum, orbem terrarum impleuistis, & gloriam cœlo terminastis. *qua* Asia, in recto Asia, *gloria* sexto.

AES ALIENVM LVISSEM) nisi vos ære alieno liberassem & exonerassem, vestrisque creditoribus satisfecissem, & omnia debitorum nomina dissoluissem. interim vos ingratissimi mortales vestrum tam munificum & parentem & regem deseritis? *Luere æs alienum* eleganter, nec tamē scio an apud alios legatur, sicut scelus, stuprū, crimen, pœnas, sanguinem luere apud plerosq; oēs.

PROFVNDO VENTRE SPOLIA CIRCVMFERENTES) prædam ex deuictis gentibus partam profundæ libidines vestræ aut profuderunt, aut deuorarunt.

QVIBVS) liberis & coniugibus.

PAVCI PRAEMIA POTESTIS OSTENTERE) In ventre & luxū exhausta, absorpta & absūta.

NAM CAETERORVM, DVM ETIAM SPEI VESTRAE OBVIAM ISTIS, ARMA QVOQVE PIGNORI SVNT) Obscura sententia, cuius intellectus hic est: Cæterorum ex vobis, qui non solum rem confregistis, sed spem etiam infregistis, & præuidistis, arma quoque alijs propter æs alienum sunt oppignerata. ita vt *cæterorum* respōdeat superiori verbo *pauci*. Pauci, inquit, ex vobis possunt præmia victoriæ, spolia & prædam suis liberis & coniugibus ostendere. Reliqui non solum non possunt præmia victoriæ ostendere, sed spe etiam alia quærendi abiectâ, arma quibus poterant sibi prædam comparare, in pignus debitorum deposuerunt. Obuiam ire spei, est spem retundere, abijcere, præcidere: sicut obuiam cupiditatibus ire, cupiditatibus resistere, cupiditates domare, coercere, frangere.

BONIS VERO MILITIBVS CARITVRVS SVM) ironia est quomodo bonis, cùm suarum pellicū & scortorū scorta sint, nullius vsus, nullius pensi, diobolares, fæces & purgamēta exercitus?

CONCVBINIS) concubinus apud Catullum legitur in nuptijs Iuliæ & Manlij:

Ne nuces pueris neget
Desertum domini audiens
Concubinus amorem.
Da nuces pueris, iners
Concubine----

& quæ sequuntur. Ad quem locum locum vide Seruium & eclogam VIII. Virgilij, Festum, Fabium, lib. c. 3. Obsoleti à turpi seruitio recedentes spargebant nuces, id est ludum pueritiæ, vt significarent se puerilia omnia spernere. nec pluribus hic opus. Passeratium lege ad Catulli versus p. 17.

IN QVOD IMPENDITVR) qui ex omni præda Asiæ nihil sibi reseruarunt, nisi quod in scorta impenderent: in hæc enim omnia sua impendunt. Qualis rex talis grex. eodem vitio laborabat Alexander, quod militibus obijciebat. Seneca: *Post Darium & Indos pauper & Alexander Macedo.* Epist. 119.
Verū est quod Græcus occinit Στρατεία δ' οὐ φέρει πλοῦτον οὐδεμίαν, Militia nō fert vllā opulentiā.

PROINDE FVGITE PATRIAE LIMITES) Peroratio plena indignationis & acerbitatis. Abite ergo transfugæ desertoresque regis vestri in malam maximam, qua digni estis, crucē. Redite sine rege in patriam. quid respondebitis liberis coniugibusque vestris vobis occurrentibus. Vbi est rex omnium Alexander? quid respondebitis? deseruimus illum, transfugimus ab illo regis & patriæ proditores.

CVM QVIBVS ME RELINQVITIS) cum Persis, Bactrianis & Indis, paullò antè hostibus, nunc pro custodibus salutis meæ, vobis in hostes versis, fidelioribus.

QVANTVM SINE REGE VALIAT EXERCITVS) Miles sine duce, corpus absque spiritu, inquit infrà Perdiccas c. 10. Craterus sup. à multa super hac re. Elegantem narrat Iustinus historiā de Macedonibus cum Illyrijs sine rege pugnantibus & victis, & rege, quamuis in cunis prolato, vincentibus. *Argæus*, inquit, *moderatè, & cum amore populi administrato regno, successorem filium Philippum reliquit, qui immatura morte raptus, Europum paruulum admodum instituit hæredem: sed Macedonibus assidua certamina cum Thracibus & Illyrijs fuère: quorum armis veluti quotidiano exercitu indurati, gloria bellica laudis finitimos terrebant. Igitur Illyrij infantiam regis pupilli contemnentes, bello Macedonas aggrediuntur: qui prælio pulsi rege suo in cunis prolato, & pugna ante aciem posito acrius certamen repetiuerunt, tanquam ideo victi essent antea, quod bellantibus sibi regis sui auspicia defuissent, futuri vel propterea victores; quod ex superstitione animum vincendi ceperant: simul & miseratio eos infantis tenebat, quem si victi forent, captiuum de rege facturi videbantur. Conserto itaque prælio, magna cæde Illyricos fudere, ostenderuntque hostibus suis, priore bello regem Macedonibus, non virtutem defuisse.*

lib. 9. c. 11. p. 76 l. 7. & p. 70. edit. Glarean.

Facit etiam huc Chabriæ Atheniensium ducis nobile apophthegma, cum diceret, Formidabiliorem esse ceruorum exercitum duce leone, quàm leonum duce ceruo. Hoc senserunt Macedones amisso Alexandro.

DESILVIT DEINDE FRENDENS DE TRIBVNALI) Iustinus ead. vt antea ex ipso docui.

p. 121. ed. Glar. in e

Sed Arrianus hunc rerum ordinem inuertit, & post raptos ad supplicium, orationem hanc à Curtio præmissam, ab Alexandro ad Macedones habitam testatur. quæ Arriani oratio Curtianam priorem non parum illustrat, sed longiuscula est, & hinc meritò excludenda, quam in ipso auctore inuenies si vtramque inter se componas, ab Arriana Curtianam, (quod aliàs rarò factū) superatam intelliges. Ita omnia explicatè, grauiter, & probabiliter sunt pertractata. Curtiana concitatior, hæc modestior: illa obscurior, hæc planior: illa abrupta, hæc lenior & regiæ dignitati aptior.

NOTATISQVE) Acidalij emendationem secutus sum: Modius *notans*, vulgò *notatos*. Sed verum opinor, inquit Acidalius, est, notatisque qui ferocissimè oblocuti erant. Siculum de re ipsa loquentem adi q. 575. post m.

NIHIL AVSOS GRAVIORA QVAM CAETEROS) nisi quod reliquis ferociùs regi concionanti occlamassent, quod ipsum satis erat graue. Sed Curtius respicit ad priorem vitæ cursum, quod nihil grauius peccassent, nullum flagitium, cædem, furtum, proditionem tentassent. Hic asteriscus insertus monet aliquid in Curtio deesse, quod vel nihil, vel certè perexiguum est, vna vel altera voce, vt & Acidalius sentit, desiderata. quamquam ego putem omnia constare: nam sensus & intellectus totius periodi perfectus est, & cohærent omnia. Cùm, inquit, ad supplicium videret trahi, nihilo ausos grauiora quàm cæteros: deinde Curtius tres caussas subijcit, cur ita tractis ad supplicium suis commilitonibus omnis reliquus exercitus obtorpuerit, nec restiterit regi, nec quicquam amplius oblocutus aut obmolitus sit, siue eos conterruit regij nominis quasi numinis veneratio & maiestas, siue ipsius Alexandri reuerentia, siue denique fiducia Alexandri, qui tanta vi imperium exercebat, siue quæcunque alia caussa; simul omnes animo occurrebant: certè patientissimè necem & supplicium suorum sociorum pertulerunt, nec quicquam contra regem amplius mouerunt, cùm sub noctem commilitones occisos cognouissent.

SIVE REGII NOMINIS) super hac re legisti, quæ tertio libro capite decimo sunt ad illa verba annotata: *Namq; haud facilè dictu est, præter ingenitam illi genti erga reges suos venerationem, quantum huius vtique regis vel admiratione dediti ei fuerint, vel caritate flagrarint.*

LVGVBREM TOTIS CASTRIS EDIDERE CLAMOREM) Hunc ingentem Macedonum luctum, & pœnitudinem, & lachrymas paullò pòst ex alijs scriptoribus primum augebimus, ac demum abstergemus.

PEREGRINORVM MILITVM CONCIONEM ADVOCARI IVBET) Mirè torsit hoc Macedones, Plutarchum lege. p. 597.

TALEM ORATIONEM HABVIT) Huius orationis argumentum Iustinus dabit: *Inde*, inquit, *separatim auxilia Persarum in concionem alloquitur. Laudat perpetuam illorum, tum in se, tum in pristinos reges fidem: sua in illos beneficia memorat: vt nunquam quasi victos, sed veluti victoriæ socios habuerit. denique se in illorum, non illos in gentis suæ mortem transisse, affinitatibus connubiorum victos victoribus commiscuisse. nunc quoq; ait custodiam corporis sui non Macedonibus tantùm se, verum etiam illis crediturum. atque ita mille ex his iuuenes in numerum satellitum legit: auxiliorum quoque portionem armatam in disciplinam Macedonum exercitui suo miscet.*

p. 124. & p. 121. p. m. edit. Glar.

FORTES VIROS) aliter lib 3. cap 19. Alexander de Persis in acie stantibus sensit & dixit: *Aciem*, inquit, *hostium auro purpuraque fulgentem intueri iubebat, prædam non arma gestantem: irent, & imbellibus fœminis aurum, viri eriperent.*

Ant

ANIMORVM CORPORVMQVE ROBORE)non falsò tum Alexander hæc de Persis pronunciauit, quia delecti Persarum iuuentus ad Macedonum morem instituta, & culta, & armata erat.

FIDEM COLITIS)huius exemplum supra de Sogdianis attulit. Curtius *ex triginta captiuis Sogdianorum*, & quæ sequuntur in illo toto capite, quod in promtu habes. Testatur etiam Darius Persarum erga se fidem: *Ite*, Inquit, *consulite vobis, ad vltimum regi vestro, vt decebat, fide exhibita*. Maximè Artabazi fidem erga regem suum Curtius eodem loco celebrauit. l. 7. c. 24. lib. 5. c. 23.

HOC EGO NVNC PRIMVM PROFITEOR)antea erat; hoc ego *non* nunc profiteor. Acidalius negantem particulam eiecit, quam, inquit, pugnare in sententiam Alexandri miror ab alijs nō animaduersum. Iam olim, inquit, ita sensi, sed nunc ita aperio. Manifestum nimis hoc & quod vltro se prodit, hucusque tamen (qui nisi caulis oculis?) præteritum. Sed non minùs ego miror ab Acidalio particulam eandem à me supra restitutam, à qua totius capitis sententia pendebat, non fuisse animaduersam, nec repositam, cum contra ius omne & fas à Curtij contextu esset proscripta: Non quidē Gangem amnē & quæ vltra essent, coactos transmittere, non tamē finisse bellū. lib. 9. c. 9.

OLIM SCIO)iam diu hoc scio & agnosco, sed nunc primum publicè restor. iungitur *olim* præsenti, præterito & futuro. exempla apud poetas & alios scriptores passim occurrunt.

DILECTVM)delectum. dilectum eodem sensu prisci dicebant, quos subinde Lipsius æmulatur. sed delectus dicitur vsitatiùs, quod dilectus ambiguè dicatur.

OBSEQVIO)hoc copinsius explicat Brissonius lib. de regno Persarum primo, vbi mira de illorum obedientia, patientia, & summa fide.

OXATRIS PERSAE)alij Oxyartem appellant. Curtius l. 8. c. 10. vbi nuptiæ Alexandri cum Roxane describuntur; Cohortanus vocatur Roxanes pater. sed, quod Rubenius etiam animaduertit, haud dubiè ibi lacuna est, & mea sententia non modica. Tota enim narratio de Oxyarte seu Oxatre prætermissa est: & quæ sequuntur, cum præcedentibus non Cohortani rebus, sed Oxatris coniungenda forent. Nuptiæ & conuiuium ibi lautè celebrantur.

DARII FILIAM DVXI)hæ nuptiæ cum Statira seu Barsina seu Saprina apud Curtium desiderantur, quas supra ad c. 4. huius libri expletis lacunis instaurauimus, vt legisti.

PROXIMISQVE AMICORVM)omnia suprà sunt restituta & explicata.

VICTI ET VICTORIS)hoc clementer & regiè & politicè: maxima enim victoris virtus est clementia.

GENITOS NON ADSCITOS)erant iuuenes ex illis etiam à Macedonibus ex victis & Persidibus iam pridem susceptis: nam ex vltimis non potuit fieri, cū necdum annus intercesserit. Diodorum audi: *Alexander numerum eorum quos dimiserat Persis expleuit, & mille ex ipsis ad custodiam sui corporis in aula delegit: & omnino non minus illis quam Macedonibus fidei adhibendum censuit. Sub idem tempus etiam Peucestes cum vicies mille sagittariorum & funditorum agmine venit, quos prioribus copijs immiscuit. Qua mixtura nouitate effecit, vt totus exercitus rectè temperatus, & instituto eius conueniens esset. Nati erant Macedonibus filij ex consuetudine cum captiuis. horum numerum diligenter inuestigauit, & ad X M. inuenit, & stipendijs quæ liberalis educatione sufficerent, attributis, magistros à quibus in disciplinis idoneis instituerentur, præfecit.* Olymp. 115 anno 3. p. 576.

Hoc parū verisimile, quia non poterant nisi sexennes, summum decēnes aut duodecennes esse filij ex Macedonibus & captiuis nati, cum non nisi duodecim annis regnarit Alexander, & bella cum Persis gesserit: Melius Curtius ex ipsis Persis delectos ait.

INVETERAVI PEREGRINAM NOVITATEM)Inueterani ab inuetero ἐνεργητικῶς apud Columellā & Plinium, inueterauit aquam, allium, & id genus similia. vnde participiū apud Ciceronem, inueterata amicitia, inuidia, dolor, malum, barbaries. Veterasco tantùm neutrum est. Græcis inuetero est παλαιόω. οἶνος παλαιωμένος vinum vetus, inueteratum. Budæum consule.

EIVSDEM IVRIS ESSE DEBENT, QVI SVB EODEM REGE VICT. SVNT)

Rex cuncta format in similitudinem sui.
——totus componitur orbis
Regis ad exemplum ——

Sicut ciues sunt qui eisdem legibus, moribus, iure, viuunt: ita regibus subiecti, legibus regijs vtuntur, decretis parent, velut oues pastorem sequuntur. Vnde & Homerus Agamemnonem perpetuo vocat ποιμένα λαῶν, pastorem populorum.

QVOVSQVE, INQVIT, ANIMO T. ETIAM P. SVPPL. OBSEQVERIS)rursus hic asteriscus & hiatus non paruus, quem vnde expleam vix inuenio. Apud * Arrianum quidem Callines quidā & ætate & præfectura in amicorum equitatu non obscurus, Macedonū iam supplicum & lamentātiū caussam egit, sed res & effectus parum cū Curtij sententia conuenit. Rex enim quisquis Macedonū patronus fuit, nihil mitigatus præter eos quos antea interfecerat, vt Curtius tradidit, alios præterea vinciri iusserat: quod quidē quo pacto factū sit, in Curtio deest, nec alij perscribunt. Ducebantur tū rursus è seditiosis aliqui, vt aqua mergerentur, pro his orator deprecabatur regē, sed frustrà, quod ira & rabies illius nondum deferbuisset. precabitur autem aduocatus Macedonū, non vt vita rei donarentur, sed tantum vt ne per alienos & Persas interficerentur. * pag. 454.

NEC HOC QVIDEM SVPPLICIVM) quamuis ægerrime ferrent suos commilitones à Persis duci & mergi, tamen nemo fuit, qui vllam contra regem indignationis vocem mitteret. Quin vltro (tanta fuit animorum commutatio,) omnes se ad mortem & sup-

supplicia offerebant, dummodo sibi sanguine etiam suo iratum placarent. Iustinus, *Tunc vniuersi flentes regem adeunt, orant supplicijs suis potius saturet se, quàm contumelijs.* Quæ autem remedia adhibuerint, quas lachrymas fuderint, quibus modis mitigare & flectere animum regis conati sint; & quomodo demum placatus sit * Plutarchus & * Arrianus exponunt; quos iterum consules.

* p. 598.
* p. 152.

Ergo iam, placatus omnes exauctoratos & retentos in gratiam recepit. In patriam tamen è senibus & veteranis XI. millia dimisit. Quibus & Ducē præfecit Craterū, & in eius locum ex Macedonia Antipatrum euocauit. Comitati sunt hos Polyperchō, Polydamas, Clitus alius, Gorgias Antigonas, omnes ex amicis Alexandri, vti Iustinus testatur. Addit Plutarchus scriptum ab Alexandro ad Antipatrum, vt remissis in patriam inter spectatores in theatris, ludis, spectaculis primum locum assignaret, & vt coronati considerent.

Arrianus omnia dolenter & prolixè proponit, singulisque ait supra stipendium, adnumeratum esse talentum; filios ex barbaris susceptos retentos, quoad adolescerent; parentes militesque cum Ducibus lachrymantes à lachrymante dimissos.

CAPVT VII.

ARGVMENTVM.

Rex Babylonem reuersus propinato sibi per Cassandrum & Iollam veneno, moriturus salutat exercitum; Perdiccæ tradit anulum, respondet amicis, supremaque mandata edit, & exstinguitur.

INtuentibus lacrymæ obortæ præbuêre speciem iam non regem, sed funus eius visentis exercitus. Mæror tamen circumstantium lectum eminebat: quos vt rex aspexit, Inuenietis, inquit, cùm excessero, dignum talibus viris regem? Incredibile dictu audituque, in eodem habitu corporis, in quem se composuerat cum admissurus milites esset, durasse, donec à toto exercitu illo ad vltimum persalutatus est: dimissoque vulgo, velut omni vita debito liberatus, fatigata membra reiecit, propiusque adire iussis amicis (nam & vox deficere iam cœperat) detractum anulum digito, Perdiccæ tradidit, adiectis mandatis, vt corpus suum ad Hammonē ferri iuberet. quærentibusq; his, cui relinqueret regnum, respōdit, ei qui esset optimus. cæterum prouidere iam se ob id certamen magnos funebres ludos parari sibi. Rursus Perdicca interrogante, quando cœlestes honores haberi sibi vellet, dixit tum velle, cùm ipsi felices essent. Suprema hæc vox fuit regis, & paullo pòst extinguitur.

Priusquam ad hoc tristissimum de morte Alexandri caput explicandum accedamus, narranda sunt quæ cariosa apud Curtium expunxit vetustas, & pestes scriptorum tineæ exederunt. Succurrent ergo Diodorus, Plutarchus, Arrianus, Iustinus, Seneca declamator. Val. Maximus, Zonaras, Cicero etiam in parté veniet, Appianus in Parthico, ex quibus omnibus tibi Synopsin proponam eorum omnium quæ hic desiderantur.

Cùm ergo Alexander Susis Ecbatana, Ecbatanis Babylona repeteret, certatim Chaldæi & vates venienti occurrerunt endituri, ne Babylonem ingrederetur, locum illum fatalem ipsi portendi, ac primùm omnium oraculum hoc Pasargadis à Calano Brachmana rogum conscendente accepit, vti narrat M. Tullius, 1. de Diuin. n. 45. p. 266. alia edit p. 263. n. 40. alia edit. p. 90. f.

Nam cum Alexander eum rogum conscensurum rogaret, si quid vellet, vt diceret, optimè, inquit, propediem te videbo. quod ita contigit. nam Babylone paucu post diebus Alexander est mortuus.

Sed de Calano hoc & eius oraculo copiosiùs Iustinus in XII. Calano proximus è Chaldæis vates erat Belephantes, qui per Nearchum admonuit Alexandrum ne Babylonem intraret, quod illi Babylone vltimum vitæ periculum immineret, fore autem vt illud auerruncere-

si Beli

si Beli fanum à Xerxê olim euersum instauraret. hoc plenius exponit Diodorus Siculus, qui & annos, & Consules, & Archontes exprimit, quibus Alexander debellata Cossæorum gente Babylonem contendit, quam tamen oraculis Chaldæorum territus primum declinauit. Mirati Græci cur id faceret, cognita caussa, acriter contra Chaldæos disputarunt, & Alexandrum per Anaxagoram Philosophum eò deduxerunt, vt contemtis Chaldæorum denunciationibus Babylonem intraret. Addit his Plutarchus, accedente iam Babylonem Alexandro, ceruos iuxta muros inter se congressos, nonnullosque ante ipsum concidisse, & aruspicem Pythagoram quendam auctore Apollodoro vrbi præfecto nomine Alexandri, exta consuluisse, illaque trunca apparuisse, indeque motum vrbem non intrasse. Ead. narrat Arrianus, sed more suo verbosius omnia.

Extat Senecæ patris philosophi inter suasorias I V. vbi post vaticinia, & oracula, denunciatumque auguris periculum, dubitabundus introducitur, An Babyloniam intret, quâ consule. Venerant illi vt Alexandro de rebus felicissimè gestis gratularentur: vel coronas offerrēt: vel amicitiã & fædus sancirent; ộplures, vt magnificis regē muneribus afficerent: quidã vt de criminibus obiectis se purgarent. nam præter eos, quos Asiæ nationes ciuitates & principes miserant, etiam multi ex Europa & Africa legati regem accedebant. Ex Africa Carthaginenses & Afro-Phænices, & cuncti qui mare vsque ad columnas Herculis accolebant. Ex Europa, Græcorum ciuitates & Macedones; tum Illyrij & plerique Adriæ accolæ, Thracumque gentes, & his finitimi Galatæ quorum gens tunc primum innotescere Græcis cœpit. quibus Iustinus etiam Italos, Gallos, Siculos, Hispanos: Arrianus præter iam expressos Tuscos, Brutios, Lucanos, Celtas, Scythas, Romanos non ex sua, sed aliorum sententia adijcit, quos tamen refutat. Hi omnes legatos miserunt. quorum catalogo rex accepto, quibus primum & quibus deinceps, dum ad omnes perueniretur, ordine respondendũ esset, constituit. Ac primũ eos qui sacrorum causa venerant audiuit. Secundum locum his dedit, qui dona attulerant. Inde qui cum finitimis controuersias habebant. Quarti erant qui de priuatis tractaturi venerant. Vltimæ partes illorum erant, qui restitutioni exulum refragabantur. Eleis igitur omnium primis operam dedit, & post illos Hammonijs, Delphis, Corinthijs; Itemque Epidaurijs, & cæteris; pro maiestate templorum audientiæ prærogatiuam illis tribuens: inprimis verò vt grata cunctis legationibus responsa impertiret, placatasque & beneuolas à se dimitteret, operam dabat. Atque hæc de Legatis & legationibus.

Nunc propius ad mortem, & prodigia, omina, portentaque, quæ proximam illi mortem denunciarunt, à nobis in prolusionibus etiam inter alia mira, quæ Alexandro euenerunt, promissa, veniamus. Illa sanè & multa, & varia, & tremenda fuere, vt plerunque pontificibus, imperatoribus, regibus, magnisque heroibus & sanctioribus etiam viris, cælestis Maiestas per huiusmodi legatos fata sua soleat ante denunciare, cuius exempla vbique occurrunt. Nos ad Alexandrum properemus.

Ergo prima duo ex Diodoro do, cùm repentè è vinculis quidam elapsus regiam in aula sellam occupauit. *Cùm enim vnctioni rex vacaret, regia veste ac diademate in sella quadam reposita, indigena cuidam in vincula compacto, sponte sua compedes soluebantur. Is ergo nemine vigilum sentiente, per aulæ portas citra impedimentum transiens ad sellam se contulit, regioq; habitu indutus & diademate ornatus quietè in solio resedit. Quod factum vbi innotuit, rex insolentia eius perculsus ad solium accedit, & absque increpatione placidè hominem interrogat, quis sit, & quo consilio hoc designarit. Ille se nihil scire simpliciter respondet. De portento igitur hoc ad vates refertur. Quorum iudicio miser ille necatur: vt quicquid sinistri portenderetur, in caput illius deriuaretur. Plutarchus Dionysium ait vocatum, domo Messenium, ab Serapide vinculis exemtum, iussumque sellam regiam occupare. Plura Arrianus. Tum rex habitu recepto diis auerruncis sacrum peregit, animoque reuoluit quæ à Chaldæis monitus erat; doluitque se Babylonem ingressum, philosophos Græcorum execratus, quorum consilio Babylonem intrarat. Accessit mox aliud prodigium. In lacu Babylonio animi caussa diu vagatus, inter dumeta hasit ipsius diadema à capite auulsum, quod inde in aquas decidit. à proximo remigum sublatũ, qui dum enataret, illud capiti suo imposuit, saluumque regi porrexit. Consulti super hac re aruspices, sacrificijs prodigium expiari iusserunt. Sunt qui hũc nautam interfectũ dicant, quod diadema capite suo gestasset. Alij Seleucum aiunt fuisse, qui postea imperauit, futurique imperij indicium. Tertium apud Arrianum extat, immanem leonem ab asino domestico calce interfectum. Leo fuit Alexander, asinus Cassander, qui in vngula asini allatum illi propinauit venenum. siue stygiam aquam.*

Valerius quoque Maximus his adijcit de Cassandro, qui Alexandro Stygiam aquam propinauit, qua ad Stygem vsque nauigauit. Namque Cassandri pestiferam sibi dextram somnio prius cognouit, quàm exitu sensit: existimauit enim ab illo se interfici, cum eum nunquam vidisset. Interposito deinde tempore, postquam in conspectum venisset, nocturni metus patefacta imagine, vt Antipatri filium esse cognouit, adiecto versu Græco qui fidem somniorum eleuat, præparati iam aduersus caput suum veneficij, quo occidisse Cassandri manu creditur, suspicionem animo repulit.

Quis porrò Græcus versus fuerit, quo somnium Alexander de Cassandro elusit, non certò constat. Dabo vnum cum disticho Tibulli:

Mãτις

p. 581. & seq.

l. 1, c. 7.

[illegible]
Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pauidas mentes falsa timere iubent.

plutarchus p.601.& seq. Cæterùm Alexander & Antipatrum, & Cassandrum, & Iolam suspectos de insidijs habuit.

His expositis ad morbum Alexandri, indeque ad mortem accedamus. Atque de morbo pauca, vel potius nihil Curtius; aboleuit enim & hanc capitis huius partem vetustas. de veneno disputat vltimo capite libri huius Morbone an veneno interierit, hodieq; ambigitur. Nos primùm de morbo, & vnde is contractus, & quo genere morbi perierit, exponemus.

Perijsse morbo, non veneno, complures sunt auctores. Literæ sacræ primo Machabæorum, dum mortem Alexandri persequuntur nullam veneni mentionem faciunt: *Post hæc*, inquiũt, *decidit in lectum: & cognouit quia moreretur. & vocauit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti à iuuẽtute sua: & diuisit illis regnum suum cum adhuc viueret. & regnauit Alexander annis duodecim & mortuus est.*

epist. 83. quæ est de ebrietate. Seneca acerrimus Alexandri insectator, per ebrietatem & scyphum Herculaneum extinctum asserit:

Senecæ suffragatur Athenæus: qui ex quodam Philippo (qui de Alexandri & Hephæstionis sepultura scripsit,) Alexandrum bibacissimum fuisse ostendit, quem ait & Proteæ cuidam Macedoni, egregio calicum traheni, vltima cœna poculum, quod duos congios, hoc est, sex nostrates poculum ergo Proteæ continebat. mensuras capiebat, præbibisse, vnoque spiritu & haustu ebibisse. Proteamque cum regi basilicè respondisset, alteramque capedinem vicissim propinasset, regem generosè quidem craterem exhausisse, sed mortem inde contractum interijsse. 3. Viertel Weins auff ein Suff.

Serarius noster existimat certius esse, contracto per ebrietatem morbo interijsse. quod & Plutarchus * ex Physicis rationibus demõstrare conatur: *Maxima tamen*, inquit, *pars eam veneni fabulam prorsus existimant commentitiam, habentque argumentum non leue, quod dissentientibus per multos dies ducibus, corpus cum locis feruidis & æstuosis iacuisset non curatum, eiuscemodi veneni nullum vestigium præ se tulerit, verùm sine liuore & tabe permanserit recens.* * p.605.

Interim nobilissimi scriptores dubiè de veneno & ebrietate disputant. Diodorus primum quasi ex sua sententia etiam hausto ingenti cratere perijsse tradit, postea tamen subijcit aliorum opinionem de veneno. Ita Arrianus cum multis verbis suam prius de conuiuio extremo & morbo inde contracto sententiam explicasset, subijcit demum aliorum opinionem, qui illum pharmaco interijsse contendunt.

cap. 16. Solinus: *Victor omnium, vino & ira victus sic morbo vinolentia apud Babylonem, humiliore quã vixerat fortuna, exemtus est.*

Iustinus venenum propinatum ait: & ex ephemeridibus quid hausto mortifero poculo fecerit singulis diebus, accuratè describit. Explicatius omnia Plutarchus ex diarijs etiam ab alijs laudatis, qui & de Aristotele suspecto.

Ouidius in Ibin. etiam venenum bibisse canit:

Nec tibi fida magis misceri pocula possint,
Quam qui cornigero de Ioue natus erat.

Et Suidas: Καὶ ὑπὸ Κασάνδρου τοῦ ἰδίου στρατηγοῦ φάρμακον δεξάμενος ἐσπαράχθη: Et à Casandro duce suo accepto veneno elisus est.

Porro negat Plutarchus etiam ebrietatem; & Herculaneum scyphum epotum fuisse. Mensem Dæsium apud eundem intellige iunium, non Februarium, vt alij tradidère. Quod ad Aristotelem attinet, si fabula non est de mixto regi pharmaco, sanè auctoribus compluribus est suspectus, & affirmat compositum in illum epigramma:

Doctorem ingratus calamo, Dominumque veneno
Obruit, igne patrum dogmata, nos tenebris.

Plinius illius veneni repertorem eundem ait Aristotelem: *Vngulas*, inquit, *tantum mularum repertas, nec aliam vllam materiam, qua non perroderetur à veneno, stygis aqua cum id dandum Alexandro M. Antipater mitteret, memoria dignum est, magna Aristotelis infamia excogitatum. Quem aiunt*, inquit Dalecampius, *pecunia corruptum ab Antipatro id consilij dedisse, tanti sceleris participem & conscium.* Idem vt iam dictum, Arrianus tradidit de Aristotele, qui id ab eo factum ait, quod sibi metueret ob Callisthenem ab eo interfectum.

Zonaras quoque diuersas super morte Alexandri sententias collegit, quo morbo interierit; quod nos iam ex ipsis auctoribus ostendimus. nihil enim noui adfert Zonaras, Orosius venenum potasse putat.

De genere verò pharmaci seu veneni, quod stygis aquam appellant, infrà cap. vlt. tractabimus, quando ibi Curtius de eadem aqua agit. Nunc explicatis quæ desunt, ad ipsa Curtij verba redeamus, quibus ipsam regis extremam valetudinem & mortem tradit. quamuis ex ijs quæ iam allata sunt, propè iam clareant.

Fvnvs eivs visentis exercitvs) Macedones cùm audissent de regis periculo, rati iam mortuum esse, & celari funus, magnis clamoribus ad fores regiæ constiterunt, vrseruntque regios duces vt admitterentur. Ita Plutarchus. *Delatus in vlteriorem regiam vigesimo quinto die, paulisper quieuit. cùm adissent eum duces, iam vocem amiserat. pari modo vigesimo sexto egit. vnde Macedones mortuum rati, ad fores magno strepitu accesserunt, minisque amicos regis coëgerunt, vt admitterentur. ac foribus apertis tunicati ad vnum omnes præter lectum eius transierunt.* Et hoc est quod Curtius subdit: Incredibile dictu audituque in eodem habitu corporis in quem se composuerat, cùm admissurus milites esset, donec à toto exercitu persalutatus est. Arrianus, vt supra dictum, singulis etiam dextram porrectam ait.

Moeror tamen circvmstantivm lectvm eminebat) duces & amici regis proximi circumstabant: Perdiccas, Ptolemæus, Lysimachus, (nam Craterus iam abierat) Seleucus, Nearchus, Meleager, Aristonus, Aridæus, Antigonus, alij. qui omnes ex animo dolebant vicem regis, cuius vnicè erant amantes, & à cuius spiritu vita eorum pendebat, haud dubiè non personati dolebant.

Dignvm talibvs viris regem) pulchrè suprà lib. 4. extremo dixerat non sine eleganti epiphonemate Curtius: *Et si verè æstimare Macedones qui tunc erant, volumus, fatebimur & regem talibus ministris, & illos tali rege fuisse dignissimos.* quot enim milites tot duces; quot duces tot reges habebat Alexander.

Detractvm anvlvm digito, Perdiccae tradebat) reges Persarum, &, vt ex Alexandri exemplo apparet, etiam Macedonum, anulum signatorium digito gestabant, quo rescripta signabant, quibus nunquam licebat contrauenire, quicquid illa præciperent. Hunc vbi res poscebat, digito detractum fido alicui ex amicis obsignandi causa dabat. De Artaxerxe namque cap. 3. Esther scribitur: Περιελόμενος τὸ δακτύλιον ἔδωκεν εἰς χεῖρας τῷ Ἀμὰν σφραγίσαι κατὰ τὸ γεγραμμένον κατὰ τῶν Ἰουδαίων. *Tulit anulũ suum, & dedit in manus Aman, vt signaret quod scripserat cõtra Iudæos.* Idem princeps eiusdem lib. cap. 8. ita loquitur: Γράψατε καὶ ὑμεῖς ἐκ τοῦ ὀνόματός μου, ὡς δοκεῖ ὑμῖν, καὶ σφραγίσατε τῷ δακτυλίῳ μου. *Scribite & vos meo nomine vt vobis videtur, & signate anulo meo.* Mòxque adijcit, ad firmandam auctoritatem literarum, quibus regis signum impressum erat: ὅσα γὰρ γράφεται τοῦ βασιλέως ἐπιτάξαντος καὶ σφραγισθῇ τῷ δακτυλίῳ μου, οὐκ ἔστιν αὐτοῖς ἀντειπεῖν. *Quæcunque enim scribitis iubente rege, & signatum fuerit anulo meo, nemo illis audet contradicere.* Idemque cap. 8. ἔλαβε δὲ βασιλεὺς τὸν δακτύλιον ὃν ἀφείλατο Ἀμὰν, καὶ ἔδωκε Μαρδοχαίῳ. *Accepit autem rex anulum quem ab Aman tulerat, & dedit illum Mardochæo.* Huiusmodi anulum Alexander iam animam agens, præclusa voce, exemtum digito Perdiccæ tradidit, vt à Curtio lib. vlt. & Iustino lib. 12. memoriæ proditum est. Sigilli quoque & σφραγῖδος Δαρείου meminit lib. 3. Herodot. Regius autem anulus quale haberet ἐπισφράγισμα siue χαρακτῆρα, vnus, quod sciam, Thucydidis interpres attigit. ad eum siquidem Thucydidis locum, quo σφραγῖδα Xerxis Pausaniæ ostensam refert, ἡ σφραγὶς, inquit, τοῦ Περσῶν βασιλέως, εἶχε, κατὰ μὲν τινας τὴν βασιλέως εἰκόνα, κατὰ δέ τινας, τὴν Κύρου τοῦ πρώτου βασιλέως αὐτῶν, κατὰ δέ τινας, τὸν Δαρείου ἵππον, δι' ὃν χρεμετίσαντα ἐβασίλευε. *Annulus signatorius seu signum regis Persarum habebat ex quorundam opinione formam seu imaginem regis, alij putant Cyri primi Persarum regis figuram fuisse signo impressam, alij Darij equum, cuius hinnitu factus erat rex.*

Anuli Perdiccæ & alij præter Iustinum iam suprà laudatum, mentionem habuere etiam Diodorus, cuius verba iam suprà legisti. Ex hoc traditi Perdiccæ anuli signo reor amicos Alexandri inductos, vt ex morituriente quærerent, vt apud Curtium & alios sequitur, cui regnum relinqueret, suspicati per anulum etiam imperium & regnum Perdiccæ traditum: vt & Iustinus indicat: *Quæ res, inquit, gliscentem amicorum dissensionem sedauit. nam etsi non voce nuncupatus hæres, iudicio tamen electus videbatur.* Probus in Eumene, *Alexandro Babylone mortuo, cum regna singulis familiaribus dispartirentur, & summa rerum tradita esset tuenda eidem cui Alexander moriens anulum suum dederat Perdiccæ, ex quo omnes coniecerant, eum regnum ei commendasse, quoad liberi eius in suam tutelam peruenissent: aberant enim Craterus & Antipater, qui antecedere hunc videbantur: mortuus erat Hephæstio, quem vnum Alexander, quod facilè intelligi posset, plurimi fecerat.*

Sed ille κρατίστῳ apud Diodorum, Arrianum, Iustinum, optimo, præstantissimo & dignissimo, respondit: quoquidem dicto classicum cecinit, ducesque suos ac principes in contentionem, arma & certamen regni misit, pro quo multo sanguine & prælijs postea decertarunt; quod ipsum se prævidere dicit. Ita per adamantem gemmam, quam Traianus à Nerua acceperat, donatus (Adrianus) ad spem successionis erectus est, vt Aelius Spartianus in Hadriano tradidit.

Ei qvi esset optimvs) ad exemplum Alexandri, Traianus imperator nullum certum statuerat designare successorem, sed permittere senatui vt optimum eligeret; vt Aelius Spartianus in Adriano docet.

Fvnebres lvdos) quod nõ Curtius tantũ subiecit, sed Diodorus, Arrianus, Iustinus, alij. Qui apophthegmata Alexandri collegit, hoc illius responsum aliò præter Alexandri mentem vertit: *Morti, inquit, proximus, ad amicos respiciens dixit, Magnũ epitaphium video futurũ, præsentiens res ab ipso gestas multorum eloquentia celebrandas. nec enim fefellit opinio.* Non fuit hæc mens Alexandri:

dri: Intellexit enim funebres ludos & bella inter duces pro imperio nascitura & gerenda. Plutarchus, ex quo apophthegma sumtum est, nihil cogitauit de operibus ibi eloquentiæ, & historicis, sed epitaphion appellauit funebres ludos, sicut liber Homeri proximus ab vltimo Iliados ἐπιτάφιος appellatur, in quo describitur parentatio Achillis, quam Patroclo instituit.

Sed inter hoc Alexandri responsum de regni successore valde celebrauit ex Trogo Pompeio Iustinus, cuius verba supra collocaui, quorum hîc principium pono, vt in promtu habeas: *Cùm deficere eum amici viderent, quærunt quem Imperij faciat heredem? respondit, dignissimum. Tanta illi animi magnitudo fuit, vt cum Herculem filium,* & quæ sequuntur.

VT CORPVS SVVM AD HAMMONEM FERRI IVBERET) Cur nunquam vel à Perdicca vel alijs eò delatum est, vti mandarat Alexander? Quia duces primùm de nouo rege creando, deinde de diuidendis prouincijs erant soliciti, ita neglectum est multis diebus cadauer Alexandri, insepultumque & inflectum iacuit. Curtius septem diebus iacuisse in solio narrat cap. 14. curis omnium ad formandum publicum statum à tam solenni munere auersis. Atque ne diutius rex orbis quasi extra orbem iaceret, & insepultus tabo conficeretur, per Aristandrum Telmissensem vatem, de quo multa suprà mentio fuit, stetit. De quo Aelianus in varia historia hæc ita tradit: *Alexander Philippi* (inquit lib. 12. cap. 64.) *& Olympiadis filius, cum Babylone animam egisset, mortuus iacebat, qui se Iouis filium iactitarat. dumque eius præfecti de regno per seditiones contenderent, ipse sepulturæ expers manebat, cuius etiam egentissimi quique (natura communi postulante, vt mortui terra occultentur) compotes fieri solent. Verum ille triginta diebus inhumatus carensque sepulcro relictus est, donec Aristander Telmissensis, seu diuino numine percitus, seu alio quodam casu correptus, in medios Macedones progressus & ad eos locutus: Omnes, inquit, omnium seculorum reges Alexandrum felicitate superasse, tam viuum quam mortuum: deos ergo immortales sibi notum fecisse futurum, vt quæcunque terra corpus eius exciperet, in quo primùm ipsius anima habitauit, felicissima & ab hostium incursionibus in perpetuum libera foret. Hæc cùm audiuissent, pro se quisque summo studio diligentiaque annitebantur, vt in suum regnum singuli transferrent, & thesaurum possiderent, quasi obsidem firmitudinis imperij & immobilitatis. Ptolemæus, si credere par est, corpus eius requisiuit, & maxima festinatione in vrbem Alexandri sitam in Aegypto deportauit. Atque reliqui Macedones quietem egerunt. Perdiccas verò persequi ipsum conabatur, nec tam in Alexandrum cura & pietas, aut iustum religio eum commouebat, quàm prædicta ab Aristandro inflammabant & incendebant. Postquam verò deprehendit Ptolemæum, acerrima pugna de cadauere orta est: similis quodammodo ei quæ de simulacro in Troia vt canit Homerus, dicens pro Aenea Apollinem in medios heroas impetum. Perdiccæ Ptolemæus. Etenim facto simulacro, Alexandri effigiem referente, veste regia id exornauit, & entaphijs honorificentissimis. Deinde in Persicum currum imposito, feretrum eius magnificè auro, argento & ebore instruxit, atque verum Alexandri corpus apparatu tenui vilique præmisit per vias occultas & inuias. Perdiccas verò cùm deprehendisset simulacrum mortui, instructumq; currum remisit, persecutionem ratus se iam in manibus habere de quo certamen esset. At serò resciuit veritatem, cognouitque se fallacijs circumuentum esse, cùm iam amplius persequendi facultas non daretur.*

QVANDO CAEL. HON. HABERI SIBI VELLET) sanè perquam eleganter respondit, tum velle sibi cælestes honores decerni, cùm ipsi essent felices, vt cum per felicitatem ad regna essent euecti, cogitarent, cuius potissimum beneficio ad eos honores & regna aspirassent, seseque gratos ostenderent.

Qui porrò honores habiti sint Alexandro etiam defuncto, non solùm à Græcis, sed etiam Romanis, docuimus in prolusionibus cap. 9.

SVPREMA HAEC VOX REGIS FVIT) de hac voce nihil reliqui scriptores. Iustinus sexto morbi die præclusa iam voce datum ait anulum Perdiccæ. Diodorus vltimam vocem ait fuisse, cùm dixit videri sibi paratos magnos ludos funebres. Quod & Arrianus subindicat.

EXTINGVITVR) cum duodecim annos regnasset, vt docent oracula sacra 1. Machab. S. Hieronymus, ad XI. Daniel. Tertullianus contra Iudæos nō plures numerant, nec mensem addunt. Addit annis XII. Siculus menses septem. Olympiad. descriptio Ἡγησίας ὑπογράφει οὕτως· τῶν Ὀλυμπίων Ἀλέξανδρος διεκηρύξατο τοὺς φυγάδας τῶν Ἑλλήνων εἰς ἰδίας ἕκαστον πατρίδας πλὴν τῶν ἐναγῶν, καὶ τῶν ἱεροσύλων κατελθεῖν. Ἀλέξανδρος ἐν Βαβυλῶνι ἐτελεύτησε βασιλεύσας ἔτη ιβ΄, καὶ μῆνας. *Hegesias Archon. Imminentibus iam ludis Olympicis Alexander per præcones edixit, vt omnes exules in patriam redirent exceptis sicarijs & sacrilegis: Alexander Babylone mortuus est cum regnasset annos* XII. *menses septem* Olymp. CXIV. anno primo.

Aelius Lampridius eo die decessisse ait, quo Alexander Seuerus est natus. Io. Georg. Heruuartus signat ex Lampridio Cal. Octobres, quas Lampridius non expressit. Arrianus, *Decessit autem Alexander Olympiad.* CXIV. *Archonte Athenis Hegesia. Vixit annos duos & triginta, menses octo, vt* lib. 9. dec. 1. *auctor est Aristobulus. regnauit annos* XII. *menses* VIII. Liuius XIII. illi tribuit: *Miremur si, cum ex hac parte secula plura numerentur, quàm ex illa anni, plus in tam longo spacio quam in ætate* XIII. *anno-* lib. 5. dec. 5. *rum fortuna variarit?* Componit ibi Liuius Alexandrum cum Romanis. Idem, *Superfudit se deinde in Asiam &* XIII. *annis quibus Alexander regnauit, primum omnia quæ Persarum propè immenso*

spacio

ſpacio imperium fuerat,ſua ditionis fecit,& quæ ſequuntur. Cicero vitæ annos XXXIII. aſsignat: *Alexander Macedo* inquit *cùm ab ineunte ætate res maximas gerere cœpiſſet,tertio & triceſimo anno mortem obijt;quæ eſt ætas noſtris legibus decem annis minor quam conſularis.* Philipp. 5.

Iuſtinus tribus & triginta annis menſem addit. Euſebius duos & triginta dat ætati, duodecim imperio; non ſex tantùm, vt * quidam falsò ſcripſit. Aemilius *a* Probus in Eumene tredecim imperij. Clem. Alexandrinus, Ἀλέξανδρος δεκαοκτώ. Annos regnauit octodecim. * A. S. parall. Ar. & Dem. p. 128 *a* P. 173.

De annis vitæ iam ex Arriano, Cicerone, Iuſtino doctus es. Sed Nicephorus Conſtantinopolitanus dat illi XXXV. vel XXXVI. quod omnino falſum eſt, inquit Andr. Schottus. Habet tamen ſuffragatorem Taricium Mircandum in Perſicis, & Petrum Texeiram eius interpretem: Qui: *Vixit triginta ſex annis, regnauit ſeptendecim.* Quod ego nō idcirco aio quod refrager Schotto, ſed vt intelligatur non ſolum Nicephorum abſurda ſcripſiſſe: & ſunt hoc tempore qui pluribus adhuc annis eand. de ſuo augeant. Chronicum Alexandrinum duos duntaxat & triginta annos vitæ dedit, nec in Olympiade cum alijs conuenit, meritò hîc repudiandum. Noſter Salianus oſtendit Alexandrum obijſſe anno Mundi 3730. Sextæ ætatis 214. Anno imperij Aſiæ 7. regni 13. Iaddi pōt. vlt. Olymp. CXIV. A. 1. Archonte Egeſia, vrbis conditæ 429. Dictatore L. Papyrio Curſore M. Eq. Q. F. b. Max. Rut. & mox L. Papyrio Craſſo ſine coſſ. Ante Chriſtū natum 323. cui velut exactiſsimo Chronologo libenter ſubſcribimus, præſertim cum ſententiam multis rationibus & teſtibus confirmet.

CAPVT VIII.

ARGVMENTVM.

Luctus omnium immenſus per totam Aſiam purpuratorum, prætoriæ cohortis, exercitûs, Perſarum; Siſygambis ex luctu mors.



AC primò ploratu lamentiſque planctibus tota regia perſonabat. Mox velut in vaſta ſolitudine omnia triſti ſilentio muta torpebant, ad cogitationes quid deinde futurum eſſet dolore conuerſo. Nobiles pueri cuſtodiæ corporis eius aſſueti, nec doloris magnitudinem capere, nec ſe ipſos intra veſtibulum regiæ tenere potuerunt: vagique & furentibus ſimiles totam vrbem luctu ac mœrore compleuerant, nullis queſtibus omiſsis, quos in tali caſu dolor ſuggerit. Ergo qui extra regiam aſtiterant, Macedones pariter barbarique concurrunt, nec poterant victi à victoribus in communi dolore diſcerni. Perſæ iuſtiſsimum ac mitiſsimum dominum, Macedones optimum ac fortiſsimum regem inuocantes, certamen quoddam mœroris edebant. Nec mæſtorum ſolum, ſed etiam indignantium voces exaudiebantur, tam viridem & in flore ætatis fortunæque inuidia deûm ereptum eſſe rebus humanis. Vigor eius & vultus educentis in prælium milites, obſidentis vrbes, euadentis in muros, fortes viros pro concione donantis occurrebant oculis. Tum Macedones diuinos honores negaſſe ei pœnitebat, impiosq́ & ingratos fuiſſe ſe confitebantur, quod aures eius debita appellatione fraudaſſent. & cum diu nunc in veneratione, nunc in deſiderio regis hæſiſſent, in ipſos verſa miſeratio eſt. Macedonia profecti vltra Euphratem, medijs hoſtibus nouum imperium aſpernantibus deſtitutos ſe eſſe cernebant, ſine certo regis hærede, ſine hærede regni publicas vires ad ſe quemque tracturum. Bella deinde ciuilia quæ ſecuta ſunt, mentibus augurabantur. Iterum non de regno Aſiæ, ſed de rege ipſis ſanguinem eſſe fundendum. Nouis vulneribus veteres rumpendas cicatrices: ſenes debiles modò petita miſsione à iuſto rege, nunc morituros pro potentia forſitan ſatellitis alicuius ignobilis. Has cogitationes voluentibus nox ſuperuenit, terroremque auxit. Milites in armis vigilabant. Babylonij alius è muris, alius è culmine ſui quiſque tecti proſpectabant, quaſi certiora viſuri. nec quiſquam lumina audebat accendere. Et quia oculorum ceſſabat vſus, fremitus voceſque auribus captabant. Ac plerunque vano metu territi, per obſcuras ſemitas alius alij occurſantes, inuicem ſuſpecti & ſolliciti ferebantur

bantur. Persa comis suo more detonsis in lugubri veste cum coniugibus ac liberis, non vt victorem & modò hostem, sed & gentis suæ iustißimum regem vero desiderio lugebant. assueti sub rege viuere, non alium qui imperaret ipsis, digniorem fuisse confitebantur. nec muris vrbis luctus continebatur, sed proximam regionem ab ea deinde magnam partem Asia cis Euphratem tanti mali fama peruaserat. ad Darij quoque matrem celeriter perlata est. abscissa ergo veste qua induta erat, lugubrem sumsit, laceratisque crinibus humi corpus abiecit. Assidebat ei altera ex neptibus, nuper amissum Hephæstionem cui nupserat, lugens, propriasque caussas doloris in communi mæstitia retractabant. Sed omnium suorum mala Sitygambis vna capiebat. Illa suam, illa neptium vicem flebat. recens dolor etiam præterita reuocauerat. Crederes modò amissum Darium, & pariter misera duorum filiorum exequias esse ducendas. flebat simul mortuos viuosque: quem enim puellarum acturum esse curam? quem alium futurum Alexandrum? iterum esse se captas, iterum excidisse regno. Qui mortuo Dario ipsas tueretur, reperisse: qui post Alexandrum respiceret, vtique non reperturas. Subibat inter hæc animum, LXXX. fratres suos eodem die ab Ocho sæuissimo regum trucidatos, adiectumque stragi tot filiorum patrem. è septem liberis, quos genuisset ipsa, vnum superesse. Ipsum Darium floruisse paulisper, vt crudelius posset extingui. Ad vltimum dolori succubuit, obuolutoque capite accidentes genibus suis neptem nepotemque auersata, cibo pariter abstinuit & luce. quinto postquam mori statuerat die extincta est. Magnum profectò Alexandri indulgentiæ in eam, iustitiaque in omnes captiuos documentum est mors huius: quæ cum sustinuisset post Darium viuere, Alexandro esse superstes erubuit.

Luctum hunc super Alexandri morte nemo dolentius, & plenius, & grauius ipso Curtio describit, præ quo & siccus Diodorus, & aridus Arrianus, & mutus Plutarchus. Solus Iustinus aliquas lachrymulas exprimit. Sed idem prorsus contraria tradit Curtio, qui Macedones lamentantes & præ dolore tantum non furentes introducit; Iustinus contrà eosdem magnoperè rege tamquam hostis morte gauisos.

LAMENTIS ET PLANCTIBVS TOTA REGIA PERSONABAT) hoc solus narrat Curtius, sed ita conuenienter rationi, vt fides non videatur deroganda.

lib. 13. ipso initio TRISTI SILENTIO) Iam hic suffragatur Iustinus Curtio: *Extincto*, inquit, *in ipso ætatis ac victoriarum flore Alexandro, triste apud omnes tota Babylonia silentium fuit.* Caussam subiti, mox post planctus & lamenta, silentij, Curtius adiecit, quod omnes mox dolorem conuerterint ad cogitationes futuri status: quis loco Alexandri regnum obtenturus esset, quis exercitum ducturus, quo omnes essent ituri, quomodo principes de prouincijs conuenturi, & hoc genus alia insecuta, nam bella ciuilia facilè mentibus poterant augurari.

NOBILES PVERI) ephebi, principum liberi, quorum officia Curtius suprà lib. 8. cap. 13. exposuit.

CVSTODIAE CORPORIS ADSVETI) Excubabant seruatis noctium vicibus proximi foribus eius ædis in qua rex acquiescebat. Ita Darium regem, quamuis adhuc viuum, sed desperatum, luxere spadones & eius tabernaculo adsueti. *Post hanc vocem*, inquit Curtius, *spado gemitu*

lib. 5. cap. 13 *non modo tabernaculum, sed etiam castra compleuit: irrupere deinde alij, laceratisque vestibus lugubri & barbaro vlulatu regem deplorare cœperunt.*

CERTAMEN QVODDAM MOERORIS EDEBANT) Diuersum hoc apud Iustinum certamen fuit, Persarum lugentium, Macedonum gaudentium. *Sed nec deuicta gentes*, inquit, *fidem nuncio habuerunt, quod vt inuictum regem, ita immortalem esse crediderant, recordantes quoties præsenti morti ereptus esset; quàm sæpè pro amisso, repente se non sospitem tantùm suis, verùm etiam victorem obtulisset. Vt verò mortis eius fides adfuit, omnes barbaræ gentes paullò antè ab eo deuicta, non vt hostem, sed vt parentem luxerunt. Contra Macedones versa vice, non vt ciuem ac tanta maiestatis regem, verum vt hostem amissum gaudebant, seueritatem nimiam & aßidua belli pericula execrantes.*

Ita alter album, alter atrum loquitur, vt nescias cui fidem habeas, cui abroges, cũ vterque & illi lacrymarum, & hi libertatis & gaudiorum habuisse caussas videantur.

INDIGNANTIVM VOCES EXAVDIEBANTVR) Non absimiles Macedonum questus su-

lib. 3. cap. 10. per rege suo in Cilicia vita periclitante meminisse potes.

cap. 20. TVM MACEDONES DIVINOS HONORES NEGASSE EI POENITEBAT) Vbi negarunt? Lib. 4. Curtius: *Et Macedones adsueti quidem regio imperio, sed in maiore libertatis vmbra quàm cæteræ gentes, immortalitatem contumacius, quam aut ipsis expediebat, aut regi, auersati sunt.* Sed de hac re totum reuolue caput XII. libri VIII. *Iamque omnibus præparatis*, & quæ sequuntur. ad quem locum ex aliis plura.

IN IPSOS VERSA MISERATIO EST) seipsos miserabantur, suamque sortem & statum futurum

turumac pericula deplorabant. Nec hi questus & miseratio maximis rationum momentis care-
bant, quas mox subdit: Quarum prima, quòd procul à patria noui hostes erupturi sint, nouum im-
perium noui ducis seu regis aspernaturi. Altera, quòd nec certus regis, nec regni hæres adsit * * Pausan. p.243.
Alexandro è Roxane, Hercule ex Barsine nondum natis, ac proinde incertis, cum possint virgi-
nes nasci non pueri. & vt maximè nascantur, infantes expectare donec adolescant, longum esse.
Præterea duces inter se de regno & prouincijs armis decertaturos, se sanguinem non pro regno
Asiæ, sed pro ignobili aliquo Alexandro satellite profusuros.

NON DE REGNO, SED DE REGE) obserua prothesin *de* quæ hoc loco in vicem præpositio-
nis *pro* vel *ob* vel *propter* succedit. Ita M. Tullius tertia in Verrem est locutus: *Flebat vterque non de
sua supplicio, sed pater de filij morte, de patris filius.*

NOX SVPERVENIT) quæ dolorem non minuit, sed terrorem etiam auxit, nox enim, vt su- lib.5. c.10.
prà dixerat, omnia terribiliora facit.

NEC QVISQVAM LVMINA AVDEBAT ACCENDERE) quid ita? quia nocturnus metus o-
mnia facit suspecta militibus. Ne viderentur Babylonij coitiones facere, aut vim occultam para-
re, & arma aliàs per se furentium in se prouocare, maluerunt è tenebris speculari, quid Macedo-
nes in luctu regis molirentur.

AC PLERVNQVE VANO METV TERRITI, PER OBSC. SEM. AL. AL. OCCVRSAN-
TES INVICEM SVSPECTI ET SOL. FEREBANTVR) nempè euenit hic vel Macedonibus vel
vtrisque quod illis apud Virgil.

Nunc omnes terrent auræ, sonus excitat omnis
Horror vbique animos simul ipsa silentia terrent.

Omnes denique *omnia tutatrimenc.*

PERSAE COMIS SVIS) supra dictum aliquid ex Plutarcho & alijs hac de re in funere He-
phæstionis. De more verò Persarum quo solent lugere vita functos, & coma quæ in funeribus
tonderi solebat, multa Alexander Neapolitanus, & in commentario ad eundem copiosissimè l.5. c.7.
Andreas Tiraquellus, qui hunc ipsum Curtij locum, & illi similes complures adducit: at ego
hinc ad alia pergam. Porus quoque morti eius illachrymauit, nec antea se pro rege gessit, quàm Philostr. l. 3. cap. 9.
extinctum audiuit, quasi illum solum dum viueret, dignum nomine & honore regio iudicas-
set.

AD DARII QVOQVE MATREM) quod reliquum capitis est totum de Sisygambe est. De
fœminarum ritu in publico luctu ex eod. Alexandro & Tiraquello plura pete. Sisygambim sæpè
suprà Curtius celebrauit l.3. c.23.24. lib. 4. c.35. l.5. c.8.9.

ALTERA EX NEPTIBVS) Drypetis, cui nuper Hephæstion nouus maritus extinctus erat.

OMNIVM SVORVM MALA SISYGAMBIS VNA CAPIEBAT) sequitur omnium, quas 1.
per omnem vitam exantlauit, syllabus ærumnarū Sisygambis. Primum victo Dario cum liberis
capta est ab Alexandro in Cilicia, & è regina Asiæ facta Macedonum serua, quamuis illi ho-
nor regius beneuolentia & clementia Alexandri haberetur.

Deinde Alexandrum amisit quasi alterum filium, à quo certè semper & mater appellata est,
& honorata. Et hoc est quod dicit: miseræ duorum filiorum exequias esse ducēdas, nisi Oxatrem 2.
velis pro altero filio accipere, qui Darij erat frater, & magno semper honore habitus ab Alexan-
dro, vt suprà sæpius audisti, sed is adhuc supererat Alexandro extincto. vt duos hic filios, alterum
germanum, alterum quasi adoptatum, vel à quo ipsa potius in matrem erat adoptata.

FLEBAT PRAETEREA SIMVL MORTVOS VIVOSQVE) mortuos Darium & Alexandrū; 3.
viuos Ochum paruulum nepotem de quo lib.3. vxorem Darij, & Drypetim Hephæstionis paul-
lò antè coniugem, tum viduam.

ITERVM CAPTAS) hoc eleganter & piè in Alexandrum, quasi illo mortuo rursum regno ex-
ciderint, iterumque captæ sint, quamuis nullus cœpisset, sed patrono & rege tam clemente, cui
parem nunquam essent reperturæ, destitutæ, sibi captæ videbantur. Accedebant xxc. fratres Si- 4.
sygambis, eodem die olim omnes ab Ocho rege Persarum (quem noster Serarius Asuerum He-
steris maritum fuisse existimat) immaniter trucidati. fratribus filij succedebant extincti. Ii se- 5.
ptem filijs quas ipsa ediderat, vnicum superesse Oxatrem, de quo suprà multa, vt in Indice legis. 6.
Et denique filiorum pater, cuius nomen nondum legi.

DARIVM FLORVISSE PAVLLISPER) dum regnaret, quem postea scelerati parricidæ, Bes-
sus & alij cognati & subiecti occiderunt, vt è supplemento lib.5. didicisti.

His tantis ac tam multis acerbisque malis oppressa, per inediam, lachrymas & luctum ita se
afflixit, vt quinto die post acceptum de morte Alexandri nuncium extingueretur. Hæc regina
miris modis auxit gloriam Alexandri, vt Curtius ostendit, cùm verum regiæ clementiæ & con-
tinentiæ omni per eam posteritati documentum reliquit. De eiusdem morte ita tradidit Iusti-
nus, *Mater quoque Darij regis, quam amisso filio indulgentia victoris in eam diem vitæ non pœnituerat,* p.112.
*audita morte Alexandri mortem sibi ipsa consciuit: non quod hostem filio præferret, sed quòd pietatem fi-
lij in eo quem hostem timuerat, experta esset.*

p.583. Et Diodotus: *Rege sic extincto, etiam mater Darij Sisigambris, cùm & Alexandri mortem intempestiuam, & suam iam ab omnibus deserta calamitatem lachrymis effusissimis deplorasset, in extrema vita (quod dicitur) linea, cibum & lucem auersata, die quinto per inediam magna quidem cum tristitia, sed non minore gloria, vitam sibi abrupit.*

De Sisygãbis octoginta fratribus ab Ocho trucidatis, quãuis rerũ scriptores singillatim nihil
l.10. p.97. sed ed. Gl. p.92. tradant, generatim tamen eius immanitatem execrãtur. *Hæreditas regni,* inquit Iustinus, *Ocho tradita, qui timens parẽ coniurationem, regiam cognatorum cæde, & strage principum replet, nulla non sanguinis, non sexus, non ætatis misericordia permotus; scilicet ne innocentior fratribus parricidis haberetur.*

p.490. Diodorus lib.16. *Regnante pridem Philippo, Ochus Persis imperabat, crudelemq; & violentum erga subiectos sese gerens, ob asperitatem morum in odio cunctorum erat.* Subijcit dein à Bagoa eunucho veneno sublatum. Plutarchus: ob crudelitatem μάχαιρα dictus, cui & hoc poetæ accinitur:

----- scelere ante alios immanior omnes.

CAPVT IX.

ARGVMENTVM.

Laudatio funebris, virtutes, fortunam, famam, gloriam, regis vitijs extenuatis complexa.



ET Hercule, iustè æstimantibus regem, liquet bona naturæ eius fuisse, vitia vel fortunæ, vel ætatis. vis incredibilis animi, laboris patiẽtia propemodum nimia. fortitudo non inter reges modò excellens, sed inter illos quoq;, quorum hæc sola virtus fuit: liberalitas sæpè maiora tribuẽtis quã à dijs petuntur: clementia in deuictos, tot regna aut reddita, quibus ea demserat bello, aut dono data: mortis, cuius metus cæteros exanimat, perpetua contemtio: gloriæ laudisq; vt iusto maior cupido, ita vt iuueni & in tantis admittenda rebus. Iam pietas erga parentes, quorum Olympiada immortalitati consecrare decreuerat, Philippum vltus erat; iam in omnes ferè amicos benignitas, erga milites beneuolentia; consilium par magnitudini animi, & quãtam vix poterat ætas eius capere solertia: modus immodicarum cupiditatum, Veneris intra naturale dèsiderium vsus: nec vlla nisi ex permisso voluptas: ingentes profectò dotes erant. Illa fortunæ, dijs æquare se, & cælestes honores accersere, & talia suadentibus oraculis credere, & dedignantibus venerari ipsum, vehemẽtiùs quàm par esset irasci: in externum habitum mutare corporis cultum, imitari deuictarum gentiũ mores, quas ante victoriã spreuerat. nã iracũdiam & cupidinẽ vini sicuti iuuenta irritauerat, ita senectus mitigare potuisset. Fatendũ est tamen, cũ plurimum virtuti debuerit, plus debuisse fortunæ, quam solus omnium mortaliũ in potestate habuit. quoties illum à morte reuocauit? quoties temerè in pericula vectum perpetua fælicitate protexit? vitæ quoq; finem eundem illi quem gloria statuit. expectauêre eũ fata, dum Oriẽte perdomito, aditoq; Oceano, quidquid mortalitas capiebat, impleret. Huic regi duciq; successor quærebatur, sed maior moles erat, quã vt vnus subire eã posset. Itaq; nomen quoq; eius fama rerum in totum propemodum orbem, reges, ac regna diffudit: clarissimiq; sunt habiti, qui etiam minimæ parti tantæ fortunæ adhæserunt.

Sex omninò seu λόγους ἐπιταφίους, hoc est, funebres laudationes, seu potius panegyricos à varijs auctoribus Alexandro scriptos lego, qui quidem omnium regum pyramidas, mausolea, obeliscos, columnas, aras, tropæa, multis interuallis post se relinquunt. Illa enim omnia plerunq; vno aliquo mundi in angulo vel vrbe spectantur, imò ne spectantur quidem, pleraque amplius temporum vetustate deiecta & abolita. Auctorũ verò quæ scripserunt encomia hodieque, quãuis nõ omnia, innumeri enim prope scripserunt, in omni tamen orbe leguntur, celebrantur & prædicãtur, nec ante fatalem ipsius mũdi diem è mundo tollentur. Duos cõposuit Plutarchus de Fortuna Alexandri inscriptos, quibus docet, omnia Alexandri acta non Fortunę, sed Virtuti tribuẽda: fortunamque illi semper infestam & aduersam fuisse, sed illum virtute sua fortunã quoq; sibi subiecisse, adeoque suæ ditionis fecisse. Et hi duo Plutarchi libri iustarum orationum magnitudinem

& mo-

& molem implent. Breuior est Arrianus sub finem septimi, quo totum opus claudit. Iustinus extremo XII. Curtius hoc loco. Suidas. Ego post Curtij laudationem subiungam etiam Arriani, Iustini, & Suidæ. Plutarchum quia longior, & simul in omnium manibus est, & plerunque cum Curtio & vita Alexandri ab ipso etiam Plutarcho composita, editur, omittam.

Ad Curtium veniamus, qui omnes Alexandri actiones vel naturæ tribuit, vel fortunæ, vel ætati, vti & Arrianus: naturæ virtutes; vitia fortunæ vel iuuentæ.

NATVRAE) quam præstantissimam ab auctore naturæ accepit. quod ostendunt I. VIS INCREDIBILIS, seu vigor animi, vt alibi * appellat, seu indoles qua omnes reges antecessit vt li. 5. c. 15. locutus est, vbi & ingentia animi bona vocauit. 1. * li. 4. c. 11.

2. LABORIS PATIENTIA PROPE NIMIA) primus enim & dux in omnibus arduis aggrediendis, grauissimis itinerum molestijs subeundis, fame, siti, frigore, æstu tolerandis, mœnibus obsidendis, rupibus expugnandis, periculis ingētibus adeūtis, vulneribus excipiendis. Reuolue c. 15. l. 5. & 16. eiusd. l. & passim alia. Plutarchum etiam audi in secundo de fortuna. *Alexander verò quid supra dignationem? amnes sanguine mixtos bibebat, quos cæsorum corporibus iunctos trajciebat: herbam fame enectus edebat, quam primam offendisset: obrutas altis niuibus gentes adijt. vrbes sub terram mersas excidit: pugnantia maria nauigauit: arida Gedrusiorum, Arachosiorumq; litora permensus in mari prius etiā quàm in arma stirpes vidit.* Et mox infrà: *En tibi Alexandri corpus si nihil aliud, certè ab imis vnguibus ad verticem saucium, accisum, contusum, ab hostibus deniq; cæsum & saculo & gladio & toti libramine saxi. Propter amnem Granicum ense dissecta galea capillo tenus. ad Gazam sagitta humero saucius. In Maracandu sagittæ ictu sura, ita vt à tibia radio fractum os dissiliret. In Hyrcania oblaso lapide collo, quo ictu tenebris ob oculos effusis ad dies multos cæcitatem timuit. propter Assacanos talo Indico telo icto, quo tempore ad assentatores renidens dixisse fertur: Hic quidem sanguis meus, non sanosum quid, quale ex deorum vulneribus affluere creditur. ad Issum ense femore traiecto à Dario, vt Chares, inquit, manus cum eo conserente ipse verò Alexander magna cum fide ad Antipatrum scribens, Contigit, inquit, mihi pugione sauciari in femur adacto, sed vnde nulla pernicies aut illico, aut postea secuta sit. Apud Mallos tripedana sagitta ictus spiculo per loricam & pectus ad ceruicem pertingente, vt auctor est Aristobulus. Traiecto Tanai Scythas in fugam versos, equo etiam ad centum & quinquaginta stadia insectatus est, infesto alui profluuio remorante. Euge fortuna, qua Alexandrum magnum facis, nouisque subinde mactè esse incrementis iubes, vndique corpus eius lancinans, omnem corporis partem vulneribus patefaciens, non vt Minerua quondam pro Menelao stans, tela infirmissima quæque armorum veluti manu dirigens, obiectisque lorica, fascia & balteo tenorem ictûs frangens, summum tantùm corpus scarificans, eliciendo in speciem cruore; sed nuda potius telis vitalia præbens, vulnera per media ossa infligens, deprehenso vndique corpore, visum insuper ingressumquè obsidens, insequentem interpellans, vincentem distringens, spes denique eius ludificans.* p. 650. p. 651.

3. FORTITVDO NON MODO INTER REGES EXCELLENS) nullius enim regis cōgressum formidauit; cum Dario dimicauit, cum Poro, quamuis gigantea esset mole, singulari certamine ausus est congredi, nullarum etiam ferarum, quamuis immanium occursum pertimuit; apros, tigres, hydras, leones, & quicquid siluæ horrent, strauit, superauit. Nullos ille Antæos, nullos Hercules metuisset. soli reor Samsoni cessisset, si tempora hos commisissent. 3.

4. LIBERALITAS) non enim pecunias tantùm & talenta amicis impertitus est, sed opida, ciuitates, regiones, prouincias, regna. testes Alonymi, Taxiles, Pori. Plutarchum cōsule, p. 554. Cōparat idem aliorum regum sordes cum liberalitate Alexandri: quæ tu ibidem cognosces. 4.

QVAM A DIIS PETANTVR) quis enim vnquam à dijs regna & imperia fuit ausus petere. Satyram Iuuenalis audi decimam, è qua hæc sunt de votis hominum:

Prima ferè vota & cunctis notissima templis
Diuitiæ, crescant vt opes, vt maxima toto
Nostra sit arca foro. ----

Et Persius:

Illa sibi introrsum & sub lingua immurmurat. ô si
Ebullit patrui præclarum funus, & ô si
Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro
Hercule ---- & quæ sequuntur.

Nemo ferè de regnis cogitauit, nisi ipse Alexander, cui ipse orbis angustus fuit.

5. CLEMENTIA IN DEVICTOS) habes documenta huius in Curtio, & quos in Commentarijs supra laudaui, Sisygambim matrem, vxorem, liberos Darij, ipsum Darium, ad quem humandum & regendum suum ipse amiculum detraxit. habes præter Satrapas Oxatrem, Nabarzanem, Sisymethrem. deinde reges & reginas, Taxilem, Porum, Cleophen: habes omnem Asiam, Persidē, Indiam. De Poro eleganter Themistius, quem Georgius Remus Augustanus è Græco transtulit: quem consules, locus est elegans, sed prolixus. p. 70. f. 71. & seq. 5.

REGNA REDDITA) Poro, Taxilæ, Abisari, Cleophe, alijs.

DONO DATA) Alyonymo, Poro, Taxili, quibus alia regna aut prouincias ad priora regna adiecit.

 6. MOR-

6. 6. MORTIS CONTEMTIO) quod ex factis illius plurimis iam enarratis patet, cum primus in acie, primus in obsidionibus & mœnibus oppugnandis fuit; præsertim apud Mallos, vbi in vrbem hostibus plenam solus desilijt.

7. 7. GLORIAE LAVDISQVE CVPIDO) huius nec modum, nec finem, nec terminos vllos posuit, sed ad diuinitatem affectandam progressus, mortalitatis oblitus:

Aestuat, infelix (inquit Satyrus) *angusto limite mundi*
Vt Gyaræ clausus scopulis, paruaq; Serypho
Cum tamen à figulis munitam intrauerit vrbem
Sarcophago contentus erit. Mors sola fatetur
Quantula sint hominum corpuscula ----

Aestuabat non tam desiderio opum, quàm infinita gloriæ cupidine. Excusat tamen hanc Curtius & iuueni ignoscendum, imo pro tantis rerum gestarum momentis admittenda.

8. 8. OLYMPIADA) redi ad cap. 12. lib 9. Si Olympias mater immortalitati consecretur.

PHILIPPVM VLTVS ERAT) ca. 20. l. 4. *Post hac instituit quærere an omnes parentis sui interfectores pœnas dedissent.* ad quem locum lege commentarium. Hic ex Iustino addo videri ipsum quoque Alexandrum de cæde patris suspectum, vel certè conscium fuisse. Plutarchum adde, quę etiam ante monui. Itaque Alexander debebat etiam de seipso quærere & pœnas dare.

9. De benignitate iam dictum. 9. BENEVOLENTIAM In milites ostendunt oēs orationes priorum librorum, præter vltimas huius libri cap. 6. cùm grauiter ab illis offensus esset, Reconciliatus tamen omnibus, & dimissis & præsentibus ante mortem, quibus dextram moribundus porrexit.

10. 10. CONSILIVM) Verum hoc, vt etiam Parmenionem ingenij solertia superaret. Nihil enim vnquam decreuit, quod non feliciter exequeretur.

11. 11. VENERIS INTRA NATVRALE DESIDERIVM VSVS, NEC VLLA NISI EX PERMISSO VOLVPTAS) Neque naturæ, neque diuina lex permittebat, quod permittebant sibi pagani. quis Bagoas, Hephęstiones, & alios flore ętatis & formæ conciliatos regi permisit, nisi rex qui sibi ipsi lex. Castior in fœminas quam viros fuit. Athenæum l. 13. lege, quâ continens & castus fuerit Alexander, præsertim erga Bagoam scortum, quod illi etiam Orsines moriturus obiecit. Græcis tamen olim à quibus & Persæ & Romani malos mores & amores didicère, permissæ pederastię, hoc est nullis legibus aut supplicijs, sicut apud Iudæos & Christianos vindicatæ. nempe qui sine lege peccauerunt, sine lege perierunt. hodie rogo flammisque deprehensæ expiantur.

ILLA FORTVNAE) vitia excusat, 1. superbiam præsertim fortunæ assignat, qua se viuus cælo inserere conatus est. de qua re sæpè supra, vt & de Persarum moribus assumtis, cultu corporis, adoratione barbarica quæsita & imperata, nec tamen ab omnibus impetrata.

Vitia Alexandri.

1.

2.3. 2.3. IRACVNDIAM ET CVPIDINEM VINI) in iuuentam Alexandri confert olim vitia cum ætate desitura.

PLVS FORTVNAE) hoc totis duobus libris refellit Plutarchus: qui ipsius acta virtuti, non fortunæ adscribit. Curtius Alexandri fortunam ita celebrat, vt dicat tamen Fortunam Alexandro, non Alexandrum Fortunæ seruijsse, quàm solus in potestate habuerit, illi imperarit potiùs quàm imperaretur.

A MORTE REVOCAVIT) primo in Cilicia, quando in Cydno flumine obriguit, Deinde ad Gazam, vbi graue vulnus per sagittam accepit l. 4. c. 19. Postremò Mallis: vt alia tempora & pericula taceam, de quibus iam antea ex Plutarcho.

VITAE FINEM EVNDEM QVEM GLORIAE STATVIT) caussam ipse Curtius subijcit, quod tantisper fata eum expectarent, dum orbem terrarū sibi subderet, & Oceanum vel orbis terminū adiret, vltra quem nihil mortalitas poterat sperare. Si diutius vixisset, paullatim gloria rerum gestarum consenuisset, adeoque abolita fuisset. & fortasse vitijs & cædibus famam inquinasset, laudem corrupisset, gloriam delesset. ita vitæ breuis, gloriæ cursus Alexandro fuit sempiternus.

MAIORVM MOLES ERAT) Leosthenes imperium Alexandri post eius mortem comparauit Cyclopi ab Vlysse exoculato, quod huc illuc sine duce ferretur, nec haberet à quo regeretur.

IN TOTVM ORBEM) non solum in totum orbem, sed ad omnem etiam orbis posteritatem, famam eius propagauit. Iam aliorum quoque elogia & funebria iuuat audire. & Iustinus quidem quasi panegyricum instituit pro lachrymis, quo totius vitæ cursum, & quod ante ortum etiam illius, futuram gloriam ostendit. *Decessit Alexander mensem vnum annos tres, & triginta natus, vir supra humanam potentiam magnitudine animi præditus.* & quæ ibidem sequuntur.

p. 130. edit. Glarea. 125.

pag. 167. Arrianus in extremo VII. *Staturâ corporis pulcherrimâ fuit, diligentissimus & vehementissimus, magna animi fortitudine præditus, honoris & gloriæ appetentissimus, periculorum amantissimus, diuini cultus obseruātissimus: circa corporis voluptates moderatissimus: circa eas quæ ad animum pertinēt, sola laude inexplebilis, summa consilij dexteritate quid in rebus obscuris facto esset opus cernebat: & ex verisimilibus felicissimè euentus rerum coniectabat; ordinandi exercitus, armandi, gubernandique peritissimus.*

mus. idem ad militum animos excitandos, & bona spe replendos, & metum periculorum priuati periculi contemtione profligandum, eximius. Res dubias summa audacia aggrediebatur: ad anticipandos hostes eosque corripiendos, priusquam, quod euenturum erat, timerent, solertissimus, promissi pactique religiosissimus obseruator; neve aliorum fraudibus caperetur, instructissimus: pecunias in priuatas voluptates parcissimè conuertebat; in amicos summa cum liberalitate erogabat. Si quid verò ab Alexandro ira vehementia rapiditateque commissum est, aut si insolentium barbarorum fastum imitatus est, equidem non tanti faciendū censuerim, si quis iuuenilem Alexandri ætatem non iniquè æstimet, si perpetuum felicitatis cursum, si assentatores, qui voluptatis causa cum regibus magno eorum malo versantur, animaduertat. Cæterùm delicti pœnitentia duci, id ego soli ipsi inter veteres reges tanquam eximium ac genuinum quiddam adscribo. plerique enim, tametsi alicuius delicti conscij sibi sint, tuentes id vt rectè factum obtegere se culpam suam putant iniquè statuentes: Vnicam enim peccati agnitionem & confessionem, manifestumque pœnitentiæ documentum edere. nam qui iniuriam accepit, non ita grauiter læsum sese iudicat, si is qui læsit perperam sese fecisse fateatur, & bona alicui spes sit, se non amplius iniuria affectum iri, si is qui affecit, pœnitentiam facti sui præ se ferat. Quod verò ad deum generis sui originem referebat, ne hoc quidem atrox delictum fuisse censuerim: quippe qui nihil aliud fortassis sibi propositum habuerit, quàm vt eo figmento maiorem auctoritatem apud subditos sibi conciliaret. Neque verò mihi videtur Alexander fuisse Minoe aut Aeaco aut Rhadamantho inferior, quorum genus ad Iouem à veteribus relatum nullo ipsis vitio aut contumeliæ versum fuit: quemadmodum nec Thesei ortus ad Neptunum, neque Ionis ad Apollinem relatus. Verùm & Persicus habitus arte quadam mihi à rege assumtus videtur, ne in vniuersum alienus ab eis rex esse videretur: vtque refugium quoddam aduersus Macedonum insolentiam superbiamque haberet. Qua etiam de caussa eum Macedonum ordinibus Persas melophoros immisisse arbitror & agemati, qui pari cum eis honore essent, accensuisse. Longas etiam potationes, vt ait Aristobulus, non vini caussa amabat (neque enim multum vini potabat) sed vt beneuolentiam cum amicis foueret. Quapropter quisquis Alexandrum incusat ac vituperat, is non ea solùm quæ vituperatione digna sunt proferens vituperet, sed omnia eius facta in vnum cumulum congerens, ita demum secum reputet, quis ipse & quali fortuna vsus, ad cuius ac quanti principis accusationem accedat, qui ad tantum humanæ felicitatis fastigium euasit, vt vtriusque Continentis rex citra vllam controuersiam fuerit, nomenque suum per vniuersum terrarum orbem propagarit: cogitetque, quò iste quisquis est accusator, quàm exilis ipse sit, quamque in exilibus paruique momenti rebus laboret, ac ne illas quidem ipsas decorè conficiat. Ita enim sentio, nullam ea tempestate gentem, nullam vrbem, nullum denique hominem fuisse, ad quem non Alexandri nomen peruenerit. Quocirca non absque numine eiuscemodi hominem terris datum existimauerim, cui, nemo omnium mortalium par fuit. quod quidem etiam oracula in Alexandri morte testata sunt, diuersaque alijs atque alijs hominibus spectra & insomnia oblata & continuata in hunc vsque diem inter homines memoria & gloria maior, quàm quæ in hominem cadat. tum denique alia post tantum temporis spaciū oracula Macedonum genti de eius honore edità. Ego verò tametsi nonnulla Alexandri facta in historia rerum ab ipso gestarum reprehendi, Alexandri tamen ipsius admiratorem esse me ipsum citra pudorem profiteor: facta verò nonnulla improbaui, & veritatis meæ & publicæ vtilitatis caussa: in cuius gratiam huius historiæ scriptionem, non absque numine etiam, aggressus sum.

Suidas verò primum multa ex Arriano depromit, postea etiam ex Nearcho alia subdit, ac demum ex alijs vitia quoq; describit. Philosophi quoque lessum illi cantarunt, vt est apud Petrum Alphonsum à nostro Serario laudatum. *Primus ergo dixit, Heri totius terræ spatiositas Alexandro nō suffecit. nunc trium quatuorve vlnarum spatium ipsi sufficit. Aiebat alius: Heri potuit Alexander à morte multos liberare; hodie seipsum non potest. Alius cum aureum eius loculum videret: Heri Alexander ex auro fecit thesaurum, hodie aurum fecit ex ipso thesaurum. Alius: Heri Alexander terram oppressit; hodie à terra opprimitur. Alij alia quorum omnium nullam quidem apud Curtium, Arrianum, Plutarchum, mentionem inueni, video tamen, cum, vti Plutarchus sub Alexandri finem ait, eius cadauer ἀθεράπευτον, id est, incuratum & insepultum diu manserit, aduenire potuisse, qui talia dicerent, vel è Græcia philosophos, vel ex ipsa Chaldæa & Perside Magos, vel ex eo ipso gymnosophistarum cœtu, qui tam mirabiles ab Alexandro ipso positas quæstiones, vt apud eundem Plutarchū est: sapienter ac ingeniosè antea dissoluerant. præsertim, cum eandem ob caussam mater Olympias lamentabunda exclamarit: O fili qui cœli particeps esse studebas, ne ijs quidem potiri iam vales, quæ mortalium omnium communia sunt, terra & sepultura. vti habet lib. 8 apophe. 46. Verè vanitas vanitatum & omnia vanitas. Rex hodie est, & cras moritur.*

Ecclef. 10.

Nota in pagano vim conscientiæ.

Serar. li. 1. Machab. c. 1. pag. 553.

CAPVT X.

ARGVMENTVM.

Vocato principum cœtu Perdiccas perorat apud militem, & agit de rege subrogando, quem nominat Roxanis filium nondum genitum.

CAEterum Babylone (inde enim diuertit oratio) corporis eius custodes in regiam principes amicorum ducesque copiarum aduocauêre. secuta est militum turba cupientium scire in quem Alexandri fortuna esset transitura. Multi duces frequentia militum exclusi regiam intrare non poterant, cùm præco exceptis qui nominatim citarentur, adire prohibuit. Sed precarium spernebatur imperium, ac primum eiulatus ingens ploratusque renouatus est. deinde futuri expectatio inhibitis lachrymis silentium fecit. Tunc Perdicca regia sella in conspectum vulgi data, in qua diadema vestisque Alexandri cum armis erant, anulum sibi pridie traditum à rege, in eadem sede posuit: quorum adspectu rursus oborta omnibus lachryma integrauêre luctum. Et Perdicca. Ego quidem, inquit, anulum, quo ille regni atque imperij vires obsignare erat solitus, traditum ab ipso mihi, reddo vobis. Cæterùm quamquam nulla clades huic qua affecti sumus, par ab iratis dijs excogitari potest, tamen magnitudinem rerum, quas egit, intuentibus credere licet, tantum virum deos accommodasse rebus humanis, quarum sorte completa citò repeterent eum suæ stirpi. Proinde quoniam nihil aliud ex eo superest, quàm quod semper ab immortalitate seducitur, corpori nominique quamprimum iusta soluamus, haud obliti in qua vrbe, inter quos simus, quali rege ac præside spoliati. Tractandum est commilitones, cogitandumque, vt victoriam partam, inter hos de quibus parta est, obtinere possimus. Capite opus est, hoc vno an pluribus in vestra potestate est. Illud scire debetis, militarem sine duce turbam, corpus esse sine spiritu. Sextus mensis est, ex quo Roxane prægnans est. optamus vt marem enitatur: cuius regnum dijs approbantibus futurum, quandoque adoleuerit, interim à quibus regi velitis destinate. Hæc Perdicca.

CORPORIS EIVS CVSTODES) è quibus facilè principes Perdiccas, Ptolemæus, Leonnatus, Pithon, Lysimachus.

PRINCIPES AMICORVM) Nearchum, Meleagrum, Aristonum, Phitonem, Eumenem, alios. Diodorus: Οἱ δὲ μέγιστον ἔχοντες ἀξίωμα τῶν φίλων καὶ σωματοφυλάκων συνεδρεύσαντες καὶ προσλαβόμενοι τὸ τῶν ἱππέων τῶν ἑταίρων ὀνομαζομένων σύστημα. & quæ sequuntur. *Sed qui inter amicos & custodes corporis, auctoritate maxima pollebant, senatu habito, cum equitum qui sodales nominantur agmen sibi adiunxissent.* & quæ sequũtur. Quanti porrò viri fuerint hi regis amici & duces, ostendit Iustinus, quos omnes cum regibus componit: *Sed nec amici Alexandri frustra regnum expectabant. nam eius virtutis erant ac venerationis, vt singulos reges putares. Quippe ea forma pulchritudo & proceritas corporis & virium ac sapientiæ magnitudo in omnibus fuit, vt qui eos ignoraret, non ex vna gente, sed ex terrarum orbe electos iudicaret: neque enim vnquã * antea Macedonia, vlla gẽs tam clarorũ virorum prouentu floruit; quos primum Philippus, mox Alexander tanta cura legerat, vt non tam ad societatem belli, quàm in successionem regni, electi viderentur. Quis igitur miretur, talibus ministris orbem terrarum victum, cum exercitus Macedonum à tot non ducibus, sed regibus regeretur? qui nunquam sibi reperissent pares, si non inter se concurrissent. multosque Macedonia pro vno Alexandros habuisset, nisi fortuna eos ex æmulatione virtutis in perniciem mutuam armasset.*

Glar. ed. p. 127.

* ante Macedoniam.

SECVTA EST MILITVM TVRBA) milites iam tum contumaces, & timebant duces, & hi vicissim illos, paullatimque res ad vim & arma spectabant. nec ducibus ipsis inter se conueniebat, cùm nemo vnus alteri inferior cederet, vt æqualitas ipsa discordiam augeret. Itaque, vt Iustinus ait, duces armati in consilium venerunt, vt de summa rerum deliberarent.

TVNC

TVNC PERDICCA) cuius maxime auctoritas eminebat, quòd anulum etiam à viuo Alexandro tanquam pignus imperij accepisset: se1 cùm post anulum acceptum respondisset rex, imperium se dignissimo relinquere, hoc ipso reliqui cognouére, non simul Perdiccæ cum gemma regnum esse traditum. hinc illæ lacrymæ, certamina, cædes. Aristonus tamen Alexandri mentem interpretatus, eò dixit illi anulum traditum, quod ab Alexandro optimus omnium & dignissimus regno videretur. Perdiccas ex amicis & ducibus primo loco sententiam de rege deligendo dicit, quamuis illi pauci assentirentur.

EGO QVIDEM ANVLVM) œconomiam huius oratiunculæ Caussinus hanc instituit: *Hæc* P.178. *oratio*, inquit, *valde morata est & ciuilis, præfert enim insignem moderationem, & fidem ipsius Perdiccæ, quod magnum erat amoris & beneuolentiæ lenocinium. Atque, vt à principe viro profecta, sententias habet verbis pressas, rebus magnas, vt cùm dicit, Alexandrum commodatum terris, non datum. Obseruatum est*, inquit *Fab l.6. esse nescio quamque spes tantas decerpat inuidiam: ne videlicet vltra quàm homini datum est, nostra proueliantur. Deinde quòd habet, Militarem sine duce turbam, corpus esse sine spiritu: rectè ad mentem Senecæ, qui de Imperatore ait, Is est spiritus quem tot millia trahunt. Epaminondas apud S. Maximum serm 9. de magistratu & potestate, cum magnum & pulchrum videret exercitum sine duce, Quanta, inquit, bellua, caput nullum habet!* Sed hanc Meleager tanquam insidiosam & ambitiosam refutat infrà, nihilque aliud spectare Perdiccam ait, quàm regnum, quod sub tutelæ nomine velit occupare; quæ sententia Meleagro tanquam feroci & parum consulto, mortem attulit.

IMPERII VIRES OBSIGNARE SOLITVS) quando deuictis populis leges dixit, præsides & prætores à quibus regerentur, misit, decreta edidit, hoc anulo firmauit.

VOBIS REDDO) hoc sanè perquam modestè Perdicca saltem in speciem, fortasse ratus exercitum acclamaturum, reciperet anulum & acciperet imperium, vt mox post Aristoni orationem acclamauit.

TANTVM VIRVM DEOS ACCOMMODASSE REBVS HVMANIS) quemadmodum vates de Catone:

Tertius è cælo cecidit Cato ———

Et de Iulio Cæsare Pelignus olor:

Hic sua compleuit, pro quo Cytherea laborat
Tempora, perfectis quos terris debuit annis,
Vt deus accedat cælo templisq; colatur.

TRACTANDVM COMMILITONES) altera pars orationis de rege deligendo: *Perdicca*, inquit Iustinus, *censet Roxanis expectari partum, quæ exacto mense octauo matura iam ex Alexandro erat, & si puerum peperisset, hunc dari successorem patri.*

MILITAREM SINE DVCE TVRBAM, CORPVS ESSE SINE SPIRITV) suprà cap. 6. Iam autem scietis & quantum sine rege valeat exercitus, & quid opis in me vno sit. ad quem locum plura ibi.

SEXTVS MENSIS) Iustino iam octauus.

CAPVT XI.

ARGVMENTVM.

Nearchus Barsines filium dicit regem. Ptolemæus aristocratiam suadet. Aristonus Perdiccam conatur coronare, quod Perdicca cupit, nec audet. Meleager ad aurum properãs mouet seditionem. Gregarius Aridæum fratrem Alexandri designat. Phyton dissuadet, concio iubet, adducitur & rex salutatur à milite; refragantur optimates, & in Perdiccæ sententiam concedunt.



Vm Nearchus, Alexandri modò sanguinem ac stirpem regiæ maiestati conuenire, neminem ait posse mirari: ceterùm expectari nondum ortum regem, & qui iam sit, præteriri, nec animis Macedonum conuenire, nec tempori rerum. Esse è Barsine filium regis, huic diadema dandum. Nulli placebat oratio. Itaque suo more hastis scuta quatientes obstrepere perseuerabant. Iamque prope seditionem peruenerant, Nearcho peruicacius tuente sententiam. cum Ptolemæus. Digna prorsus est soboles inquit, quæ Macedonum imperet genti, Roxanes vel Barsines filius. cuius nomen quoque Europam dicere pigebit, maiori ex parte captiui. Cur Persas vicerimus, vt stirpi eorum seruiamus? quod iusti illi reges Darius & Xerxes tot millium agminibus, tantisque classibus nequicquam petiuerunt. Mea sententia hæc est, vt sede Alexandri in regia posita, qui consiliis eius adhibebantur, coeant, quoties in commune consulto opus fuerit: eoque quod maior pars eorum decreuerit, stetur. duces præfectiq; copiarum his pareant. Ptolemæo quidam, pauciores Perdiccæ assentiebantur. Tum Aristonus orsus est dicere, Alexandrum consultum cui relinqueret regnum, voluisse optimum deligi. iudicatum autem ab ipso optimum Perdiccam cui anulum tradidisset neque enim vnum eum assedisse morienti, sed circumferentem oculos, ex turba amicorum delegisse cui traderet. placere igitur summam imperii ad Perdiccam deferri, nec dubitauere quin vera censeret. Itaque vniuersi procedere in medium Perdiccam, & regis anulum tollere iubebant. hærebat inter cupiditatem pudoremq; & quo modestius quod appetebat expectaret, peruicacius oblaturos esse credebat Itaque cunctatus, diuq; quid ageret incertus, ad vltimũ tamen recessit, & post eos qui sederant proximi, constitit. Ac Meleager vnus è ducibus confirmato animo, quem Perdiccæ cunctatio erexerat: Nec dii siuerint, inquit, vt Alexandri fortuna, tantique regni fastigium in istos humeros ruat; homines certè non ferent. Nihil dico de nobilioribus quàm hic est, sed de viris tantum, quibus inuitis nihil perpeti necesse est. Nec verò interest, Roxanes filium, quandocunque genitus erit, an Perdiccam regem habeatis, cum iste sub tutelæ specie regnum occupaturus sit. Itaque nemo ei rex placet, nisi qui nondum natus est. Et in tanta omnium festinatione, non iusta modò, sed etiam necessaria, exactos menses solus expectat, & iam diuinat marem esse conceptum, quem vos dubitatis paratum esse vel subdere? si medius fidius Alexander hunc nobis regem pro se reliquisset, id solum ex his quæ imperasset, non faciendum esse censerem. quin igitur ad diripiendos thesauros discurritis? harum enim opum regiarum, vtique populus est hæres. Hæc elocutus per medios armatos erupit. & qui abeunti viam dederant, pronunciantem prædam sequebantur. Iamque armatorum circa Meleagrum frequens globus erat, in seditionem ac discordiam versa concione, cùm quidam plerisque Macedonum ignotus ex infima plebe, Quid opus est, inquit, armis ciuilique bello habentibus regem, quem quæritis? Aridæus Philippo genitus, Alexandri paulò antè regis frater, sacrorum cæremoniarumque consors modò, nũc solus hæres præteritur à vobis. quo merito suo? quidue fecit, cur etiam gentium communi iure fraudetur? si Alexandro similem quæritis, nunquam reperietis. si proximum, hic solus est. Conclamant deinde pariter Aridæum vocandum esse. mortemque meritos, qui concionem sine eo habuissent. Tum Phiton plenus lachrymarum ordiur dicere. Nunc vel maximè miserabilem esse Alexandrum, qui tam bonorum ciuium militumque fructu & præsentia fraudatus esset. nomen enim memoriamq; regis sui tantùm intuentes, ad cætera caligare eos. Haud ambiguè in iuuenem cui regnum destinabatur, impensa probra, quæ magis ipsi odium, quàm Aridæo contemtum attulerunt: quippe dum miserentur, etiam fauere cœperunt. Igitur non alium regem se, quàm eum qui ad hanc spem genitus esset, passuros pertinaci acclamatione declarant, vocariq; Aridæum iubent. quem Meleager infestus inuisusque Perdiccæ strenuè perducit in regiam, & milites Philippum consalutatum regem appellant. Ceterùm hæc vulgi erat vox, principum alia sententia. è quibus Phiton consilium Perdiccæ exsequi cœpit, tutoresque destinat filio ex Roxane futuro Perdiccam & Leonatum stirpe regia genitos: adiecit, vt in Europa Craterus & Antipater res administrarent. tum iusiurandum à singulis exactum, futuros in potestate regis geniti Alexandro.

Tum

TVM NEARCHVS) Nearchus ille primus Oceani explorator, & Alexandri cum Onesicrito nauarchus, suasit Roxanis partum nondum editum, & sexus incertum non videri expectandum, cùm iam ex Barsine Memnonis olim coniuge natus sit Alexandro F. Hercules iam nouennis. húc ergo regem designandum. Sed Nearchus statim explosus est.

E BARSINE FILIVM) Herculem. Barsine filia erat Artabazi principis purpuratorum, viri è regum stirpe oriundi, & Dario ad vltimam vsque fortunam fidissimi, de quò multa passim superioribus libris habita mentio; & de Barsine quoque dictum lib. 3. cap. vlt. ex Plutarcho. Vidua hæc clarissimi ducis Memnonis erat: vti mirer quid Arriano venerit in mentem, vt scriberet Barsinem Darij natu maximam fuisse filiam, cum disertè ex Aristobulo Plutarchus ostendat fuisse Artabazo natam, nec vnquam ab Alexandro vxorem ductam, sed loco pellicis habitam, semper enim vbi de vxoribus Alexandri agitur, Barsinen seu Barsenen excipiunt scriptores. Darij filias alteram aiunt Statiram, maiorem natu, Alexandro Susis nuptam, alteram Drypetim Hephæstioni. Substituit deinde Parysatin Arrianus pro Barsine Ochi regis, quem volunt Asuerum Hesteris maritum, filiam natu minimam, siue illa fuit Vasthi, siue Hestere nata.

HASTIS SCVTA QVATIENTES) sicut acclamatio post orationem, militis alacritatem ostendit, ita strepitus armorum, quibus inhibere dicentem conantur, seditionem, vel certè animum ab ea re quam dux vult impetrare, alienum; vel cum terrorem alijs incutiebant, vt est apud Liuium lib. 28. *Vix dicendi finem fecerat, cum ex præparato simul omnium terror oculis auribusque est offusus. Exercitus qui coronâ concionem circumdederat, gladijs ad scuta concrepuit.*

Scuta hic hastis quatiebant, quòd oratio & petitio non placeret. acclamabant cùm probarent quod dicebatur aut petebatur. Infrà hoc ipso capite iratus miles rursus hastis clypeos concussit.

DIGNA PRORSVS EST SOBOLES) Ptolemæus diuersam ab vtroque viam ingreditur, & nullum ex captiuis hæredem regni admittendum putat. orditur ab Ironia: Egregios, inquit, vobis reges proponitis, vel Roxanes vel Barsines: Roxanes satrapæ sobolem; Barsines pellicis, cùm neutra regina vnquam fuerit aut regnarit, sed captiuæ fuerunt nostræ. Quorum Persas vicimus, an vt seruis nostris & captiuis seruiamus? quod nec Darius ille priscus, nec Xerxes postea, quamuis totam Græciam milite inundarit, à nobis impetrare potuerunt.

IVSTI REGES) ἐννόμως, vt qui contra ius fas Græciam armis inuaserint; alias iusti, legitimi, verique reges. Sed hîc, vt dixi, ironia est. præconis audita vox citantis nomina damnatorum in concilio: nudi in medium protrahebantur, & quæ sequuntur.

Ergo censeo aristocratiam instituendam, inquit Ptolemæus, vt sicut in repub. populus senatui obsecundat, ita ducibus paucis milites obtemperent, illique regna omnia administrent, præfecti copiarum imperata exequantur.

PTOLEMAEO QVIDAM) Nearcho nemo, Perdiccæ pauci, Ptolemæo aliqui assentiebantur.

ARISTONVS) Hic est ille fortissimus heros, qui Alexandrum apud Oxydracas seu Mallos cum Leonnato, Timæo & Peuceste aduersus hostes omnes defendit, vt suprà lib. 9. cap. 10. legisti. Hic rursum aliud à tribus prioribus, obliqua tamen oratione suadet, vt Perdiccas regnet, & persuaderet: sed Perdiccas ipse suam felicitatem cunctando corrupit, dum iussus anulum recipere, & regnum suscipere, hæreret, expectaretque dum maioribus clamoribus vrgeretur, adeoque sibi vim fieri volebat, ad inuidiam fortasse parium declinandam. Sed interim & anulum & regnum amisit.

Fronte capillata est, pone est occasio calua.

NEQVE ENIM VNVM EVM ASSEDISSE MORIENTI) Ex anulo Perdiccæ tradito ostendit mentem Alexandri fuisse, vt summa imperij ad Perdiccam deferretur. Quorsum enim illi anulum tradidisset, nisi & dignissimum imperio ex omnibus qui illi assidebant, iudicasset.

NEC DVBIVM, QVIN VERA CENSERET) Probabilis erat ratio & oratio Aristoni, nec tamen certa; poterat enim tradidisse anulum & amicissimo & familiarissimo, non tamen ad regnum aptissimo vel optimo vel dignissimo. Sed custodi anuli, dum rex omnium votis & suffragijs designaretur. Iussus est ergo surgere, & cum æmulo diadema sumere. Cunctatus per speciem modestiæ, putabat futurum Perdiccas, vt faustis acclamationibus exercitus Viuat Perdiccas, regnet Perdiccas, perennet Perdiccas, regnum acciperet. Sed morante illo & concio conticuit, ex quo malè animatus, locum quem proximum sellæ regiæ tenebat, reliquit, & inferiorem occupauit, Quod vbi Meleager dux phalangis Macedonicæ & peditum, homo stolidè ferox, nec satis cautus animaduertit, asperè innectus in Perdiccam, illum sibi capitalem hostem reddidit, cuius & artibus mox cecidit & perijt.

QVEM CVNCTATIO PERDICCAE EREXERAT) nam si Perdiccas anulum & diadema statim ac iussus est, sumsisset, nihil vnus contra omnes mouisset, nec contra torrentem niti ausus fuisset.

NEC DII SIVERINT) abdicat regnum adhuc dubium Perdiccæ. Nec dij, inquit, permittant,

tant,nec homines ferant,vt regnet Perdiccas; humeri eius tantam fortunam, tantumque regni fastigium non ferunt.

NOBILIORIBVS Ptolemæo & Aridæo Philippi regis filiis,fratribus Alexandri, quamuis non ex Olympiade,sed ex pellicibus.

SED DE VIRIS TANTVM,QVIBVS INVITIS (ita lege,non vt impressum est *inuidis*) NIHIL PERPETI NECESSE EST) Intelligit exercitum,& maximè pedites seu phalangem Macedonicam,qua nihil firmius erat,& cui ipse præerat.His ergo inuitis nihil necesse perpeti aliquid indignum,vel vt regnet Perdiccas,vel vt,quod sequitur,Roxanes partus in duos,ex Iustini,quatuor,Curtij sententia,menses expectetur. Non videtis Perdiccam regnum affectare vel per se, vel specie tutelæ?perinde enim illi est,dummodo regnet,vel suo nomine,vel alieno.

IN TANTA OMNIVM FESTINATIONE IVSTA ET NECESSARIA)ne sine capite sit tantum ac tot gentium imperium,tantus exercitus,in terra,non patria,sed paullo antè lubacta.

DIVINAT MAREM ESSE CONCEPTVM)quid si fœminam edat?quid aget Perdiccas? partum subducet,alium subijciet,& nos eludet;ipse imperabit.hoc enim est quod dicit,*quem vos dubitatis paratum esse vel subdere?* hoc est alienum aliquem spurium pro Alexandri & Roxanes filio subijcere & supponere.

MEDIVS FIDIVS) de hac iurandi forma suprà dictum.Festus Pompeius,medius fidius,ait esse compositum & significare Iouis filium Herculem,quia Iouem Græci Δία dicunt,nos Fidium pro filio:nam prisci sæpe d litera pro l, vtebantur. Vnde,inquit,sub Dio,Dius fidius.Gyraldum consule syntag.10.deor.hist.

HVNC NOBIS REGEM PRO SE RELIQVISSET)Perdiccam an Roxanes filium expectatum? Perdiccam non Roxanes partum;Perdiccas enim insidiabatur regno sub velo tutelæ, quem vsque adeo indignum regno arbitror,vt nec Alexandro parendum censerem si nobis viuus adhuc Perdiccam obtrudere pro se regem voluisset.

QVIN IGITVR AD DIRIPIENDOS THESAVROS DISCVRRITIS) deliberent & decertent inter se proceres de regno quamdiu volent, nos regni thesauros tanquam prædam nostram inuadamus.Atque hæc est quinta principum oratio & deliberatio de creando rege. Sed Meleager cum ad prædam properaret,trecentos secum,vt infrà docet, ex phalange traxit, adeò vt res in seditionem versa sit, & phalanx ab equitatu ducibusque, Meleagro seditiosorum auctore,secedere cœperit, cùm opportunè ègrege militum Macedo, cuius obscuritas etiam nomen silentio inuoluerat,progressus in medium pro rege iubendo Aridæum Philippi filium, Alexandri fratrem nominauit,quem exercitus mox vocatum per vim in regiam perduxit, & regem Philippum à patris memoria appellauit.Sed optimates duce Phitone Roxanes partum expectandum censuerunt, & Perdiccam cum Leonnato tutorem filio nascituro destinant; adeoque duos pro vno reges designant.Suadet ergo anonymus miles Aridæum (seu Arridæum,vt Arrianus illum duplici ρρ scribit) deligendum.caussas addit,quod iustus regni hæres sit,sicut antea Alexander Philippi erat,cum & Aridæus sit Philippo natus,quod Alexandri frater,omnium sacrorum & cerimoniarum ante consors,nunc etiam hæres. Respondet interim tacitæ obiectioni, quod Alexandro par non sit, negatque parem illi vllum reperiri posse, proximum tamen hunc esse.

SACRORVM CAERIMONIARVMQVE CONSORS MODO) inter solennia sacrificiorum omniumque sacrorum,& mensæ accubationem proximus Alexandro, & omnium particeps post Alexandrum honorum.

SOLVS HAERES) nam Barsines filius Hercules velut captiuæ negligebatur.

MORTEMQVE MERITOS) principes Perdiccam,Ptolemæum,Aristonum, Lysimachum, alios:qui Aridæum à publico consilio velut indignum & ineptum exclusérant.

TVM PHITON) huius ducis mentio habita est suprà lib. 9. cap. 15. vbi Musicanos desciscere conatos ad officium redegit , regulumque captum ad Alexandrum adduxit , à quo est in crucem actus.Huius hic Phitonis seu Phytonis subobscura oratio est, dissuadentis Aridæi inaugurationem.Maximè,inquit,miserabilis nunc est Alexander,non tam quod mortuus,quàm quod digno & apto regni hærede & successore destitutus sit. Nam qui ex amicis eius clarissimi, fortissimi,sapientissimi sunt,à regni successione repelluntur,vt eorum fructu carere cogatur, & eligitur is qui nihil,præter nomen fratris,regis habet,& memoriam patris Philippi renouat, ad quod nomen & memoriam ij qui Aridæum regem iubent, respiciunt;ad cætera omnia,virtutes inquam regias,fortia facta,sapientiam,industriam,res gestas cœcutiunt, & caligant. Quid enim Aridæus vnquam dignum regno & imperio gessit,fecit,fuasit,cogitauit? Hæc mens & sententia est paucorum & obscurissimorum verborum Pithonis,quibus tamen haud ambiguè, vt Curtius subijcit, impensa probra in iuuenem Aridæum. Sed miles in sua perstitit sententia. nec Pitho tardior.

MAGIS IPSI ODIVM)Pithoni.

DVM MISERENTVR) memoria enim Aridæi neglecti & contemti misericordiam moue-

bat;

bat, misericordia fauorem, fauor regem dixit. Itaque iussu concionis Aridæus ad regnum euocatur. Meleager dux concionis & ductor Aridæi cum impetu adest, fratremque Alexandri in regiam perducit, quem mox vt miles videt, regem pronunciat & pro Aridæo ad memoriam Philippi, Philippum appellat.

CAETERVM HAEC VVLGI ERAT VOX; PRINCIPVM ALIA SENTENTIA) ergo miles duce Meleagro secessionem fecit ab optimatibus, qui auctore Perdicca, ministro Pithone Roxanes filium, vbi genitus esset, regem designant, & Perdiccam ac Leonatum regia stirpe ortos, regni & nasciturі regis tutores constituunt.

IN EVROPA CRATERVS ET ANTIPATER) Antipatrum Alexander Babylonem euocârat, Craterum miserat vt Macedoniam & Græciam eius loco administraret. extincto interim Alexandro, ambo iubentur Europam curare.

IVSIVRANDVM A SINGVLIS EXACTVM) principibus (non milite, qui Aridæum legerat) vt futuro regi ex Alexandro genito se obsecuturos iurarent. Atque hæc de dissensione principum & militum, duobusque regibus designatis Curtius. Iustinum hic consule de eadem re plura docentem lib. 13 pag. 133. sed ed. Glar. p. 128. m.

Miraberis Aridæum à Ptolemæo repudiatum propter Philinem Larissæum, cùm & ipse Philippi spurius fuerit. Pausaniam in Atticis audi: Ptolemæum quidem Macedones re Philippi Amyntæ F. verbo Lagi filium fuisse existimant, eius enim matrem vterum ferentem à Philippo vxorem Lago, datam ferunt. Arrianus vtrumque postea regnasse tradit libris quos de rebus post Alexandrum decem conscripsit, quorum epitomas habes apud Photium. In latin. p. 81. Græc. p. 123. n. 92.

Composuit & Dexippus (Rhetor Atheniensis fuerat) de rebus post Alexandr. M. gestis libros quatuor, quem apud Photium videbis Latin. p. 75. Græc. p. 115. n. 82.

Diodorus paucis Olymp. CXIV. anno II. Cephisodoro Archonte Athenis. *Sub quod tempus,* p. 585. inquit, *Alexandro sine liberis defuncto, ingens de imperio, quod moderatore tum carebat, dissidium extitit. Pedestris enim phalanx Arrhidæum Philippo genitum, sed vitijs quibusdam animi non sanandis affectum, ad regni administrationem prouehebat. Sed qui inter amicos & custodes corporis auctoritate maxima pollebant. Senatu habito, cum equitum, qui sodales nominantur, agmen sibi adiunxissent, primum armis cum phalange decertare statuerunt. Et missis ex virorum dignitate præstantium ordine legatis, inter quos Meleager nobilißimus erat, ad pedites, vt dicto audientes essent, contendere. At Meleager quamprimum ad peditum delectos, quorum præcipua tunc dignitas (inter cæteros autem phalangites maximè conspicuus erat) venit, legationis nullam facit mentionem: sed è contrario ob decreta collaudatos in aduersarios irritat. Quapropter Meleagro sibi duce creato Macedones cum armis in refragantes sibi studijs procedunt. Cumque & stipatores regij Babylonem egreßi, ad bellum se præpararent, gratiosißimi inter illos, vt concordiam resarcirent, vtrique persuaserunt. Nec mora, Arridæum Philippi filium, inque Philippi nomen adoptatum, regem: & Perdiccam, cui etiam rex moriens annulum tradiderat, regni procuratorem designant: Et amicorum stipatorumque primarios administrare prouincias, regiæ & Perdiccæ obedientiam præstare, iubent.*

Pausanias in Atticis de Perdicca: *Perdiccas verò ad speciem quandam in exercitu Aridæum Philippi F. & Alexandrum puerum, Alexandro & Roxane Oxyartæ filia genitum, habuit: quasi verò illis regnum vindicaret: cum re tamen Aegypti regnum Ptolemæo eripere conaretur. Verùm ex Aegypto pulsus, amissa magna ex parte existimatione quam in bellicis rebus consecutus fuerat, & iam antè in magnam apud Macedones inuidiam adductus, à satellitibus suis interfectus est.* p. 5. v. 32.

CAPVT XII.

ARGVMENTVM.

Meleager Aridæum reuocat, qui insignia capit regia. Perdicca cum equitatu & regia cohorte, regiâ cedit. Meleager tendit Perdiccæ insidias, in quas mox ipse incidit. Perdiccas occupat Babyloniæ campos, annonam intercipit. Mittuntur legati ad Perdiccam de concordia. Aridæus deponit insignia

ſignia regia, meliori porrigenda. iubetur illa recipere. Perdiccas ſimulat amicitiam erga Meleagrum. Curtius excurrit in ſtatum & felicitatem ſui æui. Meleager circumuenitur & occiditur.



Eleager haud iniuria metu ſupplicij territus cum ſuis ſeceſſerat. Rurſus Philippum trahens ſecum irrupit in regiam, clamitans ſuffragari reipub. de nouo rege paullò antè recepto robur ætatis: experirentur modo ſtirpem Philippi, & filium ac fratrem regum duorum: ſibimet ipſis potiſſimum crederent. Nullum profundum mare, nullum vaſtum fretum & procelloſum tantos ciet fluctus, quantos multitudo motus habet, vtique ſi noua & breui duratura libertate luxuriat. Pauci Perdiccæ modò electo, plures Philippo quem ſpreuerant, imperium dabant. Nec velle, nec nolle quidquam diu poterant, pœnitebatq́; modò conſilij, modò pœnitentia ipſius: ad vltimum tamen in ſtirpem regiam inclinauere ſtudijs. Ceſſerat ex cõcione Aridæus, principum auctoritate conterritus, & abeunte illo conticuerat magis quàm elanguerat militaris fauor. Itaque reuocatus, veſtem fratris eam ipſam quæ in ſella poſita fuerat, induitur. Et Meleager thorace ſumto, capit arma, noui regis ſatelles. ſequitur phalanx haſtis clypeos quatiens: expleturam ſe ſanguine illorum, qui affectauerant nihil ad ipſos pertinens regnum: in eadem domo familiaq́; imperij, vires remanſuras; hæreditarium imperium ſtirpem regiam vendicaturam: aſſuetos eſſe nomen ipſum colere venerarique, nec quenquam id capere niſi genitum vt regnaret. Igitur Perdicca territus conclaue, in quo Alexandri corpus iacebat obſerari iubet. DC. cum ipſo erant ſpectatæ virtutis. Ptolemæus quoque ſe adiunxerat ei, puerorumque regia cohors. Cæterùm haud difficulter à tot millibus armatorum clauſtra perfracta sũt. Et rex quoque irruperat, ſtipatus ſatellitum turba, quorum princeps Meleager: iratuſque Perdicca, hos qui Alexandri corpus tueri vellent, ſeuocat: ſed qui irruperant, eminus tela in ipſum iaciebant. multiſque vulneratis, tandem ſeniores demtis galeis, quo faciliùs noſci poſſent, precari qui cum Perdicca erant, cœpere, vt abſiſterent bello, regique & pluribus cederent. Primus Perdicca arma depoſuit, ceterique idem fecere. Meleagro deinde ſuadente à corpore Alexandri diſcederent, inſidijs locum quæri rati, diuerſa regiæ parte ad Euphratem fugam intendunt. Equitatus, qui ex nobiliſſimis iuuenum conſtabat, Perdiccam & Leonatum frequens ſequebatur, placebantque excedere vrbe, & tendere in campis. Sed Perdicca ne pedites quidem ſecuturos ipſum deſperabat. Itaque ne abducendo equites, abrupiſſe à cætero exercitu videretur, in vrbe ſubſiſtit. At Meleager regem monere non deſtitit: ius imperij Perdiccæ morte ſanciendum eſſe: ni occupetur impotens animus, res nouaturum: meminiſſe eum quid de rege meruiſſet. Neminem autem ei ſatis fidum eſſe, quem metuat. Rex patiebatur magis quam aſſentiebatur. Itaque Meleager ſilentium pro imperio habuit: miſitque regis nomine, qui Perdiccam acceſſerent. iiſdem mandatum, vt occiderent, ſi venire dubitaret. Perdicca nunciato ſatellitum aduentu, ſexdecim omnino pueris regiæ cohortis comitatus in limine domus ſuæ conſtitit, caſtigatoſque, & Meleagri mancipia identidem appellans. ſic animi vultuſque conſtantia terruit, vt vix mentis compotes fugerint. Perdicca pueros equos iuſſit conſcendere, & cum paucis amicorum ad Leonatum peruenit, iam firmiore præſidio vim propulſaturus, ſi quis inferret. Poſterò die indigna res Macedonibus videbatur. Perdiccam ad mortis periculum adductum, & Meleagri temeritatem armis vltum ire decreuerant. Atque illi ſeditione profeſſa, cùm regem adiſſent, interrogare eum cœperunt, an Perdiccam comprehendi ipſe iuſſiſſet. Ille Meleagri inſtinctu ſe iuſſiſſe reſpondit. ceterùm non debere tumultuari eos, Perdiccam enim viuere. Igitur concione dimiſſa, Meleager, equitum maximè defectione perterritus, ſuoſque conſilij. quippe in ipſum periculum reciderat, quod inimico paullo antè intenderat, triduum ferè conſumſit, incerta conſilia voluendo. & priſtina quidem regiæ ſpecies manebat: nam & legati gentium

regem

regem adibant, & copiarum duces aderant, & vestibulum satellites armatiq́ compleuerant. Sed ingens sua sponte mæstitia vltimæ desperationis index erat, suspectiq́ inuicem non adire propius, non colloqui audebant; secretas cogitationes intra se quisque voluentes: & ex comparatione regis noui desiderium excitabatur amissi: vbi ille esset, cuius imperium, cuius auspicium secuti erant? destitutos se inter infestas indomitasq́ gentes, expetituras tot cladium suarum pœnas, quandocunque oblata esset occasio. His cogitationibus animos exedebant, cùm annunciatur, equites qui sub Perdicca essent, occupatis circa Babylonem campis, frumentum quod in vrbem inuehebatur, retinuisse. Itaque inopia primum, deinde fames esse cœpit. Et qui in vrbe erant, aut reconciliandam cum Perdicca gratiam, aut armis certandum esse censebant. Fortè acciderat, vt qui in agris erant, populationem villarum vicorumq́ veriti confugerent in vrbem, oppidani, cum ipsos alimenta deficerent, vrbe excederent, & vtriq́ generi tutior aliena sedes, quam sua videretur. Quorum consternationem Macedones veriti, in regiam coeunt, quæq́ ipsorum sententia esset, exponunt. Placebat autem legatos ad equites mitti de finienda discordia armisq́ ponendis. Igitur à rege legatur Pasas Thessalus & Amissas Megalopolitanus & Perilaus, qui cum mandata regis edidissent, non aliter posituros arma equites, quàm si rex discordiæ auctores dedisset, tulêre responsum. His renunciatis sua sponte arma milites capiunt; quorum tumultu è regia Philippus excitus, Nihil, inquit, seditione est opus: nam inter se certantium præmia, qui quieuerint occupabunt. Simul mementote rem esse cum ciuibus, quibus spem gratiæ citò abrumpere, ad bellum ciuile properantium est. Altera legatione an mitigari possint, experiamur, & credo nondum regis corpore sepulto ad præstanda ei iusta omnes esse coituros. Quod ad me attinet, reddere hoc imperium malo, quàm exercere ciuium sanguine. Et si nulla alia concordiæ spes est, oro quæsoq́, eligite potiorem. Obortis deinde lachrymis diadema detrahit capiti, dextram qua id tenebat, protendens, vt si quis se digniorem profiteretur, acciperet. Ingentem spem indolis ante eum diem fratris claritate suppressam, ea moderata excitauit oratio. Itaq́ cuncti instare cœperunt, vt quæ agitasset, exequi vellet. eosdem rursus legat petituros, vt Meleagrum tertium ducem acciperent. haud ægrè id impetratum est. nam & abducere Meleagrum Perdicca à rege cupiebat & vnum duobus imparem futurum esse censebat. Igitur Meleagro cum phalange obuiam egresso, Perdicca equitum turmas antecedens occurrit. vtrumque agmen mutua salutatione facta coit, in perpetuum, vt arbitrantur, concordia & pace firmata. Sed iam fatis admouebantur Macedonum genti bella ciuilia: nam & insociabile est regnum, & à pluribus expetebatur. Primum ergo collegêre vires, deinde disperserunt, & cùm pluribus corpus quàm capiebat onerasset, cætera membra deficere cœperunt. Quodque imperium sub vno stare potuisset, dum à pluribus sustinetur, ruit. Proinde iure meritoq́ pop. Rom. salutem se principi suo debere profitetur, cui noctis, quam pœne supremam habuimus, nouum sidus illuxit. huius Hercule, non solis ortus, lucem caliganti reddidit mundo, cùm sine suo capite discordia membra trepidarent. Quot ille tum extinxit faces? quot condidit gladios? quantam tempestatem subita serenitate discussit? non ergo reuirescit solum, sed etiam floret imperium. Absit modò inuidia, excipiet huius sæculi tempora eiusdē domus vtinam perpetua, certè diuturna posteritas. Ceterum, vt ad ordinem à quo me contemplatio publicæ felicitatis auerterat redeā, Perdicca vnicam spem salutis suæ in Meleagri morte deponebat; vanum eundem & infidum, celeriterq́ res nouaturum; & sibi maximè infestum, occupandum esse. Sed alta dissimulatione consilium premebat, vt opprimeret incautum. ergo clam quosdam ex copijs quibus præerat, subornauit, vt quasi ignoraret ipse, conquererentur palam, Meleagrum æquatum esse Perdiccæ: quorum sermone Meleager ad se relato, furens ira, Perdiccæ quæ cōperisset, exponit. ille velut noua re exterritus, admirari, queri, dolentisq́ speciem ostentare ei. Ad vltimū conuenit, vt cōprehenderentur tā seditiosæ vocis auctores. agit Meleager gratias, amplexusq́ Perdiccā, fidē eius in se ac beneuolētiā collaudat. Tum communi cōsilio rationē opprimendi noxios ineunt. Placet exercitū patrio more lustrari: & probabilis caussa videbatur præterita discordia. Macedonū reges ita lustrare soliti erant milites, vt discissæ canis viscera vltimo in cāpo, in quē deduceretur exercitus, ab vtraq́ abijcerētur parte. Intra id spaciū armati oēs starēt, hinc equites, illinc phalanx. Itaq́ eo die, quē huic sacro destinauerāt, rex cū equitibus elephantisq́ constiterat cōtra pedites, quîs Meleager præerat. Iā equestre agmen mouebatur, & pedites subita formidine ob recentē discordiā, haud sanè pacati quidquā expectāter parūper addubitauêre, an in vrbē

Kkk sub.

subducerent copias, quippe pro equitibus planities erat. Cæterùm veriti ne temerè commilitonum fidem damnarent, substitêre, præparatis ad dimicandum animis, si quis vim inferret. Iam agmina coibant, paruumq́ interuallum erat, quod aciem vtramque diuideret. Itaque rex cum vna ala obequitare peditibus cœpit, discordiæ auctores, quos tueri ipse debebat, instinctu Perdiccæ ad supplicia deposcens, minabaturq́ omnes turmas cum Elephantis inducturum se in recusantes. Stupebant improuiso malo pedites, nec plus in ipso Meleagro erat, aut consilij, aut animi. Tutissimum ex præsentibus videbatur, expectare potius, quàm mouere fortunam. Tum Perdicca vt torpentes & obnoxios vidit, CCC. ferè qui Meleagrum erumpentem ex concione, quæ prima habita est post mortem Alexandri, secuti erant, à cæteris discretos, elephantis in conspectu totius exercitus obijcit, omnesq́ beluarum pedibus obtriti sunt, nec prohibente Philippo, nec auctore. apparebatq́, id modò pro suo vendicaturum, quod approbasset euentus. Hoc bellorum ciuilium Macedonibus & omen, & principium fuit. Meleager serò intellecta fraude Perdiccæ, tum quidem quia ipsius corpori vis non afferebatur, in agmine quietus stetit: at mox damnata spe salutis, cùm eius nomine, quem ipse fecerat regem, in perniciem suam abutentes videret inimicos, confugit in templum: ac ne loci quidem religione defensus, occiditur.

METV SVPPLICII CVM SVIS SECESSERAT) Meleager viderat principes nascituro regi iurasse: Perdiccam & Leonnatum hostes suos, tutores designatos, proinde actum de se vidit, nisi vim vi repelleret, & periculum anteuerteret, quod tamen illi malè cessit.

CVM SVIS) cum peditibus & phalange.

DE NOVO REGE) Aridæo, cuius florem corporis, virium robur, iuuentutem, Meleager Macedonibus commendat. erat enim iunior Alexandro, qui alterum & trigesimum paucis mensibus superauit, aut certè tertium vix attigit, vt suprà docui. Aridæus autem post Alexandrum ex Larissæa saltatricula natus est.

FILIVM, AC FRATREM, DVORVM REGVM) filium Philippi, fratrem Alexandri; duorum regum, fratrem non refer ad duos reges, sed filium, ac fratrem, Philippi & Alexandri regũ.

SIBIMETIPSIS POTISSIMVM CREDERENT) optimates & equitatus pro Roxanes filio & tutore Perdicca stabant. Meleager & peditatus pro Aridæo, quem Meleager cum phalange rursus ad regiam adduxit, & optimatibus coram stitit, vt experimentum, tum corporis, tum animi & virtutum eius, præsentes caperent, non dubitare se, quin si virum probè cognoscent, ipsum admissuri sint, quod & factum est, sed ita, vt quasi precario regnaret, vt qui primùm ad nutum Meleagri, mox ad ipsius Perdiccæ potentiam & arbitrium omnia administraret.

NVLLVM PROFVNDVM MARE) elegans comparatio maris & populi, qui ingenium maris imitatur. Quo mare altius & profundius, hoc maioribus fluctibus agitatur; vt non immeritò dixerit Naso:

Ouid. de Trist. el. 2. Idem ferè 3. El.

Me miserum quanti montes voluuntur aquarum,
Iamiam tacturos sidera summa putes.
Quantæ diducto subsidunt æquore valles
Iamiam tacturas tartara nigra putes.

Cic. 5. de finib. n. 4. Pro Murena.

Talis quoque motus est furentis populi, cui vt adsuesceret Demosthenes, ad fluctum declamare solitus est, vt fremitum voce vinceret. Non immeritò Cicero concionum fluctus appellat. *Et quidem cæteras*, inquit, *tempestates & procellas in illis duntaxat concionum fluctibus semper putaui Miloni esse subeundas.*

1. Æn.

Virgilius inuertit similitudinem, & maris tempestates cum populi seditionibus componit:

Atque velut magno in populo cùm sæpè coorta est
Seditio, sæuitq́ animis ignobile vulgus,
Iamq́ faces & saxa volant: furor arma ministrat.

& quæ sequuntur.

Plin. lib. 2. cap. 92.

VASTVM FRETVM ET PROCELLOSVM.) Freta propriè sunt angustiæ maris, vbi vastum pelagus in arctum coit. In faucibus autem huiusmodi maximè æstus & euripi existunt, vt in Tauromitana & Eubœa, vbi septies die ac nocte reciprocatur mare. Sed quare vastum fretum? cùm fretum fauces & angustias sonet, vbi æstus maximè feruet, qui in alto vix notatur. Synecdochicõs ergò accipe, partem pro toto, procellosum autem est maximè fretum.

Apoph. p. 442.

* infestissimis.

Quale ergo fretum, talis populus. Demosthenes *cùm proscriptus iret in exilium, inter fugiendum fertur, subinde respiciens ad arcem Palladis, sublatis manibus dixisse, ô Pallas vrbium domina, cur tribus * infaustissimis bestijs delectaris, noctua, dracone & populo? Noctua, cùm sit auium inauspicatissima, tamen Palladi sacra est, quemadmodum & draconem habet pro gestamine: populus autem bellua est, mul-*

multorum capitum, pessimam gratiam referre solita optimè de se meritis, velut Socrati, Phocioni, Scipioni, & alijs compluribus.

NOVA ET BREVI LIBERTATE) rege adhuc certo carebat miles, quamuis enim Aridæus esset proclamatus Alexandri successor, principes tamen illum non admiserant, sed Roxanes partum decreuerant expectandum, & Perdiccam cum Leonnato tutorem constituerant. Explicat mox Curtius quam adduxerat similitudinem maris & populi in electione adhuc fluctuantis, & modò in Perdiccam, modò in Aridæum inclinantis, & iam hunc, iam illum volentis. iam sua ipsius suffragia & vota damnantis, suique consilij & mox pœnitentiæ ipsius ipsum pœnitentis.

PERDICCAE MODÒ ELECTI) atqui nunquam erat electus. Sed Aridæus duntaxat & Roxanes filius, si nasceretur. imò verò & Perdiccas iussus erat insignia regni capere, si ad superius caput & Aristoni consilium respicias, quo persuasi vniuersi, inquit, procedere in medium Perdiccam & regis anulum tollere iubebant. Non sustulit tamen tunc anulum Perdiccas, inter cupiditatem & pudorem hærens. Hic ego Curtium hoc dicere existimo, Perdiccam modò ab optimatibus tutorem & administratorem regni electum fuisse, vt ipse quidem regnaret, sine nomine regio, sed specie duntaxat tutelæ.

IN STIRPEM REGIAM INCLINAVERE) In Aridæum, qui maiestate & auctoritate principum perculsus ex concione militari se subduxerat, quamuis enim genere esset omnibus nobilior, reliquis tamen omnibus imparem se illis agnoscebat.

ITAQVE REVOCATVS) Meleagro concionem instigante vt reuocaretur.

VESTEM FRATRIS INDVITVR) hoc erat cum veste regnum capessere.

MELEAGER THORACE SVMPTO) more custodum corporis armatur, secumque phalangem peditum trahit. Quæres Perdiccam & equites terruit, vt se cum sexcentis conclaui Alexandri includeret.

HASTIS CLYPEOS QVATIENS) vt terrorem aduersarijs incuteret, vt illi Liuiani, quos paullo ante posui.

QVI AFFECTAVERANT n.a.c.p. REGNVM) hæc omnia potissimum in Perdiccam dicta & Leonnatum, designatos tutores.

IN QVO ALEXANDRI CORPVS IACEBAT) incipiunt ludi funebres ad ipsum funus Alexandri, qui non antè finiti quam tota domus Alexandri, omnes principes & Antipatri quoque & Cassandri posteritas deleretur.

PVERORVM REGIA COHORS) custodes corporis, socij omnium periculorum, venationum, excubitores nocturni, de quibus multa suprà.

QVI ALEXANDRI CORPVS TVERI VELLENT) sperabat Perdicca fore, vt veneratione, & amore, & memoria præsentis Alexandri plerique ad ipsum à Meleagro deficerent. Sed cùm iaculis peteretur, & à senioribus monitus esset, vt pluribus cederet, cessit, arma posuit, quem alij principes sunt secuti.

SENIORES DEMTIS GALEIS) nullus reliquorum scriptorum, qui extant, tam disertè & enucleatè hæc, vt noster Curtius enarrat. Seniores ex agmine & phalange Meleagri nudatis capitibus rogarunt Perdiccam, & qui cum illo erant, vt & regi Aridæo, & toti exercitui cederent.

MELEAGRO DEINDE SVAD. VT A CORP. ALEX. DISCEDERENT) quid est, quod Perdiccas, & qui cum ipso erant insidias metuerent, cùm iuberentur à corpore Alexandri recedere? quia sola defuncti regis præsentia & reuerentia videbatur impedire Meleagrum, quo minus eodem loco Perdiccam cum suis opprimeret. Vt ergo circumueniri, & è medio tolli possent, videbantur ex eo loco amouendi.

DIVERSA REGIAE PARTE AD EVPHRATEM FVGAM INTENDVNT) Euphrates mediam Babylonem intersecabat. Regiæ duæ ex vtraque pontis regione spectabantur, & flumini imminebant. rectà ergo è regiæ aueisa parte, quam miles Meleagri non obsidebat ad Euphratem, & inde in campum extra vrbem contenderunt. Sic. l. 2. p. 96.

EQVITATVS) Perdiccam & Leonnatum totus equitatus sequebatur, quæ res vehementer terruit Meleagrum, quod nobilissimus quisque inter equites versaretur.

PLACEBATQVE EXCEDERE VRBE) excessere, sed nondum, Perdicca enim cum Leonnato in vrbe substitit, quod speraret etiam pedites ipsum secuturos, quos ab equitatu nolebat seiungi, cùm validissima pars exercitus esset phalanx.

MEMINISSE EVM DEBERE QVID DE REGE MERVISSET) quemadmodum Perdicca designatus tutor filij Roxanes nondum nati, omnia pro imperio, atque si ipse rex esset, agebat, & reuera absque nomine tantùm, regnabat; ita Meleager & ipse Aridæi nomine imperitabat. Ergo cum Perdiccam, quo superstite regnum diuturnum desperabat, vellet opprimere, suggessit hoc Aridæo, si saluus esse vellet, tolleret Perdiccam, qui nunquam ei suffragatus esset, sed imperium ipse potius affectaret; Iam verò metuat potiùs quam partes eius sequatur. Proinde si ipse regnare securus cuperet, æmulum regni amoueret; nunquam illi fidum fore quem metuat.

Nemo esse sat fidus potest ei quem timet, inquit Comicus.

REX PATIEBATVR MAGIS QVAM ASSENTIEBATVR) videbat enim fore, vt ex cæde tanti principis, odium in se ingens omnium, non solùm procerum, sed militum etiam existeret, quod sibi etiam periculum crearet. itaque nec inhibuit Meleagrum, nec immisit, sed permisit quod exequi statuerat. infrà tamen instinctu Meleagri iussisse testatus est.

SILENTIVM PRO IMPERIO HABVIT) ita scelus facit qui non prohibet scelus. sed res Meleagro non successit, quamuis miserit qui arcesserent, aut renuentem occiderent. neutrum impetrauit. Perdicca enim quamuis solus, & pueris tantum regijs in ipso ædium aditu stipatus, tanta vi dicendi, & vultus seueritate & constantia, maiestateque oris conterruit Meleagri satellites, vti velut attoniti & fulminati inde profugerint.

De hac oratione Perdiccæ Iustinum recognosce initio lib. 13. MANCIPIA MELEAGRI) adeo non est blanditus illis, vt etiam conuitijs insectaretur, effecrasset si rogasset.

Non dissimile exemplum est infra apud Siculum de Olympiade, ad quam interficiendam cum Cassander ducentos satellites misisset, omnes eius conspectu & maiestate territi refugerunt.

Iam Romana quoque historia de Mario apud Minturnos latente leges, ad quem interficiẽdum satelles Cimber seu Germanus missus, solo aspectu ita conterritus est, vt ab intacto mox tãquam à numine aliquo profugerit. Velleium Paterculum audi: *Marius post sextum consulatum, an-*

lib. 2. p. 67. *noq; LXX. nudus, ac limo obrutus, oculis tantummodo ac naribus eminentibus extractus arundineto, circa paludem Maricæ, in quam se, fugiens consectantes Sullæ equites, abdiderat, iniecto in collum loro, in carcerem Minturnensium, iussu II. viri perductus est. ad quem interficiendum missus cum gladio seruus publicus, natione Germanus, qui fortè ab imperatore eo bello Cimbrico captus erat, vt agnouit Marium, magno eiulatu expromenti indignationem casus tanti viri, abiecto gladio profugit è carcere. Tum ciues, ab hoste, misereri paullò antè principis viri, docti, instructum eum viatico, collataq; veste, in nauem imposuerunt. at ille assecutus circa Aenariam filium, cursum in Africam direxit, inopemq; vitam in tugurio ruinarum Carthaginensium tolerauit, cùm Marius adspiciens Carthaginem, illa intuens Marium, alter alteri possent esse solatio.* Nec minus dolenter de eodem Mario Val. Max. l. 2. c. 10. p 159. quẽ adibis.

p. 634. Scripsere de eodem Mario Plutarchus in eius vita, & Appianus de bellis ciuilibus. Leguntur & alia hoc genus exempla passim in historijs, nobis ad hunc locum ista satis.

AD LEONNATVM PERVENIT) non expectauit Perdicca donec Meleager ipse cum pluribus adesset, cui succumberet, sed ad equitatum, cui Leonnatus præerat, cum suis amicis & regijs pueris properauit. Dubites vehementer an Leonnatus cum equitatu iam ex vrbe in campos Babylonios euaserit, an adhuc in vrbe resederit? Quæ enim sequuntur in Curtio, videntur potiùs ad Macedonum equites, quàm pedites pertinere, qui infesti erant Perdiccæ; & Aridæo quem regem crearant addicti, vt suprà Curtius ostendit cum scripsit: *Sequitur* Meleagrum *phalanx hastis clypeos quatiens, expleturam se sanguine illorum qui affectauerant nihil ad ipsos pertinens regnum.* Hîc tamen Curtius nihil distinguit inter equites & pedites, cum dicit: *Postero die indigna res Macedonibus videbatur, Perdiccam ad mortis periculum adductum, & Meleagri temeritatem armis vltum ire decreuerant.*

Quæras ergo vtrum omnibus an equitibus tantùm? & an tota exercitus concio Aridæum expostulandi caussa adierit, an equites tantùm? ego omnibus, & quæ præcedunt, & quæ sequuntur ad calculum vocatis, existimo tantùm equites tumultuatos esse, qui nondum ex vrbe excesserant, nec adhuc defecerant à peditatu: Sed postquam Meleager apertè Perdiccæ vitam petijt & sanguinem, secutam esse omnium equitum defectionem, vrbeque post Aridæi responsum excessisse. Hoc enim est quod subijcit *seditione professa* (ita cum Acidalio rescripsi, quem ad hunc locum videbis) regem illos adijsse vt quærerent, cuius imperio iussus esset Perdicca comprehendi, cumque Aridæus respondisset, suo quidem imperio, sed Meleagri impulsu iussum comprehendi, non tumultuandum tamen illis esse Perdiccæ caussa, quòd non esset occisus. Ex quo constat equites reliquos nondum habuisse cognitum Perdiccæ statum post missos ad eum comprehendendum satellites, & quo loco eius tunc res essent, cum ad Leonnatum cum suis profugit. Inde tamen Meleagrum in vltimum equitum odium incidisse, cuius consilio & instinctu factum esset, vt pœnè comprehenderetur & occideretur, nisi ipse sua animi vultusque constantia immissos percussores perculisset, & propè exanimasset.

MELEAGER EQVITVM DEFECTIONE PERTERRITVS) sensit Meleager medios delapsus in hostes, quod Ascræus cecinit:

> Οἱ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων
> ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.
> *Ipse sibi nocet is, alium qui lædere quærit*
> *Consultum malè consultori pessima res est.*

Hic ergo apertè desciuerunt oẽs equites, & se extra vrbẽ in campum contulerunt, quo omnes cum Perdicca, Leonnato, & equitatu confluxerunt. vnde de suo periculo, quod ipse sibi accersierat Meleager facilè potuit existimare. Iam ergo aperta secessio inter equitem & peditem facta.

Nec

Nec Meleager tantùm, sed totus peditatus & principes phalangis cum ipsa phalange magnopere perturbati erant, defunctíque regis memoriam refricabant, suaque pericula à circumfusis barbaris æstimabant, si ferret occasio rebellandi. Quin & ipsi inter se parum concordes, alter alteri diffidebat, dubius vtrum cum hoste suas cogitationes an amico communicaret. Hęc omnia, vt è suprà collocatis constat verbis, paullo aliter Iustinus: quem videbis.

PRISTINA REGIAE SPECIES MANEBAT) qualis Alexandro viuo erat, cùm & custodes corporis ad vestibulum adessent, & legati audirentur, & qui io consilio erant ex copiarum ductoribus, prætoribus, & satrapis frequentes aderant. sed alia facies hominum erat, Aridæo regnante, alia fuerat Alexandro imperante. Ibi omnia plena maiestatis, dignitatis, gratulationum: hic tristis mœror altum silentium, vbique luctus & præsentis status desperatio rerum omnium animos abijciebant, quando inter fortunam præteritam & pericula præsentia comparatio fiebat.

CVM ANNVNCIATVR EQVITES QVI SVB PERDICCA ESSENT O.C.B.C. FRVMENTA IN VR. INVEHEBATVR, RETINVISSE) fecit hoc callidissimus Perdiccas, vt Meleagri & phalangis ferociam retunderet, & ostenderet, qualem sibi regem delegissent, qui nec sibi, nec ipsis posset consulere. cùm vicani in vrbem confugerent, opidani vrbe excederent, & rerum omnium inopia & fames timeretur. Itaque eo sunt redacti angustiarum Macedones qui in vrbe cum Meleagro remanserant, vt vel pacem cum equitatu & Perdicca reconciliandam, vel armis & vi agendum censerent. Itaque chiliarchi & centuriones phalangis, cum Meleagro regem adeunt, & de summa rerum in medium consulunt. Visum legatos ad Perdiccam & equites mittere, qui de armis ponendis & reconciliandis equitum peditumque animis tractarent. Nam Aridæus ab armis & vi abhorrebat. Missi ex ducibus Pasas, Thessalus, Amassas Megalopolitanus & Perilaus, quorum apud alios quod sciam, nulla est mentio. Meleager non est ausus comparere.

Responsum fuit arma posituros, si auctores seditionis dederentur. quo haud ambiguè Meleager ad necem destinabatur, vt qui princeps esset secessionis. cùm interim quisque capiti suo cautum vellet, cùm nemo explaratum haberet, quos duces seditionis præter Meleagrum nominaturi essent. itaque omnes simul ad arma versi decertandum cum equitatu iudicabant, quorum tamen ferociam Aridæus placidissima oratione composuit.

Tum pietate grauem, ac meritis si forte virum quem
Conspexere silent, arrectisq; auribus astant,
Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Nihil ait opus esse armis aliam viam superesse pacis firmandæ. proinde se in hostium numero habiturum, qui arma spectarent, præmiaque & prædas illis concessurum qui arma ponerent; meminissent rem esse cum ciuibus, non hostibus, quibus si spes veniæ & gratiæ præcideretur, necessario ad vim velut vltimum asylum, hoc est, ad arma ciuilia esset properandum: se hoc consilij dare, vt altera legatio mittatur, qua animi illorum mitigentur. Occasionem etiam dabunt exequiæ simul promulgandæ Alexandri nondum sepulti, ad quas nemo dubitet omnes vltro concursuros, quo tempore simul de reconciliandis animis optimum locum datum iri. Interim, inquit, si per me stet, quo minùs pax inter vos conueniat, paratus sum regno decedere, nolo imperium per ciuilem sanguinem auspicari, & cum dicto lachrymisque, detractum è capite insigne regium, manu protensa offert, illi quisquis se digniorem existimaret.

Quam Aridæi modestiam & regiam indolem antea Alexandri maiestate suppressam, regnoque dignam valdè prædicat Curtius, qua spem omnibus iniectam ait, vt imperium retinere, & ea quæ destinarat exsequi pergeret. Similem omninò modestiam exhibuit inter æmulos suos magnum illud Ecclesiæ lumen Gregorius Nazianzenus vt in Eccl. hist. obseruare potuisti.

INDOLIS SVPPRESSAE) Ita verè cum Acidalio legimus; non vt ante erat, *suppressam*.

EOS O. RVRSVS LEGAT) itaque resumtis insignibus, quasi nouus rex, & certus ac confirmatus, mittit eosdem rursus ad Perdiccam & equites, nihil aliud petituros, quàm vt Meleagrum tertium ducem admitterent. Duo erant Perdiccas & Leonnatus: tertium pedites Meleagrum duobus voluerunt esse parem: ita vt Perdiccas Leonnatus, & Meleager pari iure post Aridæum essent, parique potestate, & in regia, & exercitu vterentur. Datum est hoc regi, & phalangi, vt videbatur. admissus Meleager in triumuiratum. quod Perdiccas & Leonnatus eo consilio fecerunt, vt abductum à rege interficerent, quod mox, vti Curtius narrat, factum, ad quem alioquin nullum aditum habuissent. hæ sunt strophæ & technæ perniciabilis ambitionis. Ergo infelix Meleager cum sua phalange extra vrbem procedit; venienti velut amicus occurrit ante omnes ipse Perdiccas, fit & principum & peditum equitumque consultatio, & pax in speciem facta velut æterno fœdere coaluisset, & adamantinis vinculis constricta & obfirmata esset. sed omnia ficta & alta dissimulatione ab altera parte in occasionem vindictæ reposita.

SED IAM FATIS ADM MACE O. G. BELLA CIVILIA) hoc nempè Danielis oracula quoque cap. 2. docuerunt de prouidentia diuina, nam fata nescit vera religio: *Ipse*, inquit, *mutat tempora & ata-*

& ætates transfert regna & constituit. Ità Assyriorum imperium Medi, Medeorum Persæ, Persarum Macedones & Græci, Græcorum Romani occuparunt. Ita supremus cœli dictator pro cuiusque gentis meritis has extollit, alias deprimit, alias omnino extinguit.

lib. 11. INSOCIABILE EST REGNVM) ita Alexander Dario pacem petenti respondit apud Iustinum: Cæterùm neque mundum posse duobus solibus regi, neque orbem summa duo regna salvo statu terrarum habere. Ita Ennius quoque apud Ciceronem: lib. 1. offic.

Nulla sancta societas nec fides regni est.

Homerus:

2. Iliad.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω
εἷς βασιλεὺς ----
Res mala multorum imperium, dux vnicus esto,
Rex vnus ----

Hanc caussam esse voluit (vt ex Aristotele annotauit Delrius) Musæus, cur aquila tres pullos excludens duos nido deturbet, vnum educet.

v. 259. Seneca in Agamemn. *Nec regna socium ferre, nec tædæ possunt. nec enim capit regnum duos.*

Lucanus:

Nulla fides regni socijs; omnisque potestas
Impatiens consortis erit ----

In Theb. Statius:

----& summo dulcius vnum
Stare loco, sociisque comes discordia regnis.

cap. 12. Idem suprema docet apud Matthæum veritas: *Omne regnum in se diuisum desolabitur.* Eleganter etiam Cyprianus, vnquam regni societas aut cum fide cœpit, aut sine cruore cœpit? Hinc illa Ciceronis in Cæsarem inuectio, quam primo de officijs leges. Simanca in l. 2. de Rep. cap. 5.

PRIMVM ERGO COLLEGERE VIRES, POSTEA DISPERSERE) primum collegêre vires per Alexandrum, qui totum Orientem Græcis & Macedonibus subiecit, quas ipsius postea duces per discordias & seditiones dispersere.

ET CVM PLVRIBVS CORPVS QVAM CAP. ONERASSENT) cum maius regnum Alexandro duce effecissent, quàm commodè regi posset, post illius mortem cum illi par nemo vnus inueniretur, qui tantam imperij tam latè fusi molem solus sustinere posset, membra cum corpore defecerunt.

QVODQVE IMP. SVB VNO STARE POTVISSET DVM A PLVR. SVST. RVIT) si quis Alexandro par inuentus esset, sub vno stare potuisset, aut si cuicunque alteri seu Perdiccæ, seu Lysimacho, Ptolemæo aut Eumeni, seu etiam Aridæo cum pari obsequio, reuerentia & parendi alacritate voluissent committere, stetisset sub vno. sed principes demum illi tamen regnabant. Et prouincias inter se diuidebant, & postremò diademata quoque cum regio nomine sumserunt, adeoque ex vno regno plurima sunt nata.

p. 34. Ad quem versum multa etiã Eustath. Verè Scholiastes vetus ad illum suprà laudatum Homeri versum, οὐκ ἀγαθόν --- annotauit: οὕτω γοῦν ὅτι ἡ Περσῶν ἀρχὴ διὰ τῆς μοναρχίας μεγάλη ἐστί, καὶ οἱ Ἀθηναῖοι δὲ ὁπότε πλείονας παρεῖχον τῷ στρατεύματι ἡγεμόνας, ὡς ἐν Αἰγὸς ποταμοῖς τοὺς ἐννέα, ἡττῶντο. ὁπότε δὲ δι᾽ ἑνὸς ἐποιοῦντο τοὺς ἀγῶνας ἐνίκων. ὥσπερ ἐν τῇ Κνίδῳ ὁ Κόνων νικᾷ τὸ τῶν Πελοποννησίων στρατόπεδον. ἀλλά γε καὶ τὰ σώματα ἡμῶν εἰ ἦσαν ἐξ ἑνὸς στοιχείου οὐδέποτε ἂν ἤλγυν. οὔτε γὰρ ἦν ὑφ᾽ οὗ ἀλγήσειαν ἓν ὄντα, ὥς φησιν ὁ θεῖος Ἱπποκράτης. Καὶ ἐν ἑτέρῳ δὲ πάλιν ὁ αὐτὸς ἀνήρ, Πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον. τὰ γὰρ πολλὰ ἀλλήλοις ἀντιστάμενα, ὥσπερ πόλεμον ἐπιφέρει, ἐφ᾽ οὗ φθορά. *Ita,* inquit, *regnum Persarum per monarchiam ingens effectum est. & Athenienses quando plures simul belli duces crearunt, vt ad Aegi fluuios, nouem miserunt, victi sunt. Quando verò omnibus copijs vnum præfecerunt, vicerunt. vti Conon Peloponnesiorum exercitum deleuit. Quin & corpora nostra, si ex vno elemento constarent, nunquam ægrotarent, neque enim esset, vnde dolerent, si omnia vnum essent, vt diuinus Hippocrates testatur, qui & alio in loco: Omne, inquit, quod ex multis conflatum est, inimicum est naturæ. multa enim sibi aduersantur, & tanquam bellum, ex quo pernicies, pariunt.* Romana etiam respubl. primum per reges inchoata creuit, nec vnquam maior, nec fœlicior fuit, quàm imperante Augusto, qui Ianum etiam clausit, qua tempestate Christus auctor pacis natus est. Plura super his doctissimus noster Adamus Conzen l. 1. Pol. c. 14. & disertissimus Pontanus progymn. 13. Par. 2. vol. 3.

DVM A PLVRIBVS SVSTINETVR, RVIT) firmiùs haud dubiè stetisset, si plures fuissent concordes, sicut concordia res paruæ crescunt, discordia maximè dilabuntur. A pluribus etiam imparibus, aliis prudentibus, probis, fortibus, iustis; alijs improbis, stolidis, imbellibus. vt si idem onus graue plures subeunt impares corpore, necesse est, vt omnes sub onere deficiant.

PROINDE IVRE MERITOQVE POP. ROM.) Ex hoc loco scriptores ætatem & tempora, quibus Curtium vixisse arbitrantur, coniectant. & est triplex auctorum sententia. Alij ad tempora Augusti referunt, qui Iulio Cæsari successit, adducuntque Virgilij versus ex 1. Georg. *Ille etiam extincto* & quæ sequuntur. Alij ad Claudij Cæsaris creationem. Alij denique ad

ad Vespasiani,de quibus copiosè in primo cap.prolusion.disputatum est.Nos ad Tiberium, ætatem Curtij retulimus.

PERDICCA VNICAM SPEM SALVTIS SVAE IN MELEAGRI MORTE DEPONEBAT) Quod Meleager antè Perdiccam ad necem vsque persecutus esset, hoc Perdicca alta mente reposuerat,omnesque vias talionem reddendi quærebat.Saluo enim Meleagro se saluum esse posse non credebat,quod & fides ipsius dubia esset,& ingenium inconstans,seditiosum,inquietum, rerumque nouandarum cupidum.Ergo reconciliatis inter se,vt videbatur,equitibus & peditibus, & Meleagro Aridæi regis rogatu Perdiccæ & Leonnato auctoritate & potentia & magistratu æquato,Perdicca huiusmodi viam & modum Meleagri perdendi inuenit.

CLAM QVOSDAM EX COPIIS QVIBVS PRAEERAT) ex copijs equestribus,quibus Perdicca præerat,quosdam ipse subornauit,qui palam quererentur,de Meleagro,Perdiccæ honore, gratia & potentia æquato, illum paullò antè prope fuisse è grege, Perdiccam è stirpe regia oriundum semper proximum apud Alexandrum locum tenuisse. Subornati ergò cum huiusmodi querelas palàm inter suos sparsissent,res ad aures Meleagri mox est perlata: Vnde ingens mox incendium natum.Meleager propè in rabiem actus,apud ipsum Perdiccam hostem querelas contra ipsius milites deposuit.Ille singulari vafritie perinde quasi rem indignissimam tun. primùm audiret,speciem non minus admirantis,dolentis,& indignantis quàm Meleager ipse præ se ferre, dicereque huiusmodi pestes exercitus & ignitabula, qui seditiones & discordias inter principes & milites excitarent,comprehendendos. Placuit simplici Meleagro consilium Perdiccæ, complexusque velut amantissimum salutis & vindicem honoris sui,etiam gratias agit, ignarus miser omnes h.s compedes in se fabricatas.

PLACET EXERCITVM PATRIO MORE LVSTRARI) etiam modum capiendi seditiosos Perdiccas minimè suspectum docet; quòdiam diu non esset lustratus exercitus,quod paullò antè discordia multa perturbasset,miscuisset,confudisset.omnia vera infelici Meleagro videbantur. laudat consilium,dies ei rei sacer destinatur.

DISCISSAE CANIS VISCERA) explicat Curtius morem antiquum regum Macedonum, in lustrando exercitu iam olim obseruatum.

Fiebat hoc mense Xanthico,qui apud nos est Aprilis,vt Suidas & alij docent. dies autem festus lustrationi designatus Xanthica dictus est, vt Hesychius testatur. Illustrat hunc Curtij locum Io. Meursius vir græcè latineque egregiè doctus in Græcia Feriata voce Xanthica his verbis:

ΞΑΝΘΙΚΑ, inquit, *Macedones celebrabant,eratque militum lustratio. Hesychius.* Ξανθικά, ἑορτὴ Μακεδόνων Ξανθικοῦ μηνὸς, ἡ Ξανθικοῦ ἀγομένη. ἐστι δὲ καθάρσιον τῶν στρατευμάτων. *Sed corruptus ille locus. Nam cur Xanthici mensis nomen bis commemorat? deinde, quonam mensis die actum festum? reijcio illud posterius* Ξανθικοῦ, *à librario oscitãte geminatum & restituo.* Ξανθικοῦ μηνὸς, ἡ ἀγομένη. *nẽpe ad diem* VIII. *Xanthici celebrari id festum solitum Hesychius scripserat. De lustratione militum, quod subiungit, tunc peracta; eam ita describit Liuius ab lib.* XL. V. C. *Fortè lustrandi exercitus venit tempus, cuius solenne est tale: Caput mediæ canis præcisa & prior pars ad dextram cum extis, posterior ad læuam viæ ponitur. inter hanc diuisam hostiam copiæ armatæ traducuntur. præferuntur primo agmini arma insignia omnium ab vltima origine Macedoniæ regum; deinde rex ipse cum liberis sequitur: proxima est regia cohors custodesq. corporu: postremum agmen Macedonum cætera multitudo claudit. Mos erat lustrationis sacro peracto, exercitum decurrere; & diuisas bifariam duas acies concurrere ad simulacrum pugnæ. Et mox in Demetrij oratione ad patrem Philippum: Quis dies? quo lustratus exercitus, quo inter diuisam victimam prælatis omnium qui vnquam fuêre Macedoniæ regum armis regijs, duo soli tua tegentes latera, pater, prauecti sumus, & secutum est Macedonum agmen. De ead. lustratione, sed non adeò plenè Curtius lib. x. Placet exercitum patrio more lustrari, & probabilis causa videbatur præterita discordia. Macedonum reges ita lustrare soliti erant milites, vt discissæ canis viscera vltimo in campo, in quem deduceretur, ab vtraq. abijcerentur parte. intra id spatium armati omnes starent: hinc equites, illinc phalanx.* Hæc Meursius. Cæterùm cum in historia Alexandri Græca, præsertim apud Plutarchum, sæpius Macedonum mensium habeatur mentio, vt suprà de Dæsio seu Iunio diximus, erit operæ hic omnium apud Macedonas mensium nomina subijcere. lib. 5. p. 214 & seq.

ΑΥΔΥΝΑΙΟΣ	Ianuar.
ΠΕΡΙΤΙΟΣ	Februar.
ΔΥΕΤΡΟΣ	Martius.
ΞΑΝΘΙΚΟΣ	April.
ΑΡΤΕΜΙΣΙΟΣ	Maius.
ΔΑΙΣΙΟΣ	Iunius.
ΠΑΝΕΜΟΣ	Iulius.

ΛΩΟΣ	Augustus.
ΓΟΡΠΙΑΙΟΣ	Septemb.
ΥΠΕΡΒΕΡΕΤΑΙΟΣ	Octob.
ΔΙΟΣ	Nouember
ΑΠΕΛΛΑΙΟΣ	December.

VLTIMO IN CAMPO) quomodo vltimo campo?campus admodum patebat, præsertim Babylonius,& aliàs etiam in Macedonia cum lustraretur exercitus, & decursiones fiebant, opus erat magno spatio. & quia exercitus totus collocandus erat intra metas viscerum discissæ canis, partes illæ præcisæ vtrinque in vltimis campi illius in quo lustrabatur exercitus, partibus ponebantur. vltimo ergo hîc pro extremis campi partibus accipitur.

EO DIE QVEM HVIC SACRO DESTINAVERANT) octauum Aprilis dicit, vt ex emendato Hesychij loco didicisti.

REX CONTRA PEDITES) iam hoc erat suspectum phalangi, quod rex contra morem cum equitatu contra pedites in campo staret. nam aliàs primum insignia gentis regumque omnium Macedoniæ primo equitum agmini præferebantur. deinde rex cum regia cohorte & custodibus corporis sequebatur. phalanx demum totum agmen & pompam claudebant. tum decursiones & simulacra belli fiebant.

AN IN VRBEM SVBDVCERENT COPIAS) animaduertit Meleager cum sua phalange non ludicram decursionem, sed seriam pugnam & prælium imminere. proinde ne ab equitatu in patenti campo circumuenirentur & opprimerentur, ad vrbem redeundum existimabant. Ne tamen secessu suo causam darent regi, equitibus, & Perdiccæ, deque illorum fide dubitasse viderentur, in campo perstitere, vim vi repulsuri, si quis quid contra illos moliretur.

DISCORDIAE AVCTORES. Q. T. I. D I. P. AD SVPPLICIA DEPOSCENS) acerbè hoc in Aridæum Perdiccæ obnoxium & precariò regnantem suorum mancipium seruorum, quos tueri debebat creatus ab illis in vito Perdicca rex, à quo hanc gratiam retulere.

IMPROVISO MALO) medios delapsi in hostes, quos amicos putabant.

IN MELEAGRO) æquè perculso tam inexpectato malo. quicquid autem timore mixtum est, consilio caret.

TVTISS. FORTVNAM EXPECTARE POTIVS QVAM MOVERE) ne Perdiccam iam antè furentem, omnino in rabiem agerent.

CCC. QVI MELEAGRVM) ad illa respicit cap. XI. *Hæc elocutus* (Meleager) *per medios armatos erupit. & qui viam abeunti dederant, pronunciantem prædam sequebantur. iamque globus* erat & quæ sequuntur.

BELVARVM PEDIBVS OBTRITI SVNT) immane & crudele Perdiccæ facinus & spectaculum. Sed malu- ipse malè postmodum perijt.

NEC PROHIBENTE PHILIPPO NEC AVCTORE) quia vmbra erat, & precariò, vt dixi, regnabat, satelles Perdiccæ potius quàm rex.

APPAREBATQVE ID MODO PRO SVO VENDICATVRVM QVOD APPROBASSET EVENTVS) incertum enim erat, quid phalanx commilitonum supplicijs irritata contra Perdiccam, adeoque ipsum regem Aridæum motura esset, nihil mouit amplius. Rex ergo Aridæus, (cuius regnum vita & fortuna ab huius tragici operis fine pendebat) ita regnum auspicatus est, auspicijs sanè infelicibus, regnauit tamen donec ab Olympiade circumueniretur.

HOC BELLORVM CIVILIVM MACED. ET OMEN ET PRINCIPIVM FVIT) quod nô ante finijt, quam omnes ordine tandem se mutuo conficientes perirent.

MELEAGER SERO INTELL. FR. PERDICCAE) omnium primus auctor primæ seditionis ex ducibus interijt Meleager.

CVM EIVS NOMINE Q. I. F. R. IN P. S. ABVTENTES) ita lege.

VIDERET INIMICOS) *rex nomine est qui sæpè, vim alter obtinet*, inquit Senarius apud Gruterum, qui ex Tacito subijcit: Tum Hiero pueritiam Tiridatis increpat: neque penes Arsacidem imperium: sed inane nomen apud imbellem externâ mollitia: vim in Abdagelis domo. Consulatur Plinius orat. ad Traian. cap. 88.

lib. 6. cap. 43. f.

IN TEMPLVM CONFVGIT) sed nihil sacrum aut religiosum impijs & hostibus. Sic Pyrrhus Priamum.

2. Aen.

——altaria ad ipsa trementem
Traxit & in medio lapsantem sanguine gnati
Implicuitq́, comam laua, dextraque coruscum
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit ensem.

Lib. 4. cap. 15.

Modestè & piè Alexander victoria in Tyrios vsus: *Alexander*, inquit Curtius, *exceptis qui in templa confugerant, omnes interfici, ignemque tectis inijci iussit.* De aris & asylis templorum, statuarum-

tumque copiosè Alexander Neapol. lib. 3. cap. 20. De confugijs Christianorum etiam Iurisconsulti. Alii tamen scriptores, Iustinus, Arrianus, Diodorus, Orosius negant interfectum, additque Diodorus Lydiæ prætorem factum. De hac seditione & lustratione, cæde seditiosorum breuiter Iustinus: *His itaque compositis Macedonia & Græcia Antipater præponitur. Regia pecunia custodia Cratero traditur. castrorum exercitus & rerum cura Meleagro, & Perdicca aßignatur, iubeturque Aridæus corpus Alexandri in Hammonis templum deducere. Tunc Perdicca infensus seditionis auctoribus, repente ignaro collega, lustrationem castrorum propter mortem regis in posterum edicit. Postquam armatum exercitum in campo constituit, consentientibus vniuersis, euocatos duntaxat de singulis manipulis seditiosos supplicio tradi occultè iubet.* lib. 13.

CAPVT XIII.

ARGVMENTVM.

Perdiccas, summa rerum Aridæo fratri Alexandri commissa, diuidit principibus copiarum prouincias.



Erdicca perducto in vrbem exercitu, concilium principum virorum habuit, in quo imperium ita diuidi placuit, vt rex quidem summam eius obtineret, satrapes Ptolemæus Aegypti & Africæ gentium, quæ in ditione erant. Laomedonti Syria cum Phœnice data est; Philota Cilicia destinata. Lyciam cum Pamphylia & maiore Phrygia obtinere iussus Antigonus. In Cariam Cassander, Menander in Lydiam missi. Phrygiam minorem Hellesponto adiunctam Leonnati prouinciam esse iusserunt. Cappadocia Eumeni cum Paphlagonia cessit, præceptum est, vt regionem eam vsque ad Trapezunta defenderet, bellum cum Arbate gereret: solus hic detrectabat imperium. Phiton Mediam, Lysimachus Thraciam, appositasque Thraciæ ponticas gentes obtinere iussi. Qui Indiæ, quique Bactris & Sogdianis, ceterisque aut oceani aut rubri maris accolis præerant, quibus quisque finibus habuisset, imperium obtineret, decretum est. Perdicca vt cum rege esset, copijsque præesset quæ regem sequebantur. Credidere quidam testamento Alexandri distributas esse prouincias. Sed famam eius rei (quanquam ab auctoribus tradita est) vanam fuisse comperimus. Et quidem suas quisque opes diuisis imperij partibus tuebantur, quas ipsi fundauerant, si vnquam aduersus immodicas cupiditates terminus staret. quippe paullo antè regis ministri specie imperij alieni procurandi, singuli ingentia inuaserant regna, sublatis certaminum causis, cùm & omnes eiusdem gentis essent, & à cæteris sui quisque imperij regione discreti. Sed difficile erat eo contentos esse, quod obtulerat occasio: quippe sordent prima, cùm maiora quæque sperantur. Itaque omnibus expeditius videbatur augere regna, quàm fuisset accipere.

De rebus post Alexandri mortem gestis scripsere Diodorus in XIIX. Dexippus & Arrianus apud Photium, Iustinus in XIII. extremo. extant & oracula Danielis, & quædam apud Machabæos ipso principio.

IMPERIVM ITA DIVIDI PLACVIT) seditiosis punitis Perdicca, consilio principum coacto, de summa rerum deliberauit, ita vt Aridæo summum in omnes prouincias & regna, ipsosque prætores esset & maneret. Regiones in principes, cui quisque præesset, diuisę: quam nos diuisionem in tabulis, vt omnia clarius pateant, spectandam proponemus, quas & Andreas Schottus in Photij sui tralatione composuit & proposuit, quibus nos alias quoque, à Schotto pręteritas adijciemus, ac principe loco nostri Curtij subijciemus, deinde Diodori Siculi, tum Dexippi, Arriani, Iustini, Orosij.

CVR-

CVRTIANA REGNORVM ET PROVINciarum designatio.

Rex		Summam Imperij.
Ptolemæus		Aegyptum & Africæ gentes, quæ in ditione erant.
Laomedon		Syriam cum Phœnice.
Philotas		Ciliciam.
Antigonus		Lyciam cum Pamphylia & maiore Phrygia.
Cassander		Cariam.
Menander	obtineret	Lydiam.
Leonnatus		Phrygiam minorem Hellespontoadiunctam.
Eumenes		Cappadociam cum Paphlagonia vsq; ad Trapezunta.
Pithon		Mediam.
Lysimachus		Thraciam, appositasque Thraciæ Ponticas gentes.
Perdiccas		Præfecturam copiarum, quæ regem sequebantur.

DIODORI SICVLI.

L.18.p.587. SIculus pauca in hæc verba præfatus: *Meleagro sibi duce creato Macedones cū armis in refragantes suis studijs procedunt. Cumq; & stipatores regij Babylonem egressi ad bellum se prepararent, gratiosissimi inter illos, vt concordiam resarcirent, vtrisq; persuaserunt. Nec mora: Arridæum Philippi F. inq; Philippi nomen adoptatum, regem, & Perdiccam, cui etiam rex moriens anulum tradiderat, regni procuratorem designant; & amicorum stipatorumq; primarias administrare prouincias, regiq; & Perdiccæ obedientiam præstare iubent. Ille rerum summam adeptus, consilio ducum aduocato,*

Arridæus Rex

Ptolemæo Lagi	In Asia	Aegyptum.
Pythoni		Mediam.
Eumeni		Paphlagoniam & Cappadociam & conterminas illis regiones.
Antigono	tradit	Pamphyliam Lyciamque, & quæ magna vocatur, Phrygiam.
Cassandro		Cariam.
Meleagro		Lydiam.
Leonnato		Phrygiam ad Hellespontum.

Hūc Curtius cæsū à Perdicca affirmat.

Lysimacho	In Europa	Thraciam cum finitimis ad Pontum gentibus.
Antipatro	tradit	Macedoniam cum vicinis populis.

Ducibus reliquis in Asia prætermissas prouincias.

Oxyartæ Socero Alex. M.	Indiam & Indis	Caucasum & Paropamisadas.
Siburtio	proxima	Arachosiam & Gedrosiam.
Sasanori Solio	tradit	Arianam & Dranginam.

Philippo prætori		Bactrianam & Sogdianam.
Phratapherni		Parthiam & Hyrcaniam.
Peucestæ		Persidem.
Tlepolemo		Carmaniam.
Atrapæ		Mediam.
Archoni	committit	Babyloniam.
Arcesilao		Mesopotamiam.
Seleuco		regium omnem equitatum, cui primum Hephæstio, dein Perdicca præfuerat.
Taxili & Poro		sua vtrique regna ab Alexandro reddita & aucta, relicta.

Perdiccam rex secum retinuit, & præfectum prætorio, copijsque qui regem sequebantur, præfecit.

DIVISIO PROVINCIARVM IMPERII ALEX. M. A PERDICCA *facta apud Arrianum.*

Photius lat. p. 85.

Cum prius ex pacto pedites inter equitesque

Antipater	Exercitus dux per Europam,
Craterus	Tutor regni Arridæi,

Per-

Perdiccas Tribunus militaris pro Hephæstione constituti fuissent.

Ptolemæus Lági F. imperare iussus Aegypto Libyæ & Arabiæ, quo ad hæc Aegypti fines attingit

Cleomenes	Imperare iussus	Loco Ptolemæi vicaria potestate.
Laomedon		Syriæ.
Philotas		Ciliciæ.
Pithon		Mediæ.
Eumenes dianus		Cappadociæ, Paphlagoniæ, & Euxino ponto finitimis, Trapezuntem vsque,
Antigonus		Pamphylijs, Lycijs, & Phrygiæ maiori.
Caſſander		Caribus.
Menander		Lydis.
Leonnatus		Phrygiæ, quæ eſt ad Helleſpontum.

Sic Aſia partita.

Lyſimachus	In Europa	Thraciæ, Chertoneſo, omnibusque Thracibus finitimis gentibus, ad Salmydeſſum Euxini-ponti.
atque		
Craterus	imperare iuſlus	Omnibus, quæ vltrà Thraciam ſunt locis, vſque ad Illyrios Triballos & Agrianos; ipſi quoque Macedooiæ, & Epiro ad Ceraunios vſque montes, & omnibus Græcis.

ALTERA PROVINCIARVM DIVISIO per Antipatrum.

Ex eodem Arriano hic p. 127.

Ptolemæus	accepit	Aegyptum, Lybiam, & vaſtam, quæ has vltrà eſt, regionem.
Laomedon Mitylenæus		Syriam.
Philoxenus		Ciliciam.
Amphimachus		Meſopotamiam & Arbelen,
Seleucus		Babylooiam.
Antigenes		Suſianam Satrapiam.
Peuceſtes		Perſida.
Tlepolemus		Carmaniam.
Pithon		Mediam vſque ad Caſpiàs portás.
Philippus		Parthyæorum regionem.
Staſander		Artiorum & Drangenorum prouinciam.
Staſanor Solieoſis		Bactrianen & Sogianen.
Sibyrtius		Arachotos.
Oxyartes Rhoxanes P.		Parapamiſadas.
Pithon Agenoris F.		Finitimos Parapamiſadibus.
Porus Indus		Quæ ad Indum fluuium ſunt, & Patala vrbem.
Taxiles Indus		Prouinciam ad Hydaſpen fluuium.
Nicanor		Cappadocas.
Antigonus		Phrygiam maiorem, Lycaonas, Pamphylios, Lycios, vt prius.
Aſander		Caryam.
Clitus		Lydiam.
Arridæus		Phrygiam ad Helleſpontum.
Antigenes		Collectionem vectigalium Suſianorum.

Anto-

Antolicus Agatholis F.	accepeunt regij corporis custodiam.	
Amyntas Alexandri F. idemque Peucestiæ frater.		
Ptolemæus Ptolemæi F.		
Alexander Polysperchontis F.		
Cassander Antipatri F.	accepit	Præturam equitum.
Antigonus		Imperium in Perdiccæ olim copias & regum præsidium.

DIVISIO IMPERII MACEDONICI PERDICCA distribuente.

Apud Dexippum sup. pag. 116.

Ptolemæo	In Asia obuenit	Aegyptus vniuersa, & Lybia, & quidquid vltra Aegyptum attingit.
Cleomeni		Ptolemæi vicarium præfectum agere.
Laomedonti Mityleoæo		Syria.
Philotæ		Cilicia.
Phitoni		Media.
Eumeni		Cappadocia, Paphlagonia, & quidquid ad Pontum Euxinum vergit Trapezuntem vsque.
Antigono		Pamphyli & Cilices vsque ad Phrygiam.
Asandro		Cares.
Menandro		Lydi.
Leonnato		Phrygia ad Hellespontum.
Lysimacho	In Europa obuenit	Thracia & Cherronesus.
Antipatro		Omnes Macedones, Græci, Illyrij, Triballi, Agrianes, & quæcunque in Epiro.
Cratero		Tutoris ac curatoris regij dignitas.
Perdiccæ		Chiliarchia Hephæstionis.
Poro	Apud Indos obuenerunt	Indum inter, & Hidaspen populi.
Taxilæ		Indi reliqui.
Pithoni alteri		Indorum finitimi, exceptis Parapamisadibus.
Oxyarti Bactrio Roxanes patri		Caucaseis subiecti montibus populi, Indis proximi.
Sibyrtio		Arachotiarque Gadrosij.
Stasanori Soliensi		Arei & Drangi.
Philippo		Sogdiani.
Rhadapherno		Hircania.
Neptolemo		Carmania.
Peucestæ		Persæ.
Oropio		Sogdianorum pars.
Seleuco		Babylonij.
Archelao		Mesopotamia.

MACEDONICARVM PROVINCIARVM partitio.

Apud Iustinum libro 13.

Accipiunt à Perdicca	Ptolemæus	Aegyptum & Africæ Arabiæque partem.
	Laomedon Mitylenæus	Syriam.
	Philotas cum filio	Ciliciam & Illyricos.
	Acropatos	Mediam maiorem.
	Alcetas Perdiccæ frater	Mediam minorem.
	Synus	Susianam gentem.
	Antigonus Philippi F.	Phrygiam maiorem.

Leat-

	Learchus	Lyciam & Pamphyliam.
	Cassander	Cariam.
	Menander	Lydiam.
	Leonnatus	Phrygiam minorem.
	Lysimachus	Thraciam & regiones Pontici maris.
Accipiunt à Perdicca	Eumenes	Cappadociam cum Paphlagonia.
	Seleucus Antiochi F.	Summum castrorum tribunatum.
	Cassander Antipatri F.	Præfecturā Stipatorū regis, Satellitumque.
	Taxiles	Res Indum inter & Hydaspen flu.
	Pithon Agenoris F.	Colonias in Indijs conditas.
	Parapomenus	Fines Caucasi montis.
	Axiarches	Dracas.
	Statanor	Argæos.
	Amyntas	Bactrianos.
	Scythæus	Sogdianos.
	Nicanor	Parthos.
	Philippus	Hyrcanos.
	Phratafernes	Armenios.
	Neoptolemus	Persas.
	Peucestes	Babylonios.
	Artous	Pelasgas.
	Archesilaus	Mesopotamiam.

Orosius suæ diuisioni præfatus, Macedoniam, inquit, duces *mortuo Alexandro diuersas sortiti prouincias, mutuis se bellis consumpserunt. quorum ego tumultuosissimum tempus ita mihi spectare videor, quasi aliqua immensa castra per noctem de specula montis aspectans, nihil in magni campi spatio præter innumeros socios cernam. Ita per totum Macedoniæ regnum, hoc est, per vniuersam Asiam & plurimam Europæ partem, Libyæq; vel maximam, horrendi subitò bellorum globi colluxerunt: qui cùm ea præcipuè loca, in quibus exarsere, populati sunt, reliqua omnia terrore rumoris, quasi fumi caligine turbauerunt. Sed nequaquam tantorum regum ac regnorum bella excediaq; explicabo, nisi prius ipsa cum regibus regna prodidero. Igitur Alexander per duodecim annos trementem sub se orbem ferro pressit. Principes verò eius 14. annis dilaniauerunt, & veluti opimam prædam, à magno leone prostratam auidi discerpsere catuli: seq; ipsos inuicem in rixam irritatos prædæ æmulatione fregerunt. Itaq; prima Ptolemæo Aegypti & Africæ Arabiæq; pars sorte prouenit. Confinem huic prouinciæ Syriam Laomedon Mitylinæus, Ciliciam Philotas, Philo Illyrios accipiunt. Media maiori Atropatus, minori socer Perdiccæ præponitur. Susiana gens Scyno, Phrygia maior Antigono Philippi filio assignatur. Lyciam & Pamphyliam Nearchus, Cariam Cassander, Lydiam Menander sortiuntur, Leonnatus minorem Phrygiam accipit. Thracia & regiones Pontici maris Lysimacho, Cappadocia cum Paphlagonia Eumeni data: summa castrorum Seleuco Antiochi filio cessit; stipatoribus regis satellitibusq; Cassander filius Antipatri præficitur. In Bactriana vlteriore & Indiæ regionibus præfecti, qui sub Alexandro esse cœperant, permanserunt. Seras inter duos amnes Hydaspen & Indum constitutos Taxiles habuit. In colonias in Indis conditas Pithon Agenoris filius mittitur. Parapamenos fines Caucasi montis Oxyartes accepit. Arachosij Gedrosijq; Siburtio decernuntur. Drangas & Areos Stasanor, Bactrianos Amyntas sortitur, Sogdianos Scythæus, Nicanor Parthos, Philippus Hyrcanos, Phratephernes Armenios, Tlepolemus Persas, Peucestes Babylonios, Archou Pelasgos, Arcelaus Mesopotamiam adepti sunt.* lib. 3. cap. vlt. v. 4.

Literæ sacræ primo Machab. nullum certum numerum exprimunt: *Et obtinuerunt pueri eius regnum, vnusquisq; in loco suo. & imposuerunt omnes sibi diademata post mortem eius, & filij eorum annis multis; & multiplicata sunt mala in terra.*

Sanctissimus autem vates Daniel in oraculis suis ait regnum regis Græcorum diuisum in quatuor regna. Cap. 8.

Idem eodem capite 8. clarius omnia: *Aries quem vidisti habere cornua rex Medorum est atque Persarum. porrò hircus caprarum, rex Græcorum est, cornu grande quod erat inter oculos eius ipse est rex primus. quod autem fracto illo surrexerunt quatuor pro eo; quatuor reges de gente eius consurgent, sed non in fortitudine eius.*

Quem locum D. Hieronymus, & ex illo N. Serarius, Cornelius de Lapide & alij recentiores, exponunt de præcipuis quatuor regibus & regnis Antigono Asiæ, Philippo seu Aridæo Macedoniæ, Seleuco Syriæ, Ptolemæo Aegypti. Hieronymus verò ex Iosepho hæc videtur transcripsisse, posito, pro Cassandro, Aridæo, cui successit Cassander, omisso Lysimacho. Lib. 12. c. 1.

CREDIDERE QVIDAM TESTAMENTO ALEXANDRI DISTRIB. ESSE PROVINCIAS) Vtrum viuus testamento signarit regnorum & prouinciarum successores, aut præsides Alexander, incertum est; quamuis Curtius illam famam omnino vanam fuisse existimet, auctoribus tamen vt ipse non inficiatur, testatam. Hoc interim certissimum est, à viuo adhuc prouincias certis ducibus assignatas, si qua fides, vt summa esse debet, sacris literis. Machabæorum caput

primum accipe. *Posthac decidit in lectum, & cognouit, quod moreretur. & vocauit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti à iuuentute, & diuisit illis regnum suum cùm adhuc viueret.* Ea dum adhuc viueret, inquiunt, diuisit illis regnum suum, si testamento distribuit, certè viuus testamentum fecit. Non ergo vana fuit omnino fama de testamento, quod illis viuus tradidit, vel publica voce suum cuique regnum, quod pro testamento erat, assignauit.

OPES TVEBANTVR QVAS IPSI FVNDAVERANT) vna cum Alexandro Asiam & Indiam bello subigentes.

SI VNQVAM ADV. IMMOD. CVPID. TERMINVS STARET.)

Cupiditati nil satis est, natura etiam satis est parum.
Regni praesertim cupido fas nefasq; proterit.

Theb.[1] Polynices in Thebaide

——— pro regno velim
Patriam, penates, coniugem, flammis dare.
Imperia quolibet precio constant bene.

Cap 47. Tacitus 12. Annal. *Illi cupido regni fratre & filia potior.*

ITAQVE EXPEDITIVS VIDEBATVR AVGERE REGNA QVAM ACCIPERE) Quantis opib. & copijs inter se ipsi Macedones & duces Macedonum pro imperijs & regnis concurrerint, nemo breuius & melius Orosio expoñit, qui sua pleraque omnia ex Iustino decerpsit. concludam ergo hoc caput & finiam bella omnia cum Orosio, cuius supremum ego libri tertij caput subijciam. Ergo post diuisionem prouinciarum. *Caussa,* inquit, *& origo bellorum epistola Alexandri regis fuit, qua iussit omnes exules patriae libertatiq; restitui. potentes enim ciuitatum Graeciae timentes ne exules recepta libertate vltionem meditarentur, à regno Macedonum defecerunt. Primi Athenienses, contracto XXX. M. exercitu & CC. nauibus, bellum cum Antipatro, cui Graecia sorte obuenerat, gerunt: per Demosthenem quoque oratorem, Sicyona, Argos & Corinthum, ceterasq; ciuitates sibi socias adiungunt, Antipatrum obsidione cingunt. Ibi dux eorum Leosthenes telo è muro iacto perfossus occiditur. Athenienses Leonnato, qui Antipatro auxilium ferebat, occurrunt, eiusq; copijs comminutis ipsum interficiunt. Perdicca verò bellum Ariarathi Cappadocum regi intulit, eumq; vicit, in qua victoria nihil praeter vulnera & pericula conquisiuit; nam omnes ante irruptionem vrbis suae, succensis domibus suis, se suaq; omnia concremauerant. Posthac bellum inter Antigonum & Perdiccam oritur grauissimum, multis prouincijs & insulis ob auxilia vel negata, vel praestita dilaceratis. Diu deliberatum vtrum in Macedoniam bellum transferretur, an in Asia gereretur. nouissimè ipse Perdicca Aegyptum cum ingenti exercitu petit. Sic Macedonia in duas partes discurrentibus ducibus, in sua viscera armatur. Ptolemaeus Aegypti viribus & Cyrenensibus copijs instructus occurrere bello Perdiccae parat. Inter haec Neoptolemus & Eumenes cruentissimo inter se praelio digladiati sunt. Victus Neoptolemus ad Antipatrum fugit: quem, vt Eumenem de improuiso opprimat, perurget: quod Eumenes futurum ratus insidiantes insidijs capit. In eo bello Polyperchon occiditur, Neoptolemus & Eumenes mutuis vulneribus confossi; sed Neoptolemus interijt, Eumenes, victor euasit. Perdicca cum Ptolemaeo acerbissimo bello congressus, amissis copijs, ipse quoque interfectus est. Eumenes, Pithon, & Illyrius, & Alceta frater Perdiccae à Macedonibus hostes pronunciantur, bellumq; aduersum eos Antigono decernitur. Itaque Eumenes & Antigonus collatis aduersum se maximis copijs confluxerunt: Eumenes victus in quoddam castellum munitissimum fugit; vnde auxilia Antipatri tunc potentissimi per legatos poposcit: quo nuncio territus Antigonus, ab obsidione discessit. Sed nec sic Eumeni spes firma aut salus certa. Quare vltimo consilio Argyraspidas, ob arma deargentata sic dictos, hoc est, milites qui sub Alexandro militauerant, in auxilium rogat. Qui fastidiosè ducem in disponendo bello audientes, ab Antigono victi, castrisq; priuati, & vxores, & liberos, simulque omnia quae sub Alexandro acquisiuerant, perdiderunt. qui postea turpiter per legatos reddi sibi quae perdiderant, victorem rogant. Antigonus autem se redditurum pollicetur si vinctum sibi Eumenem pertraherent. Ita illi spe recuperationis illecti, dedecorissima proditione suum ducem, cuius signa paulò antè secuti fuerant, captiui ipsi, captum catenatumq; duxerunt, & mox cum foedissima ignominia in exercitu Antigoni dispersi sunt. Interea Eurydice Arridaei regis Macedonum vxor, multa sub nomine viri egit nefaria per Cassandrum: quem flagitiose cognitum. ad summum fastigium per omnes honorum gradus prouexerat, qui ex libidine mulieris multas Graeciae ciuitates afflixit. Tunc Olympias mater Alexandri regis hortante Polyperchonte, cum ab Epiro in Macedoniam prosequente Aeacida rege Molossorum veniret, & ab Eurydice finibus prohiberetur, adnitentibus Macedonibus, Arridaeum regem & Euridicen iussit occidi: quanquam & ipsa Olympias continuo meritas crudelitatis poenas luit. Nam cum muliebri audacia multas principum caedes ageret, audito aduentu Cassandri, diffisa Macedonibus, Cum Roxane nuru sua & nepote Hercule, in vrbem Pydnam concedit: ibique continuò per Cassandrum capta, interfecta est. Filius Alexandri Magni cum matre in arcem Amphipolitanam custodiendus est missus. Perdicca, Alceta & Polyperchonte, ceterisq; ducibus, quos commemorare longum est, diuersa partis occisis, finita bella inter successores Alexandri videbantur. Tum Antigonus ardens cupiditate dominandi, liberandum bello Herculem regis filium ab obsidione simulat. His cognitis Ptolemaeus & Cassander, inita cum Lysimacho & Seleuco societate, bellum terra mariq; enixè instruunt. Antigonus in eo bello cum filio Demetrio vincitur. Cassander Ptolemaeo in victoria particeps factus, cum Apolloniam rediret, incidit in Abderitas: qui propter intoleranda multitudinis ranas & mures, relicto patrio solo & antiquis habitaculis emigrantes, nouas sedes pratenta interim pace requirebant*

Sed

Margin notes: pag. 191. sed alia edit. p. 99.

*Sed Cassander & virtutem, & multitudinem gentis agnoscens ne adacti necessitate Macedoniam bello quaterent, atq; inuaderent, receptos in societatem, in vltimis Macedoniæ finibus collocat. Inde cùm iam Hercules Alexandri filius, XIV. esset annorum, timens ne eum Macedones quasi legitimũ regni præoptarent, occidendũ tacitè cum matre curauit. Ptolemæus iterũ cum Demetrio nauali prælio conflixit, & cùm omnem penè classem atq; exercitũ perdidisset, victus in Aegyptum refugit. Hac victoria elatus Antigonus, regem se cum Demetrio filio appellari iubet: quod exemplũ omnes secuti, regiũ nomen sibi dignitatemq; sumpserunt. Igitur Ptolemæus, & Cassander, cæteriq; alterius factionis duces, cum decipi se ab Antigono singillatim viderent, per epistolas se inuicem confirmantes, coëundi in vnũ tempus locumq; condicunt: & bellũ aduersus Antigonum cõmunibus viribus instruunt. Cassander finitimorũ bellis implicitus, Lysimachũ clarissimum inter omnes ducem, cum ingenti manu pro se socijs in auxilium misit. Seleucus quoque ex Asia maiore descendens, nouus Antigono hostis accessit. Hic siquidem Seleucus plurima per Orientem inter socios regni Macedonici bella gessit. Principio Babyloniam bello expugnauit & cepit. Bactrianos nouis motibus assurgentes perdomuit. Transitum deinde in Indiam fecit: quæ post mortem Alexandri veluti detracto excussoq; à ceruicibus iugo præfectos eius occiderat, Sadrocotto quodam ad vindicandam libertatem duce, qui postea crudeliter in ciues agens, quos de externa dominatione defenderat, ipse seruitio premebat. Cum hoc ergo Sadrocotto Seleucus quamuis multa & grauia bella gessisset, nouissimè * firmitatu regni conditionibus & pacta pace discessit. Adunatis itaque copijs Ptolemæi sociorumq; eius, pugna committitur: cuius quanto potentior apparatus, tanto ruina grauior fuit. nam in ea tunc totius penè Macedonici regni vires ceciderunt. In ipso bello Antigonus occisus est: sed finis belli huius initium alterius fuit. Nam cùm victoribus de præda non conueniret, iterum in duas factiones diducuntur. Seleucus Demetrio, Ptolemæus Lysimacho iungitur. Cassandro defuncto, filius Philippus succedit. Sic quasi ex integro noua Macedoniæ bella nascuntur. Antipater Thessalonicen matrem suam Cassandri vxorem, quamuis miserabiliter pro vita precantem, manu sua transuerberauit. Alexander frater eius, dum bellum aduersus fratrem ob vltionem matris instruit, à Demetrio, cuius auxilium petierat, circumuentus occiditur. Lysimachus cùm Doricetu regis Thracum infestissimo bello vrgeretur, aduersus Demetrium pugnare non potuit. Demetrius augmento Græciæ & totius Macedoniæ elatus in Asiam transire disponit. Ptolemæus autem & Seleucus, & Lysimachus experti priore certamine, quanta vires essent concordiæ, iterum societate facta, adunatisq; exercitibus bellum in Europam transferunt, aduersus Demetrium. His se comitem & belli socium Pyrrhus rex Epiri iungit, sperans Demetrium Macedonia posse depelli, nec spes frustra fuit: quippe exercitu eius corrupto, ipsoq; in fugam acto, regnum Macedoniæ Pyrrhus inuasit. Deinde Lysimachus generum suum Antipatrum insidiantem sibi, interfecit, filiumq; suum Agathoclem vltra humanum morem perosus occidit. Quibus quidem diebus, Lysimachia ciuitas formidolosissimo terra motu euersa, oppressoq; populo suo crudele sepulchrum fuit. Lysimachum autem assiduis se parricidijs cruentantem omnes socij deseruerunt, & ad Seleucum deficientes, pronum iam regem æmulatione regni, vt bellum Lysimacho inferret, hortati sunt. Res fœdissimi spectaculi erat, duos reges, quorum Lysimachus annos natus LXXIV. Seleucus autem LXXVII. de eripiendis alterutrum regnis concurrere, in acie stare, arma gerere. Vltimum hoc quidem bellum Alexandri commilitonum fuit, sed quod ad exemplũ humanæ miseriæ fuerit reseruatum: quippe cum orbem terrarum extinctis iam XXXIV ducibus Alexandri, soli possiderent, & angustissimos senectutis, ac vitæ suæ terminos non aspicientes, angustiores esse imperio suo totius mundi terminos arbitrabantur. In eo bello Lysimachus, vel amissis, vel interfectis prius ante hanc pugnam XV. liberis, postremus occisus est. Sic Lysimachus solutio pugna Macedonica fuit. Sed ne Seleucus quidem tanta victoria impune lætatus est: namque neque ipse post LXXVII. annos quietem naturalis mortis inuenit, sed exortam sibi infeliciter vitam velut immatura morte finiuit, quippe insistente Ptolemæo, cuius sororem Lysimachus in matrimonio habuerat, insidijs circumuentus & occisus est. Hæc sunt inter parentes, filios, fratres, ac socios consanguinitatis societatisq; commercia. Tanti apud illos diuina atque humana religio pendebatur. Erubescant sanè de recordatione præteritorum, qui nunc interuentu solius fidei Christianæ, ac medio tantùm iurationis Sacramento viuere se cum hostibus, nec pati hostilia sciunt, quibus indubitatissimè probatur, quia non sicut illi antea cæsa iungebant fœdera porca, sed quia nunc inter barbaros ac Romanos creatorem ac dominum suum contestantes, tantam fidem adhibita in Sacramentum seruant Euangelia, quantam tunc nec inter parentes, ac filios potuit seruare natura. Nunc autem finis Macedonici belli, finis etiam libri fiat, præsertim cum iam abhinc Pyrrhi bella incipiunt, & mox Punica consequantur.*

* firmatis

Qui temen super his plura nosse cupit, adeat Diodorum Siculum lib.18. Iustinum 13.& seq. Arriani epitomen apud Photium p.81. Dexippus ab Arriano non dissentit. Multa etiam passim de eisdem Strabo, Pausanias, Plinius, Zonaras tom.1. alij.

CAPVT XIV.

ARGVMENTVM.

Proceres ſeptimo pòſt die quàm Alexander obierat, verſi ad curandum corpus Alexandri, reperiunt incorruptum, & tantùm non ſpirans, vt pollinctores vererentur manus admouere. pòſt purgatum & inunctum, aromatiſque repletum regio inſigni exornant, & in aureo ſolio, ſeu feretro collocant. Narratur quoque genus mortis, & quam vim habeat ſtygia aqua. Demum vt tota ſtirps Alexandri ſublata, corpusque in Ægyptum tranſlatum ſit.



Eptimus dies erat, ex quo corpus regis iacebat in ſolio, curis omnium ad formandum publicum ſtatum à tam ſolenni munere auerſis, & non alij quàm Meſopotamia regioni feruidior æſtus exiſtit, adeò vt pleraque animalia, quæ in nudo ſolo deprehendit, extinguat, tantus eſt vapor ſolis & cœli, quo cuncta velut igne torrentur. Fontes aquarum & rari ſunt, & incolentium fraude celantur. ipſis vſus patet, ignotus eſt aduenis. Vt tandem curare corpus exanimum amicis vacauit, nulla tabe, ne minimo quidem liuore corruptum videre, qui intrauerant. Vigor quoque, qui conſtat ex ſpiritu, non deſtituerat vultum. Itaque Aegyptij Chaldæique iuſſi corpus ſuo more curare, primò non ſunt auſi admouere velut ſpiranti manus. deinde precati, vt ius fasque eſſet mortalibus attrectare eum, purgauere corpus; repletumque eſt odoribus. Aureum ſolium, & capiti adiecta fortunæ eius inſignia. Veneno necatum eſſe credidêre plerique: filium Antipatri inter miniſtros, Iollam nomine, patris iuſſu dediſſe. Sæpè certè audita erat vox Alexandri, Antipatrum regium affectare faſtigium, maioremque eſſe præfecti opibus, ac titulo Spartanæ victoriæ inflatum, omnia à ſe data aſſerentem ſibi. Credebant etiam Craterum cum veterum militum manu ad interficiendum eum miſſum. Vim autem veneni, quod in Macedonia gignitur, talem eſſe conſtat, vt ferrum quoque exurat, vngula iumenti duntaxat patiens, ſtygem appellant fontem, ex quo peſtiferum virus emanat. Hoc per Caſſandrum allatum, traditumque fratri Iollæ, & ab eo ſupremæ regis potioni inditum. Hæc vtcunque ſunt tradita, eorum quos rumor aſperſerat, mox potentia extinxit. Regnum enim Macedoniæ Antipater, & Græciam quoque inuaſit. Soboles deinde excepit, interfectis omnibus quicunque Alexandrum etiam longinqua cognatione contigerant. Ceterùm corpus eius à Ptolemæo, cui Aegyptus ceſſerat, Memphim, & inde paucis pòſt annis Alexandriam tranſlatum eſt, omnisque memoriæ, ac nomini honos habetur.

SEPTIMVS DIES ERAT) Aelianus quem ſuprà teſtem adduxi, triginta diebus, inhumatum iacuiſſe narrat: ἀλλ' οὐ τόσγε, inquit, τριάκοντα ἡμέρας κατελείπετο ἀτηδής. Fieri poteſt, vt neuter fallat; nec enim Curtius affirmat poſt ſeptimum diem funus illius fuiſſe in Aegyptum auectum, quo deferri ſe præceperat viuus adhuc Alexander, ad Ammonis nempe fanum, ex quo ſe natum credi volebat. Et Iuſtinus docet, datum

Aridæo

Aridæo negotium, vt corpus eius ab eo ad Ammonis deportaretur: quod factum est nûnquam. Nam primò Memphim, dein Alexandriam à Ptolemæo est delatum.

IN SOLIO) aureo, vt mox sequitur; caput diademate veluti rex reuinctus.

CVRIS OMNIVM) caussam addit cur tam diu infletus & insepultus iacuerit; quamuis certè non ab omnibus infletus; vt suprà cognouisti.

ET NON ALIIS) sequitur ingens miraculum, inter mira primo loco prolusionum merito ponendum. In summo cœli ardore, summoque æstu, illa in terra, quæ propè nullam hiemem sentit, Babylone inquam, cadauer Alexandri incorruptum, illæsum, nec minimo quidem liuore contactum tot diebus perdurasse, & viuo propius quàm mortuo videretur. Ex quo Plutarchus ostendit, non fuisse veneno, quod corrumpit omnia, extinctum. vt suprà rem exposuimus.

MESOPOTAMIAE REGIONI) in qua Babylon, vbi feruida tela diei, vt Lucretius loquitur, etiam animalia in campo deprehensa feriunt & occidunt.

TANTVS EST VAPOR SOLIS ET COELI) ita suprà lib. 7. cap. 9. descripsit Susitana deserta: *Arenas*, inquit, *vapor æstiuus solis accendit, quæ vbi flagrare cœperunt, haud secus quàm continenti incendio cuncta torrentur.*

FONTES AQVARVM ET RARI SVNT, ET INCOL. FRAVDE CELANTVR.) Strabo in XVI. Mesopotamiæ partes ad meridiem vergentes, & à montibus remotas, siccas & steriles, Arabes Scenitæ incolunt. Et mox infrà ait; cisternas ibi ab incolis haberi, quas certè peregrini ignorant, vel aquis, inquit, apportatis vtuntur.

VT TANDEM CORPVS CVRARE) vt miraculum augeret, hæc de calida regione præmisit.

VIGOR) Nam aliàs spiritu & anima excedente è corpore, statim expallescit corpus, vultus horret, artus obrigescunt, incipitque mox putere, fœtere, tabescere, corrumpi.

ITAQVE AEGYPTII & CHALDAEI IVSSI CORPVS SVO MORE CVRARE.) Morem Aegyptiorum hunc purgandi cadauera, & odoribus imbuendi, exponit diserte Herodotus, cuius ex interprete verba subdo: *Luctus*, inquit, *eorundem ac sepulturæ tales sunt; Quibuscunque* p. 53. lib. 2. edit. in fol. *aliquis ex domesticis decessit, Homo alicuius momenti, ibi omnes fœminæ, illius familia, caput sibi & vultum oblinunt luto. deinde relicto domi cadauere, ipsæ per vrbem vagantes se plangunt, succinctæ, nudatis mamillis, & cum eis proximæ quæque. Altera ex parte viri, & ipsi expectorati se verberant. His actis ita demum ad condiendum portant. Sunt autem certi ad hoc ipsum constituti, qui hoc artificium factitant; qui cum ad ipsos cadauer portatum est, ostendunt ijs, qui portauerunt, exemplaria mortuorum lignea, pingendo assimilata. & eorum vnum accuratissimè fabrefactum esse aiunt, (cuius ego numen si nuncupauero, haud faciam sanctè) alterum illo inferius, ac vilioris pretij, tertium vilissimi. Quibus expositis sciscitantur ab ijs, ad quod exemplum velint effingi mortuum suum. illi vbi de pretio conuenerunt, illinc abeunt. At hi relicti in ædibus, hunc in modum diligentissimè condiunt corpus. Ante omnia incuruo ferro cerebrum per nares educunt, vt quamque partem educentes, ita locum eius medicamentis explentes. Dehinc acutissimo lapide Aethiopico circa ilia conscindunt, atque illac omnem aluum protrahunt: quam vbi repurgarunt, ac vino palmeo eluerunt, rursus odoribus contusis proluunt: tum aluum complentes contusa myrrha pura, & casia, & alijs (excepto thure) odoribus, iterum consuunt. Vbi hæc fecêre, saliunt nitro abditum septuaginta dies. nam diutius salire non licet. Exactis septuaginta diebus cadauer vbi abluerunt, sindone byssina totum incisis loris inuoluunt, gummi illinentes, quo Aegyptij glutinis loco plerunque vtuntur. eo deinde recepto, propinqui ligneam hominis effigiem faciunt, in qua mox inserunt mortuum, inclusumq; ita reponunt. Eos autem qui mediocria volunt, nimium fugientes sumptum, ita apparant: Clysterem vnguine, quod è cedro gignitur, complent, deinde ex hoc aluum mortui, ipsam neque scindentes, neque extrahentes, sed per secessum, prohenso via posterioris hiatu, infarciunt: & tot, quot dixi, diebus sale condiunt. quorum dierum vltimo cedrinum vnguen, quod priùs ingesserant, ex aluo egerunt, quod tantam habet vim, vt vnà secum aluum atque intestina tabefacta educat. nitrum autem carnes tabefacit, mortuiq; tantum cutis & ossa relinquuntur. Vbi ista fecêre, ex quo sic tradidêre mortuum, nihil amplius negotij suscipiunt. Tertia conditura hæc est, quæ adornantur eorum mortui, qui tenuioris sunt fortunæ, ablutionibus ventrem abstergunt, arefaciuntq; sale septuaginta per dies; deinde tradunt reportandum.*

Scripsit & Lucianus de hoc more περὶ πένθους de luctu, *Nam, Græcus*, inquit, *exurit, Persa defodit, Indus adipe suillo oblinit, Scytha deuorat, Aegyptius muria condit. Atque hic quidem (rem à me visam narro) desiccatum cadauer conuiuam & compotorem adhibet.* Vsi sunt veteres in condiendis corporibus mortuorum sale, nitro, cedro, asphalto, melle, cera, myrrha, balsamo, gypso, calce. Caput octauum Ioannis Kirchemanni lib. primo de funeribus Rom. consule. Alexandrum quoque Neapolit. lib. 3. cap. 7. & ad eundem auctorem Tiraquellum. Gretserum de funebri Christianorum ritu.

VT IVS FAS ESSET MORTALIBVS ATTRECTARE EVM) quid si legas *Deum* pro eum. comparat enim quodammodo hic mortales cum dijs, & se mortales, Alexandrum immortalem, quod corpus eius nec contabuisset, nec vlla labe tot diebus asperfum appareret, & viuus ipse pro Deo se gerebat, & corpus etiam viuentis gratissimum spargebat odorem, & mortui viuo simi- lius videbatur.

VENENO NECATVM) an veneno perierit suprà cap. 7. copiosè disputatum est nobis, vbi ex Plutarcho docuimus, visum naturali morbo, vel potius per ebrietatem extinctum.

FILIVM ANTIPATRI) Aristoteles vt suprà ex Plutarcho docui, auctor fuisse traditur Antipatro, vt Alexandro per Iollam filium Antipatri & pocillatorem Alexandri, venenum per Cassandrum missum misceretur.

ANTIPATRVM REGIVM AFFECTARE FASTIGIVM) testatur idem Plutarchus: *Caterum animo ipse anxio atque erga deos diffidenti iam euasit, aduersus amicos verò suspicioso. Antipatrum* p. 601. de vita Alex. *inprimis formidabat eiusq. filios, ex quibus Iolas princeps pincerna erat, Cassander nuper aduenerat. Qui cùm barbaros venerabundos illum salutantes conspexisset, vtr in libertate enutritus Graca, atque huiuscemodi spectaculi hactenus insolens, in cachinnum est effusus. Ea re exarsitta Alexander, vt arreptum crinibus caput eius ambabus manibus vehementer contuderit ad parietem. Aliàs respondere Antipatri accusatoribus aliquid parantem interpellans Cassandrum: Quid ais, inquit, tam longa via homines nil lasos tantùm ad calumniandum venisse? Quum respondisset Cassander, esse id ipsum calumnia indicium, quod procul probationibus venissent: cachinnans Alexander, Hac illa, inquit, commenta Aristotelis sunt, in vtramque partem dicendi: pœnam luetis si paruum eos conuincemini lasisse. Breui ingentem terrorem atque Cassandri animum subisse & pertinaciter insedisse, vsque adeò, vt insecutis temporibus regnū Macedonia obtinens & Gracia potens, quum Delphis inambularet, contemplareturq. statuas, simulachro conspecto Alexandri, subito horrore toto contremuerit corpore, & ad illius imaginis conspectum astuans,* lib. 6. cap. 1. *agrè colligeret se.* Et Curtius ipse de Spartana victoria suprà: *Quippe Alexander hostes vinci voluerat: Antipatrum vicisse, ne tacitus quidem indignabatur.* ad quem locum plura cognosces. Et lib. 4. cap. 4. *Agis Lacedamoniorum rex octo millibus Gracorum, qui ex Cilicia profugi domos repetierant contractis, bellum Antipatro Macedonia prafecto moliebatur. Cretenses has aut illas partes secuti, nunc Spartanorum, nunc Macedonum prasidijs occupabantur. Sed leuiora inter illos fuere discrimina: vnum certamen, ex quo certa pendebant, intuente fortuna.*

* p. 583. Plura Arrianus in septimo, p. 167. p. Diodorus * de Antipatro iam ab Alexandro alieno: *Per filium igitur suum, qui regi à cyathis erat, mortifero regem pharmaco potionasse. Sed quia summa eius in Europa post Alexandri obitum fuit potentia, & Cassander in regno successit, plerosque scriptores, veneni mentionem in monimentis suis facere non fuisse ausos. cùm tamen ex factis constet, Cassandrum rebus Alexandri maximè fuisse inimicum: quod & Olympiadem post cadem insepultam abiecerit, & Thebas,* p. 1:9. sed edit. Glar. p. 123. *ab illo funditus euersas, magno studio & opere instaurarit.* Iustinus: *Auctor insidiarum Antipater fuit, qui cùm clarissimos amicos eius interfectos videret, Alexandrum generum suum Lyncistarum occisum, se magnis rebus in Gracia gestis, non tam gratum apud regem, quàm inuidiosum esse à matre quoque eius Olympiade varijs se criminationibus vexatum: huc accedebant ante paucos dies supplicia in prafectos deuictarum nationum crudeliter habita: ex quibus rebus se quoque à Macedonia non ad societatem militia, sed ad pœnam euocatum arbitrabatur. Igitur ad occupandum regem, Cassandrum filium dato veneno subornat, qui cum fratribus Philippo & Iolla ministrare regi solebat: cuius veneni tanta vis fuit, vt non are, non ferro, non testa contineretur, nec aliter ferri, nisi in vngula equi potuerit: pramonito filio ne alijs quàm Thessalo & fratribus crederet. hac igitur ex causa, apud Thessalum paratum repetitumq. conuiuium est. Philippus & Iollas pragustare potum regis soliti, in aqua frigida venenum habuerunt, quam pragustatam iam potioni supermiserunt.*

CREDEBANT ETIAM CRATERVM) missus certè Craterus est in Macedoniam, vt Anti- p. 153. patrum euocaret: Arrianus, *Ita tandem salutatos omnes, lacrymans lacrymantes etiam ipsos dimisit, Craterumq. eos ducere, deinde Macedonia, Thracia. & Thessalia, ac libertati Gracorum praesse iubet. Antipatrum verò iuuenum, qui dimissi essent locum, alios Macedones atate ac viribus florentes adducere iubet. Polyperchontem etiam cum Cratero misit, qui secundus à Cratero dux esset, ne si quid humanitus Cratero in itinere accideret (quippe qui cùm mitteretur corpore erat parum firmo) ducem itineris desiderarent.* Plura ibidem idem Arrianus, maximè de Olympiade & Antipatro, iuratis inter se hostibus.

p. 272. f. & seq. VIM AVTEM VENENI.) Nemo Pausaniâ accuratiùs hunc stygis fontem describit; *Fuit,* inquit in Arcadicis, *olim Nonacris Arcadum opidulum, cui nomen Lycaonis filia dederat. sola atate nostra ruina extant, & ea quidem magna etiam ex parte obruta. Ab ijs ruinis non longè crepido montis tam altè se attollit, vt locum nusquam viderim celsiorem. Ex ea, aqua stillatim defluit, quam stygis aquam Graci nuncupant.*

Aqua sanè illa, qua ex prarupta rupe ad Nonacrin guttatim in pracelsum saxum cadit, inde permeato saxo in Crathin fluuium delabitur. mortifera illa quidem est cum homini, tum cuiuis alij animantium generi; nam & capella sapius eius aqua potu extincta sunt; quod tamen ex interuallo temporis

cognitem

cognitum est. accedit & aliud eius aqua miraculum. Vasa & pocula omnia, siue vitrea, siue cristallina, siue myrrhina, seu è lapide, aut testa sint fictili, aqua illius vi franguntur. quin etiam cornea & ossea vasa, ferrum item, æs, plumbum, stannum, argentum, & electrum ea aqua infusa soluuntur. Ipsum quoque aurum, quod neque situ, neque rubigine vitiari, & Lesbia poëtria testatur, & res ipsa indicio est, aqua tamen huius virus non sustinet. At enim vilioribus & abiectioribus plerunque rebus vim eam Deus indidit, vt ea superarent, quæ maxima essent inter homines æstimationis. nam & aceto vniones resoluuntur, & Adamantem lapidum omnium aduersus quemlibet ictum pernicacissimum, hirci sanguis tabefacit. Consimili modo stygis aqua vngulam equi superare non potest. hac enim sola ita continetur, vt vasculum non findat. Fueritne hoc veneni genere enectus Alexander Philippi filius, pro comperto non habeo: memoria certè proditum scio.

Idem vno versu Iustinus, quem iam suprà posui. Strabo in Arcadia lib. 8. extremo: Propter Peneum est etiam ea, quæ stygis dicitur aqua, stillicidium aquæ perniciosæ, quam sacram habent. Plinius lib. 2. cap. 103. *Iuxta Nonacrim Arcadiæ Styx, nec odore differens, nec colore, epota illico necat.* Et lib. 30. cap. 16 *Vngulas tantum mularum apertas, neque aliam vllam materiam, quæ non perroderetur à veneno stygis aqua, cùm id dandum Alexandro M. Antipater mitteret, memoria dignum est, magna Aristotelis infamia excogitatum.* Plutarchus asini vngulam vocat. & in Alex. ὄνου χηλήν. Plinius ἡμιόνου pro ὄνου legit. Aelianus in cornu Asini Scythici seruatum ait, & à Sopatro, Alexandro M. allatum, ab eoque Delphis Pythio cum hoc epigrammate consecratum: lib. 10. de animal. ca. 40.

Σοὶ τόδ' Ἀλέξανδρος Μακεδὼν κέρας ἄνθετο Παιὰν
Κάνθωνος Σκυθικοῦ* κτῆμα τὸ δαιμόνιον. * σχῆμα.
ὃ Στυγὸς ἀχράντου* λυσσηδὸς οὐκ ἐδαμάσθη *λυσσιάδος
ῥεύμαλ, βαστάζει δ' ὕδατος ἠνορέην. * λυθηριάδος * λυσσηδος

Hoc tibi Alexander Macedo mirabile cornu
Dedicat, ô Pæan, ex asino Scythico
Illæsum quod aquam stygis est pote claudere solum,
Inuictamq́; aliàs vincere vim laticis.

Némo quod meminerim præter Curtium notauit Aquam stygiam in Macedonia existere.

Non subijciam hic quæ noster Andreas Schottus nobilissimus scriptor, in parallelis doctè annotauit de hoc veneno, à nobis iam pleraque prælibata, sed ille plenius omnia, quem videbis. pag. 129. pt.

REGNVM ENIM MACEDONIAE ANTIPATER ET GRAECIAM QVOQVE INVASIT) Iustinus Antipatrum mortuo Alexandro consilio publico procerum per Aridæum & Perdiccam Macedoniæ præpositum affirmat in XIII. Dexippus Macedonibus, Græcis, Illyrijs, Triballis præfectum ait. Orosius: *Antipatro, cui Gracia sorte obtigerat.* Diodorus Siculus: *Macedonia, inquit, cum vicinis populis Antipatro attribuitur.* Pausanias etiam testatur commissam Antipatro imperij administrationem, in Macedonia nempe & Græcia, Non inuasit ergo Græciam Antipater, sed Græci, & inter hos primi Athenienses ipsi bellum mouerūt. Pausaniam adi, p. 20.

Testis horum etiam Iustinus lib. 13. p. 137. & ex illo Orosius, plura de eodem argumento Diodorus in XVII.

SOBOLES DEINDE EXCEPIT) Cassander Antipatri filius successit quidem patri, sed non ex testamento vel decreto patris, nec statim à patris morte. Aridæus enim sex annis auctore Iustino & Diodoro, qui sex menses addit, regnum Macedoniæ post Alexandri mortem obtinuit, nec Cassander curator regū, nec supremus Macedoniæ dux institutus fuit. Sed Polyperchon seu Polysperchon vt à * Siculo appellatur. Polysperchon vbi Cassandri conatus animaduertit, vt Macedones in potestate haberet, Olympiadem Alexandri matrem ex Epiro, quo confugerat, reuocat, quæ impotenter abusa imperio in Cassandri stirpem & priuignum Aridæum eiusque Euridicen vxorem desæuit, omniumque animos ab se abalienauit, quod Diodorus testatur, p. 659. l. 19. p. 625.

Hoc cùm Cassander cognouisset, cum ingenti exercitu in Macedoniam properauit: quem Olympias fugiens cum magno fœminarum agmine Pydnam se contulit: Occupata Cassander Macedonia pulso Polyperchonte Olympiadem etiam ad deditionem coegit.

INTERFECTIS OMNIBVS QVIC. ALEX ETIAM LONG. COGN. ATTIGERANT.) Cùm Alexander Babylone extinctus esset, reliquit imprimis superstites matrem Olympiadem, sororem Cleopatram, Alex. Epirotæ olim coniugem, Herculem ex Barsine, Alexandrum postea natum ex Roxane, Thessalonicen Philippi Amyntæ filiam Alexandri ex Phil ppo sororem: Iunus Aridæi filiam affirmat. Aridæum fratrem, & qui in Macedonia post Alexandrum regnauit; Euridicen vxorem Aridæi, nouem omninò corpora. Quomodo singuli exhi perierint expono: Atque de nece Aridæi & Eurydices, quos quidem Olympias interfecit, Diodorus narrat. Nunc de Olympiade quo fato perierit cognoscamus. Cùm Cassander Pydnam arctâ obsidione ita premeret, vt obsessi cum Olympiade fame propè conficerentur, ipsa se victoris arbitrio permisit. qui fugam ei suasit; recusantem & causam apud Macedonas dicere parentem interfecit, veritus ne flecteret Macedones. Nam ita Diodorus: *Olympias igitur de rebus suis* pag. 693.

 despe-

desperans, legationem de pacificatione ad Cassandrum mittit. Cumq; arbitrio victoris se permittendam censuisset, agrè obtinuit, vt corporis tantummodo incolumitatem haberet exemptam. Hac vrbe potitus Cassander, qui Pellam & Amphipolim quoque reciperent, misit. Monimus ergo qui Pellam tenebat, statu Olympiadis cognito, vrbem dedidit. Aristonous verò regiam tutari causam initio statuerat. Cùm & multos in armis haberet, & nuper felicem habuisset successum. paucis enim diebus antè acie cum Cratena duce Cassandri collata, plurimos hostes ceciderat, ipsumq; Crateuam, cum duobus millibus in Bisaltia vrbem Bedym fuga elapsum, copijs eo translatis obsederat, & expugnatum, armisq; exutum, data acceptaq; fide dimiserat. His rebus elatus dum Eumenem quoque superesse arbitratur, Alexandriq; & Polyspercbontis auxilia sibi non defutura sperat, Amphipolim se traditurum negat. Simulac verò per literas Olympias fidem ab eo datam reposcens vrbem restituere iussit, imperatis obsequendum arbitratus, & vrbem tradidit, & incolumitatis fidem accepit. Sed Cassander in magna illum dignatione ob honores ab Alexandro tributos esse videns, cum aliàs è medio tollere, quicunque noui quippiam moliri possent, maturaret; propinquorum Crateuæ opera hunc etiam interfecit. tum consanguineos ab Olympiade sublatorum instigauit, vt in omnium Macedonum conuentu mulierem accusarent. Hi mandatis conficiendis operam nauant sedulam, ac licet neque adesset, neque qui causam pro se agerent, haberet: Macedones tamen capite multandam decernunt. Ibi missu ad Olympiadem quibusdam amicorum, vt clam se subduceat, consulit, se nauim ad hoc parata Athenas deportaturum illam pollicitus. Id verò non ideò factum, vt saluti eius consuleret, sed vt fuga se dignam professa, si inter nauigandum perijsset, iustam incurrisse vltionem putaretur nam & dignitatem eius, & inconstantiam Macedonum reformidabat. Olympias contrà fugituram se negauit, & ad dicendam apud omnes Macedonas causam esse paratam respondit. Metuens igitur Cassander ne si vulgus reginæ defensionem audiret, & Alexandri Philippiq; in totam gentem merita recordaretur, animos mutaret: ducentos milites rei maximè accommodatos ad illam mittit, absque mora necem mulieri afferre iussos: qui subitò in regiam domum irruptione facta, vbi Olympias in conspectum venit, maiestatem eius reueriti, negotio infecto pedem retulêre. At occisorum propinqui, vt & gratiam apud Cassandrum inirent, & necem suorum vlciscerentur, reginam iugularunt, quæ tamen nihil ignaua muliebrisq; precis emisit. Ad hunc ergo modum Olympias, quæ maximam inter suæ ætatis fœminas dignitatem obtinuerat, & Neoptolemi regis Epirotarum filia; Alexandri, qui expeditionem in Italiam suscepit, soror; Philippi, qui potentia cunctos ante se Europæ principes vicit, vxor; Alexandri denique, quo nemo plures maioresve res gessit, mater fuerat, vitam suam finiuit. Cassander ergo dum ex animi sententia negotium procedit, spe regnum Macedoniæ complectitur. Ideò Thessalonicen Philippi filiam, & Alexandri ex eodem patre sororem, in matrimonium ducit, affinem se ac necessarium regiæ familiæ ostentare properans.

In fine libri 14.

Audiamus etiam Iustinum paululum à Diodoro discedentem: *Hæc cùm nunciata Cassandro essent, statim citato cursu Pydnam venit, & vrbem obsidione cinxit. Cum fame ferroq; vrgeretur Olympias, longæ obsidionis tædio, pacta salute, victori se tradidit. Sed cùm Cassander ad concionem vocato populo sciscitatus, quid de Olympiade fieri vellent, subornat parentes interfectorum, qui sumpta lugubri veste, crudelitatem mulieris accusarent; à quibus accensi Macedones, sine respectu pristinæ maiestatis, occidendam decernunt: immemores prorsus, quòd per filium eius, virumq;, non solum vitam ipsi inter finitimos tutam habuissent, verùm etiam tantas opes imperiumq; orbis quæsissent. Sed Olympias vbi obstinatos venire ad se armatos vidit, veste regali, duabus ancillis innixa, vltro obuiam procedit. Qua visa, percussores attoniti fortuna maiestatis prioris, & tot in eam memoria occurrentibus regum suorum nominibus, substiterunt, donec à Cassandro missi sunt, qui eam confoderent, non refugientem gladium, nec vulnera, aut muliebriter vociferantem: sed virorum more fortium, pro gloria veteris prosapiæ, morti succumbentem, vt Alexandrum posses etiam moriente matre conspicere. Insuper exspirans, capillis & veste crura contexisse fertur, ne quid posset in corpore eius indecorum videri.* Hæc Iustinus. Merita est Olympias vt malè periret, fœmina feræ propior quam homini; quoties per literas instigauit Alexandrum filium ad cædem eorum quos oderat? vt Alexander etiam matri rescripserit, illam nimis magnum pretium propter decem mensium hospitium exigere: fortium nempe virorum cædem & funera, quot illa Macedones dum interfecto Aridæo regnaret, interfecit. Omnes feras immanitate longè superauit Olympias, testem accipe *Pausaniam: *Postea verò, inquit, Alexandro Neoptolemi filio in Lucania extincto, Antipatri metu in Epirum reuersam Olympiadem Aeacides Arybbæ filius cùm alijs est officijs prosecutus, tum verò eam suis copijs iuuit ad bellum cum Aridæo & Macedonibus gerendum, atque id inuitis etiam ac sequi recusantibus Epirotis. Olympias victoriam adepta, multa in morte Aridæo inferenda, pluraq; ac magis nefaria, dum Macedonas insectatur, immanitatis exempla edidit. quo minùs cuiquam mirum fuit, eam paulò pòst graues quidem, sed meritas sceleris & crudelitatis suæ Cassandro pœnas dedisse. Eius certè inuidia Aeacidæ, quo minus statim ab initio in regnum ab Epirotis reciperetur, maximè obfuit.*

Hoc præclarè. Sic antè Lucretia cecidit, sic Iulius Cæsar in Curia.

*pag 9.

pag. 205.

Et in Arcadicis: *Philippo interempto rege & marito Olympiadis, paruulum eius filium, quem ille ex Cleopatra, cui pater fuerat Attali frater, susceperat, vnà cum matre in aeneo vase ignibus circumdatis cruciatum Olympias cremauit.* En alteram Medeam, imò atrociorem, quæ innocentem regium pue-

puerum feruenti coxit aheno. Eadem paucis post annis Aridæum etiam de medio sustulit. Habes de Olympiade cum Aridæo & Euridice. Libet etiam effigiem ex antiquis monumentis subijcere.

OLYMPIAS ALEXANDRI MATER.



Diodorus. *Animum quidem Cassander induxerat, Alexandri filium, Roxaneq́; matrem eius interficere, ne quisquam successor in regno superesset. At cum in præsentia, qui vulgi sermones essent de cæde Olympiadis aduertendum statueret, nec dum aliquid de rebus Antigoni exploratum haberet, Rhoxanen cum puero in arcem Amphipolis translatum custodiæ tradit. cui Glauciam, ex illis quibus fidem haberet, vnum præfecit. pueros etiam ad eundem conuictum adhiberi solitos auulsit, cultumq́; vitæ non amplius regium, sed ad cuiusuis priuati conditionem restrictum esse iussit.* p.695.

Et infrà de vtriusque nece: *Cassander equidem cùm Alexandrum Rhoxanes adolesceret videre, & sermones per Macedoniam à quibusdam spargerentur, decere, vt puero, è custodia producto, regnum paternum traderetur, sibi ipsi metuens, Glauciæ custodiæ præfecto imperauit, vt Rhoxanen obtruncaret cum rege, & cadaueribus occultatis, factum nemini mortalium enunciaret.* p.739.

Habes de Rhoxane & Alexandro F. de Barsine & Hercule. restant Cleopatra & Thessalonice. hanc Antipater Cassandri F. Antipatri nepos, matrem inquam suam impius matricida trucidauit. *Post Cassandri regis*, inquit Iustinus, *filijq́; eius Philippi continuas mortes, Thessalonice regina, vxor Cassandri, non magno post tempore ab Antipatro filio, cùm vitam etiam per vbera materna deprecaretur, occiditur. Causa parricidij fuit, quod post mortem mariti in diuisione inter fratres regni, propensior fuisse Alexandro videbatur. Quod facinus eo grauius omnibus visum est, quod nullum maternæ fraudis vestigiũ fuit. Quamquã in parricidio nulla satis iusta causa ad sceleris patrocinia prætexi potest.* l.16 initio ipso p.130.

Et Pausanias in Bœoticis: *Restituisse verò Thebas Cassandrum crediderim Alexandri maximè odio. eius enim domum totam funditus euertere contendit. nam & Olympiadem Alexandri matrem ijs Macedonum, qui in eam acerrimis flagrabant odijs, lapidibus obruendam tradidit: & Alexandri filios, Herculem ex Barsine, Alexandrum ex Rhoxane susceptos, veneno peremit. Neque ipse tamen satis fortunatus è vita discessit. ex morbo enim aqua subter cutem fusa, viuens etiamnum erumpentibus vndique vermibus extabuit. Ex eius verò liberis Philippum natu maximum, regno iam inito, tabida corporis* p.243. ante m.

luee

lues sustulit. cui tùm successisset Antipater, Thessalonicen matrem interfecit. Philippo Amyntæ filio, & Nicasipolide genitam. Parricidij ea fuit causa, quod ea plus beneuolentiæ Alexandro, qui erat Antipatri liberorum minimus, impertiret.

Superest vltima stirpis Cleopatra ab Antigono cum Cassandro interfecta, vti Siculus denarrat: *Dum hæc geruntur, Cleopatra Antigono infensa, propensione sua ad Ptolemæum inclinauit, Sardibusq́, vt transportaretur ad ipsum, excessit. Erat hæc Alexandri Persarum debellatoris soror, Philippi Amyntæ nata, & Alexandri, qui expeditionem in Italiam susceperat, coniux. Ob generis ergo nobilitatem Cassander, & Lysimachus, Antigonus etiam & Ptolemæus, denique præstantissimus quisque ducum, post Alexandri obitum eius matrimonium ambiebat. Cùm enim Macedones coniugium hoc sectaturos vnusquisque speraret, familiam regiam, tanquam summum hac ratione imperium ad se translaturus, affectabat. Ad Sardium præfectus, cui attinendæ Cleopatræ mandatum dederat Antigonus, discessum eius inhibebat. Et principis deinde iussu muliercularum quarundam operâ dolosè illam necauit. Antigonus verò se necis auctorem diffamari nolens, quasdam ex mulierculis, quasi vitæ illius insidiatas, capite plexit, & funus regia munificentia curauit. Talem ergo Cleopatra, certatim à nobilissimis ambita ducibus ante nuptiarum conciliationem, vitæ exitum sortita est.*
p:774.f.

Itaque tota stirps Alexandri, partim ab ipsa Olympiade, partim Cassandro, partim deniq; ab Antigono funditus excisa interijt. Nec Cassandri genus perennauit. Reliquerat Antipater tres filios Cassandrũ, Iollam, Philippum. Cassander itidem tres, Philippũ, Alexandrum, & Antipatrum, qui oẽs post paucos annos, cum tota etiã familia, perierunt, vti cœlestis vindicta talionẽ parricidis & sicarijs per Demetriũ reddidisse videatur. Iustinũ audi hunc locũ ita concludentẽ: *Ob hæc igitur Alexander in vltionem maternæ necis, gesturus cum fratre bellum, auxilium à Demetrio petit, nec Demetrius spe inuadendi Macedonici regni moram fecit. Eius aduentũ verens Lysimachus, persuadet genero suo Antipatro, vt malit cum fratre in gratiam reuerti, quàm paternum hostem in Macedoniam admitti. Inchoatam igitur inter fratres reconciliationem cùm præsensisset Demetrius, per insidias Alexandrum interficit: occupatoq́ Macedoniæ regno, cædem apud exercitum excusaturus, in concionem vocat. Ibi priorem se petitum ab Alexandro allegat, nec fecisse se, sed occupasse insidias. Regem autem se Macedoniæ, vel ætatis experimentis, vel causis iustiorem esse. Patrem enim suum & Philippo regi, & Alexandro Magno socium in omni militia fuisse. Liberorum deinde Alexandri ministrum, & ad persequendos defectores ducem extitisse. Contrà Antipatrum auum horum adolescentum, amariorem semper ministrum regni, quàm ipsos reges fuisse. Cassandrum verò patrem extinctorem regiæ domus non fœminis, non pueris pepercisse, nec cessasse, quoad omnem stirpem regiæ sobolis deleret. Horum scelerum vltionem, quia nequisset ab ipso Alexandro exigere, ad liberos eius translatam. Quamobrem etiam Philippum Alexandrumq́, (si quis manium sensus est) non interfectores suos, ac stirpis suæ, sed vltores eorum, Macedoniæ regnum tenere malle. Per hæc mitigato populo, rex Macedoniæ appellatur. Lysimachus quoque cum bello Doricetis regis Thracum premeretur, ne eodẽ tempore, & aduersus Demetrium dimicare necesse haberet, tradita ei altera parte Macedoniæ, quæ Antipatro eius genero obuenerat, pacem cum eo fecit. Igitur Demetrius totis Macedoniæ viribus instructus, cùm Asiam occupare statuisset, iteratò Ptolemæus, Seleucus, & Lysimachus experti priore certamine quantæ vires concordiæ essent, pacta societate, adiunctisq́ exercitibus, bellum aduersus Demetrium transferunt in Europam. His comitem se & belli socium iungit Pyrrhus rex Epiri, sperans non difficilius Demetrium Macedoniam amittere posse, quàm acquisierat. nec spes frustrà fuit: quippe exercitu eius corrupto, ipsoq́ in fugam acto, regnũ Macedoniæ occuparat. Dum hæc aguntur, Lysimachus generum suum Antipatrum, regnum Macedoniæ ademptum sibi soceri fraude querentem interfecit, filiamq́ suam Euridicen, querelarum sociam in custodiam tradit, atque ita vniuersa Cassandri domus, Alexandro M. seu necis ipsius, seu stirpis extinctæ pœnas partim cæde, partim supplicio luit.*
p.156.lib. 16. vel edit. Glareani p.151.

CAETERVM CORPVS EIVS) Finit Curtius totam historiam cum corpore Alexandri, primum Memphim Aegypti, deinde Alexandriam translato, de qua re suprà quidem ex Aeliano retulimus; hic omnia pleniùs ex Diodoro explicabimus, & Alexandrum cum Curtio Alexandriæ relinquemus; nec enim hic vlerius est progressus. Cùm incredibili enim pompa comparatus ab Aridæo currus est, in quo collocatæ Alexandri exuuiæ corporis Alexandriam sunt deportatæ.

Ergo Olymp. CXIV. anno III. Philocle Athenis Archonte, Romæ Coss. C. Sulpitio & Q. Aulio, *Arrhidæus corporis Alexandri deportationi præfectus, curru quo regium cadauer transuehendum erat iam profecto, ad translationem eius se præparabat. Quia verò ita opus illud concinnatum erat, vt Alexandri maiestate dignum fuit, nec solùm magnificentia impensarum (multis enim talentis constat) alia longè superauit, verùm artificij quoque excellentia celeberrimum fuit; aliquid de eo literis commendare honestum iudicamus. Principio autem, cadaueri loculus malleo ductili ita fabricatus erat, vt probè quadraret, quem vsque ad medium aromatis, quæ & fragrantiam & durationem cadaueri præberent, referserant. Suprà capulum, aureum erat tegmen exactè adaptatum, quod summum circumquaque ambitum complecteretur. Suprà hoc circumiecta erat chlamys punicea, per quam decora, & auro variegata, iuxta quam arma defuncti posuerant, eo consilio, vt speciem illam totam rebus ab eo gestis accommodarent. Tum pilentum, quo suum transuehendum erat admouerunt: in cuius vertice aureus fornix,*
Siculus lib. 18.p.608.

squa-

squamam habens è lapillis nobilibus coagmentatam, 8. cubitûm latitudine & longitudine 12. extructus erat. Huic fastigio subiectum erat solium ex auro, figurâ quadratum: in quo Tragelaphorum capita expressa, iisq; aurei binorum palmorum circuli annexi, vnde corolla ad pompam concinnata varijs coloribus pulcerrimè tanquam flores renidebant. In summo fimbria exstabat reticularis, tintinabula eximiæ magnitudinis continens, vt ex longiore interuallo sonus ad propinquantium aures perferretur. Ad angulos testudinis fronticatæ in singulis lateribus victoria stabat tropæum gestans, peristylium, quod fornicem excipiebat, ex auro conflatum Ionica capitella habebat. Extra quod aureum rete crassitudine contextûs digitali, tabulas ex ordine 4. animalibus depictas & parietibus æquales præferebat. In prima erat currus torno elaboratus, & residens in hoc Alexander, sceptrumq; manu decorum tenens. circa regem satellitium erat armis instructum, hinc Macedonum, inde Persarum malisfororum: & ante hoc armigeri. In secunda, stipatores sequebantur elephantes, bellico ritu exornati, qui in fronte Indos, in tergo Macedones, armis consuetis indutos vehebant. In tertia visebantur equitum turmæ, qui conglomerationes acierum imitarentur. In quarta naues ad pugnam expeditæ stabant. ad testudinis ingressum aurei leones ad intrantes respectabant. Medium columnæ vniuscuiusque aureum obtinebat acanthus, paullatim ad capitella se vsque extendens. supra cameram, circa verticis medium aureus erat tapes subdialis, auream oleæ coronam habens magnitudinis eximiæ, quam sol radijs suis verberans, fulgidum tremulumq; efficiebat splendorem, vt fulguris ex interuallo speciem exhiberet. Sellæ testudini subiectæ axes duo suberant, quos circumuoluebantur Persicæ rotæ quatuor: quarum modioli radij inaurati erant. Pars autem terram allapsu contingens, ferrea: extrema axium prominentia, constabant ex auro, leonumq; facies hastam mordicus tenentes præferebant. Circa mediam verò longitudinem in medio fornice mechanica arte polus (cardo) adaptatus erat, vt per hunc testudo in successionibus & iniquitate locorum sine iactatione esse posset. Quatuor temones cum essent, vnicuique ordo iugorum quadruplex erat adiunctus, quaternis mulis iugo alligatis, ita vt omnium mulorum numerus esset LXIV. robore ac proceritate corporis selectissimorum. Quisque horum corona deaurata redimitus erat, & vtrique maxillæ tintinabula ex auro. & monilia gemmis constipata, collis appensa erant. Huiusmodi apparatum currus habebat: qui aspectu magnificentior quàm famâ, celebritate vbique peruulgata multos atterahebat spectatores. Nam populus ex vrbibus ad quas identidem peruentum esset, cateruatim occurrit, & rursum funus deducens spectandi voluptate exsaturari non potuit. vtque consentaneum erat, tantæ magnificentiæ, ingens opificum, & aliorum qui vias aperirent, & pompam deducerent, multitudo comitabatur. Atque sic Arridæus biennio in operis structura consumto, corpus regis è Babylone in Aegyptum deportauit, vbi Ptolemæus in honorem regis, cum exercitu ad Syriam vsque obuiam processit & acceptum corpus maxima cura prosecutus est. Illud enim in præsenti ad Hammonem non transuehere, sed in condita ab illo vrbe omnium ferè per totum orbem clarissima, deponere secum constituerat. Quapropter delubrum, tum magnitudine, tum structura, maiestate & gloria Alexandri dignum illi fecit: in quo exequiarum iustis & sacrificijs heroicis, Indisq; magnificentissimis sepultum veneratus non ab hominibus tantum, sed dijs etiam remunerationem præclaram accepit. Homines enim liberalitate ac animi magnitudine Ptolemæi inuitati, vndique Alexandriam confluebant, magnaq; animorum alacritate nomina sua ad militiam (cùm tamen regius Ptolemæo exercitus bellum inferret) profitebantur. Et licet magna iam pericula manifestè imminerent, suo tamen discrimine omnes efficiebant promptè, vt salus eius integra maneret. dij verò propter virtutem & æquitatem erga omnes maximis ereptum periculis conseruarunt.

De eodem paucis verbis Eustathius ad Dionysium: ἡ τοῦ Μακεδόνος Ἀλεξάνδρου ὁμώνυμος πόλις, ἐν ᾗ καὶ ἐτάφη, Πτολεμαίου κομίσαντος, τεθεὶς ἐν πυέλῳ χρυσῇ ἣν συλήσας Κόκκης ὁ ἐπικληθεὶς παρείσακτος Πτολεμαῖος, ἐν ὑαλίνῃ πυέλῳ τὸν νεκρὸν ἔθετο. *Ciuitas quæ ab Alexandro Macedone cognomen accepit, in qua & situs est, deferente Ptolemæo in aureo solio collocatus, quod postea Ptolemæus Cocces, cognomento Parisactus seu aduena sustulit, qui surrepta aurea vrna in vitrea illum deposuit.*

Augustus Imperator cum Alexandriæ corpus Alexandri M. prolatum è penetrali subiecisset oculis, corona aurea imposita ac floribus aspersis veneratus est. consultusque num & Ptolemæum inspicere vellet? regem, ait, se voluisse videre, non mortuos, perinde quasi viueret adhuc Alexander, & solus regio nomine dignus esset. Dio Cassius addit tactam quoque ab illo particulam nasi & fractam. Alexander Seuerus cùm Alexandriam venisset Alexandri monumentum clausit, ne quisquam corpus eius videret in posterum, neue ea, quæ in eo scripta sunt, legeret. Par est ergo vt nos quoque cum monumento nostros labores finiamus & claudamus. Sueton. in Augusto c. 18. p. 74. Xiphil. in Seuer. lib. 21. p. 328.

Namq; opus exegi, quod numinis ira, vel ignes,
Vel tineæ poterunt; vel edax abolere vetustas:
Omnia si chartis parcant, tamen vltima mundi
Omnes ingenij delebit flamma labores.

Δόξα θεῷ, μερόπεσσι χάρις, κατάπαυμα πόνοιο.

INDEX

INDEX IN Q. CVRTII HISTORIAM, RERVM MEMORABILIVM COPIOSISSIMVS.

A

B.

Buba-

Co-

M.

Mmm 4 Nabai.

N.

O.

P.

Q.

R.

Reges



FINIS.



